3-a-2-4

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante
Tabla
Número

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA Y PROVINCIAL GRANADA

3-a-2-4

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Tabla
Número

# R.P.D.F. IOANNIS

del Collegio de la Congⁿ de Ihs de Granada.

DA

# SYLVEIRA

## OLYSSIPONENSIS,

CARMELITÆ REGVLARIS
Obſeruantiæ, ſacræ Theologiæ
Primarij Lectoris Iubilati,

## COMMENTARIORVM

in Textum Euangelicum

### TOMVS SECVNDVS,

*Explanans primum ſacratiſſimum annum Prædicationis Chriſti* IESV.

Editio ſecunda ab Authore recognita & emendata.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

# SACRATISSIMÆ
# TRIADIS
## TEMPLO, OMNIPOTENTIS
## Dei digniſſimæ Genitrici, Virginalis puritatis ſummæ integritati, Angelorum ac hominum auguſtiſſimæ Dominatrici, Carmelitarúmque piiſſimæ Matri.

VOx eſt ſponſi tecum alloquentis, ( ô SACRATISSIMA VIRGO,) *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis*; ſeu, vt habet altera lectio, *Ab vbere tuo duo hinnuli pendent*: per quos doctrinæ ſacræ codices, Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, Aponius, D. Anſelmus, & alij interpretantur; de quibus perbellè dixit Richardus de S. Laurentio: *Si hinnuli parui conditione, capreæ gemelli humiles naturâ, vbere tuo lactati paſcuntur in liliis.* Duos iam edidi Tomos in lucem, primum, & hunc ſecundum, qua mei ingenij fœtus, ſine dubio conditione paruos, qua, me Auctore, humiles naturâ, vbere tamen tui ſacratiſſimi patrocinij lactatos, non contemptibiles fore confido, ſed paſcentur in liliis. Nam quidquid de meo eſt, humile, & abiectum, de tuo verò, magnum, & excelſum. Obumbret ergo magnitudo tua humilitatem meam, celſitudo tua abiectionem meam; & quanuis tenuitatis meæ benè ſim conſcius, minimè tamen de tua benignitate diffido. Dum ergo vberibus ornatam te video, matrem te intelligo: ideo cùm mater ſis, matrem te exhibe, & vbera, quæ lacte replentur in filios, vt ait Ariſtoteles, non

*Cant. 4.*

*Biblia data in lucem anno 547.*

*Lib. 11.*

*Lib. 7. de natura animalium, cap. 1.*

mihi indigniſſimo non deneges, vt ita hoc noſtrum opus, multis vigiliis, elucubrationibus, ac laboribus plenum, noſtrúmque hunc affectum erga te, qualiſcunque ſit, tuæ magnitudini multum diſparem, noſtris tamen viribus ſatis comparem, neque contemnas, neque deſpicias, ſed ſolito tuæ pietatis rore amplectaris. Et ſi non valet opus, valeat affectus; & ſi nec opus, nec affectus proſunt, ſupereſt, & abundat pietas, clementia, ac benignitas tua.



# *APPROBATIONES.*

EX commiſſione Reuerendi P. M. Fr. Ambroſij do Couto, Prouincialis huius prouinciæ Luſitaniæ, &c. Vidi ſecundum Volumen *R. P. D. F. Ioannis da Sylueira, ſacræ Theologiæ primarij Lectoris Emerit.*; quod ſumma elaboratum induſtria, facili Patrum ingenio, concionatoriis fœtum conceptibus, nitore, venuſtateque orationis, æquè ac ſanctorum Patrum eruditiſſimis ſententiis, & cœleſtium oraculorum interpretationibus mirabiliter excultum, ſeſe in lucem, in oculos, inque dat manus; mentem fœcundat legentium; fœcundat audientium animos, atque fouet, vt accenſi fide perſiſtant, & veritatis operibus reluceant. Si ergo rerum ornamentum (teſte Baſilio Seleuco *orat.* 1.) lux eſt, dum ipſas aperit, in proprioque nitore manifeſtat, vt in lucem prodeat, luceque ornetur, digniſſimum cenſeo Volumen hoc, omnia iudico illius ſcripta cum fide orthodoxa, & honeſtis moribus apprimè concinere, quòd & litteratorum excipiantur plauſu, maximamque in Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem producatur typis. Vlyſſiponenſi Carmelo die 12. Aprilis, anno Domini 1643.

D. FR. BLASIVS TOSTADO.

DE mandato ſapientiſſimi Magiſtri Fr. Ambroſij do Couto in Luſitania Prouincialis emeriti, attentè perluſtraui, & alta meditatione perpendi ſecundum Tomum *Commentariorum in textum Euangelicum*, *ſapientiſſimi Patris ac Doctoris F. Ioannis da Sylueira, ſacræ Theologiæ primarij quondam Lectoris*; cenſeo nihil in eo aut Chriſtianis moribus, aut fidei decretis repugnans contineri, imò materiæ dignitas, conceptuum vbertas, mira rerum diſpoſitio, ſtylus facilis, & felix authoris ingenium opus reddunt admirabile; veterum enim placita tam concinno & apto ordine connectit, vt omnes in admirationem adducat. Inter alia triplici eminet gratia, affectum mulcet; ſenſuum vbertate mentem impinguat, & altitudine myſteriorum intellectum exercet, quare typis non ſolùm mandandum, ſed cedro & arce (vt dicunt) ſeruandum iudico. In Olyſſiponenſi Carmelo die 18. Aprilis, anno Domini 1643.

FR. NONEVS VIEGAS *S. Theol. Lector veſperarius.*

## *Facultas R. P. Prouincialis Carmelitarum in Luſitania.*

MAG. Fr. Ambroſius do Couto, Prouincialis Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo Regularis Obſeruantiæ, in his Portugalliæ, & Algarbiorum regnis, &c. Ex commiſſione R. P. N. Magiſtri Fr. Alberti Maſſarij Vicarij Generalis antiquæ Obſeruantiæ, harum tenore facultatem facio *R. P. D. F. Ioannis da Sylueira, Primario Iubilato, ac Magiſtro Regenti*, vt ſecundus Tomus *Commentariorum in textum Euangelicum* ab ipſo compoſitus, ac Doctorum hominum Religionis noſtræ iudicio examinatus, & approbatus, typis poſſit mandari. Datum in Carmelo Vlyſſiponenſi 21. Aprilis, anno Domini 1643.

M. FR. AMBROSIVS DO COVTO *Prouincialis.*

## *APPROBATIO.*

NOs infraſcripti facultatis Pariſienſis Doctores, fidem facimus viſum à nobis librum, qui inſcribitur, R.P. D.F. IOANNIS DA SYLVEIRA *Commentariorum in textum Euangelicum Tomus ſecundus*; nihilque in eo ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Fidei, ſanctorúmque Patrum ſana doctrina alienum contineri. Lugduni die 20. Maij 1644.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

FR. MICHAEL MICARD Franciſcanus.

## Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus litteris cautum, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quovis modo & ratione curet librum qui inſcribitur, R.P.D.F. IOANNIS DA SYLVEIRA, *Olyſſiponenſis, Carmelitæ Regularis Obſeruantiæ, ſacræ Theologiæ Primarij Lectoris Iubilati, ac Magiſtri Regentis, Commentariorum in textum Euangelicum Tomus ſecundus*; præter LAVRENTIVM ANISSON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quemquam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, die 19. Iunij 1644.

*De mandato Regis*

Signatum

CRAMOISY.

*Deſiit prælum primæ editionis 12. Februarij 1645.*



# SERIES CAPITVM, ET QVÆSTIONVM.

## LIBER QVARTVS.

*Explanans primum ſacratiſſimum annum Prædicationis Chriſti* IESV.

### CAPVT I.

### Adeſt Ieſus nuptiis in Cana Galilææ.

QVÆST. I. *De tempore ac die quo hæ nuptiæ factæ ſunt.* pag. 3
2 *Quomodo computanda ſit tertia dies, de qua Euangeliſta mentio nem facit?* 4
3 *Quis fuerit ſponſus & ſponſa in his nuptiis?* 5
4 *Quare Euangeliſta nomen ſponſi, & ſponſæ non expreſſerit?* ibid.
5 *Quare in Cana Galilææ celebrentur hæ nuptiæ:* 6
6 *Quare puriſſima Virgo his nuptiis præſens aderat?* ibid.
7 *Quare Chriſtus Dominus venerit ad nuptias?* 8
8 *Quare Dominus iuerit ad nuptias cum diſcipulis, non verò ad Ieruſalem?* 9
9 *De perſonis, quæ his nuptiis interfuerint: agitur de Apoſtolis, fratribus, ac D. Ioſeph.* ibid.
10 *Quare ad has nuptias acceſſerint diſcipuli?* 10
11 *Quare in his nuptiis vini penuria interuenerit?* 11
12 *Quare hîc vini potius, quàm aliarum rerum defectus acciderit?* ibid.
13 *Quare Virgo hîc proponat tanti vini defectum, & non petat miraculum?* 12
14 *Quare Virgo vini defectum filio ſuo non rogat a proponat?* 13
15 *Quare Virgo vini defectum filio tantùm, & non alteri manifeſtet?* ibid.
16 *Quare Chriſtus Dominus Virgini dixerit: Quid mihi & tibi? Rationem litteralem inquiro.* 14
17 *Quare Dominus tam ſeuerè Matri reſponderit? Expenduntur rationes morales.* 13
18 *Quare Chriſtus Dominus Virginem appellet mulierem?* 17
19 *Quare Chriſtus vniuerſorum temporum Dominus dixerit:* Nondum venit hora mea? 18
20 *Vtrùm Chriſtus Dominus ob Matris preces citiùs operatus ſit miraculum?* 19
21 *Quare Virgo hîc loquatur, & non legatur ampliùs in Euangelio eructaſſe verbum?* 20
22 *Vnde nouerit Virgo Chriſtũ aliquid imperaturum miniſtris ad miraculum operandum?* 21
23 *Quare hydriæ erant ſex?* 22
24 *Quare hydriæ erant lapideæ?* ibid.
25 *Quare hydriæ poſitæ erant ad purificationem Iudæorum?* 23
26 *Quare Dominus in hydriis, & non in aliis vaſibus miraculum operari determinet?* ibid.
27 *Quare Chriſtus Dominus vinum ex nihilo nõn creauerit?* 24
28 *Quare vinum ex aqua potius, quàm ex alia re fecerit?* 25
29 *Quare Chriſtus Dominus per ſe aquam non effuderit?* 26
30 *Quiſnã eſſet Architriclinus: & vnde dictus?* 27
31 *Quare Architriclinus vocet ſponſum, & non miniſtros?* ibid.
32 *Vtrùm hoc fuerit primum miraculum, quod Chriſtus edidit?* 29
33 *Quare hîc dicatur, quòd Chriſtus manifeſtauerit gloriam ſuam?* ibid.
34 *Quomodo qui antè Chriſti diſcipuli erant, modò in eum credidiſſe dicantur?* 30

### CAPVT II.

### Eiicit Ieſus vendentes in templo.

QVÆST. I. *Qvare Dominus venerit in Capharnaum?* 31
2 *Vtrùm Beatiſſima Virgo ſecuta fuerit Chriſtum per diuerſa loca prædicationis cauſa ambulantem?* 32
3 *An ſit vna, & eadem eiectio quam Ioannes hîc, ac Matthæus enarrant?* 33
4 *Quare Euangeliſta tantùm faciat mentionem de oue, boue, columba, cùm alia venderentur in templo?* 34
5 *Quare in templo vendebantur oues, boues, & columbæ?* ibid.
6 *Quare Dominus eiecerit à templo vẽdentes?* 36
7 *Quare hîc non fiat expreſſa mentio de ementibus, cùm Matthæi 21. vendentes & ementes commemorentur?* 37
8 *Quare Dominus flagello vendentes eiecerit?* 38
9 *Quare Dominus flagellum de funiculis fecerit, non verò de catenis, vel virgis?* 40
10 *Quare Chriſtus Dominus vendentes per ſeipſum eiecerit?* 41
11 *Quare cùm Chriſtus Dominus tantam eiecerit multitudinem, nullus ei reſtiterit?* 42
12 *Quare Dominus columbarum venditores flagello non percuſſerit, ſed dixerit:* Auferte iſta

# Series Capitum, & Quæſtionum.


te iſta hinc? 44
13 Quare Chriſtus Dominus mitiora hîc verba proferat, quàm Matth. 21. in ſimili facto. 46
14 Quæ negotiatio in Eccleſia prohibita ſit? ibid.
15 Quando, & quomodo recordati ſint diſcipuli de Dauidis carmine? 48
16 Quomodo dicatur de Chriſto: Zelus domus tuæ comedit me? ibid.
17 Quid hîc intelligatur nomine templi? 50
18 Quare Chriſtus Dominus hîc corpus ſuum appellet templum? 51
19 Quare Chriſtus Dominus pro ſigno dederit potius reſurrectionem ſuam, quàm quodcunque aliud miraculum, ac opus vitæ ſuæ? 52
20 Quare Dominus ſignum valde ænigmaticum dederit? 53
21 Vtrùm templum illud fuerit ædificatum quadraginta & ſex annis? 54
22 Quare Euangeliſta non explicet, quæ ſigna, & miracula hîc fecerit Dominus? 56
23 Quare cùm multi in Chriſtum crederent, tamen Dominus non ſe credebat eis? 57

## Caput III.
### Ieſus & Nicodemus.

Quæst. I. Quare Euangeliſta dum incipit hanc hiſtoriam ſcribere, Nicodemum appellet hominem? 59
2 Quare Euangeliſta notet quòd Nicodemus erat ex Phariſæis? 60
3 Quare hic vir tam ſolicitus de ſua ſalute dicatur Nicodemus? 61
4 Quare Nicodemi principatus memoratur? ibid.
5 Quare Nicodemus venerit nocte ad Ieſum? multiplici ratione explicatur? 63
6 Quare cùm principes huius ſæculi, omnia ſibi licere frequenter exiſtiment, Nicodemus tamen timeat palam ad Chriſtum venire? 64
7 Quare Nicodemus venerit nocte? aliis rationibus explicatur. ibid.
8 Quare cùm Nicodemus venerit nocte; ac occultè, à Chriſto non reprehendatur? 66
9 Quare cùm multi in populo ſiniſtram de Chriſto Domino opinionem haberent, Nicodemus tamen, veluti de omnibus, ait: Scimus, quia à Deo veniſti Magiſter? 67
10 Quomodo hæc Chriſti reſponſio connectatur cum dictis à Nicodemo? 59
11 Quare inter Euangeliſtas ſolus Ioannes geminet dictionem Amen? 70
12 Quare Chriſtus Dominus cum Nicodemo loquatur per tertiam perſonam, cùm ad ipſum dirigat ſermonem? 71
13 Quare Dominus Nicodemum non inſtruat de eius potentia ad miracula perpetranda? 72
14 Quare Nicodemus tam humiliter intellexerit ſublimem Chriſti Domini doctrinam? 73
15 De neceſſitate Baptiſmi, & de tempore, quo incipit huiuſmodi neceſſitas. 74
16 Quare noſtra regeneratio in Baptiſmo fiat interueniente aqua, & Spiritu ſancto? 75
17 Quare huiuſmodi regeneratio ſit in aqua, rationes peculiares expendo. 76
18 Quare in hac regeneratione homini non detur aliquod adiutorium, ſicut in prima eius creatione? 77
19 Quare Baptiſmus dicatur regeneratio? ibid.
20 Qua ratione Chriſtus Dominus cùm ſit natus ex Spiritu ſancto, conſtet humana carne. 79
21 Quid nomine Spiritus, hîc intelligatur? 80
22 Vox diuini Spiritus ſilere non poteſt, quin ſe audire faciat? 18
23 Quare cùm diuinus Spiritus det omnium rerum intelligentiam, de eo dicatur, quòd neſcimus, quò vadat, & quò tendat? ibid.
24 Quàm periculoſum ſit, quòd homo non obſeruet Deum ad ſe venientem, ac recedentem? 83
25 Quare Dominus hîc reprehendat Nicodemum de ſua ignorantia? 84
26 Quare Chriſtus Dominus hîc Nicodemum de ignorantia reprehendat, non tamen de eo, quòd nocte venerit ad ipſum? 86
27 Quare Chriſtus Dominus hîc loquatur in numero plurali, Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur? 88
28 Cùm Chriſtus Dominus de regeneratione ſpirituali hîc loquatur, quid hîc per terrena intelligat? 89
29 Quomodo Chriſtus Dominus dicat, quòd ipſe aſcendit in cælum, cùm hîc ante aſcenſionem ſuam loquatur? 90
30 Quomodo dicat Chriſtus, quòd nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit, cùm iuſti aſcendant in cælum, à quo non deſcenderunt? 91
31 Quomodo dicat Chriſtus, quòd filius hominis deſcendit de cælo, cùm humanitas vnita fuerit verbo in terris? 92
32 Quare Chriſtus Dominus frequenter ſe filium hominis appellet? 93
33 Quare in Chriſti Crucifixi figuram ſerpens potius, quàm aliud eligatur animal? 96
34 Quare ſerpens in figuram Chriſti erectus æneus erat potius, quàm ligneus, vel alterius materiæ? 98
35 Quare potius adducatur ſerpentis figura in deſerto, cùm alia multa eſſent in lege veteri, quæ Chriſti paſſionem exprimebant? ibid.
36 Quare Dominus crucifixionem ſuam, non ſuſpendium, ſed exaltationem appellet? 100
37 Quare Dominus cum Nicodemo de paſſione ſua, non manifeſtè, ſed per figuram loquatur? 101
38 Quare Dominus paſſionem ſuam ponat ſub figura: illius verò fructum manifeſtè? 102
39 Quare paſſionis fructus per æternæ vitæ acquiſitionem explicetur? ibid.
40 Quare Dominus hîc cum Nicodemo de amore ſuo agat? 104
41 Quare Deus tam vehementer dilexerit homines? ibid.
42 Quare in ſignum dilectionis ſuæ Deus mundo dederit, non Angelum, vel Archangelum, ſed filium ſuum vnigenitum? 106
43 Vtrùm Deus Pater maius amoris præbuiſſet ſignum, ſi ſeipſum nobis dediſſet, quàm dum filium vnigenitum dedit? 107
44 Quare tam diuerſimodè Chriſtus loquatur de dilectione ſua, ac Magdalenæ amore? 108
45 Quare non ſuam, ſed tantùm Patris dilectionem Chriſtus expreſsè commemoret? 109
46 Quare Chriſtus Dominus non diſtinctè, ſed inuolutè Nicodemo dixerit, ſe eſſe filium Dei vnigenitum? 110
47 Quomodo cohæreat præſens textus cum illo Pauli: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me? ibid.
48 Quare hîc non ſolùm dicatur, quòd Pater dederit filium vnigenitum, ſed etiam addatur, ſuum, non verò prout eſt in ſinu eius? 111
49 Quare dicatur quòd Deus dilexerit mundum, cùm ſcriptum ſit, Nolite diligere mundum? 112
50 Quare non dicatur quòd Deus dilexerit homines, ſed mundum? 113
51 Quare Chriſtus in hoc colloquio cum Nicodemo priùs ſe appellet filium hominis, & poſtea filium Dei? ibid.
52 Quare idem effectus redemptionis prius tribuatur Chriſto Domino, prout filius hominis, quàm prout vnigenitus Dei? 114
53 Quare Chriſtus Dominus hîc auditores ſuos à iudicij ſuſpicione remoueat? 115
54 Quomodo dicatur, quod Chriſtus non venit, vt iudicet mundum, cum Pater omne iudicium dederit filio? 116
55 Quomodo dicatur hîc filius Dei miſſus in mundum, cùm Ioannes dicatur quòd erat in mundo? 117
56 Quomodo hæc ſententia Chriſti, Qui credit non iudicatur; & qui non credit, iam iudicatus eſt, cohæreat cum vniuerſali iudicio? 118
57 Quare iudicium ſumatur per condemnationem? 119
58 Quare, cùm lux venerit ad ſaluandos homines, ipſi noluerint ad ipſum venire? 120

## Caput IV.
### Incarceratur diuinus Baptiſta.

Quæst. I. Quiſnam eſſet Herodes, Herodias, & Ioannis carcer? 122
2 An Herodes ſponte ſua, vel perſuaſu aliorum, Ioannem incarcerauerit? 123
3 Ex quo motiuo Herodes Ioannem in vinculis alligauerit? 124
4 Quare Herodes auſus ſit Ioannem in vinculis alligare? 125
5 Quomodo prendatur Ioannes, qui eſt Chriſti vox, cùm verbum Dei non ſit alligatum? 127
6 Quare inter Herodem, & Herodiadem tanta in nomine conuenientia? ibid.
7 Quare Herodes publicè arguatur à Ioanne? ib.
8 Quare Ioannes reprehẽdat Herodem, quem ſciebat reprehenſione non futurũ meliorem? 129
9 Quare Ioannes Herodem tantùm, & non Herodiadem arguat? 130
10 Quare cum tanta libertate Ioannes Herodem arguat? 131
11 Quomodo Matthæus, & Marcus, qui videntur ſibi contrarij in narranda hac hiſtoria, conueniant inter ſe? 132
12 Quomodo Herodes tam bene affectus in Ioannem, eum occidere decreuerit, vt Matthæus ſcribit. 134 134

## Caput V.
### Colloquium Chriſti cum Samaritana, quæ vocatur à Chriſto.

Quæst. I. Vtrùm Chriſtus Dominus per ſeipſum baptizaret? 136
2 Quare Chriſtus noluerit per ſe ipſum baptizare? 137
3 Quare Dominus diſceſſerit ex Iudæa in Galilæam? 139
4 Quænam eſſet regio Samaritana? 141
5 Quare tantus ſit Euangeliſta in narrando, quòd oportuerit eum tranſire per Samariam? ibid.
6 Quare tranſiuerit Dominus per Samariam? 142
7 Quænam fuerit ciuitas Sichar? 143
8 Quare Dominus venerit ad ciuitatem Sichar? 144
9 Quomodo dicatur fons, cùm poſtea puteus appelletur? 146
10 Quare Dominus ad conuertendam mulierem venerit ad fontem? 147
11 Quare meus Ieſus oſtendatur fatigatus? 148
12 Quare Ieſus non ſtabat, ſed ſedebat ſupra fontem? 151
13 Quare hora ſexta ſedebat Dominus? 152
14 Quare Dominus ad emendos cibos miſerit omnes diſcipulos ſuos? 154
15 Quare Samaritana Chriſto Domino potum dare recuſet, cùm tamen Rebecca illum dederit Eleazaro, & ſuis camelis? 156
16 Quare mulier neget Chriſto potum, diſcipulis tamen in vrbe cibus non negetur? 157
17 Quare Chriſtus Dominus non explicet quid, & quale ſit hoc donum Dei, de quo loquitur? 158
18 Quid Chriſtus Dominus per aquam viuam intelligat? 159
19 Quare mulier alienigena & Samaritana appellet Iacob patrem ſuum? 161
20 Quare Chriſtus mulieri non reſponderit, ſe eſſe maiorem Iacob? 162
21 Quomodo dicat Chriſtus, quòd qui biberit ex aqua ſua, non ſitiat in æternum, cùm Sapientia dicat: Qui bibunt me, adhuc ſitient? 163
22 Quare aqua Chriſti extinguat ſitim in æternum, cùm Angelus dederit potum Eliæ ſolùm ad quadraginta dies? 164
23 Quare Spiritus diuinus dicatur in nobis fons, & non mare, vel ſtagnum aquarum? 165
24 Quare cùm Chriſtus Dominus proponat ſuam admirabilem aquam Samaritanæ, ac Nicodemo, illa eam petat, hîc verò minimè? 166
25 Quare cùm mulier petit aquam, ei præcipiatur à Domino vocare virum ſuum? 168
26 An viri, quos habuit Samaritana, legitimi extiterint? 170
27 Quanta prudentia Chriſtus Dominus Samaritanam reprehendat? ibid.
28 Quare ex verbis Chriſti mulier intellexerit ipſum eſſe Prophetam? 171
29 De controuerſia inter Iudæos, & Samaritanos de loco adorationis, & ſacrificij? 173
30 Qua ſerie ſermonis mulier hanc de adoratione quæſtionem Chriſto proponat? 174
31 Mulier quanto amore, ac propenſione in populum ſuum proponat quæſtionem? 175
32 Quare dicatur quòd adoratio debeat eſſe in ſpiritu & veritate? 177
33 Quare Deus dicatur hîc Spiritus, & non veritas, ex contextu ſermonis, vel ignis, vt in veteri Teſtamento? 178
34 Quare Dominus ſe eſſe Meſſiam apertè manifeſtet Samaritanæ, non verò Iudæis interrogantibus? 180
35 Quare mirentur diſcipuli, quòd Dominus loqueretur cum muliere? 181
36 Quare diſcipuli non interrogent à Domino, quid ageret & loqueretur cum muliere? 182
37 Quare dum tendit in ciuitatem, hydriam relinquat? 183
38 Quare vexillũ, ac primatũ prædicationis Euangelicæ committatur mulieri Samaritanæ? 184
39 Quomodo mulier dicat de ſe, quòd Chriſtus dixerit ei omnia, quæcunque fecit? 185
40 Quare diſcipuli rogabant Chriſtum vt comederet? 187
41 Quare Chriſtus Dominus negotium noſtræ ſalutis ſuum cibum appellet? 189

# Series Capitum, & Quæſtionum.


42 *Quare Dominus loquatur cum diſcipulis per metaphoram à regionibus albeſcentibus?* 190
43 *Quare cùm Apoſtoli ſint multos labores pepeſſi in prædicatione Euangelica; dicat tamen Dominus, quòd eos mittit ad metendum, quod non laborauerunt?* 192
44 *Quare ad vnius mulierculæ vocem multi Samaritani credãt Chriſtum eſſe filiũ Dei?* 193


## Capvt VI.
## Sanatur filius Reguli.


Qvæst. I. *QVare Dominus redeat in Cana Galilææ?* 196
2 *Quare Dominus primò iuerit in Cana Galilææ vocatus ad nuptias, nunc verò quin inuitaretur?* 197
3 *Quiſnam eſſet iſte Regulus?* 198
4 *Quare iſte deprecans pro filij ſanitate, non dicatur Rex, ſed Regulus?* 199
5 *Quare cùm iſte homo duplici nomine ſit inſignitus, cùm de filij infirmitate agitur, Regulus dicatur?* ibid.
6 *Quare filius Reguli infirmabatur Capharnaum?* 200
7 *Quare cùm Dominus immediatè diſceſſerit à Samaria in Galilæam, dicatur tamen quòd ex Iudæis aduenerit?* 201
8 *Quare Regulus rogabat, vt Dominus deſcenderet in domum ſuam?* 202
9 *Quare Regulus reprehendatur à Domino?* 203
10 *Quare Dominus non deſcendat in domum Reguli petentis, & tamen vadit ad domum Centurionis non rogantis?* 206
11 *Quare Dominus mandauerit Regulo, vt vaderet?* 207
12 *Quare Chriſtus non dicat Regulo: Do ſanitatem filio tuo, ſed ait: Filius tuus viuit?* 208
13 *Quare Naaman iraſcatur ad mandatum Eliſæi: Regulus verò promptè, ac modeſtè obedierit dictis Chriſti?* 209
14 *Quare ſerui occurrant Domino ſuo Regulo in itinere?* 210
15 *Quare Regulus interroget de hora, qua filius reſtitutus eſt ſanitati?* 212
16 *Quare hora ſeptima ſanetur puer?* 213
17 *Quare ad ſolum ſermonem Domini multi Samaritani crediderint in Chriſtum, ad iſtud autem miraculum ſola domus Reguli?* 214


## Capvt VII.
## Piſcatur Petrus in Genezareth.


Qvæst. I. *VTrùm hæc hiſtoria eadem ſit ac illa, quam Marcus, ac Matthæus narrant?* 216
2 *Quare turbæ irruebant in Chriſtum?* ibid.
3 *Quare dicatur, quòd Dominus ſtabat ſecus ſtagnum, non verò in ſtagno?* 218
4 *Quare Piſcatores lauabant retia?* 219
5 *Quare Chriſtus aſcendat in nauiculam?* 221
6 *Quare Dominus non imperet Petro, ſed roget eum?* 222
7 *Quare Dominus modò roget Petrum, vt reducat nauim puſillùm à terra, non verò poſtea, vt ducat in altum?* 223
8 *Quare Chriſtus non rogauerit Petrum pro ingreſſu in nauim, ſed pro reductione puſillùm à terra?* 224
9 *Quare Petro dicatur, quòd ducat nauim in altum?* 225
*Quare Chriſtus iubeat laxare retia, & hoc vult miraculum edere?* 227
11 *Quare ſoli Petro dicatur: Duc in altum, & non tantùm illi, ſed etiam ſociis mandetur,* Laxate retia veſtra? 228
12 *Quàm alta, & præclara dixerit Petrus in hac vna voce,* 229
13 *Quare hæc nauis ſereno tempore nauiget, & retia mittat in vtramque partem?* 230
14 *Quare in hac piſcatione rũpebatur rete, non verò in illa quæ facta eſt poſt Reſurrectionem?* 231
15 *Quare Petrus precetur Dominum à ſe recedere?* 233
16 *Quare Petrus dum petit, quòd Chriſtus ab eo exeat, ad ipſum accedat?* 234
17 *An oratio Petri fuerit exaudita?* 236
18 *Quare ſoli Petro dicatur:* Eris homines capiens? *ibid.*


## Capvt VIII.
## Vocantur Petrus, & Andreas.


Qvæst. I. *VTrùm Petrus, & Andreas multipliciter fuerint vocati à Domino? Et agitur de concordia Euangeliſtarum in hac materia?* 238
2 *Quare Dominus modò vocet Andream, & non antea elegerit, quãdo ipsũ fuerat ſecutus?* 239
3 *Quare Chriſtus à principio ſuæ vocationis elegerit Apoſtolos?* 240
4 *Quare Dominus potius elegerit hos Apoſtolos, quàm alios?* 241
5 *Quare Dominus vocauerit hos Apoſtolos binos, & fratres?* 242
6 *Quare Dominus ad ſuum Apoſtolatum homines pauperes, & ſimplices elegerit?* 243
7 *Quare Dominus inter ſuos diſcipulos, aliquos etiam peritos elegerit?* 244
8 *Quare Dñs piſcatores eligat in Apoſtolos?* 245
9 *Quare iuxta mare Dominus Apoſtolos vocet?* 249
10 *Quare Dominus hos vocet Apoſtolos, non extrahentes, ſed mittentes rete?* ibid.
11 *Quare Dominus vocet ſuos Apoſtolos ſub metaphora piſcaturæ?* 249
12 *Quare Apoſtoli ad vnam Chriſti vocem ſine vlla cunctatione ipſum ſequantur?* 251
13 *Quomodo Apoſtoli dimiſſis omnibus, nihil de futuro euentu cogitantes Chriſtũ ſequantur.* 252
14 *Quare cùm Petrus, & Andreas minus admiſerint, quàm Zachæus, tamen non huic, ſed illis conferatur hominum piſcatio?* 253
15 *Quare Chriſtus ſimul eodem tempore vocet quatuor fratres?* 255
16 *Quare Chriſtus promiſerit aliquid Petro, & Andreæ, non verò hîc Iacobo & Ioanni.* 256
17 *Quare iſti Apoſtoli vocẽtur reficiẽtes retia?* ib.
18 *Quare relicto patre Iacobus & Ioannes Chriſtum ſequantur?* 258
19 *An Apoſtoli ita reliquerint nauim, & retia, vt poſtea de eis non diſpoſuerint?* 259


## Capvt IX.
## Ieſus prædicans in Galilæa?


Qvæst. I. *QVare Ieſus prædicando totam Galilæam circuibat?* 260
2 *Quare Chriſtus ambulabat per diuerſa loca prædicando, cũ tamen Baptiſta hoc non feciſſet?* 261
3 *Quare Ieſus prædicet in Synagogis?* 262
4 *Quare dicatur de Chriſto quod erat docens, & prædicans?* 263
5 *Quid ſit miraculum, & quibus ſignis verum eſſe deprehendatur?* ibid.
6 *Quare Chriſtus miracula faciebat?* 264
7 *Vtrùm Chriſtus ſanaret omnes, qui ad illum veniebant, & adducebantur?* 266


## Capvt X.
## Prædicantur octo Beatitudines in ſermone Domini in monte.


Qvæst. I. *AN hîc altiſſimus Dominì ſermo in monte habeat continuationem cum his, quæ dicta ſunt ſuperiori capite?* 267
2 *An ſit idem ſermo iſte, qui ſcribitur hîc à Matthæo, ac à Luca 6.* 268
3 *Quare Chriſtus Dominus hic in monte tam ſublimem, altamque doctrinam tradere voluerit?* 269
4 *Quare Chriſtus aſcendat in montem?* 270
5 *Quare Chriſtus ſederit?* 272
6 *Quare cùm Dominus ſedet, diſcipuli accedant?* 273
7 *Quare lex Moyſi detur populo in campeſtribus commorante: lex verò Euangelica proferatur diſcipulis, & turbis in monte ſtantibus?* ibid.
8 *Quare lex in monte Sina detur in maieſtate, hîc verò Chriſtiana lex humilitate, & clementia proferatur?* 274
9 *Quare dicatur, quòd Chriſtus aperuerit os ſuum?* 276
10 *Quare Chriſtus Dominus hîc proponat præmium vniuſcuiuſque virtutis, ac beatitudinis?* 277
11 *Quare Dominus in his præmiis conferendis non ſe declaret auctorem?* 279
12 *Quare Chriſtus Dominus has excellentes virtutes non præcipitando, ſed benedicendo proponat?* 280
13 *Quare inter beatitudines paupertas ponatur primo loco?* 281
14 *Quinam ſint pauperes, de quibus Chriſtus Dominus hîc loquitur?* 283
15 *Quinam ſint iſti pauperes ſpiritu, de quibus Chriſtus Dominus loquitur?* 284
16 *Quare pauperibus promittatur regnum cælorum?* 285
17 *Quare pauperibus ſpiritu detur præmium de præſenti?* 281
18 *Quid nomine* terræ *promittatur mitibus?* 288
19 *Quare in opinione D. Chryſoſt. mitibus præmittatur præmium terrenum?* 289
20 *Quare in communi ſententia cælum promittatur ſub nomine* terræ? 290
21 *Quare Dominus lugentibus aſſignet conſolationem in præmium?* 291
22 *Quare nõ explicetur à Chriſto Domino quænam ſit hæc conſolatio promiſſa lugentibus?* 292
23 *Quare Chriſtus Dominus legentes prædicet beatos, cùm Apoſtolus præcipiat ſemper eſſe gaudendum?* ibid.
24 *Quare Chriſtus Dominus in aliis virtutibus beatificauerit actum, in iuſtitia tamen deſiderium?* 294
25 *Quare viro miſericordia illuſtri, non aſſignetur in præmium corona, vel gloria, ſed miſericordia?* 295
26 *Quare Chriſtus requirat in nobis munditiem cordis, quam neminem de ſe dicere poſſe teſtatur Salomon?* 297
27 *Quare mundum cor requiratur ad Dei viſionem?* 298
28 *Quare in præmium detur pacificis quòd filij Dei vocentur?* 299
29 *Quare tolerãtiæ perſecutionum promittatur regnum cælorum, vt iam de præſenti datum?* 301
30 *Quare primæ, & vltimæ beatitudini idem aſſignetur præmium regnum cælorum?* 302
31 *Quare Chriſtus Dominus hîc non loquatur cum turbis, ſed ſpecialiter ad diſcipulos ſermonem dirigat?* 304
32 *Quare in ſola hac beatitudine præcipiat Dominus gaudere?* 306


## Capvt XI.
## Commendantur Præſules Eccleſiaſtici.


Qvæst. I. *QVare Chriſtus Dominus poſt exhortationem ad patientiam ſuos diſcipulos dicat ſal terræ, lucem mundi?* 308
2 *Quare diſcipuli de præſenti dicantur ſal terræ, lux mundi, cùm hoc eis potiùs de futuro competere videatur?* 309
3 *Quare eos non comparet cum ſale, & luce, ſed ait, quòd ſint ſal, & lux?* 310
4 *Quare Chriſtus Dominus nõ ait ſuis diſcipulis: Ego conſtitui vos ſal terræ, ſed* vos eſtis? *ib.*
5 *Quare Apoſtoli vocentur ſal?* 311
6 *Quare Apoſtoli nuncupentur ſal terræ, & non ſal hominum?* 314
7 *Quomodo Dominus faciat illam comparationem de ſale ad Prælatos,* quod ſi euanuerit, non eſt in quo ſalietur? *ibid.*
8 *Quare ſal Prælatorum infatuatum ad nihilum valeat, niſi vt mittatur foras?* 315
9 *Quare Dominus prius vocauit ſuos ſal, & poſtea lucem?* 317
10 *Quare Apoſtoli dicantur lux?* 318
11 *Quare Abrahamides nuncupentur pluraliter plures ſtellæ, & luces, & Apoſtoli, cùm ſint multi, dicantur ſingulariter lux?* 319
12 *Quare Apoſtoli non dicantur ſal mundi, & lux terræ?* 320
13 *Quare Dominus non explicet ſuis diſcipulis munera, ob quæ dicantur ſal, & lux?* 321
14 *Quare Dominus ſub præcepto non mandet ſuis diſcipulis, vt ſe habeant vt ſal, & lux?* 322
15 *Quare luci obfuſcatæ non imponatur pœna, ſicut aſſignatur ſali infatuato?* ibid.
16 *Quare Apoſtoli dicantur ciuitas ſuper montem poſita?* 323
17 *Quare Apoſtoli dicantur ciuitas, cùm ſint illius fundamenta?* 325
18 *Quare Apoſtoli dicantur ciuitas, quæ abſcondi non poteſt* ibid.
19 *Quare ſicut Dominus ait ſuis?* Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi; *non dixerit etiam, vos eſtis ciuitas?* 326
20 *Quare potius Chriſtus dixerit lucernam non eſſe ponendam ſub modio, quàm ſub alia re?* 327
21 *Quomodo cohæreat, quod Dominus hîc mandat ſuis diſcipulis, vt eius opera videant homines, cùm infrà præcipiat non eſſe facienda coram eis?* 329
22 *Quomodo Apoſtolis præcipiatur vt luceant coram hominibus, varia dubia expendũtur.* 330
23 *Quare Chriſtus in hoc ſermone non dixerit, vt glorificent Deum, ſed* vt glorificent Patrem veſtrum? 331
24 *Quare Dominus hoc loco ait, quòd non venerit ſoluere legem, ſed adimplere?* 332
25 *Quomodo Chriſtus dicat, ſe non veniſſe vt legem ſolueret, ſed vt adimpleret?* 334
26 *Quare Dominus per iotam, & apicem explicet, quòd ne minimum mandatum præteribit à lege?* 335




27 *Si*

# Series Capitum, & Quæſtionum.


27 *Si ille, qui ſoluit minima mandata, dicitur minimus, qui ſoluerit maiora, quomodo appellabitur?* 337
28 *Quare Chriſtus appellet præcepta minima? ibid.*
29 *Quare Dominus abſolutè ait, quòd qui fecerit hæc, erit magnus, abſque eo, quòd exprimat aliquid, ſicut expreſſit in ſoluente?* 338

CAPVT XII.
Abundet iuſtitia, dimittatur ira.

QVÆST. I. *QVænam eſſet iuſtitia Phariſæorum, & quare inſufficiens ad regnum cælorum?* 339
2 *Quare Chriſtus non dixerit quòd iuſtitia ſuorum Apoſtolorum eſſet maior, quàm Prophetarũ, ſed Scribarum, & Phariſæorum?* 340
3 *Quare Chriſtus Dominus dixerit potius iuſtitia veſtra, quàm virtus veſtra, vel perfectio veſtra?* 341
4 *Quare Chriſtus Dominus expreſſerit ſuis diſcipulis,* Iuſtitia veſtra? 342
5 *Quare Dominus ſuis diſcipulis tam rigidam pœnam imponat?* ibid.
6 *Quare Chriſtus Dominus dixerit potius intrare in regnum, quàm eſſe in illo?* 343
7 *Quare Dominus præcipiat hîc abundare iuſtitiam, cùm ad ingrediendum in vitam ſufficiat ſeruare iuſtitiam ſeu mandata?* 344
8 *Proponitur vera doctrina, quòd actus interni homicidij, & iræ fuerint lege prohibiti?* 345
9 *Explicantur tres gradus iræ, de quibus Dominus hîc agit.* 346
10 *Explicantur tres gradus pœnæ, quos Dominus hîc commemorat.* 347.
11 *Quare Dominus præcipiat vt offerens relinquat munus ante altare, & non ſecum aſportet?* 349
12 *Quare non priùs acceptet Dominus oblationem factam, & poſtea remittat ad reconciliandum cum fratre?* 350
13 *Quare in aliis donis, quæ offeruntur longè ab altari, non exprimatur particulariter hoc præceptum reconciliandi cum fratre?* 351
14 *Quiſnam ſit iſte aduerſarius?* 352

CAPVT XIII.
Fornicatio, iuramentum, vindicta vitanda.

QVÆST. I. *QVare Dominus cum tanta breuitate explicet præceptum fornicationis, circa quod tria dubia expenduntur?* 353
2 *Quare inter cæteros ſenſus viſus ſpecialiter prohibeatur?* 354
3 *Quid dexter oculus, ac manus ſignificet?* 356
4 *Quid eſſet libellus repudij?* 358
5 *Quare Chriſtus hîc ſolam fornicationem expreſſerit?* ibid.
6 *Quid Chriſtus hac ſua doctrina addiderit ſupra legem?* 359
7 *Errores Scribarum circa iuramentum damnat Dominus.* ibid.
8 *Vtrùm Chriſtianis liceat iuramentum?* 360
9 *Quare Dominus duplicet dictionem* eſt, & non? 361
10 *Quare permittebatur lex talionis?* 363
11 *Quare Chriſtus dum tractat de percuſſione in maxillam, ſolùm dexteræ meminit?* ibid.
12 *Quare Chriſtus doceat percutienti vnam maxillam, alteram etiam obuertendam, cùm ipſe coram iudice hoc non fecerit?* 365

CAPVT XIV.
Inimici diligendi.

QVÆST. I. *AN lex antiqua permitteret inimicos odio haberi?* 367
2 *Quo motiuo Scribæ introduxerint odium inimicorum tanquam mandatum legis contra ipſam legem.* 368
3 *Quomodo diſtinguantur hæc quatuor, inimicus, odio habens, perſequens, & calumniator.* 370
4 *Quare hîc Dominus inſtituerit ſermonem de dilectione inimicorum?* ibid.
5 *Quare Chriſtus Dominus tam vehementer commendet inimicorum dilectionem?* 371
6 *Inimici diligendi, triplici ratione comprobatur ex Hugone Cardinali.* 373
7 *Quàm vtilis, ac neceſſaria ſit inimicorum dilectio, multiplici ratione oſtenditur.* 374
8 *Quid illuſtrius diligere amicum, vel inimicum?* 375
9 *Quare præceperit Dominus odientibus benefacere?* 377
10 *Quare Dominus præceperit orare pro perſequentibus, & calumniantibus?* 378
11 *Quare Dominus præcipiat inimicos diligere, odientibus benefacere, quàm potiùs econtra?* 379
12 *Si inimici ſunt diligendi, & eis eſt benefaciendum, quomodo Sancti ſæpè in iniquos imprecabantur malum.* 380
13 *Quid in hac doctrina tradat Chriſtus dominus ex præcepto, quid ex conſilio?* 381
14 *Si iam per gratiam ſumus filij Dei Patris, quomodo dicitur quòd diligamus inimicos, vt ſimus filij eius?* 382
15 *Si Pater cæleſtis imitandus eſt à nobis in dilectione inimicorum, quomodo exoramus:* Dimitte nobis debita noſtra, & ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? 384
16 *Quare Chriſtus hîc non ſolùm nominet Patrem, ſed addidit,* qui in cælis eſt? ibid.
17 *Quomodo dicatur, quòd Pater Solem ſuum faciat oriri ſuper bonos & malos?* 385
18 *Vtrùm amicorum dilectio ſit meritoria?* 387
19 *Quomodo nobis commendetur vt ſimus perfecti, ſicut Pater cæleſtis perfectus eſt?* ibid.
20 *Quomodo cohæreant ſacri Euangeliſtæ, cùm Matthæus ſcribat perfectionem, Lucas verò miſericordiam dicat?* 388

CAPVT XV.
Oratio Dominica.

QVÆST. I. *QVare Chriſtus Dominus hîc agat de fugienda inani gloria?* 390
2 *Quare Dominus tam rigidè damnet tuba canere ad dandam eleemoſynam?* 392
3 *Quare dicatur, quòd in dandis eleemoſynis neſciat ſiniſtra quid faciat dextera?* 393
4 *Quare Dominus dum hypocritas orationes reiicit, de ſingulis facit mentionem?* 395
5 *Quomodo Dominus mandet orare intra cubiculum, cùm oratio publica in Eccleſia ſit multum laudabilis?* 396
6 *Quare in principio huius orationis Deum Patrem appellamus?* 398
7 *Quare hîc potius inuocamus Deum ſub nomine Patris, quàm ſub nomine Verbi, vel ſpiritus ſancti?* 399
8 *Quare cùm Oratio Dominica fiat ab vnoquoque, non dicatur Pater meus, ſed Pater noſter?* 400
9 *Quare dicatur,* ſanctificetur nomen tuum? ibid.
10 *Explicatur hæc petitio,* Adueniat regnum tuum, *de regno gratiæ, & gloriæ, cum variis dubiis.* 402
11 *Explicatur præſens petitio de regno poſt diem iudicij.* 403
12 *Quare dicatur,* Fiat voluntas tua? ibid.
13 *Explicatur panis hîc, quem petimus, & circa hoc varia dubia.* 405
14 *Quare in Oratione dicamus, potius panem noſtrum, quàm meum, vel tuum?* ibid.
15 *Totam hanc petitionem de ſacra Euchariſtia explico.* 406
16 *Quare poſt petitionem de venia peccatorum hîc agatur?* 408
17 *Quare petamus quòd Deus dimittat nobis, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris?* 409
18 *Quid exoremus à Deo, dum petimus,* Ne nos inducas in tentationem? 410
19 *A quo malo liberari deprecemur?* 411

CAPVT. XVI.
Ieiunandum abſque hypocriſi.

QVÆST. I. *QVare Dominus hîc non præcipiat, ſed ſupponat ieiunium* 412
1 *Quare Dominus hypocriſis malum à ſuis ſummouere velit?* 413
3 *Quare Dominus iubeat in noſtris ieiuniis, ne ſimus triſtes ſicut hypocritæ?* 414
4 *Quare reprehendantur hypocritæ, exterminantes facies ſuas?* 415
5 *Quare Chriſtus Dominus non loquatur abſolutè de ieiunio hypocritarum, ſed ait,* vt appareant ieiunantes? 416
6 *Quare hypocritis intercludatur hîc omnis ſpes præmij?* 417
7 *Ex dictis incidens dubium circa verba,* memento homo, *explicatur?* 418
8 *Quid ſignificet ad litteram vngere caput, & lauare faciem?* 419
9 *Quid moraliter ſignificet,* vngere caput, *&* lauare faciem? 420
10 *Quare cùm Chriſtus præcipiat hîc in die ieiunij vngere caput, Eccleſia in eo ponat cinerem?* 422
11 *Quare Dominus præcipiat non theſaurizare in terra, ſed in cælo?* 423
12 *Quare Chriſtus præcipiat non theſaurizare in terra, cùm Eccleſia doceat nos eſſe terram?* 424
13 *Quare Chriſtus mandet erigere mentem ad cælum, cùm Eccleſia nos exhortetur meminiſſe de terra & puluere?* 425
14 *Quare Dominus poſt traditam doctrinam agat de puritate oculorum?* 426
15 *Quid ſignificetur hoc loco per* oculum? 427
16 *Quare Eccleſia cum hoc Euangelio in prima die Quadrageſimæ adiungat memoriam mortis?* 428

CAPVT XVII.
Duobus dominis non eſt ſeruiendum.

QVÆST. I. *QVare inter hæc quatuor verba primò ponatur odium, ſecundo loco dilectio?* 430
2 *Quare de dura diaboli ſeruitute dicatur, quòd eam homo ſuſtinebit, ſeu patietur?* 431
3 *Quomodo peccator audeat Dei mandata contemnere?* ibid.
4 *Conferuntur in ſe quatuor verba proximè relata?* 432
5 *Quare homo non poſſit ſeruire Deo, & Mammonæ?* 433
6 *Quare hîc Chriſtus potius vtatur nomine* Mammona, *quàm alio, & quid ſit ſeruire Mammonæ?* 434
7 *Quare tam ſtrictè nobis Dominus vetat ſolicitudinem circa eſcam, & veſtitum?* 436
8 *Explicantur quædam rationes morales, ob quas Dominus ſolicitudinem ſuis prohibeat?* 438
9 *Quare Dominus ſuis dictis tantas adhibeat rationes?* 439
10 *Quare Dominus adducat in Exemplum, non homines illuſtres, ſed aues cæli?* 440
11 *Quare Dominus adducat in exemplum potius animalia volatilia, quàm terreſtria?* 441
12 *Tres quæſtiunculæ reſoluuntur.* 443
13 *Quare Dominus de liliis tantam prædicet pulchritudinem?* 444
14 *Quare hic gentes ponantur in exemplum?* 446
15 *Quomodo temporalia dicantur adiicienda quærenti regnum cælorum, cùm multis Sanctis videantur hæc defuiſſe?* 448
16 *Quænam ſolicitudo de craſtino hîc prohibeatuo à Domino?* 449

CAPVT XVIII.
De proximis non temerè iudicandum.

QVÆST. I. *DE connexione huius ſententiæ cum ſuperioribus.* 450
2 *De quo iudicio Dominus hîc loquatur.* 451
3 *De quo iudicio, ac menſura intelligenda ſit præſens ſententia.* 451
4 *Quomodo inferni pœna ſit ad menſuram pro iudicio temerario?* 453
5 *Quomodo trabs poſſit eſſe in oculo, & ipſe cum ea videre.* 454
6 *Quare Dominus vetet dare ſancta canibus, & margaritas porcis?* 455
7 *Quare Dominus prohibuerit dare ſancta canibus, cùm ipſe omnibus eſſe prædicandum, dixerit?* 456
8 *Quid per canes, & porcos ſignificetur hoc loco?* 457
9 *Tria verba hîc appoſita explicantur.* 458
10 *Quare ſæpe poſtulata non impetremus, cùm Dominus hîc dicat,* Petite, & accipietis? 459
11 *Quomodo intelligenda ſit hæc ſententia,* Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, vos facite illis? 461
12 *Quomodo Chriſti lex dicatur via arcta, & porta anguſta, cùm ipſe dicat,* Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. 462
13 *Si hæc porta, per quam intramus, eſt charitas, quæ eſt valde ampla, quomodo hîc dicitur arcta, & anguſta?* 463

CAPVT XIX.
Attendite à falſis prophetis.

QVÆST. I. *CVr nobis non mandet Dominus falſos prophetas aſpicere, vel punire, ſed tantùm ait:* Attendite ab eis. 464
2 *Quare Prælati, & Doctores dicantur Prophetæ?* 465

3 Quare Dominus non dixerit, Attendite à falſis hominibus, ſed à Prophetis falſis, & quotuplex ſit falſus propheta? 466
4 Quare non explicet Dominus quid præcauere debeamus à falſis prophetis? 467
5 Quare præceperit Dominus attendere ab his falſis prophetis, cùm habeant bonam apparentiam, & veniant in veſtimentis ouium? ibid.
6 Quare potius falſi prophetæ dicantur lupi, quàm leones, vel vrſi? 468
7 Quare hîc Dominus præcipiat nobis attendere à lupis, non verò à canibus, & porcis, de quibus ſuprà dixerat? 469
8 Quomodo iſti falſi prophetæ agnoſcendi ſint? 470
9 Quare iſtæ malæ arbores dicantur agnoſcendæ ex fructibus, & non ex floribus? 471
10 Quare Dominus hîc adducat in exemplum potius vuas, & ficus, quàm alia poma? 472
11 Quomodo intelligendum in hominibus, quòd arbor bona non poſſit fructus malos facere, nec arbor mala bonos fructus? 473
12 Quare arbori bonæ non deputetur præmium, ſicut & malæ aſcribitur pœna. 475
13 Quomodo à fructu cognoſcendæ ſint arbores, cùm multæ ſint, quæ nullum producant? 476
14 Quomodo iſti inuocent nomen Domini, & regnum cælorum non conſequantur? 477
15 Quare iniquis concedatur virtus ad multa mirabilia perpetranda? ibid.
16 Quare Chriſtus Dominus hîc interponat iuramentum? 479
17 Quare in hoc tempore dicat Dominus, quòd eos non cognoſcat? ibid.
18 Quare dum Deus reprobos damnat, eis improbet mala ſua quæ fecerunt de præſenti: Qui operamini iniquitatem. 480
19 Quomodo Chriſtus Dominus erat docens in poteſtate, non ſicut Scribæ, & Phariſæi? 483


## Capvt XX.
### Mundatur leproſus.


Qvæst. I. Quare turbæ ſecutæ ſint Dominum deſcendentem de monte? 484
2 Quo in loco leproſus mundetur, & quare ab Euangeliſta non exprimatur? 486
3 Quare leproſus non aſcendat in montem, ſed occurrat deſcendenti Domino? 487
4 Quare leproſus ſub conditione petat, Si vis? 488
5 Quare leproſus totum committat diuinæ voluntati? 489
6 Expenduntur virtutes, ac excellentiæ, quas leproſus oſtendit in hac ſua petitione. ibid.
7 An cùm Dominus extenderit manum, diſceſſerit lepra, vt manus Domini carnem mundam tetigerit? 491
8 Quare Ieſus tangat leproſum? 492
9 Quare dum Dominus ſanat leproſum, ait, Volo, mundare? 493
10 Quare Chriſtus Dominus leproſo imperet, ne miraculum factum manifeſtet? 494
11 Quare Chriſtus Dominus præceperit leproſo, oſtendere ſe Sacerdoti, & munera offerre? 496
12 Tres quæſtiunculæ ſoluuntur. 497


## Capvt XXI.
### Dæmoniacus curatur de ſpiritu immundo.


Qvæst. I. De ordine, & connexione huius hiſtoriæ cum ſuperioribus. 498
2 De nomine dæmonis, de eius ingreſſu in corpore humano, ac de energumentis, & arreptitiis aliqua notantur. 499
3 Quare dæmones immundi appellentur? 500
4 Quare dæmones dicant Chriſto Domino: Quid nobis, & tibi? 501
5 Quare diabolus dicat, quòd Chriſtus venerit in eorum perditionem? ibid.
6 Quare dæmon ait Chriſto: Scio quòd ſis ſanctus Dei? 502
7 Quare diabolus diſcerpens egrediatur ab homine? 504


## Capvt XXII.
### A febri dimittitur ſocrus Petri.


Qvæst. I. Qualis eſſet ſocrus, vxor ac matrimonium Petri? 506
2 Quare dicatur domus Petri, cùm ipſe iam reliquiſſet omnia? 507
3 Quare Chriſtus venerit in domũ Simonis? 508
4 Quare cùm multoties Chriſtus, & Petrus eſſent in Capharnaum, tamen modò dicatur, quòd ingreſſi ſunt in domum, in qua iacebat ſocrus Petri? 510
5 Quare Petrus non roget Chriſtum, vt veniat in domum? ibid.
6 Quare Dominus porrecta manu erigat ſocrum Petri? 512
7 Quare ipſamet ſocrus Petri miniſtret? 514
8 Quare poſt Solis occaſum adducebantur infirmi ad Chriſtum? 515
9 Quare Dominus per noctem curet infirmos in ciuitate, & per diem ad deſerta loca tendat? 517
10 Quare Chriſtus Dominus ſpiritus immundos eiiciebat ſolo verbo, languidos autem tangendo curabat? ibid.
11 Quomodo Matthæus hîc allegauerit auctoritatem Iſaiæ? 518
12 Quare dæmones confitebantur Chriſtum eſſe filium Dei? 519
13 Quare Dominus ſilentium imponebat dæmoniis? 520
14 Vtrùm dæmones cognouerint Chriſtum eſſe Meſſiam, & filium Dei? 522


## Capvt XXIII.
### De dimittendis terrenis, inſtruuntur Scribæ, & duo alij.


Qvæst. I. Quare Dominus voluerit transfretare in vlteriorem regionem? 523
2 Qua intentione, quóve animo iſte Scriba acceſſerit ad Dominum? 524
3 Quam ſuperbus acceſſerit iſte Scriba? 525
4 Quare Dominus Scribæ reſpondeat ſuam ei obiiciendo paupertatem? 526
5 Quare Dominus reſpondeat Scribæ exemplo vulpium, & volucrum cæli? 527
6 An & quare Dominus repulerit Scribam à ſuo diſcipulatu? ibid.
7 Quiſnam eſſet iſte homo, & quomodo ſequens Chriſtum habens parentem mortuum? 529
8 Quare Dominus huic adoleſcenti non permiſerit ſepelire patrem ſuum? 530
9 Circa hanc vetitam facultatem ſepeliendi parentem, duas difficultates reſoluo. 532
10 Quare Chriſtus adoleſcentem petentem recedere retinuit, & Scribam volentem accedere repulit? 533
11 De tempore, perſona, ac petitione iſtius hominis. 534
12 Quid Chriſtus ſignificare voluerit in illa parabola, qui mittit manum ſuam ad aratrum? 535


## Capvt XXIV.
### Sedatur tempeſtas in mari.


Qvæst. I. De tempore, ac ordine rei geſtæ ad antecedentia. 537
2 Quare diſcipuli ſecuti ſint Dominum? 538
3 Quare diſcipuli aſcẽdant cum Domino in nauiculam, & nullus de turba ingrediatur? 539
4 Qua vi, ſeu virtute hæc tempeſtas exorta fuerit? 540
5 Quare Chriſtus Dominus hanc tam ſæuam tempeſtatem ſuo imperio ordinauerit? 541
6 Quid hæc nauis ſignificet, & quare tam acerba tempeſtate prematur? 543
7 Quare ſæuiente tempeſtate dormiat Dominus? 544
8 Quare Dominus dormiebat ſuper ceruical? 546
9 Quare in puppi dormiebat Dominus? ibid.
10 Quomodo Euangeliſtæ cohæreant in referendis diſcipulorum verbis? Et expenditur illud verbum perimus. 549
11 Quare diſcipuli accedant ad Chriſtum, eumque à ſomno excitent? ibid.
12 Quàm diuerſimodè malus latro in cruce pendens, ac diſcipuli hîc loquantur? 549
13 De verbis Chriſti Domini, ac eorum connexione, quibus diſcipulos reprehendit? 551
14 Quare Chriſtus prius quàm mare ſedaret, reprehendat diſcipulos de modica fide? ibid.
15 Quare diſcipuli reprehendantur à Domino de modica fide, cùm ipſi ad Chriſtum confugerint, vt à periculis liberarentur? 552
16 Quomodo hæc grauis tempeſtas miraculosè ſubitò quieuerit? 553
17 Qui ſint homines iſti, qui mirabantur, & quæ verba dixerint? 554
18 Quare mirabantur iſti homines? ibid.
19 Quàm diuerſus hic diſcipulorum clamor ab illo: Salua nos, perimus? 555


## Capvt XXV.
### Expelluntur dæmones à regione Geraſenorum.


Qvæst. I. Quare dæmoniaci Chriſto Domino occurrant, & eum adorent? 557
2 Quare hi Energumeni in ſepulchris morabantur. ibid.
3 Sæua huius dæmonis ferocitas ex variis circunſtantiis expenditur. 558
4 Quare iſti dæmoniaci tam ſæui erant, vt non permitterent per viam illam aliquem tranſire? 559
5 Quomodo dæmones clament quòd Dominus venerit ad torquendos eos ante tempora? 560
6 De quà pœna, & tormento dæmones hîc loquantur? 561
7 Quid ſit legio, & quid hîc ſignificet? 562
8 Quare Dominus nomen dæmonis interroget? Et cur ipſe ait, quòd vocatur legio. ibid.
9 Quare tota vna dæmonum legio obſeſſum hominem non ſuffocet, ac interimat? 563
10 Quare dæmones petant ingreſſum in porcos? 565
11 Quare dæmones non permittantur ingredi in porcos, niſi priùs petita licentia? Et cuiuſnam eſſent porci illi? 566
12 Quare Dominus conceſſerit dæmonibus in porcos introire? 567
13 Quare vbi primum dæmones ingreſſi ſunt in porcos, ipſi ſtatim ſubmergantur in mare? 568
14 Quare Geraſeni rogabant Dominum vt diſcederet à finibus eorum? 569
15 Quare Dominus à Geraſenis diſceſſerit? 570


## Capvt XXVI.
### Oblatus Paralyticus medetur Capharnaum.


Qvæst. I. Quæ ſit iſta ciuitas? Et quare dicatur ciuitas Chriſti? 571
2 Quare Dominus mare transfretarit in nauiculam aſcendendo. 572
3 Quare Euangeliſta non exprimat naulum pro nauigatione perſolutum? 573
4 Elucidantur iſti quatuor vectores Paralytici? 574
5 Quare ab habitatoribus domus non prohibeantur vectores perfodere tectum? 575
6 Quare de ſola fide offerentiũ, & non Paralytici fiat præcipua, & principalis mentio? 576
7 Quare Chriſtus Dominus hunc Paralyticum filium vocet? 577
8 Quare Chriſtus Dominus dixerit huic Paralytico, Remittuntur peccata tua? 578
9 Quare Chriſtus ante omnia det infirmo remiſſionem peccatorum, cùm non ablutio animæ, ſed ſanitas corporis quæreretur? 579
10 Quare tam deprauato iudicio Scribæ hîc Dominum calumnientur? 581
11 Quare Scribæ in corde ſuo cogitent mala de Chriſto, & ore non loquantur? 582
12 Quare Chriſtus non dicat de ſe palàm, ſe eſſe Deum, & ex Prophetis oſtendit ſe habere poteſtatem remittendi peccata? 583
13 Quid ſit maius, Paralyticum ſanare, vel peccata dimittere? Et quis ſit ſenſus verborum Chriſti? 584
14 Quare Chriſtus Dominus non dixerit de ſe expreſsè: Ego remitto peccata, ſed per tertiam perſonam agens ait: Filius hominis habet poteſtatem? 586
15 Circa præſentia Chriſti verba: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, varia dubia expendo? ibid.
16 Illa tria verba moraliter ex ſanctis Patribus explicantur. ibid.
17 Quare viſo hoc miraculo turbæ timeant? 587


## Capvt XXVII.
### Adducitur D. Matthæus.


Qvæst. I. Quare alta Dei ſapientia hîc vocet Matthæum, & cur ſacri Euangeliſtæ de eius vocatione, ac Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis faciant mentionem? 589
2 Quare noſter Euangeliſta ſe vocet Matthæum, cùm alij eum Leui dicant? 590
3 Quare Dominus pertranſiens Matthæum vocet? 591
4 Quare non dicatur, quòd viderit Matthæum, ſed hominem? 592
5 Quare dicatur quòd Chriſtus viderit hominem, non verò telonium, vel pecuniarum ſacculos? 593
6 Quare Matthæus in telonio non ſtabat, ſed ſedebat? 594

7 *Quare Dominus non vocet Matthæum aliquo obiecto præmio, vt illud Petro, & Andreæ propoſuit?* 595

8 *Quare Chriſtus Dominus ad ſummum apicem Eccleſiaſticæ dignitatis euehat hominem publicanum?* ibid.

9 *Quomodo Matthæus indilatè ſine vlla mora ſecutus fuerit Chriſtum?* 597

10 *An D. Matthæus ſecutus fuerit Chriſtum relictis omnibus ſuis?* ibid.

11 *Quinam publicani, ac peccatores dicantur?* 598

12 *Quare hoc conuiuium factum fuerit?* 599

13 *Quare Chriſtus prandeat cum publicanis in hoc conuiuio?* ibid.

14 *Quomodo Chriſtus hoc conuiuium acceptauerit, cùm fortè fuerit paratum de malè acquiſitis?* 601

15 *Quare Chriſtus accumbens in menſa, trahat ad ſe peccatores, & publicanos, cùm tranſiens vocaret Matthæum?* ibid.

16 *Quare Chriſtus diſſipet calumniam Phariſæorum, ſumpta parabola ab ægris, & bene valentibus.* 603

17 *Quare calumniantibus Phariſæis reſpondeat Chriſtus in conuiuio Matthæi, non verò dum ingreditur domum Zacchæi?* ibid.

18 *Quomodo ſit intelligendum id, quod Dominus ait:* Miſericordiam volo, & non ſacrificium? 605

19 *Quomodo Chriſtus dicat, quòd non venit vocare iuſtos ſed peccatores?* ibid.


## Capvt XXVIII.

### A diſcipulis Ioannis excitatur quæſtio.


Qvæst. I. *Quinam fuerint iſti, qui hoc à Chriſto quæſierunt, & quomodo ſacri Euangeliſtæ cohæreant in hac narranda hiſtoria?* 606

2 *Quare hæc controuerſia propoſita fuerit potius hoc tempore, quàm alio?* 607

3 *Quomodo in hac interrogatione facienda conueniant diſcipuli Ioannis cum Phariſæis?* ibid.

4 *Quare Chriſtus Dominus non impoſuerit aliqua ieiunia ſuis diſcipulis?* 608

5 *Quare Ioannes Baptiſta ieiunabat, ſi Domini diſcipuli ob nuptiarum tempus non erant abſtinentia macerandi?* 609

6 *Variis ſententiis ſanctorum Patrum prædictæ parabolæ explicantur.* 611


## Capvt XXIX.

### Archi ſynagogi filia reſuſcitatur.


Qvæst. I. *Quomodo ſacri Euangeliſtæ cohæreant in hac hiſtoria; nam Matthæus dicit defunctam puellam, Marcus & Lucas in extremis?* 613

2 *Quare ex tribus mortuis, quos Dominus ſuſcitauit, pro hac ſola puella deprecetur?* 614

3 *Quare iſte pater tam moroſè, ac ſerò agit de ſalute filiæ, vt poſt obitum eius ad Chriſtum venerit?* 615

4 *Quare Archiſynagogus non petat à Chriſto vt reſuſcitet filiam, ſed vt ei manum imponat?* ibid.

5 *Quare noluerit Dominus deſcendere cum Regulo in domum ſuam, ſed ipſum increparit, cum Archiſynagogo autem vadat in domum, & ipſum non reprehendat?* 616

6 *Quare tam citò, ac ſine vlla mora Dominus diſcedat cum Archiſynagogo in domum ſuam?* 617

7 *Quænam eſſet hæc mulier, & quid ſignificet?* 619

8 *Quare mulier acceſſerit retrò ad Chriſtum, vt tangeret eius veſtem?* 620

9 *Quare mulier voluerit tangere fimbriam veſtimentorum Chriſti?* 621

10 *Quare comprimentibus turbis Dominum, quærat ipſe, quis eum tetigerit?* 622

11 *Quare dixerit Chriſtus virtutem à ſe exiſſe, non verò à ſe eſſe emiſſam?* 623

12 *Quanta fuerit fides huius mulieris?* 624

13 *Quare Chriſtus non permiſerit ſecum intrare turbam, ſed ſolùm Petrum, Iacobum, & Ioannem?* 625

14 *Quare Chriſtus dixerit, quòd puella non erat mortua?* 627

15 *Quare Chriſtus ſuſcitaturus puellam manum eius teneat?* 628

16 *Quare Chriſtus Dominus iuſſerit puellæ ſuſcitatæ dare manducare?* 629


## Capvt XXX. & vlt.

### Sanantur duo cæci, & vnus dæmoniacus.


Qvæst. I. *Quare cæci Chriſtum clament filium Dauid?* 630

2 *Quare Chriſtus non in via, ſed in domo cæcos ſanauerit?* 631

3 *Quare Dominus hos cæcos interroget, & cur de eorum fide quærat?* ibid.

4. & vlt. *Quomodo viſis miraculis Chriſti turbæ dicant, quòd nunquam tale fuerit viſum in Iſraël?* 633


RECEN

# RECENSIO EVANGELISTARVM CAPITVM.

## MATTHÆVS.

Cap. 4. *Ambvlans Ieſus iuxta mare Galilææ.* Vocantur Petrus, & Andreas. cap. 8

*Et circumibat Ieſus totam Galilæam docens.* Prædicat Ieſus in Galilæa. 9

5 *Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem.* Prædicantur octo beatitudines. 10

*Vos eſtis ſal terræ, vox eſtis lux mundi.* Commendantur Præſules Eccleſiaſtici. 11

*Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum.* Abundet iuſtitia, dimittatur ira. 12

*Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis; ego dico vobis, quod omnis, qui viderit mulierem.* Fornicatio, iuramentum, & vindicta vitanda. 13

*Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* De dilectione inimicorum. 14

6 *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Oratio Dominica. 15

*Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Ieiunandum ſine hypocriſi. 16

*Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Duobus dominis non eſt ſeruiendum. 17

7 *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* De proximis non eſt temerè iudicandum. 18

*Attendite à falſis prophetis.* A falſis magiſtris fugiendum. 19

8 *Cùm autem deſcendiſſet de monte, ecce leproſus veniens.* Mundatur leproſus. 20

*Cùm veniſſet in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem.* A febri dimittitur ſocrus Petri. 22

*Accedens vnus Scriba ait illi: Magiſter ſequar te.* Inſtruuntur Scriba, & duo alij. 23

*Aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Sedatur tempeſtas in mari. 24

*Occurrunt ei duo habentes dæmonia de monumentis.* Expelluntur dæmones è regione Geraſenorum. 25

9 *Transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam, & offerebant ei paralyticum.* Oblatus paralyticus medetur. 26

*Vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine.* Adducitur Diuus Matthæus. 27

*Tunc acceſſerunt diſcipuli Ioannis ad eum, dicentes.* Excitatur quæſtio à diſcipulis Ioannis. 28

*Ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Ecce modò filia mea defuncta eſt.* Archiſynagogi filia reſuſcitatur, & agitur ibi de hæmorrhoiſſa. 29

*Sequuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes.* Duo cæci, & vnus dæmoniacus curantur. 30

14 *Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum, & poſuit in carcerem.* 4

## MARCVS.

Cap. I. *Venit Ieſus in Galilæam.* Prædicat Ieſus in Galilæa. 9

*Venit ad eum leproſus.* Mundatur leproſus. 20

*Erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo.* Dæmoniacus curatur de ſpiritu immundo. 21

*Decumbebat ſocrus Simonis febricitans.* Sanatur ſocrus Petri. 22

2 *Veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.* Oblatus paralyticus medetur. 26

*Cùm præteriret vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium.* Adducitur Diuus Matthæus. 27

*Erant diſcipuli Ioannis & Phariſæi ieiunantes.* Excitatur quæſtio à diſcipulis Ioannis. 28

4 *Cùm ſerò eſſet, ait illis: Tranſeamus contra.* Sedatur tempeſtas in mari. 24

5 *Venerunt trans fretum in regionem Geraſenorum.* E regione illa dæmones expelluntur. 25

*Venit quidam Archiſynagogus nomine Iairus* Archiſynagogi filia reſuſcitatur, & agitur de hæmorrhoiſſa. 29

*Ipſe Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere.* Incarceratur Ioannes. 4

## LVCAS.

Cap. 3. *Herodes adiecit, & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcere.*

4 *Erat in Synagoga homo habens dæmonium.* Dæmoniacus liberatur de ſpiritu immundo. 21

*Introiuit in domum Simonis, ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Sanatur ſocrus Petri. 22

5 *Cùm turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei.* Piſcatur Petrus in Geneſareth. 7

*Cùm eſſet in vna ciuitatum, ecce vir plenus lepra.* Mundatur leproſus. 20

*Et ecce*

*Et ecce viri portantes in lectulo hominem.* Oblatus Paralyticus medetur. 26

*Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter.* Excitatur quæſtio à diſcipulis Ioannis. 28

6 *Dicebat, Beati pauperes ſpiritu.* Beatitudines prædicantur. 10

*Qui te percutit in maxillam, præbe alteram, & qui aufert veſtimentum.* Non reſiſtendum violentiæ. 13

*Nolite iudicare, & non iudicabimini.* De proximis non temerè iudicandum. 18

*Non enim arbor bona, malos fructus facit.* A falſis prophetis fugiendum. 19

8 *Nauigauerunt ad regionem Geraſenorum.* Expelluntur dæmones è regione illa. 25

*Aſcendit ipſe in naiculam, & diſcipuli eius.* Sedatur tempeſtas in mari. *ibid.*

*Et ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipſe princeps Synagogæ.* Archiſynagogi filia reſuſcitatur. 29

9 *Dixit quidam: Sequar te quocunque ieris.* Inſtruuntur Scriba, & duo alij. 23

12 *Ne ſoliciti ſitis, quid manducetis.* Temporalium ſolicitudo abiicienda, ac de multis aliis ibi dictis. 17

16 *Nemo ſeruiens poteſt duobus dominis ſeruire.* Duobus dominis non eſt ſeruiendum. *ibidem.*

## IOANNES.

Cap. 2. N*Vptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Adeſt Ieſus in nuptiis in Cana Galilææ. 1

*Aſcendit Ieſus Hieroſolymam, fecit ſibi flagellum è fune, ac omnes eiecit de templo.* Vendentes eiiciuntur è templo, *vſque ad fin. cap.* 2

3 *Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, hic venit ad Ieſum nocte.* Ieſus loquitur cum Nicodemo.

*Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret.* Eximius Dei amor in homines declaratur. 3

4 *Venit in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, erat ibi fons Iacob. Ieſus ergo fatigatus ex itinere.* Vocatur Samaritana. 5

*Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Sanatur filius Reguli. 6

Summa

# SVMMA CONCIONVM.

## Per totius anni Dominicas.

### *Dominica I. Aduentus.*

### Luc. 1.

ERVNT *ſigna in Sole, & Luna.* Tot terroris ſigna dantur, vt reſipiſcamus; nam homines, quos Dei beneficia non attraxerunt, ſuppliciorum metus cautos reddat. pag. 316. num. 61, 62, 63, & 432. 13, 14, 15 & 520. 81, 82

*Erunt ſigna in Sole, & Luna.* In planetis, ac elementis tot apparent terrifica ſigna, quia Dominus ad iudicandum venit in ira, & furore. 553. 100, 101

*Erunt ſigna in Sole.* Si dies furoris, ac timoris eſt, cur ſtatim non conſumuntur omnia? Dat ſpatium Deus ad pœnitentiam. 193. 290. & quia non ſemper omnipotentia vtendum; ſed paulatim eundum eſt. 589. 5 & 618. 27, 38 & 39

*Erunt ſigna in Sole, & Luna.* Apparebunt ſigna, quæ ſunt indicia extremi iudicij; nam illius memoria valde ſalutaris eſt, ac ſalutifera. 403. 86, & 87

*Areſcentibus hominibus.* Etiam iuſti timebunt, quantò enim quis magis cognoſcit de Deo, tantò magis eius veretur præſentiam. 234. 102, 103

*Areſcentibus hominibus.* Mala conſcientia carnifex, qui ſinè intermiſſione impium torquet, & vexat. 120. 309 & 352. 88 & 546. 58, 59 & 60

*Præ timore, & expectatione.* Ordinat Dominus, vt permixtus ſit timor expectatione; nam inter timorem, & ſpem, viuendum; vires enim ſi timor frangit, ſpes corroborat. 234. 106, 107 & 108

*Quæ ſuperuenient vniuerſo Orbi.* Non timent mundani ſpiritualia damna imminentia; ſed Orbis, & temporalium perditionem. 64. 28 & 29

*Videbunt filium hominis.* Etiam damnati ſplendidam Chriſti Domini faciem videbunt; nam præſentia iudicis magnum delinquentis eſt tormentum. 551. 37, 38 & 219. 305 & 307

*Cum poteſtate magna.* Tanquam Dei nota, ac ſignum; cum tanta poteſtate non violentiam facere, ſed iuſtitiam ſeruare. 52. 96

*Venite benedicti.* Coram reprobis hæc dicit, valde glorioſum, quod alij tuam dignitatem agnoſcant. 299. 209

*Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Iuſtorum merita recenſentur; nam dignitas per merita collata, omnibus eſt plauſibilis, & nullus inuidet. 279. 78, 79 & 80

*Quod vobis paratum eſt à Patre meo.* Electis exprimit, quòd regnum ſit paratum à Patre, reprobis verò non explicat, à quo ignis ſit præparatus: Deus enim ſalutaria parat; homo verò quæ ſuæ condemnationis ſunt, præparat. 115. 284

### *Dominica II. Aduentus.*

### Matth. 11.

C*Vm audiſſet Ioannes in vinculis.* Ioannes in carcere; Herodes cum ſuis in deliciis; vt inde Ioannis meritum videatur valde efficax ad obtinendam ſuorum ſalutem. 152. 92, 93 & 94

*Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Ad preſſuras, & labores non eligit Deus milites delicatos, ſed laboribus obduratos. 250. 83 & 596. 46

*Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Ioannes eſt in carcere, & facinoroſi ſimul, quod enim eſt iniquis ad ſupplicium, iuſtis eſt ad meritum. 54. 108, 115

*Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Ibi etiam erant multi facinoroſi ſine fructu ſpirituali; at Ioannes ex vinculis magnum eſt aſſecutus meritum; nam labores, quos pro mundo patimur, ſi pro Deo ſuſtineamus, multum habebimus præmium. 250. 85, 86, 87

*Mittens duos ex diſcipulis ſuis.* Maximè laudandi hi duo diſcipuli, qui Magiſtrum in vinculis non deſerebant. 161. 133, 134

*Mittens duos.* Quanuis Prædicator ſit vinculis alligatus; tamen veritas ſemper expedita eſt. 126. 27, 28

*Tu es, qui venturus es.* Cum Ioannes optimè Chriſtum agnoſceret, interrogare tamen mandat, an ipſe ſit; perfecta charitas diſſimulat ſe ſcire, vt alij doceantur. 212. 106

*Tu es, qui venturus es.* Mittit Ioannes ad Chriſtum, non vt ipſe à vinculis carceris liberetur; ſed vt ſui tenebris ignorantiæ eximantur. 326. 129, 130, 147 & 558. 16 & 313. 41, 44

*An alium expectamus.* Id eſt, cùm tu ſis Deus, in te noſtra tota conſtituenda eſt ſpes. 437. 42

Renum

*Renunciate Ioanni, quæ audiſtis,& vidiſtis; cæci vident.* Omnibus benefacere Diuinitatis nota, & ſignum. 52.98,99 & 521.92,93

*Quæ vidiſtis.* Valde confidenter teſtificatur homo,quæ propriis videt oculis. 240.23

*Cœpit dicere de Ioanne Baptiſta.* Bonus Princeps ſuos honorat, & extollit miniſtros. 137.12, 13

*Quid exiſtis videre? Arundinem vento agitatam?* Magna hominis laus,quod in ſuis dictis,& factis,firmus ſit,& conſtans. 361.48

*Hominem mollibus veſtitum.* Magnum Ioannis encomium, quod nec in cibo,nec in veſtitu aliorum ope indigebat. 496.76,77 & 586.95

## *Dominica III. Aduentus.*

### Ioan. 1.

M*Iſerunt Iudæi ab Hieroſolymis.* Tanquam à regali, ac capitali loco miniſtros quærunt, qui de Rege, ac capite agant; miniſtri enim ex proportionato loco eligendi. 440.55, 64,65

*Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis.* Prætextu zeli honoris Dei, ac populi, volunt Iudæi ſui odij venenum contra Chriſtum diffundere. 581. 66 & 140.21

*Vt interrogarent eum, Tu quis es?* Quanuis hoc tantum quærant; tamen propenſio, quod ipſe eſſet Meſſias,maximè ex affectu declarabatur. 175. 202

*Confeſſus eſt, & non negauit.* Dum Ioannes confeſſus eſt, quod non ſit Chriſtus; & dum non negat, quod ſit vox, ſed in ſuo munere ſubſiſtit,ad magna,& alta aptatur. 248.68 & 271. 27,28,29

*Confeſſus eſt,& non negauit.* Ad quid ponitur huiuſmodi repetitio,niſi vt magna Ioannis virtus indicetur;ac quanta perſeuerantia ſtetit in eo, quod ſemel dixit,quod ipſe (ſcilicet) vox erat. 34.15.84,125

*Elias es tu, Propheta es tu?* Omnes has dignitates negat de ſe Ioannes; nam verè humilis, nihil in ſe conſpicit laude dignum. 593. 28,29

*Elias es tu?* Bene Ioannes negat de ſe, quod ſit Chriſtus, quod ſit Elias; nam valde magnus propria ſolùm virtute vult fulgere, ac reſplendeſcere;non aliena. 331.151,152

*Elias es tu? Non. Propheta es tu? Non.* Manifeſte,& patenter reſpondet; Magiſtri doctrina clara ſit, & manifeſta, vt meridiana lux. 220. 27,28

*Ego vox clamantis.* Non ait, quod ad prædicandum ſit miſſus; ſed quod ſit vox: in vero miniſtro ratio officij non ſit tanquam quid adiacens, ſed veluti quid intrinſecum, & in natura transformatum. 310.20,21, 22,23

*Ego vox clamantis.* Non ait, quod Zachariæ ſit filius; ſed quod clamantis ſit vox; erat enim illi maximè fixa in mente muneris obligatio, vt ei ſatisfaceret. 316.64 & 597.59, 60,61

*Medius autem veſtrûm ſtetit.* Nactus bonam Ioannes occaſionem, præclara cœpit de Chriſto dicere: Oportunum docendi tempus non omittat Prædicator. 190.279 & 268,18, 19,20

## *Dominica IV. Aduentus.*

### Luc. 3.

A*Nno quintodecimo.* Ecce in dignitate,ac principatu,facinoroſi,ac inſolentes recenſentur. Eminentia dignitatis multos in vitia deturbat, ac præcipitat,vt honore inſoleſcant. 154.101, 102 & 321.94,95,96

*Anno quintodecimo.* Hos principes enumerat Euangeliſta,vt inde coniecturemur, in quanta peccatorum detinebantur populi,qui ad Principum exemplum,ac formam rapiuntur. 125. 21,22.23,50,51,52

*Anno quintodecimo.* Valde illuſtres dignitates Sacerdotum,Imperatoris,Præſidis,& aliorum recenſentur,& tamen eas peſtilentiſſimi obtinebant homines. In mundo enim nulla eſt tam præclara dignitas, quæ ſuam non habeat adnexam deiectionem. 199.31,32

*Anno quintodecimo.* Tot numerantur facinoroſi,vt Ioannis animoſitas denotetur;nam Prædicator pro veritate dicendi nullum Principem timeat. 328.138,139

*Factum eſt verbum Domini.* Non dictum, ſed factum ſcribitur ab Euangeliſta. In bono Prædicatore non ſolùm ſint verba, ſed etiam opera, quibus adimpleat,quod prædicatur. 185.252 & 318.73,74,75 & 487.11,67

*Et factum eſt verbum Domini.* Cur non antea factum. Prudens operator diſſimulat verba facere, quovſque veniat tempus opportunum,& conueniens occaſio. 190.279 & 239.14 & 546.57

*Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, & venit in omnem regionem.* Magnam emphaſim habet hæc verborum contextura, *factum eſt verbum, & venit.* Tanta fuit Ioannis promptitudo;nam vbi primum factum eſt verbum, nulla interiectione poſita,ſtatim venit ipſe. 252.93,94 & 554.108

*Factum eſt verbum in deſerto.* Optimè dum Pilatus, Anna, & Caïphas erant in Hieroſolymis, erat Ioannes in deſerto. Maximè fugiendum. ac declinandum impiorum conſortium. 542, 36,37,38

*In deſerto.* Bonus Prædicator à populi ſit ſeparatus multitudine. 219.18,19

*In omnem regionem.* Bonus Prædicator prædicet in omni loco, in paruo etiam oppidulo, & non quærat ſemper magnas ciuitates. 261.4,6

*Prædicans Baptiſmum.* A materia Baptiſmi inchoauit Ioannes ſuam prædicationem, & ab illo etiam incœpit Chriſtus ſua magnalia. 24. 103

*Omnis vallis implebitur,& omnis mons & collis humiliabitur,* Vt humiles, ac viles exaltentur, montes excelſi ſe inclinent. 511.33 & 206 69

*Omnis vallis implebitur.* Qui ſe humiliant exaltantur. 166.155.156,157

## *Dominica infra Octauam Epiphaniæ.*

### Luc. 1.

A*Scendentibus illis Hieroſolymam.* Ecce virgo,quæ domi erat clauſa,per publica,& varia diſcurrit loca, ratione, ac die feſto maximè mouente,



mouente, leges enim Dei venerandæ ſunt, & obſeruandæ. 142.31 & 332.158,183,184. & 516.54

*Secundum conſuetudinem.* Antiquæ conſuetudines obſeruandæ. 148.63 & 262,17,18 ac per communes vias incedendum. 144.40

*Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem.* A dilectiſſimis parentibus ſe abſentat Dominus, vt remaneat docens in Hieruſalem; cuius rei rationem ſubdit, *in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe*; omnia enim propria relinquenda, vt officij obligationibus ſatisfaciamus. 597.59, 60,61

*Poſt triduum inuenerunt illum.* Cùm magna ſolicitudime, ac anxietate quæritur Ieſus à parentibus ſuis, vt ipſius inuenti creſcat voluptas; quantò enim maior eſt difficultas rei, tantò magis eius delectat præſentia. 571.6,7 & 16.69

*In medio doctorum.* Optimus præſul, qui particulares renunciat affectus, & in medio ſtat, vt in partem aliquam non inclinet. 113.277, 278

*Audientem, & interrogantem.* Optimus Præſul audiendo,& interrogando procedat. 562.45

*Audientem, & interrogantem.* Cùm Ieſus puer eſſet, audit, & interrogat, etiam in præclariſſima doctrina tradenda Vrbanitatis iura ſeruanda ſunt. 532.62,63

*Audientem & interrogantem.* Quanuis Chriſtus eſſet Dei filius, cum his agit rationibus, eos audiendo, & interrogando: Magnus non potentia, ſed ratione procedat. 429.1, 53,54

*Quid eſt, quod me quærebatis.* Euangelicus miniſter omnem carnalem excludat affectum. 15.63 & 465.10,12,13

*Erat ſubditus illis.* Scit magnus vir ſe humiliare. 317.72

## *Dominica II. Poſt Epiphaniam.*

### Ioan. 2.

*Nuptiæ factæ ſunt.* Vide *cap.*1.

## *Dominica III. Poſt Epiphaniam.*

### Matt. 8.

*Ecce leproſus veniens ad eum.* Vide *cap.*2.

## *Dominica IV. Poſt Epiphaniam.*

### Matt. 8.

*Aſcendente eo in nauiculam ſuſcitauerunt eum diſcipuli.* Vide *cap.*24.

## *Dominica V. poſt Epiphaniam.*

### Matt. 13.

S*Imile factum eſt regnum cælorum homini regi.* Benè hic, qui parat conuiuium, Rex vocatur; qui non ſolùm indulget, ſed etiam ſuis conſulit, & proſpicit. 321.94,95, 129,130

*Cùm dormirent homines.* Diaboli ingenium opportunam quærit occaſionem, qua nocere valeat. 487.19 & 574.18



*Cùm dormirent homines, venit inimicus.* Crudelis hoſtis, qui occultè & nocte inſidiatur. 140. 22,23 & 468.31,32,34

*Cùm dormirent homines.* Imbecillis hoſtis homines dormientes quærit. 566.67,68

*Venit inimicus homo. Vbi erat triticus, ſuperſeminauit zizania.* Diaboli ingenium, cùm bonis operibus mala coniungere. 490.38

*Venit inimicus homo.* Non dicitur, venit diabolus, ſed venit, inimicus homo; in homines enim crudelior eſt homo,quam diabolus ipſe. 659.21.

*Cùm dormirent homines, venit inimicus.* Princeps vigilans, ciuitatem cuſtodit: ipſo dormiente, verſantur omnia in periculo. 545.54,55,56

*Sinite vtraque creſcere.* In dubiis, ac occultis factis proximorum,abſtinendum eſt à iudicio, ac præſumptione,quoad vſque aperta fiant, ac manifeſta. 454.11,12,17,18,19 & 471.47

*Ne fortè eradicetis ſimul & triticum.* Præcipit Pater, vt ſemina creſcant, & herbam non vult eradicari; valde enim difficile eſt, permixtam veritatem mendaciis agnoſcere,& diſtinguere. 466.18,19

*Colligite ea ad comburendum.* Quantò ſupplicium diutius à Deo differtur, tantò grauius, & rigidius infertur. 470.43,44

*Ne fortè colligentes.* Optimè hæc diſponuntur, vt virtus in tritico adumbrata fortiores mittat radices,& perſecutione, ac malorum exercitatione creſcat, ac augeatur. 301.219,236 & 308.8

## *Dominica VI. poſt Epiphaniam.*

### Matt. 13.

S*Imile eſt regnum cœlorum grano ſynapis.* Minuſculis rebus regnum cœlorum comparatur: paruitas, & humilitas fundamenta ſunt ad magna. 15.65 & 84.129 & 166.155, 156,157

*Simile eſt grano ſynapis.* Nam vt ait D. Hilarius, Dominus comparauit ſe ipſum grano ſynapis acri ſemini, & dum exhibet acrimoniam, ſaporem adhibet cibo; rigore ſimul, ac ſuauitate omnia diſponantur. 328.35 & 552.89 & 25.69

*Simile eſt grano ſynapis.* Dum enim conteritur, ſuam magis exhibet acrimoniam. Chriſtiana excellentia, ac fortitudo in labore, ac preſſura manifeſtatur. 149.71 & 301.219,220.& 308.8

*Quod minimum eſt omnibus oleribus,cùm autem creuerit.* Non illico ad omnem magnitudinem euolandum, ſed paulatim ab imperfectis ad perfectiora accedamus. 28.123 & 525. 19,20,21 & 589.5 & 617.35

*Ita,vt volucres cæli veniant, & habitent in eo.* Iuſti Iuſti ad ſe trahunt Deum, vt habitet in ipſis. 527,30 & 151.80,87

*Simile eſt regnum cælorum fermento.* Ait D. Hilarius Cantic.13. fermento ſe Dominus comparauit: fermentum enim de farina eſt, quod acceptam virtutem ſui generis aceruo reddit. Chriſtus enim è nobis accepit corpus, quo promeruit ſua dona, quæ etiam nobis communicat, & dat. 398.55 & 490.36 & 306.

& 306. 255, 256 & 599. 72, 73

*Simile eſt regnum cælorum fermento.* Per regnum cœlorum intelligitur Eccleſia, ac eius Prælati; & fermento bene comparantur; nam fermentum, vt maſſam valeat fermentare, neceſſe eſt vt liquefiat ipſum, ac in maſſa imbibatur: Sic & Prælati, vt ſubditis ſubueniant, exenterare debent ſe ipſos. 313.45,46,47

*Simile eſt regnum cœlorum fermento.* S. Auguſtinus lib. 1. qq. Euangelicar. cap. 12. fermentum dicit dilectionem, ac charitatem; quod vt vniuerſæ maſſæ commiſceatur, ferueſcit: ſic perfecta charitas ferueſcit, vt ad omne ſe extendat, omnibuſque ſe communicet. 307. 255, 256 & 443. 72, 73 & 321. 93, 94, 95

*Quod acceptum abſcondit mulier in farinæ ſatis tribus.* Notat D. Petrus Chryſologus ſerm. 99. quod dum dicitur ſimile grano ſynapis, ad virum dirigitur ſermo: hîc verò dum de farina agitur, fœmina exprimitur. Vnuſquiſque in ſuo ſubſiſtat officio; vir in virorum munere; in fœminarum functionibus mulier. 271.27, 28, 29, 30 & 14.59 & 465.7, 8 & 520.82 & 539.17

*Sine parabolis non loquebatur eis.* Dicebat Chriſtus in parabolis, quæ deſumpta erant ex Agricultura, maſſa, & farina, vt ait Theophylactus, vt tenuitati ſe, ac auditorum infirmitati accommodaret. 73.74 & 180.225 & 372.33 & 584.83, 84

### *Dominica in Septuageſima.*

### Matth. 20.

*Simile eſt regnum cœlorum Patrifamilias.* Deus Patri comparatur, ob eximium, quem habet in homines amorem. 104. 226, 227, 239, 241

*Qui exiit primo manè.* Exiit pater ad laborem; vt nullus in domo à labore ſit priuilegiatus. 514.39, 50

*Exiit primo manè.* Paterfamilias, ac Princeps ſit vigilans in ſuo principatu, ac familia; nam ſi dormit, pereunt omnia. 545.54, 55, 56

*Exiit primo manè, conducere operarios.* Qui ab ipſo exordio diei vſque ad finem perſeuerarent in labore; nam in virtute, ac incepto perſiſtendum. 34.16 & 83.124

*Exiit primo manè.* Quando cæteri adhuc erant in quiete: laborare enim quando alij adhuc quieti indulgent, magni eſt meriti. 152. 92, 93, 94

*Exiit primo manè conducere operarios.* Ad laborandum per totum diem; nam omnis noſter labor, comite, ac præſente Chriſto, ſuauis eſt. 193.291, 292

*Conducere operarios in vineam ſuam.* Vinea eſt Eccleſia, Cur ego non ait, quod venit vocare credentes ad Eccleſiam, ſed operarios. quia non ſat eſt credere in Eccleſia, ſed oportet operari. 208.80, 81, 82

*Conuentione autem facta.* Beatitudo bonis operibus emitur, & acquiritur. 364.69, 70

*Quid hîc ſtatis tota die otioſi.* Eos interrogat, vt ipſi propriam inertiam agnoſcentes, valeant emendari facilius, ac operibus incumbere. 59. 7 & 148.64, 65, 66 & 220.24 & 281.89

*Quid hîc ſtatis tota die otioſi.* In foro, vbi temporalia venduntur, otioſi erant, quia otioſus eſt, qui temporalibus, quæ nihil ſunt, incumbit. 12. 49 & 159.122, 245, 246

*Quod iuſtum fuerit, dabo vobis.* Et tamen tanta eſt liberalitas diuina, quod plus dat, quàm promittit. 208.84 & 627.97

*Quid hîc ſtatis tota die otioſi.* Otioſitas maximè damnanda, ac fugienda. 476.71, 72, 73

*Murmurabant aduerſùs.* Fugienda murmuratio. 245.49 & 153.95 & 599.47

### *Dominica in Sexageſima.*

### Luc. 8.

*Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.* Introducitur Chriſtus in ſeminantis forma, ipſius enim proprium eſt ſeminare, hoc eſt, beneficia facere. 487.15, 16, 17

*Exiit qui ſeminat.* Per quod denotatur, quod non ſolùm Deus benè facit, ſed etiam cum magna promptitudine, ac ſine mora beneficia confert. 250.83

*Exiit qui ſeminat, ſeminare.* Non comburere, ſed ſeminare, vt notat Theophylact. quia Chriſtus non venit ærumnoſos contempturus, ſed ærumnas eorum ablaturus. 116. 293, 294, 295 & 226.61, 62, 63

*Conculcatum eſt ab hominibus.* Et quomodo iniqui reſpondent mala pro bonis. 124.15 & de vno peccato ruunt in aliud. ibid. 72, 73

*Exortæ ſpinæ ſuffocàuerunt illud.* Spinæ diuitiæ ſunt, quibus dum tenetur cor, omne bonum contemnit, ac conculcat. 484.107, 108, 109, 139, 140

*Exortæ ſpinæ ſuffocauerunt.* Spinæ ſunt temporalium appetitus, qui bonum ſemen in nobis ſuffocant, ac comprimunt. 427.82, 83

*Venit Diabolus, & tollit ea de corde ſuo.* Studium Diaboli impedire viam ad ſalutem. 559.22, 23

*In tempore tentationis recedunt.* Multi enim ſunt, qui licet ſe promittant ſtabiles, recedunt tamen tempore tentationis. 472.48, 49, 50

*Aliud cecidit in terram bonam.* Dum vitia in impiis creſcunt, ſæpè virtus in iuſtis augetur.

*Fructum afferunt in patientia.* Patientia creſcunt & augentur omnes virtutes. 301.219, 225, 227, 229, 235, 237, 239

*Fructum afferunt in patientia.* Iuſti, ac Sapientes magnum afferunt fructum in patientia, ac tolerantia. 300.214, 215

### *Dominica in Quinquageſima.*

### Luc 18.

*Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos ſecretò.* Abſconditum ſecretum ſuis manifeſtat; ſecreta cordis amico committenda. 57.20

*Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos ſecretò.* Secreta committenda iis, qui animum habent ad remittendum. 626.90

*Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos.* Aduocat Chriſtus omnes; nullum excludit. Prælatus ſua omnibus communicet. 165.152, 169 & 321.93, 94, 95

*Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Cum labore, ac fatigatione aſcenditur ad Hieruſalem, quæ cæleſtem patriam ſignificat: vt inde in magna nobis ſit æſtimatione; quantò enim maiori labore quid acquiritur, tanto maiori pretio habetur. 413.6, 7

Ecce



*Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* In via virtutis aſcendendum ſemper; & nunquam ſtandum. 387.128, 129, 130 & 278.69, 156 & 343.28.

*Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Per labores aſcenditur ad cœlum, eſt enim via ad ipſum plena moleſtiis. 441.65, 68

*Tradetur enim Gentibus.* Quæ paſſurus eſt, diſcipulis commemorat; docens nos, quod ipſius paſſionis memoria lenes noſtros, ac ſuaues reddet labores. 193. 291, 293 & 421. 50, 51, 52

*Tradetur enim gentibus.* Non ait, tradetur peccatoribus, ac flagitioſis, ſed Gentibus: peccati nomen adeo abhorret, vt ab ore Chriſti non exprimatur. 167.162 & 554.7

*Cæcus quidam ſedebat ſecus viam, & clamabat.* Clamat cæcus dum tranſiret Chriſtus, ne tam opportuna occaſio è manibus elabatur. 487. 19 & 516.55 & 574.18

*Fili Dauid.* Cur Dauidis filium vocat. Vide *cap.* 30. *quæſt.* 1.

*Quid vis vt faciam tibi.* Supplicationes afflictorum maximè exaudiuit Chriſtus. 18.77, 78

*Quid vis vt faciam tibi.* Deus excitat nos ad petendum. 162.135

*Et confeſtim vidit.* Dei beneficia ſine retardatione, & mora. 250.83

*Sequebatur, magnificans Deum.* Accepto beneficio, benefactori ſuo gratias impendebat. 201.41, 42, 43, 107 & 485.8 & 542.34.

### *Dominica I. Quadrageſimæ.*

### Matth. 4.

*Ductus eſt Ieſus in deſertum.* Tanquam in locum proportionatum ad ieiunium, & ad Dei cultum incumbendum. 178.218, 219

*Ductus eſt Ieſus in deſertum ab Spiritu.* Magnum noſtrum documentum, cum dicitur, ab Spiritu duci, mundum relinquit, deſertum petit, nam qui ſpiritum ſequitur, omnia ſæculi contemnit. 251.90, 91.

*Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus.* In noſtrum documentum ieiunium valde efficax ad vincendas tentationes. 413.7, 8, 9

*Ieiunat Chriſtus in deſerto.* Nam ieiunium occultandum eſt. 419.39, 43, 44

*Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus.* Cur non plures dies ieiunauit, quàm Moyſes, & Elias? Voluit nos docere, quod ſingularitas fugienda eſt: veſtigia maiorum, vtpote ſecuriora, inſequenda ſunt. 8.23 & 91.163 & 144.40 & 512.37

*Poſtea eſuriit.* Famem patitur Chriſtus, vt doceat prælatos, quod ſubditorum neceſſitatibus ſtudeant ſubuenire, 548.69, 71 & 94. 175 & 149.68

*Poſtea eſuriit, & accedens tentator.* Valde confiſus de victoria, nam prætextu neceſſitatis multa fiunt, quæ aliàs facienda non erant. 146.50

*Si filius Dei es.* Dubitanter hîc loquitur diabolus, *ſi filius Dei es*: at in regione Geraſenorum abſolute eum filium Dei agnoſcunt, *Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos*, Matth. 8. n. 29. Quis hîc tantam Dei cognitionem diabolo dedit? Pœnarum ſchola eum erudiuit. 560.24 & 520.81, 82

*Dic, vt lapides iſti panes fiant.* Simulata compaſſionis ſpecie, & cum dolis venit diabolus, vtpote crudelis inimicus. qui cum dolis pugnat. 468. 31, 32



*Dic, vt lapides iſti panes fiant.* Pietatis prætextu intentat inducere Chriſtum in vanam gloriam. Diaboli ingenium; ſub vmbra pietatis homines detrudere in peccata. 531.57

*Statuit eum ſuper pinnaculum templi.* Ad doctorum cathedras ducit, vt ambitione concutiatur, quæ maximè excæcat mentem. 427.82, 83

*Mitte te deorſum.* Si ipſum deiicere intentat, cur Diabolus Chriſtũ non præcipitat, ſed vt ipſe ſe proiiciat, perſuadet. Ducebatur diabolus ex cõmuni hominum experientia: nam homo in hominem crudelior eſt Diabolo ipſo. 559.21

*Oſtendit ei omnia regna mundi, ſi cadens adoraueris me.* Propoſita ambitione ad ſui adorationem eum excitat Diabolus; ambitio enim maximum parit diuinorum contemptum. 35.19

*Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Chriſtus de ſe humilia dicebat, *non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*: tamen ſui magna dicenda aliis relinquebat. 332.160 & 593.29

Vide *Humilitas*.

### *Dominica II. Quadrageſimæ.*

### Matth. 17.

*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Cur Chriſtus ex omnibus hos tres aſſumpſit, quia potiores virtute erant, vt ait Chryſoſt. *hom.* 57. & vbi maius eſt meritum, ibi & præmium maius ſit. 301.224.232

*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum.* Eorum merita non ſunt apud Dominum diminuta, quamuis in eorum ſocietate eſſet Iudas. 151.82 & 580.62

*Duxit illos in montem excelſum.* Vt ex itineris difficultate in maiori æſtimatione eſſet gloriæ fruitio. 571.6, 7

*Duxit illos in montem excelſum.* Poterat Dominus eos ſtatim, ac ſubito à planitie transferre ad montis cacumen; ſed diſponit, vt ad tantam gloriam per ſuos greſſus aſcendant. 525. 19, 20, 21

*Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Non emendicata luce à Sole materiali, ſed propria, ac naturali luce ſua; quilibet enim ſua debet luce fulgere, non aliena. 309.15, 152 & 342.23

*Apparuerunt Moyſes, & Elias.* Non ſolùm virgo Elias apparuit, ſed etiam Moyſes vxoratus; quia in omni ſtatu poſſumus Deo ſeruire, & placere. 507.8, 9

*Faciamus hîc tria tabernacula.* Petrus tanquam intimus Domini amicus, ac veluti aulicus, cuncta vult diſponere; ac ad ſuam voluntatem, ac nutum ſupremum regem Chriſtum inclinare. 199.29, 30 & 333.165

*Neſciens quid diceret.* Si miniſter priùs attendit ad Regis bonum, communi populi vtilitate neglecta, ignoranter agit. 549.77, 78

*Hic eſt filius meus dilectus.* Quia ibi in gloria, agens de hominum ſalute, ſe exhibuerat Dei Patris filium. 267.1

*Ipſum audite.* Magnam obedientiam erga Chriſtum commendat æternus Pater. 238.5

*Ceciderunt in faciem ſuam.* Hîc tantum timorem reuerentiæ exhibitum legimus, & non alibi. quia hîc multam habuerunt de Deo cognitionem, ideoque maximè timuere. 234.102, 103

### *Dominica III. Quadrageſimæ.*

### Luc. 11.

*Erat Ieſus eiiciens.* Illud *erat* denotat magnã reſiſtentiã ex parte Diaboli; dolet enim maximè,



dum

dum ab homine exire cogitur. 490.39,40

*Erat Ieſus eiiciens dæmonium.* Denotat illud *erat,* quandam veluti moram; poterat Chriſtus diabolum in inſtanti eiicere; diſponit tamen,ſic cum quadam mora eiicere, vt diſcant homines,non ſubitò,ſed paulatim res peragere. 128. 123 & 589.5 & 617.35

*Erat Ieſus eiiciens.* Illud *erat*, quandam denotat moram; vt inde homines videant, quam magnum, & miraculoſum ſit opus conuerſio peccatoris. 30.134,135.590.7,8,9

*Illud erat mutum.* Diaboli ingenium,confeſſionem impedire, agnoſcit enim,quantum bonum ex ea peccatori proueniat. 168.165,173,250, 251.& 236.117

*Locutus eſt mutus.* Verba in laudem Chriſti tanquam ſuo benefactori gratus. 212.107 & 485.8 & 512.34 & 587.100

*Admiratæ ſunt turbæ.* Quod nempe à Chriſto reſtitueretur lingua, tanquam magnum hominis malum. 632.23

*In Beelzebuth principe dæmoniorum.* Beneficium conciuis negant iſti,ne ſe obligatos fateantur Chriſto. 201.41,42,43

*In Beelzebuth.* Samaritani Iudæorum inimici Chriſtum benignè recipiunt; & iſti vtpote inuidioſi impiè blaſphemant;melius eſt enim eſſe cum inimico,quam cum inuido. 140.22,23 Inuidia etiam multa mala parat. 607.12,13

*Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Regnum Dei in ſe negant perfidi Iudæi, vt ita Chriſto detrahant; plus torquebantur Chriſti laudibus,quam propriis damnis. 43.57,58

*Filij veſtri in quo eiiciunt.* Efficax argumentum, dum tui cõtra te in teſtes vocantur. 241.26,27

*Extollens vocem quadam mulier.* Dum detrahunt inimici, maiori gloriæ viam ſternunt, & occaſiones præbent. 579.56,76

## *Dominica IV. Quadrageſimæ.*

### Ioan. 6.

*CVm ſubleuaſſet oculos Ieſus.* Principis oculus non ad ſuam videat ſolum vtilitatem,ſed ad aliorum etiam. 426.78

*Cum ſubleuaſſet oculos Ieſus.* Videt ſuos neceſſitate oppreſſos,& ad miſerandum mouetur;maximè enim mouent neceſſitates, quas propriis videmus oculis. 247.63 & 630.7

*Dixit ad Philippum, vnde ememus panes.* De populi neceſſitate agit;nam neceſſitas inferiorum egeſtas ſuperioris eſt. 436.33

*Dixit ad Philippum.* Cur Philippum, & non Petrum, vel Ioannem interrogat? Non vni ſunt dandi honores omnes,ſed per omnes diuidendi. 321.93,94,95

*Vnde ememus panes.* A nullo rogatus de cunctorum agit remedio: valde gratum, & magnum beneficium quod ſine precibus datur. 197.13

*Vnde ememus panes.* Mira eſt Dei prouidentia in nos. 442.70,71,72 Et qui eſt ſub Dei cura,ac prouidentia,nil indiget,omnibus abundat. 438.48,49,50

*Vnde ememus panes.* Non rogatur Dominus,& tamen de eorum remedio agit, nam turbæ deuenerunt in illam eſuriem ob ſequendum Dominum per deſertum,& ne ab illo diſcederent, inde ipſe mouetur, vt eis ſubueniat, ac auxilium præſtet. 552.94,95

*Ducentorum denariorum.* Dominus quæſiuit à Philippo de loco *vnde ememus panes*,& tamen ipſe præter quæſita, reſpondet conſilia præbens *ducentorum denariorum*, &c. Philippus, vt aliquorum eſt ſententia, volebat, vt turbæ dimitterentur, & frequens eſt conſuetudo illius,qui non vult beneficium impendere conſilium dare. 156.109,110

*Facite homines diſcumbere.* Solum dicit vt homines ſedeant, & tamen ipſe non ſolùm eis permittit ſeſſionem, ſed etiam dat eis panem, & piſces,ſemper Deus plus dat donis,quam dicit verbis. 92.166 & 230.84 & 271.29,97 & 208.84 & 627.97

*Facite homines diſcumbere.* Boni miniſtri quidem vident Dominum propenſum in beneficium, ipſum non impediunt, vt ſæpe miniſtri huius ſæculi faciunt. 405.101

*Facite homines diſcumbere.* Boni miniſtri non contradicunt, ſed ſine vlla cunctatione Domini mandata exequuntur, Domini ſui nutum ſequentes. 465.10,11,12 & 27.12

*Facite homines diſcumbere.* Apoſtoli conſtituuntur miraculi miniſtri,vt ita condecorarentur, nam bonus Dominus ſuos miniſtros honorat. 137. 12,13

*Accepit Ieſus panem,& diſtribuit.* Quæ enim per manus Domini dantur ſatiant,& replent. 164 146,147

*Colligite quæ ſuperauerunt.* Superflua amputanda, ac remouenda ſunt. 211.102,103 & 437.43

*Colligite quæ ſuperauerunt.* Non ſolùm dat Dominus, ſed etiam ſuis donis tranſcendit omnem noſtram curam,ac cogitationem. 438.48,49, 50 & 493.52,53 & 12.51

## *Dominica V. Quinquageſimæ.*

### Ioan. 8.

*QVis ex vobis arguet me de peccato.* Solum eximia Chriſti virtus hæc dicere potuit, nam quantumuis quis ſit iuſtus, ſi omnia illius conſiderentur, ac inueſtigentur imperfectiones comprehendentur. 345.19,20,21

*Quis ex vobis arguet me de peccato.* Hæc dicebat Chriſtus,qui peccatum non habebat, nam vbi peccatum eſt, per ſe ipſum prodit, & ſe manifeſtat. 124.16,17

*Quis ex vobis arguet me de peccato.* Licet Chriſtus eſſet innocentiſſimus,tamen in exemplum noſtrum bono ſuo nomini vult conſulere in omnium oculis, ſeipſum demonſtrans ſine vlla peccati macula exiſtere. 595.39,40,41

*Quis ex vobis arguet me de peccato.* Hæc dixit ſumma Chriſti probitas ſuis inimicis,cum inimici valde acuti ſint ad defectus noſtros capiendos. 454.25,26

*Quis ex vobis arguet me de peccato.* Quamuis enim eſſent crudeles inimici, ac falſi detractatores, eos non timet Chriſtus,nam bona conſcientia in omni caſu ſecura eſt. 546.58,59,60

*Quis ex vobis arguet me de peccato.* Chriſtus vult excludere falſas Iudæorum ſententias de ſe ſiniſtrè cõceptas,quia opinio mali leuiter etiam in animo apprehenſa, graue infamiæ detrimentum eſt. 433.18,19

*Si veritatem dico vobis.* Publice, & patenter veritatem dicebat Chriſtus, nam Chriſtiana veritas, non inuolucris tegitur, ſed patenter, & publicè procedit. 473.54,55

*Si veritatem dico vobis.* Nam cum Chriſtus verus Deus



Deus eſſet, nihil aliud erat in ore eius niſi veritas. 179.221

*Quare non creditis mihi.* Quia veritatem prædicabat,quæ valde odioſa eſt principibus,& hac de cauſa cum veritate difficulter apud eos negociatur. 123.7 & 615.20,21,22

*Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Inimici ingenium,nunquam quæ te extollunt, ac nobilitant,percipit, ac intelligit. 567.init.

*Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Inuidia maximè cæca nulli parcit, & ſemper alterius gloriam contumeliis minuere intendit. 140. 22.23 & 330.150 & 607.12,13

*Ego dæmonium non habeo.* Poterat Dominus illos homines ſtatim punire,vel obruere,ſed noluit, dans nobis exemplum ad contumelias patienter ſuſtinendas,quod eſt valde magnum. 305. 246,247

*Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Non quod ita ſeruentur, quaſi non ſint corpore morituri, ſed quod ita morituri ſint, vt mori non videantur, nam mors iuſti vita eſt, cum iuſtus ſemper viuat. 530.52

*Ieſus autem abiit de templo.* Iræ,ac inuidiæ cedendum eſt. 358.26 & 570.1

## *Dominica in Palmis.*

### Matth. 21.

*INuenietis aſinam alligatam.* In iumento illo denotabatur hmnanum genus, cur potius Chriſtus vult illud vinculis alligatum, quàm ſolutum, quia vinculorum anguſtia multum conducit, vt ad Chriſtum veniamus. 250.83 & 364.69,70

*Inuenietis aſinam.* In illo rudi,& vili animali præfigurabantur peccatores, qui omni bruto animali inſipientiores, & deteriores ſunt. 442. 67,68

*Inuenietis aſinam alligatam.* Nam peccator ſuiſmet peccatis ligatur, ac aſtringitur. 506.1

*Dicite,quia Dominus his opus habet.* Non præcipit Chriſtus,vt violenter adducant, ſed annuente, ac concedente Domino domus, nam Saluator voluntarium obſequium vult. 585.88

*Dicite quia Dominus his opus habet.* Non abſolute iubet adduci aſinam,ſed rationem dat, quia non potentia,ſed ratione res agenda eſt. 429. 1,53,54 & 526.25

*Dominus his opus habet.* Deus nullius rei indiget, quomodo dicitur,quod his opus habebat?Deus petit à nobis,vt maiora det. 153.117

*Confeſtim dimittet vos.* Deo ſine vlla mora obſequendum. 141.30 & 252.94

*Ecce Rex tuus venit tibi.* O magnus princeps,non ſuæ,ſed ſuorum vtilitati venit. *Venit tibi.* 233. 95 & 313.41,44 & 187.264 & 510.29 & 573.16 & 326.129.130

*Venit tibi manſuetus.* Prælatus totus ſit benignus, ac affabilis in ſubditos. 275.53,54,55,56,83, 84,85 & 485.10 & 600.77

*Eum deſuper ſedere fecerunt.* Vt notat Chryſoſtomus hom. 67. Non ſedet in generoſo equo,ſed in vili animali, quod ſufficiebat ad vecturam, informans nos ſuo exemplo, vt ſolum vtamur his, quæ neceſſaria ſunt, alia verò amputemus,& remoueamus à nobis. 211.102,103 & 437.43

*Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua.* Turbæ veſtimenta deponunt in obſequium Chriſti; at Dominus pro nobis non ſolùm depoſuit, ac dedit veſtimenta ſua in paſſione,ſed etiam cum illis abſterſit diſcipulorum pedes: ſemper Dei beneficia noſtra obſequia ſuperant. 573.15,16

## *Dominica Reſurrectionis.*

### Marc. 16.

*CVm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene,* &c. D. Hieron. *Poſt Sabbati triſtitiam felix irradiat dies.* Tranſacta triſtitia magna eſt felicitas gaudiorum. 542.31

*Valde manè vna Sabbatorum.* Veniunt hæ mulieres tanquam miniſtræ Dominicæ ſepulturæ; Deus autem in ſuis miniſtris magnam vult diligentiam. 252.95,96,97

*Valde manè vna Sabbatorum veniunt.* Nec latrones,nec nocturnos incurſus timent,nam charitas omnia pericula rumpit,& contemnit. 574. 20,25 & 183.240 & 325.124 & 108.249 & 202.46,47

*Valde manè veniunt ad monumentum.* Vt ita ſuum amorem in Chriſtum teſtificentur, nam amor adſcondi non poteſt. 65.36,37

*Iuuenem ſedentem amictum ſtola candida.* In dextris ſtola candida ſedet Angelus in ſignum feſtiuitatis, ac lætitiæ Reſurrectionis. 250. 87,88

*Obſtupuerunt.* Cum ſanctæ mulieres tantis donis cœleſtibus eſſent cumulatæ, timent tamen; quanto enim quis magis habet de Deo, tanto timore repletur. 234.102,103

*Qui dixit eis,Ieſum Chriſtum crucifixum quæritis, ſurrexit.* Sed cur hoc etiam non dicunt Angeli ſepulchri cuſtodibus, ſed tantum mulieribus:magna myſteria ſolum percipiunt fide pleni,& non vacui. 176.209 & 228.70

*Nolite expaueſcere.* Meritò hæc dicuntur ab Angelo,nam qui Deum habet,nil timet. 552.92

*Nolite expaueſcere.* Timor expellitur, vt valeant audire quæ dicuntur. 551.87

*Ieſum Chriſtum quæritis, ſurrexit.* Cur Chriſti Reſurrectio prius nuntiatur,quàm videatur, nam ſtatim, ac ſubito ſe poterat Dominus manifeſtare. Ad magna enim gradatim diſponendus eſt animus. 28.123 & 158.119,139

## *Dominica in Albis.*

### Ioan. 20.

*CVm fores eſſent clauſæ,vbi erant diſcipuli propter metum Iudæorum.* Erant diſcipuli conſtituti inter metum Iudæorum, & ſpem certam euadendi periculum ad prædicandum Euangelium. Inter ſpem, ac metum viuendum eſt. 234.106,107,108

*Congregati propter metum Iudæorum.* Metu præparantur homines ad alta virtutum opera. 549.73,74,75

*Vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum.* Aduerſitas vnit, ac coniungit fratres. 161.134,134

*Venit Ieſus.* Maximè inuitatur Chriſtus,vt veniat ad afflictos labore,ac perſecutione. 364.69, 70 & 508.17

*Venit Ieſus,& ſtetit in medio.* Bonus Prælatus ſtet in medio,vt æqualis ſit ad omnes. 310.24 & 113.277,278

*Stetit in medio.* Tanquam bonus Præſul, qui vt ſuos ad ſe attrahat, communicabilis, & non inacceſſibilis ſit. 484.4,5

*Gauiſi ſunt diſcipuli.* Quamuis aliàs diſcipuli affecti triſtitia eſſent, nunc gaudio replentur, nam credenti omnis triſtitia vertitur in gaudium, 25.114. Et Chriſtus etiam eſt noſtrum gaudium, & lætitia. 8.26

*Oſtendit eis manus, & latus.* Vt inde agnoſcerent, quanta obligatione Domino erant aſtricti, qui tanta pro eis paſſus eſt. 341.14,15,16

*Accipite Spiritum ſanctum.* Non dixit, do vobis Spiritum ſanctum, ob modeſtiam ſe tanti doni tacet auctorem. 209.58.86,87

*Noli eſſe incredulus.* Delinquens reprehendendus, vt emendetur, & hoc cum moderamine. 365.73,74 & 313.43

*Noli eſſe incredulus.* Deus conſulit omnium ſaluti, & eam maximè æſtimat. 567.72

## *Dominica II. poſt Paſcha.*

### Ioan. 10.

*EGo ſum paſtor bonus.* Aliquando noſtram virtutem commendare poſſumus, non vanitatis cauſa, ſed calumnię repellēdę, aut alio iuſto titulo, & honeſto. 110.261,262 & 422.54,55.56

*Ego ſum paſtor banus.* Non ait, ego ſum paſtor eruditiſſimus, ſed bonus; nam vitæ probitas maximè neceſſaria in prælato. 322.104

*Bonus paſtor pro ouibus ſuis dat animam ſuam.* Bonus prælatus potius eſt intentus ſuorum vtilitati, quam propriæ. 326.129,130.147 & 574 & 108.248

*Ego ſum paſtor bonus.* Cum in Chriſto ſint multa, & valdè magna; hoc tamen de ſe peculiariter prædicat, quod paſtor ſit bonus: beneficentia enim potiſſimum diuinitatis ſignum. 23.98 & 521.92

*Pro ouibus ſuis dat animam ſuam.* Prælatus tanto amore feratur in ſubditos, vt in eos non tanquam Dominus in ſeruos ſe gerat; ſed veluti pater in filios. 452.13

*Pro ouibus dat animam ſuam.* Bonus prælatus plus æſtimat ſubditos, quam propriam vitam. 108.248 & 149.73,264 & 510.29 & 573.16

*Pro ouibus ſuis dat animam ſuam.* Chriſtus bonus paſtor, qui plus nos æſtimat, quam ſua. 7.22 & 69.57,58,70 & 675 & 600.75 & 491.44

*Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor.* Boni autem, vel mali paſtores ſe exhibent, ac declarant in occaſione. 330.146,147

*Venit lupus, & diſpergit oues.* Luporum aduentus diuiſionem, ac diſperſionem parat; ſeminat ſemper diuiſiones iniquus. 601.85

*Mercenarius autem fugit.* Quia vt iniquus non agit de commodo ouium, ſed de proprio tantum lucro; bonus autem ſine lucri expectatione adminiſtrat. 319.82,83,84

*Agnoſco oues meas.* Quia bonus prælatus frequenter viſitat oues ſuas, & inde eos agnoſcit. 3[illegible].11

*Vocem meam audient.* Cur non ait, voci meæ obedient? Quia vbi perfecta eſt obedientia, nulla eſt differentia inter obedire, & audire. 252.94 & 20.85

## *Dominica III. poſt Paſcha.*

### Ioan. 16.

*MOdicum, & videbitis me.* Magnum donum Domini præſentia, quæ ſuos cuſtodit, ac tuetur. 158.117 & 557,7,51

*Modicum, & videbitis me.* Ob mei præſentiam vobis timendum; nam Domini præſentia valdè formidabilis eſt. 234.107 & 541.24,26,27

*Et iterum modicum, & iam non videbitis me.* Varietas maximè delectat, & hæc etiam concedenda, 62.21

*Iterum modicum, & iam non videbitis me.* Et quidnam eſt hoc modicum, in quo Dominum non videbunt; tempus nempè paſſionis; & dum ſub vmbra mortis abſconditur; ſed tot flagella, clauos, ſpinas dicis modicum Domine! Præ amoris magnitudine omnia modica, ac pauca videbantur. 108.251,252,253

*Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Credentis omnis triſtitia vertitur in gaudium. 25.114

*Plorabitis, & flebitis vos.* Cur eorum fletus non prohibet? Lachrymæ effundebantur ob Chriſti paſſionem, & ideo, vt valdè vtiles Domino placebant, & erant acceptiſſimæ. 193.291,292 & 609,24

*Plorabitis, & flebitis.* Hæc denunciat Chriſtus, vt notat Alcuinus, quia per labores, ac perſecutiones tendimus in cœlum. 22.95 & 462.65.68

*Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Vt ita videas, quam illuſtre ſit Apoſtolorũ meritum; multum enim impetrant, qui laborant, cum alij gaudio indulgent. 152.92,93,94

*Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Deus ſuis dilectis dat gaudium, ac ea, quæ recreant. & delectant. 291.151,152,153

*Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Ea, quæ ſunt mundi, deficiunt; cœleſtia verò durant, & perſeuerant. 159.122

## *Dominica IV. poſt Paſcha.*

### Ioan. 16.

*VAdo ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me.* Quomodo diſcipuli Dominum non quærunt, cum interrogare initium ſit ad ſapientiam, & quilibet debet interrogare de his, quæ ad ſe pertinent. 85.134 & 182.237,238,229 Non interrogant tamen, quia non audent ſe intromittere in altitudinem myſteriorum. 228.70

*Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.* Ecce Dominus ſubdit rationem, quare à diſcipulis non interrogatur, quò vadit; nam animus triſtitia affectus, nec ad interrogandum, nec ad audiendum eſt capax. 102.220 Ad ſcientiam etiam requiritur animi lætitia. 148.62

*Veritatem dico vobis.* Domine, cur hæc dicis, ſi triſtitia erant afficiendi? Chriſtiana veritas non inuolucris tegitur, ſed publicè prodit. 473.54,55

*Veritatem dico vobis.* Si ſuorum animos ad ſe vult conciliare; cur tam manifeſtam veritatem eis dicit? Peculiare eſt Dei donum, nuda veritate aliorum animas ad ſe trahere. 194.295

*Expedit vobis, vt ego vadam.* Ad eorum leuandam triſtitiam, proponit eis Dominus, eis eſſe neceſſarium, vt ipſe abeat; promptiſſimè enim mouetur homo ſuo commodo, & vtilitate, 423.63

*Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Valdè vobis neceſſarius eſt diuinus Spiritus, qui veſtræ exigentiæ maximè ſe accommodabit. 159.127,128

Arguet



*Arguet mundum de peccato.* Peccatum ſuper omnia mala arguendum, & execrandum. 93.171,172

*Arguet mundum de peccato.* Vt mundus reformetur, & omne malũ ab eo euehatur, neceſſe eſt, vt peccatum, quod eſt malorũ omnium radix, auferatur, & amputetur. 345.38 & 592.74,75

*Arguet mundum de peccato.* Ita iniquus in ſuis delictis obdormit, & ſua peccata habet poſt tergum, quod niſi arguatur, non reſurget. 440.55

*Arguet mundum de peccato.* Spiritus qui eſt conſolator, arguet; nam qui reprehendit, conſoletur etiam. 446.87

*De peccato, quia in me non crediderunt.* Dum dicitur de peccato, exprimitur infidelitas, quaſi comparatione huius nullum aliud eſſet peccatum; & ita per infidelitatem rebus omnibus homo fit deterior. ibid. 88

*Non poteſtis portare modo.* Nec enim omnia ſecreta omnibus ſunt dicenda. 626.90 & 175.208

## *Dominica V. poſt Paſcha.*

### Ioan. 16.

*SI quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Oratio noſtra valdè efficax ad impetrandum. 18.77 & 404.92 & 557.6 Ita vt oratio dicatur clauis cœli. 458.45

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Illa oratio fit in nomine Chriſti, quæ fit in fide Eccleſiæ Catholicæ. 393.61,103

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Maximè Chriſtus nos mouet, ac excitat ad petendum; noſtras enim orationes habet pro mercede. 490.37,38,39

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Multoties petimus à Deo, & tamen petita non concedit nobis; nouit enim ipſe, quid nobis eſt vtilius, & conueniens. 206.67 & 459,50,52

*Petite & accipietis.* Deus ſolùm promittit dare ea, quæ ab illo petuntur, & tamen ſemper dat pluſquam petimus, 206.71,119 & 493.52,53 & 580.58

*Iam in prouerbiis non loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis.* His verbis vult Dominus diſcipulis conſolationem dare, vt in tempore paſſionis ſuæ perſiſtant conſtantes, & ad hoc palam eis annunciat de Patre. Magna enim conſolatio, dum quis laborat, ſi agnoſcat ſe habere Dominum, ac Patrem, à quo ſit præmia recepturus. 270.24 & 323.106,107 & 192.288

*Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Pro amore, quem erga Chriſtum habuimus, ſuum nobis dat Deus amorem, per ea enim obſequia, quæ damus Deo, præmia recipimus. 356.20,21

*Ipſe enim Pater amat vos. quia vos me amaſtis.* Dei liberalitas noſtra in infinitum excedit obſequia, nam pro noſtro finito amore, ſuum nobis præſtat amorem infinitum. 573.15,16

*Ipſe Pater amat vos.* Hoc patenter ait Chriſtus, nam diuinus amor abſcondi non poteſt. 65.35,36

*Et credidiſtis.* Magnũ eſt fidei meritũ, ipſaque fides potentiſſima apud Deum. 552.93 & 576.36

*Nunc ſcimus, quia ſcis omnia.* Chriſtus Dominus vt verus præſul, totum ſuum corpus circunſpicit, & videt. 97.190 & 238.3

## *Dominica VI. poſt Paſcha.*

### Ioan. 15.

*CVm venerit Paraclitus.* Diuinus Spiritus Paraclitus dicitur, nam ipſo comite, ac aſſiſtenſtente omnes noſtri labores ſuaues fiunt, 193.291,292 & 306.253

*Quem ego mittam vobis.* Ipſe ait, ſe Spiritum mittere; vnde ex tanto dono dato homines habeat maximè obligatos. 407,111

*Et vos teſtimonium perhibebitis.* Teſtes de viſu aduocat, nam teſtis oculatus certiſſimus. 241.23

*Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini.* Quid ſit ſcandalum. 355.13 Maximè in noſtris actionibus vitandũ. 172.185. & 311.32

*Venit hora, vt qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Doo.* Grauiſſimum peccatum, quod fit pietatis prætextu. 414.25

*Arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Iniqui prætextu zeli honoris Dei, ſuum defundunt venenum. 581.66

*Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem.* Vbi eſt ignorantia Dei, ibi omne malum perpetratur. 347.52,53

*Hæe facient vobis.* Vult Deus, vt ſui præuideant labores, vt faciliùs tolerent. 250.83

*Hæc facient vobis.* Prædixit Chriſtus ſuis labores, ac pericula, quæ ab ipſis ſuſtinenda erant propter Chriſtum, vt inde cognoſcant, quod à Domino liberabuntur, ſiquidem propter ipſum eis euenerunt. 552.94,95

*Hæc facient vobis.* In ipſa enim perſecutione maximè probatur virtus, ac animi generoſitas, 301.219,236 & 308.8

*Abſque ſynagogis facient vos.* Et qui ſunt iſti, qui tot, & tanta facient in Apoſtolos? Hos Chriſtus non nominat, quia peccator nullus, & nihil eſt. 417.29,30

## *Dominica Pentecoſtes.*

### Ioan. 14.

*SI quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Ille verè diligit, qui Chriſti ſermonem ſeruat, nam ita ſe totum committit Deo, vt non ſit diuiſus inter Deum, & mundum. 65.34 & 36.25 & 433.19,20 & 496.75

*Si quis diligit me.* Sic ait Chriſtus; & non ſi quis diligit mea dona, nam perfectus amor, non tua, ſed te diligit, & quærit. 2[illegible]3.41,42

*Sermonem meum ſeruabit.* Lex diuina ſeruanda eſt in omnibus, etiam in minimis. 336.183.184

*Si quis diligit me.* Ex Dei amore facilis, & ſuauis eſt legis obſeruatio; & ideo non ait ſeruabit mea mandata, vel præcepta, ſed ſermonem; quia valdè facilis, & ſuauis eſt legis obſeruatio amanti, veluti ſermo quidam. 358.197,198

*Ad eum veniemus.* Dei dona habent permanentiam, & conſiſtentiam. 211.101

*Et ad eum veniemus.* Per gratiam nempe, per quam homo habet omne bonum. 578.47,48,49

*Paraclitus autem Spiritus.* Non dicitur ſolùm Spiritus, ſed etiam conſolator; quia Deus habet ſe mira ſuauitate erga ſuos dilectos, vt non

 ſolùm

ſolùm det neceſſaria, ſed etia m quæ recreant, ac delectant. 291. 151,152,153

*Quem mittet Patet in nomine meo.* Spiritus ſancti miſſio, non ſolùm Patri, ſed Filio etiam competit. Cur ergo non ait Chriſtus, quem ego mittam? Spiritus mittebatur in laudem, & gloriam Chriſti, & ideo eius miſſio Patri tribuitur, laus enim ab ore proprio non debet procedere. 137.10

*Suggeret vobis omnia.* Se vniuſcuiuſque imbecillitati accommodans. Sic & docto omnibus contemperetur. 73.74,:07 & 180.225

*Suggeret vobis omnia.* Hoc eſt, menti veſtræ indet, vt facilè intelligatis, nam doctrina clarè, & manifeſtè eſt tradenda, vt ab auditoribus intelligatur. 220.27,28

*Pacem relinquo vobis.* Hæc ſolùm potuit dicere Chriſtus, ſuis nempè pacem reliquiſſe, ſiquidem ſuis electis largitur, non temporalia, ſed æterna bona; nam ſi temporalia, diuiſionem; æterna verò vnionem, ac pacem pariunt. 319. 86,87,88

*Pacem relinquo vobis.* Pacem dare, proprium eſt Dei officium, ac referentis Dei imaginem. 301.216,217,218

## *In Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.*
## Matth. 8.

D*Ata eſt mihi omnis poteſtas.* Nempe propter merita, & labores, vt diſcant homines ad dignitates non aſcendere, niſi per merita. 279. 78,79.80

*Data eſt mihi omnis poteſtas, euntes ergo,* &c. Verè magna poteſtas, ſua dona ſuis communicat. 321.94,95

*Data eſt omnis poteſtas.* Et quando data eſt hæc poteſtas vnigenito Dei Filio? Quando in Cruce, pro ſalute humani generis pendebat. 100. 211,212

*Data eſt mihi omnis poteſtas.* Tunc dicitur poteſtas data filio Dei, quando eam ſuis communicat; nam Deus illud dicitur habere, quod ſuis largitur. 489. 29,30,31

*Euntes ergo prædicate.* Optima illatio, data ei dicitur poteſtas; non mandat, vt de ſua authoritate ſint ſoliciti Apoſtoli, ſed vt de ſuorum ſpirituali cibo agant; nam Rex non tam debet eſſe ſolicitus de ſua indulgentia, quàm de ſubditorum ſuſtentatione. 327. 129,130 & 187. 264 & 520.79 & 573. 16

*Euntes ergo docete omnes gentes.* Non vt emolumenta accipiant, nam cum Apoſtoli præſules conſtituti eſſent totius mundi, debebant cunctis ſeruire abſque vlla lucri expectatione. 319. 82,83,84

*Prædicate Euangelium omni creaturæ. Baptizantes eos.* Cùm eos prædicatores dicit, labores eis ſtatim prædicit itineris, ſcilicet, baptizandi, & docendi, nam prædicator conſtituitur ad labores, ac preſſuras ſufferendas. 246. 59,60,62

*Euntes ergo docete omnes gentes.* Cur ſacri Apoſtoli itineris, ac laboris difficultates non obiiciunt, ſed ſtatim obediunt; quia Deo maximè debemus eſſe prompti, ac obedientes. 252.93, 94 & 538.9

*Euntes ergo docete.* Multas difficultates, quæ euenire poterant in mentem, non obiiciunt; quia ſacri Apoſtoli maximè gaudebant, quod ſibi data dona aliis prædicando communicarentur. 307. 255,256 & 599.72,73

*Baptizantes eos.* Iubet Dominus baptizare gentes, vt vetus Adamus ſepeliatur in aquis, & homo delectabilia relinquendo, renouetur in vita. 356. 18,19,20. & 469. 36,37

*In nomine Patris, & Filij,* &c. In fide diuiniſſima Trinitatis illuminantur homines. 4. 6,7

*Docentes eos ſeruare.* Nónne ſufficiebat eos habere fidem Trinitatis, ad quid vlterius mandat, docere eos, vt mandata ſeruent? Quia fides operibus debet eſſe ornata. 183.240 & 208. 80,81,82

## *Dominica I. poſt Pentecoſten.*
## Luc. 6.

Vide *cap.*14.*à num.*127. & *cap.*18.

## *Dominica II. poſt Pentecoſten.*
## Luc. 14.

H*Omo quidam fecit cœnam magnam.* Non ſolùm dicitur, quod Dominus fecerit cœnam, ſed additur *magnam*, quia Dei dona ſunt valdè perfecta, & ſine limitatione. 493.53 & 514. 44 & 183.245,246

*Fecit cœnam magnam.* Ipſe fecit, non verò mandauit miniſtris, vt facerent; & ideo cœna magna. nam beneficia, vt omnibus abundent, per manus Domini diſtribuantur; non verò per miniſtrorum manus. 164. 146,147

*Fecit cœnam magnam.* Appoſito conuiuio vocat Deus hominem; vnumquemque enim per ſibi familiaria trahit. 182.225 & 227.64 & 289, 135

*Fecit cœnam magnam.* Non mandauit facere, ſed fecit ipſe hoc conuiuium, ſacræ, ſcilicet, Euchariſtiæ, tanquam peculiare opus Dei. 16,67 133

*Fecit cœnam magnam.* Verè magna, in qua datur Sacra Euchariſtia, & in ipſa omnia bona. 196. 8,39

*Vocauit multos.* Non expectat, vt ipſi ſe offerant, ſed ille eos vocat; Dei enim liberalitas noſtram omnem tranſcendit curam. 438.48,49,50

*Vocauit multos.* Ipſe eos vocat, quia noſtram maximè Deus æſtimat ſalutem. 69.58,71,237 & 189.273.274

*Miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis.* Hora cœnæ inuitat, Deus enim vocat opportuno tempore. 529.47 & 428.92,93

*Quia iam parata ſunt omnia.* Non dicit, quia paranda ſunt, ſed quia iam parata, Dei enim beneficia ſunt ſine mora, ac dilatione. 211.101 & 250.83

*Vt venirent.* Mandat, vt inuitati veniant ad conuiuium; in illo enim dabatur Sacra Euchariſtia, ad quam homo magna ſe præparet diſpoſitione. 18.74 & 233.98 & 407.112,113 & 621.63

*Cœperunt ſimul ſe excuſare.* Iniquorum conditio, qui ob temporalia, relinquunt æterna. 356.18, 19,20 & 469.36,37

*Iuga boum emi, eo probare illa.* Relinquunt cœleſtia ob temporalia, in quibus nihil aliud inueniunt, niſi iuga, labores, & afflictiones. 147. 55,56,57,76,77,78

## *Dominica III. poſt Pentecoſten.*
## Luc. 15.

E*Rant appropinquantes peccatores, ac publicani.* Hos Chriſtus non reſpuit, imò eos admittebat,



mittebat, ac quærebat, quia ad peccatorum remedium, ac ſalutem venire dignatus eſt. 487. 15,16,17

*Vt audirent eum.* Quin poſtulent, vt doceantur; vbi primum accedunt, à Domino inſtruuntur; ſolicitabat enim eorum miſeria Redemptoris miſericordiam. 106.236,237

*Quibus ipſe dixit.* Solùm accedunt, nec rogant, vt doceantur; & tamen à Domino inſtruuntur: Prædicator exploret opportunum tempus, & inuentum non ſinat elabi. 190.279 & 269. 18,·9,:0

*Murmurabant Phariſæi, quia hic peccatores recipit.* Hanc murmurationem Chriſtus præuidit, contemnit ob noſtram vtilitatem. 599.74

*Relinquit nonaginta nouem in deſerto.* Non in ciuitate, ſed in deſerto, nullibi enim maius imminet periculum, quam inter homines. 559.21

*Relinquit nonaginta nouem.* Pro vna cæteras relinquit, adeo chara Deo anima quædam. 109. 253,262

*Inuentam imponit in humeris ſuis.* Non virga, non ſtimulis, ſed propriis aſportans humeris ad gregem ducit, docens, quod ouis aberrans benignitate potius, quam rigore reducenda ſit. 280.84,85 & 484.10 & 600.77

*Imponit in humeris ſuis.* Non in manibus, non in brachiis, ſed in humeris; in humeris enim paſſio Chriſti denotatur, à qua tota noſtra ſalus. 150.75

*Imponit in humeris ſuis.* Humeri ſeruituti, ac oneri deſtinantur, officium paſtoris adimplens in humeris portat ouem, quia dignitas quædam ſeruitus eſt. 117.296,297

*In humeris aſportat.* Amicabiliter fouens, & recreans; nam temere conuerſi benignè, ac ſuauiter tractandi ſunt, ne retrocedant. 66.39 & 2:1.84,85

*Congratulamini mihi omnes.* Merito inuenta oue cæleſtes conciues inuitantur ad gaudium, nam valde magnum eis, quod multos habeant in gloria ſocios. 307.255,256

## *Dominica IV. poſt Pentecoſten.*
## Luc. 5.

*Ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth.* Vide *c.*7.

## *Dominica V. poſt Pentecoſten.*
## Matth. 5.

*Niſi abundauerit iuſtitia veſtra.* Vide *cap.* 12.

## *Dominica VI. poſt Pentecoſten.*
## Marc. 8.

C*Vm turba multa eſſet cum Ieſu.* Simile miraculum perpetrauit Dominus Ioan. 6. vt notant Theodoretus, & Euthymius, proprium enim eſt diuinæ bonitatis beneficia beneficiis cumulare, & ex vno facere pignus ad aliud. 25. 107 & 317.71

*Miſereor ſuper turbam.* Maxime Deus pronus ad miſericordiam, quia noſtras videt miſerias. 247.63 & 446.87

*Miſereor ſuper turbam.* Non Apoſtoli intercedunt, & procedit Dominus ad miſerendum, ipſa namque neceſſitas maximè Dei miſericordiam ſolicitat. 106.236,239 & 576.39 & 548,67

*Miſereor ſuper turbam.* Deus mouetur ad miſerendum, quia noſtram intuetur neceſſitatem. Seculi principes, quia ſuorum neceſſitates non vident, ipſis non tanguntur. 485.7

*Ecce iam triduo ſuſtinent me.* Perſeuerandum in virtute, vt diuina mereamur aſſequi beneficia. 34.16 & 83.24

*Iam triduo ſuſtinent me.* Non potuit Chriſtus illis deeſſe, qui ſub eius prouidentia erant, ſed conſequenter omnium abundantia repleri debebant. 438.48,49,50

*Si dimiſero eos ieiunos, deficient in via.* Quando humana deſunt, diuina ſuccurrunt. 213. 116 & 557.4

*Vnde iſtos quis poterit ſaturare.* Iam ex alio antecto miraculo agnoſcere poterant diſcipuli Domini voluntatem ad benefaciendum; & tamen obſtacula obiiciunt: vnde maximè, ne dona nobis data à Deo, & miniſtris impediantur. 406.102.

*Gratias agens.* Chriſtus Dominus ſuum recognoſcit genitorem, omnium beneficiorum actorem, & ei omne bonum attribuit. 109. 256. 257 & illud commune beneficium tanquam ſibi proprium reputat Chriſtus, & ideo pro omnibus gratias agit. 111.262,263

*Dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent.* Quod valdè diligenter, ac promptè exequebantur diſcipuli; nam Deus in ſuis miniſtris magnam vult diligentiam. 252.95,96,97

*Dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent.* Dantur Apoſtolis cibi, vt eos diſtribuant, nam omnes pauperibus inſeruire debent. 285.112,116

*Manducauerunt, & ſaturati ſunt.* Hoc valdè conſequens erat, nam qui Chriſtum habent, cunctis abundant, nec patiuntur neceſſitatem. 449.100.101

## *Dominica VII. poſt Pentecoſten.*
## Matth. 7.

*Attendite à falſis prophetis.* Vide *cap.*19.

## *Dominica VIII. poſt Pentecoſten.*
## Luc. 16.

H*Omo quidam erat diues.* Non damnatur hic homo ex eo, quod diues eſſet, nam diuitiæ per ſe malæ non ſunt, niſi in voluptatibus, & vanitatibus expendantur. 435.30,31

*Habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud eum, quaſi diſſipaſſet.* Non abſolutè profertur, villicum conſumpſiſſe rem Domini ſui, ſed dicitur, quaſi diſſipaſſet; & ideo ad rationem reddendam vocatur; maximè enim noſtræ famæ, ac honori conſulere debemus. 595.39, 40, 41

*Quaſi diſſipaſſet bona ſua.* Non diſſipat miniſter rem Domini ſui, dum eius mandatum exequitur, ſed dum propriam voluntatem ſequitur. 27.121,122 & 465.11,12,13

*Quaſi diſſipaſſet bona ſua.* Frequenter miniſtri diſſipant rem Domini, vt Reges, ac ſupremi domini. 199.29,30

*Et vocauit illum, & ait. Quid hoc audio de te?* Vocat Dominus ſeruum ad reddendam rationem, & vt eum amoueat ab officio, poſtquam diffamatus eſt, quod bona diſſipaſſet, non vero, quandiu malus rumor non erat; nam ſeruus fidelis non eſt impediendus in ſuo munere. 27.118 & 413.6

*Quid*

*Quid hoc audio de te?* Audit Dominus delicta ſerui,& tamen ipſum admonet,nam quanuis quis proteruus ſit,tamen corripiendus eſt, vt emendetur. 365.73,74

*Quid hoc audio de te.* Non antea reprehendit, ſed modo,poſtquam, ſcilicet, diffamatus eſt, quia iam peccatum erat publicum; Peccata nam que publica, non diſſimulanda ſunt, ſed arguenda. 128.40,43 & 626.91

*Iam non poteris ampliùs villicare.* Quem enim Domini largitas,& benignitas non obligauit,cautum reddent Domini ſupplicia. 316.61,62,63

*Quid faciam, mendicare erubeſco.* Valdè mirum, quod non timet villicus ſupplicium imminens, ſed tantùm, quod cogatur mendicare: valdè durum hominum ope indigere, ſed valdè glorioſum eam non exoptare. 296.76,77 & 579.55

*Scio,quid faciam,vt recipiant me.* Dum villicus tot videt difficultates contra ſe, non cadunt eius vires, ſed cogitat de remedio, homo enim debet fracti,& debilis animi eſſe. 424.70,71,72

*Scio quid faciam.* Inuenit neceſſitas, & dat in arduis conſilium. 619. 42

*Vt vos recipiant in æterna tabernacula.* Per quæ benefaciendo das, & pauperibus diſtribuis: alas tibi paras ad euolandum in æterna tabernacula. 289.139

## *Dominica IX. poſt Pentecoſten.*
### Luc. 19.

*VIdens ciuitatem fleuit ſuper illam.* Illa futura ciuitatis deuaſtatio à Dei ordinatione veniebat, & tamen Dominus lachrymabatur, vt nobis fiat euidens, quod etiam dum Deus punit,de miſericordia, ac hominis miſeria recordatur. 385.114,118

*Fleuit ſuper illam.* Vt oſtendatur æquitas Chriſti Domini, qui mirabili affectu, ac miſericordia in ſuos, iuſtitiam in eos ſeruabat. 294. 175, 176,177

*Videns ciuitatem fleuit.* Ieroſolymam magno ingreditur applauſu, ac triumpho, & tunc in lachrymarum fletus prorumpit;potius enim oculos ad hominum commoditates,quam ad ſuos applauſus tollit. 537.6,7,8

*Quia ſi cognouiſſes & tu.* Si enim Ieruſalem agnoſceret, quæ erant in ea euentura, non lætitia exultaret, ſed fletu lugeret. 219. 21 & 290. 146

*Quia ſi cognouiſſes & tu.* Si enim Hieruſalem oculos conuerteret ad ſuorum multitudinem peccatorum, ageret de eorum emendatione, & ab eis deſiſteret. 59.7 & 148. 64,65,66& 95. 182

*Venient dies in te.* Hæc dicebat Chriſtus, vt tanta prophetia admonerentur Ieroſolymitani, vt reſipiſcerent; nam agnitione ſupplicij maximè deterrentur homines à peccatis. 275.53,54, 55,56

*Non derelinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Deliquerunt Iudæi in filium Dei, dum ſoliciti ſe exhibent de ſuæ ciuitatis conſeruatione,ne fortè veniant Romani,& gentem tollāt,& locum. Meritò ergo in ipſa ciuitate puniuntur; nam per quæ impius peccat, per hæc plectitur. 10. 38 & 568.79,80

*Et ingreſſus in templum,cœpit eiicere vendentes.* De hoc multa vide *cap.* 2.

## *Dominica X. poſt Pentecoſten.*
### Luc. 18.

*DIxit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti.* Ita enim frequenter contingit in mundo, quod multi de ſe magna præſumunt,& vix minima attingunt. 69.56

*Qui in ſe confidebant tanquam iuſti.* Vbi homo in ſe multum confidit, & magna de ſe præſumit,merita deſunt. 207.72,73,74

*Qui in ſe confidebant.* Erant Phariſæi multis infecti vitiis, & ideò peculiariter in eorum ſuperbiam inuehitur Dominus.Superbia enim inter omnia vitia valdè exoſa eſt, & odibilis. 528. 38,39

*Non ſum ſicut cæteri hominum.* Omne bonum in aliis negant ſuperbi,& à nulla creatura volunt ſuperari. 520.80 & 581.70

*Non ſum ſicut cæteri hominum.* In hoc quod dicebat manifeſta erat ſuperbia illius, & tamen hanc non videbat; nam nimium ſe iactans in manifeſtis cæcutit. 147.161

*Ieiuno bis in Sabbatho.* Vt ſe à vitiis alienum oſtendat Phariſæus, & totius legis obſeruatorem, ſuas incipit oſtendere virtutes, à ieiunio incipiendo; agnoſcebat enim, quod vbi eſt ieiunium,ibi omnium corona virtutum. 413.7,8,9

*Velut etiam hic publicanus.* Iniquorum ingenium, aliorum defectus aperire, vt ſuam gloriam, ac virtutem declarent. 67.45,46 & 162.136

*Velut etiam hic publicanus.* Qui ſe iactat,& gloriatur, propria merita amittit, & virtutem. 278. 86,69

*Publicanus autem à longè ſtans, nec audebat.* Magna pœnitentia relucebat in publicano; & tamē ita ſuppliciter de ſe iudicabat,vt indignum ſe exiſtimaret,ad oculos leuandum ad cœlum, in quo Deus aderat. 337.192 & 569.84

*Percutiebat pectus ſuum, Deus propitius eſto.* Nihil de ſe profert magnum, Domini tantummodo implorat miſericordiam; nam vere humilis,& iuſtus,nihil in ſe bonum videt. 593.28,29

*Propitius eſto mihi peccatori.* Ecce quomodo criminis agnitio, & confeſſio Deo eſt grata, & conſcientiam emundat. 168.165,173.250,251 & 236.117

*Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus ab illo.* Quod perdidit iactantia, obtinuit humilitas. 495.68.69 & 572.13.

*Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus.* Licet Phariſæus multum daret,ac ieiunaret; non tamen deſcendit iuſtificatus, ſed publicanus, in quo vera oratio, quæ multum valet in conſpectu Dei. 490.37,38,39

## *Dominica XI. poſt Pentecoſten.*
### Marc. 7.

*EXiens de finibus Tyri.* Notat Theodoretus. *In Gentilium locis moram Dominus non volebat facere, ne occaſionem daret Iudæis, vt eum legis tranſgreſſorem exiſtimarent, quòd ſe Gentibus admiſcebat, & ideo confeſtim reuertitur.* His nos docens D.Magiſter, vt maximè fugiamus, ne aliis ſcandali occaſionem demus. 172.185 & 311.32

*Exiens de finibus Tyri.* Hoc præſtat D.Magiſter, nam maximè iuſti curant, vt alios ab iniquorum ſocietate auertant. 542.36,37,38

*Et deprecabantur eum.* Charitas non ſolùm pro ſe; ſed etiam pro aliis loquitur. 548.69

*Appre*



*Apprehendens eum de turba ſeorſum.* A turba ſeparat, vt hominem ſanet, docens nos, in noſtris operibus vanam gloriam, ac oſtentionem fugere. 234.101 & 391.9 & 186.255 & 209. 85 & 523.4

*Miſit digitos.* Vnus Dei digitus ſufficiebat maximè.Ad quid ergo digitos miſit? Deus largiſſimus eſt in auxiliandis nobis, & remedia exhibenda. 23.102 & 206.71,119 & 493.52,53

*Apprehendens eum miſit digitos.* Quare Dominus apprehendit eum,ac immiſit digitos.aſſiſtentes deprecabantur Dominum,vt ei manum imponeret, Deus concedit noſtras petitiones ſecundum eum modum,quem petimus, ac deſideramus. 493.55,56

*Suſpiciens in cœlum.* In neceſſitatibus noſtris ad Deum confugiendum. 255.114 & 542.32

*Ingemuit.* Cur hic ingemiſcit Dominus?Procedebat Chriſtus,vt daret homini linguam, & ideo ingemiſcit,agnoſcens,quod lingua magnum ſit hominis malum. 63.23

*Et loquebatur rectè.* Qui ex Deo eſt,verba Dei,ac pura eloquia habet. 280.82 & 354.7

*Quantò autem magis eis præcipiebat, tantò magis prædicabant.* Ob gaudium ſanitatis hominis, animi lætitiam cohibere non poterant, quæ enim in acquiſitu ſunt ardua,ſunt in poſſeſſione gratiora. 343.25,26,27

*Tantò magis prædicabant.* Beneficio accepto grati, illud maximè diuulgant,ac extollunt. 201.41, 42,43 & 32.2,8 & 512.34

## *Dominica XII. poſt Pentecoſten.*
### Luc. 10.

*BEati oculi,qui vident,quæ vos videtis.* Et meritò ſanè,nam ex Dei præſentia liberatur homo,& omne fugatur malum. 557.27 & 609.19

*Ecce legis peritus tentans eum.* Vt crudelis hoſtis accedit iſte ad Chriſtum,cum dolo pugnans,& tentans eum. 468.31,32

*Tentans eum,quid faciendo vitam æternam poſſidebo.* Pietatis prætextu accedit, vt malignum effundat venenum. 581.66 & 125.21 & 531.58

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* In obſequio Dei integer ſit homo totus,& non dimidiatus. 433.19,20 & 496.75 & 65.34

*Ille volens ſe iuſtificare.* Peccator eiſdem mediis, quibus vult ſuum excuſare peccatum,illud declarat,ac manifeſtat. 369.16,17 & 120.308

*Homo quidam deſcendebat ab Hiericho.* Miſerabilis peccatorum ruina,quod de peccato in peccatum ruant. 134.72,73

*Incidit in latrones.* Ex minimis peccatis in grauiores incidit homo. 335.179,190

*Incidit in latrones.* Non in vnum latronem, ſed in latrones. Vniuntur ſemper impii contra virum probum. 124.12,13

*Qui ſpoliauerunt eum, & impoſitis plagis, ſemiuiuo relicto.* Antequam latrones plagas infligant,veſtium ornamenta ab homine detrahunt. Vbi enim homo priuatur diuina gratia,ſtatim omne bonum amittit,& in mala incidit multa. 578. 48,49

*Samaritanus videns eum, miſertus eſt.* Non in Sacerdote, ſed in Samaritano inuenit pietatem vulneratus; ſunt multi, qui frequenter magna promittunt, tempore tamen tentationis deficiunt. 472.48,49,50

*Vade tu, fac ſimiliter.* Charitatem in proximum maximè commendat Deus. 350.72,75,76

## *Dominica XIII. poſt Pentecoſten.*
### Luc. 17.

*TRanſibat Ieſus per mediam Samariam.* Relicta Iudæa per mediam Samariam tranſibat Dominus,nam Iudæi,vtpote Dei beneficiis ingrati, prorſus deſerendi erant. 221. 33 & 569. 85

*Et cùm ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi.* Ingreditur Caſtellum, vt ad ipſum leproſi veniant: nam niſi Deus quærat hominem,nunquam homo ad illum accedet. 169.170.171,72 & 263.11

*Occurrerunt ei decem viri leproſi.* Cùm leproſi intra Caſtellum Chriſtum haberent, ei occurrunt; ne tam præclara occaſio è manibus effugiat. 487.19 & 516.55 & 574.18

*Occurrerunt ei decem viri leproſi.* Concitato curſu occurrerunt,nam neceſſitas eos fecit alacres,& expeditos. 201.38

*Steterunt à longè.* Tanquam ſuæ infirmitatis benè conſcij non audeāt accedere ad Dominum,quò diuinam miſericordiam maximè ſolicitarunt. 22.40.qua cognitione aptos ſe reddiderunt ad medicinam. 544.47 & 148.64,65,66

*Ieſu præceptor miſerere noſtri.* Non dixerunt ſinguli, miſerere mei, ſed miſerere noſtri; perfecta namque charitas pro ſe, & pro aliis loquitur. 548.69

*Miſerere noſtri.* Non quilibet pro ſe, ſed ſimul erant;multum enim efficax eſt oratio à multis, & pro cunctis prolata. 400.67,71,104

*Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Sacerdos, quanuis iniquus honorandus eſt,& venerandus. 309. 17 & 496.71

*Oſtendite vos Sacerdotibus.* Ad Sacerdotes ſpectabat iudicare de munditie à lepra; ad eos ergo, leproſos mandat,docens nos, ne in alieno munere,& officio nos intromittamus. 14.59 & 465.7,8 & 521.85 & 539.17

*Vnus videns quia mundatus eſt.* Iſte leproſus, vt gratus, beneficium à Chriſto acceptum recognoſcit, quanuis Chriſtus illud taceret. 309. 86,107 & 185.8 & 512.34

*Cecidit ante pedes eius gratias agens.* Non pro ſe tantummodo, ſed etiam pro aliis gratias agebat; gratus animus communia beneficia propria reputat. 111.262,263

## *Dominica XIV. poſt Pentecoſten.*
### Math. 6.

*Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Vide *c.* 17.

## *Dominica XV. poſt Pentecoſten.*
### Luc. 7.

*IBat Ieſus in ciuitatem Naim, & ibant diſcipuli eius cum eo.* Per omnia loca Chriſti aſſeclæ tanquam boni diſcipuli Dominum ſequebantur. 539.13

*Cum appropinquaret portæ ciuitatis.* Non in aliquo inuio loco Dominus adoleſcentem reſuſcitat, ſed in ciuitatis porta, vtpote loco maximè publico, & manifeſto, quia Chriſti opera non in angulis,ſed in manifeſto fiunt. 473.54,55

*Ecce*

*Ecce defunctus efferebatur.* Frequenter apud varias nationes Principes, ac Dynaſtæ ſunt valdè occulti, & ab omnium oculis ſeparati; vbi primum tamen moriuntur, ſtatim in publicum efferentur, & in omnium aſpectu exeunt, Deo ſic ordinante, vt nobis ante oculos ſemper mortis memoria obuerſetur, tanquam valdè vtilis. 415. 21, 22, 23, 24 & 200. 33, 34, 35

*Turba multa ciuitatis cum illa.* Veluti plangentes cum matre ibant omnes: & forſitan iſti aſſiſtentes parùm dolebant. frequenter fit, quod magnatum funera apparatu potius, quàm affectu celebrentur. 626.87

*Quam cum vidiſſet Dominus miſericordia commotus.* Deus id aſpicit, quod eum excitat, ac mouet ad miſerendum. 592. 25

*Quam cum vidiſſet Dominus miſericordia motus.* Aderat cum turba multa, & tamen non dicitur, quòd Dominus turbam viderit, ſed mulierem; illa namque erat vehementer afflicta, & diuini oculi maximè mouentur lachrymis ad intuendum id, in quo miſeria, & afflictio apparet. 106.236, 237.508.17

*Noli flere.* Mandat Dominus lachrymas ſiſtere; nam in Chriſti Domini præſentia, nulla erat ratio triſtitiæ, cum ob illam liberandus eſſet homo ab omni malo. 557.7

*Et acceſſit, & tetigit loculum.* Defunctus ille ferebatur in ligno, qui à quatuor portabatur; in quo, vt ait D. Ambroſius *in Luc.* 5. Sancta Crux ſignificabatur, à Cruce autem nihil aliud prouenit niſi ſignum vitæ, & ſalutis. 102.221 & 548.72

*Accepit autem omnes timor.* Viſo tanto beneficio, quo Chriſti virtutem agnoſcunt, timent; tantò quis magis timet, quantò amplius de Deo cognoſcit. 234.102, 103

*Accepit autem omnes timor.* Dum illi homines vident tanta beneficia in ſuum populum collata, timent; nam prudens timet ob beneficia accepta. 234.102

## *Dominica XVI. poſt Pentecoſten.*

### Luc. 14.

*CVm intraſſet Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem.* Ingreditur Ieſus in domum Principis, & ſtatim ibi affertur infirmus; vbi enim ſunt diuitiæ, ibi eſt infirmitas, ac maximum nocumentum noſtrum. 200. 35, 36 & 323.107, 108, 109

*Sabbatho manducare panem.* In domum Principis ad panem manducandum ſe confert Ieſus, & tamen optimè ſciebat, quod ex eo, quod in illis conuiuiis adeſſet, murmurabant Iudæi: & omnia illa contemnebat ob noſtram ſalutem. 69.58, 71.237

*Sabbatho manducare panem.* Deus hominum imbecillitati ſe accommodat, vt homines ad ſe adducat. 41. 45 & 73. 74 & 180.225 & 219. 21. 72.33

*Et ipſi obſeruabant eum.* Iniqui Phariſæi ſuis peccatis obcæcati, Domini virtutes non vident, ſed tantum occaſiones quærunt ad eum arguendum; exiſtimabant enim ſuas virtutes elucere non potuiſſe, niſi diminutione operum, & virtutum Chriſti Domini. 67.45, 46

*Et ipſi obſeruabam eum.* Cum Phariſæi multa haberent delicta, ea tamen in ſe non videbant; ſed illa impiè in Chriſtum volebant coniicere. 49.82 & 155.103

*Ipſe verò interrogauit.* Interrogat Dominus de lege, cum ipſe omnium eſſet agnitor; nam perfecta charitas diſſimulat ſe ſcire, vt doceantur cæteri. 112.106

*Ipſi obſeruabant eum.* In præclaris Chriſti virtutibus occaſiones nolebant inuenire detrahendi. Ambitio enim maximè excæcat homines. 427.82, 83

*Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum.* Benè agnoſcebat Ieſus, quod Phariſæi murmurabant, quod ipſe curaret in Sabbatho; tamen tunc ſanat hominem, quia eximia charitas omnia vincit impedimenta, & omnia nihil ducit ob noſtram ſalutem. 574.20, 25

*Ipſe verò apprehenſum.* Preme illud verbum, *apprehenſum*, quod hîc apponitur ad explicandam collatam homini ſanitatem; quo etiam vſus eſt Paulus ad explanandum Incarnationis myſterium ad hominis vtilitatem, ille methodus eſt aſſumendus, quem cognoſcis fœlicem, & auſpicatum homini. 616.26, 27, 28

*Intendens, quo modo primos accubitos eligerent.* Superbus, ac ambitioſus à nulla alia creatura volunt ſuperari. 520.80

*Vt cum venerit, qui te inuitauit, dicat, amice aſcende ſuperius.* Exaltantur humiles, ſuperbi deprimuntur. 206. 69 & 233. 100 & 290. 143, 144

## *Dominica XVII. poſt Pentecoſten.*

### Matth. 22.

*INterrogauit vnus ex eis legis doctor, tentans eum.* Interrogat iſte inflatus ſuperbia, ſe multum ſcire fingens, & tamen parum capiebat. 261. 32, 33

*Interrogauit vnus ex eis legis doctor tentans eum.* Interrogat, non vt doceatur, nec vt emendetur, ſed tentans, nam magiſterij honore inflatus, emendari non vult. 71.67

*Interrogauit vnus ex eis.* Vt ait D. Chryſoſtomus homil. 42. *Vnus loquitur pro omnibus, & omnes loquuntur per vnum.* Iniqui inter ſe maximè cohærent, ac vniuntur tanquam vnus aduersùs iuſtum. 124.12, 13

*Magiſter, quod eſt mandatum magnum.* Magiſtrum vocat, & ſe maximè ſolicitum oſtendit de præceptorum obſeruatione primorum; & tamen dicitur, quod tentans eum acceſſerit, quia aliud habebat in ore, aliud in corde, quod eſt valde damnabile. 521. 89, 90 & 362. 50, 51, 52

*Magiſter, quod eſt mandatum magnum.* Doloſus. iſte Chriſtum magiſtri nomine honorat, non vt extollat, ſed vt inde habeat occaſionem ipſum deprimendi. 520.80

*Magiſter, quod eſt mandatum magnum.* Iſte doctor erat, & ſcientia inflatus, & tamen Chriſtum magiſtrum vocat, & ab ipſo videtur velle addiſcere, quod ſit mandatum magnum in lege; ac proinde fert ſpeciem ſubiicientiæ Chriſto; ſed quomodò iſte præſumptuoſus hoc agit. Inimicus aliquando nocumento proprio ſe exponit, vt alteri magis noceat. 558. 11





*Ait illis Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum.* Videt Ieſus deprauatam hominis intentionem, & tamen non cum iracundia, ſed cum magna modeſtia reſpondet. Neceſſe eſt, vt bonus magiſter patientia inducatur. 305.243

*Diliges Dominum Deum tuum.* Diuinus magiſter non ſolùm ſincerè reſpondet quærentibus, ſed etiam cum dolo interrogantibus. Bonus præceptor omnibus ſe accommodet, & ſatisfaciat. 584.83, 84

*Diliges Dominum Deum tuum.* Non ait, quod dabimus Deo noſtro, ſed nos, noſtrum nempe amorem, quia Deus non noſtra, ſed nos vult. 273.41, 42. & 250.7, 8, 9. & 593. 30, 31, 79. De hoc verbo vide multa *Domin. XII.*

*In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet.* Simpliciter docet Chriſtus veritatem legis, redarguens falſos doctores, qui ſuis interpretationibus vniuerſam legem corrumpunt. 333.166, 167, 168

*Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt?* De ſe loquitur Chriſtus, occaſione vrgente; aliquando neceſſarium eſt, vt noſtras proferamus laudes. 162.138. & 110.261, 262

## *Dominica XVIII. poſt Pentecoſten,*

### Matt. 28.

*Aſcendit Ieſus in nauiculam.* Vide *cap.* 26.

## *Dominica XIX. poſt Pentecoſten.*

### Matt. 22.

*SImile eſt regnum cælorum homini Regi.* Prius dicitur homo, in quo naturæ clementia denotatur, quam rex vocetur, in quo rigor, & maieſtas exprimitur. Benignitas ante rigorem præmittenda. 280.83, 84, 85

*Simile eſt regnum cælorũ homini Regi.* Homo prius, Rex poſtea dicitur, nam in omni dignitate præexcelſus, prius ad naturæ vilitatem oculos coniiciat; quàm ad ſplendoris dignitatem. 539.14. & 591.13. & 93.172.277

*Mittit ſeruos ſuos.* Sub ſeruorum nomine Apoſtoli intelliguntur, & cur alto nomine non condecorantur? Nihil gratius iuſtis, quàm Deo ſeruire. 189. 270. Deinde quia nihil ſic competit diſcipulis, quàm ſeruire magiſtro. 187.263

*Vocare inuitatos, & noluerunt venire.* Cur hîc non exprimitur, quod ſerui miſſi ad vocandum inuitatos, Domini mandatum exequuti ſunt. 252.93. & 538.9, & 252.94

*At illi noluerunt venire.* Valde tardus eſt homo in negotio ſuæ ſalutis. 84.125

*Miſit alios ſeruos dicere inuitatis, vt venirent.* Vult Deus, vt in negotio ſuæ ſalutis, homo veniat, & ſit cooperator, quod ſanè eſt magna hominis dignitas. 249.77

*Miſit alios ſeruos dicere inuitatis, vt venirent.* Habebat Rex multos ſeruos, & in domo ſua aſſiſtentes, & tamen vocat alios abſentès, quia bonus Rex prouidet omnibus, tam abſentibus, quàm præſentibus. 204.57, 58

*Noluerunt venire.* Iniqui ſerui ob temporalia omittunt æterna, cum omnia temporalia ſint relinquenda ob ſpiritualia, & vt ad cælum aſcendamus. ...46, 47, 48. & 584.85, 86

*Iratus Rex perdidit homicidas illos.* Cum regij animi ſit condonare delicta, quare Rex iſte his perpercit homicidis; In Principe ſit benignitas, & rigor prout occaſio poſtulat, ne benignitas ipſa ſit ruinæ occaſio. 37.28, 45

*Ciuitatem illorum ſuccendit.* Et quodnam erat crimen in ciuitate ad tam rigidam pœnam? Ita diuinum determinauit iudicium, quia omnia, quæ peccato inſeruierunt, extinguenda, ac fugienda ſunt. 467.22, 23

*Quoſcunque inueneritis, vocate.* Vocare iubet, & non compellere; nam Deus ſolùm vult obſequium ſpontaneum. 585.88

*Ligatis manibus, ac pedibus.* Cur benignus Rex pro aliquo paruo tempore cum iſto homine non diſſimulat? Quia cum non haberet veſtem nuptialem interiorem, ſe fingebat illam habere; & ideo hunc ſimulatorem nec ad punctum temporis patitur Deus. 414, 13, 14

## *Dominica XX. poſt Pentecoſten.*

### Ioan. 4.

*Erat quidam regulus.* Vide *cap.* 6.

## *Dominica XXI. poſt Pentecoſten.*

### Matth. 18.

*SImile eſt regnum cælorum homini regi.* Bene comparatur homini regi, ſiquidem benignitate humanitatis allicit ad virtutes; & regali poteſtate, qua ſupplicia minatur, à peccatis deterret. 275.53, 54, 55, 56

*Voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.* Vt ſecundum vniuſcuiuſque merita præmia diſtribueret. 301.224, 232

*Oblatus eſt vnus qui debebat decem talenta.* Iſte, qui tot debitis erat onuſtus, non ſpontè venit, ſed oblatus, & veluti coactus; nam delinquenti magnum tormentum eſt præſentia iudicis. 119.305, 306. & 561.37, 38

*Iuſſit eum Dominus venundari, & vxorem, & filios.* Quare Dominus cum tanto rigore procedit, vt iubeat debitorem, filios, & vxorem ipſius venundari. Reſpondet Chryſoſt. homil. 62. *Hoc non ex crudelitate iuſſit, ſed ex ineffabili affectione, vult enim eum tenere per has minas, vt ſupplicet, & non venundatur.* Ita Deus rigidè agit cum illo, vt timore repleatur; nam timor frequenter nos trahit, & ad Deum conuertit. 549.73, 74, 75

*Iuſſit eum Dominus venundari, & vxorem, & filios.* cum tanto rigore cum eo agitur, vt ſupplicet, & non venundatur, vt ait proximè citatus Chryſoſt. 490.37, 38, 39. & 542.32

*Procidens ſeruus ille orabat, dicens: Patientiam habe in me.* Animus iratus, humilitate emollitur. ac vincitur. 223.45, 46

*Miſertus Dominus eius.* Seruus iſte plenus erat delictis, ex Domini verò benignitate multam aſſequitur miſericordiam; nam homo ex ſe habet miſeriam; ex gratia verò Dei, multa bona. 578.47, 48, 49

*Dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Rogabat ſeruus ſolùm, vt patientiam haberet in eum; at Dominus non ſolùm illam præſtitit, ſed etiam omne debitum dimiſit; ſemper enim Deus plus dat, quàm petimus. 206.71, 119. & 493.52, 53 & 580.58

*Egreſſus autem ſeruus ille , inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei, &c. & tenens ſuffocabat eum.* Conſidera domini ingenium , & ſeruorum etiam. Dominus faciliter grande debitum condonat ; ſeruus verò ad nihil aliud attendit , quàm ad damnandum , & vexandum. 116.293,294,295

*Suffocabat eum.* Multa cum ſuperbia, & arrogantia,ideoque à Domino audiuit , *ſerue nequam.* Nam vbi primum ſeruus conditione vilis , ſe vidit Domini gratia ſublimatum,valde inſoleſcens,ac ſuperbus extitit. 333. 165. & 320. 94,95,96

### *Dominica XXII. poſt Pentecoſten.*

Matt. 22.

*PHariſæi conſilium inierunt , vt caperent Ieſum in ſermone.* Valde concordes ſunt iniqui , & facilimè contra iuſtum vniuntur. 124.12,13

*Vt caperent Ieſum in ſermone.* Blando verbo Ieſum capere tentant. Crudeles inimici , qui inſidiis pugnant. 469.31,32,34

*Mittunt diſcipulos ſuos.* Et cur ipſi non pergunt non enim audent coram Chriſto apparere; ſemper nequitia,& immunditia à Chriſti conſpectu fugit. 492 45,46

*Magiſter ſcimus quia verax es , & viam Dei in veritate doces.* Veniunt ad capiendum Dominum in ſermone,& hæc primò dicunt:Diaboli ingenium eſt,ſuam falſitatem vt ſeminet, eam cum aliqua veritate ſemper adiungere. 367.2

*Magiſter ſcimus, quia verax es.* Inimicorum ingenium, laudat aliquando, vt inde meliorem occaſionem captet ad perdendum. 520.80

*Magiſter ſcimus.* Volunt Magiſtri nomine Chriſtum pignerare ad reſpondendum. 69 57

*Non enim reſpicis perſonam hominum.* Quanuis iſti eſſent mendaces,in hoc tamen verè loquuntur. Deus enim non eſt acceptor perſonarum. 36. 21. Et hoc valde neceſſarium eſt in Principe, ac iudice. 479.89,90

*Licet cenſum dari Cæſari, an non?* Hoc eſt,ſunt ſoluenda tributa ? Hoc quærunt à Chriſto, occaſionem quærentes eum arguendi erga populum ; ſunt enim tributa populis valde odioſa. 603.92,93.Et omne gaudium à populis excludunt. 609.21

*Quid me tentatis hypocritæ ?* Multa vitia habebant Phariſæi,& inter omnia,peculiariter inuehitur Chriſtus in hypocriſim,tanquam vitium ſuper omnia deteſtabile. 395. 38,39,40.& 414. 12,13,14

*Cuius eſt hæc imago?* In illo denario nihil aliud requirit Dominus,niſi Cæſaris imaginem ; quia in auro,& argento,ac in cæteris bonis temporalibus nihil aliud habent Principes,niſi quandam imaginem,cum in eis nihil ſit ſolidum, ac firmum. 159.122,145,246

*Quæ ſunt Cæſaris Cæſari , quæ ſunt Dei Deo.* Deo peculiaris honos debitus , & tribuendus : qui inter ipſam diuinam maieſtatem,& humanam creaturam non eſt dimidiandus. 433.19,20. & 496.75

### *Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.*

Matth. 9.

*ECce Princeps vnus acceſſit , & adorabat eum* De hoc vide *cap.*49.

### *Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.*

Matth. 24.

*TVnc, qui in Iudæa ſunt,fugiant.* Ab occaſione peccati omnino fugiendum. 531. 54. Et peccatum etiam,quod pullulat ex conuerſatione iniquorum à ſua radice eſt amputandum. 518.72,73.& 582.74,75

*Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Vt homo habeat cœleſtia,fugiat terrena,& pro nihilo habeat ea. 274.46,47,48.& 399.57,58. & 531.58,59

*Tunc qui in Iudæa ſunt , fugiant ad montes.* Quomodo præcipit Chriſtus , vt homo omnia ſua bona relinquat ? Pro animæ ſalute omnia temporalia contemnenda. 469.36.37.38

*Et qui in tecto eſt , non deſcendat tollere aliquid de domo ſua.* Qui enim mundum ſemel reliquit, non iterum regrediatur ad quæ ſemel reliquit. 536.84,85,86

*Orate,vt non fiat fuga veſtra hyeme.* In tanta tribulatione iubet ad orationem confugere ; valde enim efficax eſt. 18.78.& 404.92.& 458. 45.& 557.6

*Erit tribulatio magna.* Sed quare Deus tantam tribulationem,& preſſuram permittet;Deus enim ſuos mediis laboribus ad cœleſtia ducit. 349. 69,70.& 448.98

*Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Propter iuſtos Deus multa bona concedit, 174.202, 203.& 318.78

*Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Habet Deus de ſuis electis magnam prouidentiam. 442.70,71,79

*Vbi fuerit corpus,ibi congregabuntur & aquilæ.* Per aquilas intelliguntur iuſti ; ſed quomodo poſt tot labores , ac perſecutiones iuſti dicuntur aquilæ,& non ſerui timidi. Virtus maximè probatur,& corroboratur perſecutione. 301.219, 220,236.& 308.8.& 149.71

*Vbi fuerit corpus,ibi congregabuntur & aquilæ.* Seu, vt eſt in Græco , vbi fuerit cadauer. Et cur in tanta gloria Chriſtus Dominus ſe appellat cadauer?quia gloria eius , ac maieſtas à cruce, & morte. 101.216.& 150.75.& 166.155,176. Vide multa de hoc in indice,verb. *Crux.*



# LOCA
## SACRÆ SCRIPTVRÆ,
## quæ hoc ſecundo Tomo explanantur.

## VETVS TESTAMENTVM.

### *Ex Geneſi.*

Cap.1. n.2. TEnebræ erant ſuper faciem abyſſi , & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. cap.1. num.114.

5 Factum eſt veſpere , & mane dies vnus. 3.2

9 Congregentur aquæ , quæ ſub cælo ſunt in locum vnum , & appareat arida. 19. 72.& 24.98.

11 Germinet terra herbam virentem , & facientem ſemen. 17.70.& 19.8 &11.98

12 Protulit terra herbam virentem , lignúmque faciens fructum , & habens vnumquodque ſementem iuxta genus ſuum. 3.235

14 Dixit Deus : Fiant duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei , & luminare minus,vt præeſſet nocti. 11.89, 98

20 Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. 3.90.& 11.98

22 Benedixitque Deus , dicens : Creſcite, & multiplicamini , replete aquas maris, aueſque multiplicentur. 8.75

25 Fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta , & omne reptile terræ. 17. 68,69

27 Factus eſt homo in animam viuentem. 3.7

2.1. Igitur perfecti ſunt cæli, & omnis ornatus eorum. 10.28

2 Requieuit ab vniuerſo opere, quod patrauerat. 5.87

6 Nondum Dominus pluerat ſuper terram. 6.103

7 Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. 3.7.96

17 In quacunque die comederitis,morte moriemini. 3.304

18 Non eſt bonum hominem eſſe ſolum , faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. 3.94

3.3. De fructu ligni,quod eſt in medio Paradiſi , præcepit nobis Deus , ne comederemus. 18.33

4 Nequaquam moriemini. 25.15

5 In quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri , & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. 5.263

7 Cùm audiſſent vocem Domini deambulantis ad auram poſt meridiem. 14.118. & 6.124

15 Inimicitias ponam inter te,& mulierem,& ſemen tuum,& ſemen illius, ipſa conteret caput tuum. 17.8 &2.51

16 Sub viri poteſtate eris. 24.64 & 16.6

17 Maledicta terra in opere tuo. 3.143.134

19 Puluis es,in puluerem reuerteris. 16.22, 27,28

24 Et collocauit ante Paradiſum Cherubim, & flammeum gladium. 2.33

4.2. Fuit Abel paſtor ouium,& Cain agricola. 10.105

3 Genuit ad imaginem , & ſimilitudinem ſuam, & vocauit nomen eius Seth. 11. 155

11 Nunc igitur maledictus eris ſuper terram. 3.134

14 Ecce eiicis me hodie à facie terræ, ero vagus,& profugus in terra. 4.64

23 Dixit Lamech vxoribus ſuis Adæ,& Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, occidi virum. 13.29

26 Iſte cœpit inuocare nomen Domini. 11. 157.& 3.5

5.22. Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit. 2.15

6.5. Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra , & cuncta cogitatio hominis intenta eſſet ad malum. 5. 258

11 Menſe ſecundo rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ , & cataractæ cæli apertæ ſunt. 17.64

8.2. Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait:Nequaquam vltra maledicam terræ. 6.10

20 Noë obtulit holocauſtum. 1.16

7.21 Nequaquam vltra maledicam terræ , propter homines ; ſenſus enim, & cogitatio mali cordis in malum prona ſunt. 11. 50

9.9. Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum , & cum ſemine veſtro poſt vos, quod non erunt vltra aquæ diluuij. 22. 24.

12 Hoc eſt ſignum fœderis quod do inter me & vos. 1.16

25 Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. 1.12

10.9. Nemrod robuſtus venator coram Domino,fuit autem principium eius Babylonia. 11.121

12.1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua,& de domo patris tui. 8.1.39

15 Sublata eſt mulier in domum Pharaonis. 24.45

17 Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis,& domum eius. 2.66

13.6. Non eos poterat capere terra, vt habitarent ſimul. 17.20

8 Ne quæſo ſit iurgium inter me,& te,& inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus, recede à me obſecro. 26.75

14 Dixit Dominus ad Abraham, poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot, leua oculos tuos, & omnem terram, quam conſpicis tibi dabo. 10.133

16 Faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ. 11.201

14.14.Numerauit vernaculos ſuos trecentos decem,& octo, & perſecutus eſt eos. 3.250

15.1. Ego merces tua magna nimis. 10.248

5 Numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum. 11.85

6 Credidit Abraham Deo. 1.137.& 6.53

10 Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, aues autem non diuiſit. 11.88

12 Horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum. 3.287.& 1.83

13 Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum. 3.286

18 In illa die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens, ſemini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vſque ad fluuium magnum Euphratem. 26.16

18.1. Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi in ipſo feruore diei. 5.94

3 Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis,ne tranſeas ſeruum tuum. 20.31

9 Dixit autem Dominus ad Abraham,quare riſit Sara. 16.6

19.1. Veneruntque duo Angeli Sodomam, quos cum vidiſſet Lot, ſurrexit, & iuit obuiam eis, & adorauit pronus in terram. 15.17

25 Subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem. 25.62

20.3. Venit Dominus nocte per ſomnium. 4.35,54

4 Et ait, Domine, num gentem ignorantem, & iuſtam interficies. 2.67

21.1. Viſitauit Dominus Saram ſicut promiſerat,concepit,peperitque filium in ſenectute ſua. 26.49

13 In Iſaac vocabitur tibi ſemen,ſed & filium ancillæ faciam in gentem magnam. 6.32

18 Aperuitque oculos eius Deus, qui videns puteum aquæ abiit, impleuit vtrem,deditque puero bibere. 3.221

22.1. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & offeres eum in holocauſtum. 3.268 & 5.96

10 Arripuit gladium, vt immolaret filium. 10.227

12 Non extendas manum ſuper puerum. 3.5.96.& 27.31

18 Quia feciſti hanc rem,& non peperciſti filio tuo Iſaac propter me, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. 3.287

22 Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti. 16.17

24.4 Puella,cui dixero : Inclina hydriam tuam, vt bibam,& illa reſponderit, bibe, quin & camelis potum dabo. 11.84.& 29.27

5 Si mulier noluerit venire mecum. 1.70

17 Quin & camelis tuis aquam dabo. 5.107

28 Cucurrit itaque puella,& nuntiauit in domum matris ſuæ. 5.243

33 Non comedam, donec loquar cunctos ſermones meos. 5.264

25.6. Filiis concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac, dum adhuc ipſe viueret. 8.139.& 16.41

26.7. Cùm interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit, ſoror mea eſt. 29.28

15 Inuidentes ei Palæſtini omnes puteos, quos foderunt ſerui patris illius Abraham, obſtruxerant implentes humo. 14.70

27.1. Senuit Iſaac, & caligauerunt oculi eius. 10.203

3 Sume arma tua,& egredere foras, cúmque aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum. 17.49

13 In me ſit iſta maledictio fili mi, audi tantum vocem meam. 10.64

27 Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.5.128.& 10.156.& 11.152 & 16.29

37 Dominum tuum illum conſtitui,& omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui. 17.18

28.22.Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram,& cacumen illius tangens cælos,& Dominum innixum ſcalæ. 10.47,119 & 17.71

17 Verè Dominus eſt in loco iſto. 15.31

18 Pauenſque Iacob, quam terribilis eſt, inquit,locus iſte. 7.14

29.10.Quam cum vidiſſet Iacob,& ſciret conſobrinam ſuam, amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege oſculatus eſt eam. 6.17

27 Imple hebdomadam dierum huius,& hanc quoque dabo tibi. 1.5

31 Dominus aperuit vuluam eius,ſterili ſorore permanente. 6.33,47

30.8. Comparauit me Dominus cum ſorore mea,& inualui. 3.42

31.36.Tumens Iacob cum iurgio, ait, quam ob cauſam meam, & ob quod peccatum meum exarſiſti in me, & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam. 3.307

37 Quid



37 Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia tua, pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis. 13.74

39 Arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi,ego damnum omne reddebam tibi. 5.73

32.1. Fuerunt ei obuiam Angeli Dei,quos cum vidiſſet, dixit, caſtra Dei ſunt hæc. 14.55

5 Habeo boues,& Aſinos,& oues,& ſeruos, & ancillas, mittoque nunc legationem ad Dominum meum vt inueniam gratiam. 5.134

24 Ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. 7.14.& 8.109.

26 Dimitte me,iam enim aſcendit aurora. 22.62

28 Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum,ſed Iſraël, & tetigit neruum femoris eius. 11.47

30 Qui benedixit ei in eodem loco. 10.156

33.19.Centum agnis à filiis Hemor patris Sichem. 5.36

20 Erexitque altare, & inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël. 5.38

34.2. Adamauit eam,& rapuit,& dormiuit cum illa vi opprimens virginem. ibid.

35.8. Mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ,& ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum,vocatumque eſt nomen loci illius quercus fletus. 12.15

24 Dictum eſt, maior ſeruiet minori. 12.53

26 Hi ſunt filij Iacob,qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ. 11.120

35 Appellauit Benjamin,id eſt,filium dextræ. 16.25

37.1. Hæ ſunt generationes Iacob, Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum. 14.69

2 Iacob diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos. 12.3.298.& 12.26.

3 Accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. 2.17

7 Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum. 27.32

11 Oderant eum fratres ſui,& inuidebant ei. 10.80.

32 Tulerunt tunicam eius,& in ſanguine hædi tinxerunt eam,mittentes,qui ferrent ad patrem. 19.18

35 Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent patris dolorem, noluit conſolationem accipere. 3.218

38.20.Miſit Iudas hædum per paſtorem Odollamitidem. 2.121

25 Miſit ad ſocrum ſuum dicens de viro, cuius hæc ſunt, concepi, cognoſce cuius ſint, annulus, armilla, & baculus. 3.95

26 Qui agnitis muneribus, ait, iuſtior eſt me. 10.176

29 Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero, atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum. 6.73

40.19.Suſpendet te in cruce. 3.206



41.1. Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium. 24.62

39 Quia Deus oſtendit tibi omnia,quæ locutus es, nunquid ſapientiorem & conſimilem tui inuenire potero. 8.51

42.9. Quaſi ad alienos durius loquebatur,& ait ad eos,exploratores eſtis. 5.65

36 Abſque liberis me eſſe feciſtis,Ioſeph non eſt ſuper, Simon tenetur in vinculis, Beniamin aufertis. 29.13

37 Duos filios meos interfice ſi non reduxero eum tibi. 7.50

43.8. Mitte puerum vt proficiſcamur, & poſſimus viuere,ne moriamur nos,& paruuli noſtri. ibid.

26 Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera tenentes in manibus ſuis,& adorauerunt eum proni in terram. 12.69

32 Illicitum eſt Ægyptios comedere cum Hebræis. 5.104

34 Biberunt,& inebriati ſunt. 1.124

45.4. Ego ſum frater veſter Ioſeph. 10

26 Quo audito quaſi de graui ſomno euigilans,tamen non credebat eis. 3.279

46.27.Omnes animæ domus Iacob,quæ ingreſſæ ſunt. 3.11

48.10.Oculi Iſraël caligabant præ nimia ſenectute, & videre non poterat. 10.203

22 Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio,& arcu meo. 3.2.& 5.44

49.1. Congregamini, vt annuntiem quæ ventura ſunt vobis, in diebus nouiſſimis. 8.17.& 3.144

20 Panis pinguis præbens delicias regibus 6,39

24 Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum eius, & manuum illius per manus potentis Iacob. 19.99

25 Vidit requiem,quod eſſet bona, & ſuppoſuit humerum ſuum. 10.224

50.1. Ioſeph irruit ſuper faciem eius, & plorans deoſculatus eſt eum. 23.60

16 Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur vt hæc verbis illius tibi diceremus:obſecro obliuiſcaris ſcelerum fratrum tuorum. 14.104

## *Ex Exodo.*

Cap.1. n.5. OMnes animæ, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, ſeptuaginta. 3.11

10 Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicentur, & ſi ingruerit contra nos bellum,ne addatur inimicis noſtris. 8.74

17 Timuerunt obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis. 5.202

2.10, Vocauit nomen eius Moyſen, dicens;quia de aqua tuli eum. 3.13

11 Cùm videret Ægyptium facientem iniuriam Hebræo interfecit. 7.116

 12 Mor

12 Mortuum Ægyptum abſcondit ſabulo. 11.28.& 23.68
16 Venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui, & ſuperuenerunt paſtores. 56
3. 1. Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti. 5.219
2 Apparuit ei Dominus de flamma ignis, de medio rubi. 1.160.& 16.93.& 17.5
3 Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. 3.46
5 Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis. 1.30
4. 3. Quid eſt, quod tenes in manu tua? Reſpondit: Virga, dixítque ei Dominus: Proiice eam in terram, proiecit, & verſa eſt in colubrum. 24.112
10 Non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius, ex quo cœpiſti loqui ad ſeruum tuum. 5.109.& 7.12
15 Oſtendens quid agere debeatis. 3.210
18 Abiit Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum, & dixit ei, Vadam & reuertar ad fratres meos. 20.22.& 23.62
20 Tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, & reuerſus eſt in Ægyptum. 22.14
31 Audiens populus adorauit Dominum. 2.115
7. 1. Dixit Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus. 3.29.& 5.13.& 8.39.& 10.134.& 64.11.102.& 22.23
2 Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem. 10.64 & 13.29
5 Et ſcient Ægyptij, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum. 22.82
10 Tulit itaque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. 2.47
19 Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & ſuper riuos. 22.93
22 Induratum eſt cor Pharaonis, & non vult dimittere populum. 2.115.& 27.8
8. 9. Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi tempus quando deprecer pro te. 14.77
19 Dixerũt malefici: Digitus Dei eſt hic. 3.23
24 Venit muſca grauiſſima, in domos Pharaonis, & ſeruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corrupta eſt terra ab huiuſmodi muſcis. 5.57
9. 2. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi. 19.88
29 Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua. 5.218
10. 1. Dixit Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem; ego enim induraui cor eius, vt faciam ſigna mea hæc in eo. 11.62
17 Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos; ſed nunc dimitte peccatum mihi hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum. 16.17.& 22.72
26 Cuncti greges pergant nobiſcum, nec vngula remanebit. 3.266.& 11.184
11. 1. Adhuc plaga vna tangam Pharaonem, & poſt hæc dimittet vos, & ire compellet media nocte. 16.74
12. 6. Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël. 5.42
9 Caput cum inteſtinis vorabitis. 7.108
13 Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo. 3.122
21 Vocauit Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſraël. 1.12
13. 4. Hodie egrediemini in menſe nouarum frugum. 10.152
7 Azyma comedetis ſeptem diebus, & non apparebit apud te aliquid fermentatum. 16.90
21 Dominus præcedet ad oſtendendam viam. 3.210
14. 10. Viderunt poſt ſe Ægyptios, & timuerunt valde. 5.66
11 Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos, vt moriamur in ſolitudine. 20.53
21 Diuiſæ ſunt aquæ huc & illuc. 7.63
22 Ingreſſi filij Iſraël per medium ſicci maris, erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læua. 24.113.& 3.129
31 Viderunt Ægyptios mortuos ſuper litus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos, timuitque populus Dominum. 17.15
15. 1. Cantemus Domino, glorioſè enim equum & aſcenſorem deiecit in mare. 4.15.& 23.39
2 Fortitudo, & laus mea Dominus factus eſt mihi in ſalutem. 3.257.263
3 Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen eius. 3.6
9 Dixit inimicus, perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea. 10.239.& 14.24.& 17.5
25 Clamauit Moyſes ad Dominum, & oſtendit ei lignum. 3.193.& 7.39
16. 4. Ecce ego pluam vobis panes de cælo, & egrediatur populus & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies. 5.147
16 Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus: colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum. 1.44
20 Nam qui dimiſerunt vſque manè, ſcatere cœpit, & computruit. 1.102
17. 1. Profecta omnis multitudo filiorum Iſraël de deſerto Sin per manſiones ſuas caſtrametati ſunt in Raphidim. 15.87
12 Manus Moyſis erant graues: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte. 1.97
18. 21. Prouide de omni plebe viros ſapientes. & timentes Deum in quibus ſit veritas, qui oderint auaritiam. 3.273
25 Septuaginta viros de cuncto Iſraël. 3.16
19. 4. Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum: ſi ergo audieritis vocem meam. 3.295.& 10.83.

5 Eritis



5. Eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea eſt enim omnis terra. 10.83.& 2.33
12. Nullus accedat ad montem ne fortè moriatur. 10.45
16. Timuitque populus qui erat in caſtris. 24 74
18. Totus mons fumabat eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, eratque mons omnis terribilis. 24.28
24. Sacerdotes autem, & populus non tranſeant terminos. 10.29
20. 3. Non facies tibi ſculptile, nec adorabis ea. 12.76
12. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. 8.133.& 10.53
22. 21. Aduenam non contriſtabis. 3.218
23. 4. Si videris aſinum odientis te iacentem ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis. 14.8
14. Tribus vicibus aſcendes in anno. 2.10
22. Inimicus ero inimicis tuis. 14.4
25. 4. Inſpice, & fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. 1.117
7. Quorum vſus eſt in miniſterio Sanctuarij, veſtes Aron Pontificis, ac filiorum eius. 11.91
31. 18. Dedítque Dominus Moyſi completis huiuſmodi ſermonibus in monte Sinaï duas tabulas teſtamenti lapideas. 6.95
32. 1. Videns autem populus, quod moram faceret Moyſes deſcendendi de monte, congregatus aduerſùs Aaron dixit, fac nobis Deos. 3.3.& 6.95
21. Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximum. 3.64
22. Tu noſti populum iſtum quod pronus ſit ad malum, dixeruntque mihi, fac nobis Deos. 2.31
23. Recordare Abraham, Iſaac, & Iacob. 3.235
25. Arripiens Moyſes vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem. 19.22
33. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo. 3.249 & 11.42 & 14.30
33. 12. Noui te ex nomine. 5.234 & 6.2
13. Oſtende mihi faciem tuam. 10.52 & 14.30
37. 23. Et ſeptem lucernas pones. 3.63

## *Ex Leuitico.*

Cap. 4. n. 2. SI omnis turba Iſraël ignorauerit, & per ignorantiam fecerit; ſi autem Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit delinquere faciens populum. 2.30
18. 16. Non diſcooperies turpitudinem fratris tui. 4.7
19. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum: non quæras vltionem. 14.8
18. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum; ſed diliges amicum tuum. 12.2 & 13.57 & 14.8 & 2
23. 15. Numerabitis ergo ab altero die Sabbati in quo obtuliſti manipulum primitiarum. 5.277
24. 19. Qui irrogauerit maculam ciuium ſuorum ſicut fecit, ſic fiat ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo. 13.56
23. A veſpera vſque in veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. 22.54
16. 1. Non facies ſculptile. 3.184
36. Et qui de vobis remanſerit, dabo pauorem in cordibus eorum. 2.55

## *Ex Numeris.*

Cap. 3. SAcerdos immolabit. 5.32
n. 10. 7. 18. Primus obtulit Nathanael filius Suar Dux de Tribu Iſſachar. 1.12
10. 4. Si ſemel elangueris, venient ad te principes. 15.14
11. 8. Erat autem Man quaſi ſemen coriandri coloris bdellij, circuibatque populus & colligens illud frangebat mola. 1.117
12. Nunquid ego genui hanc multitudinem, vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum. 3.210 & 8.39
13. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi, ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me. 16.9 & 71
12. 4 Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. 24.20
14 Separetur Maria. 5.115
14. 18. Magnificetur fortitudo tua Domine, ſicut iuraſti dicens, Dominus patiens, & multæ miſericordiæ. 11.14
30. Non introibis in terram ſuper quam leuaui manum meam. 12.29
15. 4. Offert quicunque immolauerit victimam ſacrificium ſimilæ. 2.17
16. 30. In hoc ſcietis quod Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa, quæ cernitis: ſi conſueta hominum morte interierint, non miſit me Dominus. 18.18
31. Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & deuorauit illos cum tabernaculis ſuis. 4.26
47 Quod cum feciſſet Aaron & cucurrerit ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama. 14.16
18. Salis pactum eſt ſempiternum coram Domino. 11.198
20. 10. Audite rebelles, & increduli, non de petra hac. 17.92
17. Non declinabitis ad dexteram, nec ad ſiniſtram. 13.62
28. Spoliauit ſe Aaron veſtibus ſuis, & induit Eleazarum. 12.31
21. 8. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. 3.184
24. Pugnauit in ore gladij. 11.198
22. 5. Miſit rex nuntios ad Balaam. 4.30
7. Perrexerunt ſeniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus. 16.84
23. 16. Cùm Dominus poſuiſſet verbum in ore eius. 10.110
24. 3. Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſer-

 monum

monum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt. 16.84
25. 8. Ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul. 4.32, 53 & 2.78
17. Hoſtes vos ſentiant Madianitæ. 14.3
26.62. Filij Leui viginti tria. 3.29
33. 3. Profecti ergo ſunt de Ramaſſe filij Iſraël in manu excelſa videntibus cunctis Ægyptiis, & ſepelientibus primogenitos. 16.77

## *Ex Deuteronomio.*

Cap. 4. n. 24. Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt. 5.221. & 7.107
7. 2, Non inibis cum eis fœdus, & non miſereberis earum. 5.104, 113
10. 12. Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum. 7.109
12. 6. Offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras. 5.194
13. Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris. 5.193
14. 24. Cum autem longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, non poteris ad eum hæc cuncta portare. 2.21
16. 16. Tribus vicibus aſcendes. 2.20
17. 14. Et dixeris: Conſtituam ſuper me regem ſicut habent omnes per circuitum nationes. 2.20
18. 13. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. 5.183, & 14.108
22. 6. Non facies cum eis pacem, ne quæras eis bona. 14.4
23. 2. Non introibunt in Eccleſiam Dei. 12.30
24. 5. Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedat ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis publicæ iniungatur. 28.21
25. 5. Vt ſuſcitet ſemen fratris ſui. 3.7
29. Delebis nomen eius ſub cælo, caue ne obliuiſcaris. 14.4
27. 7. Et dicet omnis populus fiat, fiat. 3.59
12. Hi ſtabunt ſuper montem Garizim ad benedicendum populo. 5.194
28. 22. Percutiet te Dominus egeſtate, & febri. 26.57
65. Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore. 2.55
32. 6. Hæccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens. 12.52
11. Et cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, & ſicut Aquila expandens alas ſuas, & aſſumpſit eum. 3.210
33. 3. Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius. 3.30 & 7.1
9. Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum. 15.59
17. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis, cornua illius, in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos. 2.28. & 3.160
24. 7. Nec caligauit oculus eius, 10.203

## *Ex Ioſue.*

Cap. 3. n. 19. Per arentem alueum tranſiuit Iſraël. 7.63
4. 6. Quando interrogauerint vos filij veſtri, dicentes, quid ſibi volunt iſti lapides. 11.62
5. 13. Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis. 20.14
6. 20. Interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. 3.293
8. 29. Regem quoque eius ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam, & Solis occaſum. 3.206
10. 13. Sol, & Luna ſteterunt. 2.99
22. Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque reges, qui ibi latitant, percuſſitque Ioſue, & interfecit eos. 22.43
11. 6. Ne timeas eos, cras enim hac eadem hora tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu tuo. 6.115
19. 49. Dederantque filij Iſraël poſſeſſionem Ioſue filio Nun in medio ſui. 10.101
20. 9. Hæ ciuitates conſtitutæ ſunt cunctis filiis Iſraël, vt fugeret ad eas, qui animam neſcius percuſſiſſet. 5.38
22. 24. Cras dicent filij veſtri filiis noſtris. 17.95
24. 12. Eieci eos de locis ſuis duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec arcu tuo. 11.198
32. Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerunt filij Iſraël de Ægypto ſepelierunt in Sichem in parte agri quam emerat Iacob à filiis Hemor. 5.36, 38

## *Ex libro Iudicum.*

Cap. 2. n. 11. Fecerunt filij Iſraël malum coram Domino. 11.191
3. 15. Aod vtraque manu pro dextera vtebatur. 13.63
4. 4. Erat autem Debora Prophetis vxor Lapidoth, quæ miſit & vocauit Barac, dixitque ad eum. 1.73
5. 11. Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur iuſtitiæ Domini. 26.5
6. 17. Dominus tecum virorum fortiſſime: Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt: quomodo inuenerunt nos hæc mala. 27.73
37. Si per manum meam ſaluum facis Iſraël, vt locutus es, ponã hoc vellus lanæ. 6.53
9. 8. Ierunt ligna vt vngerent ſibi regem, & dixerunt omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera ſuper nos, quæ reſpondit. 17.9
45. Ipſaque deſtructa, ita vt ſal in ea diſpergeret. 5.37. & 11.35
10. 13. Inuocate Deos veſtros. 5.171
11. 35. Aperui os meum ad Dominum. 10.59
13. 6. Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum, terribilis nimis. 2.55
22. Moriemur, quia vidimus Dominum. 7.98
23. Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſta, & libamina non ſuſcepiſſet. 24.60

16.17.



16. 17. Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ, ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea. 16.44
19 Dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput eius: vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius. 3.123. & 4.32
30 Multo plures interfecit moriens, quam antea viuus occiderat. 22.58
20. 37. Beniamin terga cedentibus daret, ingreſſi ſunt ciuitatem, & percuſſerunt eam in ore gladij. 4.32

## *Ex Ruth.*

Cap. 1. n. 4. Acceperunt vxores Moabitides, quarum vna vocabatur Orpha, altera verò Ruth. 1.15
11. 6. De veſtris quoque manipulis proiicite de induſtria, & remanere permittite, vt abſque rubore colligat. 15.17
4. 22. Obed genuit Iſai. 20.96

## *Ex 1. Regum.*

Cap. 1. n. 6. Affligebat eam æmula eius vehementer, in tantum vt exprobraret, quod Dominus concluſiſſet vuluam eius. 14.46
13 Tantum labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. 15.45
2. 1. Exultauit cor meum in Domino, & dilatatum os meum in Deo ſalutari meo. 15.76
8 Suſcitat de puluere egenum. 10.91
16 Dicebat puer Sacerdotis, nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 11.165
17 Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à ſacrificio. 11.191
28 Filios tuos honoraſti pluſquam me. 5.5
30 Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 2.26
31 Præſcindam brachium tuum, & brachium domus tuæ. 2.52
34 Hoc erit ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tui Ophni, & Phinees, in vno die morientur ambo. 4.31
3. 2. Oculi eius caligabant, nec poterat videre. 16.82
5. 6. Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos. 2.35
7. 16. Ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & iudicabat Iſraëlem in ſupradictis locis. 9.7
8. 7. Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 20.20
11 Hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, & faciet ſibi equites, & præcurſores. 4.57
9. 21. Nunquid non filius Iemini ego ſum de minima tribu Iſraël, & cognatio mea nouiſſima. 6.74
22 Introduxit eos in triclinium. 1.119
27 Samuel dixit Saul, dic puero, vt antecedat nos & tranſeat, tu autem ſubſiſte pauliſper, vt indicem tibi verbum Domini. 2.31. & 11.127
10. 1. Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem. 3.117
6 Mutaberis in virum alterum. 11.38
27 Filij verò Belial dixerunt, num ſaluare nos poterit iſte, & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera, ille vero diſſimulabat ſe audire. 3.58
11. 5. Quid habet populus, quid plorat, & narrauerunt ei verba Iabes. ibid.
11. In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrûm oculos dextros. 5.189. & 7.7, 17
14 Eamus in Galgala, & inuocemus ibi regem. 3.136
12. 3. Vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem. 5.138. & 16.82. & 26.106. & 27.95
18 Dedit Dominus voces, & pluuias in die illa. 14.56
23 Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vobis. 14.44
25 Quod ſi perſeueraueritis in malitia, & vos, & Rex veſter pariter peribitis. 2.71
13. 5. Philiſthiim congregati ſunt ad præliandum contra Iſraël triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus ſicut arena, quæ eſt in littore maris. 16.32
11 Locutus eſt ad eum Samuel, quid feciſti. 3.64
13 Stultè egiſti nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui. 3.136
14 Quæſiuit Dominus iuxta cor ſuum. 8.66
14. 18. Applica arcam Domini, erat ibi arca Domini. 7.100
47 Saul confirmato regno ſuper Iſraël pugnabat aduersùs inimicos ſuos. 10.177
15. 2. Recenſui quæcunque fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cum aſcenderet de Ægypto, nunc ergo vade. 19.31
3 Vade, percute Amalec, & demolire vniuerſa eius, & non concupiſcas ex rebus eius aliquid. 6.74
17 Cum paruulus eſſes, in oculis tuis caput in tribubus Iſraël factus es. 6.74
16. 7. Homo videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor. 2.122
11 Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. 27.78
12 Mitte, & adduc eum, non enim diſcumbemus, prius quam huc ille veniat. 5.264
13 Vnxit eum in medio fratrum ſuorum. 11.127
14 Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam. 22.66
17. 40. Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit quinque limpidiſſimos lapides de torrente. 25.52
50 Cumque gladium non haberet, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum. 25.50
18. 21. Dabo eam ei vt fiat illi in ſcandalum. 10.76

19.5. Ne

19.5. Ne pecces Rex in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius ſunt tibi valde bona. 6.42
20.15.Si vixero,facies mihi miſericordias,ſi vero mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuam à domo mea. 19.46
30 Iratus aduersùs Ionatham dixit ei: Nunquid ignoro, quia diligis filium Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem matris tuæ. 6.42
24.11.Cogitaui, vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. 16.24.89
13 Iudicet Dominus inter me,& te. 19.6
26.7. Inuenit Dauid Saul iacentem,& dormientem in tentorio. 16.23.& 24
27.1. Ait in corde ſuo Dauid, aliquando incidam vna die in manus Saul, nonne melius eſt, vt effugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum. 5.22


## *Ex 2. Regum.*


Cap.1. n.9. LOcutus eſt Saul mihi, ſta ſuper me, & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ, ſtans ſuper eum occidi eum. 19.27
20 Nolite nuntiare in Geth, neque annuntietis in campis Aſcalonis. 5.186
24 Filiæ Iſraël ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delitiis, qui præparabat ornamenta aurea cultui veſtro. 10.42
6.12. Habitauit arca Domini in domo Obededon tribus menſibus,& benedixit Dominus Obededon,& omnem domum eius. 7.81
7.8. Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes Dux ſuper populum meum Iſraël. 8.40
11.6. Miſit autem Dauid ad Ioab dicens, mittite ad me Vriam Hethæum. 4.56
17. Et Vrias mortuus eſt. 4.32
12.1. Cum veniſſet ad eum, dixit ei: duo viri erant in ciuitate vna. 4.35,54
8 Ego erui te de manu Saul, & dedit tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in ſinu tuo. 8.40
11 Tollam vxores tuas in oculis tuis,& dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. 18.2
12 Tu feciſti abſconditè: ego aute faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël. 3.312
14 Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti nomen Domini. 15.71
13.22.Non eſt locutus Abſalon ad Amnon, nec bonum,nec malum. 14.23
29 Fecerunt ergo pueri Abſalon aduersùs Amnon, ſicut præceperat eis Abſalon. 4.32
30 Fama peruenit ad regem,dicens: Percuſſit Abſalon omnes filios regis, nec remanſit ex eis ſaltem vnus. 5.4
14.19.Seruus tuus Ioab,ipſe poſuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 10.64
15.25.Reporta arcam Dei in vrbem. 7.100
16.10.Quid mihi,& vobis filij Saruiæ, dimittite eum. 1.59
18.5. Seruate mihi puerum Abſalon. 14.17
23 Achimas cucurrit ad Dauid portans nuntium. 6.98
19.12.Fratres mei vos, & os meum, & caro mea. 10.96
22 Ergo ne hodie interficietur vir in Iſraël? an ignoro me hodie factum regem. 10.244.& 3.293
21.1. Propter Saul, & domum eius ſanguinum qui occidit Gabaonitas. 16.15
24.10.Percuſſit autem cor Dauid eum,poſtquam numeratus eſt populus, & dixit Dauid ad Dominum, peccaui valde. 22.43
15 Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël de mane vſque ad tempus conſtitutum. 5.93
17 Dixit Dauid ad Dominum, Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi. 27.16.& 3.248


## *Ex 3. Regum.*


Cap.2. n.25. MIſit Rex Salomon per manum Banaiæ, qui interfecit eum, & mortuus eſt. 19.44
6.9. Ædificauit Rex Salomon domum, & conſummauit eam. 5.5
37 Quarto anno regni eius, inchoatum eſt templum. 2.107
8.39. Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum. 2.122.
10.4. Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat,& habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium,non habebat vltra ſpiritum. 1.86.& 11.141
11.1. Salomon adamauit mulieres alienigenas, 4.32
12.3 Venit Ieroboam,& omnis multitudo Iſraël, & locuti ſunt ad Roboam. 19.46
11 Pater meus cecidit vos flagellis,ego autem cædam vos ſcorpionibus. 10.131.& 14.36
25 Ædificauit autem Ieroboam Sichem, in monte Ephraim. 5.37
14.4. Dixit Ieroboam vxori ſuæ, ſurge & vade in Silo, vbi eſt Ahias Propheta, qui locutus eſt mihi, quod regnaturus eſſem ſuper populum hunc. 22.27
17.1. Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto. 10.54
3 Recede hinc, & vade contra Orientem, abſcondere in torrente Carith,& ibi de torrente bibes. 7.40.& 22,18
12 Viuit Dominus Deus tuus,quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria. 8.103
13 Vade & fac, ſicut dixiſti: veruntamen mihi primum fac de ipſa farinula, ſubcineritium panem paruulum. 7.49. & 10.54
18 Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur omnes iniquitates meæ, & interficeres filium meum. 7.97.& 1.59
18.13.Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo,quid fecerim,cum interficeret Iezabel Prophetas Domini,quod abſconderim è prophetis Domini centum viros. 10.180.& 3.35
44 In ſeptima autem vice,ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. 14.78







9.1. Nunciauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidiſſet omnes Prophetas. 6.43
3. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas. 4.53
4. Cumque veniſſet, & ſederet ſuper vnam iuniperum petiuit animæ ſuæ,vt moreretur. 16.51
7. Surge,comede,grandis reſtat via. 3.119
8. Ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus,& quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Oreb. 5.146,266
11.Egredere,& ſta coram Domino. 16.56
14.Zelatus ſum pro Domino Deo exercituum,quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël. 1.54 & 2.78
16.Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula vnges Prophetam pro te. 10.36 & 12.31
18.Derelinquam mihi ſeptem millia virorum,quorum genua non ſunt incuruata ante Baal. 3.35
20. Qui ſtatim relictis bobus currit poſt Eliam, & ait: Oſculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. 7.94 & 23.59 & 8.94
21.Tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo,& comederunt. 23.59 & 27.71
22.8. Odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum. 4.70


## *Ex 4. Regum.*


Cap.1. n.9. HOmo Dei rex præcepit, vt deſcendas. 2.42 & 5.223
10.Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo,& deuoret te,& quinquaginta tuos. 10.58
13.Noli vir Dei, deſpicere animam meam. ibid.180
2.3. Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te hodie. 24.13
9. Obſecro,vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. 10.76
11.Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrunque, & aſcendit Elias in cælum. 17.84
12.Pater mi,pater mi, currus Iſraël, & auriga eius. 10.127
14.Et diuiſæ ſunt aquæ huc, atque illuc, & tranſiit Eliſæus. 7.63
20.Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal,& egreſſus ad fontes aquarum. 3.193
21.Miſit in illud ſal, & ait, hæc dicit Dominus,ſanaui aquas has. 11.35
3.17.Bibetis vos, & familiæ veſtræ, atque iumenta veſtra. 24.101
4.3. Vade,pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca. 5.246
29.Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo,non ſalutes eum.7.97. & 10.197 & 12.30 & 19.26 & 20.10 & 26.13
34.Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum & poſuit os ſuum ſuper os eius,& oculos ſuos, ſuper oculos eius, & calefacta eſt caro pueri. 26.61
36.Quæ ingreſſa eſt, ad eum, & ait: Tolle filium tuum. 7.68
5.10.Vade,& lauare ſepties in Iordane,& recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. 6.79 & 88
11.Putabam, quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Dei ſui ſuper me,& tangeret manu ſua locum lepræ. 6.59
25.Qui reſpondit, non iuit ſeruus tuus quoquam. 19.84
27.Lepra Naaman adhæreat tibi, & ſemini tuo, vſque in ſempiternum. 5.115
6.1. Ecce locus in quo habitamus coram te,anguſtus eſt nobis, eamus vſque ad Iordanem,& ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. 24.78
7. 1. Audite verbum Domini.Hæc dicit Dominus, in tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit,& duo modij hordei ſtatere vno. 6.116
6. Dominus ſonitum audire fecerat in caſtris Syriæ,curruum,& equorum. 2.155
7. Surrexerunt ergo, & fugerunt, & dereliquerunt tentoria ſua. 4.52
8. 4. Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliſæus. 5.115
17.25.Rex Salmanazar miſit Sacerdotem in Samariam. 5.28
18.37.Exaudi me Domine,vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus. 5.32
20.3. Memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate. 3.313
50.Audiui orationem tuam,& vidi lachrymas tuas,ecce ſanaui te. 22.4
25.9. Et ſuccendit domum Domini, & domum regis,& domos Ieruſalem. 2.107


## *Ex 1. Paralipomenon.*


Cap.9. n.67. SIchem cum ſuburbanis ſuis, in monte Ephraim, & Gazer, cum ſuburbanis ſuis. 5.38
10.12.Sepelierunt Saül, & filij eius in nemore Iabes. 25.8
12.18.Tui ſumus, ô Dauid, & tecum filij Iſaï, pax,pax tibi, & pax adiutoribus tuis,te enim adiuuat Deus. 8.132
20.37.Percuſſit Dominus opera tua, & contritæ ſunt naues, & non potuerunt ire in Tharſis. 24.37
21.1. Conſurrexit autem Satan contra Iſraël, & concitauit Dauidem,vt numeraret populum. 22.43
27.34.Ioab princeps militiæ. 7.31


## *Ex 2. Paralipomenon.*


Cap.6. n.30. TV ſolus noſti corda filiorum hominum. 26.76
7.12. Audiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij. 5.194 & 26.5
9.13. Vt audirem ſapientiam Salomonis, quam dederat Deus in corde eius. 10.210
11.5. Sion ciuitas Dauid. 6.87
13.5. In pactum ſalis. 11.42 26.18

26.18. Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino. 3.136.& 4.33
28.24. Fecit ſibi altaria in vniuerſis angulis Ieruſalem. 15.37

## *Ex 1. Eſdræ.*

Cap. 1. n. 3. A Cyro Rege Perſarum, anno primo regni eius. 2.108
3.7. Anno autem ſecundo Cyri. ibid.

## *Ex Tobia.*

Cap. 3. n. 8. DÆmonium nomine Aſmodæus, occiderat eos. 17.27
4. 11. Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. 10.183
5. 5. Inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. 14.55
6. 4. Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, & exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi. 7.46
7. 10. Ego hodie non manducabo, neque bibam niſi prius petitionem meam confirmem. 5.264
11. Quo audito verbo Raguel expauit, ſciens quod euenerat illis ſeptem viris qui ingreſſi ſunt ad eam. 20.23
9. 1. Azaria frater peto, vt auſcultes verba mea, & obſerua, vt aſſumas animalia, & vadas ad Gabelum. 7.46
11. 8. Statimque lini ſuper oculos eius, ex felle iſto piſcis, quod portas tecum. Scias enim quod mox aperientur oculi eius. 5.189
12.19. Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. 5.265

## *Ex Iudith.*

Cap. 1. n. 1. ARphaxad Rex Medorum, ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo, & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam. 10.95
5. 26. Et factum eſt, cum ceſſaſſet loqui Achior, verba hæc, irati ſunt omnes magiſtri Holofernis, & cogitabant interficere eum. 4.52
6. 1. Et factum eſt, cum ceſſaſſent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior. 4.52
9. 12. Fac Domine, vt gladio proprio eius ſuperbia amputetur. 20.56
13. 7. Hoc, quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam. ibid.
14.17. Sciderunt omnes veſtimenta ſua, & intolerabilis timor, & tremor cecidit ſuper eos. 2.55

## *Ex Eſther.*

Cap. 1. n. 3. TErtio igitur anno imperij ſui, fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis. 1.119
3. 1. Rex Aſſuerus exaltauit Aman, filiam Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag. 5.102
9. Decem millia talentorum appendam arcæ gazæ tuæ. 6.30
14. Iube ergo, vt exeat decretum, vt omnes pereant. ibid.
4. 2. Eiulatu, vſque ad fores Palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare. 22.53
5. 14. Iube parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos: placuit ei conſilium, & iuſſit parare excelſam crucem. 3.306
8. 10. Qui per omnes prouincias, diſcurrentes veteres litteras nouis nuntiis præuenirent. 6.30
13.12. Vt non adorarem ſuperbiſſimum Aman. 5.102
14.13. Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis. ibid.278
15.10. Cumque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillam reclinauit caput. 21.32
12. Quid habes Eſther, ego ſum frater tuus. noli metuere. 3.244

## *Ex Iob.*

Cap. 1. n. 10. NVnquid Iob fruſtra timet Deum, nónne tu vallaſti eum, ac domum eius. 10.109
11. Tange cuncta quæ poſſidet niſi in faciem benedixerit tibi. 10.236
19. Repente ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus. 15.39
21. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. 6.37 & 119.
2. 5. Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem eius, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi. 10.236
9. Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua, benedic Deo, & morere. 3.263
10. Qui ait ad illam, quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. 6. 109 & 10. 215. & 12.61
13. Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. 3.218
3. 1. Poſt hæc aperuit Iob os ſuum. 10.59
4. 3. Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti. 10.215
12. Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius in horrore viſionis nocturnæ. 3.31, 113
5.2. Stultum interficit iracundia. 12.41
24. Viſitans ſpeciem tuam non peccabis. 7.21
6. 12. Nec caro mea ænea eſt. 3.195
13. Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me. 3.201
30. Non inuenietis in lingua mea iniquitatem. 12.61
7. 15. Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. 3.210
9. 11. Si venerit ad me non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam. 3.108





Cum inuocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam. 18.51
11.14. Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo, iniuſtitia tua ſeruare poteris faciem tuam. 18.19
13.2. Secundùm ſcientiam veſtram ego noui, prius vos oſtendam fabricatores mendacij. 8.27
8 Nunquid faciem eius ſuſcipitis, & pro Deo iudicare nitimini. 12.61
14.1. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſeriis. 26.46
13 Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus. 18.19
15.21. Sonitus terroris ſemper in auribus eius, & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias meditatur. 7.18
26 Contra Omnipotentem roboratus eſt, cucurrit aduerſus eum erecto collo. 6.37
20.25. Vadent, & venient ſuper eum horribiles. 11.59
21.12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. 15.11
22.16. Sublati ſunt ante tempus, & fluuius ſubuertit fundamenta eorum. 19.103
24.13. Ipſi fuerunt rebelles lumini. 3.309
26.6. Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni. 2.122
28.28. Timor Domini ipſe eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia. 11.69
29.2. Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos: ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me. 22.15
14 Iuſtitia indutus ſum. 11.113
31.1. Pepigi fœdus cum oculis meis. 5.130
13 Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea cum diſceptaret aduerſum me. 17.54
38.3. Accinge ſicut vir lumbos tuos. 3.6
7 Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina. 11.79
39.14. Relinquit oua ſua in terra, obliuiſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat, duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui. 5.19
42.2. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio: ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſapientiam meam. 26.46
7 Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum ſicut ſeruus meus Iob. 27.40. 29.17

## *Ex Pſalmis.*

Cap. 1. n. 1. BEatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. 10.194
2 Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. 7.18
2.2. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. 2.67
6 Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. 10. 27
7 Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. 3.297



8 Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. 5.118
3.6. Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. 2.85.& 13.52.& 3.267
4.5. Iraſcimini, & nolite peccare. 10. 129. & 12.41
6 Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. 3.205
7.11. Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde. 10.56
13 Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit. 11.75
17 Conuertetur dolor eius in caput eius. 18.2
8.4. Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum. 1.135.& 3.288
6 Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. 10.144
8 Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. 6.28
9.1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 5.212
3 Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. 5.180.& 10.238
9 Præparationes cordis eorum audiuit auris tua. 15.51
11.3. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. 13.52
6 Propter miſeriam inopum; & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. 2.64
13.1. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus, corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. 4.22.& 11.87
3 Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. 5.172
15.10. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 2.84.& 21.19
16.4. Vt non loquatur os meum opera hominum. 8.131
14 Domine à paucis de terra diuide eos. 3.2
15 Satiabor cum apparuerit gloria tua. 5.136, 145.& 10.169
17.7. Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. 2.86
11 Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit, ſuper pennas ventorum. 3.172
18.6. In ſole poſuit tabernaculum ſuum. 20.46
7 Exultauit vt gigas ad currendam viam. 5.83
19.8. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem nomen Domini noſtri inuocabimus. 2.27
21.1. Deus Deus meus reſpice in me. 3.63
7 Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. 3.176
32 Annuntiabitur Domino generatio ventura. 3.129
23.2. Ipſe ſuper maria fundauit eam. 10.162
3 Quis aſcendet in montem Domini, innocens manibus & mundo corde. 10.194
5 Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. 6.86
24.10. Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas. 2.70.& 5.74
16 Reſpice in me, & miſerere mei. 8.110

21 Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo:multum eſt enim. 10.187
25.1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. 3.290
6 Circundabo altare tuum Domine. 12.62
38 Domine dilexi decorem domus tuæ. 2.23
26.13.Credo videre bona Domini in terra viuentium. 10.132
28.5. Vox Domini confringentis cedros Libani, vox Domini intercidentis flammam ignis. 2.55
30.6. Redemiſti me Domine Deus veritatis. 3.264
33.6. Accedite ad Deum,& illuminamini,& facies veſtræ non confundentur. 3.40.& 10.29
16 Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. 1.69.& 7.8
35.7. Iuſtitia tua ſicut montes Dei. 10.22
10 Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. 1.21
36.5. Reuela Domino viam tuam,& ſpera in eo, & ipſe faciet. 1.42
11 Manſueti autem hæreditabunt terram. 10.131,142
21 Iuſtus miſeretur,& tribuit,apud Dominum greſſus hominis dirigentur,& viam eius volet. 10.183
35 Vidi impium ſuperexaltatum,& eleuatum ſicut cedros Libani. 26.70
37.5. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. 18.23,66
39.18.Ego autem mendicus ſum, & pauper, & Dominus ſolicitus eſt mei. 10.98
41.9. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam,& nocte canticum eius. 22.56. & 5.n.98
43.26.Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. 10.187
44.4. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. 14.35.& 11.74
7 Virga directionis, virga regni tui. 2.46
6 Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent. 11.74.& 2.44
10 Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato. 1.53
11 Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. 8.136
17 Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. 11.26
45.11.Vacate,& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. 10.48
46. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. 3.17
47.1. Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri,in monte ſancto eius, Deus in domibus eius cognoſcetur. 20.5
9 Deus fundauit eam in æternum. 10.162
48.12.Sepulchra eorum domus illorum in æternum. 25.13
49.10.Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus,& boues. 25.72
20 Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris,& aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. 10.239
23 Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter,quo oſtendam ſalutare Dei. 6.11
50.2. Dele iniquitatem meam. 22.26
11 Auerte faciem tuam à peccatis meis. 3.235
12 Cor mundum crea in me Deus,& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. 10.192
28 Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium,dediſſem, holocauſtis non delectaberis. 30.71
53.6. Voluntarie ſacrificabo tibi. 12.76
54.13.Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, & ſi is, qui oderat me, magna locutus fuiſſet. 14.21
55.11.Non timebo quid faciat mihi homo,in me ſunt Deus vota tua,quæ reddam laudationes tibi. 8.108
60.4. Turris fortitudinis à facie inimici. 8.115
61.11.Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. 10.108
64.11.In ſtillicidiis eius lætabitur germinans. 16.47
67.9. Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Iacob. 24.28
58.3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. 3.91.& 7.61
4 Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. 5.74
10 Opprobria exprobrantium tibi,ceciderunt ſuper me. 14.88
23 Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. 14.86
70.14. Ego autem ſemper ſperabo, & adiiciam. 14.137
71.6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. 5.222
7 Orietur in diebus eius iuſtitia,& abundātia pacis donec auferatur.Luna. 11.176
18 Benedictus Dominus Deus Iſraël,qui facit mirabilia ſolus. 9.26
72.7. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. 6.36
18 Veruntamen propter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos dum alleuarentur. 11.60
73.9. Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta. 5.188.& 283
16 Tu fabricatus es auroram,& Solem. 11.81
75.1. Notus in Iudæa, Deus in Iſraël, magnum nomen ſanctum eius. 3.126
76.2. In die tribulationis meæ, Deum exquiſiui manibus meis. 10.72
8 Nunquid in æternum proiiciet Deus. ibid.
11 Et dixi,nunc cœpi. 10.173
5 Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus: cogitaui dies antiquos,& annos æternos in mente habui. 16.71
15 Quis Deus magnus ſicut Deus noſter, tu es Deus qui facis mirabilia. 10.72
77.36.Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. 19.78
57 Auerterunt ſe,& non ſeruauerunt pactum. 12.76
67 Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda. 19.13
70 De poſt fœtantes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum. 8.40
79.2. Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim,Beniamin, ac Manaſſe. 3.170







80.2. Sumite Pſalmum, & date tympanum. 5.263
7 Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt. 8.87
11 Dilata os tuum, & implebo illud. 20.52
16 Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula, cibauit eos ex adipe frumenti. 14.83
81.1. Deus ſtetit in Synagoga Deorum. 10.34. & 2.49
82.6. Cogitauerunt vnanimiter ſimul aduerſus te teſtimonium, diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum. 26.21
17 Imple facies eorum ignominia,& quærent nomen tuum. 13.70
84.9 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. 3.106
12 Veritas de terra orta eſt,& iuſtitia de cælo proſpexit. 3.152
87.16.Pauper ſum ego in laboribus à iuuentute mea. 5.73
88.31.Si dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo in virga iniquitates eorum. 6.78
35 Neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis,non faciam irrita. 11.158
92.4. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. 3.105
93.21.Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt,& factus eſt mihi Dominus in refugium. 10.225
94.8. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. 8.89
11 Non introibunt in Eccleſiam meam. 12.30
95.9. Tollite hoſtias, & introite in atria eius. 3.166
10 Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit. 3.184
98.8. Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. 14.117
101.26.Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt. 11.22
102.5.Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. 3.129
13 Quomodo miſeretur pater filiorum,miſertus eſt Dominus timentibus ſe. 17.56. & 11.50
103.7.Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. 22.66
8 Aſcendunt montes, & deſcendunt campi. 17.21
10 Qui emittis fontes in conuallibus. Potabunt omnes beſtiæ agri. 11.114
15 Vinum lætificat cor hominis. 1.48
105.16.Irruerunt in Moyſen,in caſtris Aaron ſanctum Domini. 8.18
21 Obliti ſunt Deum,qui ſaluauit eos. 12.62
41 Dominati ſunt eorum qui oderunt eos inimici eorum. 14.21
106.23.Annuntient opera Dei in exultatione,qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. 8.60
107.1. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. 13.65
108.4.Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ergo autem orabam. 14.39,82
109.1. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos. 12.84
7 De torrente in via bibet,propterea exaltabit caput. 3.208
111.1.Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. 10.91.& 7.105
9 Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 1.81
112.5.Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat,& humilia reſpicit. 10.91 & 20.7
113.4. Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. 24.25
10 Omnia quæcunque voluit fecit. 15.88
115.10.Credidi propter quod locutus ſum. 1.138.& 3.27
12 Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. 2.39
117.6. Non timebo,quid faciat mihi homo. 11.59
13 Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me,dextera Domini fecit virtutem. 1.135
20 Hæc porta Domini,iuſti intrabunt in eam. 18.69
118.11.In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. 10.196
100 Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui. 11.69
102 A iudiciis tuis non declinaui, quia mandata tua quæſiui. 12.21
127 Dilexi eam ſuper aurum & topazion. 18.28
129 Mirabilia teſtimonia tua ideo ſcrutata eſt anima mea. 3.104
126.2.Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. 3.312
127.2.Labores manuum tuarum, quia manducabis. 5.267
128.1.Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, ſæpe expugnauerunt me. 27.16
3 Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores. 5.75
131.7.Introibimus in tabernaculum eius,adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. 5.194
134.6.Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo,& in terra. 20.27
8 Qui producit ventos de theſauris ſuis. 3.109
136.1.Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus. 5.78.& 10.145
137.6.Mirabilis facta eſt ſcientia tua,ex me confortata eſt,& non potero ad eam. 3.230
136.16.Imperfectum meum viderunt oculi tui,& in libro tuo omnes ſcribentur. 12.21
22 Perfecto odio oderam illos,& inimici facti ſunt mihi. 3.273
141.6.Tu es ſpes mea,portio mea in terra viuentium. 10.141
142.2.Non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens. 15.118
6 Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. 5.151
144.3.Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, generatio,& generatio laudabit opera tua. 15.74
9 Suauis eſt Dominus vniuerſis. 17.21
13 Regnum tuum regnum omnium ſæculorum,

rum, & dominatio tua, in omni generatione,& generationem. 15.79
149.5. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. 15.47

## *Ex Prouerbiis.*

Cap. 1. n. 1. PArabolæ Salomonis filij Dauid Regis. 27.29
4 Vocaui,& renuiſtis,extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum.
10 Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. 23.61
22 Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea,quæ ſibi ſunt noxia. 5.178
24 Vocaui,& renuiſtis,extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum. 5.74
2.16. Vt eruaris à muliere, & ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos. 4.69
3.3. Miſericordia, & veritas non te deſerant. 10.178.& 2.70
9 Honora Deum de tua ſubſtantia. 12.63
5.3. Fauus diſtillans labia meretricis. 13.5
22 Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur. 2.38
6.3. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. 9.4
6 Vade ad formicam piger,& conſidera vias eius,& diſce ſapientiam. 17.39.& 43
24 Vt cuſtodiant te à muliere mala,& à blanda lingua extraneæ. 13.5
25 Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum. 13.11
27 Nunquid alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta eius non ardebunt? aut ambulauit quis ſuper prunas, & non comburentur plantæ eius. 5.235
29 Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cum tetigerit eam. 22.67
8.4. O viri ad vos clamito,& vox mea ad filios hominum. 3.6
18 Mecum ſunt diuitiæ,& gloria, opes ſuperbæ,& iuſtitia. 1.92
30 Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies. 1.83
9.1. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas. 13.21
10.4. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. 19.73
15 Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum egeſtas illius. 17.29
14.19. Iacebunt impij, ante portas iuſtorum. 3.49
28 In multitudine populi dignitas regis. 6.27
33 In corde ſapientis requieſcet ſapientia. 5.80
15.1. Reſponſio mollis frangit iram. 14.70
26 Abominatio Domini cogitationes malæ. 12.41
18.19. Frater qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma; & iudicia quaſi vectes vrbium. 8.37
20.9. Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato. 10.192, 194, 195
21.1. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud. 8.92
22.29. Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles. 5.229
24.17. Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. 14.8
25.4. Aufer rubiginem de argento,& egredietur vas puriſſimum. 7.23
21 Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit,da ei aquam bibere. 14.8
26.3. Flagellum equo, & chamus aſino,& virga in dorſo imprudentium. 2.32
27.19. Quomodo in aqua reſplendet vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. 19.42
23 Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. 7.31
31.22. Stragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus, & purpura indumentum eius. 17.31

## *Ex Eccleſiaſte.*

Cap. 1. n. 1. VErba Eccleſiaſtæ, filij Dauid Regis Ieruſalem. 27.29
2 Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: Vanitas vanitatum. 10.110
4 Generatio præterit, & aduenit, terra autem in æternum ſtat. 7.90
6 Sol gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem luſtrans vniuerſa in circuitu,pergit ſpiritus,& in circulos ſuos reuertitur. 3.107
2.9. Supergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ieruſalem: ſapientia quoque perſeuerauit mecum. 17.76
26 Peccatori autem dedit Deus afflictionem, & curam ſuperfluam,vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo, ſed hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo mentis. 17.43
5.9. Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis:& hoc ergo vanitas. 10.108
12 Eſt alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub Sole: diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui. 7.18
7.8. Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius. 14.25
9.8. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida,& oleum de capite tuo non deficiat. 16.27.
10.16. Væ tibi terræ, cuius Rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt. 6.27
20 In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia aues cæli portabunt vocem tuam. 18.26
11.5. Sic neſcis opera Dei, qui eſt fabricator omnium. 3.107
12.6. Conteratur hydria ſuper fontem. 5.241

## *Ex Canticis.*

Cap. 1. n. 1. OSculetur me oſculo oris ſui. 3.243
2 Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te. 7.107
3 Trahe me,poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. 8.123
5 Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. 12.20
6 Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubas in meridie, ne vagari incipiam poſt greges. 16.55
9 Equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimilaui te amica mea. 11.138
11 Dum eſſet rex in accubitu meo,nardus mea dedit odorem ſuum. 1.65.& 3.172
13 Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 1.65. & 24.44.
15 Lectulus noſter floridus. 5.292.& 24.58
16 Tigna domorum noſtrarum cedrina,, laquearia noſtra cupreſſina. 27.22
2.1. Ego flos campi, & lilium conuallium. 5.292.& 17.85
2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. 17.81
4 Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 5.281
8 Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. 3.172
9 En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. 26.67
17 Similis eſto dilecte mi capreæ,hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether. 5.47
3.1. In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea. 3.30, 31, 32.& 93. & 15.46.& 16. 43, 55. & 24.55.& 10.72
2 Surgam per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea. 3.87
6 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſi virgula fumi ex aromatibus. 16.29. & 18. 68
4.3. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. 19.49
4 Sicut turris Dauid collum tuum. 11.110
8 Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano,veni,coronaberis. 3.62
12 Hortus concluſus ſoror mea ſponſa,hortus concluſus. 22.8
15 Fons hortorum, puteus aquarum viuentium,quæ fluunt impetu de Libano. 1.21.& 5.51.& 14.52.
16 Veni Auſter,perfla hortum meum,& fluent aromata illius. 2.104.& 19.12
5.1. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. 1.48,124.& 5.47
2 Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea immaculata mea. 5.47.& 3.244
6 Quæſiui, & non inueni illum; vocaui, & non reſpondit mihi. 1.69
8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo. 3.45
7 Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me,vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum. 16.55.& 4.23
10 Dilectus meus candidus & rubicundus. 5.281.
8.6. Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. 2.80
7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. 3.92
13 Quæ habitas in hortis,amici auſcultant,fac me audire vocem tuam. 1.40.53.& 6.110

## *Ex Sapientia.*

Cap. 1. n. 5. SPiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus. 5.215
13 Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. 25.13
2.8. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra; quoniam hæc eſt pars noſtra,& ſors noſtra. 17.90
23 Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem,& ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. 2.58
24 Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. 2.59
3.13. Felix eſt ſterilis,& incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. 11.39
5.1. Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. 2.59
7 Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. 52 172
6.8. Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. 22.52
7.1. Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt,& in ventre matris figuratus ſum caro. 3.278
8.16. Non habet amaritudinem conuerſatio illius,nec tædium conuictus illius. 1.47
9.8. Dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo,& in ciuitate habitationis tuæ altare. 5.194
16 Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. 3.152
10.14. Mendaces oſtendit, qui maculauerunt illum,& dedit illi claritatem æternam. 10.240
11.25. Diligis omnia,quæ ſunt,& nihil odiſti eorum, quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti,aut feciſti. 14.10
27 Parcis autem omnibus: quoniam tua ſunt Domine,qui amas animas. 25.72
12.18. Tu autem dominator virtutis, qui cum tranquillitate, & cum magna reuerentia diſponis nos. 7.44
15.5. Exiguo ligno credunt homines animas ſuas: & tranſeuntes mare, per ratem liberati ſunt. 7.37,62.& 24.42
16.20. Paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem. 5.147
22 Nix, & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant: vt ſcirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis. 19.98
17.5. Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. 11.136

## *Ex Eccleſiaſtico.*

Cap.1. n.8. VNus eſt Altiſſimus,Creator omnipotens,& Rex potens, & metuendus. 7.14
3.13. Gloria enim hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij, pater ſine honore. 15.56
21 Magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. 7. 20
4.7. Congregationi pauperum affabilem te facito. 5.231
5 Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triſte? 19.94
8 Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius. 8.132
6.8. Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. 19.42
7.6. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. 3.19.& 6.27
8.4. Ne litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna. 5.17
10.10.Nihil eſt iniquius,quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet. 10.108
13.1. Qui tetigerit picem,inquinabitur ab ea:& qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. 22.67
15.2. Obuiauit illi,quaſi mater honorificata,& quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum. 1. n.118
3 Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur. 5.59
9 Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris; quoniam à Deo profecta eſt ſapientia. 22.83
17.1. Deus creauit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum. 5.3
18.6. Cùm conſummauerit homo,tunc incipiet: & cum quieuerit, aporiabitur. 10.173
21.7. Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris: & qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum. 5.182
11 Via peccantium complanata eſt lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. 25.19
23.28.Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circunſpicientes omnes vias hominum. 7.55.& 26. 76.& 2.122
29 Domino Deo antequam crearentur, omnia ſunt cognita. 5.2
38 Gloria magna ſequi Deum; longitudo dierum aſſumetur ab eo. 27.3
24.15.Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui. 5. 80
25 In me omnis ſpes vitæ,& veritatis. 1.20
29 Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. 5.142.& 10.164
25.17.Omnis malitia,nequitia mulieris. 4.58
26.5. A tribus timuit cor meum,& in quarto facies mea metuit: delaturam ciuitatis,& collectionem populi, & calumniam mendacem. 4.60
24 Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. 19. 100
36.6. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. 6.49
39.19.Florete flores quaſi lilium,& date odorem, & frondete in gratiam. 17.78
40.10.Fames, & contritio, & flagella, ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia. 2.32
45.2.Similem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum. 8. 18
26.22.Pecunia, & vſque ad calceamenta, ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo. 16.83
48.8. Qui vngis reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te: qui receptus in turbine ignis. 10.36

## *Ex Iſaia.*

Cap.1. n.2. FIlios enutriui & exaltaui. 2.33.& 17.11
14 Laboraui ſuſtinens. 5.74
16 Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum. 12.41
2.22. Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in naribus eſt. 10.103
3.7. Non ſum medicus, nolite me conſtituere Principem. 11.51
12 Popule meus qui te laudant, ipſi te decipiunt. 5.180
4.1. Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos. 3.84
2 In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria,& fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſaluati fuerint. 1.135
5.13. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. 3.138.
18 Væ qui trahitis peccata ſicut reſtem longam. 2.38.
6.4. Commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis. 11.87
2 Sex alæ vni & ſex alæ alteri, duabus velabant pedes eius,& duabus volabant. 3.36.120
5 Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum. 4. 37
5 In medio populi polluta labia habentis ego habito. 11.146
10 Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. 2.84
7.3. Egredere in occurſum Achas tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. 3.96
9 Caput Ephraim Samariæ. 4.27
11 Et dixit Achas non petam, & non tentabo Dominum. 20. 26.& 2.100
14 Ecce Dominus dabit vobis ſignum. 6.48 & 2. 100
8. 7. Adducet Dominus ſuper vos aquas fluminis fortes, & multas. 19.100
9. 1. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam,habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. 10.19. & 5. 20. & 75.





6 Factus eſt principatus ſuper humerum eius. 10.224. & 2.15.& 5.75
10.21. Reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Deum fortem. 6.122
11.1. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. 2. 46
2 Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis. 7.103.& 10. 93
12.3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 5.62.& 1.21
13.2.Super montem caliginoſum leuate ſignum. 5.204
17 Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint. 8.77
14.3. Poſſidebit eos Domus Iſraël, in ſeruos, & ancillas, & erunt capientes eos, qui ſe ceperant. 17.18.
13 In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum,ſedebo in monte teſtamenti. 16.36. & 21.23.& 24.91.& 5.237.& 3.238
16.5. Præparabitur in miſericordia ſolium eius, & ſedebit ſuper illud iudicans, & quærens iudicium. 5. 289
19.4. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium. 17.21
21.11.Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte. Dixit cuſtos,ſi quæritis quærite, conuertimini, & venite. 16.68
22.19.Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. 2. 20
25.4. Spiritus robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem. 10.103
28.2. Ecce validus,& fortis Dominus, ſicut impetus grandinis turbo confringens ſicut impetus aquarum multarum. 19. 100
12 Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium. 5.80
18 Flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcatione. 2.32
29.13.Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis me glorificat, cor autem eorum longè eſt à me. 5.212
15 Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera. 3.311
30.15.Hæc dicit Dominus Deus, ſi quieſcatis ſalui eritis. 6.112
20 Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. 7.74
32.5.Non vocabitur vltra is, qui inſipiens eſt princeps. 3. 17
33.1. Væ tu qui prædaris, nonne & tu prædaberis. 18. 2
16 Regem in decore ſuo videbunt, oculi eius cernent terram de longè, cor autem meditabitur timorem. 7.102.
20 Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ, oculi tui videbunt Ieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poteſt. 7.91
34.4. Tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur, ſicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet. 11.22
35.1. Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. 17.78
3 Ipſi videbunt gloriam Dei, & decorem Dei noſtri,confortate manus diſſolutas. 26.100
38.1. Hæc dicit Dominus, diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues, conuertit faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum. 24.8.96
11 Non videbo Dominum Deum in terra viuentium. 10.132
40.9. Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam. 7.19.31
12 Cælos palmo ponderauit, & appendit terram tribus digitis. 5.195
41.23.Annuntiate nobis futura,& dicemus, quia Dij eſtis vos. 2.103
42.2. Non clamabit,nec exaudietur vox eius foris. 3.58
3 Calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. 3.39, 119
43.25.Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. 26.64
44.3. Effundam aquas ſuper ſitientem,& fluenta ſuper aridam, & effundam ſpiritum meum, ſuper ſemen tuum. 1.102.& 5.129
45.1. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam. 22.82
8 Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum. 1.102
46.3. Audite domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël,qui portamini à meo vtero,qui geſtamini à mea vulua, vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo. 5.74
48.9. Inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet,ecce adſum. 22.2
17. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te in via,qua ambules. 9.20
49.1. Dominus ab vtero vocauit me, & recordatus eſt nominis mei. 5.234
15 Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum,vt non miſereatur. 15.57
50.1. Veni,& non erat vir. 3.5
6 Faciem meam non auerti ab increpantibus,& conſpuentibus in me. 13.72
52.5. Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes. 5.185
7 Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis,& prædicantis pacem. 9.20
53.3. Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. 5.240
4 Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægritudines noſtras portauit. 22.68
7. Tanquam ouis ad occiſionem ducetur. 14.14
55.1. Omnes ſitientes venite ad aquas. 7.10
4 Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem. 7.74
57.19.Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè eſt,& qui prope, dixit Dominus,& ſanaui eum. 7.59

20 Cor impij quaſi mares feruen, quod quieſcere non poteſt, redundat fructus eius in conculcationem. 6.112
58.7. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. 14.68.& 24.70
59.5. Telas areneæ texuerunt. 7.67
60.16. Mamilla regum lactaberis, & ſcies, quia ego Dominus ſaluans te. 11.130
61.1. Ad annuntiandum manſuetis miſit me Dominus. 5.129
3 Date his qui lugent Sion gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ lugentibus pro ſpiritu mœſtitiæ amictum gloriæ. 10.150
63.1. Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua. 3.195
3 Torcular calcaui ſolus. 1.33. & 3.201
64.6. Quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. 10.172.& 18.53
7 Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. 24.60
8 Et nunc Domine pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. 15.60
66.1. Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. 5.195
6 Ad quem reſpiciam. 3.130

## *Ex Ieremia.*

Cap. 1. n. 9. ECce dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna. 3.66
10 Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes. 11.18
14 Ab Aquilone pandetur malum. 24.91
18 Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt. 3.196
2.19. Non eſſe timorem mei apud te. 7.102
3.4. Amodo voca me, pater meus, dux virginitatis meæ. 5.171
2 Fornicata es cum amatoribus multis. 5.177
19 Poſt me ingredi non ceſſabis. 10.173
4.14. Laua à malitia cor tuum. 16.45
19 Ventrem meum, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt in me, non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea. 21.40,
22 Stultus populus meus, me non cognouit filij inſipientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt; aſpexi terram, & ecce vacua erat. 3.138
5.3. Domine oculi tui reſpiciũt fidem. 2.117
22 Poſuit arenam terminum mari præceptum ſempiternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius. 8.46
6.9. Vſque ad racemum colligent, inquam Iacob ad Deum fortem. 6.122
23 A minore, vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent. 2.11
7.16. Tu autem noli orare pro populo hoc, nec effundas pro eis laudem, & orationem, quia non exaudiam te. 29.17
18 Mulieres conſpergunt adipem. 1.72
8.7. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum: turtur & hirundo cuſtodierunt tempus aduentus ſui. 17.61,63
9.1 Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum. 10.146
11.50. Venite, nolite ſtare, recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendet ſuper cor veſtrum. 5.252
12.2. Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. 19.78
9 Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi. 45.43
14.8. Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum. 5.48
15.1. Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non erit anima mea ad populum iſtum. 14.62
20 Dabo te populo huic in murum fortem. 11.42
16.13. Seruietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. 7.74.
16 Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabunt eos. 8.54
18 Terra plena eſt idolis. 3.137
17.10. Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. 2.121
14 Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es, ego autem non ſum turbatus te paſtorem ſequens. 15.9
18.18. Dixerunt venite percutiamus eum lingua. 14.25
23.14. In Prophetis Ieruſalem, vidi ſimilitudinem adulterantium. 19.17
21 Non mittebam eos, & ipſi currebant. 19.3
24 Cælum, & terram ego impleo. 6.45
25.5. Reuertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris. 12.41
30.18. Et templum iuxta ordinem ſuum ædificabitur. 2.86
31.23. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ mons Sion. 10.26 & 11.110
40.6. Venit Ieremias ad Godoliam, & habitaui cum eo in medio ciuitatis. 11.146
48.28. Derelinquite ciuitates, & habitate in petra. 3.260
51.50. Venite, nolite ſtare, recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum. 5.252.& 12.28

## *Ex Threnis*

Cap. 1. n. 12. O Vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. 3.239
19 Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui, depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. 1.49
2.7. Repulit Dominus altare ſuum. 12.63
13 Magna eſt, velut mare contritio tua. 8.63
19 Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. 15.46
3.19. Recordare paupertatis, & tranſmigrationis meæ abſinthij, & fellis. 3.235
20 Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea, hæc recolens in corde meo ſperabo. 7.76
28 Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuabit ſuper ſe. 7.31
53 Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. Inundauerunt aquæ ſuper caput meum. 7.62
5.1. Recordare Domine, & vide quid acciderit nobis, intuere, & reſpice opprobrium noſtrum. 3.235

## *Ex Baruch.*

Cap. 3. n. 16. VBi ſunt principes gentium, qui argentum theſaurizant, & aurum in quo confidunt homines. 16.61
4.15. Et ego adducam Chaldæos. 2.52
4.36. Circunſpice Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem. 5.252

## *Ex Ezechiele.*

Cap. 1. n. 9. VBi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur cum ambularent. 23.83
13 Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens. 6.80
2.1. Sta ſuper pedes tuos, & loquar tecum. 7.31
Et tu fili hominis. 3
Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Dei. 3.212
5 Si fortè ipſi audiant, & quieſcant, quia domus exaſperans eſt. 5.18
3.12. Audiui poſt me vocem commotionis magnæ. 2.109
7.24. Et ego adducam Chaldæos. 2.52
26 Ventus Auſter contriuit te in corde maris. 2.104
10.2. Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manus tuas prunis. 19.110.& 6.6
12.12. Et dux, qui eſt in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodiant, vt educant eum. 26.28
13.5. Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël. 11.110
17 Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi mei, quæ prophetant de corde ſuo. 4.47,48
19 Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis. 2.11
15.2. Quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum. 11.55
16.27. Dabo te in manus odientium Palæſtinorum, qui erubeſcunt in vita tua ſcelerata. 7.17
51 Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit. 5.260
18.9. Si iudicia mea cuſtodierit, vt faciat veritatem, hic iuſtus eſt, & viuet. 3.313
21 Si impius egerit pœnitentiam, de omnibus peccatis eius amplius non recordabor. 26.50
23.4. Et maieſtas Domini ingreſſa eſt templum. 2.86
41 De conuiuio. 1.19
27.9. Omnes naues maris, nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ. 8.65
30.24. Daboque gladium meum in manibus eorum. 11.75
34.4. Cum auſteritate imperabatis, &c. 7.42
8 Neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. 17.46
36.25. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, & dabo vobis cor nouum. 2.129
37.9. A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant. 20.16
44.8. Poſuiſtis cuſtodes obſeruationum mearum in ſanctuario meo vobiſmetipſis. 2.11
47.12. Et ſuper torrentem orietur in ripis eius, ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferet primitiua, quia aquæ eius de ſanctuario egredientur. 5.122

## *Ex Daniele.*

Cap. 1. n. 1. POrrò Malaſſar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, dabatque eis legumina. 12.9
3 Ait Rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla eſſet macula 3.99
2.13. Egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur. 16.37
32 Statua ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius terribilis. 2.55
32 Tu es Rex regum, & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium dedit. 11.121
35 Lapis factus eſt mons magnus. 10.23.
49 Daniel poſtulauit à rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, Abdenago. 8.30
3.2 Itaque Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregandos Satrapas, Magiſtratus, & iudices, Duces, & tyrannos, & præfectos. 3.28
39 In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur à te Domine. 10.87
49 Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem. 1.151
92 Ecce video quatuor viros ambulantes, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. 27.41. & 3.95
42. Cogitationes meæ in ſtrato meo, & viſiones capitis mei conturbabant me. 24.59

10 Et ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit, clamauitque fortiter,& ait,ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius. 24.56
24 Peccata tua eleemoſynis redime. 10.183
31 Inuocauit altiſſimum. 6.36
5.5. Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis, in ſuperficie parietis aulæ regiæ. 11.168
6.15. Viri autem illi intelligentes regem dixerunt ei,ſcito Rex. 3.28.& 6.30
17 Allatus eſt lapis vnus, & poſitus eſt ſuper os laci, quem obſignauit Rex annulo optimatum ſuorum. 11.95
7.9. Iudicium ſedit,& libri aperti ſunt. 3.284
13 Vidi, & ecce in nubibus cæli, venientem tanquam filium hominis. 3.169
8.8. Venit & ſterit iuxta,vbi ego ſtabam, cumque veniſſet pauens corrui in faciem meam. 5.156
16 Audiui vocem viri inter Vlai:& clamauit, & ait Gabriel. 7.73
17 Et tu fili hominis. 3.172
10.8. Non remanſit in me fortitudo,ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. 3.288
14 Veni autem, vt docerem te quæ ventura ſunt. 7.73
12.9. Clauſi ſunt ſignatique ſermones, vſque ad præfinitum tempus. 10.63
13.40.Et nos ipſi teſtes ſumus. 4.17
17 Non oportet nos de hac re reſpondere tibi, ecce enim Deus noſter, quem colimus,poteſt eripere nos de camino ignis ardentis. 26.40
49 Deus omnia nouit antequam ſint. 15.49
61 Lapidauit eos populus. 4.32
14.33.Habacuc portat prandium Daniel. 2.266
38 Surgens Daniel comedit. 17.101
54 Dic ſub qua arbore videris eo loquentes. 13.7

## Ex Oſea.

Cap.1. n.9. VOca,nomen eius non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter. 5.228
2.2. Iudicate matrem veſtram, iudicate, quoniam ipſa non vxor mea eſt,& ego non vir eius. 3.290
14 Propter hoc,ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. 3.113.& 5.62.& 10.17
5.10. Facti ſunt principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum:ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam. 3.134
11 Conculcauit iudicium, quoniam cœpit abire poſt ſordem. 12.90
6.6. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. 27.98
7.11. Inuocabant Ægyptum. 5.171
4 Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. 4.39
14 Receſſerunt à me, & ego erudiui eos. 3.141
8.4. Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt,& non cognoui. 85
6 In aranearum telas erit vitulus Samariæ. 7.67
10.11.Ephraim vitula docta diligens trituram, arabit Iudas. 19.13
11.4. Ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum,& declinaui ad eum. 11.69
12.4. Fleuit,& rogauit eum. 11.47.& 10.156
8 Diues effectus ſum, inueni idolum mihi. 17.3
13.1. Loquente Ephraim horror inuaſit Iſraël, & deliquit in Baal,& mortuus eſt. 25.73
12 Ego cognoui te in deſerto. 19.89
24 Ero mors tua,ô mors, morſus tuus ero in inferno. 10.30.& 3.188

## Ex Amos.

Cap.1. n.1. VErba Amos, qui fuit in paſtoribus de Thecue, quæ vidit ſuper Iſraël, in diebus Oziæ Regis Iuda. 5.85
4.9. Percuſſit vos in vento vrente. 19.100
5.10. Odio habuerunt cor recipientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt. 4.20
6.1. Væ qui opulenti eſtis in Sion,& confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael, qui ſeparati eſtis in diem malum. 17.29
4 Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.
8.11. Mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. 10.164
9.6. Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam,& faſciculum ſuum ſuper terram fundauit. 10.25

## Ex Ioële.

Cap.2. n.5. SIcut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient, ſicut ſonitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam,ſicut populus fortis præparatus ad prælium. 25.38
15 Canite tuba in Sion,ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum. 14
32 Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. 19.72
3.18. Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum. 5.54

## Ex Abdia.

Cap.1. n.21. ET aſcendent ſaluatores in montem Sion,iudicare montem Eſau. 8.77

## Ex Jona.

Cap.1. n.4. ECce tempeſtas magna facta eſt in mari, & nauis periclitabatur conteri. 24.85
6 Quid tu ſopore deprimeris? Surge, inuoca Deum tuum. 29
2.1. Præparauit Deus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. 24.85
5 Rurſus videbo templum ſanctum tuum. 2.86
3.4. Adhuc quadraginta dies,& Niniue ſubuertetur. 5.275

Ex

Loca S.Scripturæ.

## Ex Michæa.

Cap.3. n.11. PRophetæ eius in pecunia diuinabant, propterea cauſa veſtri Sion, quaſi ager vaſtabitur. 23.27
7.1. Factus ſum, ſicut qui colligit racemos in autumno. 6.122

## Ex Nahum.

Cap.1. n.3. DOminus patiens, & magnus fortitudine,& mundans. 11.14

## Ex Habacuc.

Cap.1. n.7. HOrribilis, & terribilis eſt, ex ſemetipſa, iudicium, & onus eius egredietur. 25.75
14 Et facies homines, quaſi piſces maris. 8.81
3.4. Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. 3.228
8 Qui aſcendis ſuper equos tuos. 7.61
13 Egreſſus es in ſalutem populi tui pro Chriſto tuo. 27.50
15 Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 7.61

## Ex Sophonia.

Cap.1. n.5. DIſperdam eos, qui iurant in Domino, & iurant in Melchon. 3.34
15 Dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris ſuper angulos excelſos. 15.40
3.7. Diluculo ſurgentes corruperant omnes cogitationes ſuas. 12.41

## Ex Aggæo.

Cap.1. n.1. ANno ſecundo Darij Regis, in menſe ſexto. 2.108
6 Qui mercedes congregauit miſit eas in ſacculum pertuſum. 1.54
2.7. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ. 2.108

## Ex Zacharia.

Cap.3. n.1. SAtan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei. 13.63
4.7. Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ. 18.2
9.9. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator, ipſe pauper, aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. 2.27.& 5.84
13.1. In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ieruſalem. 3.129.& 5.59
7 Percute paſtorem, & diſpergentur oues. 2.87
14.21. Et non erit mercator vltra in domo Domini exercituum. 2.73

## Ex Malachia.

Cap.1. n.1. SI ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus. 11.153.& 15.52
11 Ab ortu Solis,vſque ad Occaſum,magnum eſt nomen meum in gentibus:& in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. 5.208.& 90
2.10 Nunquid non Pater vnus omnium noſtrum? nunquid non Deus vnus creauit nos. 15.64
4.1. Ecce dies veniet, quaſi ſuccenſa, quaſi caminus. 3.283
3 Calcabitis impios cum fuerint cinis, ſub planta pedum veſtrorum. 11.59

## Ex 1. Machabæorum.

Cap.2. n.51. MEmentote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis. 5.69
6.34. Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ,& mori ad acuendos eos in prælium. 10.249
13.3. Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecerint pro legibus. 14.56

## Ex 2. Machabæorum.

Cap.3. n.35. HEliodorus autem, hoſtia Deo oblata, & votis magnis promiſſis ei, qui viuere illi conceſſit. 6.39
6.30. Domine,qui habes ſanctam ſcientiam,manifeſtè tu ſcis. 3.132
9.13. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. 6.39

# NOVVM TESTAMENTVM.

## Ex Matthæo.

Cap.1. EX ea,quæ fuit Vriæ. 27.15
6 2.10. Gauiſi ſunt gaudio magno valde. 11.192
13 Angelus Ioſeph in ſomnis,& ait ei, Surge, accipe puerum, & matrem eius,& fuge in Ægyptum. 5.23.& 42
3.2. Appropinquabit regnum cælorum. 5.172
9 Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. 27.9
10 Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. 26.74
10 Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto. 5.5
12 Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam. 19.50
15 Sine modò, ſic decet nos implere omnem iuſtitiam. 3.147
4.3. Si filius Dei es. 25.24

9 Oſtendit

9 Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. 2.19
11 Acceſſerunt Angeli,& miniſtrabant ei. 11.160
12 Cum autem audiſſet Ieſus, quod Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam. 2.5.5.1.& 17
13 Venit Capharnaum. 2.1. Et relicta Nazareth venit, & habitauit Capharnaum. 26.3
20 Relictis retibus ſecuti ſunt eum. 11.16
22 Relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum. 23.48
25 Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. 11.53.& 27.39
5.17. Nolite putare quoniam veni ſoluere legem,non veni ſoluere,ſed implere. 5.31
28 Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam,iam mœchatus eſt eam. 16.89
34 Ego dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per Ieroſolymam,quia ciuitas eſt magni regis. 6.87
6.2. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. 11.142
7 Orantes nolite multum loqui. 17.89
16 Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 14.105,106,107
7.6. Nolite dare ſanctum canibus. 19.33
11 Pater veſter dabit bona petentibus ſe. 5.121
8.8. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum,ſed tantum dic verbo,& ſanabitur puer meus. 7.12
9 Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. 6.64.& per totam quæſtionem. 123
22 Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 1.73.& 2.43
24 Ecce motus magnus factus eſt in mari, itaut nauicula operiretur fluctibus,ipſe vero dormiebat. 7.85
26 Imperauit ventis, & facta eſt tranquillitas magna. 22.41
34 Rogabant eum, vt tranſiret à finibus eorum. 7.97
9.2. Fili,remittuntur tibi peccata tua. 24.89
20 Tetigit fimbriam veſtimenti eius. 5.104
10.1. Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum,vt eiicerent eos,& vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 9.27.& 21.11
3 Matthæus publicanus. 27.10
8 Gratis accepiſtis,gratis date. 11.136
16 Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. 14.71
20 Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. 3.107
11.7. Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam,quid exiſtis videre, hominem mollibus veſtitum. 20.77
13 Lex & prophetæ, vſque ad Ioannem. 11.169.& 174
24 Si vultis recipere,ipſe eſt Elias. 2.91
28 Venite ad me omnes,qui laboratis,& onerati eſtis. 26.26.& 10.253
29 Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. 1.65.& 10.128
30 Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. 18.64.& 11.197
12.39. Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. 2.90.101
42 Ecce pluſquam Salomon hic. 5.138
13.25. Venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizaniam. 24.54
28 Vis imus, & colligimus ea? non ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum.Sinite vtraque creſcere, vſque ad meſſem. 18.12.& 19.20
32 Dicite vulpi illi. 4.62
15.24. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. 5.30,& 6.41
25 Dimitte eam,quia clamat poſt nos. 7.8
26 Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. 1.69
16.16. Tu es Chriſtus filius Dei viui. 7.33.& 22.85
18 Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. 10.73.& 11.94
24 Si quis vult venire poſt me,abneget ſemetipſum,& ſequatur me. 2.15.& 3.209
17.3. Apparuerunt cum eo Moyſes, & Elias. 22.9
4 Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum,& Eliæ vnum. 24.78
5 Hic eſt filius meus dilectus. 10.1
10 Eliam oportet venire. 2.90
12 Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eum quæcunque voluerunt,ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis. 4.9
19 Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis. & dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, 1.61
26 Vt autem non ſcandalizemus eos, da eis pro me & te. 27.56
18.1. Quis putas maior eſt in regno cælorum. 5.236
8 Amen dico vobis,niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. 3.60
15 Si peccauerit in te frater tuus,corripe eum inter te, & ipſum: ſi autem Eccleſiam non audiuit, ſit tibi vt Ethnicus, & publicanus. 4.73
19.4. Maſculum,& fœminam fecit eos. 11.160
17 Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam. 3.256
21 Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes,& da pauperibus. 27.60.& 12.34.& 8.136
28 Sedebitis & vos. 10.33
20.10. Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram,& alius ad ſiniſtram. 6.18
28 Non venit filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare. 11.160
21.13. Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. 2.23.& 68
12 Inuenit in templo vendentes, & numularios. 2.29







23 In qua poteſtate hoc facis. 2.83
22.12. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. 3.262
11 Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. 16.13
21 Quæ ſunt Cæſaris Cæſari. 10.116
43 Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum. 5.138
23.2. Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis facite, ſecundùm opera eorum nolite facere. 12.3.& 2.26
35 Et veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram,à ſanguine Abel iuſti,vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ. 26.54
37 Ieruſalem,Ieruſalem quæ occidis Prophetas. 3.63
24.15. Qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa ſunt,fugiant ad montes;& qui in lecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua. 19.38
28 Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 1.32
41 Duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur: duo in lectulo, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur. 3.77
25.3. Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. 5.246
11 Domine,Domine aperi nobis. 5.182
21 Intra in gaudium Domini tui. 12.28
34 Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere. 10.79
37 Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere,& reſpondebunt, Domine quando te vidimus, &c. 15.30
26.1. Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur. 3.181
21 Qui intingit mecum manum in paropſide,hic me tradet. 4.38
39 Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte,veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. 22.31
48 Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt,tenete eum. 24.38
53 An putas,quia non poſſum. 20.69
61 Audiuimus hunc dicentem, poſſum deſtruère templum Dei. 2.14.& 2.100
65 Ego ſum. 2.59
71 Verè tu ex illis es, nam & loquela tua te manifeſtum facit. 5.104
27.3. Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. 5.203.& 25.23
19 Miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. 3.192
21 Principes Sacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis vt peterent Barabbam. 4.51
33 Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt caluariæ locus. 11.63
32 Angariauerunt Simonem Cirenæum venientem de villa. 13.76
34 Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum,& cum guſtaſſet noluit bibere. 19.16
39 Prætereuntes blaſphemabant eum. 14.82
40 Vah qui deſtruis templum Dei, &c. 2.14
42 Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. 2.15
44 Id ipſum & latrones qui crucifixi erant cum eo. 24.65
46 Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me. 3.201.& 14.38
51 Velum templi ſciſſum eſt. 11.172
28.19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,& filij,& Spiritus ſancti. 3.82
18 Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. 3.211


## *Ex D.Marco.*


Cap.1. n.5. IBat ad eum omnis Ieroſolyma. 4.18
14 Cùm audiſſet Ieſus quod Ioanues traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam. 4.1.& 5.1
24 Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene, veniſti perdere nos. 6.125
27 Quænam doctrina hæc noua. 9.16
30 Accedens Ieſus eleuauit eam apprehenſa manu. 3.70
38 Eamus in proximos vicos & ciuitates,vt ibi prædicem. 9.5.& 23.8
4.11. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, illis autem qui foris ſunt in parabolis,omnia fiunt. 10.15.& 5.239
5.7. Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi. 1.59
6.3. Filius fabri. 7.56
5 Et non poterant ibi virtutem vllam facere,niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit,& mirabatur propter incredulitatem eorum. 9.40
20 Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum. 4.41
31 Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum; erant enim qui veniebant & redibant multi,& nec ſpatium manducandi habebant. 5.11.& 8.25.& 23.6
7.3. Phariſæi & omnes Iudæi niſi crebro lauerint manus non manducant, tenentes traditionem ſeniorum. 1.98
33 Miſit digitos ſuos in auriculas eius. 2.288
8.4. Vnde quis poterit eos ſaturare panibus in ſolitudine. 24.63
22 Adducunt ei cæcum, & apprehenſa manu cæci,eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impoſitis manibus. 27.21
9.22. Si quid potes adiuua nos, miſertus noſtri. 9.41
49 Bonum eſt ſal,quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis. 11.4

10.38. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, aut Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari. 11.46
11.13. Venit ad ficulneam, & non habebat ficus 5.122
16.6. Ieſum quæritis Nazarænum crucifixum, non eſt hic. 3.180
14 Exprobrauit incrudelitatem eorum. 2.97
15 Prædicate Euangelium omni creaturæ, 11.49
15 Ite, docete omnes gentes. 18.34
20 Sedet ad dexteram Dei. 10.34


## *Ex Luca.*


Cap. 1. n. 18. VNde hoc ſciam. 3.114
28 Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem. 4.49
71 Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos. 14.21
2.1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. 7.82
34 Poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur. 3.200
49 Quid eſt quod me quærebatis, neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. 1.63
3.7. Genimina viperarum. 4.20.33. & 35
16 Ipſe vos baptízabit in ſpiritu & igne. 5.127
23 Ieſu Chriſti qui putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli. 3.275
4.17. Spiritus Domini ſuper me. 9.22
22 Hic eſt filius fabri Ioſeph. 7.33
31 Venit Capharnaum. 2.1
43 Aliis ciuitatibus oportet me euangelizate regnum Dei, quia ideo miſſus ſum. 9.2. & 23.8
5.10. Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. 11.139
29 Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua, & erat turba multa publicanorum. 5.274
38 Surgens Ieſus introiuit in domum Simonis. 27.61
6.21. Deſcendens Ieſus de monte ſtetit in loco campeſtri. 10.6
22 Beati eritis cum vos oderint & exprobrauerint homines. 3.24
7.3. Non recipiunt Ioannis Baptiſma. 5.21
39 Videns Phariſæus ait intra ſe, hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum. 5.187
47 Dilexit multum. 3.251
8.4. Ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipſe princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Ieſu rogans eum, vt intraret in domum eius. 7.69
27 Neque in domo manebat, ſed in monumentis. 23.52
9.33. Neſciens quid diceret. 24.78
52 Domine vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumet illos. 2.42. & 5.222
55 Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. 14.103
59 Domine permitte mihi primum ire & ſepelire patrem meum. 7.6
10.4. Neminem ſalutaueritis per viam. 8.97
20 In hoc nolite gaudere, quia ſpirirus vobis ſubiiciuntur, gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. 19.76
41 Martha Martha ſolicita es. 3.63
11.5. Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad eum media nocte, & dicet: Amice accommoda mihi tres panes. 1.7
8 Ob importunitatem dabit illi. 7.18.49
Si perſeuerauerit pulſans propter improbitatem dabit illi. 14.77, 82 & 18.49
9 Pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. 5.121
17 Si ego in Beelſebuth eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt, ideo ipſi iudices veſtri erunt. 8.26
20 Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. 3.50
12.7. Nonne quinque paſſeres veneunt, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo. 17.71
17 Cuius ager attulit vberes fructus, cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos. 5.76
32 Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum, vendite quæ poſſidetis. 10.126
47 Ille autem ſeruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis. 3.38
13.32. Dicite vulpi illi. 4.15
14.1. Cùm ingrederetur Ieſus in domum cuiuſdam Principis, manducare panem. 5.274
15 Beatus qui manducabit panem in regno Dei. 3.50. & 10.169
21 Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles. 11.19
23 Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. 3.209
34 Bonum eſt ſal, ſi autem ſal euanuerit. 11.4
15.5. Cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos, & gaudens venit in domum. 5.75
12 Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, & diuiſit illis ſubſtantiam ſuam. 15.68
16 Cupiebat implere ventrem de ſiliquis. 7.17
23 Adducite vitulum ſaginatum, & occidite illum, quia filius meus mortuus fuerat & reuixit. 3.220
28 Et cum veniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & choros, indignatus autem nolebat introire. 12.81. & 10.37
16.2. Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius. 4.40







18 Ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus. 16.72
19 Erat quidam homo diues, qui induebatur purpura & byſſò, & epulabatur quotidie ſplendidè 29.22
25 Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua. 11.154
17.2. Intra vos eſt regnum Dei. 10.201
14 Oſtendite vos Sacerdotibus. 22.46. & 26.20
21 Regnum Dei intra vos eſt. 15.81
18.11. Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, ieiuno bis in Sabbato. 16.8. & 3.8
14 Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam. 20.38
19.1. Ingreſſus perambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zacchæus. 3.296
5 Zacchæe, feſtinans deſcende. 23.20
7 Ecce dimidium bonorum meorum, Domine do pauperibus; & ſi quem aliquid defraudaui, reddo quadruplum, ait Ieſus ad eum, quia hodie huic domui à Deo ſalus facta eſt. 17.19. & 27.94. & 8.104. & 17.19. & 27.66
41 Vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. 24.8
21.3. Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit. 8.105
22.22. Væ homini illi per quem tradetur, ego diſpono vobis regnum. 11.107
25 Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. 2.82
29 Ego diſpono vobis regnum ſicut diſpoſuit mihi Pater. 1.33
31 Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos', vt cribraret ſicut triticum. 3.63
34 Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire; at ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit gallus donec ter abneges noſſe me. 23.21
35 Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil. 17.50
58 Poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illi es; Petrus verò ait: O homo non ſum. 11.23
23.34. Pater dimitte illis. 14.38. & 26.41
39 Saluum fac te ipſum & nos. 24.77
40 Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? 24.75
42 Memento mei dum veneris in regnum tuum. 10.235. & 16.72. & 26.58
24.17. Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes. 16.19
32 Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret Scripturas. 9.23
38 Conturbati & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. 3.115
48 Vos teſtes eſtis horum. 8.21


## *Ex Ioanne.*


Cap. 1. n. 3. OMnia per ipſum facta ſunt. 11.160
4 Vt omnes crederent per illum. 2.3.11.7. & 5.17
14 Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. 7.13
17 Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. 55.172
18 Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. 3. & 11.94
23 Ego vox clamantis in deſerto. 11.21. & 4.46
32 Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit mihi. 3.147. & 9.9
33 Ipſe vos baptizabit in aqua. 5.5
39 Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo; hora autem erat quaſi decima. 8.15. & 76
42 Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 8.5
45 Quem ſcripſit Moyſes in lege & Propheta, inuenimus Ieſum. 2.77
49 Acceſſit ad Ieſum, & dixit ei: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Iſraël. 6.94
52 Rabbi tu es filius Dei. 10.73. & 1.16.
2.12. Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe & mater eius, & diſcipuli eius. 1 34
3.1. Nicodemus princeps Iudæorum venit ad Ieſum. 11.53
5 Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, 5.159
13 Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit, filius hominis qui eſt in cælo. 1.32
17 Miſit Deus filium ſuum in mundum, vt ſaluetur mundus per ipſum. 5.267. & 26.53
18 Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt. 2.112.117
26 Magiſter cui teſtimonium dediſti trans Iordanem, baptizat & omnes veniunt ad eum. 5.3, 10. & 28.11
34 Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. 11.135
4.38. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis. 12.14
53 Credidit ipſe & domus eius tota. 24.16
5.21. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat. 2.84
22 Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dat filio. 3.288. & 289
24 Qui credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam. 3.298. & 299
29 Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt,

in reſurrectionem iudicij. 3.290
34 Ego teſtimonium ab homine non accipio. 8.21
35 Erat lucerna lucens,& ardens. 4.45.& 11.144
36 Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne,opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, illa teſtimonium perhibent de me. 9.31
39 Scrutamini ſcripturas, qui ipſæ teſtimonium perhibent de me. 3.214
44 Quomodo poteſtis credere qui ab inuicem gloriam quæritis. 3.24
46 Si crederetis Moyſi, & crederetis. 7.33
6.7 Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum, quid accipiat. 5.110
11 Et ex piſcibus ſimiliter quantum volebant. 15.92
64 Spiritus eſt qui viuificat. 6.112
7.13. Nemo palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. 26.71
33 Dixit ergo eis Ieſus, adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. 24.7
37 Stabat Ieſus, & clamabat ſi quis ſitit veniat ad me. 7.10
In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus,& clamabat. 19.55.& 3.58 & 7.10
38 Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent. 5.121. & 126.155.& 59
39 Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. 5.7
47 Nunquid aliquis ex principibus, aut ex Phariſæis credit in eum. 3.17
48 Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis, ſed turba hæc quæ non nouit legem. 9.12.& 29.2
50 Nunquid lex noſtra iudicat hominem niſi prius audierit ab eo, & cognouerit quid faciat. 3.15.18
8.12. Ego ſum lux mundi. 3.308.& 11.94
19 Neque me ſcitis, neque Patrem meum, ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. 12.67
28 Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis,quia ego ſum. 3.206
23 Semen Abrahæ ſumus. 12.22
38 Ego quod vidi apud Patrem, loquor. 3.146
39 Pater noſter Abraham eſt. 12.22
48 Samaritanus es tu. 6.41
58 Antequam Abraham fieret ego ſum. 5.138
9.4. Venit nox quando nemo poſt operari. 12.83
8 Dicebant,non hic eſt qui ſedebat, & mendicabat: alij dicebant, quia hic eſt. 11.38
39 In iudicium ego in hunc mundum veni. 3.289
10.24.Si tu es Chriſtus,dic nobis palam. 26.81. & 5.225
25 Opera quæ ego facio, in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me. 9.31
32 Ego ſum. 2.60
11.7. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit. 2.58
30 Vbi poſuiſtis eum. 26.37
30 Dixit Ieſus,tollite lapidem. 6.47
33 Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum. 26.60
42 Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis,ſed propter populum qui circunſtat dixi. 8.21
12.6. Fur erat,& loculos habebat. 5.203.& 12.62
7 Sinite illam, vt in die ſepulturæ meæ ſeruet illud. 3.65
29 Clarificaui,& iterum clarificabo, non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. 8.21
32 Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham. 3.206.& 16.30
41 Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam Dei. 3.212
42 Ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur. 3.23
48 Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum. 12.89
13.1. Sciens,quia venit hora eius. 1.75
5 Surgit à cœna, ponit veſtimenta ſua, & cœpit lauare pedes diſcipulorum ſuorum. 1.65
13 Vos vocatis me magiſter, & Domine, ſum etenim. 23.10.& 3.21
34 Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. 14.19.128
14.13.Quodcunque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. 1.61
14 Ego in Patre, & Pater in me eſt; verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. 3.142
26 Paraclitus autem ſpiritus ille vos docebit omnia. ... 116
31 Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. 5.34
15.3. Ego ſum vitis,vos palmites. 3.159
7 Si feceritis, quæ præcipio vobis, & verba mea in vobis manſerint. 18.49
12 Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. 11.172
15 Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos. 10.51.& 2.121
15 Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. 3.140
26 Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre ſpiritum veritatis qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. 8.21
16.12.Multa habeo vobis dicere ſed non poteſtis portare modò. 3.198
13 Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. 3.116
17.1. Pater venit hora. 1.75
3 Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum. 3.50
4 Opus conſummaui quod dediſti mihi, vt faciam.





faciam. 5.267
11 Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos. 27.251.3.252
21 Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus, quia tu me miſiſti. 14.128
18.8. Si ergo me quæritis,ſinite hos abire. 1.33. & 16.92
Reſpondit Ieſus: Dixi vobis,quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. 1.33.16.92
Quo audito illi ceciderunt retrorſum. 2.56
23 Si bene locutus ſum, quid me cædis: ſi autem malè, teſtimonium perhibe de malo. 13.71
37 In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. 9.2
38 Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet,iterum exiuit ad Iudæos,& dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam. 29.21
19.3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum:& dabant ei alapas. 13.72
23 Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem)& tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. 10.120
26 Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus,deinde dixit diſcipulo: Ecce mater tua. 8.137.& 1.40
38 Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, (eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu,occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu. 3.23
39 Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum. 3.18.& 27.226
20.11.Venerat autem Maria poſt Petrum & Ioannem,cum non potuiſſet ſimul cum eis currere. 1.106
21 Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater,& ego mitto vos. 5.34.& 5.12.& 18.5
22 Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum,quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. 6.86.112
29 Dixit ei Ieſus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. 2.113
21.6. Cùm tanti eſſent non eſt ſciſſum rete. 7.84,85,86
16 Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me?& dixit ei: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oues meas. 27.45.& 5.157
18 Amen, amen dico tibi, cùm eſſes iunior cingebas te,& ambulabas quò volebas; cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. 7.41
20 Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus,ſequentem,qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine quis eſt qui tradet te? 8.120
21 Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine, hic autem quid? 5.236
22 Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. 16.34
25 Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt,libros. 2.115


## *Ex Actis Apoſtolorum.*


Cap. 1. n. 3. QVibus præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. 3.114
6 Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? quibus ille dixit: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta,quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. 5.239
21 Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis. 8.22
26 Et dederunt ſortes eis,& cecidit ſors ſuper Mathiam,& annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. 8.50
2.2. Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & impleuit totam domum vbi erant ſedentes. 8.96
7 Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti,qui loquuntur,Galilæi ſunt. 5.20
14 Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. 3.115
15 Non enim ſicut vos æſtimatis,hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia. 17.55
24 Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni,iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. 2.84
40 Stans in gradibus annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto allocutus eſt. 4.28
3.10. Cùm magna diſſenſio facta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſſit milites deſcendere & rapere eum de medio eorum. 4.12
19 Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. 12.83
4.14. Quia nec aliud nomen ſub cælo datum homi

hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri. 3.299
5.8. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis? At illa dixit: Etiam tanti. 5.234
32 Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. 8.21
34 Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis vniuerſæ plebi, iuſſit foras ad breue homines fieri. 3.19
41 Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. 3.24
6.2. Conuocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. 5.9
3 Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. 8.52
4 Quicumque in Chriſto baptizati ſumus, conſepulti ſumus cum illo. 3.83
10 Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. 3.107
7.14. Mittens autem Ioſeph accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam, in animabus ſeptuagintaquinque. 3.11
25 Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi non intellexerunt. 11.28
55 Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. 19.37
8.37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum. 6.81
9.8. Raptus in tertium cælum. 7.98
10.5. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. 6.82
48 Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. Tunc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus. 5.10
12.6. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. 24.59
13.22. Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. 14.31
46 Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum prædicare verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. 18.35
15.36. Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Dei, quomodo ſe habeant. 5.19
16.15. Lydias facit baptizare ſuam familiam. 5.118
18.3. Et quia eiuſdem artis erat, manebat apud eos, & operabatur: (erant autem ſcenofactoriæ artis.) 8.86
24 Apollo vir eloquens & potens in ſcriptura. 7.49
20.24. Miniſterium verbi quod accepi à Domino Ieſu. 6.86
28 Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos. 19.2.3
34. Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. 17.37
21.40. Stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto allocutus eſt. 4.28
23.3. Percutiet te Dominus paries dealbate. Et tu ſedens iudicas me ſecundùm legem, & contra legem iubes me percuti. 13.71.& 14.84
6 Viri fratres, ego Phariſæus ſum, & filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. 3.10
8 Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum. Phariſæi autem vtraque confitentur. 3.8.9
26.5. Secundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. 3.8

*Ex Epiſt. ad Rom.*

Cap. 1. n.4. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. 2.96
5 Ad obediendum fidei in omnibus. 3.139
21 Obſcuratum eſt cor inſipiens eorum. 10.199
21 Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. 11.60
2.1. Inexcuſabilis es ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. 18.14
21 Qui prædicas non furandum, furaris. 15.71
24 Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes. 5.185
3.2. Primum quidem, quia credita ſunt eloquia Dei. 2.117
23 Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. 27.105
25 Quem poſuit Deus in oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ,



iuſtitiæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum. 3.232
5.7. Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori. 3.237
8 Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam adhuc cum peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. 3.223.& 14.34.
9 Iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. 3.12
20 Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. 27.44
7.24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 10.146
8.3. Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. 3.228
8 Quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. 8.112.
15 Non enim accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepimus ſpiritum adoptionis filiorum Dei. 13.59.
18 Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 10.248
34 Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 14.112
9.3. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem. 3.249.
24 Verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram. 18.61
27 Iſaias clamat ſi fuerit numerus filiorum Iſraël, tanquam arena maris reliquiæ ſaluæ fient. 6.122
10.4. Finis enim legis, Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. 11.169
12 Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. 27.51
11.20. Tu autem fide ſtas: Noli altum ſapere, ſed time. 7.60
12.1. Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, Deo placentem. 3.253
3 Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. 10.89
8 Qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate. 17.45
10 Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. 14.61.
13.7. Cui tributum, tributum. 10.116.& 27.56.
8 Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. 27.56
10 Plenitudo legis eſt dilectio. 14.31.& 11.172
12 Induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. 11.144
14.17. Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium. 10.216
23 Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. 26.48.
15.13. Chriſtus ſibi non placuit. 3.253.
30 Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Spiritus ſancti, vt adiuuetis me. 1.81.

*Ex 1. ad Corinthios.*

Cap. 1. n.11. Cvm huiuſmodi nec cibum ſumere. 5.104.
17 Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare. 5.9
22 Quoniam & Iudæi ſigna petunt. 2.83.& 6.49
26 Elegit ignobilia, vt confundat fortia. 3.17.
27 Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. 8.43
30 Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio. 3.232.
2.4. Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum. 8.42
12 Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere. 3.74
3.1. Fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, lac vobis potum dedi, non eſcam. 10.20
2 Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis. 3.74.& 7.30
11 Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt. 11.94
14 Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. 282
16 Templum Dei ſanctum, quod eſtis vos. 2.86
4.9. Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus. 4.64
11 Colaphis cædimur, maledicimur & benedicimus. 13.72
13 Blaſphemamur, & obſecramus. 10.239 & 11.8.
5.13. Auferte malum ex vobis. 18.12
6.17. Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. 11.78
19 Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti. 2.86
9.1. Non ſum liber, non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Dominum noſtrum vidi. 8.23
11 Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus. 5.263.& 27.69
19 Nam cum liber eſſem, ex omnibus omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifaciam. 2.82.& 27.77
16 Væ mihi ſi non prædicauero. 23.79
10.2. Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari. 3.129
24 Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. 18.60
11.15. Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine dati ſunt. 16.44

20 Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt dominicam cœnam manducare, vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum. 20.17
22 Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis. 5.180
12.3. Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. 19.77. & 22.74
11 Omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. 3.107
23 Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhoneſta ſunt abundantiorem honeſtatem habent. 3.67
13.3. Si charitatem non habuero nihil ſum, nihil mihi prodeſt. 14.29, 126. & 19.76
5 Charitas non quærit quæ ſua ſunt. 18.60
14.34. Mulieres in Eccleſiis taceant: ſi quid autem volunt dicere, domi viros ſuos interrogent. 13.3. & 5.166
15.10. Abundantius omnibus laboraui. 5.287 & 73
16 Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit, nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. 2.99
24 Cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. 25.47
28 Tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia. 1.65
41 Stella ab ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. 11.200
49 Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis. 10.117
16.7. Spero me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit, permanebo autem Epheſi, vſque ad Pentecoſtem. 10.20

## *Ex 2. ad Corinthios.*

Cap. 1. n. 3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum. 10.186
7 Scientes quod ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis. 7.112
17 Nunquid leuitate vſus ſum, aut quæ cogito ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me, eſt & non: fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo eſt, & non. 13.48
2.15. Chriſti bonus odor ſumus Deo. 4.37
23 Per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius. 5.17
3.7. Sicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius. 3.130
15 Corde creditur ad iuſtitiam. 10.199
4.5. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum. 5.252
17 Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue noſtræ tribulationis. 11.197
5.16. Etſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non cognouimus. 7.88
19 Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. 3.271
6.16. Vos eſtis templum Dei. 2.86
11.27. In labore, & ærumna, & vigiliis multis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate. 17.50. & 17.97
12.2. Scio hominem ante annos quatuordecim. 3.260
9 Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea. 18.52
14 Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. 7.112. & 877. & 107
13.12. Salutate inuicem in oſculo ſancto. 14.122
15.14. Parentes theſauriſant filiis. 16.62
17.7. Ne magnitudo reuelationum extollat me. 7.101

## *Ad Galatas.*

Cap. 1. n. 1. Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem. 14.40
10 Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. 15.4. & 3.271
2.7. Creditum eſt mihi Euangelium. 2.117
20 Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. 3.256.261
3.13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, maledictus omnis qui pendet in ligno. 3.187
16 Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius: non dicit, & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno. 3.163. & 11.172
19 Lex data eſt per diſpoſitionem Angelorum. 10.60
19 Lex poſita eſt donec veniret ſemen. 11.169
4.6. Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater. 3.107
5.19. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, & auaritia. 19.41

## *Ex epiſt. ad Epheſios.*

Cap. 1. n. 4. Elegit nos in ipſo. 3.48
18 Deus det vobis illuminatos oculos cordis veſtri. 10.199
20 Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum. 11.118
3.8. Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti. 11.136

18 In



18 In charitate radicati, & fundati, vt poſſiſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas. 18.69
5.1. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos. 14.67
5 Quod eſt idolorum ſeruitus. 17.3
8 Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. 3.308. & 11.65
14 Exurge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. 22.47
25 Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans lauacro aquæ. 3.12

## *Ad Coloſſenſes.*

Cap. 1. n. 10. Deo per omnia placentes. 3.253
18 Vt exhibeamus hominem perfectum in Chriſto Ieſu. 14.132
2.9. In Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti. 3.166
3.1. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt. 16.66
2 Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. 3.12
14 Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. 14.29
17 Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti. 7.77
4.6. Omnis ſermo veſter ſale conditus ſit. 11.31

## *Ad Philippenſes.*

Cap. 2. n. 4. Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. 18.60
7 Exinaniuit ſemetipſum factus obediens. 2.48
7 Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 22.51
21 Quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. 2.18
23 Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. 10.146
3.8. Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei. 1.46
8 Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus ſum ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. 5.242
12 Non quaſi iam acceperim, aut iam perfectus ſim. 14.130
15 Quicumque ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus. ibid.
4.4 Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. 10.157
6 Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. 17.42
12 Omnia poſſum in eo, qui me confortat. 17.99
Scio & humiliari, ſcio abundare, vbique in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. 24.57

## *Ad Theſſalonicenſes 1.*

Cap. 4. n. 1. Rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu. 7.45

## *Ad Theſſalonicenſes. 2.*

Cap. 2. n. 1. Rogamus vos fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. 7.45
9 Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus. 9.28
3.8. Fuimus inter vos in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes. 17.44, 50
10 Qui non vult operari, non manducet. 17.40

## *Ad Timotheum.*

Cap. 1. n. 15. Chriſtus venit peccatores ſaluos facere. 27.13
20 Tradere huiuſmodi Satanæ. 25.68
2.4. Deus vult omnes homines ſaluos facere. 5.267
3.6. Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat Diaboli. 26.12
4.3. Prohibentes nubere, & dicentes quod malæ eſſent nuptiæ. 1.25
5.8. Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit. 6.118. & 8.112
6.8. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. 4.46
17 Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum. 7.18
20 O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates. 11.163. & 7.45

## *Ad Timotheum 2.*

Cap. 2. n. 4. Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus. 5.242. & 8.136. & 23.71
4 Non coronabitur niſi qui legitimê certauerit. 10.181
8 Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. 10.181
3.12. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. 10.229. & 3.85
4.1. Reddat illi Dominus ſecundum opera eius. 14.84

## *Ad Titum.*

Cap. 1. 16. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. 3. vel 26.299. & 22.74
2.13. Expectantes beatam ſpem, & aduentum

magni

magni Dei. 15.85

3.4. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei. 2.48.& 3.231.& 26.47

## *Ad Hebræos.*

Cap.1. n.1. MVltifariam multiſque modis Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. 10.60

4 Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. 10.144

2.11. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes, propter quod non confunditur eos fratres appellare. 3.175

16 Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. 19.70

17 Debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum. 5.68

4.13. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius. 2.117.& 5.2

15 Non enim habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. 5.68

5.7. Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. 3.58

10.34. Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. 10.106

11.20. Iacob fide benedixit filios ſuos. 3.140

24 Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. 10.134

26 Aſpiciebant in remunerationem. 18.64

27 Non eſt veritus animoſitatem regis. 3.257

37 Circumierunt in melotis in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti. 17.97

38 In ſolitudinibus errantes in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. 11.146

13.1. Charitas fraternitatis maneat in vobis. 15.65

13 Exeamus ad eum extra caſtra. 5.260

## *Epiſtol. Iacobi.*

Cap.1. n.4. PAtientia opus perfectum habet. 10.247

4 Vt ſitis perfecti, in nullo deficientes. 14.132

4 Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis. 15.129

5 Dat omnibus affluenter, & non improperat. 5.118

6 Poſtulat autem in fide, nihil hæſitans, qui autem hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur. 9.39

17 Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. 2.153

2.10. Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus glorificent Deum. 15.23

11 Obſecro vos abſtinere à carnalibus. 11.39

12 Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt vos conſiderantes glorificent Deum. 13.71

13 Superexaltat miſericordia iudicium. 10.178

17 Regem honorificate. 4.33

3.10. In qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt. 6.10

4.4. Quicunque ergo voluerit eſſe amicus huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur. 17.24

14 Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis. 10.240

5.7. Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 17.44

8 Circuit quærens quem deuoret. 9.6

10 Exemplum accipite fratres exitus mali, laboris, & patientiæ prophetas. 10.249

12 Nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. 13.51

## *Epiſtol. Petri.*

Cap.1. n.4. INtelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. 11.167

19 Tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco. 3.140

2.4. Alligatus eſt catenis ac rudentibus. 25.17

22 Tanquam canis reuerſus ad vomitum ſuum, & tanquam ſus lota in volutabro luti. 18.40

## *Epiſtol. Ioannis 1.*

Cap.1. n.1. QVod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. 7.15.& 8.23

8 Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. 10.172

2.15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. 3.269

27 Vnctio eius docet vos de omnibus. 3.115

3.17. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. 14.68

4.1. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, quoniam multi. 19.41

2 Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. 22.74

5 Ipſi de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 3.270

10 Ipſe prior dilexit nos. 14.34

12 Si



12 Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. 14.29

5.3. Mandata eius grauia non ſunt. 11.197

4 Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra; quis eſt qui vincit mundum niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei. 3.12

14 Qui non diligit manet in morte. 14.35

16 Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. 14.87

## *Epiſt. Iudæ.*

Num.9. CVm Michael Archangelus, cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ. 19.7

## *Apocalypſis Beati Ioannis.*

Cap.1. n.9. EGo Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno. 7.112

15 Vox illius, vt vox aquarum multarum, & de ore eius gladius, ex vtraque parte acutus. 7.27.& 26.84.& 11.75.

16 Facies eius, ſicut Sol lucet in virtute ſua. 7.28

16 Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem. 11.75.& 117.& 12.27

20 Sacramentum ſeptem ſtellatum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea, & ſeptem ſtellæ ſeptem ſunt Angeli Eccleſiarum. 11.117

2.2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt. 11.13

5 Age pœnitentiam, & prima opera fac, ſin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum. 2.51.& 5.181

7 Qui habet autem audiendi audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis. 3.107

9 Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es. 10.126

3.3. Si ergo non euangelizaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam. 2.50

4 Habes pauca nomina in Sardis, qui non coinquinarunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis. 19.69

14 Hæc dicit, Amen teſtis fidelis. 3.59

16 Vtinam frigidus aut calidus eſſes. 3.37

17 Dicis, quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis. 10.98.& 27.91

18 Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum. 10.140

20 Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum. 3.113

4.1. Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri poſt hæc. 10.47

2 Et ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſuper ſedem ſedens. 20.70

2 Aſcendi in ſpiritu in cælum. 7.98

10 Mittebant coronas ſuas ante thronum. 12.23

11 Dignus eſt Dominus Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant. 26.7

5.5. Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo, in ſanguine tuo. 3.259

8 Et in manibus habebant phialas aureas plenas odoramentorum. 12.23

11 Vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum dicentium voce magna. 26.7

12 Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem. 20.30

6.9. Vidi animas interfectorum propter verbum Dei, & datæ ſunt illis ſingulæ ſtellæ albæ. 10.155

10 Vindica ſanguinem noſtrum Domine Deus noſter. 14.88

7.38. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent. 5.59

8.10. Væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. 3.289

10.2. Habenſque pedem dextrum in mari. 24.30

12.7. Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël, & Angeli eius præliabantur. 2.50.& 3.238

6 Mulier fugit in ſolitudinem, vt ibi paſcant eam. 10.17

10 Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius. 10.218

Audiui vocem magnam de cælo dicentem, Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator. 24.34.& 10.218

12 Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam. 28.13

13.11. Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo agni ſimilia, & loquebatur vt draco. 19.24

14.4. Sequuntur agnum quocumque ierit. 23.19

5 Virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocumque ierit. 14.155

14 Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium. 3.252

18 Mitte falcem acutam, & vindemia botros terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ. 5.279

16.2. Et vidi ſeptem Angelos habentes ſeptem phialas. 2.51

13 Vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore Pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos exire. 21.15

17.3. Abſtu

17.3. Abſtulit in ſpiritu,& vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, & mulier erat circundata purpura, & coccineo,& inaurata auro. 17.30.& 31
15 Aquæ iſtæ quas vidiſti populi ſunt, & gentes,& linguæ. 1.110
18.8. Vna die venient plagæ eius mors, & luctus,& fames. 19.94
10 Væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. 3.290
19.7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei,quia venerunt nuptiæ agni. 10.256
11 Cum iuſtitia iudicat, & pugnat. 2.97
20.1. Miſſus eſt ſerpens in abyſſum. 2.49
21.4. Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor. 10.149.& 155
14 Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim,& in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum. 11.118

R.P.D.F.



# R.P.D.Fr. IOANNIS
# DA SYLVEIRA
## COMMENTARIORVM
## in textum Euangelicum
# TOMVS SECVNDVS,
## EXPLANANS PRIMVM SACRATISSIMVM annum Prædicationis Chriſti IESV Redemptoris noſtri.

### *PRÆNOTATIO.*

1. IN explicando textu Euangelico hunc ordinem ſequutus ſum. In primo Tomo egi de Chriſti Domini ingreſſu in Mundum, id eſt, de ſacratiſſimo eius Aduentu, Natiuitate, pueritia, Baptiſmo, ac aliis vſque ad teſtimonium Ioannis. Per tres ſequentes Tomos, tres annos Prædicationis Chriſti Domini,ipſo dante,& auxiliante, explanabo;& ita quilibet Tomus ſuum dabit annum. Tandem in quinto & vltimo de Chriſti diſceſſu, nempe de his, quæ geſta ſunt in cœnaculo, in ſacratiſſima eius Paſſione, glorioſa Reſurrectione,ac admirabili Aſcenſione diſſeram.

2. Quomodo autem in quolibet anno Prædicationis,ſeries geſtorum Chriſti ſit intexenda,ac ordinanda,variæ ſunt ſententiæ,multæ controuerſiæ, ſed quilibet Tomus meum iudicium in hac re declarabit; nam ibi, vt in propriis locis, quæſtiones, quæ circa hanc materiam ventilantur, explicabo.

3. Quia ergo tres Tomos per tres annos Prædicationis Chriſti diſtribuimus,neceſſarium duxi computationem ipſorum annorum inculcare. Et relictâ antiqua narratione Ammonij & Tatiani in hac re,quæ refertur *in tom. 2. & 3. Biblioth.* communis ſententia eſt hodie,quòd anni prædicationis Chriſti computantur à Paſchate ad Paſcha, vt docent Baronius, Torniellus, Salian. *anno Chriſti* 31. Franciſcus Burgen. Cornelius à Lapide *in itinerario vitæ Chriſti*, & apertè hæc ſententia conſtat ex textu Euangelico, vt iam dico.

Ammon. Tatian.
Baron. Tornel. Salian. Franc. Burg. Cornel.

4. Exoritur ergo primus annus prædicationis Chriſti, quando ipſe in feſto Paſchatis eiecit vendentes de templo, & cœpit zelare domum Dei, ac prædicare regnum cælorum; Chriſtus Dominus baptizatus eſt à Ioanne die 6. Ianuarij, vt latè dixi *lib. 3. c. 2. q. 12.* cùm iam ageret annum trigeſimum primum,& ante diem feſtum ſequentis Paſchæ, qui celebrari conſueuerat à veſpera diei decimæ quartæ menſis Niſan, per dies octo continuos;qui menſis ferè ſemper noſtro reſpondet Martio. Aſcendit Ieſus

*Primus annus prædicationis.*

Ieroſolymam, vt latè deſcribit Ioannes *cap. 2. à n. 13.* ingreſſus in templum, prima vice eiecit vendentes, & ementes, & cœpit annuntiare regnum Dei ob cuius doctrinam, vt ait Euangeliſta citato loco, *n. 23.* *Cùm eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in eum*; & inde ad ſe attraxit Nicodemum, Samaritanam, Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem, abiit in Galilæam, vbi habuit admirabilem ſermonem in monte, inde deſcendens ingreditur Capharnaum, vbi multa mirabilia operatur, & tranſacto anno venit Ieroſolymam. (Ioan. 2.)

5. *Secundus annus prædicationis.* Secundum Paſcha poſt Chriſti Baptiſma, in quo ſecundus annus prædicationis inchoatur; in hac ergo feſtiuitate Paralyticum per triginta & octo annos decumbentem ſanat, de hac ſolemnitate facit mentionem Ioan. cap. 5. n. 1. (Ioan. 5.) *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam, nempe è Galilæa*, vt iam dixi: nec tibi faciat difficultatem, quòd Euangeliſta non dicat expreſsè fuiſſe Paſcha, ſed diem feſtum Iudæorum, quia per antonomaſiam Paſcha dicitur feſtum Iudæorum. Ita affirmant D. Irenæus *lib. 2. cap.* 10. Scaliger *lib. 6. de emend. temp.* & ad citatum cap. Ioan. Rupertus, Ianſenius, Toletus, Franciſcus Lucas, Cornelius à Lapide, & alij, & Torniellus ann. Chriſti 32. ſub medium menſis Maij ſequentis, pernoctans in oratione Apoſtolos elegit, deſcendens turbas docet in loco campeſtri, puerum Centurionis ſanat, Magdalenæ pœnitenti condonat peccata, multa miracula operatur; per varias parabolas, multa docet, audita Ioannis nece ſeceſſit in Galilæam, fameſcentem turbam pauit quinque panibus, & duobus piſcibus; multa, & alta docet de ſacra Euchariſtia, & tunc, vt ait Ioannes Euangeliſta cap. 6. num. 4. *Propè erat Paſcha Iudæorum.* (Irenæus. Scaliger. Rupert. Ianſen. Toletus, Franc. Luc. Cornel. Torniell.)

6. *Tertius annus prædicationis.* Tertia feſtiuitas Paſchalis poſt Baptiſmum, in qua initiatur tertius annus prædicationis Chriſti, hæc ſolemnitas contigit paulò poſt miraculum de quinque panibus, & admirabilem ſermonem de carne ſua in cibum, de ſanguine in potum, vt apertè conſtat ex textu Ioan. proximè citato, *Propè erat feſtum Iudæorum.* Et ad hoc Paſcha celebrandum, vt notant Baron. Torniell. *anno Chriſti* 33. non aſcendit Ieſus Ieroſolymam, vti ex lege ſolebat, quia Iudæi iam ei necem machinabantur, quod manifeſtè conſtat ex *Ioan. 7. n. 1.* Nam narrato ſermone de cæleſti pane, ait, *Poſt hæc ambulabat Ieſus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Et prætermittit ibi Ioannes, quæ Dominus geſſit per ſex menſes, nempe à Paſchate vſque ad Septembrem, in quo incidebat feſtum Scenopegiæ. Ea tamen diſtinctè narrant Matthæus, Marcus, & Lucas, & etiam ipſe Ioannes feſtum Scenopegiæ. In hoc anno multas diſputationes, ac controuerſias habuit Dominus cum Scribis, ac Phariſæis, multa cæleſtia docuit, magna, & alta miracula operatus eſt. (Baron. Torniell. Ioan. 7.)

7. *Diſceſſus Chriſti ad Patrem.* Quarta Paſchali ſolemnitate poſt Baptiſmum appropinquante, ante ſex dies venit Dominus Bethaniam *Ioan. 12. n. 1.* è Bethania profectus Bethpage ad montem Oliueti perrexit Ieroſolymam per viam ramis arborum, ac veſtibus ſternatam; feria quarta, die vigeſima tertia Martij prædicit Dominus ſe poſt biduum crucifigendum; feria quinta, die vigeſima quarta Martij cœnat cum diſcipulis, ſacram Euchariſtiam inſtituit, tandem feria ſexta anno ſacratiſſimo ætatis ſuæ trigeſimo tertio, & tribus menſibus die vigeſima quinta Martij pro redemptione totius generis humani in ara Crucis æterno ſuo Parenti ſe hoſtiam immaculatam obtulit. Die vigeſima ſeptima Martij reſurrexit, die quinta Maij aſcendit in cælum.

In præſenti Tomo agimus de primo anno prædicationis, qui quanuis inceptus ſit prima eiectione vendentium de templo, tamen mihi placuit hîc apponere in initio huius operis celebre conuiuium in nuptiis Cana Galilææ. Primò, quia ibi adeſt Maria Virgo interpellans, cuius inuocatione omnia mea auſpicari mihi gratiſſimum eſt. Secundò, quia hæc fuit prima Chriſti manifeſtatio; ac proinde quædam præparatio ad prædicationem. Tertiò, quia hæc hiſtoria fuit prætermiſſa in primo Tomo, ne huic operi deſit, eam hîc apponimus.





# LIBER QVARTVS.

## CAPVT PRIMVM,

## Adeſt IESVS nuptiis in Cana Galilææ.

| | |
|---|---|
| *Ioannis 2. n. 1.* | Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Cæterùm die tertio factum eſt conuiuium in Kotne ciuitate Galilææ: materque Ieſchua illic aderat. |
| *D. Gaudentius tract. in hoc Euang. Vatablus.* | Et die tertia nuptiæ fiebant, &c. |
| *D. Chryſoſt. homil. 20.* | Et erat mater Ieſu ibi, & fratres eius. |
| *Multi ex Græco apud Salmer. tom. 6. tract. 6.* | In inſigni illa die nuptiæ factæ ſunt, &c. |

### *EXPOSITIO.*

1. POSTQVAM noſter Euangeliſta ſuo cap. 1. à n. 15. Baptiſtæ teſtimoniis declarauit, Chriſtum eſſe verum Meſſiam; ad idem comprobandum, miracula, ac oſtenſiones diuinæ omnipotentiæ adducit: tantum enim, ac tale erat Ioannis teſtimonium, vt poſt ipſum diuinæ ſolùm omnipotentiæ opera expectari poſſent. (*Magnum Ioannis teſtimonium.*) Et circa præſens miraculum quatuor in hoc textu ab Euangeliſta notantur: tempus, occaſio, locus, & circunſtantiæ. Quoad primum: *Die tertia*; ab illa ſcilicet, qua Chriſtus Dominus profectus eſt in Galilæam. Ad inculcandam eximiam hiſtoriæ veritatem, diem Euangeliſta, & circunſtantias notat; mendaces nanque valde confusè loquuntur. (*Veritas diſtincta, mendacium confuſum quærit.*) *Nuptiæ factæ ſunt*; conuiuium nuptiale tanti operis extitit occaſio: & fortaſſe non prandium, ſed cœna fuit, vt docet Tertullianus *lib. de Monogamia, cap.* 8. Nuptiæ, vt notat Caſſianus *lib. 5. c. 1.* ab obnubendo, nimirum cooperiendo vultum, & caput, antiquitùs dicebantur. (Tertul. Caſſian.) *In Cana Galilææ.* Duplex erat, & ideo ad vnius ab alia diſtinctionem exprimitur prouincia: de quibus omnibus latè quæſtionibus ſequentibus.

Ecce iam aſſiſtentes in conuiuio. De fratribus dicam quæſt. 9. *Et erat mater Ieſu ibi.* Extiterant hæ nuptiæ alicuius familiaris, vel conſanguinei illius, vt omnes fatentur; & quanuis Virgo fuerit vocata, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 20. Beda, & alij, & inſinuat textus verſu ſequenti: *Vocatus eſt autem & Ieſus*; illa coniunctio *&*, hoc denotat; Euangeliſta tamen non exprimit, vt ſignificet, quòd vbi noſtra neceſſitas interuenit, ibi adeſt ad ſubueniendum Deipara. Vel quia ipſa ſæpe non rogata ad noſtras ſpirituales nuptias in ſpiritu venit, ſua interceſſione proferens lumen cæcis. Et non ait: Erat ibi Maria, ſed, *mater Ieſu*; quia confidentia matris pro nobis interpellat: & quia Maria ſemper mater. Vide *lib. 1. cap. 10. n. 2.* Et prius fit mentio de B. Virgine, quàm de Chriſto, honoris cauſa, cùm eſſet mater, vt notant Albertus Magnus, & D. Thom. Alias rationes vide *quæſt. 6.* 2. (Chryſoſt. Beda. *Vbi neceſſitas, ibi adeſt Maria.* *Vt mater interpellat.*)

### QVÆSTIO I.

#### *De tempore, ac die, quo hæ nuptiæ factæ ſunt.*

CHRISTVS Dominus annum agens vigeſimum nonum, & dies tredecim, Ianuarij die ſexta baptizatus eſt à Ioanne, vt dixi *tom. 1. lib. 3. c. 1. q. 12.* Poſtea abiit in deſertum, vbi per quadraginta dies ieiunauit; à quo egreſſus in Nazareth iterum ad matrem venit, & in Iudæa ad Ioannem, cum quo per aliquod tempus conuerſatus, ab ipſoque multiplici teſtimonio demonſtratus; tandem cùm annum iam trigeſimum expleuiſſet, adductis ad ſe Andrea, Petro, Philippo, ac Nathanaële, vt conſtat ex *cap. 1. Ioan.* acceſſit ad Galilæam, vbi ſexta Ianuarij die his nuptiis adeſt, ſicut etiam eodem die à Magis fuerat adoratus. Et quòd hæc tria eodem die contigerint, dixi citato loco, & docet Eccleſia in Antiph. de Epi- 3.

Chryſolog. Bernard. Rupert. Epiphan. Baron. *Magnum miraculum.*

phania: *Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus.* & D. Chryſologus ſerm. 57. *Chriſtus diuerſo tempore, vno, eodemque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino teſtimonio noſcitur.* & *ſerm.* 160. D. Bernardus ſerm. 2. de Epiphan. *Tres apparitiones Domini legimus, vna quidem die, ſed non vno tempore.* & Rupert. *lib.* 3. *de diuinis officiis cap.* 24. & alij Patres relati citato loco *q.* 12. Quod Epiphanius *hæreſ.* 51. confirmat magnis annuis miraculis ſexta Ianuarij die euenientibus; & teſtatur S. Pater de re viſa, ac aliàs probè cognita, vt refert Baronius anno Chriſti 31. in Epitom. *num.* 13. ſcilicet fontem Cibyres vrbis Cariæ, aluumque Geraſæ in Arabia, ac Nilum fluuium Ægypti, in vinum conuerti ſolitos ea hora, qua Chriſtus miraculum fecit. Hæc ex citatis authoribus. Vnde non ſunt audiendi Baronius citatus, Salmeron; qui tenent, hoc miraculum die ſexta Ianuarij non accidiſſe.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo computanda ſit tertia dies, de qua Euangeliſta mentionem facit?*

Euthym. Epiph. Rupert.

4. EVANGELISTA hunc explicans diem ait: *Tertia die*, ſeu, vt alij legunt: *In inſigni illa die*, tot prodigiis celebrata: ſed noſtra vulgata, ac Syriacus, *Tertia die.* Euthymius primò, diem tertiam dici, cenſet, poſt Chriſti à deſerto deſcenſum. Hæc ſententia nullo modo placet: quia baptiſmus Chriſti accidit die ſexta Ianuarij, & poſt ipſum Chriſtus tetendit in deſertum: ergo, cùm hæ nuptiæ extiterint etiam die ſexta Ianuarij, non illo, ſed ſequenti anno celebratæ ſunt. Secunda ſententia eſt D. Epiphanij *hæreſ.* 51. Ruperti *lib.* 2. *in Ioan.* ſcilicet hanc diem tertiam numerari à nouiſſimo Ioannis teſtimonio, quando primi diſcipuli Chriſtum ſunt ſecuti, *Ioan.* 1. *n.* 35. Sed contra hanc expoſitionem ipſemet textus magnam ingerit difficultatem: nam poſt Ioannis teſtimonium duo illi diſcipuli nocte illa apud Dominum manſere, *num.* 39. Et poſtquam Andreas fratrem ſuum adduxit ad Dominum, dicitur in text. 1. num. 43. *In craſtinum voluit exire in Galilæam*; quæ cùm multum diſtaret à Iudæa, ad illam Dominus itinere vnius diei facilè deuenire non poterat.

Faber. Lyran. Caiet. Geneſ. 29.

5. Tertiò Faber Stapulenſis imaginatur, diem tertiam dici à Sabbato antecedenti, hoc eſt, feria tertia. Sed Ioannes toto cap. 1. nullam de Sabbato mentionem fecit: ergo ab illo dies hæc computari non poteſt. Quartò Lyranus, Caietanus, diem tertiam dici, exiſtimant, à vocatione Philippi, & Nathanaëlis. Hæc expoſitio eſt valde probabilis. Tamen multò probabilior mihi videtur quinta ſententia, quæ eſt Origenis *tom.* 9. *in Ioan.* diem tertiam à Chriſti in Galilæam profectione numerari. Ait textus: *In craſtinum voluit exire in Galilæam*; hoc eſt enim vltimum tempus ab Euangeliſta notatum: ac proinde die illa manè diſceſſit à Galilæa, tota illa, & ſequenti iter fecit, die tertia ad Galilæam acceſſit, eſtque ad nuptias inuitatus. Non præteream item ſextam hîc ſententiam apponere, quòd apud antiquos nuptialis feſtiuitas per ſeptem durabat dies. Quod verba Laban ad Iacob comprobant, *Imple hebdomadam huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi*, Geneſ. 29. num. 27. id eſt, ſeptem dies genialium ſolemnitatum, vt obſeruant D. Hieronymus *in quæſtion. ſuper Geneſ.* Diuus Auguſtinus ſimiliter in ſuis quæſt. *quæſt.* 89. ibi Gloſſa Interlinealis, D. Carthuſianus, Lyranus, Cornelius à Lapide, Ioannes de la Haye. Dicunt ergo graues Recentiores, cum quibus eſt Paulus Sherlogus *tom.* 1. *Anteloq. in Cantica. Anteloq.* 2. *ſect.* 2. *n.* 94. quòd iſta tertia dies computatur ex ſeptiduo, quo celebrabatur nuptialis feſtiuitas. Nempe à principio mater Chriſti aderat; & cùm à genitrice acciperent, filium Ieſum eſſe valde humanum, atque affabilem, ita vt ſi inuitaretur, conuiuium non ſperneret; miſerunt ſupplicatum, vti dignaretur nuptiarum ſodalis eſſe. Vocatus eſt igitur Ieſus, & diſcipuli eius. Et quoniam, non à principio celebritatis rogarunt, ſeriùs acceſſit, nempe tertia nuptiarum die.

Hieron. Auguſt. Interlin. Carthuſ. Lyran. Corn. à Lap. De la Haye. Sherlog.

Bonauent. D.Thom. Oſeæ 63. Cyrill. Hilar. Euſebius. *In fide Trinitatis illuminatur homo.*

6. Moraliter etiam expendamus hunc diem tertium. Diuus Bonauentura, Diuus Thomas ait: *Nec vacat myſterio, quòd die tertio nuptiæ factæ ſunt. Primus namque dies, tempus legis naturæ; ſecundus, tempus legis ſcriptæ; tertius verò dies, tempus gratiæ.* Oſeæ 63. *Viuificabit nos poſt duos dies: & die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Similiter Diuus Cyrillus *lib.* 1. *cap.* 26. Per has nuptias ſignificatur Chriſti cum Eccleſia coniunctio, quæ in lege gratiæ actualiter facta eſt, per quam ſalutem conſequimur. Secundò Diuus Hilarius Arelatenſ. homil. 1. *Quæ ſunt iſtæ nuptiæ*, ait, *niſi vota, & gaudia ſalutis humanæ, quæ per confeſſionem Trinitatis, die tertio in huius numeri myſterio celebrantur.* Similiter Euſebius Emiſſen. *homil.* 2. *de Epiphan.* Chriſtus ad has nuptias die tertia venit, quia animam, in qua elucet ſanctiſſimæ Triados fides, & cognitio, viſitat Chriſtus, in eâque multis ditata bonis epulatur, ac adeò in tanti myſterij ſignificationem die tertia venit.

Luc. 1. Boſtrenſis. Anaſtaſ.

7. In parabolis ſuis dixit Chriſtus Dominus: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice accommoda mihi tres panes*, Luc. 1. n. 5. Sed cur homo ad oſtium pulſans, (qui genus humanum præfigurabat) non duos, vel quatuor, ſeu quinque panes poſtulat, ſed tantùm tres: Per hos ſanctæ Trinitatis ſignabatur myſterium, & vbi illius fides inuenitur, ac retinetur, maximè confidenter homo, vti amicus, ad Chriſtum accedit, vt poſtulata impetret, multiſque donetur, vt aperiens oſtium cordis ſui ad ſe Dominum intromittat. Titus Boſtrenſis: *Amicus, cuius oſtium pulſatur, eſt Dominus, & Deus, & Seruator noſter Ieſus Chriſtus. Per tres autem panes, fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum deſignat. Siquidem trium harum inuocatione ſacroſanctæ homouſiæ, & viuificæ Triados conſtat profeſſio.* Trinitatis inuocatione vera fides exhibetur, omni dono ſpirituali vera lux in animo fulget. In primo Orbis molimine tria luminaria creata ſunt, Sol, Luna, & ſtellæ, in quibus vna eſt lux à Sole communicata. Cur autem tota hæc machina ſtatim in exordio triplici luminari illuſtratur, niſi vt denotetur, quòd totus etiam mundus ſpiritualiter à cognitione diuinæ Trinitatis in vnius eſſentiæ vnitate lucem, atque ſplendorem accipiat. S. Anaſtaſius Sinaïta *lib.* 4. *Hexaëmeron*, ait: *Cum iam adeſſent Sol, Luna, & ſtellæ; cognouit mundus trinam illuminationem, & trinam lucem eiuſdem ſimul eſſentiæ in typum ſanctæ Trinitatis.* Ipſa ergo Trinitas in toto hoc opere adaperiat mentem, & dirigat ſtylum, vt in eius laudem aliquid dicamus.



## QVÆSTIO III.

### *Quis fuerit ſponſus, & ſponſa in his nuptiis?*

Rupert. Beda. D.Thom. D.Antonin. Carthuſ. Lyran. Caietan.

8. GRAVES ſunt authores, qui tenent, fuiſſe has nuptias Ioannis Euangeliſtæ, qui cùm duxiſſet vxorem, viſo miraculo, eam dimiſit, Chriſtumque fuit ſecutus. Hanc ſententiam tenet Rupertus *lib.* 2. *in Ioannem, ad finem*, vbi teſtatur, hanc eſſe communem opinionem. Beda tom. 7. in homil. Euang. *Dixit Ieſus Petro, ſequere me.* D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 4. *ad* 1. D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *parte prima hiſtoriali tit.* 5. Carthuſianus, Lyranus, Caietanus *hic*, & eam probabilem iudicant Beaulxam. & Barradas, qui eam tribuunt D. Auguſtino.

Hieron. D.Ignat. Epiphan. Auguſt. Idem. Hugo. Baron. Niceph.

9. Contraria ſententia mihi ſimpliciter videtur vera, quòd nunquam Ioannes nuptias contraxit. eam tradit D. Hieronymus *aduerſ. Iouin. lib.* 1. & antiquiſſimus Ignatius *Epiſt. ad Philadelph.* qui eodem, quo Ioannes, tempore vixit, grauiſſimus eſt author; & eum numerat inter eos, qui nunquam nuptiis operam dederunt. D. Epiphanius *hæreſ.* 51. Fundamentum eſt: quia Ioannes dicitur ſpecialiter dilectus à Domino, quia Virgo ab ipſo eſt electus: ergo eximia virginitate, non ſolùm corpore, ſed etiam mente. Nec videtur conueniens, quòd Dominus, qui nuptias præſentia ſua honorare voluit, eas ſuaſu ſuo deſtruxerit. Deinde Ioannes multò poſt has nuptias vocatus eſt à Chriſto Domino, illum enim vocauit poſt Ioannis Baptiſtæ incarcerationem, vt conſtat ex c. 4. *Matth. n.* 21. non ergo in his nuptiis eſt vocatus. Et D. Auguſt. in præfatione Ioannis nihil contrarium docet; ait enim, ipſum à Domino de fluctiuaga nuptiarum tempeſtate vocatum eſſe. Non eo ſenſu dictum eſt, quòd, cùm vxorem duxiſſet, eam reliquerit, ſed quòd prorſus eam non acceperit. Et idemmet Auguſtinus *tractat. vlt. in Ioannem, ad finem*, maximè approbat ſententiam aſſerentem: *Ea de cauſa Ioannem à Chriſto plus cæteris amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit.* In hac etiam ſententia eſt Cardin. Hugo. Baronius anno Chriſti 31. *in Epitom. num.* 12. & amplectitur ſententiam Nicephori *lib.* 8. *cap.* 30. affirmantis, fuiſſe huiuſmodi nuptias Simonis Cananæi, qui vnus ex duodecim Apoſtolis dictus eſt. Huic opinioni occaſionem dedit nomen *Cananæi*, ſed pro ſe nullum habet firmum fundamentum, nec authorem antiquum, & ideo facilè reiicitur.

D. Antonin.

10. Sponſam nuptiarum teſtatur Diuus Antoninus 3. *part. ſummæ tit.* 21. §. 3. à nonnullis proditum fuiſſe Mariam Magdalenam, quæ ex eo, quòd ſponſo fuerit priuata, libidini ſe tradiderit. Sed hoc nec fundamentum, nec authorem antiquum habet; ac proinde concludimus, hos nubentes eſſe nobis ignotos.



## QVÆSTIO IV.

### *Quare Euangeliſta nomen ſponſi, & ſponſæ non expreſſerit?*

*Non ratione ſanguinis, ſed neceſſitatis Chriſtus venit ad nuptias.* *Ingrati ſine nomine.*

VT patet euidenter ex textu, ſacer Euangeliſta ſponſi, & ſponſæ nomen omnino ſubticuit: imò nobis eſt valde occultum, vt conſtat ex ſuperiori, quæſt. Et ad hoc reſpondeo primò, apud ſacros Euangeliſtas valde frequens eſſe, multorum nomina ſupprimere; nam tantùm opera, & miracula Chriſti ſcribere intendebant, & ideo ſæpè nomina omittunt, vt nomen Reguli, Centurionis, Paralytici, cæci, ac aliorum. Secundò. Hi nubentes, vt eſt omnium ſententia, Chriſti Domini conſanguinei, ac amici erant, ideo eorum nomina non declarantur, ſed ſola neceſſitas, quæ interuenit: *Vinum non habent*, vt eſſet manifeſtum, quòd Chriſtus ad has nuptias acceſſerit, non carnis, & ſanguinis amore ductus, ſed tanquam futuræ neceſſitatis remedium, vt præſenti penuriæ ſubueniret. Tertiò. Hi nubentes ingratitudine notantur; cùm à Chriſto Domino præter ſpem tantum impetrarent beneficium, in gratiarum actionem nec verbum perſoluerunt: & ingratitudo, beneficiorúmque obliuio nomen maximè obſcurat, & expungit. 11.

Geneſ. 9. Ambroſ. Carthuſ. Exod. 12. Num. 7.

Cùm Noë vino inebriatus denudatis pudendis incompoſitus obdormiret, videns eum filius Cham, ac deridens fratribus nunciauit. Quod cùm cognouiſſet Noë, filium maledictione percutiens ait: *Maledictus Chanaan ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*, Geneſ. 9. n. 25. Illud facit hîc ſatis celebrem quæſtionem, cur non execratur Cham, qui peccauit, ſed filium eius Chanaam? D. Ambroſius *lib. de Noë, c.* 32. arbitratur, à ſancto ſene filium, & nepotem ſimul maledici, cùm in eis improbitatis commune eſſet conſortium. Sed iam creſcit dubium, quare non Cham delinquens, ſed filius Chanaam nominatur? Carthuſianus: *Cham prauus, ingratus, indiſcretus patrem contempſit.* Cham cùm parentis tantorum beneficiorum obliuione laboraret, ideo eius nomen ſilentio inuoluitur: ingratus innominatus eſt, & tam execrabilis apparuit Cham coram ſancto ſene, vt, ne ipſum nominaret, pro filio nepotem dixerit. Cùm celebris illa adeſſet nox, in qua Ægyptiorum primogenita erant interficienda, ac Iſraëliticus populus ſpoliata ciuitate liber exiturus, ait textus: *Vocauit Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſraël, & dixit ad eos*, &c. Exod. 12. n. 21. vt ſanguine agni tingerent vtrunque poſtem, tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios, & viſo ſanguine in ſuperliminari non percutiet eos. Et tandem iniunxit eis Moyſes, vt diſponerent ea, quæ ad populum ſpectabant ad egrediendum. Sed cur virorum, quibus tanta cura demandatur, nomina non declarantur; eò vel maximè cùm ſcripta habeantur, quando Principes Iſraël, & capita familiarum per omnes duodecim Tribus ad Tabernaculi, & altaris dedicationem munera obtulerunt. Numer. 7. num. 2. *Primus obtulit Nahaſſon filius Aminadab de tribu Iuda: ſecundo die obtulit Nathanaël filius Suar, dux de tribu Iſſachar*, ibidem *num.* 18. &c. & ita de cæteris. Ea nunc mihi eſt ratio. Hi diuinæ beneficentiæ memores 12.

extiterant, vt dona ſua proteſtantur;illi verò maximè obliti.nam cognito tanto beneficio nullam gratiam perſoluerunt. Vbi ergo grati, proprium familiæ nomen obtinent,ac vocabulum; vbi autem ingrati, illo ſpoliantur omnino, nulloque

B.Vigil. ſigno notantur. B. Vigilius Epiſc. Tridenti lib. aduerſ.Eutychen. *Qui feruidi ſunt in meditatione cœleſtium donorum, nomen ſuum retinent ſcriptum in memoriali vitæ, in quo nullus prauus,nullus ingratus ſcribitur,*

---

## QVÆSTIO V.

### *Quare in Cana Galilææ celebrantur hæ nuptiæ?*

13. D.Hieron. *Quale oppidum Cana.* DVPLEX erat Cana,vt refert D.Hieronymus *de locis Hebraicis*; vna minor in tribu Zabulon, quæ erat Galilææ oppidum decem milliaribus diſtans à Nazareth, vbi Chriſtus, & Maria habitabant,vt

Aranda. teſtatur Aranda *tract.* 2.*c.*4.Altera verò Cana maior proxima Sidoni in tribu Aſſer,de qua fit mentio *Ioſuë* 9.& ad huius diſtinctionem dicitur Cana Galilææ illa prima quæ eſt patria Nathanaël, vt ſcribit Ioannes 21.*n.*2. Et ex ea creditur,fuiſſe Apoſtolus Simon Cananæus. In ea nuptiæ celebratæ fuere, ibique vſque hodie oſtenditur harum nuptiarum ſubterraneum triclinium.

14. Quæſtio præſens eſt, cur potius hoc in loco, quàm in alio hæ nuptiæ ſolennizantur? Ratio litteralis. Quia ibi commorabantur huiuſmodi conſanguinei, ac familiares Chriſti.Moralis au-

D.Gaudent. tem multiplex eſt. Et primò Diuus Gaudentius *tractat.* 1. *in Euangel.* qui ordine octauus eſt, inquit.*Non abſolutè ait Euangeliſta,ſed coniunctione præpoſita, Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Vbi? vtique apud Gentes.* Locus ille Gentium erat, & ibi nuptiæ fiunt, quia Chriſtus Eccleſiam ex Gentibus ſibi in ſponſam congrega-

Albert.Mag bat. Secundò Albertus Magnus: *Vbi iſtæ nuptiæ factæ ſunt: & cognouit nomen prouinciæ; quia Galilæa tranſmutatio facta interpretatur, & ibi litteraliter facta eſt tranſmutatio creaturæ aquæ in vinum: & cordium, quia non credentes mutati ſunt in fidem Redemptoris.* Chriſtus Dominus ad id,quod

*Locus accõmodatus ad opus.* intendit, aptum locum ſemper eligit; cùm verò in his nuptiis magna eſſet rerum permutatio facienda, aquæ ſcilicet in vinum, & non credentium in Chriſti fideles,& ita dicitur infrà, *Crediderunt in eum diſcipuli eius*; ideo Galilæam, quæ tranſmutationem ſignificat, eligit. In operibus ſemper loco accommodandum.

15. Beda. D Bonau. S.Thom. Tertiò Beda,Diuus Bonauentura,Sanctus Thomas,qui ait: *Cana interpretatur zelus; Galilæa verò tranſmigratio. In Zelo ergo tranſmigrationis hæ nuptiæ celebrantur,vt denunciet,eos maximè Chriſti coniunctione dignos exiſtere, qui zelo piæ deuotionis feruentes tranſmigrantur de ſtatu culpæ ad gratiam*

*Tranſmigrãdum à culpa ad gratiam.* *Eccleſiæ, & de morte ad vitam.* Illorum tantùm nuptiæ cum Chriſto fiunt, qui de miſero ſtatu culpæ,atque mortis ad gratiam, vitamque tranſeunt. Hanc conſiderationem proſequens Diuus AntoniusVlyſipponenſ.*ſerm.*2.*poſt Epiphan.* egregiè confirmat. Nam Ruth, vt dicitur ſuo lib. 1. de regione Moabitide tranſmigrauit in Bethlehem,quam Booz ſibi in vxorem aſſumpſit, Moabitæ idololatræ, & infideles erant. Et ita ait

D.Ant.Vlyſ. D.Antonius: *Sic de regione Moabitide, id eſt, diaboli ſeruitute,zelo amoris Dei tranſmigrat in Bethlehem, quæ interpretatur domus panis; & tunc per viam amoris ei infunditur Spiritus ſanctus; hic eſt Booz, qui interpretatur,in quo eſt virtus.*

16. *Chriſtus D. humilia quærit.* Quartò Chriſtus Dominus ſemper humilia quærit.Cõcipitur Nazareth,naſcitur Bethlehem; vt primum ſuæ diuinæ omnipotentiæ ſignum edat,non Romam orbis terrarum dominam, non Ieruſalem regni caput, ſed Canam vicum paruum, & humilem eligit. Quintò Nathanaël, vt notaui in quæſtionis initio, ex Cana Galilææ erat, & hic primus inter omnes Chriſti diſcipulos, de ipſo publica voce teſtatur: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël*, Ioan.1.num.49. Cùm Ioan.1. Nathanaël primus inter omnes Chriſtum glorificauit tam præclara confeſſione, eum etiam Dominus eximio voluit honore afficere, eiuſque *Dominus honorantes ſe honorat.* patriam tanti ſigni, & miraculi oſtenſione nobilitare. Dominus de ſe ait: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum*, 1.Regum 2.num.30.Tex- 1.Reg 2. tus Hebr. habet: *Honorantes me honorabo.* Tranſacto diluuio in ſignum, quod non eſſet in generationibus hominum ſimile futurum,dixit Deus ad Noë: *Hoc eſt ſignum fœderis, quod do inter* Geneſ. 9. *me, & vos; Arcum meum ponam in nubibus*, &c. Geneſ. 9. num. 12. Nõnne Dei promiſſio ſufficiens erat,vt ſanctus ſenex in fide data firmus eſſet?Ad quid vltrà ſignum in nubibus datur?Noë, quantum conſtat ex ſacris litteris, vt notat Pe- Pererius. rerius, fuit primus qui in Dei honorem altare ædificauit, celeberrimumque ei de cunctis pecoribus obtulit holocauſtum,*Geneſ.*8.*num.*20.Cùm ergo ſanctus ſenex in Dei gloriam, & exaltationem externum ſignum ſuper terram permanens, nempe altare,primus poſuerit,meritò Deus quoque in nubibus cæli ad maiorem iuſti ſplendorem, & honorem poſuit ſignum.Chryſoſtomus D.Chryſoſt. homil.28.in Geneſ. *Vide quanto honore iuſtum dignatur,ita cum eo paciſcitur, quaſi homo homini loquens.* Semper Dominus eximio fauore honorantes ſe honorat.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare puriſſima Virgo his nuptiis præſens aderat?*

VT bene notat Simon Caſſianus *lib.* 5. 17. *cap.* 5. extitit valde rationabilis cauſa, Caſſian. ob quam ad has nuptias mundi Regina venerit. Agebatur à Dei ſpiritu, veluti filia Dei, mater Dei, ſponſa Dei, nihil impertinens, atque ſuperfluum in ſuis moribus apparebat, & cùm his nuptiis interfuerit,iuſtiſſimam credimus cauſam, ob quam ibi aduenerit, quæ licèt ab Euangeliſta non ſcribatur,aliquas tamen ex ſanctis Patribus inueſtigare liceat.

Ratio prima,& litteralis eſt,in qua omnes fe- 18. rè expoſitores conueniunt; quia huiuſmodi nubentes amici erant,ac conſanguinei B. Virginis, & ideo ipſa fuit inuitata, vt veniret ad nuptias. Ita Euthymius, Bonauentura, Caietanus, Hugo, Euthym. & alij.Secundò reſpõdet Albertus Magnus:*Erat* Bonauent. *mos*, ait, *antiquorum Patrum vocare honeſtiſſimas* Caietan. *matronas, vt in earum aſpectu, ac doctrina, ſponſi* Hugo. *ad* Albert.Mag.



*ad vitæ honeſtatem informarentur. Omnis autem honeſtatis ſpeculum fuit mater Chriſti.* Eccleſ.15.

Eccli.15. *Exemplum honeſtatis moueti* *Obuiauit illi, quaſi mater honorificata. Et ex hoc honeſtæ fuerunt nuptiæ.* Præſens exemplum mouet multum,& vt ſponſi omni morum probitate, ac compoſitione inſtruerentur, ideo honeſtiſſimæ matronæ ad nuptias vocabantur;& hac de cauſa ſanctiſſima Dei mater eſt inuitata.

19. Rupert. Tertiò Rupertus lib.2.in Ioan. *Magnum*, ait, *& cunctis ſanctæ Eccleſiæ ſpectandum ordinibus humilitatis exemplum, quod mater Ieſu, virgineum Domini templum, illibatum ſancti Spiritus ſacrarium, non aſpernata eſt, carnalium intereſſe cele-*

*Virgo non contemnat nuptias.* *britati nuptiarum.* Quanuis Deipara Virgo maximis Spiritus ſancti donis eſſet conſpicua,nihil tamen inde ſublime ſibi adſcripſit,nec alios longè minora dona habentes contempſit. Proinde qui continentia,ac caſtitate reſplendet,non inde glorietur,non infletur, non aliis inſultet, nec ſe ob id iuſtiorem æſtimet. Quartò idem Rupertus

Rupert. ait: *Optabat enim Dei Genitrix conuiuantibus fieri ianua cœleſtis beneficij, neve illorum deuotio, qui ſe inuitauerant, fructu ſuo careret neve hilaritatem præſentis rei competentem importuna penuria contri-*

*Non contemnanda amicorum benigna voluntas.* *ſtaret.* Adeſt Virgo,ne eam inuitantium affectum contemnere videretur, ſed potiùs vt illum cœleſtium donorum magnitudine recompenſaret; non enim eſt aſpernanda benigna amicorum voluntas,ſed magno fauore proſequenda.

20. D.Thom. Quintò D. Thomas inquirens rationem, cur priùs Virgo vocata fuerit ad nuptias? *Fortè*, ait, *priùs inuitatur mater, quia ambigebant de Ieſu, an inuitatus venturus eſſet ad nuptias, propter ſummam religioſitatem, quam videbant in eo: & quia non viderunt, eum ſe immiſcuiſſe conuiuiis. Et imò puto, quòd primò conſuluerunt matrem, an Ieſus*

*Chriſtus D. à Virgine ſeparari non poterat.* *eſſet vocandus.* Cùm Chriſtus Dominus quendam ſummæ pietatis,ac diuinitatis exhalaret odorem, eum ad has nuptias primò inuitare nubentes non ſunt auſi, ſed ſanctiſſimam matrem vocant; vbi nanque illa aderat, ibi quodam amoris ilice Chriſtus Dominus trahebatur, ab ea enim minimè diſiungi,nec auelli poterat. Vide *tom.* 1 *lib.* 2. *cap.*7. *num.*10. Aliter, & ſextò reſpondet idem

D.Thom. D.Thomas: *Myſticè*, ait, *in nuptiis ſpiritualibus eſt mater Ieſu, Virgo ſcilicet beata,ſicut nuptiarum conciliatrix, quia per eius interceſſionem coniungitur*

Eccli 24. *Omnis, qui ad Chriſtum venit, per Virginem venit.* *anima Chriſto per gratiam.* Eccli.24. *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* His materialibus nuptiis Virgo adeſt; nam in ſpiritualibus, quæ inter Deum, & hominem celebrantur, ipſa eſt conciliatrix; omnis enim, qui ad Chriſtum venit, per Virginem venit. Vide *lib.* 1. *cap.*5. *num.*142. & *n.*145.& *cap.*6.*n.*39.

21. Auguſt. Septimò D. Auguſtinus ſermone 41.de tempore: *Quàm libenter*, ait, *Maria ad has nuptias venit, in quibus Dei mirabilia comprobat, vinum diuina ſuggeſtione ſuggeritur defeciſſe.* Quanuis Cana à Nazareth maximè diſtaret, ad illam tamen Virgo ſe contulit, vt ad manifeſtanda Dei mirabilia daretur occaſio. Pro gloria Domini nulli

*Vbi neceſſitas, ibi velociſſima Virgo.* D.Thom. itineri parcendum. Deinde ad has nuptias venit præuidens, neceſſitatem ibi interuenturam,vinique defectum;& ideo eius præſentia prius,quàm filij refertur. Imò, vt exiſtimat S.Thomas, prius ipſa,quàm filius aduenit:quia ipſa à nobis inuocata,aliquando fit, vt citius, quàm Chriſtus Dominus in noſtrum patrocinium aduolet.De beata

Rupert. Virgine,vt exponit Rupertus, dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, Cantic.4. num.15. ſeu, vt legit Cant.4. D. Ambroſius *lib. de Iſaac ad cap.* 26. *Geneſ. in* Ambroſ. *comment.* Et *in Pſalm.* 118. ad illa verba, *Exitus aquarum: Fons hortorum,puteus aquæ viuæ, & impetus deſcendens à Libano*; hoc eſt, à cœleſti patria. Aquæ ſunt diuinæ gratiæ in B.Virgine, vt explicat Ghiſler.*ibidem expoſ.*4. prout ipſa mun- Ghiſler. di Regina eas à filio ſuo impetratas defert fidelibus,ac deuotis ſuis; & ita eis in auxilium accurrit,vt meritò rapidiſſimis fluentis,atque fluminibus è Libano,alióve altiſſimo monte dimanantibus ſit aſſimilanda: ſic B.Virgo inſtar eiuſmodi fluentorum curſu velociſſimo fidelibus ſuis adeſt.Imò,vt notat idem auctor *citato loco.* In cœleſti Patria ſunt tres fontes: primus,& omnium præſtantiſſimus Deus, eiuſve Eſſentia,è cuius conſpectu ſumma traducitur felicitas;de quo dicitur in Pſalm.35.n.50.*Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Alius fons Pſalm.35. Chriſtus Dominus,eiuſque humanitas ſanctiſſima,de quo annuntiat Iſai. 12.num.5. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Tertius fons Iſai.12. Dei Genitrix Virgo.Et de aquis huius fontis tantùm dicitur,quòd impetu, curſuque concitatiſſimo ad nos fluant,ob velocitatem magnam,quam precibus, & orationibus ſuis in ſuorum præbet auxilium. De i la Richard. Victor. ad illa verba, *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli*, ita ait: *Adeo re-* Rich.Vict. *plentur vbera tua, vt alicuius miſeriæ notitia tacta lac fundant miſericordiæ, nec poſſis miſerias ſcire,& non ſubuenire.*

*Ioannis* 2.*n*.2. Vocatus eſt autem & Ieſus,& diſcipuli eius ad nuptias.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quin & ipſe Ieſchua, ac diſcipuli eius vocatus eſt ad illud conuiuium.

*D.Aug.tract.*8. *in Ioan.* Venerat autem illuc inuitatus ad nuptias, &c.

### *EXPOSITIO.*

QVIA mater Ieſu ibi erat, ideo ipſe 22. vocatus eſt, vt notat D. Thomas D.Thom. cit. ſuperiori quæſt. & indicat illa particula &. Quòd propter matrem vocatus fuerit, notat Tertullianus *lib. de Mono-* Tertul. *gamia cap.*8. quòd ſemel vnas nuptias cœnat.*Et diſcipuli eius*; etiam illi inuitati ſunt, vt aduertit D.Chryſoſtomus, Albertus Magnus, & deſignat Chryſoſt. illa particula &. Certiſſimum eſt, quòd Do- Albert.Mag. minus cum diſcipulis ſuis fuerit præſens: nam quanquam vocati poterant non venire, tamen clarè conſtat, veniſſe: & quòd Dominus ibi affuerit, euidens eſt ex toto miraculo. Dominus *Dei præſentia operibus potius, quàm verbis declaratur.* non tantùm verbis, ſed operibus potiùs, ac beneficiis præſentiam ſua voluit declarari. Diſcipuli eius ibi etiam erant, viſo miraculo in fide profecerunt; dicitur enim infrà: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Chriſtus Dominus venerit ad nuptias?*

23. Chryſoſt. Auguſt. Theophyl. *Singularitas vitanda.*

DVBIVM hoc eſt hîc valde frequens, quòd Chriſtus Dominus norma puritatis, maximus virginitatis amator, valde alienus à conuiuiis, & comeſſationibus, ad has nuptias iret, atque conuiuium. Cuias rei varias ex ſanctis Patribus proferamus rationes. Et primò D.Chryſoſtomus homil. 20. in Ioan. *Qui non eſt*, ait, *dedignatus formam ſerui accipere, longè minus ſeruorum ſuorum nuptiis intereſſe: qui cum publicanis, & peccatoribus conuerſabatur, multò minus nuptias recuſaſſet.* Ferè ſimiliter D. Auguſtinus *ſerm.*41. Theophylactus,& alij. Adeſt Ieſus nuptiis,vt quandam in exterioribus actionibus vitaret ſingularitatem,indicaretque communem viuendi modum cum aliis hominibus, qui ad nuptias conſanguineorum, amicorumque ſuorum facilè inuitati veniunt; ac proinde Ieſus in hoc quandam humilitatem præ ſe ferebat. Et ita Pater eum ſublimauit,vt hic eſſet initium mirabilium ſuorum. Vide *lib.*1.*cap.*8.*num.*12. & *lib.*2.*cap.*10.*num.*8.& *lib.*3.*num.*44.

24. Cyrill. Chryſoſt. Euthym. *Chriſtus noſtræ vtilitati, non commodo ſuo conſuluit.*

Secundò D. Cyrillus lib.1.in Ioannem, c.22. *Honeſtæ*, ait, *celebritatis nuptiis tam mater, quàm ipſe cum diſcipulis inuitatus adeſt, miraculi potius quod facturus erat, quàm conuiuij gratia profectus.* Chriſtus futurum agnoſcens ad nuptias ſe confert, vt ibi admirabile miraculum conuerſionis aquæ in vinum faciendi occaſionem haberet, quo & ſuam oſtentaret potentiam, & hominum animos ad ſe conuerteret. Vnde meritò dixit D.Chryſoſtomus citat,& Euthymius, cuius ſunt verba: *Acceſſit autem Saluator ad nuptias, non habito reſpectu ad ſuam dignitatem,ſed ad hominum vtilitatem.* Dominus potius noſtro commodo, quàm maieſtati ſuæ conſuluit.

25. Epiphan. Auguſt. 1. Tim.4. *Nuptiæ approbantur.* Gaudent. Beda. D.Thom. Bonauent. Albert.Mag.

Tertiò D.Epiphanius hæreſ.7.ſic habet: *Eos, qui venerandas nuptias contraxerunt, Deus elegit; vnumquemque in proprio ordine ſaluare ſolet: quomodo enim non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cælorum, cùm vocatus ſit ipſe Saluator ad nuptias, vt nuptias benediceret.* D. Auguſtinus *tractat.*9.*in Ioan.* ſic ait: *Quòd venerit ad nuptias, confirmare voluit,quòd ipſe eas fecerit; futuri enim erant, de quibus Apoſtolus* 1.ad Timoth. 4. *Prohibentes nubere, & dicentes, quòd malæ eſſent nuptiæ,& diabolus eas feciſſet.* Vt ergo hunc errorem Saluator refutaret,præſentia ſua nuptias honeſtauit.Similiter D.Gaudentius *tractat.*1. *in hoc Euang.*Beda,D.Thomas, D. Bonauentura, & alij. Vt matrimonium in mundi exordio ab Æterno Parente inſtitutum, vt ait Albertus Magnus, approbaret,ideo Chriſtus ad has nuptias venit.

26. Cyrill. *Depellitur dolor antiquus.*

Quartò D. Cyrillus Alexandrinus citat. *Præterea: In dolore paries filios; ad mulierem propter peccatum dictum fuit: quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum ſanctimonia videretur, quàm Saluatoris præſentia? qui, cùm ſit verum gaudium, priſcum nuptiarum mœrorem præſentia ſui depulit.* Cùm ex orbis creatione mœrores, atque dolores matrimonio eſſent addicti, Chriſtus lætitia vera, in melius reformans omnia, nuptiis adeſt, vt benedictione ſua nouam lætitiam largiens,triſtitiam, atque anguſtiam ab eis excluderet. Quintò Seuerus Antiochenus, vt refertur in Catena Græca. Ad nuptias venit Chriſtus,vt denotaretur, ſe de cælo ad terram deſcendiſſe nuptiarum cauſa, vt humanam naturam hypoſtaticæ vnionis indiſſolubili matrimonio ſibi adiungeret. Seuerus.

27. Damian. *Chriſtus fidelibus ſuis multa præbet.*

Sextò Cardinalis Petrus Damianus lib.7.epiſt. 19. ad Blancam: *Hæc igitur omnia*, ait, *ſpiritualibus conferenda ſunt nuptiis, ac nouæ ſponſæ diligenter aptanda. Et ſicut Euangeliſta teſtatur: Vocatus eſt Ieſus ad nuptias cum diſcipulis ſuis:ſed tanquam pronubus, non vt ſponſus: quaſi pranſurus, non vt nupturus. Iſtæ verò nuptiæ tanto illas priuilegio ſuperant, vt hic Ieſus iure credatur, non amicus eſſe, ſed ſponſus. Illic Ieſus aquam conuertit in vinum: hic idem Ieſus & vinum ſemetipſum fecit, & cibum.* Dominus, vt quantis donis amici ſui erant afficiendi,explicaret, ad has nuptias venit: nam, ſi in illis, quibus vt amicus affuit, tot operatus eſt ſigna, quid in ſpirituali matrimonio, in quo ſponſus eſt ipſe?Tunc vinum non ex aqua tranſmutatum, ſed in ſanguinem ſuum mirabiliter conuerſum,in delicias æternas præbebit.

28. Maximus. *Ob noua non contemnenda vetera.* *Matrimonij onera ad virginitatem ſtimulant.*

Septimò D. Maximus homil. 1. de Epiphan. *Vadit*, ait, *ad nuptias veteris inſtituti, nouam ſibi perpetuæ virginitatis ſponſam Gentium de conuerſione facturus. Vadit ad nuptias, quem nuptiæ non crearunt.* Vbi S. Pater duo ſubtiliter nobis inculcat. Et primum, quòd quanuis ſine materialibus nuptiis eſſet natus,& Virginem ſibi ſponſam copularet, antiqui inſtituti nuptias non contemnit,nec enim ob noua aſpernanda ſunt omnino vetera. Secundum,Dominus,dum Virginem ſibi ſponſam creare intendit, cum diſcipulis ad nuptias venit. Mira Saluatoris induſtria! nullo familiares in ſchola Chriſti maiori excitamento ad virginitatem exhortari poterant, quàm matrimonij onera,atque incommoda propè, ac minutim inſpiciendo;hæ enim,ſi bene conſiderentur, ad faſtidium potius, & omiſſionem,quàm ad ſui amorem prouocant,maximéque ad virginitatem ſtimulant.

29. Caſſian. *Chriſtus priùs fecit quæ docuit.*

Octauò Simon Caſſianus lib.5.cap.1. *Vocatus eſt Ieſus*, ait, *aut velut pauper, aut velut notus à ſponſo, aut ex confidentia parentelæ, aut ſuggeſtione matris factum eſt, quæ filij ſui præſentiam vbique cupiebat.*Cùm Virgo à filio ſuo ſeiungi non poſſet,eius monitu vocatus eſt & Ieſus. Nonò idem Caſſianus citato loco ſic ſcripſit: *Melius diuina diſpoſitione factum eſſe credimus, vt Ieſus ad huiuſmodi nuptias vocaretur, propter ea, quæ mirabiliter ſunt ſecuta. Qui non iuſtos,ſed peccatores vocare venit ad pœnitentiam.* Cùm Chriſtus,vt ad ſpirituales nuptias homines vocaret, de cælo ad terram deſcendiſſet; aduocatus ipſe ad hoc conuiuium aduenit, vt priùs ita opere præſtaret, quæ verbis erat docturus.

30. Exod. 3. *Magiſter priùs opus adimpleat, quàm doceat.* Ambroſ. Chryſoſt.

Cùm Deus in rubo appareret, tantæ viſionis deſiderio inflammatus pergit Moſes ad videndum. Cui Deus clamans ait: *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis*, Exod.3. num.5. In multas, variaſque ſententias Doctores fecit abire, cur Deus Moyſi calceos abiicere mandauerit? Quid repugnabat,quòd cum illis ad tantum locum accederet? Vocabatur Moyſes ad populum adhortandum,vt demiſſis carnalibus toto corde ad Deum appropinquaret:bene ergo Moyſi mandatur



mandatur, vt dimittat carnis exutiias, ac ita facilè, & expeditè ad Deum accedat. D. Ambroſius lib.de Iſaac,& anima cap.4.*Moyſi dicitur*,ait,*Solue calceamentum pedum tuorum, vt vocaturus populum ad Dei regnum, priùs carnis exuuias deponeret, & nudo ſpiritu, veſtigioque mentis incederet.* vt Moyſes, tanquam bonus dux, priùs opere adimpleret, quæ verbo dicturus erat; nam vt ſcribit Chryſoſtomus *homil.* 7. ex variis in Matth. *In doctore moleſta cauſa eſt, docere, nec facere; præcipere, nec obſeruare.* Vide *tom.*1. *lib.*2.*cap.*3. *num.*28.& *lib.*3.*cap.*1.*n.*33.& 34.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Dominus iuit ad nuptias cum diſcipulis,non verò ad Ieruſalem?*

31. Origen. Ioan.2. *Imperfecti nō admittuntur ad cælum.*

DOMINVS hîc ad nuptias cum diſcipulis ſuis ſe confert:cùm verò aſcendit in Ieruſalem, vt conſtat ex hoc cap.2. Ioan. num.13. diſcipulorum nulla mentio fit,ſolus aſcendit. Hoc dubium excitat, & tripliciter ſoluit Origenes *tom.*10. *in Ioan.* Et primò, quòd diſcipuli etiam in illam ſanctam ciuitatem Chriſtum ſunt comitati; nam cùm Dominus eieciſſet vendentes: *Recordati ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt:Zelus Domus tuæ comedit me*, Ioan.2. n.17. Ergo ibi diſcipuli præſentes erant, & cum magiſtro aſcenderunt, nec eſt fundamentum, vt dicamus, quòd ſeparati ſint à Domino. Et hæc mihi videtur litteralis reſponſio. Secundò idem reſpondet: *Eſt autem*, ait, *Hieroſolyma ciuitas Regis magni, ad quam nullus eorum, qui manent in terris, conſcendit, nec ingreditur. Sed qualibet anima, quæ naturalem obtinet celſitudinem, & acumen intelligibilium, eius ciuitatis eſt incola, ad quam ſolus Ieſus aſcendiſſe dicitur.* Diſcipuli, cùm eſſent imperfecti, vt in Chriſtum credant, ad nuptias, quæ carnis erant opera,veniunt: non verò in Ieruſalem, quæ cæleſtem patriam deſignabat, in quam nihil inquinatum introibit; ideoque ad illam ſolus Chriſtus aſcendere dicitur.

32. Origen. *Chriſtus idē cum membris ſuis.* Ioan.3. Matth.24. Anſbertus.

Tertiò reſpondet idem Origenes: *Fortaſſe in ſingulis diſcipulis erat Ieſus Hieroſolymam aſcendens; quocirca non dictum eſt: Aſcendit Ieſus Hieroſolymam, & diſcipuli eius.* Chriſtus Dominus vnus, idemque eſt cum membris ſuis;ac proinde dum Chriſtus aſcendit, ibi & diſcipuli eius aſcendunt,nequit enim à ſuis diſiungi. Ait Chriſtus Dominus Nicodemo: *Nemo aſcendit in cælum,niſi qui deſcendit,filius hominis, qui eſt in cælo*, Ioan.3.num.13.Sed quomodo,bone Ieſu,hæc dicis: Tu ſolus in cœlo regnabis, qui de cælo deſcendiſti? Nónne etiam ibi tui erunt? Nónne eſt tuum verbum: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ?* Matth.24.num.28. Præclarè reſpondet Anſbertus in cap.1. Apocal.lib.9. *Ibi intelligimus*, ait, *quòd ſi quis membrorum aſcenderit, non per ſe,ſed per ipſum,& in ipſo capite aſcendere valet, id eſt, in D. Ieſu Chriſto, qui hoc membris ſuis ſperandum dedit promittendo.* Abſque ſuis Dominus eſſe non poteſt, & dum ipſe cælum ingreditur,illuc & ſui feruntur.

33. *Chriſtus ſibi aſpera, nobis ſuauia reſeruat.* Iſai 63. Luc.22. Ioan.18. Bonauent.

Quartò. Diſcipuli ad nuptiale tendunt conuiuium,in quo multa delectabant, humanæque naturæ leuabant moleſtias: in Ieruſalem omnia dura, & aſpera parabantur; ideoque ad illam Chriſtus pergit ſolus, qui ſibi tantùm aſpera reſeruauit; ſuauia autem, & iocunda nobis communicat. In paſſione ſua clamans filius ad Patrem ait: *Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum*, Iſai. 63. n. 3. Cùm tamen Dominus cum ſuis de regno diſſereret, ait: *Ego diſpono vobis,ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim Tribus Iſraël*, Luc. 22. num. 29. Sed cur Dominus ad paſſionem, & ad mortem ita ſolus ducitur, vt, dum comprehenderetur, inimicis ſuis dixerit: *Si ergo me quæritis, ſinite eos abire*, Ioan.18.num.8. ad regnum tamen ſui conſortes admittit? Morti, cruciſque ignominiæ ſolus accurrit; regnum autem non ſibi tantùm retinuit, ſed in ſuos quoque transfudit, vt illius participes efficiantur. D. Bonauentura ibi: *Pater diſpoſuit Filio, quòd perueniret ad exaltationem per humilitatem; nam infrà dicitur*, Luc. 24. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Et filius diſponit nobis regnum,quantum ad viam, & quantum ad patriam, quod non ſolùm dicit, quoad conuiuium refectionis, verùm & ad ſolium honoris; & ideo addit: Et ſedeatis ſuper thronos iudicantes.* Ad paſſionem ſolus ingreditur; ad regnum, & ſolium ſuos ſecum transfert.

## QVÆSTIO IX.

### *De perſonis, quæ his nuptiis interfuerint: agitur de Apoſtolis, fratribus, ac D.Ioſeph.*

34. Chryſoſt. Alex.Nic. Ioan 2. Ambroſ. *Quinam diſcipuli.* Chryſoſt. Epiphan. Tolet. Carthag. Ioan.1.

ANCEPS eſt quæſtio,Quinam ex diſcipulis Domini in his nuptiis fuerint? D. Chryſoſtomus *homil.*20. *in Ioannem* legit, *Fratres*; at noſtra vulgata, & Syriacus habet *diſcipulos.* Et quanquam ibi etiam interfuerint aliqui fratres, id eſt, conſanguinei Domini, vt affirmat Alexander Nicomedenſis *in catena Græca*: ( nam ſponſus, vt communiter creditur, Saluatoris cognatus erat; ) fratres tamen à diſcipulis ſunt diſtincti, vt apertè conſtat ex hoc cap. 2.Ioan.num.12. dicitur enim ibi;*Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & diſcipuli eius.* Quoad noſtrum intentum D. Ambroſius *ſerm.* 20. ait, diſcipulos aſtantes in nuptiis eſſe Apoſtolos. quod intelligendum eſt, quòd poſtea fuerunt Apoſtoli. D. Chryſoſtomus *homil.*47.inter inuitatos numerat Iacobum, & Iudam;neſcio quo fundamento. D. Epiphanius *hæreſ.*51.vt certum ſcribit, ibi non fuiſſe Petrum, & Andream; dubitanter tamen proponit, diſcipulos illos fuiſſe Philippum, & Nathanaëlem. quod probabilius videtur Toleto *annotat.*3. & Ioan. Carthagenæ *lib.*11. *homil.*12. & mihi etiam.Quod confirmo; quia, vt conſtat ex *Ioan.*1. *à num.*43. poſtquam Chriſtus voluit in Galilæam exire, vocauit Philippum, & Nathanaëlem, & habuit cum eis ſermonem; ſtatimque ſequitur hæc hiſtoria de nuptiis: ergo videtur, quòd hi diſcipuli cum Chriſto eſſent,cùm nulli alij memorentur eſſe cū illo.

35. *An D.Ioſeph aderat.* Cyprian.

De D. Ioſeph hîc dubitari poteſt, cur de eo nulla hîc mentio fiat? Et tota hæc quæſtio ab illa pendet: an adhuc viuus eſſet? D.Cyprianus de

Arnold. Ambroſ. Auguſt.

*de paſſione Domini*, tenet, Ioſephum, quando Chriſtus in Cruce pendebat, inter viuos eſſe. Idem ſentit Ambroſius *lib.de Inſtit. Virg. cap.6. & in Luc.cap.23.* Arnoldus Abbas *tract.7.de verbis Domini*, ad illa verba, *Ecce filius tuus*, Fauet D. Auguſtinus *ſerm.81.* dum ſcribit, Ioſephum Chriſtum adoraſſe in ſua reſurrectione.

36. Epiphan. Caſal. Vincent. Baron. Comeſtor. Bernard. Cedrin. Bonauent. Iſidor.

D.Epiphanius *hæreſ.78.* credit, poſt duodecimum Chriſti annum, ac inuentionem eius cum doctoribus diſputantis, S. Ioſephum exceſſiſſe. Huic opinioni conſentiunt Caſalius *lib. de Arbore vitæ.* Vincentius *ſerm. de S.Ioſeph.* Baronius *ann.Chriſti* 12. Comeſtor *cap.38.* quanuis dubitet, an harum nuptiarum tempore Ioſephus vitam degeret; tamen, vt certum, autumat, in paſſione iam è vita migraſſe. D. Bernardus *ſerm. de S. Ioſeph*, credit, diem ſuum obiiſſe ante Chriſti baptiſmum. Cedrinus, grauis auctor, ſcribit, Ioſephum vſque ad Chriſti baptiſmum vixiſſe. D.Bonauentura *lib.de vita Chriſti cap.17.* vſque ad finitum Chriſti ieiunium vitam Ioſephi extendit. D.Iſidorus *lib. 4. de S. Ioſeph* placitum quorundam refert, exiſtimantium, Ioſephum poſt Apoſtolorum vocationem mortuum eſſe.

37. *Vera ſententia.*

Cum his Patribus mihi eſt certiſſimum, quòd Ioſeph tempore paſſionis Chriſti iam eſſet mortuus. Hoc efficaciter conuincit ratio D.Epiphanij. Nam ſi Virginis ſponſus viuus eſſet, dum Chriſtus in Cruce pendebat, alteri, quàm illi, à filio minimè commendaretur. Deinde, quia vehementiſſimus Ioſephi amor neutiquam ferret, quòd ipſe in conſortio Virginis, & Ioannis Cruci non aſtaret. Denique verum mihi videtur, paulò ante, vel poſt baptiſmum ante Euangelij inchoationem obiiſſe, cùm de eo nulla fiat mentio, interuenientibus ad hoc occaſionibus multis, vt fit de B. Virgine, & fratribus Domini. Et ideo harum nuptiarum tempore iam mortuus erat.

## QVÆSTIO X.

### *Quare ad has nuptias acceſſerunt diſcipuli?*

38. Caietan. Albert.Mag.

VOCATI ſunt etiam diſcipuli, vt dixi in expoſitione: illi enim vt modeſti, tantique magiſtri diſcipuli, ſe ad conuiuium non intromitterent, niſi vocati. Quare ergo inuitati ſunt? inquirimus. Reſpondeo primò. Quia nubentium amici, & fortè cognati erant. Ad quod de Nathanaële aſſerendum, magnum habemus fundamentum, erat enim ex Cana Galilææ, vt iam dixi *quæſt.5.* & notat Rupertus *lib.2.in Ioan.* Secundò Caietanus, quòd ratione Ieſu tanquam ipſius comites adducti ſunt. Quod præclarè explicat Albertus Magnus: *Vocantur gratia familiaritatis Chriſti; nam, vt ipſe ait, turpe eſt, vocari aliquem, niſi etiam vocentur ſui comites, ac familiares.* Hæc ratio etiam germana, & litteralis.

39. Ant.Vlyſip. *Tria in matrimonio requiruntur.*

Tertiò moraliter rem explicat D. Antonius Vlyſip. *ſerm.2.poſt Epiphan.* Vocantur ad has nuptias Virgo, Ieſus, & diſcipuli. In B.Virgine deſignabatur caſtitas: in Chriſto manſuetudo & humilitas, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Matth.11.num.29. In diſcipulis verò obedientia. *Ecce decus, & decor nuptiarum*, ait.S.Antonius. *nam in eis debet eſſe caſtitas, & inter coniuges manſuetudo, & humilitas, ne vnus præſumat ſuper alterum. Et tandem in muliere obedientia.*

40. Hincmarus. Cant.8. Hebræus. Ghiſler. Septuag. Honorius. Ioan.19. Chryſoſt. Bonauent. Albert.Mag.

Quartò. Vocantur diſcipuli, quia, vt eleganter dixit Hincmarus Remenſis Archiepiſc.opuſc.54. *Qui honorificè veneratur Cæſarem, veneratur & amicos eius.* Benignus ergo amor, quo nubentes hi proſequebantur Chriſtum, ad amicos etiam, ac familiares eius extendebatur. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*, Cantic.8. num. 13. ſeu, vt multi legunt ex Hebræo, *amici ſpectant.* Et quinam hi amici? Ipſius ſcilicet ſponſæ, vt explicat Ghiſler. *expoſit.3.* cuius hæc ſunt verba ad ſponſum, vt multi tenent, & habent ſeptuaginta: *Qui ſedes in hortis.* Sed quo pacto vox gratiæ, & beneuolentiæ, quæ tantùm ad ſponſam dirigenda erat, de amicorum etiam expectatione mentionem facit: *Amici ſpectant?* Maximè, cùm enim Chriſtus Dominus diues ſit in miſericordia, eius liberalitas, & fauor non ſolùm in ſponſa terminabatur, verùm etiam illius amicos afficiebat. Honorius Auguſtudun. Preſbyter ibi: *Amici auſcultant, hoc eſt, Angeli, per me facti tui amici, & tui pacifici.* Cùm eſſent amici ſponſæ, per id etiam cum ſponſo amicitiam, & beneuolentiam obtinuere. Chriſtus Dominus affixus Cruci, matris curam agens, dixit diſcipulo: *Ecce mater tua*, Ioan.19.n.26. Quærunt *ibi* Chryſoſtomus, D. Bonauent. cur etiam aliarum mulierum, quæ ibi iuxta Crucem aderant, non meminit? Cur earum pium obſequium aliqua indulgentia non proſequitur? Sanctæ illæ mulieres arctiſſimo amicitiæ vinculo cum Virgine annectebantur: ergo dum Virgo diſcipulo commendatur, ibi & illæ piæ fœminæ commendantur: perfectus nanque Ioannis in Virginem amor, illius etiam deuotos debebat attingere. Albertus Magnus: *In quadam hiſtoria*, ait, *legitur, quòd ex tunc recepit eam Ioannes in domum ſuam, & cum puellis aliis de eleemoſynis fidelium eam ſuſtentauit.*

*Ioannis 2.n.3.* **Et deficiente vino dixit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.**

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Græcus.Vatabl. Pagnin.* | Cùm defeciſſet vinum, dicit ei mater Ieſu, *&c.* |
| *S.Gaudentius tract.1.* | Conſummatum erat vinum nuptiarum, *&c.* |
| *Arnobus Afer in annot. & idē Gaudent.* | Vinum non habebant. |
| *D.Ambroſius in Pſal.118. ad verba*, tempus faciendi. *& lib.de Inſt. Virg.cap.5.* | Vinum non habent, fili. |

*EXPO*



### *EXPOSITIO.*

41. Gaudent. Titelman. Auguſt. D.Thom. Lyran. Carthuſ. Caietan. Ianſen. Albert.Mag. Caietan. Bonauent.

CVM inuitati conuiuio adeſſent: *Deficiente vino*, Gaudentius, Titelmanus, id eſt, cùm vinum eſſet omnino conſumptum. Meliùs tamen mihi videtur dicendum cum D. Auguſtino *ſerm.41. de tempore.* D.Thoma, Lyrano, Carthuſiano, Caietano, Ianſenio hîc: *Cum vinum inciperet deficere.* Hoc propriè ſignificat verbum appoſitum in textu Græco: nec enim eximia Virginis charitas rem ad extremum deuenire permiſit, ne in inuitantibus verecundia appareret, in eiſque confuſio eſſet, atque triſtitia, vbi Chriſtus Ieſus ſumma lætitia aderat. *Dicit mater Ieſu ad eum.* nam, vt ait Albertus Magnus, *Nouit tempus obſeruare mater ſapientiæ ad interpellandum pro nobis.* Et non ait Euangeliſta de præterito, ſed de præſenti, dicit: quia vbi neceſſitas interuenit, ipſa pro nobis loquitur. In conuiuio Virgo prope Chriſtum ſedebat, vt tenet vniuerſalis ſcriptura Eccleſiæ, & ſic vini penuriam ei potuit indicare, quam ab aliquo miniſtrorum accepit. Ex quo patet, vt aduertit Caietanus, pertinuiſſe ad Virginem ſponſum, cuius erat prouidere de vino. D. verò Bonauentura *de vita Chriſti cap.20.* tenet, Virginem non accubuiſſe menſæ, ſed eorum geſſiſſe curam, quæ ad nuptias attinebant; & ideo dixit miniſtris, vt imperata Chriſti facerent: & hoc pacto facilè potuit vini penuriam filio indicare.

42. D. Gaudent. *Virginis verbum omni ſapientia plenum.* Chryſoſt. Bonauent. Theophyl. *In neceſſitatibus ad Deū recurrendum.* Pſalm.36. Goffridus. Irenæus.

*Vinum non habent.* Prudentiſſimum verbum, breuiter, & compendiosè totum dixit. Verbum charitatis plenum non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum. Non enim dixit, vt notat D. Gaudentius *tractat.1.* vinum deficit eis: ſed tantùm, *vinum non habent*; vt hoc verborum artificio inuitantium operiret defectum. *Verbum fide, &* ſpe plenum; infinitam in filio ſuo ſupponebat potentiam, vt notant D.Chryſoſtomus *homil.20.* & D.Bonauentura *hîc.* Theophylact. Et aliunde filium ſuum videbat, ſe iam mundo manifeſtare incipere: quod multis erat miraculis faciendum, eique notum ex Scriptura. Verbum doctrinæ plenum. Dixit filio ſuo, non vt ipſe ſciat, qui nouit vniuerſa, ſed nos vt doceat, in neceſſitatibus noſtris ad Deum recurrere, qui noſtro pio affectu prouocatus aliquando multa largitur. Pſalm.36. num.5. *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Vel diuina diſpoſitione factum eſt, vt nobis fieret manifeſtum, Chriſtum interuenientibus Mariæ precibus nobis multa largiri. Et quod aliquando exigitur, vt ipſa petat, ad hoc vt filius annuat, vt proſequitur eleganter Goffridus Abbas *ſerm.8.* Verbum modeſtiâ, obedientiâ, & gratitudine plenum, vt patebit ex *quæſt.13. & 14.* Sunt aliqui moraliter dicentes, Virginem in hoc verbo propulſari deſiderio bibendi poculum ſanguinis Chriſti, vt innuit Irenæus *lib.3.cap.18.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quare in his nuptiis vini penuria interuenit?*

43. Albert.Mag. Carthuſ. Hugo. Caietan. *Iniuria amico non eſt facienda.* Tolet. Rupert.

PRÆSENTI quæſtioni reſpondent primò Albertus Magnus, Carthuſianus, Hugo, Caietanus, quòd ex inuitantium paupertate prouenerit hîc defectus: non enim intemperantia conuiuantium hoc præſtitit; nam vbi aderat Chriſtus totius moderationis norma, omnis immoderatio abierat. Neque hoc cauſauit inuitantium imprudentia, quòd plures, quàm paſcere poſſent, adduxerint, cùm eſſent adeò prudentes, vt Chriſtum vocauerint. Sed cùm eſſent pauperes, quæ pro viribus ſuis potuere, præpararunt; amicos omnes, & cognatos inuitarunt, eligentes potius ex conuiuij penuria in verecundiam incidere, quàm alicui amicorum iniuriam facere. Vel dic cum Toleto, quòd fortè plures perſonæ conuiuio ſuperuenere, vt ſæpe ſæpiùs fit, quàm expectabantur. Et ita ait Rupertus *lib.2.in Ioan.* quòd cùm Chriſtus, & diſcipuli eius illa die venerint Canam, vocati ſunt, cùm iam nuptiæ fierent.

44. *Si miniſter eſt infidelis, nulla prouidentia ſufficit in Rege.* Sixt. Senenſ. Exod.16. Pſalm.77. *Nulla ſufficit abundantia, ſi miniſter adeſt infidelis.* Saluian.

Tertiò diſtribuebatur vinum forſitan per miniſtros parum prouidos, & infideles. Et quando in miniſtris infidelitas viget, nulla rerum abundantia, nulla Domini prouidentia ſufficit. Quod elegantiſſimè dixit Sixtus Senenſis tom.6.Bibliothec. *Cæcutit perſpicacitas Principis quando in diſpenſatore regnat auaritia.* Deus, vt populum ſuum per deſertum aleret, ei manna cæleſtem panem dedit; & ait Moyſes: *Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum*, Exod. 16.num.16. Sed hic panis Angelorum manibus fiebat, *Pſal.77.n.24.* & cæli liberaliſſimè diſtillabant: cur igitur non in ea æſtimatione, ac veneratione erat, vt per miniſtrorum manus diſtribueretur; ſed mandatur, vt vnuſquiſque quantum ſibi fuerit neceſſarium, ſumat? Moraliter dicam. Nulla Angelorum ſolertia, nulla cæli ſat eſſet magnifica diffuſio, ſi manna per miniſtrorum manus communicaretur: vt ergo nulli deficiat, & omnibus ſit ſatis, ſumat vnuſquiſque, miniſter ſit nullus: nam, vt ait Saluianus *lib.4.de prouidentia*, de miniſtris regalibus loquens: *Nemo itaque tutus horum eſt: nec vllus admodum præter ſummos à vaſtatione latrocinij populantis immunis, niſi qui ipſis latronibus par eſt in hac conditione.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quare hîc vini potius, quàm aliarum rerum defectus accidit.*

45. Auguſt. *Multiplex interpretatio, legis abrogatio.*

HVIVS rei litteralem nullam inuenio rationem, niſi dicamus, quòd in illis partibus vinum valde carum, & in magno pretio eſſet, & ſic à pauperibus in magna copia haberi non valuit. Ad ſenſus morales confugiunt omnes Patres. Et reſpondet primò D.Auguſtinus apud Gloſſam: *In nuptiis*, ait, *vinum defecit, quia ſenſus legis per carnalem expoſitionem Phariſæorum à ſua priſca virtute cœperat deficere. Vinum* ſignificat veram mentem, & intelligentiam legis quæ lætificat cor hominis, & quia huiuſmodi receſſerat à Iudæis per multiplicem interpretationem ſuis deprauatis commoditatibus conuenientem, ideo vinum deficit; quia multiplex expoſitio, eſt legis abrogatio. vide *cap.11.n.166.167. & 168.*

46. Cyprian.

Secundò D. Cyprianus *epiſtol. 63.* ita ſcribit: *Quia apud Iudæos defecerat gratia ſpiritualis, defecerat*

*defecerat*

*Vbi gratia deeſt, vires deficiunt.*

*fecerat vinum.* Tam ſubitaneus vini defectus ſoli aſcribitur carentiæ gratiæ; vbi enim hæc diſparet, eſſe non poteſt vinum, quo anima, hominiſque vires confortentur; ac adeò huic Maria ſubuenit defectui, quæ ſola huiuſmodi indigentiæ ſuccurrere valet. Tertiò D. Hieronymus apud Albertum Magnum: *Hoc congruum eſt, quia vbi Deus inuitatur, vinum temporalis iocunditatis deficere debet.* Vbi Chriſtus habitat, ibi deficit vinum carnalis iocunditatis, & voluptatis. Ita ait Paulus ad Philip. 3. num. 8. *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo.*

Hieron.

*Ad præſentiã Chriſti carnales voluptates defugiũt.*

Philip 3.

47. D.Gaudent. Quartò D. Gaudentius tractat. 1. in Euangel. *Quod autem dicit, quia conſummatum erat vinum nuptiarum, non abſolutè dixit, & tu credas, his forſitan defeciſſe, quibus adhuc datum non fuerat.* Per vinum nuptiale intelligit S. Pater, vt ipſe infrà ſe explicat, Spiritus ſancti dona; hæc autem eis deficiunt, qui ſuauitatem eius adhuc non guſtarunt; nam ſi guſtauerint, inebriabuntur ab vbertate domus Dei, ita vt nihil aliud deſiderent, atque affectent.

*Dum Spiritus ſancti dona deſunt, deeſt ſuauitas.*

48. Cæſ.Arel. Quintò Cæſar Arelatẽnſ. homil. 8. in verba quædam 1. Corinth. 4. *Vinum*, ait, *deficiebat, quia vinea fructum negabat, de qua dicitur* Iſai. 5. *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem ſpinas.* Idem ferè Euſebius Emiſſenus *homil. 2. de Epiphan.* Vinea Domini erat domus Iſraël; hæc autem à Domino decedens fructum ſuum, quod erat vinum, Domino negabat. Euſebius citatus etiam per vinum multis locis ſacrarum Scripturarum ſalubritatem, atque virtutem, ait, ſignificari, quo affectus fidelium incaleſcit; quod in Iudæis iam deficiebat. Sexto S. Thomas. Ante Incarnationem Chriſti triplex vinum deficiebat, ſcilicet iuſtitiæ, ſapientiæ, & charitatis. Vinum enim mordicat, & quantum ad hoc iuſtitia dicitur, *Luc.* 10. Samaritanus vinum & oleum appoſuit vulneribus ſauciati, id eſt, cum dulcedine miſericordiæ ſeueritatem iuſtitiæ. *Vinum etiam lætificat cor hominis*, Pſalm. 103. & non habet amaritudinem conuictus illius, quod eſt ſapientiæ, vt dicitur *Sap.* 8. *num.* 16. Vinum ſimiliter inebriat Cantic. 5. *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi*, & ſecundùm hoc charitas dicitur. Et quia hæc tria à Iudæis receſſerant, ideo vinum deficiebat.

Iſai. 5.

Emiſſen.

*In Iudæis deficit fructus & ſcriptura.*

S.Thom.

Pſalm. 103.

Cant. 5.

49. Caſſian. Septimò Simon Caſſianus lib. 5. cap. 1. *Vinum non habent nuptiæ, vel conuiuæ: quia non habent vnde lætentur,* &c. *verè omnes in hac vita degentes non habent vnde gaudeant, ſed vnde mœſtitia ſatientur. Pœnalitatibus corporis ſubiecti ſumus, mors certiſſima, & vndique mala viſibilia, & inuiſibilia ſe ipſa conglomerantur.* Erant conuiuæ maximè lætantes, deficit vinum, quia à rebus temporalibus ſemper tranſmigratur lætitia, & apparet in eis confuſio, & triſtitia. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem*, Threnor. 1. n. 9. ſeu vt legunt ſeptuaginta: *Immunditia eius ante pedes eius, non eſt recordata nouiſſimorum ſuorum.* Ecce ciuitas iucunditatis in luctu, & planctu ſedens. Quænam huius rei cauſa? Sordes in pedibus eius? Quia tradidit ſe terrenis cupiditatibus, auertens faciem ſuam à cognitione nouiſſimorum, ideo in ea nullum gaudium, ſed tantùm mœror, & triſtitia. Rupertus lib. 1. in Hierem. cap. 21. *Sordes eius in pedibus eius. Cuius eius? Dominæ gentium inclytæ, & prouinciarum. Quæ recordari debuiſſet finis ſui; vt terram ſordidam non tangeret pedibus, non ambiret terrena affectu cupiditatis. Non ſic fecit, non ſic recordata eſt finis ſui, ſed depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem.* Vbi terrenis delectationibus ſe illaqueauit, ſtatim expers facta eſt omnis iucunditatis, & conſolationis.

*In rebus temporalibus non eſt lætitia.*

Thren. 1.

Septuag.

Rupert.

## Qvæstio XIII.

### *Quare Virgo hîc proponit tantùm vini defectum, & non petit miraculum?*

50 SANCTISSIMA Deipara miraculum deſiderabat, non ex affectu alicuius gloriolæ, vt aliqui falsò dixerunt; ſed ex affectu manifeſtationis filij ſui: & vt præſenti neceſſitati auxiliaretur, ſolùm neceſſitatem proponit, *Vinum non habent*; & miraculum non petit. Reſpondet primò Albertus Magnus: *Non dicit Virgo*, ait, *Da eis vinum, vt reuerentiam ſeruet filio, & in liberalitate filij, & miſericordia ſpem ponens, tantùm defectum ponit.* Vt cum modeſtia loqueretur, ideo Virgo imperium declinat in verbis; ne maiorem in ſe, quàm in filio meſericordiam eſſe videretur, ideo miraculum non petit, ſed defectum tantùm proponit.

Albert.Mag.

*Virgo multũ filio deferebat.*

51. Bernard. Secundò D. Bernardus ſerm. 46. ſuper Cantica: *Vinum*, ait, *non habent; non precatur Dominum, non imperat filio, defectum vini tantùm nuntiaſſe contenta. cum beneficis, & ad liberalitatem propenſis ita eſt agendum; non enim gratia violenter exprimenda, ſed proponenda occaſio.* Docet quomodo cum magnifico Principe ſit agendum, cui ſat eſt præſentem neceſſitatem indicari. Tertiò D. Bonauentura hîc: *Amanti ſat eſt, inſinuare.* Verecundia amoris eſt, ſi amans precibus ab eo aliquid exquirat. Quartò Haymon in homil. *B. Maria*, ait, *Prophetiſſa erat, ſciebat enim, quòd Dominus ad hoc venerat ad conuiuium illud nuptiarum, vt miraculum faceret ibi, conuertendo aquam in vinum, & ideo ait: Vinum non habent, ac ſi diceret: Ad hoc veniſti ad nuptias, vt miraculum ibi facias, quid moraris? fac citiùs, quod facturus es, vt manifeſtetur gloria tua.*

*Liberali ſat eſt neceſſitatẽ agnoſcere.*

Bonauent.

*Amor non requirit preces.*

Haymon.

52. Carthuſ. Quintò Carthuſianus. *Porrò*, ait, *cùm prudentiſſima eſſet Virgo, pauciſſimis vſa eſt verbis, & in voluntate filij, ac Domini ſui relinquens, quid agere vellet: quo docemur, cauſam, & indigentiam noſtram ſuperioribus noſtris ſimpliciter, atque modeſtè inſinuare, & in eorum pietate, quid faciendum ſit, relinquere.* Perfectiſſimum nobis obedientiæ Virgo præbet exemplum. Dilectiſſimo filio ſuo neceſſitatem tantùm repræſentat, quid verò ſit agendum, modeſtè eius ſubmittit voluntati, & nihil precibus extorquere conatur. Deinde vt prudentiſſima oratione breui rem totam propoſuit.

*Perfecta obediẽtia neceſſitatem tantùm repræſentat.*

53. Goffridus. Sextò Goffridus Abbas *ſerm.* 8. *de B. Virgine*, ſic ait: *Vino deficiente dixit mater Ieſu ad Ieſum: Vinum non habent; ac ſi præciperet, vt ipſe faceret, quòd qui non habebat vinnum, haberent.* Priuilegio matris loquitur Virgo ad filium, & dum dicit, vinum deficere, miraculum fieri inſinuat, cùm orationi, ac voci Mariæ nihil denegetur. Veniat iterum locus ſuprà datus: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*, Cantic. 8. num. 13. Vbi tenet communis ſententia Patrum, verba eſſe dicta à Chriſto ad ſuam ſponſam, quæ in amœnitate erat, hortiſque virtutum omnium. Sed cur tantùm ait: *Amici auſcultant*; ſeu, vt alij legunt, & iam dixi: *Amici ſpectant*; vt ſonet vox tua in auribus meis, vt ſcilicet ego audiam vocem tuam? Cur non potiùs ait: Amici ſpectant, vt eis multa impetres? ſed tantùm, vt vocem tuam erga me proferas, vt mihi loquaris? Optimè ſanè. Idem enim eſt, quòd vox Mariæ in auribus Chriſti ſonet, eique loquatur; ac quòd omnibus impetret, omnibus obtineat. Eleganter citatus Goffridus ſic ait: *Cæteri quidem ſancti Dominum Deum orant, & orando impetrant: ſed honorabilis Virgo Maria, ſi illum ex eo, quòd Deus, & Dominus eſt, exorare meritò creditur; ex eo tamen, quòd homo eſt, & natus ex ea, quaſi quodam matris imperio apud ipſum impetrare, quidquid voluerit, pia fiducia, non dubitatur.* Cum ſanctiſſima Maria Virgo ad ſupremum maieſtatis thronum eueheretur, de ipſa ait Regius Vates Pſalm. 44. n. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* quæ verba, vt ait Cardinalis Hugo ſignificant *paratum nobis à Virgine patrocinium*, Sed ſi Virgo tanto virtutum, ac meritorum ornamento in noſtrum auxilium ad filium acceſſit, valde mirum, quòd Pſalmographus non explicat, quæ ab illa fuerint obtenta; ſed omnia ſilentio inuoluit. Diuina diſpoſitione factum eſt; nam in eo, quod dicitur, quòd ipſa ſtetit, ac pro nobis ad filium acceſſit, cumulatiſſimè omnia nobis eſſe conceſſa, dataque explicantur; ipſa enim omnium eſt clauigera cœleſtium donorum. Accipe Diuum Bernardum ad noſtrum textum ſermone 4. ſuper, Salue Regina: *Vocem tuam*, ait, *audiuimus in Euangelio, ô Domina rerum, ad filium, Vinum non habent; neceſſaria nobis eſt: deficit vinum in cadis noſtris, vinum ſcilicet lætificans cor hominis. Vinum quærimus, quod germinat virgines, harum pincerna tu; calix in manu tua vini meri: in manu tua, in poteſtate tui vini meri, amoris diuini.*

*Virgo dum orat, præcipit, ac obtinet.*



Cant. 8.

Goffrid.

Pſalm. 44.

Hugo.

*Virgo donorũ clauigera.*

Bernard.

## Qvæstio XIV.

### *Quare Virgo vini defectum filio ſuo, non rogata proponit?*

54. Caietan. VIRGO non rogata loquitur pro conuiuantibus. Ex quo, ait Caietanus conſtare, quòd ad Virginem ſpectabant inuitantes, quorum ex vini defectu verecundiam euitare voluit. Secundò ait Euthymius: *Maria deprecata eſt filium pro deficientis vini miraculo: his qui vocauerant, gratiam volens rependere.* Sanctiſſima Deipara, vt ſe benigno inuitantium affectui maximè gratulabundam exhiberet, eorum inopiam miraculo intendit recompenſare. Tertiò Diuus Bernardus ſermone 2. de Dominica poſt Epiphan. *Quoties*, inquit, *mihi neceſſe eſt exorare matrem miſericordiæ, vt ſuggerat ſuo benigniſſimo filio, quoniam vinum non habent. Et ipſa ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata, multò magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata.* Pro illis loquitur, vt deuotis ſuis fiduciam daret, illa enim, ſi pro temporalis neceſſitate ſolicitudinem tantam, curamque non rogata impendit, quid faciet nunc, & noſtris precibus prouocata, & nos videns maiori neceſſitate oppreſſos. Quintò. Declaratur hîc eximia Virginis charitas, quæ à nemine rogata pro aliorum neceſſitatibus ſe ingerit, ad filiumque pro iis auxiliandis libentiſſimè accurrit: nulla nanque maior charitas, quàm illa, quæ ſubuenit non inuocata; & hanc in Virginis charitate excellentiam optimè explicat Concilium Baſilienſe *ſeſſ.* 42. de Viſitatione agens; *In cuius commemoratione*, inquit, *qui tribulati ſunt Mariam implorant, quæ gaudiorum huiuſmodi memor, vt ſperandum eſt, non ſolùm ſupplicantes exaudiet, ſed, ſicut ex ſua clementia conſueuit, etiam ſupplicare volentium preces præueniet.*

Euthym.

*Gratam ſe exhibet Virgo.*

Bernard.

*Virgo ad noſtrum auxilium propenſa.*

*Magnæ charitas Virginis non poſtulata ſubuenit.*

Conc. Baſil.

## Qvæstio XV.

### *Quare Virgo vini defectum filio ſuo tantùm, & non alteri manifeſtat?*

VIRGO filio ſuo tantùm dixit, *Vinum non habent.* Imò, vt notat D. Bonauentura, hoc ei inſinuauit, neſcientibus aliis, quia eximia eius charitas amicorum defectum occultare, & non aperire volebat: & ideo non inuitantibus, non miniſtris pauperibus, ſed filio ſuo ſoli vini defectum proponit, ille enim ſolus poterat præſentem penuriam ſubleuare. Neceſſitatem exponere potenti adhibere remedium, zelus feruentiſſimus eſt: at eam declarare non valenti ſubuenire, eſt murmurationis ſpecies. Cùm impia Iezabel parentem Eliam vellet occidere, fugiens hic ſub vmbra vnius iuniperi obdormiuit, quem excitans Angelus Domini præcepit, vt ambularet vſque ad montem, 3. *Regum* 19. *num.* 5. Cui Elias obediens nec verbum reſpondit, viam arripit, viſione Domini fruitur, cui loquens Elias ait: *Zelo Zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël: altaria tua deſtruxerunt: Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam*, citato cap. 19. num. 14. Valde mirum, quòd Elias, non Angelo, ſed Deo tantùm huiuſmodi querimonias, ac ſcelera Iſraël minutim promat. Sanctus Propheta conquerebatur, remedium quærens, & exoptans; cùm autem Angelus nullum poſſet apponere, nec verbum tale ei dixit Elias, ſi enim Angeli ſubuenire non valent, apud eos non ſunt excitandæ querimoniæ. Deo autem totum eſt aperiendum (vt exemplo ſuo Elias nos inſtruit,) qui huiuſmodi mala ſubleuare, in meliuſque poteſt mutare. Abulenſis quæſt. 13. *Ponit Elias, ſcilicet Deo, motiuum ſuum veniendi in montem Sinaï, ſcilicet quòd propter Zelum legis Dei Iezabel perſequebatur eum vſque ad mortem.* Cauſam ſuam, non Angelo, ſed Deo tantùm exponit.

55. Bonauent.

*Charitas operit defectus.*

*Calamitas, ſeu neceſſitas potenti ſubuenire declaranda.*

3. Reg. 19.

Abulenſ.

*Ioannis 2.n.4.* Et dicit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondũ venit hora mea.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Quid mihi,& tibi mulier? nondum,&c. |
| *D. Epiph. hæreſ.51.* | Quid mihi,& tibi curæ eſt mulier? |
| *D.Iuſtin.Martyr.q.136.* | Quid mihi, & tibi rei eſt mulier? |
| *Vatablus.* | Quid mihi rei tecum eſt mulier? |
| *D. Greg. Nyſſ. in 1.Cor.15.* | Quid mihi tecum eſt mulier? An nondum venit hora mea? |

## *EXPOSITIO.*

56. AD Virginis verba Chriſtus reſpondet: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Chriſtus Virgini ita ſeuerè alloquitur, eam veluti Matrem nòn agnoſcens, non propter ipſam, cùm Virginis actiones à Spiritu ſancto dirigerentur; ſed vt circunſtantes, noſque omnes inſtrueret, quòd in his, quæ Dei Patris, atque miniſterij Euangelij ſunt, non aliquis affectus humanus, ſed Deus ſolus reſpiciendus ſit. Quid ergo mihi & tibi in hoc opere, quod non carnis, & ſanguinis impulſu, ſed tantùm ſyncero Dei obſequio eſt faciendum. *Nondum venit hora mea.* ſcilicet tempus prædefinitum æterni Parentis decreto ad hoc edendum miraculum. *Nondum venit hora mea.* Verbum magno ſacramento plenum. Nam vt ait Toletus, verbum eſt poteſtatis diuinæ, quia vt Dominus, & conditor temporum, eligere potuit, quæ voluit; nemo autem hominum certam ſuam habet horam. Verbum eſt prouidentiæ, quia ab æterno præuidit, & diſpoſuit, quæ fecit in carne. Verbum eſt ſapientiæ, quia conuenientia ſuis quæque finibus operum eligit tempora. Verbum eſt miſericordiæ, quia poſtulatum non denegat, ſed ſubueniendi ſpem præſtat. Verbum reuerentiæ, quia Matrem honorauit, dum eius preces ad opportunum tempus exaudiendas acceptat. Verbum inſtructionis, & obedientiæ, quia omnia ex diuino conſilio, & voluntate ſe facere, docuit.

Tolet. — *Multæ virginis virtutes latent in hoc verbo.*

---

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Chriſtus Dominus Virgini dixerit: Quid mihi, & tibi? Rationem litteralem inquiro.*

57. August. VERBA hæc, vt ait D. Auguſtinus tract. in Ioan. *Certi,* inquit, *ſacramenti gratia videtur, Matrem, de qua ſponſus proceſſit, non agnoſcere, & dicere illi: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Hoc ſacramentum in his verbis latens, eſt altiùs perſcrutandum. Ad quod varias ſententias ex Catholicis referamus. De erroribus Hæreticorum quæſtione ſequenti.

Primò ſunt, qui volunt, hæc verba à Chriſto dicta eſſe per modum cuiuſdam obiurgationis, ac reprehenſionis. Diuus Athanaſius *ſerm. 4. contra Arrian.* quanuis nullam obiurgationis cauſam apponat. D. Auguſtinus *lib. 2. de ſymbolo ad Catechum.c.6.* D. Gregorius Nyſſenus orat. ad verba Apoſtoli: *Tunc erit & ipſe ſubiectus.* Titelman. Et dicunt, motiuum eſſe, quia Virgo ſibi perſuaſerat, iure maternitatis id filio poſſe præcipere. Chryſoſtomus *homil.20.* aſſerit, verba hæc, quandam aduersùs matrem indignationem continere, quia intempeſtiuè petebat miraculum, vel, quia aliquo vanæ gloriæ ducebatur affectu. Nulla ex his admittenda eſt ſententia, habita venia à tantis Patribus. Nam in primis Virginis verba, non per modum imperantis, ſed deprecantis dicta fuere, vt aſſerunt idem Auguſtinus *tract. 8. in Ioan.* D. Gaudentius *tract.2.* D. Hilarius *3.de Trinitate,* D. Cyrillus *lib.2.in Ioan. cap.23.* D. Ambroſius *in Pſalm.118. ſerm. 16.* Virgo enim ſolùm propoſuit, & dixit, *Vinum non habent.* rogare autem ad Dominum, ſanctum, & iuſtum eſt. Et quomodo in ea, quæ ſe ancillam fatebatur, & in cuius mente nulla falſa exiſtimatio, imperij elatio eſſe poterat? vt dixi *tom.1.lib.2.cap.10.* Nec fuit intempeſtiua oratio eius, vt dicebat Chryſoſtomus: illa enim tempus non determinauit, & Chriſtus paulo pòſt miraculum eſt operatus: & eſto determinaret, oratio reprehenſionis digna non erat; illa namque articulum ex diuino decreto conſtitutum ſcire, non tenebatur. Tandem vanæ gloriæ affectus in ea minimè fuit, quia hoc erit peccatum, ſaltem veniale, quod de fide eſt, in Virgine non dari. Concil. Trid. *ſeſſ.6.can.23.* Et Virgo, vt patet ex toto Euangelio, valde humilis erat, oratioque Deo fuit valde grata; nam Chriſtus rationem dedit, ob quam non ſtatim faciebat, & poſtea fecit. Et ideo bene ait D. Thomas *3.part. q.27.art.4. ad 3.* quòd Chryſoſtomus exceſſerit in dicto; benignè tamen eſt explicandus, quòd Dominus ſcilicet inordinatum inanis gloriæ motum cohibuerit, non quoad Virginem, ſed quia ob alias matres à circunſtantibus præſumi, exiſtimarique poterat. 58.

Athanaſ. August. Nyſſen. Titelman. Chryſoſt. August. Gaudent. Hilar. Cyrill. Ambroſ. Trident. D.Thom.

Secundò explicant alij, *Quid mihi, & tibi?* Id eſt, Quid ad me, ac ad te, hæc vini penuria attinet? de hoc defectu prouidere, non ad inuitatos, ſed ad inuitantes ſpectat; à nobis autem, quæ alieni muneris, non ſunt facienda. Ita D. Epiphanius *hæreſ.51.* D. Iuſtinus Martyr *q.136.in reſponſ.* Euthymius, Carthuſianus, Caietanus, Toletus *annot. 6.in fin.* Hæc tamen locutio, *mihi, & tibi,* non coniunctionem, ſed potiùs diſiunctionem ex multiplici Scripturæ loco ſignificat. Vidua dixit Eliæ 3.Reg.17.n.18. *Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt interficeres filium meum.* Dauid filiis Saruiæ 2.Reg.16.n.10.4.Reg.6.n.19. *Quid tibi, & paci?* Dæmones Chriſto Domino dixerunt Marc.5.n.7. *Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi.* In quibus locis, *mihi, & tibi,* ſignificat, nihil rei mihi tecũ eſt: vel, mihi, & tibi nihil eſt cõmune. Et locutio illa germanè vertitur: *Quid mihi tecũ eſt?* 59.

Epiphan. Iuſt.Mart. Euthym. Carthuſ. Caietan. Tolet. 3.Reg.17. 2.Reg.16. 4.Reg.9. Marc.5.

Tertiò aliqui docti viri apud Salmeironem *lib.6.tract.6.* (in qua ſententia eſt etiam Ioannes Bapt. Nouatus *de Emin. Virg.tom.1.c.17.§.Dico ſecundò.*) putant, hoc legendum eſſe per modum admirationis: Quid mihi, & tibi mulier? id eſt, 60.

Salmeiron. Nouatus.



Quæ vis, quodnam eximium charitatis vinculum eſt inter me, & te, vt quanuis non venerit hora mea edendi miraculum, ob tui preces citiùs faciam; & tu dic miniſtris, &c. Tanta enim eſt orationis Virginis efficacia, vt ea, quæ petit, etiam ante tempus obtineat. Æterna Dei ſapientia à principio decernere potuit, ob Virginis interceſſionem citius miraculum edere, quàm ſi aliàs illa non interueniſſet. Hic tamen ſenſus ob Virginis dignitatem pulcher, non autem litteralis eſt: quia verba illa, *mihi, & tibi,* coniunctionem negant, animorumque, & corporum ſonant diſiunctionem, vt iam proximè dixi, & ipſe Salmeiron notat.

*Vim habet oratio Virginis.*

61. Quartò D. Auguſtinus *tractat. 8. in Ioannem.* Diuus Gregorius Magnus *lib.8.epiſt.42.* Richardus *lib.de laudibus Virginis,c.19.* Euſebius Emiſſenus, & Diuus Antonius Vlyſipon. *in 2.Domin. poſt Epiphan.* hîc Beda, Haymon, Albertus Magnus, Sanctus Thomas, qui omnes docent, quòd, cùm in Chriſto Domino duplex eſſet natura, humana, & diuina; ex humana, quæ erat à Matre, infirmitatem; ex diuina, quæ à Patre procedebat, edendi miracula poteſtatem habebat. Ait ergo Chriſtus: *Quid mihi, & tibi mulier?* Scilicet in hoc, quod petis, opere miraculoſo nihil rei mihi tecum eſt, nihil mihi, & tibi commune, cùm à te edendi miracula poteſtatem non habeam. Et ideò dixit: *Nondum venit hora mea,* ſcilicet paſſionis, in qua oſtendam infirmitatem, quam ex te habeo. In hac expoſitione illud mihi eſt difficile, quia prudentiſſima Virgo optimè ſciebat, Chriſti poteſtatem ad patranda miracula ex diuinitate eſſe; quod verò priuilegio Matris, confidenter peteret, nulla dura reſponſione poterat ſigillari: nam etiam Sancti, ac Apoſtoli, vt Chriſti amici, multa laudabiliter petiere. Imò ad hoc Chriſtus nos inuitat, *Ioan.14.n.13. Matth. 17.n.19.*

August. Greg.Magn. Richard. Emiſſen. Ant.Vlyſip. Beda. Haymon. Albert.Mag. D.Thom.

62. Carthag. Quintò aliqui cum Ioanne Carthagena *tom.2. lib.11.homil.4.* ita rem explicant, Mariam hîc eſſe aliqualiter reprehenſam, non quòd in ea aliquid reprehenſibile ſit, ſed ad huius eximiam charitatem in ſuos deuotos commendandam; quæ tanta eſt, vt pro eis intercedere non dubitet, eſto ſe exponat, aliquam à filio repulſam pati: quod eximij amoris eſt index. Hæc quanuis moraliter in laudem Virginis dicta ſint, litteralem ſenſum effugiunt, quia non explicant myſticum, & verum ſenſum, ob quem Chriſtus dixerit: Quid mihi, & tibi? ſeu, Quid rei mihi tecum eſt? cùm aliàs filius eius chariſſimus ſit.

*Virginis charitas pro ſuis.*

63. Sextò genuinus ſenſus huius rei eſt, quòd Chriſtus Dominus ore ſereno, atque benigno ita aliquantulum ſeuerè locutus eſt, non propter Genitricem, in ea enim nihil habens reprehenſionis vmbram, dari poterat; ſed propter circunſtantes, vt omnes inſtrueret, quòd in his, quæ ſui muneris erant, ad Patriſque obſequium, & hominum ſalutem ſpectabant, nullo carnis, aut ſanguinis affectu, ſed puro tantùm in Deum ducebatur reſpectu. Et ita quoties ſuſpicari poterat, carnis amorem interrumpere ea, quæ ad Patris negotia pertinebant, aliquantum aſperè reſpondit: Vt, cùm eſſet in Doctorum diſputationibus occupatus, dixit Matri Luc.2.num.49. *Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Similiter cùm prædicationi Chriſtus eſſet intentus, eique diceretur, matrem, & fratres foris ſtare, veluti per repulſam dixit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Matth.12. num. 49. vt nos doceret, quòd dum Patris negotia obueniunt, nihil carni, & ſanguini tribuendum, ſed dicendum: Quid mihi, & tibi? nam omnes carnales affectus propter Deum contemnendi, ipſeque ſolus eſt reſpiciendus.

*Euangelicus miniſter carnalem excludat affectum.* Luc.2. Matth.12.



Hanc eſſe intelligentiam textus docent Diuus Bernardus ſermone in Dominica 2. poſt Epiphan. *Manifeſtum video,* ait, *quòd non velut indignans, aut confundere volens Virginis matris teneram verecundiam, dixeris: Quid mihi, & tibi? Vt quid ergo fratres? Vt quid ſic reſpondebat? Vtique propter nos, vt conuerſos ad Deum, iam non ſolicitet cura carnalium parentum, & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Quandiu enim in mundo ſumus, debitores conſtat nos parentibus; at poſtquam relinquimus noſmetipſos, multò magis ab eorum ſolicitudine liberti ſumus.* Richardus de S.Victore lib. 3. de laudibus Virg. cap.19. *Increpata,* ait, *Maria non eſt, quia omnis expers culpæ; quod filius manifeſtauit, faciens quod petiit. Sed propter nos, reſponſio illa data eſt, inſtruendos; ne ſpiritualibus agendis parentum curam geramus; ne ad eòs nimium afficiamur, ſed ſolum Dei ſpectemus gloriam.* Tandem Rupertus *lib. 2. in Ioan.* latè hanc noſtram ſententiam explicans ſic concludit, *Fecit,* ait, *ipſe prior, quid nobis faciendum præcepit: non enim alia cuiquam præcepit, quàm quæ ipſe primus opere impleuit. Præcepit autem ei, qui ſeſe dignus eſſe cupit, vt propter Euangelium patrem, & matrem relinquat, & renunciet omnibus, quæ poſſidet. Hoc igitur primus ipſe fecit.* Chriſtus exemplo ſuo firmat doctrinam ſuam, qua docuit, Dei negotia præferenda eſſe curæ carnis ſuæ. 64.

Bernard. Richard. *Sola Dei gloria quærẽda.* Rupert. *Quod Chriſtus docuit, priùs fecit.*

---

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare Dominus tam ſeuerè Matri reſponderit? Expenduntur rationes morales.*

ENVCLEATIS aliquibus ſententiis genuinum horum verborum ſenſum ſuperiori quæſtione dedi: nunc ad morales rationes accedo. Et reſpondet primò D. Gregorius Nyſſenus orat. in illud Apoſtoli 1.Corinth.15.num.28. *Tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* Ita ait ſanctus Pater: *Cur enim in humana per carnem verſans natura, in pueruli ipſe progreſſus ætate, ad Matris poteſtatem non ampliùs aſpicit? Illa enim ipſum hortante in Cana Galilææ, vt ſuam oſtenderet potentiam in nuptiali epulo, & vſum vini largiretur conuiuio, egentibus quidem recuſauit gratificari. Maternum autem conſilium, vt quod minimè in tempore adhiberetur, reiecit, dicens: Quid mihi, & tibi mulier? Vis ne, me ante ætatem præeſſe, ac imperare? Nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, vt imperet, & ſit ſui iuris.* Nato ſemper periucunda Matris oratio; cur autem hîc eius poſtulatio videtur ingrata? Nondum præſtitutam adeſſe horam, inquit, *quæ concedat ætati, vt imperet,* iureque dominationis vtatur. Chriſtus Dominus cùm 65.

Nyſſen. 1.Cor.15.

eſſet valde humilis, ita vt ſuis diceret: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Matt. 11. n. 29. primordia prædicationis, atque Eccleſiæ, non in regnandi & imperandi oſtentatione, ſed in ſubiectione, & humilitate fundare intendebat; & vt per omnia eſſet ſimilis fratribus, ait: *Nondum venit hora mea, quæ præbet ætati, vt imperet*; hoc enim ad maius tempus, longioremque ætatem remittitur. Prouecta ætas apta ad imperium; humilitas verò fundamentum ad magna. Dominus in vltima cœna abditiſſima myſteria ſuis reſerare parabat, atque in ſacra Euchariſtia potentiæ ſuæ, & amoris declarare diuitias, ac tandem regnum eis præparare, atque diſponere. Ante hæc omnia ait ſacer Euangeliſta: *Surgit à cœna, ponit veſtimenta ſua, miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum*, Ioan. 13. num. 5. Sed cur ad tanta myſteria peragenda huiuſmodi ablutio præmittitur? Ad quid diuinus amor lauandis pedibus immoratur, & non ſtatim aduolat, vt diuitias ſuas diffundat? Optimus Magiſter ab humilitatis fundamento exorditur opus, vt ſui multis fructificent, & proficiant. D. Bernardus *tractat. de gradibus humilit. §. Interlucet*, pulchrè ait, *Tradebat diſcipulis humilitatis formam veritatis magiſter, qua in primo gradu primum eis veritas innoteſceret.*

Matth. 11.

*Imperiũ prouectã requirit ætatem.*

Ioan. 13.

*Humilitas fundamẽtum ad magna.*

Bernard.

66\. Secundò D. Irenæus iam ſuprà datus, lib. 3. aduersùs hæreſes, c. 18. *Præcognita*, inquit, *ſunt hæc omnia à Patre; perficiuntur autem à Filio, ſicut congruum, & conſequens eſt apto tempore: propter hoc, properante Maria ad admirabile vini ſignum, & ante tempus volente participare compendij poculum, Dominus repellens eius intempeſtiuam feſtinationem dixit: Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea; expectans eam horam, quæ eſt à Patre præcognita.* Quo motiuo natus ſubiracundus viſus eſt loqui cum Matre? Reſpondet ipſe, *Nondum venit hora mea.* Nónne poteſt ipſe quolibet momento operari mira, ac ſtupenda in cælo pariter, atque in terris? *Expectans tamen eam horam, quæ à Patre eſt præcognita.* Nondum erat tempus à Patre præſcriptum, & ideo videtur Genitricem omnis culpæ immunem increpare, vt nobis inſinuaret, quòd ſtatuta temporum interualla non ſunt præoccupanda, nec celerato appetitu anticipanda, ſed præſtituta vniuſcuiuſque operis hora obſeruanda, vt omnia ſuis definitis ſpatiis metiantur, opportunoque tempore fiant. Vide *lib. 1. cap. 6. num. 18. & lib. 2. cap. 4. n. 52. & 96.*

Irenæus.

*Omnia fiant conuenienti tempore.*

67\. Tertiò. Per horam ſuam ſubintelligit Dominus paſſionis ſuæ tempus, quod hora Chriſti appellatur, vt iam dixi ſuperiori quæſtione, & idem valet, ac ſi diceret Chriſtus: Poſtulas à me, ô mulier, vinum pro conuiuis, tuis coactus precibus elargiar. Sed nondum venit hora mea, hora meæ paſſionis, qua ſacratiſſimum ſanguinis mei poculum, ac vinum germinans virgines meis exponam, elargiarque conuiuis; & cùm huiuſmodi diuiniſſimi potus dulcedo inter omnia opera ſit valde periucunda, ideo inſtitutionis ſuæ tempus inter omnia alia dierum interualla peculiariter hora mea eſt: ac proinde tanquam precioſiſſimum mei monumentum in vltimum tempus reſeruo, in quo vſus eſt amicorum, vt inter ſuos nobiliſſima munera diſpertiantur. De hoc tamen multa dicam alibi.

*Euchariſtia peculiariter opus Chriſti.*

*Amici reſeruare maiora opra in vltimũ tempus.*

68\. Quartò. D. Auguſtinus *tractat. 8. in Ioan.* ſic fatur: *Sed ne putes, quòd te negem Matrem, nondum venit hora mea: ibi enim te agnoſcam, cum pendere cœperit infirmitas.* Verba Auguſtini ita moraliter expendere liceat. Mater meri penuriam filio ſuggerebat, & miraculum fieri exoptans dicebat ei, *Vinum non habent.* Subduriuſculis verbis videtur filius reſpondere: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Nónne præclara Virginis merita expoſtulant, vt benignè excipiatur pro quolibet inſtanti deprecatio eius? Quomodo amantiſſimus filius ita ſeuerus ſe exhibet? Cur reuerentia, honorque Matri dilectiſſimæ debitus in publico conuiuio non habetur? Quando adueniet hæc hora? Paſſionis tempore, quando premente anguſtia, circunſtantibus doloribus Chriſtus in Cruce pendens, curam Matris agens, ipſam diſcipulo cuſtodiendam commendauit. Præclarum amoris indicium, non inter affluentes delicias, ſed inter vrgentes preſſuras prodit. Aderat Chriſtus Dominus in Cana cum hilaritatis ſpeciem præbentibus, feſtiuiſque conuiuis; non tunc blandiente aura diuinus in Matrem oſtentatur amor, vt fit inter huius ſæculi homines, qui annuente fortuna amicis obſequuntur. Quando autem inſurgit tempeſtas, blaſphemant Iudæi, fugiunt diſcipuli, Mater eſt in orbitate; tunc eximia, & rara charitas eximio declaratur affectu. Nam diuinus amor etſi inter epulas, & edulia aliquantulum aſperè reſponderit; inter Crucem tamen & dolores nimis ſolicitus, & affectuoſus Matrem ſolatur, ſuumque erga eam oſtendit affectum. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Et ſtatim addit ſponſa: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur*, Cantic. 1. num. 12. Viſitur Dominus in regali accubitu ſuo, ac throno maieſtatis, & dilecti nomine non appellatur, ſed Regis titulus, timoris, & reuerentiæ plenus profertur: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo.* At tempore paſſionis, vt communis interpretum ſententia tenet, *faſciculus myrrhæ*, quæ, cùm amara ſit, Dominum denotat Ieſum vlceribus plenum, plagis vulneratum, clauis, ac lancea ſauciatum. Quid tunc? *Dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* O nobile amoris trophæum! Ridente fortuna, nitente purpura amor abſconditur. At ſub patiendi temporibus, dum fugiunt diſcipuli, vacillat Petrus, intremunt Iudæi, panditur Virginis amor, interque tenerrimum cordis ſinum amplectitur, ac fouet dilectum. Eleganter huc veniat Diuus Bernardus ſermone 43. in Cantica: *Faſciculus myrrhæ, antè Rex, modò dilectus: antè in accubitu, modò inter ſponſæ vbera: citò reuerentiæ nomen in vocabulum amoris mutatum eſt, & qui longè erat, in breui factus eſt propè, faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: myrrha amara res, dura, & aſpera tribulationem ſignificat: ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter ſubituram; propterea, non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quod leue pro ipſius amore ducat, quidquid laboris immineat, & doloris.*

Auguſt.

*Verus amor non in felicitate, ſed in preſſura declaratur.*

Cant. 1.

Bernard.

69\. Quintò Diuus Cyrillus lib. 2. cap. 23. *Non à ſe, neque non rogatus ad actionem miraculorum Dominus ſolet peruenire, quamuis gratiora ſunt, quæ petuntur, ſi aliquantulum differantur.* Similiter Hugo, *Iſta repulſio*, inquit, *ſignificat, quòd Deus*

Cyrill.

Hugo.



*aliquando non exaudit, nec dat ſtatim quod petitur, vt auidiùs petatur, & cùm exaudierit, & petitum dederit, diligentiùs cuſtodiatur.* Deus aliquando poſtulata differt, vt appetitum ad maiorem donorum æſtimationem acuat, & vt cum maiori gaudij, ac delectationis perfuſione obtineatur. Doloris cuſpide ſauciata ſponſa ait de ſponſo ſuo: *Quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi*, Cantic. 5. n. 6. ſeu, vt habent Septuaginta: *Vocaui eum, & non obediuit me.* Paraphraſis Chaldaïca: *Non ſuſcepit orationem meam.* Sed Deus, qui eſt in audiendis ſuorum precibus velociſſimus, ita vt dicat Regius Vates Pſalm. 33. num. 16. *Aures eius in preces eorum.* dilectiſſimæ animæ orationem renuit, nec ſuſcipit? Deus optimè exaudiebat, amatorio tamen negotio ſe audire diſſimulabat, vt dona deſiderata in maiori pretio eſſent, dumque concederentur, eximiam perfunderent voluptatem. D. Auguſtinus ſermone 5. de verbis Domini: *Cùm aliquando*, inquit, *tardiùs dat, commendat ſua dona, non negat; diu deſiderata dulciùs obtinentur.* Inſtanter clamat Chananæa pro filiæ ſanitate; cui primò Dominus non ſolùm non reſpondit, ſed etiam aſperè tanquam canem à ſe reiicit. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, Matth. 15. num. 26. Ni fallor, tam acerbam repulſam non lego in Euangelio, quæ eam inducere poterat in deſperationem obtinendi beneficium, vt notat Euthymius. Cur Domine ita dimittis mulierem? in qua omnes virtutes maximè nitent, Perſeuerantia, Prudentia, Humilitas; nam ſe, paſſa eſt, cum catulis comparari; ac tandem fides, ita vt de illa dicas: *O mulier, magna eſt fides tua.* Ob præclarat merita eius Dominus diſſimulat, eam tam ſeuerè à ſe repellere, vt ita virtutes eius in toto orbe maximè eluceſcerent, donumque exoptatum magno cum gaudio impetraret. Diuus Chryſoſtomus homil. 53. in Matthæum: *Ideo*, ait, *certè eam repellebat Dominus, vt ad hanc vocem conſequentia rerum conueniret, vt fulgente corona mulierem coronaret.* Hugo: *Primò nihil reſpondit Dominus: poſtea reſpondit quaſi negando, quod petebat, dilatione ſic excitans deſiderium.*

*Deus ſæpe differt poſtulatum, vt cũ maiori gaudio datum ſuſcipiatur.*

Cant. 5.

Septuag.

Chald.

Pſalm. 33.

Auguſt.

Matth. 15.

Euthym.

Chryſoſt.

Hugo.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Chriſtus Dominus Virginem appellat mulierem?*

70\. DVPLEX in hac materia reiiciendus eſt error. Primus Manichæorum, & Valentinianorum, qui, vt teſtantur Origenes *in Catena Græca*, & Diuus Auguſtinus *tractat. 8. in Ioannem*; auſi ſunt affirmare, Virginem Chriſti matrem non eſſe, quia hîc non matrem, ſed mulierem appellauit. Sed miſeri ita ſunt obcæcati, vt ſolùm videant nomen mulieris, vbi errant; & non percipiant, ter in hoc textu matrem dici. *Erat ibi mater Ieſu*, & iterum: *Dicit mater Ieſu*; & iterum: *Dicit mater eius.* Imò, vt bene notat Metaphraſtes *in oratione de vita, & dormitione Mariæ*; quòd in Euangelio bis dicitur mulier, & octo poſt partum vocatur mater Ieſu. Secundus error eſt eorum, qui, vt tradunt Origenes *homil. 8. in Leuitic.* Diuus Hieronymus *in Epiſt. ad Galat. 4.* impudico ore virginitatem Mariæ negarunt, aſſerentes, nomen mulieris ſolùm dici de corruptis. Sed, vt optimè obſeruant citati Patres cum Auguſtino *lib. de fide contra Manichæos, cap. 23.* dicitur mulier tam de corruptis, quàm de virginibus; nam Eua antequam cognoſceretur ab Adamo, dicitur mulier, Geneſ. 2. num. 21. Et famulus Abrahæ miſſus, vt quæreret ſponſam virginem filio domini ſui Iſaac, dixit: *Si mulier noluerit venire mecum*, Geneſ. 24. num. 5.

*Reiicitur duplex error.*

Origen.

Auguſt.

Metaphraſt.



Origen.

Hieron.

Auguſt.

Geneſ. 24.

71\. Veniamus ad quæſtionem: Quare Chriſtus Dominus Virginem mulierem appellat? Imò quando eam nominauit hîc, & 19. Ioan. ſemper mulierem dicit? Reſpondet primò Diuus Auguſtinus tractat. 8. in Ioannem: *Dicitur autem mulier ſecundùm fœmineum ſexum.* Similiter Diuus Gaudentius *tractat. 2.* Quod magis explicans Diuus Epiphanius hæreſ. 79. *Reuera*, ait, *ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; re vera Virgo erat, & honorata, non tamen ad adorationem nobis data. Propterea Euangelium munit nos, dicens, quòd Dominus dixerit: Quid mihi, & tibi curæ eſt mulier? quo non putarent aliqui magis eximiam eſſe ſanctam Virginem, mulierem eam appellauit. Velut prophetans, quæ futura eſſent in terra; vt ne aliqui nimium admirati ſanctam, in hanc hæreſim eius deliramenta labantur.* Eccleſiæ ſuæ Dominus præuidit; nam futura erat hæreſis, quæ ob eximiam Virginis ſanctitatem, eam eſſe Deum aſtrueret, hanc refutans Chriſtus, proprio ore mulierem dicit.

Auguſt.

D. Gaudent.

Epiphan.

*Præmonuit Dei ſapiẽtia, ne Virgo adoraretur vt Deus.*

72\. Secundò Caietanus ait: Matrem mulierem appellauit, ad ſignificandam rationem, qua ſcilicet non imputandus eſſet illi vini defectus, non enim eſt muliebre officium prouidere de vino. Tertiò Euthymius ait: Vt ſe Deum oſtenderet, Virginem, non matrem, ſed mulierem dixit. Quartò aliqui graues Recentiores dicunt, quòd maximè in ſui honorem Virgo dicitur mulier; nam ſicut Chriſtus Dominus inter viros primatum tenet, ac vir ſimpliciter dicitur: ita B. Virgo, cùm inter mulieres primatum obtineat, meritò per antonomaſiam mulier nuncupatur. Quintò Carthuſianus: *Mulier*, inquit, *non ſonat durè ſecundùm idioma Hebræorum.* Et fortaſſe communi loquendi modo matres mulieres vocabantur. Iſai. 49. num. 15. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum:* Ierem. 7. num. 18. *Mulieres conſpergunt adipem*; ſcilicet matres. Et ita ait Toletus *annotat. 7.* Chriſtus communi loquendi modo ſe voluit accommodare, & matrem mulierem dicere. Sextò Albertus Magnus: *Humillimus cuſtos*, ait, *noluit detegere virginitatem matris, ne per hoc glorioſus in conſpectu hominum appareret, antequam per miracula manifeſtaretur. Sed mulierem vocat, quoniam miſericordia emollita, mollia ſenſit de nuptias celebrantibus.* Non matrem Virginem dicit, ne ſuam eximiam celſitudinem declaret, ſed ob eius ad præſentem defectum ſupplendum tenera viſcera mulierem appellat.

Caiet.

Euthym.

*Virgo per antonomaſiam mulier.*

Carthuſ.

Iſai. 49.

Ierem. 7.

Tolet.

*Communi vſui accõmodandum.*

Alber. Mag.

*Virginis viſcera valde tenera.*

73\. Septimò Chriſtus Dominus vt dixi ſuperiori quæſt. ob circunſtantes omnẽ hîc carnis propenſionem voluit diſſimulare, docens nos, quòd in muneris noſtri operibus, Euãgeliciſq; miniſteriis

omnis affectus carnis ſit excludendus, ſoluſque Deus conſiderandus. Conſequenter ergo Virginem, non matrem, ſed mulierem appellat; nam carnis affectum nomen matris indicabat, quem nomen mulieris occultabat: in Dei enim negotiis omnis carnalis propinquitas, etiam nomine tenus amputanda.

*Carnis affectus etiam in nomine amputandus.*

Matth.8. Dum adoleſcens quidam ex Chriſti diſcipulis ad parentem ſuum ſepeliendum petit ab eo facultatem, ait illi Ieſus: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, Matth.8. n.22. Cur Saluator non it: Permitte, mortuos ſepelire parentem tuum? ſed mutato patris nomine mortuum appellat? Dominus affectum carnis ita eradicare intendebat, vt nomen, quod importabat illum, etiam mutaret.

D.Thom. Diuus Thomas: *Dimitte mortuos*, ait, *ſepelire mortuos ſuos; ſcilicet vt qui vocatus eſt ad ſtatum perfectionis, non cognoſcat patrem carnalem per affectionem inordinatam; vnus eſt enim pater veſter, qui eſt in cœlis.*

Iud.4. Cùm exaudiret Deus clamorem Iſraël, vt de manu Iabin Regis Chanaan liberaret eum, ait textus Iudic.4. num.4. *Erat autem Debora prophetrix vxor Lapidoth, quæ miſit, & vocauit Barac; dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël, Vade, & duc exercitum in montem Thabor*, &c.

Lyran. Rupert. Abul. Communis ſententia tenet hîc, quòd Lapidoth idem erat, ac Barac; ita communiter noſtri expoſitores, vt teſtatur Lyranus. & idem habent Rupertus *in lib. Iudic. cap.* 3. Abulenſis *quæſt.*6. Sed iam exoritur difficultas: Quare, cùm ex Dei mandato ducem, ac principem conſtituit eum, non Lapidoth dixit, ſed Barac? Ea nunc mihi eſt ratio. Debora in præcepto diuino exequendo ita ab omni conſanguinitate erat immunis, vt Lapidoth viri proprij, atque mariti nomen neſciret, & Barac, ac ſi eſſet alterum, vocaret; & ſic denotaretur Deboram nullo propinquitatis inſtigari affectu.

---

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare Chriſtus vniuerſorum temporum Dominus dixerit*: Nondum venit hora mea?

74.
*Germana intelligentia.*
Irenæus.

PRIMA, & naturalis horum verborum expoſitio eſt D. Irænei *lib. 3. contra hæreſ. cap.*18. Nondum venit hora mea, id eſt, nondum adeſt tempus conſtitutum à Patre edendi hoc miraculum; nam hoc ſtatutum erat æterno Dei decreto fieri, cum hydriæ eſſent aqua plenæ, cùm verò adhuc vacuæ exiſterent, tempus faciendi miraculum nondum aduenerat. Ita breuiter, meo iudicio, tota res explicatur.

75.
Auguſt. Greg. Athanaſ. Ant. Vlyſip. Albert.Mag. D.Thom. Ioan.13. Ioan.17. Ioan.7.

Secundò D.Auguſtinus *tract.*8. D. Gregorius *lib.*8.*epiſt.*42. D. Athanaſius *in Apologia de fuga.* D.Antonius Vlyſip. *ſerm. in Domin.* 2. Albertus Magnus, S.Thomas, de hora paſſionis rem explicant, hæc enim *hora Chriſti* ſolet appellari: *ſciens, quia venit hora eius*, Ioan.13. num.1. *Pater, venit hora*, Ioan 17. num.1. *Nondum venerat hora eius*, Ioan.7.n.31. Ait ergo Chriſtus Virgini: *Nondum venit hora mea.* Scilicet ô mulier petis miraculum, ad quod edendum ex te non habeo poteſtatem; veniet autem meæ paſſionis tempus, quando infirmitatem, & humanitatem, quam ex te aſſumpſi, oſtendam. Sed hanc ſententiam impugnaui iam *q.*16.*num.*61.

Tertiò Diuus Gregorius Nyſſenus in illud 1.Corinth.15. *Tunc etiam ipſe filius*, &c. verba hæc per modum interrogationis legit: *Quid mihi, & tibi mulier? nondum enim venit hora mea.* Ac ſi dicat: Adhuc mihi imperare vis? An nondum tempus iam venit quo à tua ſum exemptus poteſtate, cùm iam incipiam miracula facere? Hanc tamen ſententiam iam impugnaui *q.*16.*in princip.* Et ſenſus eſt valde violentus, multumque derogat de perfectione B.Virginis, quæ cùm eſſet valde humilis, velle non poterat imperium habere in Chriſtum, quem omnium Dominum agnoſcebat. Moraliter tamen ſententia hæc explicari poteſt, vt dixi *q.* 17. 76. Nyſſen.

Ianſen. Quartò Ianſenius in Concordia, in illud, *Dixit ei Ieſus*, Opinatur nondum aduentaſſe tempus paſſim, ac publicè edendi miracula, quod tempus à Ioannis incarceratione incepit: cùm autem tunc vox illa diuina intonaret in orbe, ac prædicaret, valde abundè ſufficiens erat, vt teſtimonium de veritate perhiberet; ad illamque teſtificandam nondum Chriſti miracula prædeterminata erant; & ideo dixit veritatis Magiſter: *Nondum venit hora mea.* Vide *lib.*1. *cap.*8. *n.*42. & *lib.*3.*c.*1.*n.*47. & *c.*2.*n.*94. Verùm textus cum hac ſententia manifeſtè pugnat, Dominus enim ante Ioannis incarcerationem multa miracula edidit; eiecit vendentes à templo, quod opus valde mirabile fuit, vt dixi *ſuperiori capite.* In Paſcha quoque in die feſto multa faciebat ſigna, *Ioan.*2.*n.*23. Ad alias rationes morales accedamus.

*Magna auctoritas teſtimonij Ioãnis.*

Quintò Theophylactus: *Nondum venit hora mea: Non vult, quòd obnoxius ſit neceſſitatibus temporum, vel horas obſeruet. Quomodo hoc dicere poſſumus de factore temporum, & ſæculorum? Sed quòd omnia tempore congruo operetur.* Chriſtus non eſt ſubiectus tempori, cùm ſit illius Dominus; nihil tamen præmaturè, ſed omnia in occaſione opportuna, debitoque vult tempore operari. 77. Theoph.

*Conuenienti tempore operandum.*

Chryſoſt. Sextò D.Chryſoſtomus homil. 20. in Ioannem: *Nondum venit hora mea*, ait, *id eſt, nondum deficit vinum; ſine eos primum hoc ſentire; qui enim neceſſitatem non præſentit, neque beneficij grandem ſuſcipiet ſenſum.* Virginis oratio gratiſſima Chriſto: ſed quia tunc vinum, vel penitus non defecerat, vt ſuprà dixi; vel quia à domino domus, aut miniſtris non animaduertebatur defectus, vt tradit Chryſoſtomus citatus, ideo Dominus differt beneficium conferre, vt vrgente neceſſitate magnum appareat, multique æſtimetur.

*Tunc maius videtur beneficiũ, cùm neceſſitas experitur.*

Septimò. Virgo dum dixit: *Vinum non habent*; ſacræ Euchariſtiæ inſtitutionem petere videbatur. D.Irenæus lib.3.cap.18. *Feruore quodam*, ait, *ducebatur Deipara bibendi ſanguinis Chriſti poculum.* Et ad hoc reſpondet Chriſtus: *Nondum venit hora mea*, conſecrationis calicis, ac redemptionis noſtræ vini, quod omnium vitæ proficit, vt ait D.Maximus *ſerm.* 1. *de Epiphan.* Sed valde mirum, quòd Chriſtus Dominus ita acerbè Virgini reſpondeat: Quid mihi, & tibi: dum cœleſtis conuiuij deſiderio rapiebatur. Eleganter reſpondet D.Auguſtinus ſermone 41. de tempore *Quod vinum eſt*, ait, *quod optimum indicatur, quod architriclinus queritur ſerò prolatum, niſi ſanguinis dominicæ paſſionis? hoc eſt enim, quod Deus in horam ſuſpendit.* Quando feruida acceleratione Virgo ad cœleſte conuiuium rapitur deſiderio, à Chriſto

78.
*Virgo Euchariſtiam petebat.*
Irenæus.
Maxim.
Auguſt.
*Ad Euchariſtiam, non* …



repellitur, non ob ſeipſam, quæ puriſſima erat, verùm in eruditionem noſtram; quia ad menſam tantam non eſt feſtinanter, ſed alta præparatione accedendum. Et ideo Deus electis ſuis in horam ſuſpendit, vt quanuis puri, ad cœleſtem menſam ſe magis, ac magis præparent, atque diſponant.

*feſtinanter, ſed magna præparatione accedendum.*

Irenæus. Huc etiam ſpectat citatus Irenæus: *Properante Maria*, inquit, *admirabile vini ſignum, Dominus repellens feſtinationem dixit: Quid mihi, & tibi*, &c. Expende illud, *properante Maria: Dominus repellens feſtinationem.*

79.

Octauò. Nondum venit hora mea: hoc eſt, nondum aduenerat hora, atque tempus, vt Chriſtus Dominus hoc primo ſigno gloriam, potentiamque ſuam hominibus oſtenderet; cùm tamen ad hoc nuptiis adeſſet, vt omni cœleſti benedictione natos, naſcituroſque repleret, vt notat D.Cyrillus Alexandrinus lib.2. in Ioan. cap.22.

Cyrill. *Honeſtè*, ait, *celebratis nuptiis inuitatus eſt, vt natiuitatis noſtræ principium quantum ad carnem attinet, ſanctificaret. Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis reſtaurabat, non ſolùm natis hominibus benedicere, verùm etam naſcituris gratiam præparare.* Ieſus per aliquod tempus in nuptiis erat, quæ per ſeptem dies, vt dixi iam, durabant, vt ſic natiuitatis humanæ primordia ſanctificaret, in omneſque homines gratiam diffunderet; ad ſignum tamen in ſui glorificationem edendum, adhuc non erat definitum temporis momentum; nam ipſe ad ſui honorem determinauit horam, ad homines verò glorificandos, ac omni bono replendos, nullum præſcripſit tempus.

*Chriſtus ad ſui honorem tempus determinat, non verò ad honorandos alios.*

80. Nonò. *Noudum venit hora mea.* Et quodnam aliud tempus opportunius eſſe poterat, quàm cum Maria orabat? Cur non annuit Saluator Virginis petito? Pulchrè D. Chryſoſtomus homil.20. in Ioan. *Quid mihi, & tibi mulier? Alia præterea cauſa afferri poteſt, non minus neceſſaria, ne qua in miraculo ſuſpicio oriretur, ab indigentibus enim, non à matre id quærendum erat.* Quid efficacius oratione Mariæ? Et tamen ipſa deprecatur, & non eſt tempus? Valde mirum! Quando ergo erit? Cùm ipſa indigentia clamauerit. Ab indigentibus, non à matre id quærendũ erat Valde præpotens ad impetrandum oratio Mariæ; at ipſa neceſſitas vim obtinet magnam ad diuinam in homines clementiam ſolicitandam.

Chryſoſt.
*Neceſſitas validiſſima ad impetrandum.*

81.
Euthym. Decimò Euthymius: *Nondum venit hora mea. Nondum adeſt*, inquit, *tempus meum ad edendum, quod quæris, miraculum: tunc autem aderit, cùm hi, quibus opus eſt miraculo, cognouerint, quòd talia poſſim operari, & ipſi me fuerint deprecati: nunc autem matre adhortante, non ſolùm intempeſtiuum eſſet, verùm etiam ſuſpectum, & queruloſis facillimè pateret calumniæ.* Vbi Auctor duo inculcat. Et primò quòd ita cautè in operibus noſtris nos gerere debemus, vt aliorum iudicia, malitioſaſque interpretationes vitemus. Secundò quò opportuna tunc adeſt temporis occaſio, vt Deus auxilietur, cùm non vnius tantùm, ſed multorum preces interueniunt; & ideo non ſoli noſtræ orationi fidendum, verùm & aliorum obſecrationibus commendandum, vt exemplo ſuo nos docet Eſther, quæ licèt induta eſſet cilicio, & cinere, aliorum orationes quæſiuit, *Eſther* 4. *num.*16.

*Vitanda ſunt aliorũ dicta.*
*Aliorũ orationes multũ nobis proſunt.*

Rom.15. Et Paulus diſcipulis ſuis ſcribens Roman. 15. num. 30. dicebat: *Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Spiritus ſancti, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa.* Paulus multo ſanctior erat diſcipulis ſuis, multiſque eos antecedebat meritis, eorum tamen orationes quærit. D.Ambroſius ibi: *Orat*, ait, *vt adiuuetur in orationibus, vt euaderet manus Iudæorum infidelium: non quia ipſe minus mereatur; ſed multi minimi, dum congregantur vnanimes, fiunt magni: & multorum preces, impoſſibile eſt vt non impetrent.* Expende vltima verba, quæ moraliter, ac ordinariè intellige. Ambroſ.

De viro beato ait Regius vates Pſalm.111.num.18. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Veluti apponit rationem, ob quam iuſtitia eius per omnes æternitates glorificata maneat; & ait: *Dedit pauperibus* Si totum vni dediſſet, eius iuſtitia non ita eſſet ſublimata; Dum multis dedit, multorum habuit orationes, quæ faciliùs maiora impetrant. Pſalm. 111.

Hieron. D. Hieronymus ibi, *Diſperſit*, hoc eſt, partitus eſt, *non dixit, totum da vni homini; ſed dicit, da pauperibus: quia per multos illa partitus eſt: quia plus eſt oratio multorum, quàm vnius hominis.*

---

## QVÆSTIO XX.

### *Vtrùm Chriſtus Dominus ob matris preces citiùs operatus ſit miraculum?*

SOLVTIO affirmatiua eſt ſanctorum Patrum. Ita D. Cyrillus Alexandrin. lib.2. in Ioan. cap.23. *Ad hæc*, ait, *quantus honor parentibus debeatur, facilè oſtendit, cùm ſtatim ad actum propter matrem accedat, cùm quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet.* Idem habent D.Ambroſius *in Pſal.*118. *in Octonario* 16. ad illa verba: *Tempus faciendi.* D.Chryſoſtomus *homil.* 21. Quod ita eſt intelligendum, non quòd citiùs Chriſtus Dominus ediderit miraculum, ac æterno Dei decreto erat conſtitutum; hoc enim eſt immutabile Sed quod Deus præuidens ab initio futuram matris orationem, ob illam decreuit, miraculum citius perpetrare, quàm ſi illa non interueniſſet. Et in hoc ſenſu res eſt veriſſima, ac multa tribuunt ſancti Patres Virgini, eiuſque interceſſioni; vt Bernardus *ſerm.*1. in Salue Regina, quòd ob Virginem totus mundus factus ſit. Rupertus *lib.*3.*in Cant.* quòd ob Virginis præuiſionem totum Abrahæ genus ſit cuſtoditum, multiſque bonis ditatum.

82.
Cyrill.
Ambroſ.
Chryſoſt.
*Virginis oratio multum impetrat, & citiſſimè.*
Bernard.
*Ob Virginem mundus creatus.*
Rupert.

83. Et ita de ſe ait B. Virgo, quòd in ipſo primo rerum molimine, *cum eo eram cuncta componens*, Prouerb.8.num.30. Quod alij legunt apud Salazar: *Prope ipſum eram nutrita, vel nutrix.* Verba Prouerbiorum de B. Virgine intelligit Hugo. Et in exordio rerum erat cum Deo, non ſecundùm realem exiſtentiam, cùm adhuc non eſſet; ſed in præuiſione, vt nutrita, tanquam filia ſupremi Regis, & vt nutrix hominum, orationibus ſuis multa eis impetrans, quæ, niſi preces Virginis interueniret, illis non concederentur. Et quid mirum, quòd hoc de Virginis interceſſione dicamus, cùm de Sanctorum orationibus, atque clamoribus ſit dicendum.

Prou.8.
Salazar.
Hugo.

Geneſ.15. Ait Deus ad Abraham: *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadragintis annis*, Geneſ.15. num.13. Hic

exoritur ſatis difficilis quæſtio: Quo pacto dicat Deus, quòd erunt afflicti, & in ſeruitute in terra non ſua quadringentis annis cùm conſtet, quòd Hebræi paulo pòſt ducentis & quindecim annis in Ægypto promorati fuerint, vt notant Carthuſianus, Pererius, & alij. Imò ait Pererius, quòd in ſeruitute fuerint ferè centum, & triginta annis. Quomodo ergo dicentur quadringenti? Ita ſanè futurum erat, ſed Deus Hebræorum afflictione, clamoreque commotus, eos à ſeruitute liberare citius decreuit, quàm aliàs ab illa eximerentur, niſi eorum clamores interueniſſent. D. Chryſoſtomus homil. 37. in Geneſ. *Cùm Deus ſit miſericors*, inquit, *& imbecillitati noſtræ reſpondentes faciat pœnas, quia vidit eos ita labore preſſos, & Ægyptios magnam in eos crudelitatem exercere; ante definitum tempus ad libertatem eos reduxit.* Si Deus ob Sanctorum clamores citiùs liberat, quid erit dicendum de orationibus Virginis?

Carthuſ. Perer.

*Deus ſuorum orationibus, ac afflictionibus maximè commouetur.*

Chryſoſt.

*Ioannis 2. n 5.* Dicit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite.

*VERSIONES.*

*Euthymius.* Quidquid dixerit vobis, facite.

*D. Bernard. Dominic. 1. poſt Oct. Epiph.* Quæcunque præceperit vobis, ſeruate, & facite.

## *EXPOSITIO.*

84. QVANVIS Chriſtus Dominus durè reſponderit matri, Quid mihi, & tibi; Virgo tamen voluntatis eius conſcia, vt ait Rupertus lib. 3. in Ioannem: *Dicit miniſtris*; non ſponſo ſedenti, ac conuiuanti, vt præciperet, ſed dixit miniſtris ſedulè ſeruientibus; nam hi tantùm merentur audire Dei verba. Et Maria, cùm ſit idem ac illuminatrix, vt ait Albertus Magnus, dicit Miniſtris: *Miniſtros autem*, inquit D. Gaudentius tractat. 2. *non illos ſecundùm rei geſtum ſolos accipio, qui tunc in illo nuptiarum conuiuio miniſtrabant: ſed iuxta ſpiritualis rei commutationem, primò miniſtros noui Teſtamenti intelligo eſſe Apoſtolos, deinde Apoſtolicos ſacerdotes, vt quidquid præceperit eis Dominus Ieſus, obſequio prompto perficiant.*

Rupert.

*Qui ſeruiūt, verba Dei audiunt.*

Albert. Mag. *Maria illuminatrix.* Gaudent.

85. *Quodcunque dixerit vobis, facite* O verbum abbreuiatum omni myſterio, ac doctrina plenum! Albertus Magnus *ſuper Miſſus eſt, cap.* 117. ait, *Doctrina prudentum facilior eſt* (vt ait Salomon Prouerb. 14.) *ſed Beatiſſima Virgo breuiſſimè, & dulciſſimè omnia prædicabilia vno verbo prædicauit, quando dixit in nuptiis: Quodcunque dixerit vobis, facite.* Prædicauit, & docuit Virgo eximiam fidem; nam quanuis audiret à filio durè: Quid mihi, & tibi; tamen non hæſitauit; perfecta enim fides non deficit qualibet aduerſitate. Docuit ſpem; nam quanuis audiret à filio verba, quæ videbantur repulſam ſonare; imò, vt ait Beda, poterat Virgo putare, Chriſtum recuſaſſe eius preces; tamen ſperauit in ſpe contra ſpem, multum confidens de miſericordia filij. Docuit charitatem in Deum, dum procurauit, vt eius gloria miraculo manifeſtaretur. Docuit obedientiam, dum ſuadet miniſtris obedire Deo, non in hoc, vel illo, ſed in omnibus indiſcriminatim: *Quodcunque dixerit.* Docuit modeſtiam, dum non ſe gloriatur, matrem eſſe tanti filij; non enim ait: Quodcunque dixerit filius meus, ſed per tertiam perſonam loquitur. Docuit reuerentiam in Deum, non ait: Quodcunque dixerit Ieſus; nunquam lego, Virginem hoc ſanctiſſimum nomen pronunciaſſe, ob illius magnam reuerentiam. Docuit promptitudinem in Deum; non enim exhortatur eos vt audiant, quæcunque dixerit, ſed vt faciant. Docuit prudentiam cum miſericordia. Dixit miniſtris, vt facerent, quodcunque dixerit, ne cùm audirent iuſſionem Chriſti de implendis hydriis, inſaniam putarent. Magna, & prudens mſericordia ſit præuenire, ne alius homo in malum incidat.

Albert. Mag.

*Fides non deficit in aduerſitate.*

Beda.

*Perfecta obedientia ad omnia.*

*Modeſtia aliena à vana gloria.*

*Reuerētia in nomen Ieſu.*

*Prudens miſericordia aliorum lapſum euitat.*

## QVÆSTIO XXI.

### *Quare Virgo hîc loquitur, & non legitur amplius in Euangelio eructaſſe verbum?*

RESPONDEO primò. Sanctiſſima Virgo pro hominibus hîc ad filium verba miſericordiæ protulit; nec ampliùs in ſacro Euangelio aliquid locuta legitur, vt denotetur perpetuum eius munus eſſe, pro nobis ad filium intercedere, omneque humano generi bonum ſolicitare. Secundò. Virgo, dum hîc vinum procurabat, ſalutiferum Chriſti ſanguinis calicem appetebat, vt ex S. Irenæo, D. Auguſtino, D. Maximo dixi *quæſt.* 8. *num.* 74. Et vbi de tanto myſterio verbum eructauit, eius nullum aliud commemoratur. In tanti operis conſideratione voces omnes deficiunt, nullaque alia dicendi materia ſupereſt. Venit Regina Saba in Ieruſalem 3. Regum 10. num. 4. *Et videns ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & tabernacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum.* Quæ vltima verba explicat gloſſa. Ita admirata eſt, vt non haberet vltrà animum ad videndum, intelligendum, ac loquendum de eius rebus. Sed cur in tantam admirationem non rapitur, dum videt magnitudinem auri, quæ erat in regno Salomonis, de qua dicitur, quòd erat ſicut arena maris: dum videt templum, domos, opulentiam regni; imò dum audit verba Regis: ſed tantùm dum videt holocauſta? Quia hæc ſacram Euchariſtiam adumbrabant; & vbi in tanti myſterij conſiderationem deuenit, ſtatim ſtupore circumfuſa eſt, ita vt non haberet vltrà ſpiritum. Nam, vt ait Tertullianus lib. de Baptiſmo, cap. 2. *Qualia decet eſſe opera diuina, niſi ſupra omnem admirationem*, &c. Quid erit de opere Euchariſtico, in quo Chriſtus ſit alimentum noſtrum. Vnde inquit D. Chryſoſtomus homilia 60. ad Populum: *Quòd ſermo Chriſti, Hoc eſt corpus meum, ſuperat ſenſum, & rationem noſtram.*

86. *Virginis munus pro nobis orare.*

*In conſideratione Euchariſtiæ obſtupeſcit ratio, & nihil aliud ad dicendum reſtat.*

3. Reg. 10.

Gloſſ.

Tertull.

Chryſoſt.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XXII.

### *Vnde nouerit Virgo, Chriſtum aliquid imperaturum miniſtris ad miraculum operandum?*

87. QVANVIS Chriſtus Dominus durè reſponderit Matri: Quid mihi, & tibi? tamen ipſa ſpem non perdidit, ſed firmiſſimè credidit, miraculum eſſe faciendum, vt expreſsè docent D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus *hic*, & D. Bernardus *ſerm.* 1. *in Domin.* 1. *poſt Epiphan.* Vnde minus probabile eſt dictum Bedæ, quòd Virgo putauerit, Chriſtum recuſaſſe facere miraculum. Tota difficultas eſt, vnde Virgo cognouerit, Chriſtum ad miraculum patrandum miniſtris vſurum: nam poterat miraculum facere, vel in ipſis hydriis vacuis, vel in poculis in menſa, vel in alio vaſe, vel aliunde illud adducere ſine alicuius interuentione.

Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Theoph. Bernard. Beda.

88. Reſpondet primò D. Iuſtinus *in reſponſione ad quæſtionem* 136. explicans rem, Chriſtum dixiſſe Matri abundantia amoris: *Si vis, ne eos vinum deficiat; dic miniſtris, vt ea, quæ iubeo, faciant.* At hæc verba textui apponere videtur valde durum; nam ſi à Chriſto eſſent prolata, ſine dubio Euangeliſta narraſſet. Secundò D. Chryſoſtomus *homil.* 20. Euthymius, Theophylactus in ea ſunt ſententia, quòd Virgo miniſtros ad Chriſtum adduxerit, ac quòd omnes ſimul pro miraculo ſunt deprecati: nam, vt ait Euthymius, *Virgo intellexit Chriſti rationem: quodque non impotentiæ excuſatio erat, ſed ne videretur ſeſe miraculis ingerere, & ſpectaculo exponere.* Et ita omnes tunc eum ſunt deprecati, & tunc Mater dicit miniſtris: *Quodcunque dixerit vobis*, &c. Quod enim Chriſtus dilectiſſimæ Matri denegat, ipſa orationis potentiæ nixa obtinere, adhuc ſperat. Et ratio, quanuis moraliter optima ſit, mihi tamen litteralis non videtur; primò, quia ſi huiuſmodi deprecatio interueniret, Euangeliſta eam commemoraſſet. Secundò, quia nullum in littera fundamentum habet. Tertiò, quia ſi huiuſmodi deprecatio daretur, eſſet cum aliquali inuitantium ex defectu vini verecundia; Chriſtus autem, vt docent Patres, ad vitandam ſuorum verecundiam, ad nuptias venit.

Iuſtin.

Chryſoſt. Euthym. Theophyl. *Nemo ad ſpectacula ſe ingerat.*

*Quòd Mariæ denegatur, oratio impetrat.*

89. Tertiò D. Maximus *homil.* 1. *de Epiphan.* ait: *Sciebat profectò Mater ſancta, obiurgationem illam Domini, filiique ſui non iraſcentis offenſam prætendere, ſed miſerantis portare myſterium.* Virgo ex clementia filij ſui miraculum faciendum agnouit. Multum Deus ab homine diſcrepat: nam etſi diuina verba, *Quid mihi, & tibi*, rigorem prætenderent; à Deo tamen opus ſemper venit miſericordia, & benignitate plenum. At in homine verba blanda, affabiliaque inuenies; opus verò auſterum ſæuitia, rigoreque armatum.

Maxim.

*Licèt Dei verba rigorē oſtendant tamen opus eſt cum miſericordia.*

90. Quartò Simon Caſſianus lib. 5. cap. 1. *Nouerat ipſa*, ait, *voluntatem filij ſui Saluatoris; & qui non pateretur dilectorum ſuorum eclipſim, qui venerat pro omnibus eclipſari, proinde inſtruit, & informat*, &c. Cùm enim Chriſtus Dominus Deus eſſet omnipotens, ſuoſque intimo amore diligeret, ab eius clementia alienum, in ſuis aliquem defectum, penuriamque permittere, quin ſubueniret. Hæc autem ratio, ſicut & tertia D. Maximi, quanuis myſticè optimè procedat, non ſunt tamen in littera; Virgo enim, licèt ex benignitate Chriſti miraculum futurum agnoſceret, non inde tamen determinatè conſequi poterat, ope miniſtrantium interueniente perpetrandum, vt diceret miniſtris, Quodcunque dixerit, &c. Ideo altiorem requirit indaginem.

Caſſian.

*Deus ſuos eclipſari non ſinit.*

91. Quinta, & vera intelligentia eſt, quòd B. Virgo ſancti Spiritus illuſtratione inſpirata cognouit miraculum futurum, & qualiter, ac quomodo faciendum. S. Gaudentius tractat. 2. *Cæterùm*, inquit, *nunquam mandaret miniſtris: Quodcunque dixerrit vobis, facite: niſi Spiritu ſancto poſt partum diuinum plena, non ſolùm reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet, verùm etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini vniuerſum ordinem præuidiſſet. Quid enim lateret ſapientiæ matrem, capacem Dei, ædemque tantæ virtutis?* Haymon in explicatione iſtius Euangelij inquit, *Virginem ſpiritu prophetico nouiſſe miraculum.* Et ita intelligo Euſebium Emiſſenum *in Domin.* 2. *poſt Epiphan.* dum de Chriſto, & Matre ait: *Ipſi ſe intelligebant, ipſi ſua ſecreta nouerant: ipſi quid tunc fieri oportebat, & quid poſtea futurum, ſciebant.* Nec Virgo cordis Chriſti ſecreta, quæ alto inſtinctu Spiritus ſancti regebantur, ſcire poterat, niſi ex peculiari eius illuminatione.

D. Gaudent. *Virgo à Spiritu ſancto maximè illuminata.*

Haymon.

Euſeb.

92. Imò dico, quòd Virgo ab ipſo Spiritu ſancto, non ſolùm de miraculo fuit edocta, verùm etiam illuminata, vt diceret miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Nam cùm hoc eſſet primum Chriſti Domini ſignum, atque miraculum, interueniente Maria id facere decreuit, vt denotetur, quòd omne ad nos bonum pe manus eius deſcendit. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria*, Prouerb. 8. num. 18. Symmach. legit: *A me ſunt diuitiæ & gloria.* Locus communiter intelligitur de B. Virgine, ab illa enim eſt omnis affluentia ſpiritualis, & temporalis donorum. Petrus Damianus ſermone de Annuntiatione: *Per ipſam*, ait, *& cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decreuit, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine ipſa nihil refectum eſt.*

*Per manus Mariæ omne bonum nobis communicatur.*

Prou. 8. Symmach.

Damian.

*Ioannis 2. n. 6.* Erant ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.

*VERSIONES.*

*Textus Græcus.* Erant ibi ſex vaſa aquaria, &c.

*Theod. Græcus in c. 14. Danielis.* Erant ibi ſex amphoræ.

*Syriacus.* Quæ poſitæ fuerant ad purgationem Iudæorum.

*Theophylactus.* Metretas binas, ac ternas.

*Arias.* Metretas duas, vel tres.

*EXPO*

## EXPOSITIO.

93. HYDRIA nomen eſt Græcum, ſignificat vas aquarium, ſeu aquæ deſtinatum, vt ita fieret miraculum euidens, cùm nullum eſſet vinum in receptaculis illis. Et de huiuſmodi amphoris quatuor explicantur ab Euangeliſta: primum numerus, ſcilicet ſex; ſecundum qualitas, lapideæ; tertium vſus, ad purificationem Iudæorum; quartum magnitudo, dum dicitur, *capientes ſingulæ metretas.* de quibus omnibus ſequentibus quæſtionibus. Quid verò metreta ſignificet, valde difficile. Vox eſt Græca, pro qua Plinius tranſtulit *cadum*. Diſcorides *lib.* 5. ait; vnam metretam capere duodecim congios. Maldonatus tenet, quòd vna metreta haberet tres Arrobas, vt Hiſpanicè dicitur, & ideo ſex hydriæ ad minimum capiebant triginta ſex Arrobas: nam ipſe exiſtimat, quòd Euangeliſta de vnaquaque dicat, quòd ſuſtineret metretas binas, vel ternas. Et quòd Euangeliſta (ait ille) non omnino iuſtam earum menſuram poſuit, ſed in dubio relinquit, dicens, *metretas binas, vel ternas*, fidem auxit hiſtoriæ; mendaces enim nunquam dubitanter loquuntur; omnia, quæ dicunt intrepidè, & minimè hæſitantes affirmant. Probi eſt viri moderari verba, vt certa pro certis, dubia pro dubiis dicat. Tamen probabilior mihi videtur ſententia Ruperti *lib.* 3. *in Ioan.* Caietani, Toleti, has hydrias non eſſe æquales, ſed quòd quædam capiebant duas, quædam tres metretas.

Plin. Dioſcor. Maldon.

*Mendaces omnia pro certis affirmant.*

Rupert. Caietan. Tolet.

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare hydriæ erant ſex?*

94. QVÆSTIONEM hanc excitat numerus hydriarum, cur non plures eſſent, vel pauciores, ſed tantùm ſex? Reſpondent primò Cardinalis Hugo; quia duæ, vel tres tantæ multitudini non ſufficerent; Iudæi enim ob ſuas ſuperſtitiones ad immunditias vitandas facilè huiuſmodi lauacris vtebantur, de quo ſtatim. Tamen multa in hoc numero myſteria inueniunt ſancti Patres. Et primò D. Auguſtinus *tractat.* 9. Beda, inquiunt: ſex hydriæ ſex ætates ſignificant, quibus non defuit prophetia; tempora enim illa, ait Auguſtinus, *inaniter currerent, niſi in eis Dominus Ieſus prædicaretur.* Secundò D. Antonius Vlyſip. *ſerm. in Domin.* 2. *poſt Epiph.* adhærendo in ſignificatione nominis Cana Galilææ, vt ſuprà dixi, inquit; *In Cana Galilææ, id eſt, in anima, quæ zelo amoris iam tranſmigrauit de vitiis ad virtutes, ſex hydriæ ſunt: contritio, confeſſio, oratio, ieiunium, eleemoſyna, & illatæ iniuriæ ex corde remiſſio. Hæc ſunt, quæ purificant pœnitentes ab omnibus peccatis.* Idem ferè habet D. Bernardus *ſerm.* 1. *in eadem* 2. *Domin.* Tertiò idem D. Bernardus ſerm. 12. ex paruis. *Intelligimus*, ait, *has ſex hydrias poſitas, eſſe ſex obſeruationes ſeruis Dei propoſitas*, in quibus tanquam Iudæi purificari debeant. Sunt autem iſtæ, ſilentium, pſalmodia, vigiliæ, ieiunium, opus manuum, carnis munditia; quas virtutes latè explicat ſanctus Pater. Quartò Theophylact. ait: *Per aquam tu quidem intellexeris diſſolutionem noſtram, & mollitiem in vita, ac doctrina: per hydrias verò ſex quinque ſenſus, per quos in operibus labimur: & ſextam hydriam rationalem vim, per quam in doctrina periclitantur.* Itaque Dominus noſter, ſi quid eſt in noſtris ſenſibus, & ratione inſipidum, atque aqueum, in vinum conuertit ſoporiferum, & lætificans cor.

Hugo. Auguſt. Beda. Ant. Vlyſip. Bernard. Theophyl.

## QVÆSTIO XXIV.

### *Quare hydriæ erant lapideæ?*

95. VALDE mirum, quòd hydriæ, non ligneæ, vel ex alia materia, ſed tantùm lapideæ erant. Ad quod reſpondet primò Albertus Magnus: *In lapide non ponitur vinum, vt ita fieret manifeſtum, vaſa illa eſſe valde aliena ab illo liquore.* Secundò D. Gaudentius tract. 2. *Videamus*, ait, *quæ ſint apud Gentes per allegoriam ſex illæ hydriæ lapideæ. In vnoquoque homine ſex quædam ineſſe numerantur: viſus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, attrectatio manuum, inceſſus pedum. Conuerſi igitur ad fidem oculos leuamus ad Dominum.* Itaque antea eramus lapidea ſimulachra Gentium; at vbi ad aquas Chriſti baptiſmatis deuenimus, in ſalutiferum mutamur liquorem odoris gratiæ, omniumque virtutum. Tertiò D. Bernardus *ſerm.* 12. *ex paruis.* Per ſex hydrias intelligit ſex obſeruationes iuſtorum. Erant autem lapideæ, quia huiuſmodi via eſt valde lapidoſa, & ſaxea. *Quòd autem*, inquit S. Doctor, *illæ hydriæ lapideæ dicuntur, ſignificat, quòd ſine aliqua difficultate obſeruari non poſſunt, & quòd dura, & aſpera eſt via, quæ ducit ad vitam.*

Albert. Mag. Gaudent. Bernard.

*Via iuſtorum valde aſpera.*

Quartò. Hydriæ ſignificant iuſtos, quibus diuinæ gratiæ liquor infunditur, qui fortes debent, ac perdurabiles eſſe, ne qualibet tentatione conterantur, neve in paruas minutias fiant. D. Bernardus citatus: *Lapideæ*, ait, *dicutur propter fortitudinem, ne facilè frangantur, aut diſſoluantur, & effundatur liquor gratiæ, qui in eis continetur.* Quintò aliter hoc explicari poteſt ex Beda. Hydriæ ſunt iuſti, qui à vero lapide Chriſto Ieſu ſunt ſolidati, vt accipiant gratiam, ac obtineant vim ad eam conſeruandam. 96.

*Iuſti conſtantes ſint.* Bernard. Beda.

Sextò, Hydriæ, cùm eſſent valde magnæ, atque lapideæ, in vno loco fixæ erant; nam iuſti, in eis adumbrati, pondere rationis conſtantes, immobileſque in Dei obſequio eſſe debent, & non qualibet tentationis aura moueri. Huc tendit D. Bernardus ſermone in Domin. 2. poſt Epiphan. *Dicuntur*, ait, *lapideæ, non tam propter duritiem, quàm propter ſtabilitatem.* Dum populus præliaretur, & Moyſes oraret, *Manus Moyſis erant graues; Aaron autem, & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte*, Exod. 17. num. 12. Aaron rationem ſignificat; Hur, lumen veritatis; manus autem Moyſis, id eſt, illius actiones, erant graues, & ponderoſæ; ſuſtentabantur tamen, ac conſiſtebant ratione, & veritate. Philo in libro Allegoriarum pag. 60. *Sunt*, inquit, *manus Moyſis graues; nam cùm hominis mali actiones ſubuentaneæ, leueſque ſint, meritò ſapientis graues habentur, immobiles, inconcuſſæque. Ideoque fulciuntur ab Aarone, id eſt, ratione, & ab Hur lumine, quòd nulla lux in rebus ſit clarior, quàm veritas. Vult igitur Scriptura figuratè docere te, ſapientis actiones fulciri veritate, rationeque, &c.* 97.

Bernard. Exod. 17.

*Iuſtorum actiones ratione, ac veritate regulantur.*

Philo.



## QVÆSTIO XXV.

### *Quare hydriæ poſitæ erant ad iuſtificationem Iudæorum?*

EVANGELISTA vndique oſtendit
98. vaſa illa à vino aliena eſſe, & ideo ait Chryſoſtomus *homil.* 21. Quare illa particula, *ſecundùm purificationem Iudæorum*, nunquam in his vinum fuiſſe, oſtendit? Nam cùm Palæſtina aquarum inopia laboraret, rari enim illic fontes ſcaturiunt, hydriæ illæ aqua ſemper plenæ ſeruabantur, ne ſi quando immundi fierent, longiùs flumina petenda eſſent, ſed propè purgarentur. Vt ſi conuiuantium aliquis immunditiam aliquam haberet, in eis purgaretur: nam, vt dicitur Marc. 7. n. 3. *Phariſæi, & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum.* Ac proinde huiuſmodi vaſa aquaria ſolùm erant, lauacriſque deſtinata, atque in conuiuiis apponi ſolita.

Chryſoſt. Marc. 7.

Secundò, & moraliter D. Gaudentius *tractat.* 2.
99. *Non poſſum*, ait, *parcere tranſiens purificationi Iudæorum immundæ: lauant polluta corpora, abluta ſtatim polluunt: ſemper lauant, ſemper impuri ſunt, &, vt dici ſolet, laterem lauant. Illum laterem, quem parauerunt in Ægypto, Pharaone Diabolo, exhibentes ſe ipſos arma iniquitatis peccato.* Semper vnuſquiſque antiquorum mores ebibit; cùm igitur in Ægypto Iudæorum maiores operibus luti, lateriſque inſtarent, & inde frequenter polluti, ſeu idololatriæ fæce inquinati abluebantur: inde huiuſmodi conſuetudo eſt ad poſteros deriuata, non ex lege, ſed ex maiorum traditione, vt ſæpiùs lauacris ſe immergerent.

Gaudent.

*Suorum mores vnuſquiſque ebibit.*

100. Tertiò D. Ambroſius ſerm. 13. alias 2. de Epiphan. *Auſim dicere*, inquit, *illas hydrias, non ſolùm illi conuiuio, ſed vniuerſo mundo pretioſam illam miniſtrare ſubſtantiam; niſi quòd nobis melius adminiſtrant. Conſtat enim ex ipſis vaſculis illos hauſiſſe ebrietatem, nos haurire iuſtitiam: illos percepiſſe vini poculum, nos calicem ſalutis accipere. Et, ſi dici fas eſt, apud illos pertranſiſſe, quod biberant, apud nos verò permanere, quod ſumpſimus.* Hydriæ ſuum omni mundo dabant liquorem: Iudæis, erant enim poſitæ ſecundùm eorum purificationem, vinum miniſtrabant ad temporalem ſatietatem, quæ citò defecit, atque euanuit, in eis enim nihil permanens, fixumque erat: aliter verò nobis Chriſtianis diuinam illam largiebantur ſubſtantiam, quippe cùm ſalutiferi Dominici ſanguinis calicem præfigurarent, quid ſpirituale, æternum, ac durabile conferebant.

Ambroſ.

*Quod temporale tranſit, quod ſpirituale permanet.*

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quare Dominus in hydriis, & non aliis vaſibus miraculum operari determinat?*

101. ADERANT in menſa pocula, aderant alia vini propria vaſa, cur ad miraculum perpetrandum hydrias eligit? Prima & germana mihi ſolutio eſt. Ad euidentiam miraculi, quoniam ſi in vaſis viniferis fieret, aliquis ſibi perſuadere poterat, præter opinionem aliquam ibi eſſe vini partem; vel ex eius fœcibus aquam infuſam vini ſaporem reddere; at dum in aquaticis vaſis fit, hæc ſuſpicio ablegatur. Secundò. Hydriæ erant valde magnæ, &, vt eſt probabile, triginta & nouem vini Arrobas plus, minuſve, ex conuerſione habuere; tunc reſpondet Albertus Magnus: *Dicit quantitatem vini ex numero vaſorum, quæ occultari non poterant, quia ſi vnum vas fuiſſet, & paruulum, credi potuiſſet, occultè illud eſſe allatum cum vino: ſed plena ſex vaſa tam magna occultè aſportari non poterant, nec in conuiuio poterant celari.* Tertiò Maldonatus. Voluit Chriſtus, non ſolùm præſenti inopiæ ſubuenire, verùm etiam multũ vini ſponſo remanere; tum ad illius paupertatem ſubleuandam; tum ad miraculi facti diuturnum teſtimonium, & monumentum: aliquod enim excitamentum requiritur, vt homo in gratitudine perſeueret, in Deique laudem moueatur.

*Germana ratio.* Albert. Mag. Maldon.

*Monumentum ob gratitudinem.*

Quartò. Vaſa illa, cùm ad Iudæorum purificationem poſita eſſent, puriſſima erant, vt notat D. Thomas, ideo exiſtimo, quòd hydriæ ad hanc vini conuerſionem eliguntur, quod ſacram Euchariſtiam adumbrabat; tanti enim myſterij, figura in mundo tantùm, puroque loco receptaculum habere poterat. Quintò, & vltimò Sedulius lib. 3. Paſchali cap. 1. 102.

*Sacra Euchariſtia, vbi eſt munditia, recipitur.*

Sedulius.

——*Menſaſque per omnes*
*Dulcia, non nato, rubuerunt pocula vino.*
*Impleuit ſex ergo lacus hoc nectare Chriſtus,*
*Quippe ferax qui vitis erat, virtute colona*
*Omnia fructificans.*

Non in poculis, ſed in vaſibus ampliſſimis: *Quippe ferax, qui vitis erat*, Dominus vinum creat; nam licèt miniſtri paruam aliquam vini affectarent quantitatem, tamen non niſi largiſſima amplitudo, quæ eſſet valde ſuperabundans, è Dei manibus venire potuit. Propheta pro minutiſſimis aquæ guttulis ad Dominum clamabat, dicens Iſai. 45. num. 8. *Rorate cæli deſuper.* At Dominus quid dicat Iſai. 44. num. 3. *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: & effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum.* Propheta guttulam petit, Dei tamen magnificentia, & liberalitas inundantem diuini Spiritus torrentem largitur ſuper terram. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Iſai. orat. 2. *Multo magis*, inquit, *optabile eſſe, dicimus, languentibus amore pietatis, vt diuinis, & intelligibilibus madefiant riuulis, & ſpiritualibus conſolationibus.* Dominus vt populum ſuum in deſerto aleret, Manna dedit ei, ita tamen vt ſuper numerum filiorum Iſraël multum ſuppeditaret; nam *qui dimiſerunt vſque manè, ſcatere cœpit, & computruit*, Exod. 16. num. 20. Sed cur diuina Prouidentia cæleſtem panem, Angelorum manibus formatum non ita concedit, vt nec ſuperſit, nec deſit? Cur permittitur, vt tantus panis putreſcat? Cùm è manibus Domini veniret, ſtrictè dari non potuit; & potius voluit Dominus panem diuinæ Prouidentiæ putredini exponere, quàm quòd diuina liberalitas in ſuperabundantia deeſſet; Dei enim manus limitationem neſciunt. Vnde eleganter ait D. Cyprianus epiſtol. 2. ad Donat. *Non enim, ait, qui beneficiorum terreſtrium mos eſt in capeſſendo munere cæleſti menſura,*

*Deus largiſſimus dat pluſquam deſideramus.*

Iſai. 45. Iſai. 44. Cyrill. Exod. 16. Cyprian.

*menſura, vel modus eſt: profluens largitor Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frænatur; maneat igitur, exuberas affluenter.*

*Ioannis 2. n. 7.* Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Implete has hydrias aquâ.

*S. Gaudentius tract. 2.* Vocatis miniſtris dixit eis Ieſus: Implete hydrias iſtas.

## EXPOSITIO.

103. *Virginis oratio ſemper exaudita.*

VNVM hîc ſupponit Euangeliſta, & duo explicat. Supponit, Virginis orationem exauditam; Chriſtus nanque ob eam vinum miraculosè produxit. Tamen hoc non explicat Euangeliſta, quia nihil magis conſuetum, & frequens, quàm Virginis preces eſſe exauditas, eiſque Chriſtum annuere. Exprimitur autem Chriſti mandatum, & miniſtrantium obedientia. Chriſti imperium: *Implete hydrias aquâ.* Cùm conuiuium magna ex parte eſſet abſolutum, erant vaſa ob frequentem Iudæorum purificationem euacuata: iubet Chriſtus, vt impleatur aquâ; nam cùm hæc ſit noſtri Baptiſmatis materia, ideo, vt ait Tertullianus lib. de Baptiſm. cap. 9. *Prima rudimenta poteſtatis ſuæ aqua auſpicatur Chriſtus.* Cùm verò miniſtri à B. Virgine eſſent inſtructi: *Impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Et vt verè obedientes, nec quærunt, nec ſcrutantur; cur id fieret, cùm aliàs aqua inutilis videretur. Et licèt Chriſtus, implere vſque ad ſummum, non præciperet, tamen vera obedientia omnia cumulatè præſtat.

Tertul. *A materia Baptiſmi incipit Chriſtus.* *Vera obedientia omnia cumulatè præſtat.*

## QVÆSTIO XXVII.

*Quare Chriſtus Dominus vinum ex nihilo non creauerit?*

104. VALDE notatu dignum, quòd nec vinum, nec panes, nec piſces Chriſtus creauerit, cùm ad hoc haberet poteſtatem; ſed piſces, & panes ad ſaturandos quinque hominum millia de ſuperexiſtentibus multiplicauit: ita vinum hîc produxit, non ex nihilo, ſed ex aqua, quæ in hydriis erat. Reſpondent primò Chryſoſtomus *homil.* 21. Theophylactus, D. Thomas. Ex nihilo aliquid facere, maius, & mirabilius eſt, quàm facere ex ſubiecta materia: non ita tamen euidens, & credibile multis; nam exiſtimare poterant, ſi vinum ex nihilo factum fuiſſet, quid phantaſticum eſſe, vt ait Albertus Magnus; vel aliqua arte aliunde aſportatum. Cùm autem illam ipſam aquam, quam ſuis oculis viderant, & manibus aſportauerant, in vinum reperenrunt conuerſam, miraculum nulli eſt expoſitum calumniæ, nec aliquis inficiari potuit. Secundò. D. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 11. D. Bonauentura. Vt ſe omnium creaturarum Dominum manifeſtaret, qui vnas in alias tranſmutabat pro ſua voluntate; & ita fieret euidens, quomodo omnia ſint ei ſubiecta. Vnde inquiunt D. Chryſoſtomus, D. Thomas. Non ex nihilo fecit, ſed ex creaturis ad confutanda diuerſa dogmata. Nam Marcionitæ, & Manichæi dixerunt, alium eſſe conditorem mundi, quàm Deum. Et ideò Dominus ex ſubſtantiis creatis plura miracula fecit, vt oſtendat, ipſas ſubſtantias eſſe bonas, & à Deo creatas. Tertiò Albertus Magnus: *Non ex nihilo fecit, vtpote conuenientius diuinæ operationi, qua non aſpernatus eſt materiam, quam creauit: mutauit de duabus qualitatibus contrariis, quæ ſunt frigidum, & humidum, in calidum, & ſiccum.* Excellentia Principis, ac Domini eſt, vt rem, quam fecit non contemnat, ſed ſemper ad meliora producat.

Chryſoſt. Theophyl. S. Thom. Albert. Mag. Irenæus. Bonauent. Chryſoſt. D. Thom. Albert. Mag. *Rex ſuos ad altiora promoueat.*

105. Quartò D. Thomas. Ideo, ait, noluit, ex nihilo vinum facere, ſed ex creaturis, vt oſtenderet ſe non omnino nouam doctrinam condere, & veterem reprobare, ſed adimplere, vt dicitur *Matth.* 5. Quintò Haymon. Poterat Dominus, ſi vellet, vinum facere ex nihilo, ſed noluit. Quare? Vt myſticè nobis innueret, qui apparens in carne nihil aliud præcepit, nihil aliud docuit, niſi quòd lex, & Prophetæ, & Pſalmi prædixerant de eo.

D. Thom. Haymon. *Scriptura adimpleta.*

106. Sextò. Actio creatiua infinitæ potentiæ eſt, ita vt multi Theologi teneant, non poſſe communicari puræ creaturæ, etiam tanquam inſtrumento, ac proinde multo maioris eſt excellentiæ, quàm actio eductiua. Si vinum fieret ex nihilo, eſſet vna creatio. Noluit Dominus illud creare, ſed ex aqua producere, vt inde haberemus documentum, quòd non ſit recurrendum ad altioris potentiæ media, quando faciliora, & accommodatiora ſunt in promptu. Septimò notat Rupertus *lib.* 3. *in Ioan.* quòd Chriſtus Dominus in diſcurſu vitæ ſuæ nihil percreationem produxerit: panes, piſces multiplicauit; vinum ex aqua conuertit. Pater tamen in primo rerum molimine dicitur omnia creaſſe: quanuis enim Chriſtus ſit æqualis potentiæ, ac virtutis cum Patre; cum tamen ipſe ſit prima perſona, ac principium, à quo totum eſſe communicatur, hanc dignitatem excellentiæ creandi illi reſeruauit Chriſtus, vtque ei creatio tribueretur: ad magnam noſtram doctrinam, quòd licèt multa ſint in noſtra poteſtate; tamen primis, ac maioribus aliquem dignitatis gradum relinquamus intactum. Poſt Chriſti reſurrectionem, cùm eius ſanctiſſimum corpus in monumento non eſſet, feſtinanter venerunt ad illud Petrus, & Ioannes, ac Maria Magdalena, vt inquiunt Origenes, Euthymius. *Venerat Maria,* ait, *poſt Petrum, & Ioannem, cùm non potuiſſet ſimul cum eis currere.* Et tamen Petrus, & Ioannes ingrediuntur ad locum monumenti, ipſa tamen foris ſtabat *Ioan.* 20. *n.* 11. Sed cur non introiuit cum eis, & foris remanet? Cur cum Apoſtolis ad videndum locum ſacrum non ſtimulatur amore? Oſtium monumenti apertum, patenſque erat, tamen ad ſacrum illum non ingreditur locum, quod enim Apoſtolorum principibus datum erat, ob ſuam modeſtiam ſibi noluit eſſe conceſſum.

*Facilioribus mediis vtendum.* Rupert. *Maioribus aliquis excellentiæ gradus reſeruandus.* Origen. Euthym.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XXVIII.

*Quare vinum ex aqua potius, quàm ex alia re fecit.*

107. COMMVNIS ratio litteralis eſt: quia inter aquam, & vinum eſt magna ſimilitudo, & diſſimilitudo. Similitudo, quia vterque humor liquidus, & communis potus; diſſimilitudo verò, quia contrarias habent qualitates, vt notaui ſuperiori quæſtione ex Alberto Magno. Propter ſimilitudinem miraculum valde credibile, propter diſſimilitudinem verò valde mirabile. Alias rationes morales ex ſanctis Patribus adducamus.

Albert. Mag.

108. Primò D. Maximus homil. 6. de Baptiſmo: *Diuinitatis, ait, potentiam ſuam manifeſtans, aquas, inquam, vertit in vinum, quas ſanctificauit in Baptiſmo, nobilitauit in nuptiis.* Chriſtus in Baptiſmo corporis ſui tactu aquas ſublimauit, nunc in nuptiis ad maiora prouexit, dum in ſui ſanguinis figuram in vinum eas vertit; vnum enim Domini beneficium ad maiora eſt veluti pignus. Secundò idem D. Maximus homil. 1. de Epiphan. *Tam grande miraculum,* inquit, *inter pauida circumſtantium ſilentia ſola tantùm voluntas Domini tacentis effecit; nec dubitandum chariſſimi, quia ipſe aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio concreuit in niues, durauit in glaciem, Ægyptiis vertit in ſanguinem, & Hebræis ſitientibus manare arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum ſtillicidio noui fontis vice maternorum vberum nutriebat.* Inter omnia elementa aqua maximè obſequium præſtitit Deo in beneficium populi ſui: nam in Ægypto pro eius egreſſione conuertitur in ſanguinem, obduratur in glaciem, atque grandinem; in deſerto è rupe proſiluit; ad ingreſſum terræ diuiditur Iordanus; & tandem perpetuo tore fœcundat terram quæ igitur per tot, ac tam antiqua tempora ſeruierat, magna fuit tranſmutatione nobilitanda, admirabilique rerum figura extollenda.

Maxim. *Vnum beneficium pignus ad aliud.* Maxim. *Antiquus in obſequio nobilitandus.*

109. Tertiò D. Ambroſius ſermone 13. alias 2. de Epiphan. *Cùm ex vili aqua, ait, optimi ſaporem vini voluit guſtare conuiuas, hoc ſigno totum vitæque reſurrectionis myſterium continetur. Aqua enim vilis, pallens, & frigida in vinum verſa, ſcilicet pretioſum, rubrum, vel ignitum, hoc ſignificat hominis ſubſtantiam, conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem, in reſurrectionis gloriam commutandam, quæ eſt æternitate pretioſa, gloriâ colorata, ſpiritu immortalitatis ignita.* Aqua naturam humanam ſignificat, & in ea primum Chriſtus operatur miraculum, vt denotetur, quòd dum homo Chriſti mandatis obedit, ſtatim tranſmutatur in generoſum æternitatis vinum ſancti Spiritus calore ignitũ. Quartò idem D. Ambroſius ſermone 4. de Epiphan. *Miniſtri, inquit, hauriunt aquam de puteis, vinum in hydriis inueniunt; atque vtiliore diſpendio perdunt, quod impleuerant.* Miniſtri ad Dei iuſſum hydrias ex abiecta, humilique materia implent, & tamen pretioſam ſubſtantiam inueniunt: minima, atque parua in Dei obſequium data, in magna creſcunt, & ampliſſima. Quintò Berengoſius Abbas *lib.* 1. *de Inuentione & laudib. S. Crucis, cap.* 16. agens de hac aquæ in vinum conuerſione, tandem concludit: *Sicut habemus ex traditione fidelium, in conuiuio nuptiarum aqua in vinum, lex in Euangelium mutabatur, vt & nos in aliam imaginem ita transformemur ab Omnipotente, vt ſicut quandoque in corpore, ita nunc mutemur in mente.* In hoc Chriſti ſignorum initio noſtra adumbratur conuerſio; nam homo Chriſti dictis obediens, ſicut hæc aqua antiquam frigiditatem, atque naturam relinquere debet, & in aliam ſancti Spiritus igne inflammatam tranſmutari.

Ambroſ. *Per obedientiam homo creſcit in Spiritus ſancti donis.* Ambroſ. Berengoſ. *In conuerſione relinquatur antiqua.*

110. Sextò Euſebius Emiſſenus homil. 5. de Paſcha: *Quando, ait, nuptiali tempore, id eſt, quando ſponſus Eccleſiæ ſua paſchali exultatione iungendus aquas in vinum conuertit, manifeſtè præfigurabat multitudines Gentium de ſanguinis ſui gratia eſſe venturas. Per aquas enim populos ſignificari, ſacris aperitur eloquiis, ſicut legimus: Aquæ iſtæ, quas vidiſti, populi ſunt, & Gentes, & linguæ.* Apoc. 17. num. 15. *In vino autem ſanguinem dominicæ paſſionis oſtendi.* Et latè proſequitur. In hoc conuiuio nuptiali deſignabantur nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam ſolennizatæ, in quibus Gentes, in aquis figuratæ, in vinum, nempe in ſanguinem Chriſti, cum quo vniuntur, tranſmutantur, & fit vnum corpus myſticum; ac ideo ait ipſe Euſebius: *In ſacramento altaris vino aqua miſcetur, quia Chriſto fidelis populus incorporatur, & iungitur.* In hanc ſententiam eleganter ait Paſchaſius lib. de Euchariſtia cap. 11. *Bene in hoc myſterio noſtra figura per aquam admittitur, vt vnuſquiſque in illo Chriſti ſanguine ſuſceptum ſe intelligat, & in melius transmutatum.*

Emiſſen. Apoc. 17. *Populus fidelis vnitur cum Chriſto.* Euſeb. Paſchaſ.

111. Septimò D. Gregorius *homil.* 6. *in Ezech.* ſic ait: *Qui mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino ſtatim implere, ſed implere hydrias aquâ, iubet; quia priùs per ſacra lectionis hiſtoriam corda noſtra replenda ſunt, & aquam nobis in vinum vertit.* Vtiliſſima eſt lectio Scripturæ ſacræ, quæ per aquam ſignificatur Sapient. 15. num. 3. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Dum cor noſtrum veritate impletur Scripturæ ſacræ, ſtatim mens noſtra imbuitur, vinoque Spiritus ſancti inebriatur, ac in cœleſtium myſteriorum contemplationem rapitur.

Gregor. *Lectio Scripturæ implet cor.* Sap. 15.

112. Octauò D. Auguſtinus *tract.* 9. per aquam inſipidam, & frigidam, intelligit legem veterem, quam veniens Chriſtus in ſuauiſſimum, ſoporiferumque vinum Euangelicum mutauit. Nonò Paſchaſius *cit. cap.* 11. per aquas ſignificari, ait, ignorantiam, ac inſipientiam noſtram, quam Chriſtus in ſalutiferam doctrinam cum vera iucunditate mutauit. Et ita loquitur ille: *Quas aquas Dominus idcirco commutaſſe legimus, vt inſipientia noſtra euacuata, vinum iucunditatis in nobis exuberaret.*

Auguſt. *Chriſtus ignorantiam noſtram in ſapientiam mutauit.* Paſchaſ.

113. Decimò D. Bernardus *ſerm.* 2. *de nuptiis*, conſiderat Chriſti verba, *Implete hydrias aquâ.* Per aquam timorem intelligit, per vinum charitatem; quia multoties dum cor noſtrum timore mortis, acerbique iudicij, ac pennarum gehennæ concutitur, mens igne charitatis inflammatur. Ait ille: *Incutite metum, & ſpiritu timoris, non tam vaſa, quàm corda replete, quia vt ad charitatem perueniant, initiandi ſunt à timore, vt dicant & ipſi: A timore tuo concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis.*

*Homo dum timet, gratiâ impletur.* Bernard.

114. Vndecimò D. Anaſtaſius Sinaïta lib. 3. Exaëmer. ſic ait: *Primum miraculum Chriſtus fecit in aqua,*

*aqua, quoniam tertio die aquam Gentium congregauit in vnam congregationem, cùm eam tranſmutaſſet vera vitis ab aqua in vinum lætitiæ.* Aqua ob lachrymarum naturam paſſim in Scriprura ſacra dolorem, mœſtitiamque adumbrat. Chriſtus Dominus in primo mirabilium ſuorum ſigno., dumque in eum diſcipuli crediderunt, in nuptiis, quæ die tertia ſunt celebratæ, aquam in vinum conuertit: quia ab ipſo tertia die, nempe Dominicæ reſurrectionis, ac dum credentes ad ipſum accedunt, omnis triſtitia, afflictioque ſpiritu in lætitiæ, exultationiſque vinum tranſmutatur, & conuertitur. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Et dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux,* Geneſ. 1. n. 2. Valde mirum, quòd cùm chaos, atque confuſio vniuerſum occuparet ſpatium, aquiſque replerentur omnia, non priùs fit firmamentum, aquarumque diuiſio, ſed lux prima die creatur. Tenebræ triſtitiam exprimunt, atque dolorem; & vbi diuinus Spiritus aduenit, omnis illa fuit tenebrarum confuſio in periucundam lucem, quæ gaudium, exultationemque ſignificat, tranſmutanda. Et ita dixit Petrus Cellenſis lib. de panibus: *Si Deus adeſt, mœſtitia, fugit, lætitia perfunditur, & miro gaudio animus pulſatur.*

*Credenti triſtitia omnis in gaudium vertitur.*

Gen. 1.

Petr. Cell.

## Qvæstio XXIX.

### *Quare Chriſtus Dominus per ſe aquam non diffundit?*

115. Mandavit Dominus miniſtris: Implete hydrias aquam. In charitate Dominus multo feruentior erat Abrahamo; hic tamen dùm opus miſericordiæ exercet, non mandat, ſed ipſemet ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, tandemque coram peregrinis ſuis poſuit, *Geneſ. 18. n. 6.* Cur igitur Dominus, cùm eſſet valde humilis, non per ſe infundit aquam?

116. Reſpondet primò D. Chryſoſtom. homil. 21. in Ioannem, *Cur ipſe,* ait, *hydrias non impleuit, deinde in vinum vertit, ſed miniſtris implendas mandauit? Vt miraculi ipſos teſtes haberet, qui aquam hauſiſſent, ne qua fraus, ne quod præſtigium putaretur.* Similiter Theophylactus, Euthymius. Non ſat eſt ſolùm vt opus perfectum vndique, abſolutum ſit, verùm ita faciendum, vt malignantium, inimicorumque calumniæ euitentur. Et ne quis prauus de opere tanto ſiniſtrum aliquid ſuſpicaretur, ideo per miniſtros iuſſit Dominus aquam infundi, vt miraculi teſtes ipſi fierent. Et hæc eſt vera, atque germana quæſtionis ſolutio. Secundò D. Petrus Chryſologus ſermone 150. *Potuit,* ait, *augmentis ſuccreſcentibus ad nuptiarum feſta, vini ampliare, & perpetuare menſuras; ſed aqua in ſanguinis erat conuertenda myſterium, vt mera pocula de vaſe corporis ſui Chriſtus bibentibus propinaret.* Hoc vinum mirabiliter productum, vt ſuprà dixi, Euchariſticum Chriſti ſanguinem adumbrabat; vt ergo homines illud biberent, eorum operatio interueniente aqua exigitur: quia tanti myſterij ſolùm participes fiunt, non otio torpentes, ſed qui ſedulè laborant, ac mundam conſcientiam lachrymarum aqua aſportant.

Chryſoſt. Theoph. Euthym. *Dicentium ora vitanda,* Chryſolog. *Ad Euchariſtiam, qui laborant, accedant.*

117. Tertiò D. Ambroſius lib. 6. in Lucam, ad illa verba, *Manducauerunt omnes,* ſic ait S. Doctor, *In nuptiis ex fontibus vina, miniſtris operantibus, colorantur, & ipſi, qui impleuerant hydrias aquâ, vinum, quod non detulerant, hauriebant.* Vt nobis diuina communicentur dona, cooperatio noſtra eſt adhibenda; & ideo mirabile vinum non datur, niſi dum operantur miniſtri, & aquam propriis manibus, humeriſque deferunt. Moyſi præcepit Deus, vt faceret tabernaculum, propitiatorium, arcam, & candelabrum. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt,* Exod. 25. num. 4. Ad illa enim omnia referunt exemplar monſtratum Abulenſis, Carthuſianus, & alij Et patet ex ipſomet cap. num. 9. *Facient mihi ſanctuarium iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi.* Sed iam eſt difficultas, cur Dominus totum ipſum tabernaculum, arcam, & propitiatorium, vndique confectum, & abſolutum non dederit Moyſi, & filiis Iſraël; diuinæ enim omnipotentiæ æquè facile erat, hoc totum confectum exhibere, ac ipſam ſimilitudinem, exemplarque oſtendere? Cur ego tabernaculum, arca, propitiatorium vndique confectum non datur? in hominum auxilium hæc parabantur, vt neceſſitate oppreſſi ad tabernaculum confugerent, ibique inuenirent remedium. Exigebatur ergo, vt diuina gratia adiuuante, in hoc negotio eorum interueniret operatio. Gloſſa Ordinaria *ibi* ſignificatur. *Omnis ſcriba doctus in regno cælorum, cum ea, quæ litteris ſanctis de fide Catholica, & actione pia didicerit, ipſe facere, & alios docere, præcipitur: inſpicere, & facere ſecundùm exemplar, quod ſibi in monte monſtratum eſt, iubetur.* Et latiùs Gloſſa. Vt homo augeatur, in ſanctitateque proficiat, neceſſe eſt, vt ipſe faciat, & operetur. Quandiu populus fuit in deſerto, diuinitus è cœlo deſcendebat manna, quod, vt dicitur Numer. 11. num. 8. *Erat autem Man, quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij, circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati.* Si autem Deus tantis ſe erga Iſraël habebat deliciis, atque fauoribus, cur non dabatur manna ipſum vndique præparatum? vt poma, fructuſque arbores ferunt? Ad quid neceſſe erat ipſum tanquam in molari lapide frangere, in olláque coquere? de quo latè *ibi* Abulenſis. Maius enim eſſet beneficium, ſi cœleſtis ille panis omni condimento diſpoſitus caderet. Pagninus in ſua Iſagoge: *Manna ope, ac induſtria humana præparabatur ad veſcendum.* Præfigurabat cibus ille cœleſtia dona, vt concors eſt Patrum ſententia, & vt homo illorum particeps fieret, eius exoptabatur induſtria, & operatio.

Ambroſ. *Ad Dei dona ſuſcipienda requiritur cooperatio noſtra.* Exod. 25. Abulenſ. Carthuſ. Gloſſ. Ord. Num. 11. Abulenſ. Pagnin.

*Ioannis 2. n. 8.* Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Dixit eis: Haurite adhuc, & offerte præcipuo diſcumbenti. Itaque obtulerunt.

*Beda.* Dicit eis: Ite, & haurite nunc.

*S. Gaudentius tract. 2.* Tunc ait ipſe Dominus Ieſus iiſdem miniſtris.

### *Expositio.*

118. Vbi Dominus agnouit hydrias impletas, dixit miniſtris: *Haurite nunc;* hoc eſt, ſtatim, ſine vlla dilatione, vt euidentiſſimum eſſet miraculum in momento factum; quæ enim naturaliter fiunt, non ita breui tempore operantur. *Et ferte architriclino;* hoc eſt, præpoſito menſæ. Non imperauit Chriſtus, vt ſtatim apponeretur conuiuantibus, ſed vt priùs architriclinus guſtaret. Vt ſupremus Dominus miraculum edidit Saluator; tamen in his, quæ ſpectabant ad officium architriclini, noluit eum Dominus impedire, ſed determinat, vt conſueto modo res diſponatur. Vide *lib. 1. c. 5. n. 16. & lib. 2. cap. 7. n. 6. & hoc lib. cap. 2. n. 5.*

*Dominus inferiorem in officio ſuo non impediat.*

## Qvæstio XXX.

### *Quiſnam eſſet Architriclinus, & vnde dictus?*

119. Præpositvs menſæ Architriclinus dicebatur à loco conuiuij, qui ex tribus lectulis conſtabat, deriuatione facta à nomine Græco; nam prædictus locus *triclinium* dicitur, vt patet ex conuiuio Samuelis 1. Reg. 9. n. 22. *Introduxit eos in triclinium.* Veteres enim, vt delicioſè, ac delicatè viuerent, non ſedendo, ſed in lectulis recumbendo epulabantur. Virgilius Æneid. 1.

——*Toris iuſſi diſcumbere pictis.*

Et conſtat ex conuiuio Aſſueri *Eſther 1. num. 6. Amos 6. n. 4. Ezech. 23. n. 41.* vbi multa, & doctè adducit Pardus. Dicebatur autem triclinium, vel ſumebatur numerus certus pro incerto; vel in conuiuio menſæ, vel lectuli ponebantur per tria latera, quartum autem latus lectulo vacabat, vt per illud inferrentur dapes. Mulieres verò, vt obſeruat Valerius Maximus *l. 2. c. 1. de Matronis Romanis,* honeſtatis gratia, non cubantes, ſed ſedentes cibum ſumebant.

1. Reg. 9. Virgilius. Eſther 1. Amos 6. Pardus. Maxim.

120. Architriclinus quiſnam eſſet, dubitatur. Diuus Gaudentius *tractat. 9.* exiſtimat, fuiſſe quemdam Sacerdotem, qui agebat curam pudoris coniugalis. D. Thomas, Lyranus. & fauet Syriacus, fuiſſe principem, & primum inter conuiuas. Probabilius tamen Euthymius aſſeuerat, Architriclinum dici præfectum conuiuij, & omnia, quæ conuiuij erant, diſponebat, prouidebat, ne alicui cibi, & potus deeſſent; & ideo iuſſit Dominus, vinum ad eum deferri, vt ipſe miraculi eſſet teſtis. Chryſoſtomus, id in cauſa fuiſſe teſtatur, quia cùm ipſe menſæ non accubaret, ſano, ſobrioque erat palato, vt de vini bonitate diiudicaret. Ianſenius ait: *Quia ſaporum peritiſſimus erat.* Moraliter verò Interlinealis, Beda, Haymon inquiunt, quòd Architriclinus eſt Paulus, vel doctor, ſeu magiſter, qui veram doctrinam cognoſcere debet, & cunctis nouam Euangelicæ fidei gratiam, & perpetua cœleſtis patriæ dona proferre.

D. Gaudent. D. Thom. Lyran. Syriacus. Euthym. *Quiſnam eſſet Architriclinus.* Chryſoſt. Ianſen. Interlin. Beda. Haymon.





*Ioannis 2. n. 9.* Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat, vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam; vocat ſponſum architriclinus.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Cùm autem guſtaſſet ipſe architriclinus aquas illas, quæ factæ fuerant vinum, neſciebat autem vnde eſſet, ſed miniſtri ſciebant, quippe qui impleuiſſent eas aquâ.

*Pagninus.* Cùm guſtaſſet aquam in vinum verſam, &c.

*Theophylactus* Poſtquam guſtaſſet, &c.

### *Expositio.*

Architriclinvs munus ſuum exercet, vt notat Caietanus: hìc non ait Euangeliſta de eo, bibit vinum, ſed, *guſtauit,* ad ſignificandum architriclini officium; nam durante conuiuio non bibebat, ſed tantùm ſummis labiis guſtum vini percipiebat. *Aquam vinum factam.* Aqua iam non erat; hoc tamen dicitur ad ſignificandum, quale eſſet vinum. Et quanuis architriclinus totus de vini excellentiſſimo ſapore, odore, coloreque eſſet admiratus, & vnde tam pretioſum eſſet aſportatum, neſciret; cùm tamen miniſtri optimè ſcirent, nihil ei dicunt, ex eo, quia à Chriſto dictum eſt tantùm: *Haurite, & ferte architriclino.* Vt optimi miniſtri ſibi imperata faciunt, & vltrà non progrediuntur. Vel fortè nihil dicunt, vt ait Toletus, exiſtimantes, Chriſtum operatum eſſe miraculum, ne vinum defeciſſe diuulgaretur. *Vocat ſponſum.* Ex hoc graues Recentiores inferunt, ſponſum cum reliquis conuiuis ad menſam non accubuiſſe, ſed in curandis, quæ ad conuiuium ſpectabant, fuiſſe occupatum. Tamen longè veriſimilius eſt, ſponſum, in cuius gratiam nuptiæ celebrabantur, in menſa inter conuiuas adeſſe, ac cum eis ſumpſiſſe cibum. Architriclinus ergo totus admiratus de excellentia vini, clamans appellat ſponſum: Quomodo iuſſiſti ponere deterius, cùm excellens priùs eſſet apponendum? 121.

Caiet. *Bonus miniſter vltra imperata ne faciat.* Tolet.

## Qvæstio XXXI.

### *Quare Architriclinus vocat ſponſum, & non miniſtros?*

Architriclinvs magnam in admirationem raptus, non miniſtros, ſed ſponſum vocat. Ad quod reſpondeo 122.

primò, quòd architriclinus erat menſæ præpoſitus, tanquam diſpenſator, vt in conuiuio omnia conuenienti tempore apponerentur, ac diſtribuerentur; in omnibus tamen iuſſum, nutumque ſponſi ſequebatur, quia erat Dominus, à quo omnia ei tradita fuerant; ideoque non miniſtros, qui imperata faciebant, ſed ipſum ſponſum, ac dominum appellat, ac veluti arguit, quòd rectum inuerterit ordinem, ac priùs deteriora apponere mandauerit.

*Miniſter nutum domini ſequatur.*

123. Secundò Diuus Chryſoſtomus *homil.* 21. Theophylactus, & ait ita: *Architriclinus, non miniſtros, ſed ſponſum interrogat; quare? Omnino iuxta diuinam prouidentiam: nam ſi miniſtros interrogaſſet, vtique miraculum reuelaſſent, & nullus eis credidiſſet. Initium enim erat ſignorum, & nullus adhuc opinionem talem habebat de Chriſto: atque ita miniſtris narrantibus miraculum hoc nullus credidiſſet. Igitur paulatim miniſtri omnibus hoc narrantes, fideles habiti fuerunt. Idcirco ordinauit Dominus, ne miniſtri interrogarentur, ſed ſponſus.* Alto Dei conſilio, non miniſtri, ſed ſponſus quæritur in hoc negotio, vt ipſe publicè dicat, ſe rem neſcire, taleque in domo eius vinum non eſſe, vt miniſtri inciperent aperire veritatem, eiſque fides daretur. Animi ad magna pedetentim diſponendi, vt alta percipiant. Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 16. & *c.* 10. *n.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 7.

Chryſoſt. Theophyl.

*Ioannis* 2. *n.* 10. Et dicit eis: Omnis homo primùm bonũ vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Vnuſquiſque priùs vinũ bonum offert, & cùm inebriati fuerint (conuiuæ,) tunc quod minimum eſt: tu autem ſeruaſti vinum optimum nunc vſque. |
| *Hebraicè Sà, & Vatablus in ſcholiis.* | Et cùm egregiè biberint, tunc quod deterius. |
| *Hebraicus apud Salmeiron.* | Tu autem ſeruaſti melius. |
| *Pagnin. Vatabl.* | Vſque ad hoc tempus. |
| *Arias.* | Vſque iam. |

## *EXPOSITIO.*

124. PRVDENS architriclinus, non patiens, quòd in officio ſuo ab aliquo culparetur, ac ſi in aliquem ex ignorantia incidiſſet defectum, verum in cibo, potuque diſtribuendo explicat ordinem. *Bonum vinum ponit.* Frequens eſt conſuetudo, vt in conuiuiis meliora vina in exordio proponantur; quia tunc homo, cùm ſit ieiunus, vini nobilitatem percipit meliùs. Cùm autem progreditur in conuiuio, corrumpitur guſtus, & vini qualitatem non ita perſentit. Notat autem Albertus Magnus, quòd largi, ac liberales apud dilectos conuiuas tenent conſuetudinem, quæ hîc allegatur: at verò auari è contra malum vinum apponunt, vt bonum non expendatur, ſed reſeruetur. Hæc ferè ille. *Et cùm inebriati fuerint.* Hæc ita accipe cum Chryſoſtomo, Theophylacto, & aliis. Non quòd in conuiuio, in quo Chriſtus aderat, talis fuerit exceſſus, vt hæc vox apud nos ſonat, ſed eſt Hebræorum loquendi modus, vt per ebrietatem intelligatur ſatietas, magnaque lætitia. De conuiuio à Ioſeph fratribus exhibito dicitur: *Biberunt, & inebriati ſunt cum eo.* Geneſ. 43. n. 34. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam,* Pſal. 64. n. 10. hoc eſt ſatiaſti. *Inebriamini chariſſimi,* Cant. 5. num. 1. Moraliter per *ſponſum.* Haymon & alij intelligunt Chriſtum Dominum, qui præexcellentiſſimam myſteriorum fidei cognitionem reſeruauit vſque ad hoc tempus legis Euangelicæ.

Albert. Mag.

*Auari meliora occultant.*

Chryſoſt. Theophyl.

Geneſ. 43. Pſalm. 64. Cant. 5. Haymon.

Quid autem ſponſus dixerit, Euangeliſta non expreſſit. Ad quod reſpondet Euthymius. *Veriſimile eſt autem,* inquit, *ſponſum dixiſſe: Quidnam eſt hoc? Veruntamen id prætermiſit Euangeliſta, vtpote non neceſſarium.* Re cognita ſponſus, conuiuæ, atque miniſtri attoniti, admiratique fuere. Quid verò dixerint, non aperit noſter Ioannes, quia fortaſſe quædam laudatoria verba fuere; ſed tantùm ait: *Crediderunt in eum diſcipuli eius.* Nam Chriſti gloria, non tam verbis, quàm operibus cognoſcenda, confitendaque eſt. 125.

Euthym.

*Gloria Chriſti operibus confitenda.*

*Ioannis* 2. *n.* 11. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Pagninus.* | Hoc edidit initium ſuorum, &c. |
| *Syriacus.* | Notã fecit gloriã ſuam. |
| *Vatablus.* | Et manifeſtam fecit gloriam ſuam. |

## *EXPOSITIO.*

TRIA hîc aduertit Euangeliſta; primum præeminentiam miraculi; ſecundum manifeſtationem gloriæ; tertium effectum ſubſecutum, ſcilicet fidem diſcipulorum. Miraculi præeminentia, fuit enim primum Chriſti ſignum, & per illud, *manifeſtauit gloriam ſuam;* nimirum latentem diuinitatem, vt hîc explicat Interlinealis. Fructus verò, ſeu finis ſecutus, fides diſcipulorum. Propter noſtram vtilitatem, ac fidem Deus operatur; & dum hæc à nobis exhibetur, tunc eius gloria manifeſtatur. *Crediderunt in eum diſcipuli eius.* Amici, quique erant ex eius ſchola, eius mirabilia vident, vt eum agnoſcant, in eumque credant. 126.

Interlin.





## QVÆSTIO XXXII.

### *Vtrùm hoc primum fuerit miraculum, quod Chriſtus Dominus edidit?*

127. DVæ ſunt in hac materia extremæ ſententiæ, vnaque media. Prima ſententia extrema affirmat abſolutè, hoc non fuiſſe primum Chriſti miraculum, ſed tantùm primum eorum, quæ fecit in Cana Galilææ: nam *Ioan.* 4. *n.* 46. aliud memoratur ibi factum. Ita tenent aliqui, quos refert D. Chryſoſtomus *homil.* 22. *in Ioan.* Secunda ſententia contendit, hoc fuiſſe primum omnium miraculorum, quæ Chriſtus operatus eſt. Hanc docent Theophylactus, Euthymius, Caietanus, Barradas, Suarius *tom.* 2. *ad* 3. *p. diſp.* 17. *ſect.* 3. §. *Quinto.*

Chryſoſt.

Theophyl. Euthym. Caietan. Barradas. Suarius.

128. Vtraque ſententia mihi non placet: non prima, quia nulla eſt ratio, ob quam dicamus, Euangeliſtam aduertere, hoc fuiſſe primum ſignum in Cana; & non aduertere, aliud fuiſſe primum in Ieruſalem, vel in alio loco. Secunda ſententia etiam non placet: quia licèt miracula, relata in libro de infantia Saluatoris, fictitia ſint, & vt apocrypha reiiciat Gelaſius Papa *c. ſancta Romana, diſt.* 15. Et ſigna, quæ facta ſunt in Chriſti natiuitate, ex modo, quo fiebant, videantur à Patre facta amore, ac beneuolentia erga Chriſtum, vt inquit Suarius citatus; tamen negari non poteſt, quòd aliqua miracula ſint facta à Chriſto ante hanc vini conuerſionem, vt cùm eſſet puer duodecim annorum, mirabilem ſapientiam oſtentauerit in templo, ita vt Doctores obſtupeſcerent, quod fuit miraculum ſupra naturam, & vt Deus operatus eſt, vt docent Patres, & dixi *lib.* 2. *c.* 10. *q.* 16. Deinde quòd quadraginta diebus ieiunauerit, & illis diebus nihil comederit, *Matth.* 4. *n.* 2. *Luc.* 4. *n.* 4. quod fuit opus miraculoſum, & ſupra totam naturam. Tandem ad eius ingreſſum in Ægyptum aliqua miracula referunt ſancti Patres, vt dixi *lib.* 2. *c.* 7. *q.* 13. interpretantes locum *Iſaiæ* 19. *n.* . . vt ibi dixi. Ergo hoc non fuit primum omnino ſignum omnium, quæ Chriſtus fecit.

*Vtraque ſententia reiicitur.*

129. Media ſententia, & mihi vera, eſt, hoc fuiſſe primum ſignum, atque miraculum, quod edidit Chriſtus Dominus in exordio prædicationis ſuæ ad ſe manifeſtandum verum Deum, ita vt homines crederent in illum. Pro hac ſtant Salmeiron *lib.* 4. *tract.* 7. Toletus *annot.* 14. Maldonatus *hîc,* Hanc tradit D. Thomas 3. *p. q.* 13. *art.* 3. prout probat, hoc in nuptiis fuiſſe primum miraculum, quod Chriſtus fecit, ad oſtendendam ſuam diuinitatem, atque in confirmationem doctrinæ ſuæ. Ita loquitur D. Ambroſius ſerm. 13. *Dicitur, hoc primum feciſſe miraculum, vt aquam mutaret in vinum, magnum planè ſignum, & ad Dei credendum ſufficiens maieſtatem.* Et in hoc ſenſu loquuntur ſancti Patres. Probatur hæc ſententia; quia iam oſtendi, ante hoc ſignum aliqua miracula feciſſe Chriſtum Dominum. Deinde Euangeliſta appoſitè loquitur ad id, quod agebat; agebat enim de Chriſti manifeſtatione per miracula, ac per prædicationem, quando diſcipulos ad ſe trahere cœpit; & in hoc ſenſu inquit, hoc fuiſſe primum ſignum.

Ambroſ.

Quare verò Chriſtus antea non ediderit miracula; optimè probat Chryſoſtomus *homil.* 16. Primò, quia cùm nondum prædicaret, nec diſcipulos congregaret, non requirebantur miracula; hæc enim ad doctrinæ confirmationem facta ſunt. Secundò ſi antea miracula operaretur, vel eſſet creditus phantaſma, vel ante proportionatum tempus morti traderetur. Tertiò. Ordinatum erat à Patre, vt priùs à Ioanne Baptiſta demonſtraretur, ſicut ipſe dixit Ioan. 1. num. 31. *Vt manifeſtetur in Iſraël, ego veni in aqua baptizans.* Ergo conueniens erat, vt miraculis non antea declararetur. 130.

Ioan. 1.

## QVÆSTIO XXXIII.

### *Quare hîc dicitur, quòd Chriſtus manifeſtauerit gloriam ſuam?*

GERMANA ſolutio eſt, vt dixi in expoſitione: *Manifeſtauit gloriam ſuam,* hoc eſt, diuinitatem ſuam; hanc enim gloriam eius appellant Euangeliſtæ *Matt.* 1. *n.* 14. & 16. *n.* 27. Et quanuis multi Prophetæ, vt parentes Elias, & Eliſæus, miracula ediderint; de nullo tamen eorum dicitur, gloriam ſuam oſtentaſſe, quia vt ſerui gloriam Dei, ac Domini indicabant: Chriſtus autem, vt verus Deus, omniumque Dominus, gloriam propriam manifeſtabat. 131.

Secundò. Chriſtus Dominus multa edidit miracula; ieiunauit enim quadraginta diebus ſine cibo, & potu, *Matth.* 4. *n.* 1. *Luc.* 4. *n.* 1. & tamen non dicitur, quòd tunc manifeſtauerit gloriam ſuam: imò ſi ad vocem Diaboli lapides in panes conuerteret, hoc minimè diceretur. Rupertus lib. 3. de gloria, ac honore filij hominis. *Fortè enim putas,* inquit, *quia gloriam ſuam manifeſtauiſſet, ſi ad eius dictum lapides facti fuiſſent panes, ſicut in eo gloriam ſuam poſtmodum manifeſtauit, quòd ad eius nutum aqua in vinum verſa eſt: ſed non ita eſt. Vbi enim hoc fecit initium ſignorum, & ſic manifeſtauit gloriam ſuam, non gloria fuit inanis, ſed gloria cum fructu, quem videlicet fructum protinus Euangeliſta repræſentat, dicens: Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Si Saluator in conuerſione lapidum potentiam ſuam oſtentaſſet, vt Diabolus petebat, cùm inde nullus ad hominum ſalutem fructus daretur, gloriam ſuam manifeſtaſſe non diceretur; hæc enim tunc maximè publicatur, ac declaratur, cùm commodum noſtrum, atque vtilitas interuenit. 132.

Rupert.

*Gloria Dei manifeſtatur, cùm noſtrum commodum interuenit.*

Tertiò Diuus Auguſtinus tractat. 9. in Ioannem: *Itaque ſeruauit ſibi Deus inuſitata quædam, quæ faceret, vt tanquam dormientes homines ad ſe colendum mirabiliter excitaret, propter quod ſequitur; Et manifeſtauit gloriam ſuam.* Erant enim homines obcæcati, & Chriſti maieſtatem non agnoſcebant; per hoc autem miraculum cœpit potentiam ſuam propalare, ideò dicitur, manifeſtaſſe gloriam ſuam. Quartò. Hoc miraculum ſacram Euchariſtiam adumbrauit, vt ſuprà dixi: ideò ergo dicitur Chriſtus Dominus gloriam ſuam manifeſtaſſe, in hoc enim mirabili myſterio mirabilis potentia eius maximè reſplendet, atque elucet. 133.

Auguſt.

*In Euchariſtia Dei potentia reſplendet.*

134. Chryſolog. Quintò D. Chryſologus ſerm. 157. *Vbi aqua,* ait, *mutauit naturam, mox patefecit authorem, & elementorum creator mutatione reuelatus eſt creaturæ.* Potentia creatoris maximè reſplendet in creatione rerum, & tamen S. Pater aſſerit, quòd in mutatione creaturæ, quæ hîc nempe præfigurabat, *Conuerſio peccatoris miraculum magnum.* quando ſcilicet peccator ex inſipientia, ac frigiditate peccati ad charitatis calorem feruoremque conuertitur: hæc enim conuerſio Dei potentiam maximè demonſtrat, eiuſque efficaciæ vim exaltat, dum deprauatos hominum mores in melius mutat, atque conuertit. Ita fatur D. Ambroſius ſerm. 2. de Epiphan. Ambroſ. *Nam ſi mirabile eſt, quæ defecerant conuiuis vina ſuppleſſe, quanto eſt mirabilius vitam, quæ eſt exhauſta, hominibus reparaſſe? Et ſi glorioſum eſt, aquam in vinum mutare, quanto eſt glorioſius, peccata in iuſtitiam commutare, & mores potius temperare, quàm pocula.*

135. Iſai. 4. Deſcribens Iſaïas Propheta ſtatum fœliciſſimum in aduentu Chriſti, *cap. 4. num. 2.* ait: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his, qui ſaluati fuerint de Iſraël: & erit omnis, qui relictus fuerit in Sion: & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur.* Et poſtea ſubdit Propheta: *Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion nubem per diem, & fumum ſplendentem ignis flammantis in nocte.* Duo enarrat Propheta, conuerſionem Iſraël ad fidem, ac mutationem ex erroribus ad veritatis viam, & tunc ait: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria,* ſeu, vt legunt Diuus Baſilius, Diuus Cyrillus Alexandrinus, Baſil. Cyril. *ſplendeſcet Dominus.* Poſtea autem explicantur mirabilia, quæ fient à Domino in ſuorum protectionem, ac defenſionem; & tunc dicitur, quòd ſicut quando populus erat in deſerto, *creabit Dominus nubem per diem, & ſplendorem in nocte.* Cur quando de ſuſceptione fidei eſt ſermo, cum tanta exaggeratione loquitur Propheta: *Splendeſcet in magnificentia, & gloria, erit fructus ſublimis;* quando verò de mirabilibus editis agitur, ſimplici vtitur verbo *creabit?* Abſque dubio multo magis oſtentatur Dei potentia, dum homines trahit ad fidem, eorumque errores reprimit, vt in via ſalutis incedant, quam dum nubem in die, lumen ſplendentem in nocte, aliaque in elementis operatur mirabilia. Et ideo dum de conuerſione eſt ſermo, gloria Dei cum alto eius conſilio proponitur. Baſil. D. Baſilius: *Cùm affulſerit Deus in Concilio cum gloria, reliquiæ Iſraëlis ſecundùm electionem ſancti vocabuntur, & conſcribentur ad vitam in Ieruſalem.* Dum Regius Vates de Orbis creatione Pſalm. 8. agit Pſalm. 8. num. 4. ait: *Videbo cælos, opera digitorum tuorum;* dum verò idem Propheta tractat de modo, quo Deus mirabiliter nos retrahit à lapſu, Lorin. Pſalm. 117. à peccatiſque reuocat, vt explicat Lorinus cum aliis, ait Pſalm. 117. num. 13. *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Et tandem ibidem, num. 16. *Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.* Sed cur ad totius orbis creationem Dei digiti tantùm commemorantur; vt autem homo perfectionem ex infirmitate obtineat, de ſubiectioneque gloriam aſſequatur, triplicata Dei dextera ponitur? Multo mirabilius, excellentiuſque Dei eſt opus, ex noſtra miſeria, ac debilitate hominem ſubleuare ad vitam, quam totam ex nihilo creare machinam. Lorin. Lorinus ad citatum locum. *Trina repetitio dexteræ innuit effectata totidem Omnipotentis miſericordiæ Dei erga hominem, cui peccata condonat, quem diuina filiatione, & beatitudinis iure exaltat.* Eadem eſt ſententia Auguſtini, aliorumque Patrum: Auguſt. hominis enim conuerſio totius Dei omnipotentiæ eſt opus, & magnam habet ſuper cætera miracula, ob noſtræ libertatis repugnantiam, difficultatem, vt explicat Chryſoſtomus *homil. 3. in Epiſt. ad Epheſios.* Chryſoſt.

## Quæstio XXXIV.

### *Quomodo qui antea Chriſti diſcipuli erant, modò in eum credidiſſe dicantur?*

DIfficvltas eſt, quia dicitur in textu, *Crediderunt in eum diſcipuli eius;* ſi erant diſcipuli, iam antea credebãt, nec enim præſumendum eſt, eos hominem ignotũ, ac pauperem ſecutos fuiſſe. 136. Reſpondet D. Auguſt. *lib. 2. de conſenſ. Euangel. c. 17.* Auguſt. dici diſcipulos per anticipationem, qui enim futuri erant diſcipuli, tales vocantur, antequam ſint. At hæc reſponſio mihi eſt difficilis; nam noſter Ioannes ait in initio huius Euangelij, *Vocatus eſt Ieſus & diſcipuli eius;* ergo inſinuat, iam ante conuiuium fuiſſe diſcipulos. Et nos ibi diximus cum communi ſententia, quòd diſcipuli vocati ſunt, quia ex ſchola Chriſti erant. Secundò Toletus *annot. 16.* tenet, Tolet. diſcipulos hoc tempore nõ credidiſſe, Chriſtum eſſe Deum, ſed firmiùs credidiſſe Meſſiam eſſe. Hæc etiam opinio non placet, quia ſancti Patres communiter hîc aliquam diſcipulis tribuunt diuinitatis cognitionem. Deinde, quia dicitur in textũ, *manifeſtauit gloriam ſuam;* hoc eſt, diuinitatem, vt eſt omnium ſententia, & ſtatim additur, *Crediderunt in eum;* ergo in eius diuinitatem.

Tres hac in re ſunt expoſitiones probabiles. 137. Prima ait, quòd diſcipuli ante miraculum credebant in Chriſtum, vt in virum ſanctum, & iuſtum, pòſt verò credebant in eum, vt in Deum. Ita D. Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Reginas: *Ante ſignum,* ait, *ſecuti ſunt eum admirantes vt ſanctum;* Cyrill. *ſed propter ſignum contuiti ſunt, eum habere virtutem, ac poteſtatem maiorem, quàm homines. Vnde crediderunt tanquam in Deum.* & Diuus Ambroſius *ſerm. 20.* Similiter docent Diuus Thomas *hîc in ſuo Commentario,* Caietanus. Ambroſ. D. Thom. Secunda aſſerit, quòd diſcipuli eius crediderunt in eum, non quòd tunc primò crediderint; cùm antea ſecuti fuerint Chriſtum; ſed quòd tunc magis crediderunt, ac maiori firmitate ſolidati ſunt in fide. Ita Origenes *in Catena Græca.* Theophylactus, Haymon. Origen. Theoph. Haymon. Valde frequens eſt in Scriptura, aſſumi verbum *credere,* pro firmiùs, & perfectiſſimè credere. *Credidit Abraham Deo,* Gen. 15. n. 6. Geneſ. 15. non quòd in præcedentibus promiſſionibus Deo non credidiſſet, ſed quòd tunc firmiſſimè nulla admixta nutatione crediderit.

Tertia. Dicuntur diſcipuli credere, quia huius 138. *Vera fides exteriùs manifeſtatur.* credulitatis ſigna exhibuerunt, exteriùs affirmando, quòd interiùs iamdiu credebant, vera enim fides externis teſtimoniis manifeſtatur. *Credidi propter quod locutus ſum,* Pſalm. 115. num. 1. Pſalm. 115. Nota coniunctionem verborum. Quando omnimoda perfectione credidi, non ſubticui, ſed locutus



ſum. Auguſt. D. Auguſtinus ibi: *Credidi propter quod locutus ſum, hoc eſt perfectè credidi: non enim perfectè credunt, qui quod credunt, loqui nolunt; ad ipſam enim fidem pertinet, etiam illud credere,* Matth. 10. *quod dictum eſt, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Angelis Dei,* Matth. 10.

# CAP. II.

## *Eiicit Ieſus vendentes è templo.*

*Ioannis 2. n. 12.* Poſt hæc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius: & ibi manſerunt non multis diebus.

### *Versio.*

*Syriacus.* Ibique fuerunt paucis diebus.

### *Expositio.*

1\. POst manifeſtationem in nuptiis Cana Galilææ, *deſcendit in Capharnaum.* Erat ciuitas Capharnaum inclyta, ac Metropolis prouinciæ Galilææ, ac etiam maritima iuxta ſtagnum Geneſareth in finibus Zabulon, & Nephthali: ſitu verò inferior Cana, & ideo è Cana ad Capharnaum deſcendiſſe dicitur Dominus. Nomen autem è duabus eſt compoſitum dictionibus: *Etymologia nominis.* *Caphar,* hoc eſt, villa, ſeu oppidum; Rabbini. *Naum* verò, ſecundùm Rabbinos, interpretatur *pœnitentia:* Rupert. ſecundùm Rupertum, *conſolatio:* Albert. Mag. ſecundùm Albertum Magnum, *pinguedo.* *Vbi pœnitẽs, ibi animæ conſolatio.* Vbi enim pœnitentia eſt, ibi & pinguedo, & animæ conſolatio. Vel aliter exponitur nomen iuxta D. Bonauenturam, Hugonem. Bonauent. Hugo. *Capharnaum,* hoc eſt, *ager benedictionis;* D. Thom. iuxta verò D. Thomam, idem valet, ac *villa pulcherrima.* *Vbi Dei benedictio, ibi noſtra pulchritudo.* Et bene quidem, quia vbi eſt Domini benedictio, ibi eſt noſtra pulchritudo. Seu quia ad locum, in quem Dominus deſcendit, ad nos hæc omnia veniunt, pœnitentia, conſolatio, pinguedo, benedictio, ac pulchritudo. Duplex fuit in Capharnaum deſcenſus Domini, D. Thom. vt notant D. Thomas, & alij. Vnus, de quo hîc eſt mentio, ante Ioannis carcerem, & ante multa miracula facta. Alter deſcenſus in Capharnaum factus eſt poſt Ioannis incarcerationem, ac magna ſigna edita; de quo eſt ſermo *Matth. 4. num. 13. Luc. 4. num. 31.* Qui autem eſſent fratres, & diſcipuli Domini, dixi ſuperiori cap. q. 9. *Et non manſerunt ibi multis diebus;* propter ſolemnitatem Paſchalem.

## Quæstio I.

### *Quare Dominus venerit in Capharnaum?*

RAtio à priori, diuina voluntas, cuius motiuum nobis eſt omnino occultum. 2. Aliquas autem huius rei rationes coniecturemus. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil 22. Chryſoſt. *Cùm paulo pòſt,* ait *eſſet Chriſtus Hieroſolymam aſcenſurus, ante Capharnaum petiit, ne quoſcumque fratres ſecum, & matrem haberet.* Similiter Theophylactus, Euthymius, D. Bonauentura. Theophyl. Euthym. Bonauent. Ac ſi dicant, Chriſtus honorans, ac venerans matrem, & fratres, deſcendit in Capharnaum, vt ibi manerent, ne per multa circunferendo loca fatigarentur. *Parentes honorandi.* Tamen ſi hæc eſſet ratio, vel Chriſtus Dominus rediret in patriam ſuam Nazareth, vbi Virgo propriam domum habebat; vel manſiſſet in Cana Galilææ apud amicos, & cognatos, quos præclaro condecorauit miraculo.

Secundò, Rupertus *lib. 3. in Ioan.* ad ſpiritualem ſenſum confugit 3. Rupert. *Poſtquam vinum,* ait, *de aqua factum eſt, Dominus Capharnaum deſcendit, ſcilicet in villam conſolationis. Quia poſtquam reſurgendo à mortuis mortalitatis noſtræ aquam in immortalitatis ſuæ vinum tranſtulit, & dato Spiritu ſancto aquaticum litteræ ſenſum ad ſpiritualem promouit intellectum, relictis Iudæis ad conſolandas Gentes tranſiit.* Capharnaum ciuitas erat Galilææ Gentium facto miraculo, in quo præfigurabatur quodammodo in immortalitatem tranſlata noſtra mortalitas, aqua ignorantiæ noſtræ in diuinam ſapientiam mutata; derelictis Iudæis ad conſolandas Gentes ſe conuertit, ad quas trahendas ad ſe multis venit donis plenus. *Chriſtus venit ad nos multis donis.*

Tertiò. Sic liceat in re tam occulta coniecturare, ac ratiocinari. 4. *Vera ratio deſcenſus in Capharnaũ.* Peracto nuptiarum miraculo, in Capharnaum, tanquam præcipuam totius Galilææ regni ciuitatem, Chriſtus deſcendit, vt ſe ibi per prædicationem manifeſtaret, aquæ miracula; iam enim mundo ſe palam exhibere incipiebat. Ac proinde non eſt credendum, quòd ibi fuerit abſque aliquo opere miraculoſo, etſi ab Euangeliſta non enarretur, nec enim omnia eius facta ſcripta ſunt, vt ait Ioan. *cap. vltimo.* Quòd autem cum matre & fratribus Capharnaum venerit, id in cauſa fuit, quòd quotannis ad feſtum Paſchale celebrandum cum eis Hieroſolymam aſcendebat; & ideo paucis diebus ibi commoratus eſt: ac proinde cùm ex Cana Dominus in Ieruſalem pergeret cum matre, per Capharnaum tranſire voluit: poſtea verò ex Ieruſalem venit Nazareth cum matre, & fratribus, *Matth. 13. num. 54.*

Quartò. Non deſcendit Dominus in Ieruſalem, 5. *Fidelis miniſter in officio ſuo impediẽdus non eſt.* ſed in Capharnaum, ne ſuum Baptiſtam adhuc prædicantem ab incepto curſu, ac officio impedire videretur; Deus enim non ſolet functiones miniſtri fidelis, cui aliquod munus commiſit, interpellare. Et, vt in eodem Baptiſta perſiſtam, ait Matth. 4. num. 12. Matth. 4. *Cùm autem audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.* Et ſtatim ſubdit num. 17. *Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere.* Sed cur Chriſtus non intonat ſermone, dum Ioannes ore clamat; ſed poſtquam ipſe ligatus eſt carcere, tunc prædicare in-

 cipit

Ioan.1. Luc.3.

cipit? *Ioannes miſſus eſt à Deo, vt omnes crederent per illum*, Ioan.1. num. 6. *Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ*, Luc. 3. num. 3. Quandiu diuinus Præcurſor prædicat, noluit Chriſtus radios ſuæ cœleſtis doctrinæ ſpargere, ne Ioannem ab officio ſibi commiſſo deiicere, illiuſque vſibus ſe immiſcere videretur.
D.Paſchal. D.Paſchaſius lib.3. in Matth. *Mox*, ait, *vt Ioannes carcere retruditur, Chriſtus in mundo virtutibus prædicatur: vox ergo vt cœpit deſiſtere, verbum, quod erat ſubſtantiale omnibus ad intelligentiam ſine ſtrepitu vocis, intus in animo manens, cœpit clareſcere, & ſemetipſum per ſe plenius explanare. Ioannes quidem expleto vocis officio deſiit vlterius in mundo audiri: Chriſtus verò Verbum tenacius permanere.* Expende illa verba: *vox vt cœpit deſiſtere, Verbum cœpit clareſcere.* Ioannes in munere ſibi commiſſo non impeditur, ſed vbi primùm ipſe finem impoſuit, Chriſtus ſuam initiauit prædicationem. Vide ſuperiori cap. *num.* 118.

---

## Qvæstio II.

### *Vtrùm B.Virgo ſecuta fuerit Chriſtum per diuerſa loca prædicationis cauſa ambulantem?*

6. Qvæstio hæc à paucis attingitur; & ſenſus illius eſt, vtrùm B.Virgo ſemper comitata fuerit Chriſtum, dum ad diuerſa loca ſe conferebat prædicationis cauſa? Affirmatiuam ſententiam docent Guarricus, D.Bernardi diſcipulus, *ſerm.4. de Aſſumpt. Virg.* vbi
Guarric. ſic ait: *Cùm euangelizans circuiret Ieſus ciuitates, & caſtella, Maria comes indiuidua veſtigiis eius adhærebat, pendebatque ex ore dicentis, vt nec procella perſecutionis, nec horrore ſupplicij, à conſectatu filij, & magiſtri potuerit abſterreri.*
Gerſon. Gerſon ſuper *Magnificat*, part.1. *Quando ceſſit ipſa in cuſtodiam peculiarem filij ſui, ſequens eum quocunque iret, præſens in omnibus, quæ faceret, &*
Metaphraſt. *doceret.* Idem docet Metaphraſtes orat. de Deipara. *Eam*, inquit, *fuiſſe perpetuò verſatam cum filio, & ei ſemper aſſediſſe, & nec in tempore quidem rerum diuerſarum, nec in paſſione fuiſſe ab eo ſeparatam.*

7. Nouatus. Hanc ſententiam tenet Ioannes Baptiſta Nouatus *tom.1. de eminentia Virg. cap. 17. quæſt.6.* & eam multis confirmat. Primò, quia Virgo electa eſt ad cooperandum humanæ reparationi; vt
Damian. docet Petrus Damianus *ſerm.1. de Annunt.* ſed Chriſtus mundum reſtaurauit per prædicationem: ergo vt huic reſtaurationi eſſet cooperatrix, debuit eſſe ſocia itinerum Chriſti prædicantis. Secundò Virgo deſtinata eſt, vt eſſet illuminatrix Apoſtolorum, vt dixi *tom.1.* ergo vt hoc magiſterium pro dignitate poſſet exercere, conueniens erat, vt verba Chriſti prædicantis exciperet, & ſuis communicaret. Tertiò, Perfectus amicus in labore, & periculo deſerere non debet: ergo Virgo Chriſti fideliſſima ſemper eum concomitata eſt. Et ita de ea ait D. Auguſtinus
Auguſt. *ſerm.18. de tempore*, quòd *facta eſt comes, & ſocia indiuidua laborum, dolorum, infirmitatis, ac mortis Chriſti.*

8. Dicendum tamen eſt, B.Virginem, ordinariè loquendo, non fuiſſe ſectatricem Chriſti, dum ad diuerſa loca prædicationis cauſa tranſibat,
*Virgo non ſequebatur Chriſtum prædicantem per diuerſa loca.*
Hanc concluſionem tradunt D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D.Thomas, D.Bonauentura *hìc*; dum inquiunt,
Chryſoſt. Theoph. Euthym. Alber. Mag. D.Thom. Bonaueut.
vt verbis vtar Theophylacti, quòd *Chriſtus deſcendit Capharnaum, non alterius vſus gratia, quàm vt matrem ſuam illic reſidere faceret, ne illam vbique poſt ſe traheret.* Nec enim conueniens erat, vt ait Albertus Magnus, quòd Virgo ſacratiſſima, valde aliena ab hominum conuerſatione, per varia loca, diuerſimoda itinera, deſerta, longinquas ciuitates, Tyrum, Sidonem, Nain, &c. ac etiam mare tranſiret, cùm ad hoc nulla vrgens neceſſitas daretur. Secundò, vt patet ex *Matth.12. num.46.* loquente Chriſto ad
Matth.12. turbas, *Ecce mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.* Cauſam autem, cur ad eum ve-
Abulenſ. niunt, rectè explicat *ibi* ex Chryſoſtomo Abulenſis quæſt.104. *Ex hoc*, inquit, *manifeſtum fit, quòd non ſemper cum eo erant fratres eius, & mater; quia verò dilectus erat, ad eum propter reuerentiam, & affectum veniunt.* Quod clariſſimè explicat D.Lucas cap.8. *Nuntiatum eſt illi: Ecce*
Luc.8. Titus. *mater tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre.* Quod, vt expendit Titus apud Abulenſem, propter abſentiam eius videre eum deſiderabant, nec enim aliud motiuum congruum aſſignari poteſt. Tertiò. Cùm Chriſtus Dominus eſſet in patria ſua Nazareth, dixerunt illius ciues: *Nónne hic eſt filius fabri? Nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph? Nónne omnes apud nos ſunt?* Matth.13. num.55. hoc
Matth.13. Theophyl. eſt, apud nos habitant, vt explicant *ibi* Theophylactus, & alij. Ergo virgo non concomitabatur Chriſtum per omnia loca, ſed habebat firmum domicilium in patria ſua. Dixi in concluſione *ordinariè*, quia aliquando B. Virgo Chriſtum concomitabatur, vt in ſolemnitate Paſchali ad templum Hieroſolymitanum.

Nec Argumenta contraria ſunt alicuius momenti. Ad primum. Virgo extitit redemptionis noſtræ cooperatrix, aſtitit enim in multis vitæ Chriſti myſteriis, non tamen in omnibus, ſicut non affuit, quando comprehenſus, flagellatus, ſpiniſque coronatus eſt. Ad ſecundum, Virgo à Deo eſt conſtituta Apoſtolorum illuminatrix, ob magnam in ipſa communicatam cœleſtium donorum exuberantiam. Ad tertium. Quanuis Virgo intimè Chriſtum diligeret, cum ipſo tamen non ſemper erat, & aliquando ab eo erat ſeparata, etſi cum eo ſpiritualiter eſſet vnita. Locus autem Auguſtini ſolùm probat, quòd Virgo ſocia, ac comes Chriſti fuerit in multis laboribus, ac infirmitatibus, non tamen in omnibus. 9.

*Ioannis 2. n. 13.* Propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam.

*Versiones.*

*Aliqui ex Græco.* In propinquo erat Paſcha.
*Vatablus.* Inſtabat autem Paſcha.



## *Expositio.*

10. Apponit Ioannes cauſam, cur Chriſtus Dominus paucis diebus commoratus ſit apud Capharnaum, quia ſcilicet propè, ac in proximo erat Paſcha Iudæorum. Ter in anno, vt patet *Exod.23. num.14. & Deuteron.16. num. 16.* conueniebant Iudæi Hieroſolymam, vt adorarent, ac ſacrificarent in templo, nimirum in feſtiuitate Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum; omnium tamen præcipuum erat Paſcha: celebrabatur in memoriam liberationis ex Ægypto, & immolabatur paſchalis agnus, ſacræ Euchariſtiæ typus. Aſcendit ergo Ieſus Hieroſolymam, (quæ venientibus à Capharnaum erat in eminentiori loco) vt quanuis ipſe legi non eſſet ſubiectus, eam tamen volens implebat. Deinde vt in vrbe, quæ totius regni caput erat, quando ad eam Iudæi ex omni loco confluebant, multis miraculis diuinitatem ſuam patefaceret, ac declararet, vt ita à ſalutifero fonte omnes vitam haurirent, eiuſque fama per omnes diuulgaretur. Et notandum, quòd quando Chriſtus deſcendit in Capharnaum, dicitur, quòd deſcenderit cum diſcipulis ſuis: at verò quando aſcendit Hieroſolymam, ſolùm de Ieſu fit expreſſa mentio, quanuis eum diſcipuli comitati fuerint; nam de eis ſtatim dicitur: *Recordati ſunt diſcipuli, quia ſcriptum eſt, Zelus domus tuæ*, &c.
Origen. Quod dubium ponit, & ſoluit Origenes tom. 10. in Ioan. *Fortaſſe*, ait, *in ſingulis diſcipulis erat Ieſus Hieroſolymam aſcendens, quocirca non dictum eſt: Aſcendit Ieſus Hieroſolymam, & diſcipuli eius*; quemadmodum aſcendit Capharnaum ipſe,
*Omnes aſcenſus per Ieſum.*
& mater eius, & fratres, & diſcipuli eius; exprimuntur diſcipuli in deſcenſu, non verò in aſcenſu, quia in ſingulis erat Ieſus aſcendens, nemo enim aſcendit niſi cum Ieſu. Dicitur autem Paſcha Iudæorum, quia tempore, quo Ioannes ſcripſit hæc, iam Chriſtianorum Paſcha introductum erat; ac proinde ad illius differentiam dixit Iudæorum Paſcha, vt illi, quibus Ioannes ſcribebat, rem planè intelligerent.

*Ioannis 2. n. 14.* Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios ſedentes.

*Versiones.*

*Vatablus.* Et reperit in templo eos, qui vendebant boues, & oues, & menſarios ſedentes.
*Syriacus.* Et trapezitas ſedentes.
*Græcus.* Ac collybiſtas, ſeu eos, qui permutando pecuniam quæſtum faciunt, ſeu permutatores pecuniarum.

## *Expositio.*

11. Vbi Chriſtus aſcendit Ieruſalem, ſtatim venit in templum: *Quia*, vt ait Albertus Magnus, *ſicut bonus prælatus per viſitationem propriam inquiſiuit, & non diſſimulauit, & in hoc formam viſitationis dedit.* Pſalm.58. num.6.
Albert.Mag. *Bonus prælatus viſitet ſua.*
Pſalm.58. *Intende ad viſitandas omnes gentes: non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Per *templum* autem hîc non intelligas interiorem locum, ſed atrium omnibus laicis commune. *Vendentes*; hoc procurarunt Sacerdotes, vt notant Ruper-
Rupert. Albert.Mag. S.Thom. tus, Albertus Magnus, S.Thomas; ne quis à ſacrificiis excuſaretur, cùm in atrio templi animalia immolanda venderentur: hoc autem, non ob Dei honorem, ſed ob quæſtum ſuum fecerunt.
Ezech.44. Ezechiel. 44. num.8. *Poſuiſtis cuſtodes obſeruationum mearum in ſanctuario meo vobiſmet ipſis.* hoc eſt, ad vtilitatem veſtram, vt communiter ibi ex-
Ierem.6. plicant expoſitores. Ierem.6. num.13. *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.* Qui
D.Thom. enim è propinquo erant, vt notat D. Thomas, ſecum ad ſacrificia adducebant animalia: qui autem è longinquo, ea in templo emebant, vt dicam. Et ideo D.Hieronymus *in cap.21. in Matth.*
Hieron. loquens de ſecunda eiectione, ait: *Quod cogitauerant Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent. Et omnia animalia, quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant, vt venderent non habentibus, & ipſi rur-*
Abulenſ. *ſum empta ſuſciperent.* Imò ait Abulenſis citato *cap.1. Matth. q.66. & 67.* quòd Sacerdotes loca in templo locabant iſtis vendentibus, & nummulariis, & ab eis accipiebant lucrum; nam vendentes in templo carius vendebant, quàm alibi, eo quòd excuſaretur labor quærendi illa animalia, & ob huiuſmodi ſtipendia templum pro-
Ezech.13. phanabant Sacerdotes, Ezechiel.13. n.19. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.*

12. Et *vendebant boues*, qui deſtinati erant ad magna ſacrificia, *oues* ad minora; *columbas*, quæ ad pauperum ſacrificia pertinebant. Et *numularios* ſedentes, hoc eſt, permutatores pecuniarum; vox enim Græca ſignificat quaſdam æris minutias, & huiuſmodi erant in templo, vt parata omnia ad emendum venientes haberent. *Sedentes*; exaggeratur eorum nequitia, quia ſedentes in peccatis ſuis perſiſtebant.

---

## Qvæstio III.

### *An ſit vna eademque eiectio, quam Ioannes hîc, ac Matthæus narrant?*

13. Poſtqvam Dominus ſanctam ciuitatem in die Palmarum introiuit, ingreſſus
Matth.21. Marc.11. Luc.19. eſt templum, ab eoque eiecit vendentes, & ementes, *Matth.21. num.12. Marc.11. num.15. Luc.19. num.46.* Et vnam, eandemque eſſe hanc eiectio-
*Duæ ſunt eiectiones.* nem cum ea, quam Ioannes hîc narrat, ſine fundamento aliqui autumarunt; ac proinde duas
Chryſoſt. Theophyl. D.Thom. Bonauent. eſſe diſtinctas dicendum eſt. Ita D. Chryſoſtomus *homil.22.* Theophylactus, D.Thomas, Bonauentura

Abulenſ. uentura *hic* Abulenſis *in cap.* 21. *Matth. quæſt.* 43.
& citat D. Auguſtinum.

14. Probatur: quia hîc vendentibus columbas di-
xit Chriſtus: *Auferte iſta hinc.* Illic verò *cathe-
dras vendentium columbas euertit.* hîc ait: *Nolite
facere domum Patris mei, domum negotiationis;*
illic verò ait: *Vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.*
Idem. hîc percutit flagello; non verò illic, ſed ramis
palmarum abigebat eos, vt vult Abulenſis, ſed
de hoc ad locum *Matth.* 21. hîc quæſierunt ſi-
gnum à Chriſto: *quod ſignum oſtendis nobis, quare
hoc facis? Et dixit eis: Soluite templum hoc*, &c.
illic verò nullum ſignum petiere. Et ideo prima
hæc eiectio extitit valde celebris; de ea tempore
Matth. 26. paſſionis recordati ſunt Iudæi, quando Chri-
ſtum accuſarunt, Matth. 26. num. 61. *Audiuimus*
Matth. 27. *hunc dicentem; Poſſum deſtruere templum Dei.* Et
quando Chriſtus in Cruce pendebat: *Vah qui
deſtruis templum Dei*, &c. *Matth.* 27. *num.* 40.

15. *In virtute ac ſanctitate perſiſtendũ.* Magnum hîc nobis Dominus præbet docu-
mentum, vt perſiſtamus in bono, & virtutem, ac
ſanctum documentum, quod in vitæ exordio ſu-
mus amplexi, in fine non omittamus. *Ambula-
uit Enoch cum Deo*, Gen. 5. num. 22. & idem re-
Geneſ. 5. petitur num. 24. *Ambulauitque cum Deo, & non
apparuit.* Cur bis idem dicitur? nonne ſufficie-
bat ſemel dicere: *Ambulauit cum Deo?* Ad quid
iteratur locutio? vt fiat manifeſta in virtute per-
ſeuerantia, quam habuit Enoch ab incunabulis
Caiet. vſque ad extremum vitæ. Caietanus: *Ad expli-
candum*, ait, *quòd ab ineunte ætate profecit in via
Dei, & perſeuerauit proficiendo in ea ſemper.*
Cùm Chriſtus Dominus Cruci eſſet affixus, cla-
Matth. 27. mant Iudæi, & dicunt: *Si rex Iſraël eſt, deſcen-
dat nunc de Cruce, & credimus ei.* Matth. 27.
num. 42. Valde mirum, quòd cùm Dominus ma-
ximè quæreret crudelitatem generis humani, quæ
ei pollicetur, non deſcendit: ſi enim vt fidem
inueniret, crucem aſcendit; cur quando ipſa fi-
des ei offertur, non deſcendit? Varias huius rei
rationes dat D. Bernardus ſerm. 1. in die Paſchæ.
Bernard. *Non deſcendit Dominus, ne daret occaſionem ſurri-
piendæ nobis perſeuerantiæ, quæ ſola coronatur: &
ne faceret obmuteſcere prædicatorum linguas conſo-
lantium puſillanimes, & dicentium ſingulis: Tu lo-
cum tuum ne deſeras. Quod ſine dubio ſequeretur, ſi
reſpondere poſſent: quia Chriſtus ſuum deſeruit.*
Chriſtus Dominus crucem laborum ab infantia
ſua amplexus, *in laboribus à iuuentute mea*, Pſalm.
Pſalm 87. Matth. 16. 87. num. 16. Et ita dicebat Dominus; *Si quis vult
venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem
Iſai. 9. ſuam, & ſequatur me*, Matth. 16. num. 14. Iſai. 9.
num. 6. *Paruulus datus eſt nobis, factus eſt princi-
patus ſuper humerum eius.* Ratus eſt Pater, qui per
principatum crucem non intelligat, quæ à pue-
ritia facta eſt ſuper humerum Chriſti. Crucem
ergo, quam ab exordio natiuitatis ſuæ ſibi ele-
git, atque aſſumpſit, in fine vitæ noluit deſerere,
ſed in ea permanere.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Euangeliſta tantùm facit mentionem de oue, boue, & columba, cùm alia venderentur in templo.*

16. QVINQVE erant animalium ſpecies ad ſa-
crificia pertinentium; tres ex animalibus
quadrupedibus, ſeu terreſtribus, vt bos, ouis, ca- *Quot animalia afferebantur in ſacrificio.*
pra: & duæ ſpecies ex auibus, ſeu volatilibus,
id eſt, columbæ, & turtures, vt patet *Leuit.* & 3.
Et omnia hæc animalia vendebantur in templo;
tamen Euangeliſta de tribus mentionem facit,
ſcilicet de boue, oue, & columba; nam, vt ait
D. Thomas, capra annumeratur cum oue, ſicut D. Thom.
turtur cum columba. Quinque etiam erant liba-
mina ad ſacrificia, ſcilicet ſimila, oleum, vinum,
ſal, & thus, *Num.* 15. Et hæc etiam pretio vende-
bantur in templo: nam ex eo, quod ait Euange-
liſta, quòd in templo vendebantur oues, boues,
& columbæ, intelligitur, quòd ibi etiam vende-
bantur, quæ erant conuenientia ad ſacrificia. Ita Beda.
Beda, Abulenſis *in cap.* 21. *Matth. quæſt.* 66. Abulenſ.

17. Cùm hæc omnia eſſent venalia in templo, ta-
men Euangeliſta tria apponit, bouem, ouem, &
columbas; tum quia erant præcipua, & princi-
palia, quæ ibi vendebantur, & ſub his cætera
intelliguntur. Notat Chryſoſtomus *homil.* 13. *in* Chryſoſt.
*Matth.* quòd Diabolus multis tentationibus
Chriſtum Dominum appetiuit, & tamen ſupe-
ratis illis tribus ait D. Lucas cap. 4. num. 13. *Con-* Luc. 4.
*ſummata omni tentatione Diabolus receſſit ab illo*,
ait Chryſoſtomus: *Mihi quidem videtur, is, qui
præcipua capita tentationum enumerauit, omnia di-
xiſſe, vt ea omnia pariter intelligas, quæ ſub iſtis,
quaſi principalibus continentur.* Deinde cùm hu-
iuſmodi venditio eſſet ob lucrum acquirendum,
hæc erant maioris ponderis. Et fortaſſe qui hæc
habebant ad emptionem, etiam alia vendebant,
vt ſæpe ſæpiùs fit. Euangeliſta tamen facit men-
tionem de illis, quæ præcipua erant. Eminentis *Prælatus ad maiora vitia amputanda ſit intentus.*
viri conſilium eſt, vt ſubditi ad ſemitam iuſtitiæ
reducantur, maiora vitia amputare; nam his re-
ſecatis facilè minora euellentur. Ita enim ait
D. Gregorius Nazianz. orat. 1. *Etenim ſublimi* Nazian.
*viro detrimenti eſt, res magnas non aggredi, nec
virtutem ad multos propagare, ſed in paruis conſi-
ſtere.* De Ioſeph ait ſacer textus: *Accuſauit fra-* Geneſ. 37.
*tres apud patrem crimine peſſimo*, Gen. 37. num. 2.
Multa erant in Iacob filiis crimina, inuidia,
odium, ambitio, rixæ; & tamen Ioſeph peſſimum
ſolum crimen ad patrem defert. Optimum iuue-
nis ingenium, agnouerat enim, quòd ſi maiora
vitia ablegarentur à fratribus, minora ſtatim abi-
rent. D. Bonauentura ſerm. 6. *Peccatum*, ait *contra* Bonauent.
*naturam ſceleſtiſſimum eſt; & ſuper omnia fugien-
dum, & de hoc accuſauit Ioſeph fratres ſuos.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare in templo vendebantur oues, boues, & columbæ?*

GERMANA huius rei ratio patet ex expo- 18.
ſitione ad litteram, vbi ex communi Pa-
trum ſententia diximus, Sacerdotum ambitio-
nem huius rei cauſam fuiſſe. Nunc quandam ra-
tionem moralem apponamus, quam inculcat
Beda. *Notandum*, ait, *quòd vendebantur in templo* Beda.
*oues, boues, & columbæ. Boues quippe terram exarant,
& ſuſcipiendis ſeminibus præparant. Quid ergo
per boues, niſi doctrina cæleſtis accipitur? Boues
ergo vendunt, qui verbum Euangelij, non pro au-
ditorum vtilitate, nec cauſa amoris Chriſti, ſed
intuitu lucri temporalibus auditoribus impendunt.
Oues*



*Oues ſimplicia, & manſueta animalia veſtiendis
hominibus ſua vellera præſtant: & quid per oues,
niſi opera ſimplicitatis, & innocentiæ ſignificantur?*
*Iniqui ſacerdotes res ſacras propter ambitionem vendunt.* *Vendunt ergo oues, qui gratia humanæ laudis ope-
ra agunt pietatis, de quibus dicitur: Receperunt
mercedem ſuam. Quid verò per columbas, quæ fel-
le carent, niſi Spiritus ſanctus intelligitur, qui in
ſpecie columbæ ſuper baptizatum Dominum oſten-
ſus eſt? Columbas igitur vendunt, qui Spiritus
ſancti donum per impoſitionem manus, vel ad præ-
mium, vel ad vulgi fauorem tribuunt; qui ſacros
Ordines, non pro vitæ merito, ſed pro gratia lar-
Philip. 2. giuntur. Numularij vero ſunt hi qui in Eccleſia
apertè terrenis rebus inſeruiunt, quæ ſua ſunt, quæ-
runt, non quæ Ieſu Chriſti*, ad Philip. 2. num. 21.
Auguſt. D. Thom. Similiter D. Auguſtinus *tract.* 10. *in Ioan.* D. Tho-
mas, & alij. Sunt enim aliqui praui ſacerdotes ita
cupidi, & ambitioſi, vt lucri gratia vendant præ-
dicationem, ac cæleſtem doctrinam, & opera pie-
tatis, ac Spiritus ſancti dona. Hos eleganter pun-
Albert. Mag. Bernard. git Albertus Magnus hîc ex D. Bernardo ad Eu-
genium: *Circuiuit*, ait, *ſedulus explorator: blan-
ditur, obſequitur, manibus, & pedibus reptat, ſi quo-
modo valeat ſe ingerere in patrimonium Crucifixi:
exhibet laborem, vt bos: ſimulat ſanctitatem, vt
ouis: dona appendit pro columbis, & aliquando
numulariorum exhibet marſupium.*

19. Matth. 4. Semel, & iterum tentauerat Satanas Domi-
num, & tamen tertiò ipſum aggreditur: *Oſten-
dit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, &
dixit ei: Omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*,
Matth. 4. num. 9. Sed quomodo ſuperbiſſimus
Dæmon Chriſti victorias non timet? Nónne in
prima, & ſecunda tentatione ſe victum miſerri-
mè videt? Cur impudicus ad tertiam accedit?
Nónne Chriſtum Dominum ſacra Scriptura ma-
ximè armatum conſpicit? dixit ei: *Non in ſolo
pane viuit homo.* Et iterum: *Non tentabis Do-
minum Deum tuum?* Nónne ipſum ieiunio, om-
nibuſque pietatis operibus deditum contempla-
tur? Nónne ipſum magis Spiritus ſancti donis
repletum intuetur? Imò ipſemet diuinus Spiritus
in columbæ ſpecie viſibiliter ſuper eum deſcen-
dit, vt dixi *lib.* 3. *cap.* 2. Et ipſe Diabolus ſuſpica-
tur, eſſe Deum, quomodo non timet ad eum ac-
*Ambitio generat diuinorum contemptum.* cedere? Aſtutus Diabolus bene nouerat, quàm
potens ſit regnandi deſiderium, ac proinde præ-
ſumpſit, ipſum ambitione ad ſe trahere, vt ſacram
doctrinam, pietatis opera, atque Spiritus ſancti
dona, ſi eſſet poſſibile, deſpiceret, ac parui pende-
ret, vt mundi gloriolam aſpiceret. Euthymius:
Euthym. *Fruſtratus ſecundo impetu inimicus ad tertium in-
ſuper præparatur: & per auaritiam, quam nouiſſi-
mè ſeruabat, vtpote periculoſiorem, deiicere cona-
tur: & in montem ducit excelſum valde.* dum
Samuel regni clauem haberet, populus perſuaſio-
ne mala ab eo petiit Regem; cui ait Dominus:
1. Reg. 8. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur ti-
bi, non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*,
Caietan. 1. Regum 8. num. 7. ſeu, vt legit Caietanus: *Non
te abominati ſunt, quia me abominati ſunt à re-
gnare ſuper eos.* Sed dum Regem petunt, quomo-
do Deus ſe dicit abiectum, cùm licitum eſſet Iſ-
raëlitico populo ex gente ſua habere Regem,
Rupert. *Deuteron.* 17. *num.* 14. vt bene citato Reg. loco
ponderat Rupertus: & regnante Rege ipſi in
Clem. Rom. Gloſſa. obſequio Dei ſe continere maximè poterant? Pe-
titio hæc ex ambitione erat, vt aduertit Clemens
Romanus *lib.* 1. *Recogn.* relatus in Gloſſa. Et vbi
ambitio apprehendit eos, ſtatim Deus ſe dicit
abiectum: eſt enim valde frequens, vt huiuſmo-
di vitium omnium diuinarum rerum contem-
ptum pariat. Caietanus: *Non intendebant abiice-* Caietan.
*re Deum Regem, ſed ſub ipſo habere Regem ho-
minem; verumtamen ipſum factum excludebat ab
ipſis Iſraëlitis rationem regni relatiuè ad Deum,
vt regem.*

| | |
|---|---|
| *Ioannis* 2. *n.* 15. | Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Fecitque ſibi flagellum è fune, ac omnes eiecit è templo, & oues, & boues, & trapezitas, & effudit numos eorum, menſaſque ſubuertit. |
| *D. Auguſtinus tract.* 10. | Et cùm feciſſet quaſi flagellũ de reſticulis, *&c.* |
| *D. Ambroſ. in cap.* 19. *Luc. propè fin.* | Fagellũ de reſtibus, *&c.* |
| *D. Cyrill. Alex. lib.* 1. *c.* 28. | Flagellum quaſi de funibus. |
| *Arias.* | Et faciens flagellum ex funiculis, *&c.* numulariorum effudit monetam. |
| *Barradas ex Græco.* | Omnes eiecit de templo, pecoraque, & boues, *&c.* |
| *Vatablus.* | Oues ſimul, ac boues, & menſariorum æs effudit. |
| *Pagninus.* | Omnes eiecit in templo, *&c.* |

## *EXPOSITIO.*

CHRISTVS Dominus iuſtitiam cũ 20. *Benignitas cum iuſtitia.*
miſericordia coniungit; indigen-
tibus in nuptiis benignè ſubue-
nit; peccantes autem hîc rigidè
corripit. *Cum feciſſet flagellum.*
Apud Lyranum ſunt, qui dicant, Chriſtum cin- Lyran.
gulo pro funiculo vſum fuiſſe, eoque in modum
flagelli complicato eieciſſe vendentes. Sed hæc
opinio non placet, quia Chriſtus Dominus com-
muni veſte, ac cingulo vtebatur; ac proinde pro-
babilius eſt, quod ex chordis complicatis, quibus
animalia alligata erant, flagellum confecit, quo
omnes è templo expulit. Et dicitur: *Cùm feciſſet
quaſi flagellum.* Nota, illam particulam *quaſi*, ali-
qualiter innuere, non fuiſſe propriè flagellum,
quia cùm Deus in hac vita temporaliter punit,
non

*Deus in hac vita leniter punit.*

non tam pœnas infert, quàm potiùs beneficia confert, vt homo per contritionem in ſe reuerſus Dei miſericordiam aſſequatur. *Omnes eiecit*; Caietanus, Ianſenius,& Euthymius tenent,non homines, ſed animalia fuiſſe eiecta. Tamen & homines, & animalia Dominum abegiſſe, communis eſt ſententia Patrum, D.Chryſoſtomi *homil.*22. D.Cyrilli *lib.*2. *cap.*28. Anacleti *epiſt.*2. *ad Epiſcop. Italiæ.* Pij I. *epiſt.*1. Iulij *epiſt. ad Orientales Epiſcopos.* Et apertè colligitur ex textu: *Inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & cùm feciſſet flagellum, omnes eiecit de templo: oues quoque, & boues.* Ergo omnes à Domino ſunt expulſi. Et, vt notat Albertus Magn. eiecit omnes; *nullo excipiendo, ſine perſonarum acceptione.* In ſuppliciis inferendis æquitas maximè relucet. Et non ſolùm homines, verum & animalia eiecit, vt omnem amputaret occaſionem peccandi. *De templo,*quod proprius erat Sacerdotum locus, à quo ob peccata ſua ſunt excluſi *Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te,*Iſai.22.n.19.

Caietan. Ianſen. Euthym. Chryſoſt. Cyrill. Anaclet. Pius I. Iulius.

Albert.Mag. *In Deo non eſt acceptio perſonarum.*

Iſai. 22.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dominus eiiecit à templo vendentes?*

21\. *Difficultas quæſtionis.*

DIFFICVLTAS quæſtionis oritur ex *Deuteron.*14. *num.*24. vbi præcipiebatur, vt omnis Iſraël decimam partem frumenti, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ouibus offerret Domino; & ſtatim ſubditur: *Cum autem longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec poteris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabiſque in manu tua, & proficiſceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit, ſiue ex armentis, ſiue ex ouibus.* Cùm autem locus,quem Dominus elegit, eſſet templum, deprauatis videbatur huiuſmodi emptio,& venditio in eo licita.

Deuter.14.

22\. *Zelus domus Dei.*

Meritiſſimè tamen Dominus eos eiicit de templo. Et primò (quæ eſt germana ratio) ſtimulabatur Dominus zelo domus Dei ob templi reuerentiam, quia videbat ipſum æſtimari,ac ſi eſſet prophanum negotiationis forum, & ideo Chriſtus Dominus eos eiicit. *Domine dilexi decorem domus tuæ*, Pſalm.25.num.8. Hæc ratio expreſsè deducitur ex textu infrà, dum dicitur: *Recordati ſunt diſcipuli, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Et hanc tradunt D. Auguſtinus, D.Chryſoſtomus,Alcuinus,D.Thomas, D.Bonauentura, & alij. Nec locus Deuteronomij facit difficultatem, quia dum dicitur, quòd illa emerent in loco, quem elegerit Dominus, intelligitur, non de templo, ſed de ciuitate, in qua erat templum.Demus alias huius rei rationes.

Pſalm.25.

Auguſt. Chryſoſt. Alcuin. D. Thom. Bonauent.

23\. Abulenſ. *Rex ſuos inducat ad bonum.*

Secundò reſpondet Abulenſ.*in cap.*21.*Matth. quæſt.*71. Quia cùm Chriſtus Dominus eſſet verus Meſſias,Rex,ac Dominus,erat legis executor, ac proinde debebat homines ad bonum inducere,& aliquindo cogere,ſecundùm rerum qualitatem;& quia Iudæi legem Dei ſpontè non obſeruabant,ſed Deo offenſam inferebant,conuenienter Chriſtus hanc offenſam debuit repellere,peccataque ne fierent, impedire, & facta corrigere. In tribus autem iſti peccabant, vt ait Abulenſis citatus. Primò ratione loci, domus enim Dei non erat ad negotiationes,has ibi fieri non licebat, & ex loco illicitæ fiebant. Et hoc expreſſit Chriſtus: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Secundò peccabant ex iniuſto pretio, ac deſiderio, lucra enim ſuperabundantia captabant, munera nanque accipiebantur pro mutatione, ac ratione loci res cariùs vendebantur. Tertiò peccabant, quia alij occaſionem peccandi dabant, dum negotiationes in templo fiebant.Et ideo dixit Chriſtus Dominus Matth.21. num.13. *Domus mea domus orationis, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Et augebatur criminis culpa,dum ſub ſpecie pietatis fiebat iniquitas.

*Tripliciter peccabant vendentes.*

Matth.21.

24\. Cœlius.

Tertiò. Cœlius lib.2.cap.17. *Proinde*, ait, *in templo numulariorum ſubuertuntur menſæ, dum ſignificatur in Dei templo ſpirituales tantùm numos eſſe debere, qui Deum præferant, non Diabolum.* Chriſtus Dominus magna accenſus ira vendentes propulſauit à templo,numulariorum menſas diffudit, atque proiecit. Sed quid erat in ipſis monetis, ob quod Chriſtus Dominus in eas tam rigidè ferebatur?In numis inſpexit,non Dei,ſed Diaboli depictam imaginem, dum huiuſmodi moneta, non ad Dei obſequium, ſed ad Diaboli deſtinabatur ſeruitium, & ideo numos tanquam adulterinos proiicit, & excludit à templo.Quartò D.Cyprianus ſerm.2.de Baptiſm. *Suaue*,ait,*eſt mihi eloquium tuum, à vilibus pretioſa diſtinguens, quaſi flagello de funiculis contexto, de meo interiori templo, quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellit, nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum, ſed à ſanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit.* Templum domus eſt ad Dei obſequium deſtinata, hi verò negotiatores iniqui,dum ibi mercaturam faciebant,lucro maximè atque auaritiæ inſeruiebant. Optimè ergo eos à templo Chriſtus proiicit, vt Deus ibi conſiſtat,in vna enim, eademque ſede Deus, & auaritia commorari non poſſunt;valde nanque conſequens eſt, vt ſi auaritia ingrediatur, Deus diſcedat: & ſi Deus regnat, auaritia proiiciatur. Quintò D. Ambroſius lib.2. de Cain, & Abel, cap.4. *Chriſtus*, ait, *de templo eiiciebat numularios, quia ipſe volebat intrare.* Cùm Chriſtus templum ingrederetur, ſtatim totus eſt in his peccatoribus eiiciendis, quia Deus, & peccatum ſimul eſſe non valent. Ne ergo impedimentum daretur ad Dei ingreſſum in templum, ab eo profligatur,expelliturque peccator. Vide *hoc libro cap.*3. *num.*34.

*In templo, nō mūdi, ſed Dei agantur negotia.*

Cyprian.

*Deus, & auaritia in vna ſede non ſunt.*

Ambroſ. *Vt Deus adueniat, excludе peccatum.*

25\. *Abuſus eradicandi.*

Sextò. Dominus ingrediens templum, ſtatim ab eo vendentes eiecit,vt nos doceret,quòd Prælatus totus ſit intentus ad emendandos abuſus, ac à domo Dei eradicandos. Septimò. Sacerdos populi eſt magiſter, & doctor, vt ponderat Gregorius Magnus 2. *part. paſtor. cap.*3. & ita dicebat Deus Matth.2. num.7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Cùm ergo populus videret, Sacerdotes permittere, templum mercaturâ,ac illicitis lucris violari, ne fortè pernicioſus error ſurreperet, vt populus ſibi perſuaderet,id licitum eſſe, imò & pietatis opus: ideo Dominus ira accenſus punit eos, à temploque abire compellit. Et ideo dicebat Chriſtus Dominus

Greg.Mag.

*Magna in Prælato ſolicitudo, ne error introducatur.*



Matth.23.

Dominus de his Sacerdotibus. *Quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundùm opera eorum nolite facere*, Matth. 23.num. 3.

26\. Cyrillus.

Octauò Diuus Cyrillus lib.2.in Ioan.cap.29. *Perſpice, quæſo, altius*, inquit, *quomodo futurus rerum habitus duobus his proximis Chriſti actibus, deſignatur: à Galilæis enim, qui Canam habitabant, inuitatus ad nuptias, atque honoratus, & miraculo profuit, & vini lætitia repleuit, ac in eadem cum eis menſa, & conuiuio fuit; ſic ab initio ſtatim doctrinæ ſuæ per Galilæos vniuerſæ gentes fidem Chriſti ſuſcepturæ monſtrabantur, quæ per fidem in cæleſtem thalamum peruenturæ: incredulos verò Iudæos à Sanctorum conuerſatione retundet, ac ſuppliciis peccatorum ſuorum catenis deuinctos tradet, nullo modo iniquè factis ſacrificiis ſuis placatus. Auferte nanque iſta hinc.* Qualis homo Deo, talis Deus homini: amoris, ac venerationis ergò Ieſus vocatus eſt ad nuptias; in templo verò contemnebatur à Sacerdotibus turpi lucro deditis: ideo in Cana, multa miracula, ſignaque magnificentiæ erga conuiuantes oſtendit; in templo autem flagello, aſperiſque erga ibi commorantes verbis totum ſeuerum ſe exhibet. *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, 1. Regum 2.num.30. Vide *lib.* 2. *cap.* 4. *num.*138. Deinde in conuiuantibus in Cana Galilææ repræſentabatur Gentilitas, quæ Chriſtum honorificè receptura erat: in Sacerdotibus templi deſignabantur perfidi Iudæi nolentes Chriſtum recipere. Ideo illi multis condecorati beneficiis exaltantur; hi verò flagello cæduntur, ignominiáque & opprobriis afficiuntur.

*Qui honorat Deum, exaltatur, qui verò cōtemnit, deprimitur.*

1.Reg.2.

*Gentilitas nobilitate, Iudæi afficiuntur iniuria.*

27\. *In Principe benignitas, & rigor, prout occaſio poſtulat.* Zachar.9.

Nonò. Chriſtus Dominus in Cana benignè ſubuenit indigentibus, hîc verò aſperè caſtigat Sacerdotes templum prophanantes.Suam Dominus oſtendit potentiam, provt exigebat occaſio; cum piis hominibus beneuolè agit; cum peccatoribus autem rigidè ſe oſtendit. *Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ, & diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli*, Zachariæ 9. num. 9. Sed quomodo Propheta hæc inter ſe connectit, quòd Dominus venit Saluator, ſeu *ſaluans*, vt legunt Septuaginta, & quòd diſperdet quadrigam Ephraim? Si Saluator, quomodo diſperdet?Per Ephraim intelligit Diuus Hieronymus multitudinem hæreticorum. Venit Dominus ſaluans, & diſperdens: ſaluans fideles, & humiles; diſſipans verò, & deſtruens hæreticos, & deprauatos. Rupertus lib.3. in Zachariam. *Diſpergam*, inquit, *ſuperbiam, & vanitatem huius ſæculi: vnde deſcendentes humiles ad hunc Regem Chriſtum conuerſi dicunt aliis in eadem ſuperbia perſeuerantibus: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem nomen Domini noſtri inuocabimus*, Pſalm. 19. *Et ſimul Ephraim, & Ieruſalem percutit.*

Septuag.

Hieron.

Rupert.

Pſalm.19.

28\. Deut.33.

Cùm Moyſes iam moriturus benediceret filios Iſraël, ait ad Tribum Ioſeph: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ*, Deuteron.33.num. 17. pro *rhinocerote* legunt, *vnicornium*, Septuaginta, Pagninus,& alij. Deſcribit S.Propheta Chriſtum Dominum, vt eſt communis expoſitio, & ait, quòd in pulchritudine formam vituli referat, & ſtatim cornua eius aſſimilat cum rhinocerote, ac vnicornio. Rhinoceros, quanuis ſit armatus à natura, cornu tamen neminem offendit, vt teſtantur Marcus Polus *lib.*2. *hiſtoriæ ſuæ, cap.*43. & Lorinus *in Pſalm.*21.*verſ.*22. Vnicornium verò cornua habet, quæ maximè ſunt in antidotum aduersùs venenata. Sed quomodo de ipſis ait Propheta, quòd Chriſtus Dominus in eis *ventilabit*; ſeu, vt habet Chaldaïcus, *Occidet gentes?* Si eius cornua ſunt medicinalia, qualia vnicornij, & ferire, aut lædere neſcia, qualia rhinocerotis, quomodo in ipſis ventilabit gentes? Intellige myſterium, Chriſti poteſtas piis, & fidelibus ſuauis, & ſalutaris; impiis verò, & rebellibus maximè rigida, vt eos diſpergat, ac occidat. Tertullianus lib.1.aduersùs Iudæos: *Rhinoceros, & taurus ob vtranque diſpoſitionem, aliis ferus, vt iudex; aliis manſuetus, vt ſaluator, cùm cornua eius eſſent crucis extrema.*

Septuag. Pagninus.

Marc.Polus Lorin.

Tertul.



## QVÆSTIO VII.

### *Quare hîc non fiat expreſſa mentio de ementibus, cùm* Matt.21. *vendentes, & ementes commemorentur?*

AIT in præſenti textu noſter Euangeliſta: *Inuenit in templo vendentes, & numularios ſedentes, & omnes eiecit de templo*; tamen *Matth.*21.*num.*12. dicitur: *Eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo.* Quæſtio ergo eſt, cur hîc expellit vendentes ſolùm, illic verò vendentes, & ementes? Vtroſque fuiſſe eiectos in hoc textu Ioannis, exiſtimat Origenes *tom.*10.*in Ioan.*& ſi Euangeliſta tantùm commemorat vendentes, Matthæus omnes declarat: & ita ſæpe vnus Euangeliſta ſubticet, quod alius exprimit. Hæc ratio vera conſiſteret, ſi eſſet vna, & eadem hiſtoria,ſed duas fuiſſe eiectiones, iam ſuprà reſolui *quæſt.*3. 29.

Matth.21.

Origen.

Mihi tamen videtur dicendum, in hac prima eiectione, quam ſcribit Ioannes, ſolos vendentes fuiſſe eiectos. Hæc ſententia etiam placet Abulenſi *in c.* 21. *Matth. q.*73. Et probatur primò, quia peccatum vendentium ex multiplici circunſtantia grauiſſimum erat, vt dixi ſuperiori quæſt. in 2. ratione. Deinde ipſi vendentes, cùm eſſent Sacerdotes, legem ſcire tenebantur; proindeque agnoſcere, prohibitam eſſe huiuſmodi venditionem in templo, quod ignorabat rudis ementium populi turba: at in ſecunda eiectione omnibus notum erat, huiuſmodi in templo mercaturam à Chriſto eſſe prohibitam, atque damnatam; & ideo vendentes, & ementes nullam excuſationem habebant: in hac autem prima etiamſi mandati Dei ſcientia in Sacerdotibus præſupponeretur; in populo tamen ignorantia præſumebatur. Deſcribitur in Leuitico modus offerendi ſacrificia pro populo, ac Sacerdote peccante; & cùm de quolibet populari agitur. *Anima cùm peccauerit per ignorantiam*, Leuitic.4 num.2. & iterum: *Si omnis turba Iſraël ignorauerit, & per imperitiam fecerit*, ibid. n. 13. At de delinquente Sacerdote ignorantia omnino ſupprimitur: *Si Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro* 30.

Abulenſ.

*In Sacerdote præſumitur ſciētia legis, licèt in populo ignorantia ſit.*

Leuit.4.

*peccato ſuo vitulum*, ibidem, num. 3. Sed cur in populi peccato de ignorantia fit mentio, non verò in culpa Sacerdotis? Hic vt doceat, legem ſcire tenetur, quam populus ſæpe ignorat. Origenes homil. 2. in Leuit. *Obſeruandum eſt*, ait, *quòd in peccato Sacerdotis non addidit legiſlator per ignorantiam; neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui, vt cæteros doceret, prouectus eſt. Sed & in peccato ſynagogæ dicitur: Si ignorauerit, & latuerit verbum ab oculis ſynagogæ.* Ac proinde peccatum Sacerdotum grauiſſimum, cùm ſit in eis ſcientia, in damnumque totius populi eorum redundet malitia.

Origen.

31. Secundò. Si Chriſtus Dominus hîc ementes eiiceret, Euangeliſta hoc explicaret, ſicut fecit Matthæus, cùm ſit diſtincta hiſtoria. Et cùm ementium multitudo longè maior ſit, quàm vendentium, noluit Dominus in initio prædicationis ſuæ tantæ ſe opponere vendentium ſimul, & ementium multitudini, præcipuè cùm eius miracula tunc non omnibus eſſent manifeſta, ipſeque carpentarij filius reputaretur. Ac prope paſſionem multa iam omnes Chriſti miracula viderant, ac adeò ipſe Redemptor apud omnes in magna authoritate erat: hic verò cùm non multum notus exiſteret, omnem populi tumultum in ſe noluit concitare, eſt enim prudentia magna, huiuſmodi euitare tumultus. Cùm è ſolario egrederentur Samuel, & Saül cum puero ſuo, vt Saül in Regem à Propheta vngeretur, Samuel dixit ad Saül: *Dic puero, vt antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper, vt indicem tibi verbum Domini*, 1. Reg. 9. num. 27. Sed cur Saül, vt in Regem vngatur, ab itineris ſodali puero ſuo deiungitur? Cur ſolicitudinis, ac laboris ſocius tantæ gloriæ non ſit particeps? Samuel, ne populi tumultus excitaretur in eum, occaſionem reſecare voluit; nam ſi puer Saülem in Regem electum agnoſceret, totum ſtatim euulgaret negotium; & populus hoc tribuens iudicio Samuelis magis, quàm Dei conſilio, in Prophetam tumultuaretur: ideo totam rem ſilentio premit, quoad vſque per ſortes agnoſcatur, electionem ex manu Dei prouenire; ac proinde nullum in eum murmur commoueatur. Abulenſis quæſt. 20. *Nam cùm principatus regalis eſſet maximus, omnes Tribus illum deſiderarent, pugnarentque pro eo, niſi fortè Deus manifeſtè oſtenderet, quod vellet alicui dare.* Et latè proſequitur. Ad huiuſmodi ſeditiones vitandas rem Samuel abſcondit, quoad vſque Dei ſigna manifeſtentur. Vidit Moyſes peccatum populi in vituli adoratione, & exhortans filios Leui ad vindictam, viginti tria hominum millia in die illa interfecere, *Exod.* 32. *num.* 28. Sed quomodo Aaron, qui vitulum fabricauit, ac dixit: *Hi ſunt Dij tui*; viuus euaſit? Aaron, cùm à Moyſe argueretur, quare vitulum fecerit? Reſpondens dixit ei: *Tu noſti populum iſtum, quòd pronus ſit ad malum, dixeruntque mihi: Fac nobis Deos*, ibid. num. 22. Seu, vt legunt Septuaginta apud Lippoman. *Tu noſti impetum, voluntatem, auiditatem, ſtudium populi huius.* Lippoman. Tanquam ſi dicat: Tu noſti populum, quòd pronus ſit ad malum; quod non potui prohibere. Quanuis enim Aaron grauiter peccauerit in vitulo conflando, tamen, dum fecit, vt populi impetum declinaret, aliquale videtur habere leuamen.

*Populi tumultus contra ſe prudẽs habere nolit.*

1. Reg. 9.

Abulenſ.

Septuag. Lippom.

# QVÆSTIO VIII.

## *Quare Dominus flagello vendentes eiecerit?*

32. VALDE mirum, vt notat Diuus Chryſoſtomus *homil.* 22. quòd Chriſtus Dominus in templum veniens hos vendentes verbis non monuit, ſicut & reliquos peccatores, vt ab illicita actione, à diuinarumque rerum contemptu abſtinerent, adhortatus eſt: ſed eos vehementer flagello proſequitur, vt ita fieret patenter euidens (quæ ſit prima ratio) eximius, circa domum Dei, Chriſti Domini zelus. Et ita dicitur infrà. *Recordati ſunt diſcipuli quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Et ita ait Chryſoſtomus homil. 22. *Neque enim tantùm illos eiecit; ſed euertit menſas, diſperſit argentum, vt illi ſecum putarent, quòd, qui ſe pro domus Dei honore periculis exponeret, eius dominum minimè contemneret. Neque ſimulationem in ipſo quiſpiam poterat coniecturare, cùm non verbo tenus monuiſſet, ſed & periculis, & contumeliis in medio vulgi, & Sacerdotum furori ſe obieciſſet.* Chriſtus Dominus, cùm à Iudæis eſſet arguendus (vt notat idem Chryſoſtomus citatus) quòd Sabbatum non ſeruaret, legemque violaret, ideo ſe hoc mirabili facto verum Dei, & templi, ac religioſi cultus exhibet zelatorem, dum omnia contemnens periculis, opprobriis, ardentique Sacerdotum, ac populi iræ ſe obiicit, atque pro Dei honore, & templi reuerentia ſtat dictis, & factis. Verus enim animus, ac zelus, non verbis tantùm, ſed operibus comprobatur. Secundò, vt etiam grauitas peccati templum Dei prophanantium pateſieret. Eccleſiaſti 40. num. 40. *Et flagella ſuper iniquos creata ſunt.* Iſai. 28. num. 18. *Flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem.* Prouerb. 26. num. 3. *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo impudentium.* Alias rationes morales ex ſanctis Patribus proferamus.

Chryſoſt.

*Verus animus, ac zelus, non verbis, ſed operibus monſtratur.*

Eccli. 40.

Iſaiæ 28.

Prou. 26.

33. Tertiò Diuus Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 28. *Nec verbis*, ait, *ſolùm, moleſtè ſe tuliſſe, oſtendit, verùm etiam verberibus, tanquam iniquos ſeruos, meritò cædens è templo eiecit. Serui certè fuerunt, & in ea conditione, qui liberatorem, Dei filium per fidem ſuſcipere recuſarunt.* Flagello verberantur Iudæi, vt peccantium mira conditio liquefiat, erant enim à Deo ita appretiati Iſraëlitæ, tanquam peculium de cunctis populis, *Exod.* 19. *num.* 9. & tanquam chariſſimi filij à Deo æſtimabantur: *Filios enutriui, & exaltaui*, Iſai. 1. num. 2. & tamen vt ſerui funiculis cæduntur, quia ob peccata ex filiis in ſeruos, ac miſeram ſeruitutem degenerarunt. Et ita ait Diuus Bernardus lib. 1. de conſideratione: *An non ſeruus, cui dominatur iniquitas? & maximè.*

Cyrill.

Iſai. 1.

*Ob peccata ex filiis ſerui fiunt.*

Bernard.

34. Quartò. Idem Diuus Cyrillus citatus cap. 29. *Sicut Dominus imperat*, ait, *& ſicut doctor ad æquum, & iuſtum hortatur.* Chriſtus Dominus dum inter flagellandum eos percutit, ait: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Quanuis vt Dominus imperet, vt auferant illa, eoſque funiculis verberet; tamen vt doctor, id, quod lex dictat, exponit. Quia bonus magiſter ad inſtruendos ſuos cum doctrina poteſtatem, ſimul & flagellum ad puniendum debet habere.

Cyril.

*Bonus Doctor cum doctrina flagellum habeat.*



habere, Poſtquam ob peccatum ſuum à paradiſo expulſus eſt Adamus, collocauit Dominus ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, *Geneſ.* 3. *n.* 24. Cherub, id eſt, plenitudo ſcientiæ, & hæc cùm flammeo gladio ad percutiendum.

35. Quintò. Diuus Paulinus epiſtol. 12. ad Seuerum: *Expedit autem nobis, vt etiam ædificatum cordis noſtri templum ſæpe Dominus Ieſus reuiſat veniens in flagello timoris ſui, vt eiiciat de nobis menſas numulariorum, & venditores boum, vel columbarum: ne quod auaritiæ commercium animus noſter exerceat, neque in noſtris ſenſibus tarditas boum ſtabulet, neque ſimus innocentiæ noſtræ, vel diuinæ gratiæ venditores.* Flagello verberantur venditores, atque à templo ita expelluntur, quia neceſſe eſt, vt Deus ſæpe ad nos in flagello veniat, ne ipſa rerum proſperitate in anima noſtra commoretur boum tarditas, venditio, noſtræque innocentiæ alienatio, quod in ouibus ſignificatur; vel gratiæ nobis datæ fiat perditio, quod in columbis adumbratur.

Paulin.

*Homo aliquando flagellandus, ne proſperitate labatur.*

36. Sextò Diuus Ambroſius *in c.* 19. *Lucæ, circa finem*, ait: *Flagellum de reſtibus fecit, quia funes ceciderunt*, inquit, *mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi: funes enim dicuntur, quibus agri menſores metendorum limites partiuntur agrorum. Et ideo tanquam bonus agri menſor Synagogæ terminos diſtinguebat, & Eccleſiæ ſacrilegos de templo iubebat exire. Nouus enim venerat feracium metator animarum.* Moraliter expendit locum ſanctus Pater: funibus diſtinguuntur, ac ſeparantur hæreditates, & agrorum poſſeſſiones; cùm Chriſtus optimus animarum veniret metator, vendentes à templo funiculis eiicit, illis enim iam diuidebat Eccleſiæ ſuæ confines, ſuorumque fidelium à terminis Synagogæ perfidæ, ſacrilegio, & prophanationi deditæ.

Ambroſ.

*Suam Deus fidelium Eccleſiam à Synagoga diuiſit.*

37. Septimò. Idem Diuus Ambroſius tom. 5. Concione 1. de Baſilicis non trahendis Hæreticis. *Templum*, inquit, *ſuum Chriſtus ingreditur, & flagellum prehendit, & eiicit de templo numularios. Non patitur enim in ſuo templo eſſe eos; qui vendant cathedras. Quid ſunt cathedræ, niſi honores?* Inter omnes delinquentes idololatras, hæreticos, publicanos peccatores, quos in mundum veniens Chriſtus inuenit, hos flagello proſequitur; hi enim numularij erant, qui in domo Dei cathedras, honoreſque vendebant, quod eſt valde execrabile nefas. Cùm à Philiſthæis capta eſſet arca Domini, in Azoto eam conſtituunt in templo Dagon. 1. *Regum* 5. *num.* 1. & ſtatim, *Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos*, ibidem num. 6. Sed cur ira Domini ita graſſatur in eos, cùm arca Domini eis eſſet in magna reuerentia? *Azotus*, id eſt, ignis concupiſcentiæ. In arca continebatur tota Eccleſiaſticæ dignitatis præeminentia, totaque diuinæ legis ſcientia, & doctrina: qui ergo Eccleſiaſticam dignitatem, ſcientiæque honorem in Azoto, hoc eſt, in igne concupiſcentiæ, conſtituunt, vt vendant, in omnium malorum incurrunt pœnam. Petrus Bleſenſis epiſtol. 14. *Illi*, inquit, *Baal conſtruunt, dum pro temporalium rerum quæſtu, quaſi ſub iactu aleæ, vitam, & animam ponunt. Iſti conſtituunt arcam Domini in Azoto, quod interpretatur ignis concupiſcentiæ: quia per ambitioſam concupiſcentiam gloriam noſtræ profeſſionis euacuant. Scienter equidem, & prudenter pereunt; quia emiſcuit eis Dominus ſpiritum vertiginis, eiſque rotam malorum Rex ſapiens impiorum ventilator immittit.*

Ambroſ.

*Magnum nefas, cathedras, ac honores vẽdere.*

1. Reg. 5.

*Azotus, id eſt, ignis concupiſcentiæ.*

Petr. Bleſ.

38. Octauò. Diuus Auguſtinus *tractat.* 10. *in Ioannem*, qui pro *de funiculis*, legit, *de reſticulis*, ait ſanctus Doctor: *Vnuſquiſque in peccatis ſuis reſtem ſibi texit. Propheta dicit: Væ his, qui trahunt peccata ſua, ſicut reſtem longam. Et quis facit reſtem longam? qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur peccata peccatis? cùm peccata, quæ facta ſunt, cooperiuntur cum aliis peccatis.* Funiculis, ac reſticulis verberantur, quia peccata peccatis connectendo longum contra ſe faciunt funem, quo profligantur, & conſtringuntur, vt ligatis manibus, ac pedibus in tenebras exteriores mittantur. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, Prouerb. 5. num. 22. *Peccata*, vt eleganter ait Beda, *dicuntur funes, quia is, qui funem facit, torquendo ſemper, & inuoluendo fila adauget: talis eſt fortitudo operum malorum, in quibus praua prauis nectentes, nihil aliud, quàm vt ſe arctiùs obligent, agunt.*

Auguſt.

Iſai. 5.

*Peccator ſuis flagellatur peccatis.*

Prou. 5.

Beda.

39. Nonò. Diuus Hieronymus in Iſai. cap. 5. num. 18. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis*; ita ait ſanctus Doctor: *Quòd vincula dicantur eſſe peccata, crebriùs legimus. E quibus illud eſt: funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Et Dominus arguens populum delinquentem, qui peccatis peccata ſociant, fecit flagellum de funiculis, oſtendens eis, quomodo domum Dei feciſſent ſpeluncam latronum.* Et idem habet Origenes *hîc in Ioan.* Per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur. Homo per delicta ſua Deum offendit, & per ipſamet, quæ in funiculis adumbrantur, verberatur, & flagellatur. Vide *lib.* 1. *c.* 1. *num.* 86. & *lib.* 2. *c.* 8. *num.* 18. Decimò. Chriſtus inter omnia delicta maximè in hanc templi prophanationem ſeuerè inuehitur, vt ita liquefiat, quàm graue ſit peccare in domo Dei, eiuſque contemnere ſanctitatem. Beda hîc: *Quid ergo putamus*, ait, *feciſſet Dominus, ſi inueniſſet eos rixis diſſidentes, aut fabuloſis, otioſis, aut turpibus, & obſcœnis colloquiis vacantes, aut quolibet alio ſcelere occupatos; ſi ita in eos deſæuit, qui ea negotiabantur in templo, quæ Domino offerre volebant. Hæc contra illos diximus, qui Eccleſiam ingreſſi, non ſicut in domo Dei, cum metu, & reuerentia ibi conſiſtunt.* Similiter Diuus Auguſtinus *tractat.* 10. *in Ioannem.*

Hieron.

Origen.

*Per quæ quis peccat, per hæc torquetur.*

*In Eccleſia peccare magnum nefas.*

Beda.

Auguſt.

40. Vndecimò. Rupertus *in c.* 2. *Habacuc n.* 9. ad illa verba: *Qui congregat auaritiam malam*, ita ait: *Talis auaritia, vt totus orbis audit, quia domum Dei, quæ domus erat, vel eſſe debebat, orationis, fecit ſpeluncam latronum. Quàm mala fuit hæc auaritia, præſertim eorum, qui pauperes ſpiritu patres habuerunt, & qui erant filij peregrinorum.* Præ cæteris peccatoribus hos Chriſtus duriſſimè punit, hos nanque à ſuorum parentum virtutibus degeneres vidit; illi enim Patriarchæ illuſtriſſimi Abraham, Iſaac, & Iacob, diuitiarum, bonorumque temporalium contemptu maximè floruere. Et Chriſtus Dominus, cùm viderit eorum filios auaritiæ, ambitionique deditos, & à virtutum maiorum ſuorum faſtigio corruiſſe, eos veluti maximè obſtinatos intendit, non verbis, ſed verberibus corrigere, non exhortationibus, ſed ictibus contũdere, ac emollire. Vide *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 7. & *lib.* 2. cap. 3.

Rupert.

*Puniũtur filij à parentum virtute degeneres.*

Simeon.iun.

*cap.3.n.*10. Duodecimò. Simeon iunior, Theologus, ac Preſbyter, habetur in Bibliotheca *tom.* 12. *part.*1. *orat.* 24. ita ait: *Ieſus contumaces Iudæos ex domo orationis domum negotiationis facientes, flagello percuſſit, & menſas numulariorum euertit. Ne igitur prætexens manſuetudinem, propter ſolùm laudem humanam, modicum quippiam propter Dei mandatum admiſſum ad ſubuerſionem Apoſtolicorum canonum, & conſtitutionum, contumeliaque vitæ Euangelicæ, & ſtatus monaſtici neglexeris.* Dominus in exemplum noſtrum ita iratum ſe præbet, vt ſi aliquid contra ſacros Canones, ordinemque Monaſticum inſpexerimus aliquando introductum, ſtatim in huiuſmodi prophanationem inſurgamus, prauam eius puniendo conſuetudinem, ac radicitus euellendo.

*Praua contra Canones conſuetudo admittenda non eſt.*

41. Alex.Papa.

Decimotertiò. Alexander Papa, vt refertur 1.*quæſt.*3.*cap.ex multis*, ita ait; *Illud quoque in hoc facto ſolicitè conſiderate, quod per totum textum ſancti Euangelij nuſquam reperitur, Dominum tanta ſeueritate, tam diſtricta cenſura iuſtitiæ peccantes corripuiſſe: cùm, non ſolùm eloquio increpans, verùm etiam facto flagello de funiculis verberans omnes elimauerit de templo: apertè demonſtrans, quòd tales negotiatores, non ſicut cæteri peccatores ſunt corripiendi, ſed à templo Dei, ſcilicet à ſancta Eccleſia longiùs ſunt proiiciendi.* Et idem habet Diuus Gregorius *homil.* 39. *in Euangel.* & Beda *hîc*, vt refertur citatis capitibus. Inter omnes peccatores Scribas, Phariſæos, in hoc negotiatores maioris zeli flamma ſuccenſus Dominus exarſit, eos enim, non ſolùm, vt alios, verbo reprehendit, verùm flagello facto verberauit: hi nanque venditores ſanctum Dei locum, tanquam prophanam domum exiſtimabant, & ita in ea mercaturam exercebant: & nil iram diuinam magis prouocat, quàm Dei Eccleſiam contemnere, debitamque ei venerationem violare. Et ideo Dominus, non Apoſtolorum miniſterio, ſed propriis manibus tantum nefas vindicare voluit, atque punire.

Gregor. Beda.

*Irreuerentia in Eccleſiam iuſtitiam diuinam maximè ſolicitat.*

42. Chryſoſt.

Decimoquartò. Valde mirum, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 22. cuius rei cauſa Chriſtus hîc adeò eſt indignatus, maximè cùm aliàs iniuriis, contumeliiſque affectus; Samaritanus, ac Dæmonium habens appellatus, nihil tale fecerit, vt modò, ſiquidem non contentus verbis, etiam flagello in eos inuehitur? In aliis actionibus peculiariter Chriſto Domino irrogabatur iniuria; & ideo dicebatur Samaritanus, filius fabri, ac in Beelzebuth eiicere dæmonia. Hîc autem totus in Deum Patrem contemptus erat, cùm domus eius domus negotiationis fieret, ac mercaturæ, Cùm à Principibus quinquagenariis Ochoziæ Regis Elias vocaretur, eique diceretur: *Homo Dei, Rex præcepit, vt deſcendas.* Bis ignem, qui eos deuorauit, de cælo deſcendere fecit. 4.*Reg.*1.*n.*10. Chriſto Domino cum diſcipulis ſuis vrbem Samaritanorum ingreſſuro, introitus prohibetur ab iſtis: vnde duo fratres filij, Boanerges ira commoti dicunt: *Domine vis, dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* Luc.9. num.52. Non annuit Chriſtus, imò potiùs increpauit eos. Et quanuis germana huius rei ratio ſit eximia manſuetudo, ac patientia, in qua Chriſtus Dominus ſuos inſtruebat; tamen huic optimæ intelligentiæ aliam moralem contexere, non prætermittam. Dei ſpiritus diſpoſuit, vt Eliæ precibus duos quinquaginta militum rectores ignis ab æthere dilapſus deuoraret. Et idemmet Spiritus ordinauit, vt Chriſtus ſimilem plagam in Samaritanos cohiberet. Sed cur impij, ac inhoſpitales homines igne nõ abſumuntur, ſicut duo illi militiæ princeps, qui etiam, teſte Maldonato ad citatum Lucæ locum, Samaritani erant? Illi duo Pentetarchi militiæ rectores, veluti contemnendo, ac irridendo Deum Eliæ dicebant: *Homo Dei, Rex præcepit, vt deſcendas.* at Samaritani Chriſtum, & Apoſtolos, vt puros homines exiſtimantes, in ciuitate ſua recipere noluerunt: & vbi iniuria, ac contumelia erat in Deum, precibus Eliæ ignis vorax deſcendens homines in fauillas, ac cineres conuertit; at vbi contemptus, & vilipendium ad homines coarctatur, Chriſti manſuetudo, ac patientia nouit optimè inducias dare, ſupplicium differre, & tempus concedere, vt omnia in melius reformentur. Godfridus Tilmannus *in Allegoriis*, ait: *Cùm Elias irriſoriè homo Dei diceretur, ignem de cælo adducit, noluit Chriſtus homo veniens in mundum, ſed increpauit Apoſtolos, iniuriam patienter ſuſtinens.*

*Pro Dei honore magis, quàm pro noſtro pugnandum.*

4.Reg.1. Luc.9. Maldon. Godfrid.

43.

Cùm Deus ſuper omnia ſit venerandus, maximè damnabile eſt, vt ei humanum aliquid præponatur. Vnus ex diſcipulis ad Chriſtum Dominum dixit: *Domine, permitte primum, me ire, & ſepelire patrem meum.* Cui humani generis Redemptor veluti increpando ait: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, Matth. 8. num. 22. Sed cur Dominus piæ petitioni non ſolùm facultatem denegat, ſed potiùs aliquam rigoris oſtendit ſpeciem? dixit enim adoleſcens: *Permitte me primum ire*; & vbi humanum aliquid, licèt paternum, Dei venerationi, mandatoque anteponit, in grauem notam incurrit. Diuus Petrus Chryſologus ſermone 19. *Nunquid*, ait, *Chriſtus vetat extremum munus parentibus, quod debetur: Non pietatis obſequium negat, ſed diuinam præponit humanis affectibus ſeruitutem. Audite, quid diſcipulus dixerit: Permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum: hoc ei non primum eſſe debuit, ſed ſecundum; terrenus pater cœleſti poſtponendus eſt patri.*

Matth.8. Chryſolog.

---

## Qvæstio IX.

### *Quare Chriſtus Dominus flagellum de funiculis fecerit; non verò de catenis, vel virgis?*

44. Chryſoſt.

Cvm, qui peccant in templo, digni ſint, vt ait Diuus Chryſoſtomus *homil.* 24. *in Acta*, non qui verbere, ſed qui fulmine feriantur; tamen Chriſtus Dominus hoc in loco ſancto delinquentes, non fulmine, non ferreis catenis, non virgis, ſed lineis funiculis verberat. Prima, & germana ratio eſt, quia ad manum erant huiuſmodi funiculi; ex funibus nanque, quibus alligabantur animalia, iſtud confecit flagellum, quo vendentes, ſicut canes, eiecit, ac profligauit de templo. Secundò. Diuus Auguſtinus tractat. 10. in Ioan. *Qui*, ait, *flagellandus erat ab eis, prior illos flagellauit, fecit flagellum de reſticulis, & inde indiſciplinatos, negotiationem in Dei templo facientes, flagellauit.* Cùm innocens Dominus ab impiis Iudæis ferreis catenis, atque virgis eſſet flagellandus, tamen multo priùs clementiſſimus Ieſus ipſos iniquos lineis funiculis verberat, vt appareat, quantum res diſtat ſub manu Dei, ac ſub manu hominis; nam ſub Dei nutu cum rigore eſt ſuauitas; ſub hominis imperio totum crudelitas, & ſæuitia. Vide *lib.*2.*cap.*7.*num.*26.

*Quàm graue ſit peccare in templo.*

Auguſt.

*Quantũ res diſtet ſub manu Dei, ac ſub manu hominis.*





45. Ambroſ.

Tertiò. Diuus Ambroſius *tom.* 5. *concione* 1. de Baſilicis non trahendis Hæreticis. & pungit Auxentium Epiſcopum, qui & Mercurius dicebatur. *De templo*, ait S. Doctor, *Ieſus flagello eiicit, Auxentius gladio, Ieſus flagello, Mercurius ſecuri. Pius Dominus flagello exturbat ſacrilegos, nequaquam perſequitur pios ferro.* Habet Chriſtus, & mundanus Imperator verbera: Chriſtus ex funiculis lineis, vt ſuos ſuauiter puniat, ac corrigat, ne in præcipitium deuoluantur; imò vt eis potiùs tanquam habenis refrænentur, à peccatiſque reprimantur. At mundanus Imperator catenas habet, vt ſubditos occidat, & omnium effundens ſauguinem exulceret eos. Vide *lib.*3.*cap.*1. *n.*20.& 21.

*In Chriſto ſuauitas cum rigore, in mundo totum crudelitas.*

46. Ambroſ.

Quartò, Idem D. Ambroſius in cap.19. Lucæ, circa finem: *Flagello de reſtibus cædebat turbas*, ait, *& nullus reſiſtere audebat; & nunc virga vtitur, nunc flagello (virga enim recta eſt, virga regni tui, Pſalm.* 44.) *virga, vt corrigat, flagello, vt ſuadeat. Recta illic, hîc inflexa præceptio, qua peccatoris conſcientia, velut lento verbere flagellatur. Alij ſunt enim terrores prophetici, aliæ Apoſtolicæ ſuaſiones: in vtroque tamen vnius eſt verbi diſciplina.* In manu Domini eſt virga, & flagellum: virga, vt puniendo corrigat, ac in melius mores tranſmutet; flagellum, vt lento verbere cœleſtia documenta ſuadeat, diuinæque exhortationes hominis inſinuentur in corde. Chriſtus nec ſemper virga, nec ſemper flagello vtitur, ſed pro temporis diuerſitate. Huc reuoca id, quod ait Iſaias 11. num. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* ſeu, vt legit Pagninus: *Egredietur virga de ſemine Iſai, & ramus de radicibus creſcet.* De radice, qui eſt Chriſtus, exeunt virga, & ramus: virga, vt corrigat; ramus, vt ſuauiter, & leniter attrahat. Sed audiamus D. Auguſtinum. qui optimè expendit, quomodo Chriſtus Dominus ſit virga, & flos: *Virga dicitur exire, quia exeuntes à rectitudine corrigit; flos verò dicitur aſcendere, quia dum iuſtus progreditur in vertice, aſcendit in florem.* D. Auguſtinus *ſerm.*99.*de tempore*, expendens citatum Iſaiæ locum: *Quanuis, ait, vnus ſit Chriſtus, ſingulis tamen diuerſus efficitur, provt indiget is, qui operatur. Qui ergo ſenior eſt, & negligentior pro diſciplina, Chriſtus ei efficitur virga, & in virga non aſcendere dicitur, ſed exire: exeundum nanque eſt ei, qui inutilis, & ignauus eſt, de eo ſtatu, in quo non rectè conſiſtit. Qui verò iuſtus eſt, quia iuſtus ſicut palma floret, in hoc aſcendere dicitur Chriſtus. Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum in virga; qui autem proficit ad iuſtitiam, aſcendit ei in florem.*

Pſalm.44.

*Flagellum, & virga pro temporis diuerſitate.*

Iſai.11. Pagnin. Auguſt. Idem.

*Accõmodat ſe Chriſtus hominibus.*

47. Ambroſ.

Quintò. Expendo iterum citata D. Ambroſij verba, *lento verbere flagellatur.* Non virga ferrea, ſed leuibus, ac mitibus funiculis profligantur iſti; quia non ſtatim eſt ad ſummum, extremumque rigorem euolandum, ſed aliqua priùs leuiora medicamenta, antequam ad extremum deueniatur, ſunt applicanda. *Tulit itaque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum*, Exod.7.num.10. Cur potiùs in colubrum, & non in ferocem leonem, aut immanem vrſum, aut ſæuum tigrim, quibus omnes magnum conciperent timorem, virga conuertitur? Verum habet, quòd venenoſus ſit coluber, multo tamen formidoloſior leonis rugitus, vrſi aſpectus, rabies tigris: at in colubrum verſa eſt virga. D. Auguſtinus quæſt.8. ex veteri Teſtamento: *Vtique*, inquit, *ſerpentem fecit, qui & terrorem incuteret, non tamen obeſſet, per id, quod ſtupore quodam ad nocendum tardior ſit; ſi enim leonem feciſſet, aut vrſum, quomodo euaderent, qui aderant.* Ira Dei in peccatoribus perdendis non eſt ita velociſſima, vt ſtatim ſummum omnia conſumens effundat ſupplicium, ſed priùs aliqua, quibus homo exurgat, ad ſalutemque excitetur, leuiora præmittit: & ideo virga, non in leonem, vel vrſum, qui omnes enecaret, ſed in colubrum conuertitur, qui omnes terrificaret.

Exod.7. Auguſt.

*Non ſtatim euolandum ad ſummum rigorem.*

48. Ambroſ.

Sextò. Examinanda ſunt vltima Diui Ambroſij citata verba: *Alij enim ſunt terrores Prophetici, aliæ Apoſtolicæ ſuaſiones.* In Prophetis erat Deus mundum in virga ferrea gubernans, Pſalm. 2. num. 9. at vbi aurea incarnati Verbi eluxere ſæcula, iam procul abeſt virga ferrea, vt percutiat, & ſolùm ad manum eſt lentum flagellum, vt ſuadeat. *Exinaniuit ſemetipſum factus obediens*, ait Apoſtolus *ad Philip.* 2. *num.* 7. Deus factus homo exinaniuit ſe à rigoroſa potentia, & maieſtate, qua opprimebantur cuncta; non verò à ſuaui miſericordia, & benignitate, quæ tunc maximè enituit: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri*, ad Titum 3. num.4. Diuus Bernardus ſermone 1. de Natiuitate: *Exinaniuit ſe formam ſerui accipiens, qui in forma Dei, Patri æqualis erat, ſed exinaniuit maieſtate, & potentia, non bonitate, & miſericordia. Quid enim ait Apoſtolus? Apparuit*, inquit, *benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei. Apparuerat antè potentia in rerum creatione, apparebat ſapientia in earum gubernatione, ſed benignitas miſericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Innotuerat Iudæis poteſtas in ſignis, atque portentis: vnde in lege ſæpiùs inuenies: Ego Dominus, Ego Deus. Veruntamen Iudæi poteſtate ipſa premebantur.* Olim miſericordia erat veluti occultata in ſinu Dei, & potentia, atque maieſtas, quibus cuncta ſeuerè diſponebantur, ſe ſe oſtentabant: at vbi Verbi incarnati ſplendor eluxit, abſcondita eſt virga ferrea, & ſuper omnem orbem benignitatem inundantia miſericordiæ Dei viſcera patuere.

Philip.2.

*Ante Incarnationẽ Deus rigoroſus, poſtea ſuauis.*

Tit.3. Bernard.

---

## Qvæstio X.

### *Quare Dominus per ſe ipſum, & non per alium vendentes eiecerit?*

49. Ambroſ.

Chriſtvs Dominus in benignitatem eſt ita propenſus, vt Diuus Ambroſius *lib.*1. *de Abrahamo, cap.*6. in limine dicat: *Vbi gratia largienda eſt, Chriſtus adeſt: vbi exercenda ſeueritas, ſolùm adſunt miniſtri, deeſt Ieſus.* Et ita, dum Chriſtus Dominus in vita fuit, per ſe ipſum nullum puniuit; tamen contra hos vendentes, non vocantur miniſtri, verùm ipſe Dominus ſæuo armatur flagello. Bene potuit

Chriſtus Apoſtolis præcipere, vt negotiantes à templo excluderent, ſed noluit, & ſumpto fuſte percutit eos. Reſpondent primò Romani Pontifices, ac graues Patres, quòd huiuſmodi vendentes è Sacerdotum numero erant, teſte D. Hieronymo *in cap.* 21. *Matth.* ac proinde non ab alio criminum vindice propulſantur, ſed ab ipſo Domino, vt inde manifeſtum fiat, delinquentes Sacerdotes à Domino tantùm eſſe caſtigandos. Errauit Sacerdos, à ſolo Deo eſt iudicandus, & ante tribunal nullum aliud, quàm Eccleſiaſticum, vbi Dei vices aguntur, ſiſtere debet. Anacletus epiſt. 2. *Vnde liquet,* ait, *quòd ſummi Sacerdotes, id eſt, Epiſcopi, à Deo ſunt iudicandi, non ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus lacerandi, ſed potiùs ab omnibus fidelibus portandi, ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo, ſicut alibi ait: Deus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat,* Pſalm. 81. num. 1. *& alibi: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes,* ibid. num. 6. Similiter Pius I. *epiſt.* 1. Iulius I. *in reſcripto contra Orientales pro Athanaſio.* Idem habent D. Chryſoſtomus *homil.* 22. Diuus Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 28. Diſcant Magnates, ſæculique potentes, quod Chriſtus facto ſuo docet; cum à Saluatoris clementia valde alienum ſit, manu ſua aliquem cædere, vel percutere, & cùm facile eſſet, Apoſtolis hoc demandare, totum tamen exequitur facto flagello, Sacerdotum cauſas ad alium præter ſe deuolui non permittit: nihil enim eſt ab omni æquitate, & ratione magis deuium, quàm vt Sacerdos, qui eſt Prælatus, paſtor, & pater, iudicetur à ſubdito, à filio, ac oue, Quod eleganter dixit Gregorius VII. *lib.* 8. *epiſtol.* 21. & refert Gratianus diſtinct. 96. cap. 9. *Quis dubitet,* ait, *Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magiſtros cenſeri: nónne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubiicere; à quo credit, non ſolùm in terra, ſed etiam in cælis ſe ligari poſſe, & ſolus?* Et circa hoc multos Patres, multaque iuris loca adducit Suarius in defenſione fidei contra Regem Angliæ *lib.* 4. *c.* 8. 9. & 10. Vide *lib.* 3. *q.* 25. *n.* 120. & de hoc vide totam hanc quæſtionem.

Hieron. *Eccleſiaſticus delinquens non à ſæculari poteſtate puniendus.* Anaclet. Pſalm. 81. Pius I. Iulius I. Chryſoſt. Cyril. Gregor. VII. Suarius.

50. *Quæ ad Dei reuerentiam pertinent, per nos facienda.*

Secundò. Huiuſmodi eiectio pertinebat ad Dei cultum, ac templi, & ſanctuarij reuerentiam; & ideo Chriſtus Dominus manu ſua flagellum arripit, & caſtigat; quia quæ ad Dei honorem ſpectant, etſi vilia appareant, ea obire ne vereamur: nihil enim glorioſius eſſe poteſt. Tertiò, Valde mirum, quòd vnus Angelus armatur in prælium contra alium. *Apocal.* 12. *num.* 7. Vnus Angelus per alium è cælo eiicitur, ac in abyſſum mittitur, vt habes *ibidem, & cap.* 20. *num.* 1. At vendentes iſti ab ipſomet Domino expelluntur à templo. Quænam tanti diſcriminis cauſa, niſi ipſa erga Sacerdotes reuerentia debita? Angeli, ac Principes pœnis multentur ab alio Angelo, atque miniſtro: at Sacerdotibus ſolùm è manu Dei infertur ſupplicium; nam dum per ſe ipſam corripit, ac fuſte percutit ſuprema maieſtas, eximio caſtigatio ipſa condecoratur, ac nobilitatur honore. Ita ait D. Gregorius Magnus homil. 17. in Euangel. *Vnde & ingreſſus in templum, per ſemetipſum quaſi flagellum de funiculis fecit, & de domo Dei prauos negotiatores eiiciens, cathedras vendentium columbas euertit, quia ſubditorum quidem culpas per paſtores percutit, ſed paſtorum vitia per ſemetipſum ferit.*

Apoc. 12. & 20. Greg. Magn. *Prælatus non à ſubdito, ſed à Deo caſtigandus.*

51.

Cùm ob peccata in Deum commiſſa homines ſunt perdendi, hoc negotium demandatur Angelis, qui plenas diuina ira phialas ſuas fundant in terram, mare, & flumina, *Apoc.* 16. *num.* 2. At cùm Angelus Epheſi in officio ſuo delinqueret, ei à Domino dictum eſt: *Age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo,* Apoc. 2. num. 5. Similiter Angelo Eccleſiæ Sardinis dicitur: *Si ergo non vigilaueris, veniam ad te, tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te,* Apocal. 3. n. 3. Cur ergo ad interitum gentium Angeli deſtinantur; ad Principes verò Epheſi, & aliarum Eccleſiarum plectendos ipſe Dominus ſe venire promittit? Illarum Eccleſiarum Angeli erant Epiſcopi, & Sacerdotes, vt cum communi ſententia docent D. Ambroſius, Andreas Cæſariæ Epiſcopus, Primaſius, Anſbertus, & alij. Dum ergo Reges terræ, ac populi ſupplicio ſunt afficiendi, res ad Angelos deferatur, vt totum exequantur: at dum res ad Sacerdotes deuenit, pro infula honoranda, non ſpiritus illi, ſed ipſe Dominus manus applicat, vt candelabrum moueat.

Apoc. 16. Apoc. 2. Apoc. 3. Ambroſ. Andreas. Primaſ. Ansbert.

52.

Multoties Iſraëlitis comminatus eſt Deus, ſe ad eorum deſolationem, ac deuaſtationem, ſuper eos gentem robuſtam, ac Chaldæos adducturum. *Baruch* 4. *n.* 15. *Ezech.* 7. *n.* 24. *& c.* 28. *n.* 7. Tamen Heli ob peccata ſua à Domino dicitur: *Præſcindam brachium tuum, & brachium domus patris tui,* 1. Regum 2. num. 31. Sed cur multas gentes venturas aſſeritur, ad deſtruendum Reges, populos, ac ciuitates, cùm ad interitum, ad extinctionem domus Heli, Dominus dicat, quòd ipſe præſcindet brachium eius? Cur ad populos puniendos in ſupplicium vocantur gentes; ad Heli verò ipſe Dominus auctoritatis ſuæ quodammodo oblitus, tanquam flagelli artifex accedit? D. Gregorius ibi: *Et quia Heli, id eſt, maioribus Synagogæ Sacerdotibus loquebatur, non ſolùm brachium eius, ſed etiam domus eius ſe præſcindere minatur.* Cum Sacerdotibus ſermo erat, & ideo eorum expoſtulat reuerentia, eos non miniſtris, ſed maieſtati ſupremæ ſubdi. Alij proteruè delinquentes per gentes plectantur; Sacerdotes verò per ſemetipſum Deus eſt dignatus punire.

Baruch 4. Ezec. 7. & 28. 1. Reg. 2. Gregor.

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare, cùm Chriſtus Dominus tantam eiecerit multitudinem; nullus ei reſtiterit?*

53.

COMMVNIS ſententia eſt, quòd inuoluntariè, & cõtra propriam inclinationem ſuam hi à templo ſunt excluſi, vt notat Abulenſis *in c.* 21. *Matt. q.* 79. nã damna rerum ſuarum, quas quis valde amat, nullus ſponte fert ſæculi amator, vt erant huiuſmodi vendentes, qui magna temporalia patiebantur damna, dum Chriſtus Dominus è templo pecora abigeret, æſque omne, & menſas euerteret. Deinde

Abulenſ.



Deinde hoc etiam maximè ad eorum ignominiam conducebat, & tamen totum hoc negotium, non reſiſtentes ſuſtinebant. Huius rei cauſam inquirimus.

54. Origen.

Certum eſt, hoc miraculosè fuiſſe factum, diuina Omnipotentia operante. Et ita ait Origenes hîc: *Præſens autem hiſtoria in nullo minorem poteſtatem perpendit iis, qui ab eo miraculoſius edita ſunt: quinimo conſtat, hanc maiorem demonſtrare potentiam miraculo, quo aqua conuerſa eſt in vinum, eo quòd illic inanimata ſubſiſtit materia; hîc verò tot millia hominum domantur ingenia.* Imò D. Hieronymus *in cap.* 21. *Matth.* ita exaggerat hanc rem, vt dicat: *Mihi autem inter omnia ſigna, quæ Dominus fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quòd vnus homo, & illo tempore contemptibilis in tantum, vt poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, & talia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus.* Idem habet Albertus Magnus. Ac proinde huiuſmodi eiectio non ſolùm miraculosè facta eſt, ſed fuit magnum & valde miraculum. Quomodo autem perpetratum ſit, eſt explicandum.

Hieron. Albert. Mag. *Hæc eiectio miraculosè facta.*

55.

Et primò hoc fieri potuit per ſolam immutationem internam imprimendo eis grauem timorem, iſtamque in eorum animis, paſſionem cauſando, abſque eo, quòd Chriſtus Dominus aliquid exteriùs in ſe ipſo manifeſtaret, ſicut dicitur Leuit. 26. num. 36. *Et qui de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hoſtium terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient, quaſi gladium, & cadent nullo ſequente:* Deuteron. 28. num. 65. *Dabit tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore. Timebis nocte, & die.* Iudith. 14. num. 17. de Aſſyriis dicitur: *Intolerabilis timor & tremor cecidit ſuper eos.* Secundò. Poterant vendentes hi à templo recedere ob aliquod terrificum in vultu Chriſti viſum ſignum, vt ſe exhibuit Angelus, dum matri Sanſonis apparuit, de quo dixit mulier ipſa: *Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum, terribilis nimis,* Iudic. 13. num. 6. Et de ſtatua, quæ in ſomniis apparuit Nabuchodonoſori, dicitur: *Statua ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.* Daniel. 2. num. 32. Tertiò. Huiuſmodi vendentium receſſus fieri potuit, Domino contra eos, abſque oſtenſione alicuius ſigni in corpore ſuo, realem impulſum, vel motum aliquem faciente, quo ita fugerent; ac ſi fuſte percuterentur, vt dicitur Pſalm. 28. num. 5. *Vox Domini confringentis cedros Libani.* & num. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertum Cades.* & 4. Regum 7. num. 6. *Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ, curruum, & equorum. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris.*

Leuit. 26. Deuter. 28. Iudith. 14. Iudic. 13. Daniel. 2. Pſalm. 28. 4. Reg. 7. *Quibus modis facta fuerit huiuſmodi eiectio.*

56. Abulenſ. Origen.

His tribus modis interuenientibus Dominus vendentes à templo propulſauit, vt bene docet Abulenſis in *cap.* 21. *Matth. quæſt.* 79. Et, quòd erat omnium caput, grauem in eorum cordibus Dominus incuſſit timorem. Ita Origenes in præſenti: *Conſideremus,* inquit, *autem ne fortè enorme videatur, quòd captis funiculis Dei filius parat ſibi flagellum ad eiiciendum de templo; vnum tamen refugium relinquitur diuina poteſtas Ieſu, vt cùm volebat, poſſet iracundiam hoſtium ſuffocare, quanuis eſſent innumeri, & ſedare mentium turbines; Dominus enim diſſipat cogitationes gentium.* Niſi Dominus in eorum mente imprimeret timorem, multitudo tanta ita facile à templo minimè diſcederet. Secundò. Quidam procedentes in vultu Chriſti terribiles radij apparuere, quibus exterriti hoſtes nullus reſiſtere eſt auſus. Et ita ait D. Hieronymus in cap. 21. Matth. *Igneum enim quiddam, atque ſydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Similiter Carthuſianus, ac alij. Tertiò. Exteriùs in Chriſti voce apparuit quid terribile; nam ſicut in horto, militibus quærentibus ſe dixit, eſſe Ieſum Nazarenum: *Quo audito illi ceciderunt retrorſum,* Ioan. 18. num. 8. & ita audita Chriſti voce Dæmones à corporibus paſſim exibant: ſic igitur à fortiori, viſo in vultu lumine, & auditu voce, iſti in templo negotiatores loco cederent, ab illoque abirent.

Hieron. Carthuſ. Ioan. 18.

57. Euthym. *Conſcientia arguit, & loqui non ſinit.*

Secundò moraliter rem explicat Euthymius: *Sed neque his quæ fecit, exaſperati ſunt: ſiquidem arguebat illos conſcientia, ac confundebat, oſtendens, quòd iuſtè hæc feciſſet, & dixiſſet Dominus.* Bene viderant vendentes, ſe iniuriosè eſſe eiectos, tacent tamen omnes, loquique nullus audet; ipſa enim conſcientia ſui criminis conſcia, accuſabat, ac confundebat eos, & veluti à tantis reprehendebat delictis. S. Macarius iunior *homil.* 15. ita ait: *Cor habens mentem pro moderatore, conſcientiam arguentem, cogitationes accuſantes, ac defendentes.* Ait enim Apoſtolus ad Rom. 2. num. 15. *Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus. Vides, quòd conſcientia non approbet eiuſmodi cogitationes, quæ obſequuntur peccato, ſed confeſtim reprehendit: neque enim mentitur; nam illa, tanquam perpetuò reprehendens, teſtificatur, quod dictura ſit in conſpectu Dei in die iudicij.*

S. Mac. iun. Rom. 2.

58. Chryſoſt.

Tertiò eleganter D. Chryſoſtomus homil. 22. *Cur Iudæi,* ait, *qui in collatis beneficiis Chriſtum accuſabant, & perſequebantur, cùm credibile eſſet, tam acri caſtigatione grauiùs excandeſcere, non adeò iniquo animo tulerunt? nulla enim contumelia in eum vſi ſunt; ſed quod ſignum, inquiunt, oſtendis nobis, quia hæc facis? Animaduertiſtis inuidiam incredibilem, & quónam pacto in alios collata beneficia magis eos irritabant?* Valde mirum, quòd Chriſtus Dominus hîc in Iudæos duriſſimè inuehitur, eiſque exprobrando iniuriosè dixit, *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* in eoſque tanquam ſeruos, fuſte inuehitur, atque flagello; & tamen patienter ſuſtinent, & nihil moliuntur in eum: videntes autem ſigna, & miracula eius, ſtatim dicunt: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Ioan. 11. n. 47. nempe infirmos ſanando, oppreſſos liberando, mortuos reſuſcitando, & tamen in eum ſtatim mortem, ac crucem machinantur: plus enim exagitantur inuidia, beneficiis, ac emolumentis, quibus alij ſubleuantur; quàm iniuriis, verberibus, ac lucri ſui iactura, quibus ipſi deprimuntur, atque vexantur.

Ioan. 11. *Inuidus magis torquetur alienis bonis, quàm proprio malo.*

59. Sap. 5.

*Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſùs eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum; videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis,* Sapient. 5. à n. 1. Vbi eſt ſermo (iuxta Chryſoſto

Chryſoſt. Carthuſ. Hugo.

ſoſtomum epiſt. *ad Cyriacum.* Carthuſianum, Hugonem,& alios)de illa magna fiducia,ac conſtantia, qua in extremo iudicio apparebunt iuſti coram tyrannis, qui eos afflixerunt, ac cruciauerunt: & tunc perſecutores ipſi eorum fœlicitatem, gloriamque videntes turbabuntur pauore graui, & præ inopinata eorum ſalute, vt legit Vatablus. Cur non dicuntur turbari audita ſententia iudicis: *Ite maledicti in ignem æternum?*

Vatabl.

Cur non turbantur timore horribili, dum ſe agnoſcunt in miſerrimum inferni barathrum detrudi, vt ibi ſulphure, igne cum dæmonibus in æternum crucientur? Sed tunc maximè ingenti concutiuntur horrore,cùm ante oculos eis iuſtorum gloria repræſentatur. Lyranus, *Videntes*,ait, *turbantur: quia videbunt iuſtos glorioſos in corpore, & anima.*

Lyranus.

Damnati non tantùm de infœlicitate ſua anxiantur miſerrimi, quàm de aliorum gloria; & plùs dolent, quòd alij beatitudine ſint ſublimati, quàm quòd ipſi omnium miſeriarum conditione ſint deiecti,ac humiliati. Et ne recedamus ab ipſa Sapientia cap. 2. num. 24. ita ait:

Sap. 2.

*Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Quia Deus hominem ex parte animæ condidit immortalem, (ita enim explicant Lyranus, Hugo, Carthuſianus, illam particulam *inexterminabilem*;) ideo in eum inuidia exarſit diabolus; non quia ipſe dæmon gehennæ igne cruciabatur, ſed quia ipſe homo cœleſtibus donis ditabatur.

Lyran. Hugo. Carthuſ.

Ita ait D. Ambroſius *lib. de paradiſo, cap.* 12.dum expendit citatum Sapientiæ locum. *Inuidiæ autem cauſa beatitudo hominis in paradiſo poſiti.*Diabolus inuidia hominis beatitudine potius, quàm ſui damnatione rumpitur,& mille nocendi artes molitur in hominem; vide *lib.2.cap.10.quæſt.20.num.66.*

Ambroſ.

*Ioannis* 2.*n.*16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domũ Patris mei, domum negotiationis.

## *VERSIONES.*

*Vatabl. Arias.* Ne facite domum patris mei, domum mercatus,

*D Iſidorus Peluſiota lib.* 1. *epiſt.*106. Tollite iſta hinc,& nolite facere domum meam, domum negotiationis.

## *EXPOSITIO.*

60\. FLAGELLO vſus fuerat Dominus ad expellendos boues, & oues; ſed ad columbas eiiciendas flagellum inutile erat, ſiquidem concluſæ exiſtebant, vt rectè obſeruat Caietanus; in ligneis caueis, in quibus columbæ venales in foro ſeruari ſolent. Et ſi flagello eiiceret eas, huc, & illuc euolarent, & magna in templo perturbatio fieret; ac proinde commodior fuit eiiciendi modus, vendentibus dicere; *Auferte iſta hinc.* Per quod etiam ſignificatur, vt rectè obſeruant D. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſt.* 106. D. Cyrillus Alexandr. *lib.* 2. *cap.* 29. D. Thomas, & alij, quòd iam appropinquabat tempus quo legis veteris ſacrificia ceſſare deberent, eſſeque à domo Dei transferenda.

Caiet.

Iſidor. Cyrill. D.Thom. *Iam ceſſabãt legis veteris ſacrificia.*

Et Chriſtus ſicut Dominus imperat, & ſicut doctor adhortatur ad bonum; vt ait D. Cyrillus ſuprà datus *quæſt.* 8. & ait: *Nolite facere*, noſtram indicat libertatem ad declinandum à malo,& ſequendum bonum. *Domum patris mei*; rectè, vt notat D. Cyrillus citatus, & Rupertus, dicit Deum patrem ſuum, quia ipſe eſt filius naturalis Dei,& ideo non ait: *Domum patris noſtri*, quia cùm nos adoptiui filij ſimus, communem ipſe nobiſcum non habet filiationem.

Cyrill. Rupert.

Et non ait, *domum Dei*, ſed *patris mei*; tanquam ſi dicat;hoc inter omnes optimo, ac peculiari facio iure, ad filium enim naturalem maximè pertinet,parentis honori conſulere, ipſumque defendere, ac pro eius ſtare rebus. Et quanuis Chriſtus Dominus hîc patrem ſuum diceret Deum,tamen iſti non ſunt exaſperati, ſicut alibi fecere inuidia obcæcati Chriſtum malitioſè de blaſphemia arguentes,*Matth.*26.*num.*65. *& Ioan.*10.*num.*32.*&* 33.nam hîc vt ambitioni deditì,ad nihil aliud attendebant, niſi ad pecunias, & lucra. *Domum negotiationis*; templum domus eſt ad orationem, ac ad obſequium Dei,non verò ad prophana negotia deſtinata.

*Filius ſtet pro patris honore.*

Matth 26. Ioan. 10.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Dominus columbarum venditores flagello non percuſſerit,ſed dixerit:* Auferte iſta hinc?

61\. QVOD Dominus columbarum venditores eliminauerit à templo, non ſolùm vulgari flagello, verùm & valde aſpero,rigidoque fuſte, exiſtimat D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 29. *Dominus enim*, inquit, *eos, qui columbas vendebant,flagris à templo expulit.*Flagrum ſæuiſſimum verber eſt, flagellum autem illius diminutiuum. Tamen communis Patrum,ac Doctorum ſententia eſt, verbo fuiſſe eiectos, & apertè inſinuat textus, prout facit diſtinctionem ab aliis venditoribus; inquit enim: *His, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc.* Niſi Iſidorus ſignificare velit,quòd Dominus vendentes columbas flagris inſectatus eſt, prout duris verbis reprehendit: *Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis*; & aſpera verba durius cædant,quàm crudele flagellum.

Iſidorus.

*Durius percutit verbũ, quàm flagellum.*

62\. Germana huius rei reſolutio eſt, quam poſui in expoſitione, quòd cùm columbæ in caueis ligneis eſſent incluſæ; vel ſi fortè incluſæ non erant, ſi flagello percuterentur, exterritæ per templum magnam confuſionem commouentes, huc, & illuc euolarent: ergo multò aptiùs ſunt excluſæ, dum eorum venditoribus dixit Dominus: *Auferte iſta hinc.* Et ita ſeruabatur reuerentia templo, & homines pauperes, vt huiuſmodi venditores erant, magnam non patiebantur iacturam. Alias verò huius rei cauſas morales indagemus.

*Vera reſolutio.*

63\. Secundò Albertus Magnus. *Columbas*, inquit, *non eiecit, nec ſubuertit, ſed dixit, de templo penitus*

Albert. Mag.



*tus auferenda; itaque nec ea contingere: cauſa autem huius eſt, quia in columbis expreſsè Spiritus ſancti gratia ſignificatur, quæ per hæreſim ſimoniacam venditur.* *Vnde Gloſſa, ſpecialiter ſimoniaca hæreſis damnatur, quibus dicit: Auferte iſta hinc, ne in domo Dei iſta hæreſis vndique appareat.* Idem docent D. Gregorius Magnus *Indictione* 13. *lib.*4.*epiſt.*51. *ad Virgilium Epiſcopum.* D. Thomas, D. Bonauentura, Hugo,& alij.

Gloſſa.

Greg. Mag.

D.Thom. Bonauent. Hugo.

Cùm columba Spiritus ſancti ſit figura, qui columbas vendebant, ſimoniacum repræſentabant venenum, quo Spiritus ſancti dona venduntur: eos non percutit Dominus, vt nos doceat, quòd huiuſmodi peſtis omnino à nobis ſit fugienda, ne eam attingamus, ne eius labe coinquinemur;ſed quòd ab Eccleſia Dei ſit totaliter auferenda, ac elimanda. Et tanti criminis pœna non exprimitur, quia eius ſupplicium in hac vita inexplicabile eſt;ex ea enim tanquam ex radice mala omnia pullulant.Et ideo,vt notat D. Gregorius Magnus lib.7. Indict. 2. epiſt. 113. *Inter omnes hæreſes ſimoniaca, prima contra Eccleſiam orta, & diſtricta maledictione damnata eſt.*

*Simoniaca peſtis fugienda.*

*Eius pœna inexplicabilis.*

Greg. Mag.

64\. Tertiò Rupertus lib. 3. in Ioan. *Valde notandum*, ait, *quod in medio feruore diſtrictionis, in ipſa flamma zeli ardentis, dum ſine cura Sacerdotum mercimonia proiicit, pauperibus* (*ſcilicet, his, qui columbas vendebant; non enim diuites, ſed pauperes huiuſmodi auiculas vendere ſolent*) *pauperibus ergo parcit, vt non exturbet columbas, quas vendebant, quas cùm exturbatæ euolaſſent, ipſi conſequi non poſſent, & aliquando damno affecti angerentur, ac iure deplorarent.* Duo valde notanda inculcat nobis venerabilis Abbas. Primò, Quanta in veneratione pauperes ſint habendi, Dominus enim, cùm aliorum, ac etiam Sacerdotum, vt vult D. Hieronymus, menſas ſubuerteret, eoſque perſequeretur flagello, vendentes columbas, cùm eſſent pauperes, verberibus non tangit,ſed in tam ardentis igne zeli domus Dei, illis ait: *Auferte iſta hinc.* Paupertas ipſa ſemper beneuolum Domini attraxit animum, vt in ipſam nimis propenſum.

Rupert.

*Pauperes venerandi.*

Hieron.

Maximè tamen expendamus vltima Ruperti verba: *Et aliquando damno affecti angerentur, ac iure deplorarent.* Columbas flagello Dominus non propulſauit, ne inde euolarent, ac pauperes apprehendere non valentes in lachrymas erumperent, & contra Dominum vociferarent:vt inde haberemus documentum,quòd quantum fieri poſſit,euitandum à nobis eſt, ne in cauſa ſimus, vt egenorum lachrymæ effundantur, eorumque clamores aduerſum nos erumpant, Nihil magis penetrat cælum, quàm pauperum gemitus, ac fletus. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, Pſalm. 11. num. 6. *Ego ſum pauper: & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me*, Pſalm. 68. num. 30. Ex Hebraico legi poteſt: *Ego ſum pauper, & gemens: ſalus tua Deus*, vt aliqui legunt apud Vatablum in ſcholiis, *vindicet me*: In medium non producit innocentiam,& ſanctitatem ſuam, quòd iniuſtè ab inimicis ſuis traheretur ad mortem;ſed quòd ſit pauper, & gemens; nihil enim magis ſolicitat diuinam iram ad inferendum ſupplicium,quàm pauperum gemitus.

*Gemitus pauperis diuinã ſolicitet irã.* Pſalm. 11. Pſalm. 68.

Vatabl.

65\. Quartò. In iſtis, qui vendebant columbas, præfigurabantur Sacerdotes, vt docet D. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſt.* 106. ideo Dominus eos publicè, ac manifeſtè cum aliis non verberauit hominibus, ſed veluti in ſecreto ait: *Auferte iſta hinc.* nam Sacerdotum delicta, ob reuerentiam eis debitam, non ſunt patenter punienda, ſed veluti in occulto reprehendenda, vt eleganter docet Anacletus Papa *epiſt.* 2. *ad Epiſcopos Italiæ.*

Peluſiot.

*Sacerdotum delicta in ſecreto reprehendenda.* Anaclet.

Quintò Columbæ in die præſentationis pro Domino ſunt oblatæ. *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum*, Luc. 2. num. 24. vt dixi *ibi, & lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 1. Columbas ergo Dominus flagello non verberat; quæ enim tibi aliquando inſeruiere,famulatumque præſtarunt, in bona reuerentia ſunt ſemper habenda: nam quod tibi aliquando,cùm potuit, vtile fuit, poſtea contemnere valde indecens eſt.

Luc. 2.

*Quæ tibi famularunt, in reuerentiam habe.*

Sextò. Vendentes oues,& boues Dominus flagello percutit; at erga habentes venales columbas à flagello ſe abſtinet, & rationem profert. *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Cur flagellum in illis, cum iſtis verò rationis pondus? Qui maiora illa pecora exponebant mercatui, erant nequiſſimi valde,auaritiæ,ambitioni, omnique peccatorum generi maximè dediti: qui verò minores auiculas illas ſuis retinebant in menſis, valde ſcelerati non erant, ſed pauperes, humiles,imò,vt vult Salmeiron, maiorum veſtigia ſecuti. Cùm igitur magnis illis peccatoribus rationis libra nihil eſſet valitura, hæc eis non profertur, ſed tantùm flagellum, illo enim ſolùm huiuſmodi præuaricatorum genus refrænatur,ac reprimitur; cum cæteris autem, vtpote melioribus, intermittitur verber, multo efficacior ratio. nam boni illa maximè mouentur,ac ducuntur. 66.

*Ad iniquos flagellum requiritur, ad bonos eſt ratio ſatis.*

Cùm peregrinaretur Abraham cum Sarai vxore ſua, & diceret ſuam eſſe ſororem, deuenerunt ad Ægyptum, Pharao illius Rex ob Saræ pulchritudinem eam ſibi aſſumpſit: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abraham*, Geneſ. 12. num. 17. Succedentibus rebus, cùm duo illi ſancti coniuges ſe in ciuitatem Geraræ contuliſſent, Abimelech Saram tulit in domum ſuam? tunc Dominus venit ad Abimelech nocte per ſomnium, & ait illi: *En morieris propter mulierem,quam tuliſti; habet enim virum. Tunc reſpondet Abimelech: Domine, num gentem ignorantem, & iuſtam interficies; nónne ipſe dixit mihi: Soror mea eſt; & ipſa ait: Frater meus eſt? In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum fecit hoc*, Gen. 20. à num. 3. Cui excuſationi Dominus condeſcendit, & interueniente Prophetæ oratione ipſum abſoluit. 67.

Geneſ. 12.

Geneſ. 20.

Sed cur ob idem commiſſum Pharao magnis plagis flagellatur, cum Abimelech verò res magno rationis pondere diſcutitur? *En morieris propter mulierem, habet enim virum?* In hoc negotio Pharao intentione mala ducebatur, Abimelech bona, vt teſtantur D. Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum*, & *ibi* D. Chryſoſtomus, Theodoretus, Lyranus, & alij. Cum ergo Pharao luxuria, concupiſcentia, omnique nequitia eſſet repletus cum eo omiſſa omni ratione ad verbera deuenitur: at Abimelech, cùm meliori eſſet indole imbutus, cum eo negotium examinatur iudicij libra, & tunc maximè cordis ſui ſimplicitatem declarat, atque munditiam. D. Auguſtinus citatus. *Pharao, inquit, territus monſtris, multiſque propter eam malis afflictus, vbi eius vxorem didicit, illæſam cum honore reſtituit. Abimelech autem ſomnio*

Auguſt. Chryſoſt. Theodor. Lyran.

Auguſt.

commo

*commonitus, atque edoctus, ſimiliter fecit.* Pharao, vt iniquus, neceſſe fuit, multis plagis vexari. Abimelech, vt melior, commonitione, atque doctrina profecit. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſùs Chriſtum eius*, Pſalm. 2. à num. 2. & ſtatim ſubdit Regius Vates: *Reges eos in virga ferrea*; & poſtea ait: *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, ne quando iraſcatur Dominus*, ibid. n. 12. Vbi ſermo eſt proximè cum Regibus ſanctis, & piis, non qui aſtiterunt aduerſùs Chriſtum, vt cum communi ſententia notat Lorinus. Cur igitur, dum ſermo dirigitur ad iniquos Reges, ait: *Reges eos in virga ferrea*; dum verò cum bonis, & piis Principibus loquitur: *Seruite Domino in timore, ne quando iraſcatur Dominus?* Vbi, vt notat D.Thomas, ponit admonitionem, *& aſſignat admonitionis rationem.* Cur ad illos virga ferrea; ad hos verò ratio? Illi, vt deprauati, ac ſcelerati, virga ferrea ſunt coërcendi; hi verò, vt dociles, ac pij, vi rationis, & admonitionis trahendi.

Pſalm. 2. — Lorin. — D.Thom.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Chriſtus Dominus mitiora hîc verba proferat, quàm Matthæi 21. in ſimili facto?*

68. CHRISTVS Dominus prope paſſionem eiecit vendentes de templo, & dixit eis: *Domus mea, domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*, Matth. 21. n. 13. hîc verò ait illis: *Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* multùm autem interiacet inter hæc duo, *domus negotiationis*, & *ſpelunca latronum.* nam illa prima verba in ſe multo leuiora ſunt, quàm hæc ſecunda. Sunt, qui dicant, quibus fauet Chryſoſtomus *hîc homil.* 22. quòd iſti vendentes, de quibus hîc Ioannes meminit, res vendebant ſine fraude, & dolo, ac proinde ſecundùm iuſtitiam, licèt actio ratione circunſtantiæ loci eſſet vitioſa: qui verò mercaturam exercebant in templo, cuius hiſtoriam narrat Matthæus *citato loco*, vendebant res vltra ſortem, ac cum magna circumuentione, & fallacia, ac proinde contra iuſtitiam latrocinium exercebant. Ideo Chriſtus primis venditoribus dixit: *Nolite facere domum negotiationis*; ſecundis verò, *ſpeluncam latronum.* Oppoſita tamen ſententia mihi videtur probabilior cum Toleto *annot.* 21. Non enim veriſimile eſt, in priori negotiationes omnes ſecundùm ſe iuſtas fuiſſe; in poſteriori verò omnes iniquas: ſed in vtraque eiectione, tenendum eſt, extitiſſe, qui & vno, & altero modo negotiabantur. Dominus autem vtroſque eiecit ea ex cauſa, quia negotiabantur, vbi negotiari prohibitum erat. Cur ergo in ſecundo caſu durior fuerit reprehenſio, inquirimus?

Matth. 21. — Chryſoſt. — Tolet.

69. Reſpondet primò D.Thomas. *Attende autem*, ait, *quòd Matthæus 21. dicit: Nolite facere domum meam ſpeluncam latronum; hîc verò dicit, domum negotiationis; quod Dominus ideo fecit, vt ſicut bonus medicus, primò à leuioribus incipiens, poſtea duriora proponeret. Hoc enim, quod hîc factum dicitur, primò factum fuit, vnde in ipſo principio, non latrones, ſed negotiatores eos vocat.* Exemplo ſumpto ab optimo medico, ita bonus Prælatus extrema in exordio reprehenſionis verba non adhibet, ſed à minoribus manum ponere incipit, & ſi hæc non proficiunt, ſuccreſcendo ad maiora venit; magna enim Prælati beneuolentia intendit, an poſſit duriora vitare, & ideo leuioribus totum recompenſare procurat. Et inquiunt D.Chryſoſtomus, & Hugo, quòd *Chriſtum decuit in initio ſuæ prædicationis mitiùs, & modeſtiùs arguere; vnde dicit, domum negotiationis; poſtea verò duriùs, ſpeluncam latronum.*

D.Thom. — *A leuioribus incipiendum, antequam ad maiora deueniamus.* — Chryſoſt. Hugo.

70. Secundò Hugo. *Poteſt dici*, ait, *quod in prima eiectione decuit, vt qui manſuetus fuit in verbo, eſſet durus in facto, vt ſimul eſſent miſericordia, & veritas, quia & manſuetè eis dicit: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis; tamen cum manſuetudine verbi adhibuit ſeueritatem flagelli.* Pſalm. 24. num. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Prouerb. 3. num. 3. *Miſericordia, & veritas non te deſerant. In ſecunda autem eiectione, vbi durior fuit in verbo, vocans eos quaſi latrones, decuit, vt mitior eſſet in facto: vnde ibi non fit mentio de flagello.* Ponderat citatus Cardinalis diuerſum modum, quo Dominus in vtroque facto ſe exhibuit; nam hic vſus eſt flagello, leni tamen reprehenſione dixit: *Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis*; at prope paſſionem verbera non adhibuit Dominus; duro tamen, & penetrabili verbo eos transfixit, latrones vocans: *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*; nos docens Dominus ſuo facto, quòd rigor cum benignitate ſit coniungendus. Vbi durum, aſperumque verbum abeſt, flagellum inuenitur; vbi verò flagellum interuenit, mite, ac lene reſonat verbum. Vide *lib. 3. cap. 1. num.* 100.

Idem. — Pſalm. 24. — Prouerb. 3. — *Rigor cum lenitate.*

71. Tertiò D.Thomas hîc: *Hoc enim*, inquit, *quod hîc factum dicitur, primò factum fuit, vnde in ipſo principio, non latrones, ſed negotiatores eos vocat: ſed quia ex eorum duritia adhuc à tali negotiatione non ceſſabant; ideo Dominus alia vice eos expellens, de quo agitur in Marco, durius eos increpat, vocans latrocinium, quod primò vocauerat negotiationem.* Ob criminis reincidentiam Dominus cum eis duriùs agit; nam primò leniter verbis reprehendit eos, cùm verò ſecundo loco eos in turpi facto ſuo perſiſtentes, neque admonitione emendatos vidiſſet, duriùs inuehitur in eos, latrones dicens. Aures reprehenſioni obturare, in peccatoque perſiſtere magnum nefas. Poſtquam Samuel Iſraëliticum populum à peccatis ſuis commonefecit, dixit eis: *Quòd ſi perſeueraueritis in malitia, & vos, & Rex veſter pariter peribitis*, 1. Reg. 12. num. 25. ſeu, vt eſt in Hebraico apud Caietanum: *Si malignando malignabimini*, id eſt, ſi vnum peccatum addideritis ſuper aliud, vos, & Rex veſter peribitis; quia ipſa mali perſiſtentia totius eſt cauſa ruinæ, vt ponderat D.Bernardus *ſerm. 12. in Pſalm. Qui habitat.*

D.Thom. — *Perſiſtentia in peccato, grande malum.* — 1. Reg. 12. — Caietan. — Bernard.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quæ negotiatio in Eccleſia prohibita ſit?*

72. FACTO, & verbo ſuo Chriſtus Dominus ſignificauit, negotiationem in templo vetitam



eſſe; non quia vt notauit Suarius *tom. 3. ad 3. part. diſp. 81. ſect. 8. §. ſecundò, ex hoc, & tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 4. num.* 19. Talis actus eſſet prohibitus poſitiuo legis præcepto, in lege enim veteri tale præceptum non inuenitur, nec Chriſtus Dominus illud allegauit, ſed ipſa ratione naturali in templi ſanctitate deſumpta vſus eſt Dominus; quia *ſancta ſanctè tractanda ſunt.* Tamen ex Scriptura habebatur, quòd ſancta conuenienter ad domum Dei pertinebant. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum*, Pſalm. 92. num. 5. Vnde meritò ius Canonicum multis in locis huiuſmodi negotiationem in Eccleſia prohibet, vt habet in VI. Synodo *Can. 79. & 1. quæſt. 3. cap. ex multis, & cap. decet, de immunitate Eccleſiæ in 6.* Quia, vt *ibi* dicitur, *Decet, vt cuius in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus.* Vbi autem negotiatio eſt, ibi & magnus inuenitur tumultus. Et quia, vt ait Albertus Magnus *hîc*, ipſa negotia multoties inſidiæ ſunt ad latrocinium, ac furtum. Circa hanc prohibitionem vide Anton. 3. *part. tit. 1. cap.* 16. §. 2. Caietanum in ſumma *verb. immunitas Eccleſiæ.* Suarium *citatis locis.*

Suarius. — *Negotiatio in templo prohibita.* — Pſalm. 92. — VI. Synod. — Albert. Mag. — Anton. Caietan. Suarius.

73. Hugo, *Tribus modis*, inquit, *fit domus Dei, domus negotiationis. Primò quando perſonæ Dei tractant negotia. Et hoc eſt contra illos, qui in Eccleſia Dei, vel in Religione maximè negotiationes exercent, & cauſas, & litigia tenent, & habent.* Pſalm. 70. n. 16. ſecundùm aliam litteram: *Quoniam non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* 1. Corinth. 6. num. 7. *Iam quidem omnino delictum in vobis eſt, eo quòd iudicia habeatis inter vos.* D.Bernardus ad Eugenium: Qui dicunt, quòd de celſitudine Sedis ſit iudicare, & litigantes audire, puto, quòd non monſtrabunt, vbi alicubi quiſpiam Apoſtolorum ſederit. *Secundo modo*, ait Hugo, *faciunt Domum Dei, domum negotiationis, qui res domus Dei ita expendunt, ac dant parentibus, ac ſi eas negotiando acquiſiuiſſent.* Contra quos dicit Bernardus: *Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegij crimen eſſe, dignoſcitur.* Sanè patrimonia ſunt pauperum facultates Eccleſiarum, & ſacrilega illis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri vltra victum accipiunt. Tertiò ait Hugo. *Domum Dei faciunt domum negotiationis, quando ad litteram in Eccleſiis tractant negotia ſæcularia, vbi deberent attendere ſpiritualibus.* Auguſtinus inquit. *In Oratorio nemo aliquid agat, niſi id, ad quod factum eſt.* Et ideo hanc felicitatem, quòd in Eccleſia Chriſtiana non futuræ eſſent negotiationes, vt explicat Lyranus, prædixit Zacharias c. 14. num. 21. *Et non erit mercator*, ait, *vltrà in domo Domini exercituum in die illa.*

Hugo. — Pſalm. 70. — 1. Cor. 6. — Bernard. — *Religioſus negotia ne faciat.* — Idem. — *Res Eccleſiaſticæ conſanguineis non dentur.* — *In Eccleſia ne ſit negotiatio.* — Auguſt. — Lyranus. Zachar. 14.

74. Anonymus in Catena apud Corderium. *Domus quidem negotiationis*, ait, *eſt domus Dei, veruntamen non carnalium rerum, & quæ in ventrem mittantur, ſed pretioſiſſimarum, atque pulcherrimarum, quæ animæ faciem exornant, ipſæ autem ſunt pura, ſynceraque fides.* Domus Dei tota eſt dedicata, & conſecrata ad honorem, & cultum Dei; ad orandum, ac ad miſericordiam diuinam expoſtulandam; nec enim vnius domus negotia cum alterius negotiis ſunt permiſcenda. Vendere, emere, mercaturam facere, monetam permutare, ad prophanam huius ſæculi ſpectant domum. Meritò ergo reprehenduntur, & flagello puniuntur, dum in ſancto Dei templo talia fiunt. Cùm Abrahamus peregrinaretur, venit ad conuallem illuſtrem, in quo apparuit & Deus dicens: *Semini tuo dabo terram hanc*; vbi ipſe ædificauit altare Domino. *Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit tibi tabernaculum ſuum*, Geneſ. 12. num. 8. Sed cur tranſgreditur, ſeu, vt habent Septuaginta, *receſſit à loco*, in quo ei apparuit Dominus, ac tot promiſſionibus eſt ditatus? Ex apparitione Dei, exque altari ibi erecto loci ſanctitatem cognouit. D.Chryſoſtomus ibi: *Quid eſt*, ait, *& diſceſſit inde? Quia Deo locus ille ſegregatus, & ſanctificatus erat.* Cùm locus ille Deo eſſet dedicatus, Abrahamus ibi nihil aliud obire voluit, niſi quod in Dei cultum cedebat. Ad alia verò munia præſtanda nempe ad conſulendum domui, de hiſque diſponendum, quæ ad familiam ſpectabant, alium eligit locum, nec enim Deo conſecratum conualle præter ea, quæ Dei ſunt, capere poterat.

Anonym. Corderius. — *In Eccleſia, non temporalia ſed ſpiritualia negocianda ſunt.* — Geneſ. 12. — Septuag. — Chryſoſt.

*Ioannis 2. n. 17.* **Recordati ſunt verò diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.**

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Chryſoſtom. homil. 22.* | Recordati nanque ſunt diſcipuli eius tunc, quia ſcriptum eſt. |
| *D. Auguſtinus tract. 10. in Ioan.* | Recordati ſunt diſcipuli eius, quia zelus domus Dei eiecit illos de templo Domini. |
| *Symmachus in Pſalm. 68.* | Zelus domus tuæ conſumpſit me. |
| *Syriacus.* | Deuorauit me. |
| *Pagninus, Vatablus.* | Exedit me. |

## *EXPOSITIO.*

75. IN hoc mirabili facto ſtatim Apoſtolis venit in mentem Dauidicum carmen: at Iudæi ſigna quærunt, vt habetur verſu ſequenti, quomodo Chriſtus huiuſmodi eiectionem faceret. Vnde eleganter ait Chryſoſtomus homil. 22. *Zelus ille pro domus Dei honore maximum fuit virtutis ſignum, quod boni aduerterunt; recordati nanque ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt*, &c. *Illi autem Prophetæ non meminerunt, ſed ſignum quærebant; dolebant turpe lucrum auferri.* Iuſti, ac probi, vtpote erant Apoſtoli, in caſu, ac occaſione coniiciunt oculos tantummodo ad legem, ac præcepta Dei, vt eis obtemperent, ac conformentur: iniqui autem, quales erant Iudæi, ad nihil aliud reſpiciunt, niſi ad lucrum, damnumve ſuum; ideoque dolentes, ac gementes quærunt, quomodo acciderit: *Non Prophetæ meminerunt, ſed dolebant turpe lucrum auferri.* Et ait textus: *Quia ſcriptum eſt*, Pſal. 68. num. 10. *Zelus domus tuæ comedit me.* Id eſt, vehemens amor, ac ſummum ſtudium reuerentiæ domus Dei exedit me, ac veluti ardentiſſima facula inflammauit me, mei oblitum, vt omni contem

Idem. — *In caſibus iuſti conſiderant legem Dei; mali damnum, lucrumve.* — Pſalm. 68. — *Quid ſit, comedit zelus.*

contempto periculo, nullus reſideat vitæ amor, mortis horror, honorum, commodorumque cupiditas ſed tantùm cultus, & reuerentia domus Dei vndique me teneat. Et ita oſtendit Chriſtus, quomodo ea quæ ſui ſunt muneris, adimpleat, cùm ipſe in mundum venerit, vt Patrem ſuum glorificet, *Ioan.* 14. *num.* 13.

---

## Qvæstio XV.

### *Quando, & quomodo recordati ſint diſcipuli de Dauidico carmine?*

76. *Quando recordati ſunt diſcipuli.* Rupert. Albert. Mag. Titelman. Caiet.

DVPLEX in hoc textu venit difficultas. Et primò, ait enim: *Recordati ſunt diſcipuli, quia ſcriptum eſt*, &c. Quæritur ergo: quando recordati ſunt diſcipuli, num quando hæc fiebant, an poſt Reſurrectionem? Rupertus *lib.* 3. *in Ioan.* Albertus Magnus, Titelmanus, Caietanus, in ea ſunt ſententia, vt dicant, quòd quando hæc agebantur, verſiculus eis in mentem non venerit, ſed tantùm poſt Reſurrectionem, quando Chriſtus illis ad intelligendas Scripturas intellectum aperuit. Tamen probabilior eſt ſententia, quòd quando Chriſtus vendentes propulſabat à templo, Dauidis Pſalmus Apoſtolis in mentem venerit. Ita docent D. Chryſoſtomus *homil.* 22. D. Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 30. Theophylactus, Barradas *hîc*, & Lorinus *Pſalm.* 68. *num.* 10. Et probatur, quia Ioannes ſimpliciter ait, quòd recordati ſunt diſcipuli, & non addit quòd poſt Reſurrectionem recordati ſunt, ſicut de ſequentibus explicat, dum refert verba Chriſti, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; & ait Euangeliſta: *ille dicebat de templo corporis ſui*; & ſtatim ſubiungit: *Cùm ergo reſurrexit à mortuis, recordati ſunt diſcipuli, quia hoc dicebat de templo corporis ſui.* Nec diſcipuli ita rudes erant, vt Dauidis carmina omnino ignorarent, cùm ſæpe haberentur per omnium manus, & ora, ac in templo canerentur; & multoties recordamur de his, quæ ab aliis inculcantur, ac dicuntur: nam frequenter de Scriptura, & Pſalmis in templo lectiones fiebant.

*(Margin: Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Barradas. Lorinus.)*

77. *Recordati ſunt tanquã de Chriſto pronunciati.*

Secunda difficultas eſt: An recordati ſint de hoc Dauidico carmine, tanquam pronuntiato de Chriſto; an tanquam dicto de alio, ita vt ſit ſenſus: venit illis in mentem Dauidis zelus, de quo dictum eſt: *Zelus domus tuæ comedit me*; vt ſæpe quæ ſunt dicta de alicuius facinore, alteri ſimili aptamus? Tamen veriſimilius mihi cum Toleto, Lorino citato, quod meminerunt verſiculi, tanquam de Chriſto dicti; hoc enim videtur innuere ille loquendi modus: *Recordati ſunt, quia ſcriptum eſt.* Deinde diſcipuli pro tunc optimè agnoſcebant, quòd Chriſtus in Scriptura continebatur, & quòd Prophetæ, & Pſalmi de ipſo agebant; & ita dixit Philippus Nathanaëli: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ inuenimus Ieſum*, Ioan. 1. num. 45.

*(Margin: Tolet. Lorinus. — Ioan. 1.)*

---

## Qvæstio XVI.

### *Quomodo dicatur de Chriſto D.* Zelus domus tuæ comedit me?

78.

ZELVS, ſeu æmulatio, ſæpe enim vnum ſumitur pro alio, eſt vehemens alicuius ſtudium, ac deſiderium. Cuius ſignificationes, & acceptiones variæ videri poſſunt apud Robertum Holcot *lib. in Sapient. lect.* 7. Theſaurum Scripturæ Ioan. Ferdinandi *cap.* 51. Syluam allegoriarum Hieronymi Laureti. Breuiter tamen vt dicam, ſumitur in bonam, & malam partem: nam aliquando *zelus* idem eſt, ac inuidia. D. Cyprianus *lib. de liuore, & inuidia. Actor.* 5. *num.* 18. de conuentu Iudæorum dicitur: *Repleti ſunt zelo*, legit Syriacus *inuidia*. In eodem ſenſu accipitur. *Actorum* 13. *num.* 45. & 1. *Corinth.* 3. *num.* 8. & *epiſt. Iacobi cap.* 3. *num.* 14. & 16. Videndus ad citata loca Lorinus *in Actis*. & Laurentius Iuſtinianus *in epiſtolas*. Nam actus ille, quo quis mouetur in bonum, & excellentiam alicuius, quia dolet de ea, eamque vult impedire, eſt zelus inuidiæ.

*(Margin: Robert. Theſaurus Scripturæ. Sylua allegoriarum. Zelus idem, ac inuidia. Cyprian. Actor. 5. Syriacus. Actor. 13. 1 Cor. 3. Iacobi 3. Lorinus. Laurentius. Iuſtinian.)*

79. *Zelus affectus amoris.*

Zelus autem ſæpiſſimè accipitur, prout eſt quidam amoris affectus ab ipſo amore ortus, ſicut riuulus à fonte, & ſicut ardor ab igne, vt explicant Ariſtoteles 2. *Ethicor. cap.* 8. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 28. *art.* 4. Poteſt tamen zelus oriri ab amore concupiſcentiæ, & eſt ſtudium illud, quo quis eſt ſolicitus de vita, vtilitate, familiáque ſua. Perfectiſſimus autem zelus dimanat ab amicitiæ amore, quo quis quærit bonum ipſius amici, quia bonum eſt amico. Huiuſmodi autem zelus erat in ſanctis viris, per reſpectum ad honorem Dei. Et definiri poteſt: Eſt vehemens quoddam ſtudium velut ignis vrens, omni contempto periculo, damno, & commodo, procurandi, quæ ſunt honoris Dei, & propulſandi, quæ ei aduerſantur. Hunc autem zelum explicat Alcuinus: *Eſt quidam feruor animi, quo mens relicto humano timore, pro defenſione veritatis accenditur, & hoc zelo Dei honorem zelare debemus.* Talis fuit zelus Phinees *Numer.* 25. *num.* 17. Parentis Eliæ, *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*, 3. Regum 19. Matthiæ, 1. *Machab.* 2. *num.* 26.

*(Margin: Ariſtot. D. Thom. — Quid ſit Zelus. — Alcuin. — Numer. 25. 3. Reg. 19. 1. Mich. 2.)*

80.

Hic zelus perfectiſſimo, & excellentiſſimo quodam modo ſuper omnes puras creaturas Chriſtum Dominum repleuit, quo accenſus, omnia pericula paruipendens vendentes profligauit à templo: ſicut enim Deus dicitur zelotes *Exod.* 20. *num.* 5. vt explicat D. Dionyſius *de diuinis nominibus, cap.* 4. vt valde vehemens ad ea, quæ ſui ſunt honoris, & gloriæ; ita Chriſtus Dominus factus eſt zelotes honoris domus Dei. *Fortis eſt, vt mors, dilectio, dura, ſicut infernus, æmulatio*, Cantic. 8. num. 6. Quæ verba explicat Ghiſlerius *ibidem, expoſitione* 2. de amore Chriſti erga Eccleſiam, quia, vt ait Auguſt. *epiſt.* 39. Sicut nemo vincit mortem, ita nihil valuit Chriſti charitatem ſuperare. *Multæ aquæ non potuerunt extinguere charitatem.* Dura, ſicut infernus, æmulatio: poſt amorem zelum profert, oritur enim ab amore zelus. Et ſicut infernus nullis pœnis, nullis tormentis, ac horroribus fatigatur, ac miteſcit, ſed ſemper valde obfirmatus conſiſtit, vt Caſſiodorus, & Beda *ibi* inculcant; ita æmulatio, ac excellens zelus honoris Dei, nullo timore, nec aliquo vitæ, vel mortis periculo frangitur, ac emolleſcit, ſed ſemper valde firmus perſiſtit. Vel, vt ait D. Anſelmus; ſicut enim infernus inſatiabilis eſt in recipiendo, & in damno inferendo, ita zelus nunquam ſatiatur, vt pro honore dilecti patiatur. Et ideo Chriſti zelus omnia deuorabat, vt illæſa templi reuerentia ſeruaretur.

*(Margin: Exod. 20. Dionyſius. — Cant. 8. — Ghiſler. Auguſt. — Amor, ac zelus perfectus pœnis non minuitur. — Caſſiod. Beda. — Anſelm.)*



81. Auguſt.

Diuus Auguſtinus tractat. 10. in Ioannem: *Fratres, ait, vnuſquiſque Chriſtianus in membris Chriſti Zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quæ fortè ibi videt peruerſa, ſatagit emendare, cupit corrigere, non quieſcit. Si emendare non poteſt, tolerat, gemit.* Exemplo nos hortatur ſanctus Doctor, vt tanquam Chriſti membra domus Dei zelum habeamus. Aliter verò Vitalis Zmolius *homil.* 45. in Marcum, explicat hunc zelum, & ait, quòd zelus domus Dei comedit Chriſtum, id eſt, effecit vt ſe ipſum comedendum exhiberet in Euchariſtia; nihil enim aliud domum Dei magis nobilitare, & extollere potuit, quàm quod in venerabili Sacramento Eccleſiæ ad comedendum ſe Chriſtus daret, quo maximè ditantur omnes fideles dignè accedentes ad tantam menſam. At qui indignè ſumunt, in ſeipſos conuertunt furorem, ac zelum, quo indutus eſt Dominus, quando templi violatores flagellauit. Hæc ſunt valde moralia. Et de his multa *lib.* 6. cùm de ſacra Euchariſtia fuerit ſermo.

*(Margin: Zelus emendare cupit; ſi non poteſt, gemit. — Vital. Zmol. — Euchariſtia extollitur. Eccleſia.)*

82.

Tandem expendo verba textus: *Zelus domus tuæ comedit me.* Non dicitur: Ego comedi zelum; nam cùm quis aliquo veſcitur, illud in ſe conuertit. verbi gratia, dum panis manducatur, in comedentis ſubſtantiam tranſit. *Zelus comedit me.* hoc eſt, zelus totum me ipſum tranſmutauit in ſe. Optimum documentum, cùm zelus domus Dei eſſet proprium muneris Chriſti Domini. Obligatio officij tui in ſe ipſam te conuertat; vt tu ei conformeris, totuſque ad ea, quæ tui ſunt muneris, factus ſis: non verò tu comedas officium, quaſi velis, quòd ipſa officij obligatio proportionetur tibi, ac condeſcendat. Doctor Gentium 1. Corinth. 9. num. 19. *Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucri facerem, & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus*, &c. & concludit: *Omnibus factus ſum omnia, vt omnes ſaluos facerem.* Magnus Doctor Gentium, non ſibi accommodauit omnes, ſed ſe ipſum omnibus proportionauit, vt omnium infirmitati condeſcendens officium ſibi datum adimpleret. Sic Diuus Ambroſius ibi fatur: *Seruum autem ſic ſe omnium factum dicit, dum ſe per humilitatem ſimilem omnium mente imbecillium exhibuit, vt eos per patientiam firmaret ad ſalutem futuram, confouens animos illorum.* Non enim officium datur, vt tibi indulgeas, ſed vt communi populo ſeruias; non vt tibi conſulas, ſed vt eis attendas. Eleganter Diuus Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium: *Præes, ait, & ſingulariter, ad quid? Eget, tibi dico, conſideratione: nunquid, vt de ſubditis creſcas? nequaquam, ſed vt ipſi de te. Principem te conſtituerunt, ſed ſibi, non tibi: alioqui quo pacto te reputas ſuperiorem his, à quibus beneficium mendicas. Audi Dominum*, Luc. 22. num. 25. *Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.* Vide *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 103. & 104. & *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 45. & 56. & *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 55. & 56.

*(Margin: Homo officioſus accõmodetur. — Obligatio officij tibi proportionanda non eſt. — 1. Cor. 9. — Ambroſ. — Bernard. — Luc. 22.)*



*Ioannis* 2. *num.* 18. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Vatablus ex Hebræo in ſcholiis.* | Obiecerunt ergo Iudæi, & dixerunt, &c. |
| *Ianſenius ex Græco.* | Inceperunt Iudæi dicere. &c. |
| *Salmeiron ex Græco.* | Quod argumentum oſtendis. |
| *Vatablus.* | Quandoquidem iſta agas? |

## *EXPOSITIO.*

83.

IVDÆI inuidia tabeſcentes, quod Chriſtus Dominus tantum domus Dei oſtenderet zelum, maximéque dolentes, quòd ſuis emolumentis priuarentur. *Reſponderunt ergo*; verbum *reſpondere* hîc, vt notant communiter expoſitores, Ianſenius, Toletus, id eſt, locuti ſunt, ſæpe enim habet hanc vim, & Iudæi interrogati non erant. Vel dic, quòd cùm ſæpe factis, & verbis loquatur homo, Iudæi reſponderunt ad Chriſti factum, quo mercatores eiecerat à templo. Et reſponderunt verbis, quæ columbarum venditoribus dixerat Chriſtus Dominus: *Auferte iſta hinc*; præſumptuoſus enim aliquando ſe intromittit, vt pro aliis ſtet, & loquatur; particula enim *ergo*, illationem ex antecedentibus indicat. *Et dixerunt ei.* Iudæi propriam non conſiderant culpam, quòd in templo vendebant, ſed totam ſuam dirigunt mentem, vt in Chriſto Domino calumniandi rationem inueniant. *Quod ſignum oſtendis nobis*; ſignum petere, Iudæis valde familiare erat. 1. Corinth. 1. num. 22. *Iudæi ſigna quærunt.* Et in eorum perſona ait Dauid Pſalm. 73. num. 9. *Signa noſtra non vidimus.* Et quia in huiuſmodi eiectione, vt bene notat D. Thomas, reſplenduerunt in Chriſto rectitudo, & zelus, quæ ad virtutem pertinent, & poteſtas, ſeu authoritas huiuſmodi eiectionem faciendi: de Chriſti virtute, & zelo, quibus prædicta fecerat, ſignum non quærunt, cùm vnicuique ſecundùm virtutem operari liceat; ſed tantùm de auctoritate, qua eos à templo expulerat, ſcrutantur. nam cùm ipſum opus calumniare nequirent, de auctoritate faciendi intendunt detrahere. Egregiè Diuus Chryſoſtomus homil. 22. aduersùs eos exclamat: *O ſummam dementiam! quónam ſigno opus erat, cùm malefacta corriperet, & Dei domum tanta purgaret ignominia.* Iudæi valde inſipidè de auctoritate interrogant; nam non ſolùm Chriſtus Dominus, cùm eſſet filius Dei naturalis, verùm etiam quilibet homo purus, cùm ſit filius Dei adoptiuus, eiuſque creatura, ius habet, vt pro Dei rebus loquatur, in publicum exeat, atque honorem eius tueatur. *Quia hæc facis?* Quærebant ſignum, quare eos eiiciebat

*(Margin: Ianſen. Tolet. — Præſumptuoſus loquitur pro aliis. — Peccator, non in ſe, ſed in aliis videt defectus. — 1. Cor. 1. — Pſalm. 73. D. Thom. — Chryſoſt. — Virtus magnam habet auctoritatẽ.)*

Matth.21. Cyrill.

à templo; ſicut etiam *Matth.21.n.23.* dixerunt: *In qua poteſtate hæc facis?* Et ob hanc particulam probabilior mihi videtur expoſitio à nobis data, quàm ſententia D.Cyrilli *lib.2.c.31.* dum exiſtimat, quòd Iudæi ſignum petebant ob id, quod Chriſtus Dominus dixerat, *domum Patris mei*; ac ſi dicerent: Oſtende nobis ſignum, quòd ſis filius Dei. Sed Iudæi non dicunt: Oſtende nobis ſignum, quòd hæc dicis; ſed *quia hæc facis*; ſcilicet quòd eiicis nos à templo, quod ipſi maximè dolebant.

| | |
|---|---|
| *Ioannis 2. n. 19.* | Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus, Pagninus.* | Deſtruite templum hoc, & tribus diebus ego erigam illud. |
| *Tertul. lib. de pudicitia, c. 16. & lib. de carnis reſurrect. c. 18.* | Euertite templum hoc, & ego illud in triduo reſuſcitabo. |
| *D. Eucher. in cap. 49. Gen.* | Poſt triduum ſuſcitabo illud. |

## *EXPOSITIO.*

*Mors dicitur ſolutio.* Philip.1. Theophyl. Euthym. Carthuſ. Albert.Mag. S.Thom. Ioan.13. Vatabl. Iſai.6. *Chriſti mors dicitur ſolutio.*

84. DOMINVS, vt omnis calumniandi amputetur occaſio, petentibus ſignum dat, ſed valde ænigmaticum, ac parabolicum; nam auditores nudæ veritatis capaces non erant. Et ait Dominus: *Soluite templum hoc.* Rectè verbo ſoluendi vſus; de ſe enim ſub templi metaphora Dominus loquitur, vt ipſe Euangeliſta explicat: *Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui.* Et rectè mors dicitur ſolutio: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, ad Philip.1.n.23. nam ſicut, dum domus deſtruitur, lapides, ac pauimenta ſoluuntur, ſeu ſeparantur; ita etiam dum mors interuenit, anima à corpore deſunitur. Et ait, *Soluite*; quod non eſt imperantis, ac exhortantis, vt notat Theophylactus, Euthymius, Carthuſianus, Albertus Magnus, D.Thomas, ſed pronunciantis, quod facturi erant, ac permittentis, vt ſit ſenſus: facite de corpore meo, quod vultis, ac machinamini, illud vobis expono: ſicut dixit Iudæ Ioan. 13.n.27. *Quod facis, fac citiùs*; non adhortando, ſed eius arbitrio relinquẽdo. Eſt enim phraſis Hebraïca, vt notat Vatablus *in ſcholiis*, ſæpe enim imperatiuum pro futuro ponitur. Iſai.6.n.10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos claude.* quæ verba, vt *ibi* ponderant D. Hieronymus, Lyranus, Carthuſianus, & alij, à Domino per Prophetam dicta ſunt per modum pronunciantis, quod futurum erat, ſcilicet, excæcabis, aggrauabis, & claudes. Et meliùs noſtra vulgata habet, *ſoluite*, quàm id, quod alij legunt, *deſtruite, euertite*; quia licèt in aliis mors ſit deſtructio, quia corpus in cineres redigitur; in Chriſto tamen ſolùm fuit ſolutio; in triduo enim ſolùm anima ſeparata eſt à corpore, quod in puluerizationem non abiit. Pſalm.15.num.10. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Pſalm.15. Auguſt. Bonauent. Pſalm.3. D.Thom. Ioan.5. Ambroſ.

85. *Tribus diebus.* Synecdocha locutio eſt, vt aduertit Auguſt. in qua ponitur pars pro toto. *Excitabo illud*, quaſi de ſomno, vt notat D. Bonauentura quod dicitur ob breuitatem temporis mortis ante reſurrectionem. Pſalm.3.num.6. *Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi.* Et non dixit, excitabitur, ſeu, Pater excitabit illud; ſed ait: *Ego excitabo*, vt oſtendat, ſe propria virtute à mortuis reſurgere. Nam quanuis communiter dicatur, quòd Pater reſuſcitauit Ieſum, *Actor. 2. num. 24. & 3. num. 15. & ad Rom. 4. n. 24. & 2. Corinth. 4. num.* 14. attamen Chriſtus hîc ait, quòd ſe ſuſcitabit, & in hoc nulla eſt contrarietas, vt bene notat *hîc* D. Thomas; quia eadem eſt Patris, & Filij virtus. Et ita dicitur Ioan.5. num.21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult, viuificat.* Quod dubium explicans Diuus Ambroſius *in cap.1. ſuper Epiſt. ad Galatas*, ait: *Ipſe excitans ſe à mortuis, corpus ſuum, ſignificat, ſe à mortuis excitaſſe; & nihilominus tamen à Patre ſuo dicitur excitatus, propterea quòd omnis virtus Filij de Patre eſt, vt geſta Filij facta ſint Patris.* Pater cum diuina natura omnia ſua Filio attributa communicat; proinde quæ Patri conueniunt ad extra, etiam Filio, & Spiritui ſancto conueniunt. Cur autem Chriſtus Dominus dixerit, *tribus diebus*, dicam infrà.

---

## QVÆSTIO XVII.

### *Quid hîc intelligatur nomine templi?*

1. Cor.3. & 6. 2.Cor.6. *Templum ſignificat Eccleſiam* Pſ.10 & 17. Ierem.30. Ezech.23. Pſalm.64. Ionæ 2. *Templum ſignificat Chriſtum Dominum.* Hilar. Cyrill. Anſbert. Theophyl.

86. CERTVM eſt, quòd Chriſtus Dominus hîc de materiali illo non loquebatur templo, à quo vendentes eiecerat; ſed de tẽplo, quod in triduo reſuſcitatum, ac reædificatum eſt. *Templum Dei*, ſpiritualiter ſignificat iuſtos, Eccleſiam, ac Chriſtum Dominũ, in his enim habitat Deus. Primò *templum* Sanctos ſignificat. 1.Cor.3.num.16. *Templum Dei ſanctum, quod eſtis* 1.Corint.6.num.19. *Mombra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti.* 2. Corinth.6. num.16. *Vos eſtis templum Dei.* Denotat etiam Eccleſiam. Pſal. 10. n.5. *Dominus in templo ſancto ſuo.* Pſalm.17.n.7. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.* Ierem. 30.num.18. *Et templum iuxta ordinem ſuum fundabitur.* Ezech.23.num.4. *Et maieſtas Domini ingreſſa eſt templum.* Significat etiam templum Chriſtum Dominum. Pſalm.64.num.6. *Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate.* Ionæ 2.n.5. *Rurſus videbo templum ſanctum tuum* Valde tamen diuerſimodè habitat Deus in Sanctis, ac in Chriſto, vt notant D.Hilarius *lib.8. de Trinitate.* Diuus Cyrillus *lib. de recta fide ad Reginam.* Anſbertus *in c.11. Apocal.* Theophylactus *hîc.* nam in Sanctis habitat Deus ſpiritualiter per gratiam; at in Chriſto Domino ſubſtantialiter, realiter, & verè. Et ſic Deus eſt verè, & realiter in Eccleſia in ſacramento Euchariſtiæ, hoc eſt mediante corpore Chriſti, cum quo facit vnum compoſitum ineffabile. Vnde concludit Anſbertus, quòd corpus Chriſti ſingulariter, ac principaliter templum Dei vocatur.





Dion.Alex. Zachar.13. Pſalm.146. *Valde mirũ, quòd homines diuiſi vniantur.*

87. De quo templo, ſeu de quo ſignificato loquatur Chriſtus Dominus, dubitari poteſt. Diuus Dionyſius Alexandrinus *in epiſt. contra Paulum Samoſaten. quæſt.* 3. habetur *in tom. 3. Bibliothec.* exiſtimat per templum hîc à Chriſto intelligi ſanctos Apoſtolos, qui lapides ſancti, ait Diuus Dyonyſius, tempore paſſionis à fundamento fuerunt reuoluti, diſperſi ſunt alius ab alio. *Percute paſtorem, & diſpergentur oues*, Zachar.13. num.7. *Sed à mortuis tertia die ſuſcitatus Deus Iſraël Dominus noſter diſperſos ædificauit in ſe templum ſanctum, lapides pretioſos. Templum enim Dei, quod Iudæi diſſoluerunt, Apoſtoli ſunt; ſcriptum eſt enim: Et habitabo in eis, & inambulabo, & ero eorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Et addit ſanctus Pater, quòd quando ſurrexit Dominus à mortuis, recordati ſunt Apoſtoli, & crediderunt Scripturæ, & verbo eius. Scriptura continet: *Ædificans Ieruſalem Dominus diſperſiones Iſraëlis congregabit*, Pſalm.146.num.2. Tanquam datum eſſet pro ſigno mirabili, quòd homines diſperſi, ita facilè vnirentur.

D.Thom. Origen.

88. Origenes verò hîc, & refertur à Diuo Thoma in ſuo commentario, ait, quòd templum Dei hoc loco myſticè figurat Eccleſiam, & ſicut in corpore Chriſti, ait Diuus Thomas, *habitat Diuinitas per gratiam vnionis, ita & in Eccleſia per gratiam adoptionis. Et quanuis corpus illud myſticum diſſolui videatur aduerſitatibus tribulationum, quibus affligitur; tamen ſuſcitatur in tribus diebus, ſcilicet in die legis naturæ, & in die legis ſcriptæ, & in die legis gratiæ, quia in his diebus, quantum ad alios corpus diſſoluitur, quantum ad aliquos tamen viuit.* Hæ ſententiæ ſunt valde myſticæ, & in ſenſu morali loquuntur citati Patres,

Auguſt. Chryſoſt. Cyrillus. Iſidor.Peluſ. Leo. Fulgent. Albert.Mag. D.Thom. Bonauent. Rupert.

89. Germana, & vera explicatio eſt, quòd Chriſtus Dominus loquatur de ſuo corpore vero, & reali. Ita Diuus Auguſtinus, Diuus Chryſoſtomus, Diuus Cyrillus *hîc*, Diuus Iſidorus Peluſiota *lib.2. epiſt.* 212. D.Leo *epiſt. decretali.* 93. *cap.* 17. D.Fulgentius *lib.3. ad Thraſymundum, cap.* 33. Albertus Magnus, D.Thomas, D.Bonauentura, Rupertus, & alij communiſſimè. Et apertè Euangeliſta ait, quòd *ipſe dicebat de templo corporis ſui*, quod intelligitur, non de corpore myſtico, ſed de ſuo corpore vero, & naturali. Et Chriſtus Dominus dedit eis in ſignum ſuam reſurrectionem, quæ eſt magnum, eximiumque miraculum, vt ſtatim dicam.

---

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc corpus ſuum appellat templum?*

Matth.12.

90. PETENTIBVS ſignum Iudæis Dominus dicere poterat, vt reſpondit Matthæi 12. num. 39. *Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*; & tamen pro verificanda authoritate eiiciendi eos à templo non dicitur dari ſignum Ionæ Prophetæ; ſed templum deſtruendum, & reædificandum in triduo; cùm tamen in vtroque loco ſermo ſit de corpore Chriſti, ac idem ſit Ionæ ſignum cum hoc de reædificando templo ſoluto. Quare ergo hic vſus eſt nomine templi?



*Vera explicatio.* Matth.17. Matth.11.

91. Germana, & vera ſolutio eſt. Controuerſia eſt de templo materiali, à quo Dominus vendentes eiecerat, & interrogabatur à Iudæis, vt daret ſignum ſuæ authoritatis circa huiuſmodi expulſionem. Sermonis occaſionem Dominus ſua infinita ſapientia accepit ab ipſo templo, in quo verſabatur, & de quo erat quæſtio. Tanquam ſi dicat, quæritis ſignum, cur vos eiicio à templo, ac cur reuerentiam loci intendo reſtaurare; dabo vobis ſignum in hoc meo corpore, cuius hoc templum eſt figura, in alia reſtauratione, ac reædificatione valde mirabili, dum hoc meum corpus in triduo reſuſcitabo. In quo oſtendit potentiam ſuam diuinam, ac ſe eſſe Deum, cuius eſt propria authoritate reſuſcitare; ac maximè ad ipſum pertinere, reuerentiam, ac ſanctitatem ſui templi illæſam conſeruare, omnemque ab eo eiicere immunditiam. Ideo occaſione ſermonis ſe templum appellat; ſicut eadem occaſione, quia Scribæ dicebant, quòd Eliam oportet primùm venire, *Matth.17. num.* 10. dixit de Ioanne: *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias*, Matth.11.num.14. Ob incidentem quæſtionem Ioannem appellat Eliam in officio.

Ambroſ. *Templa Dei maximè veneranda.*

92. Secundò Diuus Ambroſius *in Pſalm.* 47. ad illa verba: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam*; ſic ait: *Verè templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit eſſe contagium, ſed ipſa pro delicto mundi fuit ſacrificium. Verè templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat.* Corpus ſuum appellat templum, cuius figuram materiale illud templum gerebat, vt inde conuincatur, quanta ei ſanctitas debeatur, quantoque iure ab eo vendentes ſint excluſi: in illo nanque ſanctiſſimo corpore coinquinatum nihil eſſe poterat, cùm omnis in eo ſanctitas, & puritas eſſet, ab eoque noſtrorum peccatorum purificatio dimanaret, atque in eo imago Dei ſubſtantialiter inhabitaret: ita etiam templo illo, corporis Chriſti figuræ, puritas omnis, ac munditia debebatur, cùm illud in peccatorum eſſet expiationem, ac in eo peculiariter Deus aſſiſteret. Ex quo conuincitur, quanta Eccleſiis reuerentia debeatur, cùm corporis Chriſti figuram gerant.

Beda. *Qui deſtructionem machinatur, abigendus.*

93. Tertiò Beda hîc diſſerens, quare Chriſtus ſe templum appellet: *Meritò*, ait, *de templo illo typico eiecti fuerant, qui ipſum verum Dei templum, in quo nulla prorſus peccati macula eſſe poterat, ſoluere per mortem quærebant.* Vt innoteſceret, quanto rationis pondere ab illo propulſarentur templo, meritò Dominus ſe templum dicit; nil enim conuenientius eſſe poteſt, quàm quòd à domo, ac familia expellatur, qui domus, ac familiæ ſolutionem intendit, ac deſtructionem quærit. Et ob huius rei ſuſpicionem ex conſilio Philiſtinorum Rex Achis Dauidem à ſe dimiſit, quanuis aliàs ei bonus, ac ſicut Angelus Dei videretur, 1.Reg.29. à num.6.

94. Quartò. Appellat ſe Chriſtus templum, vt ita manifeſtaret, quanto dolore afficeretur ſuper irreuerentias, quæ ibi fiebant: nam in corpore Chriſti duplex ratio poteſt conſiderari; vna provt erat corpus naturale Chriſti; altera provt erat templum Dei, quam rationem ſacer locus exprimebat. Appellat ergo ſeipſum templum, vt denotet, quòd plus anxiatur ſuper iniurias, quæ ibi fiunt, provt ſunt contra ſeipſum, vt templum

*Quæ ad Dei honorem pertinent, nobis chariora, quã propria.*
Actor.20.

Dei, quàm provt ſunt contra ſe ipſum, vt talis homo, & vt tale habens corpus: quæ enim ad Deum ſpectant, chariora nobis eſſe debent, quàm ea, quæ ad propriam vitam, commodum, ac vtilitatem pertinent. Ait enim D. Paulus diſcipulis ſuis: *Quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil eorum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me,* Actor. 20. num. 23. & 24. Seu, vt legit vltima verba Lorinus *ibi* ex Syriaco. *Nec æſtimo animam meam pretioſam mihi.* Per animam ibi iuxta communem ſententiam intelligitur vita animalis, ſeu ipſa vita ſecundùm partem inferiorem, provt carnalibus miniſteriis inſeruit; nomine ſui ipſius intelligit partem ſuperiorem, provt Dei imago ac templum eſt. Optimè ergo ait Apoſtolus: *Nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me*; id eſt, non pluris æſtimo vitam temporalem, quàm me ipſum, vt vni Deo reſpicientem; ſed multo charior ſum mihi, provt Deo adhæreo, eiuſque templum ſum, quàm provt viuo, ac vitam temporalem dego. Diuus Bernardus *ſerm.* 30. *in Cant.* ita ait: *Non inquit Paulus, facio animam meam pretioſiorem, quàm me? Ergo differentiam facis inter te, & animam tuam. Prudenter quidem tu tibi pluris es, quàm quiduis tuum. Sed quomodo non tua anima tu? Arbitror, quod quia Paulus iam tunc in ſpiritu ambularet, & mente conſentiret legi Dei, quoniam bona eſt, idcirco hanc ipſam mentem ſuam, tanquam principale, ac ſupremum quiddam ſui, dignum duxerit ſuimet potius, quàm ſuæ cuiuſpiam rei nomine deſignari: reliquum verò, quod conſtat, naturæ eſſe inferioris, & inferioris, proindeque vilioris eſſentiæ, quod eſt corpus, inhærere indignum iudicans.* Idem habet Diuus Baſilius homilia, *Attende.*

Lorin. — Bernard. — Baſil.

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare Chriſtus Dominus pro ſigno dederit potius reſurrectionem ſuam, quàm quodcunque aliud miraculum, ac opus vitæ ſuæ.*

95. PRo authoritatis, ac poteſtatis ſuæ ſigno ſuam Dominus reſurrectionem dedit. In quo conueniunt omnes Patres, & Authores, & manifeſtè patet ex textu; dixerunt enim Iudæi: Quod ſignum oſtẽdis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Dominus, & ait: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo, ſeu reſuſcitabo illud. Quæſtio præſens eſt: Cur potius pro ſigno dat Dominus ſuam reſurrectionem, quàm aliud miraculum, v. g. reſurrectionem Lazari, ſanitatem Paralytici, vel reſtitutionem viſus cæci nati? Vel poterat Dominus dare pro ſigno aliquam aliam vitæ ſuæ actionem, verbi gratia, ſuam prædicationem, vel Aſcenſionem, vel miracula in paſſione facta.

96. Chryſoſt.
Reſpondet primò D. Chryſoſtomus in Catena D. Thomæ. *Propter quid autem,* ait, *ſignum reſurrectionis dat eis? Quoniam ſcilicet hoc maximè erat, quod oſtendebat, eum non eſſe hominem purum, & poſſe aduerſus mortem ſtatuere triumphum, & tyrãnidem eius longam velociter diſſoluere.* Quia ſua reſurrectio erat quid inſigne, & mirabile, ideo pro ſui ſigno eam dat Dominus. Et ita ait D. Paulus ad Rom. 1. num. 4. *Qui prædeſtinatus eſt*; ſeu, vt legit Chryſoſtomus homil. 22. in Ioan. *Qui declaratus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* Ipſa reſurrectio declarauit Chriſtum filium Dei. Vnde meritò ait Diuus Auguſtinus *lib.* 1. *de doctina Chriſtiana, cap.* 15. fidem Chriſtianam maximè fulciri per reſurrectionem: nam ſponte mortuus conuincitur, qui tam citò reſurrexit. Et maximè oſtendit, quàm voluntariè pro nobis animam poſuerit, qui ſic eam habuit in poteſtate reſumere.

*Reſurrectio Chriſti valde mirabilis.*
Rom.1. — Chryſoſt. — Auguſt.

Secundò Rupertus lib. 3. in Ioan. *Hoc ergo ſignum reſpondere debuit, quod ſufficeret ad argumentum ſuæ diuinæ maieſtatis. Vnde enim magis veritas diuinitatis eius claruit? Vnde magis iuſtitia damnationis, vel diſperſionis illorum conſtitit, niſi ex eo, quòd crucifixus ab illis reſurrexit à mortuis? Moyſes nanque, & cæteri ſancti omnes mortui ſunt, & nemo illorum reſurrexit; hic autem crucifixus quidem eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit nunc ex virtute Dei.* Reſurrectionem dat Dominus pro ſigno ſuæ diuinitatis, quia in illa maximè manifeſtauit ſuam potentiam, dum reſurrexit à mortuis, quod Moyſes, ac cæteri ſancti non fecere; & ſimul oſtentauit ſuam iuſtitiam: *Vnde enim magis iuſtitia damnationis?* dum confregit portas mortis, expoliauit infernum, alligauit diabolum, diſſipauit contumaces, *& exprobrauit incredulitatem eorum, qui viderant, eum reſurrexiſſe,* Marc. 16. n. 14. Et nulla maior eſſe poteſt diuinitatis nota, quàm ſimul cum potentia, ac poteſtate magna iuſtitiæ metas ſeruare, eaſque non tranſilire. Deum Ioannes cum maieſtate magna deſcribit, & ait, quòd in capite eius erant diademata, & quòd exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum, & ait de ipſo, quòd *cum iuſtitia iudicat, & pugnat,* Apocal. 19. n. 11. Quid magnum de Deo dicis, ſacer Euangeliſta, quòd cum iuſtitia iudicet, cùm ad hoc & homines teneantur? Quid per omnem modum valde mirum, quòd cum tanta potentia, cum iuſtitia iudicet, & pugnet. Imò de eo ita loquitur Euangeliſta: *Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe,* n. 12. Quis ergo indicabit nobis, quis ſit Dominus iſte tam magnus, & omnipotens? Quid ait de ipſo Euangeliſta; *Cum iuſtitia iudicat, & pugnat.* Qui igitur in tanta ſublimitate iuſtitiæ lanceam tenet, nullus alius niſi Deus magnus. Primaſius Africanus ibi. *Hic*, inquit, *quem ſuperius dixerat, debitam victoriæ percepiſſe coronam, æquum, & iuſtum, qui iudicat, & præliabitur, vt Rex omnium ſæculorum præliatur.* Expende vltima verba, dum enim Dominus cum iuſtitia iudicat, *vt Rex omnium ſæculorum præliatur.*

97. Rupert. — Marc. 16. — *Index diuinitatis, cum potentia apicem iuſtitiæ ſeruare.* — Apoc. 19. — Primaſius.

Tertiò D. Fulgentius lib. 3. ad Thraſymundum cap. 17. *Soluite templum hoc. Hoc,* inquit, *reſpondit Ieſus, ad demonſtrandum in ſe veram mortalitatem hominis, & veram immortalitatem deitatis. Oſtenſa eſt igitur & veritas humanæ ſubſtantiæ, quam Iudæi poſſent, ipſo volente, diſſoluere; & veritas diuinæ naturæ, qua Chriſtus templum ſui corporis poterat ſuſcitare.* Ita reſpondit Dominus, vt omnibus innoteſceret, quòd ipſe erat verus Meſſias, ac Rex in lege promiſſus cùm in ipſo, vt prophetatum erat, vera humanitas, & diuinitas in vnitate perſonæ inuenta eſſet; ac proinde in promptu omnibus appareret, quanto iure vendentes

98. Fulgent. — *Chriſtus verus Rex.*



dentes eiiciebat, cùm ad ipſum maximè pertineret, parentis domus honorem affectuoſiſſimè zelare. Quartò. Ita Dominus fatur ad eos: *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*; vt ante omnium oculos aperiatur, quale ſit hominis ſignum, quale Dei ingenium, & nota. Quid hominis? *Soluite templum hoc.* nil homini magis procliue, quàm diſſoluere, deſtruere, ac necare. Quid verò Dei? Reædificabo illud: proprium enim Dei, reſtaurare, ac redintegrare deſtructa. Vide *lib.* 3. *c.* 4. *q.* 34. *n.* 123. Quintò. Glorioſus finis omnia hominis opera maximè comprobat: ideo Dominus dat pro ſigno reſurrectionem ſuam; tanquam ſi dicat: Si meam authoritatem ſcire vultis, expectate finem, ſcilicet reſurrectionem meam, ex qua, quòd ego ſim Deus: clarè patebit. Nam, vt ait Rupertus hîc:

*Hominis ingenium deſtruere; Dei verò ædificare.* — *Ex fine tota vita probatur.* — Rupert.

*Quiſquis ab euentu facta notanda putat.*

Et ita ex iuſtorum reſurrectione, eorum gloriam agnoſcent impij, & ſtultitiam ſuam: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt,* &c. Sapient. 5.

Sap 5.

99. Cyrill.
Sextò Diuus Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 32. *Soluite templum hoc,* ait. *Quod quidem ſignum, niſi propter ſalutem omnium futurum omnino eſſet, nunquam tentantibus illis dediſſet.* Non dat Dominus pro ſui manifeſtatione reſurrectionem alicuius mortui, reſtitutionem viſus alicuius cæci, ſaturitatem quinque millium hominum, quia hæc omnia erant bona peculiaria, & ad certos homines dirigebantur. Sed dat pro ſui ſigno reſurrectionem ſuam, quæ erat omnium commune bonum, ac cauſa, & principium omnes reuocandi ad vitam; *nam,* vt ait Paulus 1. Corinthios 15. num. 16. *ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit; nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Ex quo omnes Theologi inferunt hoc proloquium: Reſurrectio Chriſti cauſa eſt noſtræ reſurrectionis. Non ergo dat Deus pro ſui nota bonum ad aliquos coarctatum, ſed ad omnes extenſum, atque diffuſum.

1.Cor.15. — *Omnibus benefacere, Dei nota.*

100. Iſai.7.
Regi Achaz *Iſai.* 7. *num.* 11. datur optio, vt ſignum petat *in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà,* hoc eſt, vt petat ſignum in cælo, ſicut tempore Ioſue Sol, & Luna ſteterunt, *Ioſue* 10. *num.* 13. Vel tempore Ezechiæ Sol ingreditur decem lineis, 4. *Reg.* 20. *num.* 11. Et in profundum inferni, hoc eſt, vt terra aperiatur, ſicut aperta eſt Dathan & Abiron: vel vt fiat ſignum in elementis, vt explicat Diuus Hieronymus, Diuus Thomas, vt factum eſt temporibus Moyſis. Cùm ergo Achaz ſignum petere recuſaret, dicitur ab Iſaïa: *Propterea dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium,* Iſai. 7. num. 14. Vbi iuxta omnium ſententiam Incarnatio æterni Verbi pro ſigno datur. Sed quare pro Iſraëlitici populi ab hoſtibus ſuis liberatione ſignum non datur *in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra,* hoc eſt, in cælo, & in terra, ſicut petendi ſignum erat data facultas? *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Signum illud dabatur à Domino, ſi prodigium eſſet in cælo, vel in terra factum, aliquod particulare Iſraëlitico populo, ne hoſtes ſuos timeret, denuntiaret bonum; cùm autem à Domino eſſet, nil peculiare dicere poterat, ſed communem omnium denotare, ac ſignificare ſalutem.

Hieron. S.Thom. — Iſai.7.



Hugo. *Dominus ipſe per ſeipſum, & non per alium dabit vobis ſignum, non qualecunque, ſed inauditum, & inenarrabile, ac excellens: Ecce Virgo concipiet.*

Hugo.

## QVÆSTIO XX.

### *Quare Dominus ſignum valde ænigmaticum dederit?*

101. CVM ſigna quærerent Iudæi, illud Dominus dedit, ſed valde parabolicum, quod audientes non intellexerunt: cùm tamen exhibere poſſet, quæ omnibus in promptu eſſent. verbi gratia, ſi mortuum reſuſcitaret, vel ſimile aliud miraculum ederet. Et quanuis Dominus aliquando Iudæis ſignum petentibus dixerit: *Non dabitur eis, niſi ſignum Ionæ Prophetæ,* Matth. 12. num. 39. Tamen hoc ſignum, quod hîc dedit, multo obſcurius eſt, vt bene notat hîc D. Thomas. Et ideo audientes, de templo materiali ſermonem eſſe, putarunt; & coram Caipha obiecerunt contra Chriſtum: *Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare,* Matth. 26. n. 61. Cur ergo Chriſtus Dominus non apertum, ſed valde ænigmaticum ſignum dedit?

Matth.12. — D.Thom. — Matth.26.

102. Reſpondent primò Rupertus, Salmeiron, & alij. Non dat Dominus manifeſtum ſignum, quod petebant Iudæi, quia ei minimè erant credituri, ne tunc videretur ad oſtenſionem ſigna facere, & non potiùs ad Dei Patris ſui gloriam declarandam, & ad hominum miſeriam ſubleuandam; multa enim mirabilia fecit Dominus, vt Lazari reſurrectio; & tamen in eum non crediderunt. Si autem dixiſſet, ſe ſignum dare, nolle, eum arguerent, vt impotentem; ideo non apertè reſpondit. Secundò Hugo. Non dat Dominus ſignum, quod petebant, quia eorum doloſam mentem agnouit; & ipſi imbecilles erant ad capienda ardua, vnde non apertè locutus eſt, ne nimis exaſperarenrur contra eum; ſi enim dixiſſet, quòd eſſet Deus, & quòd propria virtute eſſet ſurrecturus à mortuis, ſcandalizati eſſent; & ideo hoc ænigmaticè ſignificauit, vt poſt rei impletionem eſſet omnibus manifeſtum, quod dixerat obſcurum. Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 22. *Neque enim qui primum non petentibus ſignum dederat, petentibus negaſſet, niſi prauam, & fraudulentem eorum mentem cognouiſſet.* Similiter Diuus Thomas. *Quia prauè quærebant, non dedit eis ſignum apertum, ſed occultum in figura, ſcilicet ſignum de reſurrectione.* Qui enim iniuſtè, & iniquè petit, non eſt ei ſatisfaciendum, nec reſpondendum: dat tamen Dominus ſignum occultum, vt maieſtati ſuæ, authoritatique conſuleret.

Rupert. Salmeiron. — *Chriſti miracula in gloriam Patris, & commune bonum.* — Hugo. — Chryſoſt. — D.Thom. — *Iniquè petẽti non eſt reſpõdendum.*

103. Quartò Diuus Chryſoſtomus citatus. *Multa tunc obſcurè ad eos locutus eſt, quæ poſt impletam prophetiam erant futura clariſſima. Cuius autem rei gratia iſtud faciebat? Vt declararetur, cùm illa euenerint, multo ante ea, quæ futura erant, prænouiſſe.* Prædictio futurorum magnus Deitatis eſt index. Ita ait Iſaias 41. n. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Et ideo Dominus, vt ſe Deum manifeſtet, futura aperit, atque prædicit. Quintò. Signum à Domino datum Iudæi nõ intelligunt, ſed ſolùm Apoſtoli poſt reſurrectionẽ penetrant. Illi, vt inimici, non capiunt

Chryſoſt. — *Ex futurorũ prædictione ſe Deũ oſtendit.* — Iſaiæ 41. — *Inimicus non agnoſcit gloriam tuam.*

capiunt gloriam Chriſti, quàm bene diſcipuli, vt amici, ac beneuoli percipiunt. Gloriam tuam, non qui te odit, ſed qui te diligit, agnoſcit. Vide *lib. 2.c.6.n.60. & lib.3.c.3.n.6. & 7.*

104. *Quod iuſtis eſt ad meritum, iniquis eſt ſæpe ad damnum.*

Sextò. Perpende, quòd id, quod iuſtis eſt motiuum, vt proficiant, ac mereantur, iniquis eſt occaſio, vt in præceps ruant, ac grauiter labantur. Hæc verba Iudæis anſam præbuere, vt eum coram Sacerdotum principe accuſarent, vt notaui ad initium quæſtionis. Apoſtolis verò ad fidem, ac meritum inſeruiere, vt notat Euangeliſta: *Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & ſermoni, quem dixit Ieſus.* Quæ enim iniquis ſunt in ruinam, iuſtis in augmentum præparantur. Ait ſponſa: *Veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius,* Cantic.4.num.16. Per Auſtrum enim intelligitur flatus Spiritus ſancti, vt ex anima pia pullulent aromata operationum virtutum, vt explicant D. Gregorius Nyſſenus *homil.*10. Theodoretus *in Catena trium Patrum.* D. Ambroſius *in* 1.*Pſalm.* Philo Carpathius, Anſelmus, Rupertus, Abbas *ibi.* De illa magna naui Tyri, per quam ſignificatur multitudo peccatorum, ait Ezechiel 7.n.26. *Ventus Auſter contriuit te in corde maris.* Auſter enim denotat Regem Babyloniæ, vt ibi aduertunt Lyranus, Hugo, & alij. Sed quomodo idem Auſter in horto piæ animæ dicit affluentiam virtutum; in naui autem Tyri interitum, & ruinam? Quia ea, quæ iuſto, ac dilecto miniſtrant affluentiam bonorum, atque virtutum, ſæpe in iniquis, ac peccatoribus lapſum denotant, ac præcipitium: quæ enim bonis ſunt adiumenta ad bonum, iniquis aliquando in nocumentum præparantur. D. Chryſoſtomus homil. 15. in epiſt. ad Rom. *Quemadmodum ergo,* inquit, *his auxilio ſunt ea etiam, quæ nocumentum afferre videntur: ſic iis, qui illum non amant, ea nocent, quæ auxilium afferunt. Iudæis igitur damno erant, & ſignorum oſtenſio, & dogmatum rectitudo, & Philoſophiæ doctrina. Latro verò in cruce ſublatus, clauis affixus, conuitiis affectus, mala infinita tolerans, hinc non ſolùm nocumentum nullum accepit, ſed vel lucrum maiorem in modum tulit.* Vide infrà *n.*116.

(Marg.: Cant.4. — Greg. Nyſſ. Thedor. Ambroſ. Philo Carpathius. Anſelm. Rupert. Ezech.7. Lyranus. Hugo. — Chryſoſt.)

*Ioannis 2.n.20.* Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud?

*VERSIONES.*

*S. Proſper de prædict. Dei, part.2.c.37.* Quadraginta & ſex annis conſtructum eſt, & quomodo hic dicit: In triduo ſuſcitabo illud?

*Syriacus.* Et tribus diebus illud eriges?

## *EXPOSITIO.*

105. CELSITVDINEM myſterij, quam Chriſtus Dominus valde incluſam dixerat, Iudæi non intelligentes de templo exponebant materiali, ac lapideo; irridenteſque dicunt: *Quadraginta & ſex annis,* &c. Bene enim agnoſcebant, quòd ille, qui haberet poteſtatem erigendi templum illud valde amplum in tribus diebus poſſet eos à templo expellere, ideo obſtantes dicunt: *Quomodo tu tribus diebus excitabis illud?* Dominus autem ad hæc nihil reſpondit; erant enim omnino obſtinati, in maloque firmati, ac proinde nullo rationum pondere nequitiam ſuam depoſituri.

*Peruerſus nulla ratione deſiſtit à malo.*

---

## QVÆSTIO XXI.

### *Vtrùm templum illud fuerit ædificatum quadraginta & ſex annis?*

AVTHORES aliqui fuere exiſtimantes, Iudæos in hoc annorum numero mentitos fuiſſe; nam templum illud multo minori temporis ſpatio eſt ædificatum. Tamen longè probabilius, eos ex communi traditione fuiſſe argumentatos; ac proinde verum protuliſſe. In hoc ergo annorum numero verificando deſudant Authores. 106.

107. *Templum Salomonis.* Primum templum Iudaïcum admirabili magnificentia ædificatum eſt à Salomone ſeptem annis, & quinque menſibus: nam quarto regni ſui anno inchoatum eſt opus, completum verò anno vndecimo: menſe ſeptimo, 3.*Reg.6.n.*37. Et totum ipſum ædificium dirutum eſt, ac ſolo æquatum à Nabuchodonoſore, 4.*Reg.*25.*num.*9. Vnde improbabilis eſt ſententia Origenis hoc loco exiſtimantis, hîc à Iudæis fieri mentionem de templo Salomonis, quia, vt ait ipſe, quadraginta & ſex anni fluxere à præparatione materiæ facta à Dauid, conſilio Nathan Prophetæ, vſque ad eius conſummationem. At hæc imputatio nullum habet fundamentum. Deinde Iudæi loquebantur de templo, quod tunc extabat; dixerunt enim: *Ædificatum eſt templum hoc.* Salomonis autem opus omnino erat deſtructum. Quando verò Chryſoſtomus *homil.*22. & Theophylactus aiunt, quòd ædificium extructum eſt viginti annis, non de ſolius templi, ſed etiam ſimul de domus regiæ conſtructione ſunt intelligendi.

(Marg.: 3.Reg.6. — 4.Reg.25. Origen. — Chryſoſt. Theophyl.)

108. *Secundùm templum.* Secundò templum reſtauratum eſt, & reædificatum à filiis tranſmigrationis poſt captiuitatem Babylonicam ſub Zorobabele principe Iuda. & ſub Ioſuë ſummo Pontifice. Exædificandi facultas conceſſa eſt à Cyro Rege Perſarum anno primo regni ſui, 1.*Eſdræ* 1.*num.*3. Ædificatio autem cœpta eſt anno ſecundo eiuſdem Cyri, *Eſdræ lib.*1.*c.*3.*n.*7. *Aggæi* 1.*n.*1. Aliquando verò impeditum eſt opus ab inimicis populi Iudaïci multis bellis, & contradictionibus. Vnde dicitur Iudæos ædificantes altera manu gladium, altera ædificatorium tenuiſſe inſtrumentum. Vſque adeò timebant vicinos Idumæos, non autem Perſas, à quibus multos ſumptus accipiebant. Et ideo prorogatum eſt opus vſque ad annum ſecundum Darij Hiſtaſpis, in quo omnino perfectum eſt. Ab anno autem ſecundo Cyri vſque ad ſecundum Darij Hiſtaſpis quadraginta ſex anni interceſſere, vt tradunt Ioſephus *lib.*11. *antiquitat.cap.*4. Euſebius *lib.*8. *de demonſtrat. Euangel. cap.*2. Diuus Hieronymus *in cap.*9. *Daniel.* D. Baſilius Seleucus *orat.*38. vbi latè annos numerat. Hîc

(Marg.: 1.Eſdr.1. 1.Eſdr.3. Aggæi 1. — Ioſeph. Euſeb. Hieron. Baſil.)



*Difficilior reſtauratio, quàm prima productio.* Beda.

Hîc obiter nota cum Beda *lib.2.in Eſdram, cap.*8. quòd multo difficilior eſt alicuius rei reſtauratio, quàm illius productio; & difficiliùs reſurgere à peccato, quàm innocentiam ſeruare. Sic ait Beda: *Facilè namque eſt, conuerſum quemque ad fidem, agnitionemque veritatis, acceptam vitæ innocentiam comitante eius gratia ſeruare. Sed multi laboris eſt, eum, qui accepta fidei ſacramenia, peccando contemnit, priſtinam recipere dignitatem.* Et de hac templi ædificatione locutos fuiſſe hoc loco Iudæos, cõmunis eſt ſententia, D. Chryſoſt. D. Cyrilli, Euthymij Theophylacti, Alberti Magni, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Caietani, & aliorum. Nam quanuis Iudæi loquerentur de templo, quod tunc extabat, & ab Herode fuerat inſtauratum; tamen Zorobabelis templum idem cum Herodiano reputabatur, cùm hæc quædam eſſet inſtauratio, renouatioque illius, vt patet ex Aggæo 2.num.7. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ.* Vbi ſermo eſt de templo à Zorobabele extructo, cuius maior gloria fuit, quàm excellentia templi Salomonis, quia in eo Chriſtus prædicauit. Ergo templum Zorobabelis reputabatur idem cum Herodiano.

(Marg.: Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Albert. Mag. D.Thom. Bonauent. Caietan. — Aggæi 2.)

109. *Brixianus. Baronius. Templum Herodis.* Brixianus veò, & Baronius *anno Chriſti* 31. in Epitome Spondani, de Templo ab Herode ædificato verba Iudæorum explicant, & fuiſſe veram illorum ſententiam hoc ſenſu, vt tempus reſpexerint, quo ab Herode cœptum eſt ædificari templum, ac inde vſque ad præſentem annum numerauerint annos quadraginta ſex. Quanuis enim Ioſephus affirmet *lib.*15. *antiquit. cap.* 14. templum illud nouem annis cum dimidio ab Herode abſolutum fuiſſe: tamen ipſemet *lib.*20.*cap.*8. teſtatur, perſeueraſſe illius inſtructuram vſque ad tempus Neronis, operantibus in ea circiter octodecim millibus opificum. Quod quidem intelligendum eſt de abſoluta vſquequaque fabrica, etiam quoad ornatum tam interiorem, quàm exteriorem. Et ita ab exordio ædificationis templi, quæ inchoata eſt anno decimo octauo regni Herodis, teſte Ioſepho *lib.*11.*cap.*14. cuius regni anno trigeſimo ſecundo natus eſt Chriſtus, ab anno decimo octauo vſque ad trigeſimum ſecundum ſunt quindecim; adde trigeſimum primum ætatis Chriſti, & efficies quadraginta ſex.

(Marg.: Ioſeph.)

*Ioannis 2.n.21.* Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui.

*VERSIO.*

*Vatablus in ſcholiis.* Ipſe verò dixerat.

## *EXPOSITIO.*

110. IOANNES hæc addit, vt expreſsè Iudæorum refutet errorem, quando Chriſtum accuſantes dixerunt: *Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud,* Matth.26.num.61. Et quando Chriſtus Dominus præſentia dicebat verba: *Soluite templum hoc;* vt bene aduertit D. Paſchaſius ad citatum caput Matthæi: *Templum corporis ſui quaſi digito tangebat,* geſtu, ac motu manuum, ac digitorum, non materiale templum, ſed ſe ipſum oſtendebat. Attamen Iudæorum cæcitas nullo mouetur ſigno, verùm in errore obſirmata ſuo contra Chriſtum accuſationem ponit. Et quanuis Apoſtoli verba Chriſti non intellexerint, nihil tamen ſiniſtrum concepere, vt deprauati Iudæi, qui magno odio ducti verba hæc vſque ad paſſionis tempus alta mente repoſita habuerunt. vt contra Chriſtum obiicerent. Et non ait Euangeliſta, quòd Dominus hæc dicebat de ſe ipſo: nam ipſe dicit animam, & corpus. Sed tantùm ait, quòd dicebat de templo corporis ſui. Quia, vt bene ait Tertullianus lib. de reſurrectione carnis, cap.18. *De corpore,* inquit, *ſuo dixerat. Atque adeo caro eſt, quæ morte ſubruitur, vt exinde à cadendo cadauer renuntietur. Anima porrò nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit.* Id eſt, anima, nec moritur ſecundùm nomen, nec ſecundùm eſſentiam, & potentiam.

(Marg.: Matth.26. — Paſchaſ. — *Iniquus ſemper obſeruat accuſandi rationes.* — Tertul.)

*Ioannis 2.n.22.* Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt Scripturæ, & ſermoni, quem dixit Ieſus.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Quum autem ſurrexiſſet à domo mortuorum, recordati ſunt diſcipuli eius, quòd hoc dixiſſet: & crediderunt Scripturis, & ſermoni, quem dixerat Ieſchua.

*Vatablus.* Quum ergo ſuſcitatus eſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quòd hoc dixiſſet illis.

*Euthym. tantùm habet.* Et crediderunt ſermoni eius.

## *EXPOSITIO.*

VT eleganter ait D. Cyrillus lib.2. in Ioan.cap.34. *Sicut ſapiens facilè verba ſapientiæ retinet, ſic in diſcipulis Chriſti, tanquam in molliore cera ſermo Saluatoris impreſſus conſeruatur. Probi ergo viri, vt contentioſi non ſunt, ita veræ doctrinæ tenaces.* Quanuis enim Apoſtoli verba Chriſti modò non intellexerint, ea vt inutilia non iudicarunt, vt faciunt ſæpè præſumptuoſi de his quæ non intelligunt; ſed hiuſmodi verba tanquam dicta Domini venerantes ſemper mente retinuere, ac poſtquam ipſum reſuſcitatum videre, de iiſdem Domini verbis ſunt recordati, atque in templi ſolutione eius mortem eſſe; in excitatione verò in tribus diebus reſurrectionem ſuam denuntiatam. *Et crediderunt Scripturæ.* Euthymius non legit verbum *Scripturæ.* Sed cum omnibus codicibus legendum eſt, *Crediderunt Scripturæ.* Semper diſcipuli Scripturæ verbis fidem dedere, ſed modò firmius, cùm Dominum reſuſcitatum viderunt. Vel (quæ mihi videtur probabilior expoſitio) crediderunt, Chriſti mortem, ac reſurrectionem 111.

(Marg.: Cyrill. — *Præſumptuoſus, quæ non intelligit inutilia iudicat.* — Euthym.)

in Scriptura contineri, eſſeque pronuntiatas in ea. *Et ſermone eius*, quo huiuſmodi myſteria prædixerat. Imò ob verba, quibus tam profunda arcana prænuntiauerat; omnibus eius verbis crediderunt. Et nota; quod ait Euangeliſta: *Crediderunt Scripturæ, & ſermoni, quem dixerat Ieſus*; priùs memorat, non ſermonem Domini, ſed Scripturam, hæc namque vtpote antiquior, & quæ teſtimonium de Chriſto dabat, maximè veneranda.

*Veneranda, quæ de te dāt teſtimonium.*

*Ioannis 2.n.23.* Cùm autem eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Multi crediderũt in eum, qui viderunt ſigna, quæ edebat. |
| *Vatablus, Pagninus.* | Crediderunt in nomen eius. |

### *EXPOSITIO.*

112. ASCENDEBAT Dominus Ieruſalem, vt celebraret Paſchale feſtum, & Domini aſcenſiones ſemper in vtilitatem noſtram, vt multos ad ſuam adduceret fidem. Et in ipſa ſolemnitate, magnoque potius populi concurſu multa edidit ſigna: ſemper enim doctrina Chriſti fugit angulos, & quærit publicum. *Multi crediderunt.* Maldonatus de fide vera explicat. Tamen probabilior eſt ſententia D. Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, Alberti Magni. Eos non firmiter, ac perfectè credidiſſe, & proinde adhuc eos non eſſe firmatos in fide; & ideo de illis ait Euangeliſta ſequenti verſu: *Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis.* Si autem in eis eſſet firma fides, Dominus ſe crederet eis. Et nota, quòd idem eſt, crede in nomine eius, ac, credere in nomen eius: vt legunt Pagninus, & Vatablus; & obſeruarunt Ianſenius, & Barradas. Et idem eſt, credere in nomine eius, ac, credere in eum, ſcilicet Chriſtum: vt habet Syriacus, & patet *Ioan.3.num.18.* ait Dominus: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.*

*Chriſti doctrina quærit publicum.* Maldonat. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Albert.Mag. Ianſen. Barradas. Ioan.3.

113. Videntes ſigna, quæ faciebat. Ratio, quæ eos induxit ad credendum, extiterunt ipſa miracula, quæ viderunt; ex quo eorum notatur imperfectio: nam, vt aduertunt D. Chryſoſtom. D. Thomàs, dupliciter aliqui credunt: quidam namque propter miracula viſa, alij verò propter prædicationem: ſed commendabiliores, qui propter doctrinam credunt, vt Apoſtoli, ſunt enim magis ſpirituales, quia qui propter ſigna, qui groſſiores ſunt, & magis ſenſibiles; enim verò de illis dixit Chriſtus: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, Ioan.20.num.29.

Chryſoſt. D.Thom. Ioan.20.

---

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare Euangeliſta non explicet, quæ ſigna, & miracula hîc fecerit Dominus?*

114. AIT Euangeliſta, quòd multi ſint ad Dominum conuerſi videntes ſigna, quæ faciebat; tamen non explicat, quæ ſigna fuerint hæc. Cuius rei inquirimus rationem. Reſpondet Maldonatus, quòd coniectura huius ſilentij eſt, quòd Euangeliſta properabat ad exponendam Chriſti doctrinam, in qua potiſſimum videmus verſari Ioannem, & ideo conſultò multa miracula præteriit. Hæc tamen ratio non videtur multum efficax, quia aliàs valde raró Euangeliſtæ narraſſent miracula; quod tamen aliter ab eis frequenter fit.

Maldonat.

115. Ideo dicendum cum Origene, ac D. Thoma, quòd Euangeliſtæ ſcienter multa prætermiſerunt de miraculis Chriſti: *Sunt & alia multa, quæ fecit Ieſus*, &c. Ioan.21.nu.25. Et hoc denotat Euangeliſta, dum ait: *Videntes ſigna, quæ faciebat*; quæ prætermiſſa ſunt. Quia non fuit intentio Euangeliſtarum omnia ſigna Ieſu ſcribere, ſed tantùm illa, quæ erant neceſſaria ad Eccleſiam fidelium inſtruendam, ac ad noſtram eruditionem, cùm omnia eius opera eſſent inenarrabilia. Et hæc eſt vera, & germana ratio. Et ita Theophylactus *in cap.3.Ioan.* ad illa verba: *nemo poteſt hæc ſigna facere*; ſic ait: *Nota autem, quòd quanuis Chriſtus multa fecerit miracula, nullum tamen illorum narrat Euangeliſta, vel quòd ab aliis traduntur Euangeliſtis, vel quòd maiora ſint, quàm quæ particulatim recenſentur.*

Origen. D.Thom. Ioan.21. Theophyl.

116. Aliter etiam reſpondet Origenes, quòd inter alia miracula maximum, & præcipuum ſignum reputatur, quòd cum flagello ex funiculis facto tantam hominum multitudinem Ieſus de templo ſolus eiecerit. Hac tamen eiectione, vt dixi ſuprà *quæſt.20.num.104.* Iudæi obdurati ſunt, ac firmati in ſua malitia, vt Dominum accuſarent paſſionis tempore, vt *ibi* notaui. At verò hi, de quibus Euangeliſta loquitur hoc loco, habuerunt motiuum in Dominum credendi, & eum agnoſcendi. Multa mirabilia, & ſigna fecit Dominus in Ægypto, quibus induratum eſt cor Pharaonis, *Exod.7.num.22.& 8.num.32.& 11.num.9.* Et tamen illis ſignis, potentiſque viſis Iſraëliticus populus credidit Domino, & adorauit eum, *Exod.4.num.31.& 12.num.27.* Eiſdem ſignis cor Pharaonis ingrauatur, & populus Iſraëliticus ſupremam Dei recognoſcit, ac fatetur maieſtatem. Eodem ſæpe motiuo, quo deprauatus corruit, fidelis erigitur, ac roboratur. OEcumenius. *Audita Dei viſitatione Iſrael pronus adorat, & tot prodigiis factis Pharao cum ſuis ad extremum malitiæ percurrit.* Vide ſuprà *num.104.*

Origen. *Per quæ impius ruit, iuſtus ſæpe erigitur.* OEcumen.

*Ioannis 2.n.24.* Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes.





### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Aliqui ex Græco.* | Ieſus non fidebat ſemetipſum eis. |
| *Euthymius.* | Eo quòd noſſet omnia. |

### *EXPOSITIO.*

117. EXPLICAT Euangeliſta, qualiter Dominus ſe habuerit circa ipſos credentes. E quantum ad præſens attinet, *credere* duo ſignificat; primum, mentis aſſenſum, quo alicui aſſentimur, vt dicitur Ioan.1. *Vt omnes crederent per illum*; & Ioan.3. num.18. *Qui credit in eum, non iudicatur.* Alterum, ſignificat alicui committere, ſeu fidere. Ad Rom.3. num. 2. *Credita ſunt illis eloquia Dei.* Ad Galat. 2. num. 7. *Creditum eſt mihi Euangelium.* & in hac ſignificatione ſumitur *hîc*. Et ideo aliqui tranſtulerunt: *Ieſus non fidebat ſemetipſum eis*; vt ſecurè cum eis verſaretur, ſicut ambulabat cum ſuis fidelibus diſcipulis, ac veris ex corde familiaribus. Illa autem particula *eis*, non ſe credebat eis, Ianſenius, ac Caietanus referunt ad Iudæos, qui ad Paſchale feſtum celebrandum Ieroſolymam venerant; vt ſit ſenſus: Ieſus non ſe fidebat Iudæis, qui conuenerant ad Paſchale feſtum: nam ex eis multi ſigna quæſierunt, & multi crediderunt. De eis, inquiunt, in genere loquitur. Tamen tenendum eſt cum D. Auguſtino, D. Cyrillo, Euthymio, Alberto Magno, D. Thoma, D. Bonauentura, Carthuſiano, quòd illum pronomen relatiuum *eis* refertur ad proximè dicta, nempe ad credentes. Et eſt legitimus ſenſus: *Multi crediderunt in eum, tamen Ieſus non ſe credebat eis.* Rationem autem huius rei apponit Euangeliſta: *Eo quod ipſe noſſet omnes*; ſeu, vt habet Euthymius: *Omnia*; ipſe enim intuebatur eorum fidem, animum, & intentionem. Ieremiæ 5. num.3. *Domine oculi tui reſpiciunt fidem.* Ad Hebr.4. num.13. *Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.*

Ioan.1.& 3. Rom.3. Galat.2. Ianſen. Caietan. Auguſt. Cyrill. Euthym. Albert.Mag. D.Thom. Bonauent. Carthuſ. Euthym. Ierem.5. Hebr.4.

---

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare cùm multi in Chriſtum crederent, tamen Dominus non ſe credebat eis?*

118. HVIVS rei aliquæ ſunt rationes. Et primò rem valde moraliter explicat D. Auguſtinus *tract.11. in Ioan.* dum in his credentibus intelligit Catechumenos, qui licèt credant in Chriſtum, Chriſtus non ſe credit eis. Et ita ait S. Doctor: *Si dixerimus Catechumeno: Credis in Chriſto? Reſpondit: Credo, & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Chriſti. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum: Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? neſcit, quid dicimus, quia Ieſus non ſe credit ei.* Tunc dignoſcitur perfecta inter duos amicitia, quando quilibet alteri ſe fidit, ac committit. Quanuis Catechumenus Chriſto ſe credat, cùm tamen ad ſacras aquas baptiſmales nondum acceſſerit, Chriſtus non ſe credit ei: cuius rei ſignum eſt, quia nondum ei ſacratiſſimum ſuum præbet corpus, nec dum illi ſanguinis ſui ſacratiſſimum porrigit poculum. Intimæ ergo amicitiæ ſignum erga Deum tunc ſe manifeſtat, cùm ſuos Dominus ad menſam vocat. Et ita dicebat Chriſtus Dominus, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*, Cant.5.num.1.

Auguſt. *Chriſtus non ſe credit Catechumenis.* *Participatio corporis Chriſti ſignũ amicitiæ Dei.*

119. Secundò D. Cyrillus lib.2. in Ioan. cap.36. *Non eſt ſtabilis fides eorum, qui nuper crediderunt: nec mens firma ineſt in fide recentibus, cùm adhuc pietate firmati non ſint; quare nec Chriſtus huiuſmodi ſe hominibus credit: quanuis etiam hinc nobis oſtendat, non repente, ſed longa meditatione bonorum habituum roborari.* Cùm in iſtis credentibus ex ſignorum viſione de infidelibus ad fideles ſubita eſſet facta mutatio, ipſique nuper venirent, atque in fide non multum eſſent roborati; ideo Dominus non ſe credit eis: hoc enim ex prudentiæ dictamine ad eruditionem noſtram, perſiſtentiam magnam, longamque requirit experientiam. Vide *lib.1.cap.5.num.17.*

Cyrill. *Magna exigitur experientia, vt te alicui credas.*

120. Tertiò Albertus Magnus. *Ipſe non ſe credebat eis*, ait, *quia iſti temporales erant, & ad tempus credebant, & in tempore tentationis recedebant.* Sunt autem multi fortunæ ſeruientes qui non tui, ſed ſui ipſius ſunt amici. Quartò Caietanus. Ieſus non credebat ſemetipſum, hoc eſt, non confidebat de vita propria in eis. Et hoc dicit, non ad ſignificandum timorem, ſed ad excludendam falſam confidentiam. Quintò. Quanuis enim bono amico omnia ſint committenda, hunc tamen inuenire, eſt valde difficile: & ideo ſuper hoc negotio eſt maxime inſudandum, vt talem reperias. Seneca *epiſt.3.* ita monet. *Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte.*

Albert.Mag. *Verus amicus non eſt ad tempus.* Caietan. *Falſa confidentia excludenda.* Seneca.

121. Sextò D. Chryſoſtomus homil.23. *Non curabat Dominus*, ait, *exteriora verba, qui in ipſos animos ingreditur, qui in humanas cogitationes irrumpit, qui eorum feruorem mox infrigeſcere cognoſcebat: neque ac ſi perfecti eſſent, diſcipuli, eis fidebat, nec arcanorum doctrinam, tanquam fidelibus credebat.* Cùm iſtorum credentium friuolám fidem Dominus cognoſceret, ſecreta ſua eis committere noluit, vt cum ſuis verè diſcipulis communicabat; hæc enim cum vero tantùm, ac intimo amico ſunt tradenda. Cùm Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis aperiret, arcana æterni Parentis ſibi eſſe reuelata, ac eorum participes eos faceret, ſtatim amicos appellat: *Iam non dicam vos ſeruos; quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, Ioannis 15.num.15. Sæpe Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos vocauit Apoſtolos, Principes, Prædicatores, Piſcatores, Meſſores, Sal terræ, Lucem mundi; hîc tamen amicos vocat. Et cur potius amici, quàm alio nomine dicuntur? Intima cordis ſui eis Dominus manifeſtabat, & qui ſecretorum conſcij fiebant, fideliſſimos amicos neceſſe erat reputari. D. Thomas ibi: *Verum enim amicitiæ ſignum eſt, quòd amicus amico ſuo cordis ſecreta reuelat. Cùm enim amicorum ſit cor vnum, & anima vna, non videtur amicus extra cor ſuum ponere, quod amico reuelat.* Cùm igitur Apoſtoli myſteriorum Domini facti eſſent participes, nullo alio nomine congruentius dici poterant, quàm amici. Poſtquam Iudas rem habuit cum Thamar, per paſtorem ſuum miſit promiſſa. Ita ait ſacer textus: *Miſit Iudas hædum per paſtorem ſuum*

Chryſoſt. *Secreta cum vero amico ſunt tractanda.* Ioan.15. D.Thom.

Geneſ.38. Chaldaic. Lyppom. *Odollamitem*, Geneſ. 38.n.20. ſeu, vt legit Chaldaicus: *Per manus amici ſui Odollamtiæ*; ſeu vt vertit Lyppoman. *Per manus ſocij ſui.* Cur Iudas non ſibi retinet amicum, ſociumque ſuum, ſed eum à ſe diſiungi patitur, atque vnius hædi nuntium deſtinat? omnibus nanque valde inſitum eſt, vt ſuas abſcondant turpitudines, nullique manifeſtent, prudenter decreuit Iudas, defectus ſuos nulli alij aperire, niſi tantùm amico fidei, cui cordis ſui ſecreta libenter committe-
Idem, bat. Lypoman. *Per manum*, inquit, *familiaris amici arrhabonem repetit & hædum de capris tranſmittit, ſecreta ſua credebat certiùs.*

*Ioannis* 2.*n*.25. Et quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Nec indigeret, vt quiſquam ei teſtaretur de quouis homine: ipſe enim nouerat, quid eſſet in homine. |
| *Vatablus.* | Nec opus haberet, vt quis teſtaretur de homine. |
| *Euthymius.* | Vt teſtimonium ferret de homine. |

*EXPOSITIO.*

122. EVANGELISTA hîc in fine capitis reddit rationem omnium, quæ ſuprà dixerat; quare ſcilicet Chriſtus Dominus non ſe credebat eis, & quomodo omnes noſſet: ait enim: *Et opus ei non erat*, &c. Ad hanc perfectam notitiam neceſſarium ei non erat hominis teſtimonium, vt indigent homines: *Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine*; quod propriè ſignificat: Ipſe occulta cordis penetrabat arcana, omneſque hominis actiones futuras. Ieremiæ 17.
Ierem.17. num. 10. *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans*
1.Reg.16. *renes*, 1. Reg.16.num.7. *Homo enim videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* Iob 26.
Iob 26. num.6. *Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni.* Eccleſiaſti. 23.num.28.
Eccli.23. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes, Domino enim Deo, antequam*
Cyrill. Albert.Mag. D.Thom. Bonauent. Beda. Hugo. *crearentur, omnia ſunt agnita*, Optimè N.D.Cyrillus *lib.2.cap.37.* Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Beda, Hugo, & alij obſeruant, hac omnimoda Chriſti ſcientia voluiſſe Euangeliſtam manifeſtare eius diuinitatem; ſolus enim Deus agnoſcit intima cordis.
3.Reg.8. 3. Reg.8. n.39. *Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Et idem jam ſuprà dixi de cognitione futurorum.

# CAP. III.

*Ieſus loquitur cum Nicodemo.*

*Ioannis* 3.*n*.1. Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Erat autem ibi homo vnus ex Phariſæis, cui nomen Nicodemus. |
| *Mariana ex Græco.* | Erat homo quidam ex Phariſæis, Nicodemus nomine, ex primoribus, vel ex magiſtratibus. |
| *Sà.* | Erat homo vnus. |
| *Beaulxames ex Græco.* | Nicodemus nomine ex ſenioribus, & præcipuis Synagogæ doctoribus. |

*EXPOSITIO.*

TOTVS eſt noſter Ioannes, vt oſtendat, Chriſtum Dominum verum Deum, verumque eſſe Meſſiam. 1. *Chriſtus verus Deus, & verus Meſſias.* Primò ex generatione æterna, vt *cap.* 1. Deinde ex operibus, & ſecundò ex miraculis, vt in Cana, & alia ſigna quæ fecit, vt *cap.* 2. *num.*23. Et tertiò ex dono Prophetiæ, vt ex prædictione ſuæ mortis, & reſurrectionis: *Soluite templum hoc, & in triduo ex-* Ioan.2.
*citabo illud*, cap.2.num.19. Et tandem quartò ex regeneratione, ac admirabili doctrina, tam hîc cum Nicodemo, quàm cap. 4. cum Samaritana. Et connectit Euangeliſta *hîc* in præſenti textu hanc hiſtoriam cum ſuperioribus; dixerat enim cap.2. num.23. *Quod cùm eſſet Ieroſolymis, multi crediderant in Ieſum, videntes ſigna eius, quæ faciebat:* vnus autem ex his erat Nicodemus, vt clariùs habet Syriacus, *Erat ibi homo.* Syriacus.

2. Quinque autem in hoc magno viro notat Euangeliſta, naturam, profeſſionem, nomen, dignitatem, ac genus. Primò natura, *homo erat*; & valde ſingularis, & ita legit Sà, *homo vnus:* ſi- Sà.
quidem agnouit veritatem inquirere; quia eſt valde vnus, & ſingularis homo, qui de ſalute agit. *A paucis de terra diuide eos*; id eſt, à iuſtis, Pſalm. 16. num.14. *Omnes declinauerunt, ſimul* Pſalm.16.
*inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Vel vnus dicitur Nicodemus, *Valde ſingularis homo, qui de ſalute agit.* id eſt, primus ex principibus. *Factum eſt veſpere, & manè dies vnus*; id eſt, primus, *Geneſ.*1.*num.*5. Geneſ.1.
Vel vnus, id eſt, primarius, ſeu præcipuus. *Do tibi partem vnam.*, Geneſ. 48. num.22. Hebraicè, & Geneſ.48.
Chaldaicè, *partem præcipuam, ſeu honorificam.* Profeſſione *Phariſæus* erat pro tunc, ſaltem habitu, & nomine, gens religioſa. Et Euangeliſta hanc



*Religioſus ſtatus nobiliſſimus.* hanc prius in eo conditionem notat, quàm eius nomen, principatumque deſcribat, quia religioſus ſtatus omni alia dignitate eſt multo præſtantior, nomine *Nicodemus* magnarum rerum præſagium denuntians. Dignitate *Princeps*, ſeu, vt alij legunt; ex primis magiſtris, & ſenioribus. Genere *Iudæus*, & etiam ex tribu Iuda, vt vult
Tolet. Toletus, proindeque ex eadem ac Chriſtus Dominus, & ideo fortaſſe hic eſt vnus ex primoribus, quos Chriſtus Dominus cœpit illuminare.
*Charitas à ſuis incipit.* Charitas à ſuis exorditur. Vide *lib.*1.*cap.*2.*n.*70. *& cap.*5.*num.*30. Et hæc omnia latiùs in quæſtionibus.

3. Lyran. Carthuſ. Dubitatur, quo in loco hic ſermo habitus fuerit? Dicendum eſt cum Lyrano, Carthuſiano, & aliis, quòd Ieroſolymis. Et patet ex fine antecedentis *cap.*2.*num.*23. vbi dicitur, quòd *cùm eſſet*
Ioan.2. *Ieroſolymis, multi crediderunt in eum.* Nec obſtat, quòd in hoc capite, in fine huius hiſtoriæ dicitur, Chriſtum veniſſe in Iudæam; hæc enim verba non repugnant, vt ſuo loco dicam.

---

## QVÆSTIO I.

*Quare Euangeliſta, dum incipit hanc hiſtoriam ſcribere, Nicodemum appellet* hominem?

4. FACILE poterat Euangeliſta verbum *homo* hîc omittere, & tantùm dicere: Nicodemus ex Phariſæis Princeps Iudæorum venit ad Ieſum nocte; ſicut quando *cap.*2.
Ibid. *num.*23. ſcribit credentes in Chriſtum, quibus Ieſus non ſe credebat, poterat dicere: Multi homines crediderunt; & tamen nòmen *hominis* ibi ſupprimit, vt notat Rupertus citandus: ergo dum illud hic ponit, ex magno myſterio factum eſſe, putandum eſt.

5. Rupert. Reſpondet primò Rupertus lib.3.in Ioan. *Hic homo*, ait, *non tam pro natura, quam pro ratione dici æſtimandus eſt; ſiquidem & illi, quibus Ieſus non credebat ſemetipſum, omnes quidem natura homines erant; ſed quia non rationabiliter quærebant ea, quæ neſciebant, quodammodo homines non erant. Hic autem*, ſcilicet Nicodemus, *Deo fauente, in his, quæ vidit, & audiuit, rationis ope*
Albert.Mag. Carthuſ. *vſus eſt.* Et ſimiliter Albertus magnus, ac Carthuſianus. Cùm enim intellectio, ac ratio ſit præcipua hominis operatio, ob quam dicitur homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, *Ge-*
*Ille dicitur homo, qui ratione ducitur.* *neſ.*1.*num.*27. *Eccleſiaſt.*17.*num.*1. Et quia Nicodemus videns in exordio prædicationis Chriſti mirabilia eius, atque ſigna, ratione ductus ad ipſum venit, vt de ſalute quærat; & quia illi credentes ſimulatè credebant, non perpenſa rationis libra, vt ſuperiori cap. dixi, ideo non hi, ſed
Geneſ.4. ille dicitur *homo*, cum ratione ſit vſus, vt declinet malum, & bonum ſequatur. Magnus, & valde celebris ille Adami nepos, qui *cœpit inuocare nomen Domini*, Geneſ.4. num.26. dictus eſt Enos, qui interpretatur *homo*. Sed cur commune generis humani nomen huic appropriatur? Euſe-
Euſeb. bius lib.3. de præparat. Euang.cap.3. *Apud Hebræos*, ait, *Enos verus homo interpretatur. Neminem enim putant eſſe verum hominem, præter eum, qui verum Deum cognoſcit, & piè colit; alios verò nihil à pecoribus differre, arbitrantur; quia veluti beſtiæ ad terram proni, ventri & Veneri obediant.*
Similiter D.Auguſtinus lib.15. de ciuit. cap.18. Auguſt.
*Cur*, inquit, *huic propriè tribuitur, quod piorum omnium intelligitur eſſe commune, niſi quia oportebat in eo præfigurari hominum ſocietatem; quæ non ſecundum hominem in re terrenæ fœlicitatis, ſed ſecundùm Deum viuit in ſpe fœlicitatis æternæ.* Cùm in hoc Patriarcha propria hominis præfiguraretur conditio, ipſe enim *cœpit inuocare nomen Domini*; ſeu, vt Septuaginta legunt *Sperauit inuocare nomen Domini*; &, vt Lyppomanus teſtatur: *Cœpit facere imagines in Dei cul-* Lyppom.
*tum.* Cùm igitur homo ex ingenita ratione in Dei cognitionem, venerationem, cultumque maximè tendere debeat; ideo huic Patriarchæ commune humani generis nomen datum eſt. Et qui ab hac hominis propenſione declinarunt, hominis nomine cenſentur indigni, vt ait Iſaias de ciuitate, quæ erat plena populi: *Veni, & non erat vir*, Iſai. 50. num.1. Septuaginta, *Non erat* Iſai.50.
*homo.*

Secundò. *Homo* dicitur à fortitudine: *Dominus quaſi vir pugnator*, Exod.15. num.3. Septuaginta: *Dominus quaſi homo pugnator.* Dicitur *homo* Nicodemus ob magnam fortitudinem, & conſtantiam, qua ſpreuit, & contempſit difficultates inſurgentes, ne ad Chriſtum veniret: nam quanuis eſſet Princeps, & magiſter, vt dicam ſequenti verſu, non erubuit, Chriſtum quærere, & ipſum interrogare. *Accinge, ſicut vir, lumbos tuos*, Iob 38.num.3. ſeu, vt alij transferunt, *Sicut homo.* D.Gregorius lib.28. moral.cap.4. *Scriptura*, ait, *ſacra viros vocare conſueuit, quia vias Domini fortibus, & non diſſolutis greſſibus ſequuntur. Vnde & ſapientia in Prouerbiis dicit: O viri ad vos clamito*, Prouerb.8.num.4. 6. Exod.15. *Homo dicitur à fortitudine, & conſtantia.* Iob 38. Gregor. Prouerb.8.

7. Rupert. Tertiò Rupertus citatus ita ait; *Vt rationalis homo, ſcilicet Nicodemus, præparauit ſe ad percipienda ea, quæ Dei ſunt, forti argumentatione contexit, ita proponens: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter.* *Homo* dicitur Nicodemus, *Homo debet ſe diſponere ad bonum.* quia, non vt brutum torpeſcit in ſtabulo, ſed vt rationale animal ſe diſpoſuit, & præparauit, vt exiret à cæcitate, ac tenebris; & perueniret ad lucem, ac gratiam. Valde enim ingenitum eſt homini, vt perfectè expolitus ſit, quòd multiplici antecedente diſpoſitione aptetur, ac accommodetur ad bonum. In primo rerum molimine, dum conderet vniuerſa, *Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux: fiat firmamentum, & factum eſt ita.* Geneſ.1.
Gen.1.n.3. Cùm verò ad creationem hominis deuenitur, ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ibid.n.26. Et iterum: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de* Geneſ.2.
*limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Gen.2. n.7. Ex quo colligunt, D. Chryſoſt. Chryſoſt. Abulenſ. Caſtro. *hom.*12.*&* 13. *in Geneſ.* Abul. *in cap.*2. *Gen.* Caſtro contra hæreſes, *verb. Anima, hæreſ.*3. quòd corpus Adæ prius fuerit organizatum, ac productum, quàm anima rationali informatum. Imò D. Ambroſius *in cap.*3.*Luc.* Procopius, & alij Ambroſ. Procop. notant, quòd in creatione hominis Moyſes manus Dei introducit quodammodo laborantes. Sed Deus, qui cuncta in momento creauit, cùm ad hominis creationem deuenitur, tanta vtitur præparatione; ad quid hoc? niſi vt denotetur, quàm proprium ſit homini, vt ad conſummatam perfectionem deueniat, quod priùs neceſſe eſt, vt

vt gradatim per multas diſpoſitiones aſcendat.
Rupert.
Rupertus lib. 2. de Trinit. cap. 2. *Non dicit Scriptura*, inquit, *quia dixit Deus : Fiat homo ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & fictus eſt homo; ſicut dixit : Fiat lux, & facta eſt lux. Quare? Videlicet quia non repentè, ſed operoſè agendum erat, vt conſummatus homo ſtaret ad Creatoris ſui imaginem, & ſimilitudinem.* Nota illud verbum, *Operoſè agendum erat.*

## Qværstio II.

### *Quare Euangeliſta notat, quòd Nicodemus erat ex Phariſæis.*

8.
*Phariſæi nominis etymologia.*
Albert. Mag.
Carthuſ.
Hugo.
Lorin.

PHARISÆVS à nomine Hebraico *Paraſch*, quod ſignificat *ſeparare* : Phariſæi enim ab aliis ſecernebantur legis obſeruatione, & profeſſione Religionis peculiari; erant nanque vita, ac moribus Religioſi, vt notant hîc Albertus Magnus, Carthuſianus, Hugo, Lorinus *in Acta Apoſt. cap. 26. num. 5.* Et ideo
Lucæ 18.
dicebat alter Phariſæus Luc. 18. num. 11. *Non ſum ſicut cæteri homines.* Significat etiam verbum, *Paraſch*, *exponere*, ſeu *explicare*, quia ipſi ſe legis expoſitores profitebantur, ac inter Iudæos reputabantur ſapientiſſimi; & ideo erant à populo ſeparati ob ſuam eruditionem, & ſanctitatem;
Ioſeph.
de quibus teſtatur Ioſeph. lib. 13. Antiquit. cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. *Phariſæi tanta apud populum authoritate valebant, vt iuxta eorum reſponſa fierent, quæ ad cultum diuinum, & precationes ſolennes pertinebant; & Pontifex Hircanus populo, cui priùs gratiſſimus erat, diſplicere cœperit, quòd ipſe, ac fratres eius infeſti Phariſæis eſſent.* Et ideo D. Paulus de ſe dixit Actor. 26. num. 5.
Actor. 26.
Syriac.
*Secundùm certiſſimam ſectam noſtræ Religionis vixi Phariſæus*; ſeu vt habet Syriacus : *Secundùm præcipuam diſciplinam.* Eorum autem doctrina omnino erat oppoſita Sadducæis; nam Sadducæi negabant Angelos, animas rationales eſſe ſpiritus, & carnis reſurrectionem, quæ omnia admittebant, ac profitebantur Phariſæi, vt habe-
Actor. 23.
tur Actor. 23. num. 8. *Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum. Phariſæi autem vtraque confitentur.*

9.
D. Thom.
His poſitis veniamus ad quæſtionem. Ad quam egregiè reſpondet D. Thomas. *Phariſæi*, ait, *magis conueniebant nobiſcum in opinionibus. Quia credebant reſurrectionem; & dicebant, eſſe aliquas creaturas ſpirituales : Sadducæi verò magis diſcordabant; quia nec reſurrectionem futuram, nec ſpiritum eſſe, credebant. Et quia opinio Phariſæorum probabilior erat, & magis propinqua veritati, ideo Nicodemus faciliùs conuerſus eſt ad Chriſtum.*
*Educatio in bona doctrina multum valet.*
Multum iuuat educatio in bona doctrina, & quia Phariſæorum ſecta aliis melior erat, quæ reſurrectionis myſterium fatebatur, & de illius ſpe viuebat, vt dixit Paulus *Actor. 23. num. 6.* quæ omnia erant valde cohærentia, & propinqua do-
*Facilè quiſque trahitur doctrina, quã à pueritia ſuſcepit.*
ctrinæ Chriſti. Cùm ergo Nicodemus in tali Phariſæorum doctrina eſſet educatus, ideo valde diſpoſitus erat, vt ad Chriſtum veniret, atque cum eo de ſpirituali regeneratione Dominus ageret. Facilè vnuſquiſque trahitur, ac ineſcatur doctri-
10. nâ, quam à primo ſtudio à ſuis maioribus ebibit.

Cùm Paulus ſtaret in Concilio coram Principe Sacerdotum Anania, & ei eſſet obiectum, quòd legem Iudaicam impugnaret, & in multis
Actor. 23.
aliis accuſaretur; exclamauit Apoſtolus, dicens: *Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego iudicor*, Act. 23. n. 6. Sed ad quid tantus Doctor tam diſertè ſe Phariſæum profitetur? Circunſtantes enim magna ex parte, imò & præcipui, Phariſæi erant, & fortaſſe etiam ſummus Sacerdos ex illius ſecta erat. Sibi perſuaſit bonus magiſter, quòd nihil
*Conuenientia in doctrina trahit animos.*
meliùs eorum furorem reprimere poſſet, auditorumque beneuolentiam conciliare, quàm ſi diſerta voce teſtaretur, ſe Phariſæum eſſe, ac præcipuum fidei myſterium, in lege valde celebratum, de reſurrectione prædicare, ac docere; & ita ex conuenientia in hoc articulo præcipui aſſi-
Tertull.
ſtentes in Concilio ei acquieſcerent. Tertullianus lib. de reſurrectione carn. cap. 39. *Neque iam*, ait, *tranſgreſſor legis videbatur, de præcipuo fidei totius articulo, id eſt, de reſurrectione, ad Sadducæos ſapere exiſtimaretur. Ita quam nolebat videri reſcindere fidem reſurrectionis, vtique confirmat ſecundùm Phariſæos, reſpuens negatores eius Sadducæos.*

11.
Geneſ. 46.
Magna difficultas eſt in ſacra Scriptura, dum filij Iſraël computabantur; nam *Gen. 46. num. 27.* dicitur : *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.* & idem habetur *Exod. 1. num. 5.* Tamen dum magnus Ste-
Exod. 1.
Actor. 7.
phanus ſtatueretur in Concilio, dixit : *Mittens autem Ioſeph, accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animas ſeptuaginta quinque, & deſcendit Iacob in Ægyptum*, Actor. 7. num. 14. Si filij erant ſeptuaginta, quomodo in Actis ſuperadditur numerus quinque; & dicuntur ſeptuaginta quinque? Quæſtionem latè re-
Hieron.
Auguſt.
Oleaſter.
Sà.
Corn.
ſoluunt D. Hieronymus *lib. de traductionibus Hebraicis.* D. Auguſtinus *quæſt. 152. in Geneſ.* & *ibi* Oleaſter, Sà, Cornelius, & alij. Facilè tamen nodus extricatur, ſi dicamus, quòd D. Lucas in narrando D. Stephani ſermone ſecutus eſt lectionem ſeptuaginta Interpretum. Sed iterum pullulat dubium, cur D. Lucas, cùm eſſet Hebræus, radicem Hebraicam relinquens, Græca exemplaria Septuaginta imitatur? Optima ſanè ratione hoc fecit ſacer Euangeliſta; ſcribebat enim Gentibus, apud quas Septuaginta tranſlatio erat valde celebris, & plauſibilis; & ita eorum propenſioni ſe accommodans, exemplaria Græca ſequitur, vt apud Gentiles lectione ſua delitiatos Actorum liber magnám fidem, ac authoritatem retineret. Audiamus Rupertum lib. 11. in Geneſ. cap. 16.
Rupert.
*Quòd ſi quæritur*, ait, *cur ſanctus Lucas, qui ſupradictæ ſcriptor eſt hiſtoriæ, in Gentes Actuum Apoſtolorum volumen emittens, non ſecundùm Hebraicam veritatem, ſeptuaginta, ſed ſeptuaginta quinque animas, iuxta ſeptuaginta interpretum editionem, ingreſſas in Ægyptum eſſe dixerit,*
*Vtendum teſtimoniis, quæ iam authoritatẽ habeãt.*
*facilis excuſatio eſt. Non enim debuit aliquid ſcribere aduersùs eam Scripturam, quæ iam fuerat Gentilibus diuulgata; & vtique maioris opinionis illo tempore duntaxat ſeptuaginta Interpretum habeatur authoritas, quàm Lucas, qui ignotus, & non magnæ fidei in nationibus habeatur. Hoc autem generaliter obſeruandum eſt, quòd vbicunque ſancti Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, his plerumque teſtimoniis vtuntur, quæ iam fuerant diuulgata in gentibus.* Vide *lib. 1. cap. 2. num. 29. & 105. & lib. 2. cap. 4. num. 79.*





## QVÆSTIO III.

### *Quare hic vir tam ſolicitus ſuæ ſalutis dicitur Nicodemus?*

12.
*Nicodemus quid ſignificet.*
D Thom.
Bonauent.
Salmeiron.
Albert. Mag.
Beauxalm.
Arias.

HIC vir tam magnus, dicebatur Nicodemus, & nomen illius magnum gratiæ argumentum prænuntiabat: ſemper magna nomina magnum important augurium. *Nicodemus* ergo nomen, ſi ad Græcam etymologiam referas, victorem populi ſonare audies, vt vult D. Thomas, D. Bonauẽtura, Salmeiron, ſeu, vt, vt vult Albert. Magn, fluxũ terrenitatis importat. Si verò ad Hebraïcam analogiam reduxeris, ſanguinem innocentem ſignificabit, vt aſſerunt Beauxalmes, & Arias *in ſuo dictionario.* Et hæc omnia Nicodemo valde ſunt conueniẽtiſſima: nam ille populum ſuum ferum, & infidelem ſua probitate, & fide ſuperauit, & vi-
1. Ioan. vlt.
cit. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei*, 1. Ioan. vlt. num. 4. Nicodemus etiam terrena poſtpoſuit, & quaſi ab eo fluxerunt,
Coloſſ. 3.
& ad ſtudium ſpiritualium ſe tranſtulit. *Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſupra terram*, ad Coloſſ. 3. n. 2. Et etiam innocentem ſanguinem per Chriſtum nactus eſt, & eius immaculato ſanguine pu-
Epheſ. 5.
rificatus. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro*
Rom. 5.
*aquæ in verbo vitæ*, ad Eph. 5. n. 25. *Iuſtificati ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſũ*, ad Rom. 5. n. 9.

13.
Nicodemus nomine ſuo, tanquam bono omine multas fœlicitates denuntiabat, victoriam de ſæculo, contemptum de terrenis, triumphum de inimicis, dum Chriſti ſanguine mundatur. Cùm filia
Exod. 2.
Pharaonis è flumine eduxiſſet puerum, *Vocauit nomen eius Moyſes dicens, quia de aqua tuli eum*, Exod.
*Magni viri nomen non eſt inane.*
2. n. 10. Sed poſtquam infans à periculo liberatur, & Moyſes dicitur, id eſt, extractus ab aqua, iam ipſum nomen erit vacuum, & nil amplius ſignificabit? Abſit, quòd tanti viri nomẽ ſit inane, ſed glorioſam victoriam denotabit, quam populo ſuo eſt aſſecutus, dum diuiſo mari Rubo, eum veluti ab aquis eduxit per ſiccum, ſubmerſo inimico Pharaone. Quod eleganter ponderauit D. Aug. ſerm.
Auguſt.
79. de tempore. *A fluctibus denique*, ait, *myſtica lingua Moyſes nomen accepit, & Pharaonis necẽ, quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit.* Preme illud, *præparauerat in nomine*; ſemper iuſti nomen plenum eſt bono omine, & auſpicio, ac præclarum triumphum de hoſte reportandum innuit. In rem præſentem fatur Lyppomanus. *No-*
Lyppom.
*mina infantibus*, ait, *imponuntur, non importunè, ab euentibus. Et externis rebus aliquid præfiguratur à prouidentia Dei. Aquis extrahitur, qui filios Iſraël de aquis tribulationis erat liberaturus, & per mare ſicco pede educturus.* Vide *lib. 1. cap. 1. n. 83. & lib. 2. cap. 4. num. 24. & 43.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Nicodemi principatus memoratur?*

14.
VT veritas hiſtoriæ pateſiat, ideo Euangeliſta tam minutim omnes circunſtantias deſcribit: nam ſicut mendacium confuſionem quærit,



ita veritas eam reſpuit. Inter huius viri qualitates ab Euangeliſta notatas dicitur, quód erat *Princeps Iudæorum.* Qualis nam eſſet eius principatus, dubitari poteſt; nullus enim in Iudaïca republica dicebatur Princeps, qui aliis tanquam Rex, & dominus imperaret, nam tota reſpublica ſub imperio Romano ſubiacebat.

15.
*Quis in populo Princeps diceretur.*
Multipliciter aliquis dicebatur Princeps in populo. Primò, qui alicuius familiæ erat caput: nam Iſraëliticus populus in duodecim Tribus erat diuiſus; vnaquæque Tribus in familias : qui autem alicuius familiæ erat caput, dicebatur Princeps, *Num. 7. n. 2.* vt dixi *lib. 2. c. 4. q. 19. n. 71.* Secundò dicebatur Princeps, qui reipublicæ adminiſtrationi præerat, vt vult Budæus *in com. ling. Græcæ*, ac proinde qui de magno Concilio legum, iudiciorum, ac gubernationis erat, Princeps etiam dicebatur. Tertiò etiam hoc nomine honorifico erat inſignitus, qui alios ſcientia, nobilitate, & opibus præcellebat. Et ſecundùm vnamquamque ex his conſiderationibus quilibet in Euangelio dicitur
Lorin.
Princeps, vt notat Lorin. *c. 4. Actor. v. 5.* Tamen, meo iudicio, Nicodemus ſecundùm omnes Princeps appellatur: nam ipſe erat alicuius familiæ caput, vt communiter conſentiunt recentiores; ipſe aſſiſtebat reipublicæ regimini, & ideo reſtitit Iudæorum furori circa Chriſti comprehenſionem, & dixit Pontificibus Ioan. 7. n. 50. *Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognouerit, quid faciat?* Erat etiã Nicodemus eminens ſcientia, & ideo Chriſtus Magiſtrum appellauit infrà: *Tu es magiſter in Iſraël & hæc ignoras?* Erat valde primus nobilitate, & diuitiis; & ideo venit ad ſepeliendũ corpus Ieſu ferens mixturam myrrhæ, & aloes quaſi libras cẽtum, *Ioan. 19. n. 39.*

16.
*Nicodemus multipliciter Princeps.*
Tolet.
Abulenſ.
Dicitur autem Nicodemus Princeps Iudæorum, quia, vt ait Tolet. *in comm.* ipſe erat de tribu Iuda. At hæc coniectura eſt friuola, quia Principes Iudæorum, & capita familiarum, vt conſtat ex *c. 26. Num.* & notat Abulenſis *2. Paralip. c. 5. q. 6. & 7.* Sicut etiam ſeptuaginta viri, quos Moyſes elegit, & conſtituit Principes populi, erant ex cuncto Iſraël, *Exod. c. 18. n. 25.* Quæſtio præſens eſt, quare Euangeliſta notat, quòd Nicodemus eſſet Princeps?

17.
Albert. Mag.
Iſai. 32.
Reſpondet primò Albertus Magnus, *Quòd dicitur Princeps, vt commendetur eximia ſapientia, & ſcientia viri.* Iſai. 32. num. 5. *Non vocabitur vltra*
D. Thom.
*is, qui inſipiens eſt, Princeps.* Secundò Diuus Thomas, & eſt valde germana ratio, *A principio*, ait, *licèt Dominus non elegerit ſapientes, potentes, aut nobiles, ne virtus fidei ſapientiæ, & potentiæ humanæ attribueretur*, 1. Corinth. 1. num. 26. *Voluit ta-*
1. Cor. 1.
*men aliquos ſapientes, & potentes à principio ad ſe conuertere, ne ſi doctrina ſua ſolùm ab ignobilibus, & inſipientibus reciperetur, haberetur contemptui.* Cùm
*Præcauentur maledicentium ora.*
Ioan. 7.
enim Dominus præuideret, quod Iudæi dicturi erant: *Nunquid aliquis ex Principibus, aut ex Phariſæis credit in eum?* Ioan. 7. num. 47. Vt ita eius doctrina eſſet in magno reſpectu, & veneratione, *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abra-*
Pſalm. 46.
*ham*, Pſal. 46. n. 10. Tamen Dominus, vt notat D. Thomas, non voluit efficaciter, multos potentes eſſe conuerſos, ne ſapientiæ, aut potentiæ fides eius adſcriberetur. Tertio Hugo. *Dicitur Princeps, vt innuat Euangeliſta, quæ fuerit occaſio puſillanimitatis eius in fide, quam per miracula accepit, deſcribit eum, quòd Princeps erat Iudæorum, ne facile relinqueret faſtum principatus, venit ad Ieſum nocte.*

18. Quartò. Euangeliſta qualitates perſonæ huius
viri apponit, quod eſſet Phariſæus, & Princeps;
quia multoties de ipſo facturus erat mentionem,
& valde magna, & mirabilia narraturus. Ipſe ob-
ſtitit aliis Principibus mittentibus miniſtros ad
*Authoritas magni viri reprimit populum.* obtinendum Chriſtum, *Ioan.7.n.*50. Ipſe ad ſe-
pulturam venit cum vnguentis pretioſis, Ioannis
19.num.39. vt iam dixi initio quæſtionis. Vt er-
go ſciant, qualiter hoc fecit, & qualiter hoc po-
tuit facere, præcipuè dum furorem Principum
repreſſit, deſcribitur, quia magnus ac Princeps
erat: nam huiuſmodi authoritas multum valet,
vt tumultuantem populum, ac furentes optima-
tes comprimat, & placitos reddat.

19. Cùm Petrus, & alij Apoſtoli ad Iudæorum
Concilium adducerentur, eoſque Princeps Sa-
cerdotum grauiter obiurgaſſet, quòd contra de-
cretum ſuum Chriſtum crucifixum prædicarent;
huic Petrus liberè reſpondit: *Obedire oportet ma-
gis Deo, quàm hominibus. Et hæc cùm audiſſent* (ſci-
licet ſtantes in Concilio) diſſecabantur, & co-
Actor.5. gitabant interficere illos. *Surgens autem quidam
in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis Do-
ctor, honorabilis vniuerſæ plebi, iuſſit foras homines
fieri, & dixit ad illos*, Actor. 5. num.33. Et ſta-
tim poſt pauca verba, quæ Gamaliel habuit ad
eos, omnes ei conſenſerunt, vt ibi dicitur *num.*
Chryſoſt. 40. Sed quomodo vnius breuis vox, vt notat
Diuus Chryſoſtomus, potuit totum Concilium
rabie, furore, ac inuidia concitatum reprimere,
ac ſedare, itavt omnes mutata ſententia ei ac-
quieſcerent? Quomodo pro Apoſtolis, qui erant
valde inuiſi malignitati Iudæorum, audet verba
facere? Erat enim Gamaliel legis Doctor, & ho-
norabilis, ſeu, vt legitur ex Græco, *glorioſus, & in-
clytus*, ac proinde Princeps, vt patet ex dictis
initio quæſtionis, & peculiarem energiam ha-
bet verbum tanti viri, ac Principis, vt valeat
aliorum impetum lenire, frænare, ac extingue-
Idem. re. Diuus Chryſoſtomus homil. 14. *Reueriti ſunt
gloriam viri, ideo deſtiterunt, ne occiderent Apoſto-*
Hugo. *los*. Similiter Hugo. *Gamaliel honorabilis erat, pro-
pter quod ei conſenſerunt*. Et ita dicitur Eccleſiaſti-
Eccli.7. ci 7.num.6. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas vir-
tute irrumpere iniquitates.*

*Ioannis 2.n.3.* Hic venit ad Ieſum nocte,
& dixit ei: Rabbi, ſci-
mus, quia à Deo ve-
niſti magiſter: nemo
enim poteſt hæc ſigna
facere, quæ tu facis,
niſi fuerit Deus cum
eo,

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et dixit ei: Magiſter mi,
ſcimus, te à Deo miſ-
ſum fuiſſe doctorem; ne-
mo enim poteſt hæc
ſigna edere, quæ tu edis,
niſi qui Deum habeat
ſecum.

*Euthymius.* Scimus, quòd à Deo vene-
ris in magiſtrum.

*D. Chryſoſtom. homil.22.* Nemo poteſt facere, quæ
tu facis.

*Vatablus.* Niſi Deus affuerit illi.

## *EXPOSITIO.*

NICODEMVS bonus homo, & de 20.
ſua ſalute ſolicitus, qui, vt vult Eu-
ſebius *de Inuentione ſanctæ Crucis*, Euſeb.
iam credulus quidem, ſed nondum
charitate perfectus; tamen ſimpli-
citer dicendum eſt, quòd, licèt bono affectu ve-
nerit ad Chriſtum, vt de eius doctrina cogno-
ſceret; adhuc tamen in fide, & charitate debilis
erat, & Iudaïca imbecillitate detinebatur, vt re-
ctè obſeruant D. Chryſoſtomus *homil.*23. D. Cy- Chryſoſt.
rillus *lib.2. cap.*38. Euthymius, Theophylactus, Cyrillus.
Beda, Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauen- Euthym.
tura. Ideo nocte venit, & Chriſtum tanquam Pro- Theophyl.
phetam exiſtimabat, vt dicam, ac adeò tales inter- Beda. Albert. Mag.
rogationes propoſuit, *Venit ad Ieſum*; in hoc lau- D. Thom.
dandus, cùm eſſet Princeps, & potens, non voca- Bonauent.
uit Ieſum ad ſe, ſed ad ipſum diuertit. Proh do-
lor! multi volunt, vt Deus ipſos quærat. Vide
*lib.3. cap.2. quæſt.4. num.*12. Venit nocte: tan-
quam erubeſcens, quòd manifeſtus Chriſti diſci-
pulus haberetur, ne apud gentem ſuam eius prin-
cipatus aliquod damnum, & detrimentum pate-
retur, vt ait D. Cyrillus *lib.2. cap.*38. Sæpe con- Cyrill.
ſcientiæ repagula cedunt ſiniſtræ hominis opi- *Sæpe potius ſtatui, quàm*
nioni, vulgò *Reſones de eſtado.* *conſcientiæ conſulitur.*

*Et dixit ei: Rabbi.* Egregiè ponderat Ruper- 21.
tus lib.3. in Ioan. *Poterat ſic ſcribi*; ait: *Magiſter,* Rupert.
*ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter. Sed opportuna
linguarum varietate vſus eſt, non ſolùm pro ornatu
dicendi, verùm etiam gratia ſenſus elucidandi. Di-
citur autem Rabbi, pro excellentia magiſterij; cùm in
Latinum (vt cætera verba Hebraïca) verti potuerit,
ſicut & alia quædam non interpretata proferuntur,
pro excellentia, vel dignitate eorum, quæ ſignifican-
tur.* Valde mirum, quòd vox Hebraïca *Rabbi* non
transferatur, ſicut & alia; quod ideo vel factum
eſt, ne in breui dictione eadem vox bis repetere-
tur, ita vt diceretur: *Magiſter, ſcimus, quia à Deo
veniſti magiſter*; varietas enim periucunda valde, *Varietas maximè delectat.*
& ideo repetitio maximè vitanda, *lib.2. cap.1.
num.*85. Vel quia ipſa vox *Rabbi* per excellen-
tiam ſignificat magiſter; & ideo Syriacus tranſtu- Syriac.
lit: *Magiſter mi, ſcimus.* Pro omnibus loquitur
Nicodemus. Et non ait: Putamus, exiſtimamus.
quæ verba aliquale dubiolum admittunt, & om-
nino non excludunt. Sed ait: *Scimus*, quod dicit
cognitionem certiſſima aſſertione. *Quia à Deo
veniſti magiſter.* Non enim dixit, vt notat Ruper- Rupert.
tus citato *lib.*3. Veniſti Dominus, & magiſter; hæc
enim vox eſt Apoſtolorum, ac perfectè creden-
tium. *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & be-* Ioan.13.
*ne dicitis: ſum etenim*, Ioan.13. n.13. Magiſtrum
ergo appellat, vt inquiunt Beda, & Haymon; & Beda.
Deum tacet, quia non agnoſcebat eum, vt Deum, Haymon.
ſed credebat à Deo miſſum tanquam aliquem
Prophetam, ſolus enim verus magiſter à Deo da- *Magiſterij magna dignitas*
tur. Vel magiſtrum dicit, nihil excellentius exi-
ſtimans, dici poſſe, vt ponderat Maldonatus. *Ne-* Maldon.
*mo enim poteſt hæc ſigna facere.* Fatetur, Chriſti
miracula, ne virtute naturali, ne Dæmonis ope, vt
plurimi ex Iudæis dicebant, ſed tantùm Dei in-
teruentu fieri poſſe.





## QVÆSTIO V.

### *Quare Nicodemus venerit nocte ad Ieſum? Multiplici ratione explicatur.*

22. VENIT Nicodemus nocte ad Chriſtum, ſed
Iudæis valde diſſimilis: nam iſti miſerunt ad
comprehendendum Dominum nocte, ad quem
audiendum ille venit nocte, & vt aliquid de di-
uina doctrina apprehenderet. Quod ponderans
Rupert. Rupertus *lib.3. in Ioan.* ait: *Illi hora ſua malè vſi
ſunt, & poteſtate tenebrarum: hic verò (ſcilicet Ni-
codemus) doctrinæ aptum nocturni ſilentij benè ca-
ptitauit otium. Et illi quidem comprehendendo, & li-
gando, amiſerunt Saluatorem Chriſtum; hic interro-
gando, & audiendo, inuenit Chriſtum Dei verbum.*
Quare ergo Nicodemus ad huiuſmodi collo-
quium Redemptoris nocturnum tempus elege-
rit, inquirendum eſt.

23. Reſpondeo primò, quæ eſt germana ſolutio.
*Naturalis ratio.* Venit Nicodemus nocte, metu Iudæorum, ne eo-
rum offenſam incurreret: nam, cùm Iudæi in ma-
gno odio Chriſtum haberent, ægrè ferebant,
quòd aliquis ad eum veniret; & ita dicitur Ioan-
Ioan.12. nis 12.num.42. *Ex Principibus multi crediderunt
in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt
è Synagoga non eiicerentur.* Et de Ioſeph ab Ari-
Ioan.19. mathæa ait Ioan.19.num.38. quòd *eſſet diſcipulus
occultus Ieſu propter metum Iudæorum.* Hanc ratio-
Chryſoſt. nem tradunt D. Chryſoſtomus, Theophylactus,
Theoph. D. Bonauentura, Hugo, Caietanus & alij. Vnde
Bonauent. eleganter ait D. Cyrillus Alexandr. lib.2. in Ioan,
Hugo. *Propenſus ad fidem Nicodemus fuiſſe videtur, ſed*
Caietan. *pudore improbo victus, & gloria hominum ſuperatus*
Cyril Alex. *palàm accedere non audet.* Sunt enim multi, quos
*Reſpectus humanus ligat os, ne id dicat, quod verum iudicatur.* veritas maximè cogit, & impellit, vt verũ agnoſ-
ſcant, & videant; ſed humanus reſpectus ita capit,
& ligat, vt non faciant, nec dicant id, quod ſen-
tiunt, & iudicant. Magi Ægyptiorum ediderunt
tria ſigna, ſerpentis, ſanguinis, & ranarũ; in quar-
to autem defecere, vt cyniphes non poſſent edu-
Exod.8. cere, & dixerunt: *Digitus Dei eſt hic*, Exod.8.n.19.
Sed hi, cùm eſſent ſapientes, Regiſque Conſilia-
rij, cur ei non dicunt, vt à ſua obduratione deſi-
ſtat, cùm valde ſit apertum, quòd Dei voluntati
nullus poſſit obſiſtere? Sed hoc tacent. Excellen-
tia operum Moyſis impulit eos, vt verum agno-
ſcerent, ſed humanus reſpectus, ne Regi diſpli-
Odd. Abbas. cerent, obturauit os. Oddo Abbas Cluniac. *lib.*
31. *mor.* Apprimè docti non deſunt, vt ſit ſub Re-
gibus, ſed Principis purpura ſæpe infatuantur.

24. Secundò. Eadem Cyrilli verba iterum preme:
Cyrill. *Sed pudore improbo victus, & gloria hominum ſu-
peratus, palàm accedere non audet.* Erubeſcebat Ni-
*Irriſio incipientē in via perfectionis ſæpe deterret.* codemus, manifeſtè ad Chriſtum venire, ideo ſub
noctis caligine venit: ſuſpicio enim opprobrij ac
irriſionis tantas in exordio perfectionis, ſanctæ-
que viæ ſæpe ſæpiùs apud homines vires habet,
vt ob humanam verecundiam excellentia virtu-
tis contemptui habeatur, & nulla ſit ratio exi-
miæ illius dulcedinis, quæ liberam conſequi ſo-
let virtutis conuerſationem. Ex hac enim erube-
ſcentia prouenit frigiditas in actione, imperfectio
in via ſalutis, & denique ceſſatio ab exercitiis
ſpiritualibus, alioqui iucundiſſimis. Huiuſmodi
Pſalm.118. incommoda ſibi metuens Dauid, dicebat: *Aufer
à me opprobrium, & contemptum: quia teſtimonia
tua exquiſiui*, Pſalm.118.n.22. Eſt ne honeſta pe-
titio, vt Deus opprobrium auferat, & contem-
ptum, cùm pars quædam beatitudinis ſit, pro Do-
mino exprobrari? *Beati eritis, cùm vos oderint, &* Luc.6.
*exprobrauerint homines*, Luc.6.n.22. & 1. Petri 4. 1 Pet.4.
num.14. Et gaudendum eſt cum Apoſtolis, ſi con-
tingat pro Chriſto contumeliam pati, *Actor.5.
n.41.* Cur ergo Dauid poſtulat, *Aufer à me op-
probrium?* Lorinus, *Ne contumelia, quæ etiam* Lorin.
*conturbat ſapientem, à mandatorum exquiſita ob-
ſeruatione deterreat.* Qui ſunt in conſummata via
perfectorum, contumelias, & iniurias à tyrannis
patiantur, magni gaudij, & exultationis habent
materiam: qui autem per iter cœleſte primò in-
grediuntur, dum huiuſmodi à domeſticis oppro-
bria ſuſtinent, multoties ab incepto itinere deſi-
ſtunt, ac retrocedunt. Cuius rei conſcius Dauid
dicebat: *Aufer à me opprobrium, vt teſtimoniis* Pſalm.118.
*tuis inhæream.* Et iterum eodem Pſalm.n.39. *Am-
puta opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia
iudicia tua iucunda.* Sed cùm eximiæ perfectionis
ſit in omnia opprobria ſe dare propter Deum,
cur Dauid tam ſolicitus eſt, vt non ſolùm petat
auferri opprobrium, verùm etiam ſuſpicionem
illius? Aiguanus, Caietanus, & alij. Poſtulat, vt Aiguas.
longè excludatur ſuſpicio, ac metus inanis; qui Caieta
tamen aliquos à diuina lege remouet, quòd ve-
reantur, ne obtrectent alij, & in opprobrium
ipſorum vertant ſtudium tam accuratum ſeruan-
dæ legis. Hunc autem metum impedire viam Dei,
Dominus dixit Ioan.5. n.44. *Quomodo poteſtis* Ioan.5.
*credere, qui ab inuicem gloriam quæritis?*

Tertiò venit nocte, vt bonus, & prudens. Vt 25.
bonus homo venit ad lumen fidei, vt illumine-
tur, & vt de via ſalutis habeat documenta. Vt
prudens, ſub noctis vmbra, vt cautè cum Chriſto *Prudēs cautè operatur.*
loquatur, ac ita fortaſſe poſſet ei meliùs inſeruire,
iniqua Iudæorum conſilia diſſipando, vt præſtitit
Ioan.7.*n.*57. vt ſæpe eſt dictum. Sicut & Gama-
liel ſocius in fide occultus erat Apoſtolorum, &
ex eorum concilio, vt teſtantur Clemens *in Re-* Clement.
*cogn. lib.1. cap.9.* & Beda *Actor. num.34.* per- Beda.
manſit apud Iudæos, vt data occaſione poſſet eo-
rum furorem ſedare: nam aliquando licitum eſt,
ad tempus religionem tegere, vt docet D. Tho- D. Thom.
mas 2. 2. *quæſt.*10. *art.*10. *ad* 2. Et ita ſcimus,
ſanctum Sebaſtianum feciſſe. Et Chuſai verſaba-
tur cum Abſalone, vt eius praua conſilia contra
Dauid inuerteret, & ipſi Dauid aperiret, vt ei ob-
ſequeretur, 2.*Reg.*17.*num.*5.

Quartò Euthymius, *Venit nocte*, ait, *timebat* 26.
*enim palàm accedere, propter Iudæorum ſuſpicionem,* Euthym.
*qui auerſuri erant accedentes ad eum.* Cùm enim
Nicodemus eſſet è numero eorum, qui tempora-
libus commodis inſeruiunt, & voluntatem Prin-
cipum, atque magnatum explorant, & præuident,
vt ei obſequantur; ideo clam venit, ne diſplice-
ret Iudæis, qui abſtinendi erant ab illis, qui ad
Chriſtum accederent. Magnis vocibus inſtarunt
Iudæi ad Pilatum, vt Chriſtus crucifigeretur; &
dicunt: *Secundùm legem debet mori, quia filium* Ioan.19.
*Dei ſe fecit*, Ioannis 19. num.7. Et cùm agnoſce-
rent, quòd nihil proficerent, & quòd volun-
tas Præſidis eſſet propenſa, ac inclinata, vt Chri-
ſtum dimitteret; dicunt Pilato, *Si hunc dimit-* Theophyl.
*tis, non es amicus Cæſaris*, ibidem num.12. id eſt,
vt multi cum Theophylacto explicant, non es
placiturus Cæſari. Quibus auditis Pilatus ſedens
pro tribunali Chriſtum reum mortis iudicauit.

Propoſita lege non adducitur Præſes ad mortis condemnationem, ſed vt placeat Cæſari, cuius voluntas ei omnino erat ignota. Imò Tiberius Cæſar ſemper fuit valde propenſus Chriſto Domino; nam auditis eius factis, ipſum ad Senatum retulit, vt inter diuos computaretur, vt teſtantur

Ter Oroſius. Euſeb. Euthym. Tertullianus, Oroſius, Euſebius à me citati *lib.3. c.1.n.2.* Ad quid ergo commemorant Cæſarem? Euthymius. *Intuiti obiectam legem fuiſſe inutilem, & intelligentes, quòd eum vellet abſoluere, ad accuſationem iterum tyrannidis diuertunt, quam timore Cæſaris non poſſet paruipendere Pilatus.* Cùm Iudæi agnoſcerent, Pilatum eſſe valde reſpectiuum, ac ambitioſum, & quòd totis viribus intenderet gratiam inire Cæſaris; quanuis efficacia legis, vt ipſi exiſtimabant, fuerit apud eum inefficax; tamen tanquam inexpugnabile telum ei obiiciunt Cæſaris amicitiam, & quòd illa mors eſſet Imperatori gratiſſima, ſecum ſtatuentes, quòd plus concutiendus, ac labefactandus erat Pilatus coniecturata Principis voluntate futura, quàm omni actuali legis impulſione.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare, cùm huius ſæculi Principes omnia ſibi licere, frequenter exiſtiment, Nicodemus tamen timeat palàm ad Chriſtum venire?*

27. OPTIMATES, ac Principes huius ſæculi, omnia ſibi eſſe licita, autumant, itavt nihil aggredi vereantur. Vnde ergo hic Princeps tam formidoloſus, vt ad Chriſtum conueniat? Hoc dubium excitans D. Bonauentura ita

Bonauent. fatur: *Nicodemus erat vnus de Principibus, non oportuit eum timere, nec nocte venire. Et ad hoc reſpondet Chryſoſtomus, quòd adhuc Iudaïca detinebatur infirmitate, ideo nocte venit trepidans.* Cùm enim Nicodemus Iudaïca infirmitate detineretur, & infidelitatis gereret figuram, vt dicam ſequenti quæſtione, valde conſequens erat, vt quanuis

*Errans valde timidus.* Princeps, nocte veniret; nam errans, valde trepidus, & timidus eſt. Secundò reſpondeo. Potentes ſæculi, ſi temporalia lucra interueniant, tanquam dij reputari volunt, & nihil ſibi ſuperius exiſtimant itavt nefas multum reformident: at ſi de ſalute ſpirituali, & bono animæ agitur, paruis rebus inhærent, & his veluti implicati morantur, ac detinentur.

28. Illud mirabile valde, quod Nabuchodonoſor, cùm in turpiſſimum illud prolaberetur ſcelus, vt ſe tanquam Deum reputari, & ſtatuam ſuam vellet adorari, vniuerſos regni ſui optimates con-

Daniel. 3. uocarit. Daniel. 3. num. 2. *Itaque Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregãdos Satrapas, Magiſtratus, & Iudices, Duces, & Tyrannos, & Præfectos, omneſque Principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem ſtatuæ,* &c. Sed cùm adſint Principes omnes, cur non coadunantur, vt Regem de nefariis auſibus admoneant, vtque ei perſuadeant, vt à tam turpi cogitatione deſiſtat? Vt rectè ponderat Diuus

Chryſoſt. Chryſoſtomus *hom. 4. ad populum.* Et augetur dubium. Cùm Darius Rex cogitaret, Danielem ſuper imperij ſui prouincias conſtituere, hoc ſuis non latuit, qui Prophetam obſecrantem Deum ſuum reperientes ad Regem detulerunt, qui poſuit cor ſuum pro Daniele vſque ad occaſum Solis, & qaunuis haberent exploratam Regis voluntatem, tamen ab accuſatione non deſtitere: *Viri* Daniel. 6.

*autem illi intelligentes Regem, dixerunt ei: Scito Rex,* c. 6. n. 15. Sed cur iidemmet Babyloniæ Principes in facto Nabuchodonoſoris aduerſante ratione obmuteſcunt; & in cauſa Danielis per integrum diem contra Regis placitum ſine intermiſſione inſtant? Cum Dario timebant iacturam facere poteſtatis, & iuriſdictionis temporalis: cum Nabuchodonoſore cauſa Religionis agebatur, & pro terreno emolumento omnẽ timorem contemnebant, & veluti imperterriti habebantur: at pro ſalutis negotio ne verbum proferunt, ſed tanquam ſtolidi omnes conquieſcunt.

*Principes ſæculi pro mũdi rebus multa faciunt, non verò pro animæ ſalute.*

Mittitur Moyſes, vt filios Iſraël educat de Ægyptiorum ergaſtulo, & dicitur ei: *Aaron frater tuus, erit Propheta tuus. Tu loquéris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem,* Exod. 7. n. 1. Itaque Aarõ legationes dabat Pharaoni, ac ei, vt ponderat Rupertus, plagas inferendas ptonunciabat. Contigit, quòd, cùm Moyſes eſſer in mõte Sinaï, populus dixerit Aaroni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant,* Exod. 32. n. 1. Aarone eorũ petitioni conſentiente, miniſtrante igne vitulus efformatur. Quid magis mirum? vir tam fortis, & conſtans, qui rabido Regi in medio curiæ ſuæ aſſiſtenti, copioſo exercitu circundato plagas acerbiſſimas valde imperterritè minabatur, modò ad radices mõtis, in quo Deus loquebatur, voce populi percutitur, vt in execrabile idololatriæ malum præcipitetur? Cur non reſtitit populo, totque ei à Deo accepta enumerat beneficia? Nónne ad latus ſuum ſtipati erant filij Leui viginti tria millia generis maſculini, *Num. 26. n. 62.* qui poſtea pro ſceleris vltione magnam in populo ſtragem edidere; qui vituli peccato non conſenſerunt, teſte Abulenſe *c. 32. Exod. q. 35.* Cur ergo contra deteſtabile factum non excandeſcit, ac pugnat? Author eſt ipſe Abulenſ, q. 33. *Aaron,* inquit, *non eſt auſus publicè repugnare, formidans ſibi mortẽ à populo inferendam.* Ad Pharaonem til timens audenter ingreditur, ei ante oculos obuerſabatur ſuæ, ſuorumque libertatis inæſtimabile donum, & quod ab Ægypto multis exiret onuſtus diuitiis, greſſumque faceret ad terram promiſſam fluentẽ lac, & mel poſſidendam: in deſerto autem cauſa diuini cultus, ac religionis erat vẽtilanda: vbi temporale commodum expectabatur, nullum ab excandenti ira Regis timebatur incommodum, parua omnia videbantur: cùm verò pro euertendo peccato, & ſuprema Dei veneratione ſtandum, ita vna populi voce vires minuuntur, atque deficiunt. vt vltra ad loquendum non ſit ſpiritus, nec halitus.

29. Exod. 7. Rupert. Exod. 32.

*Principes ſæculi pro cauſa religionis pauidi, pro mundi rebus imperterriti.*

Abulenſ.

---

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Nicodemus venerit nocte? aliis rationibus explanatur.*

HVIVS nocturni aduentus alias rationes ex Patribus proferamus. Simon Caſſianus lib. 11. c. 6. *Mirum autem,* inquit, *cum ſponſa quæſiuit per noctem, quem diligit anima ſua, & non inuenit; & iſte Nicodemus ad eum nocte venit. Sed illa quæſiuit in lectulo ſuo, videlicet delectata quiete; iſte verò, cùm venit, iugum otioſitatis excludit.* Anima ſancta in dulcedine ac lectuli quiete ſuum quæſiuit dilectum, ideo

30. Simon Caſſ. *Vt Chriſtum inuenias, otioſitatem, ac delitias relinque.*



Cant. 3. non inuenit. *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea, & non inueni,* Cantic. 3. num. 1. At Nicodemus nocte quærit, & inuenit; nam relicta domo, & depoſita otioſitate, ac magna ſolicitudine ad Chriſtum accedit, & ideo eius præſentia fruitur; Deuteron. 33. num. 3. *Qui*

Deut. 33. *appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.* Vide *lib. 1. cap. 1. num. 94. & cap. 2. num. 116. & cap. 5. num. 107.*

31. Beda. Secundò. Beda, *Venit,* inquit, *Nicodemus ad Ieſum nocte, cupiens ſecreta eius allocutione plenius diſcere myſteria fidei, cuius aperta oſtenſione ſignorum aliquatenus iam rudimenta perceperat.* Similiter

Rupert. Rupertus. *Venit nocte Nicodemus, vt audiret Ieſum ſine turba. Doctrinæ aptum nocturni ſilentij*

Albert. Mag. *bene captauit otium.* Idem Albertus Magnus. *Nocte venit, & ſecretum ſignificat, quia extra ſtrepitum diſcere veritatem voluit.* Clam accedit Nico-

*Noctis ſilentium ad colloquium, ac ſecretum.* demus in tenebris, vt cum Chriſto, nullo impediente, ſecretò colloqui poſſet, & diutiùs, ac commodiùs cum eo immorari. In hanc conſiderationem dicebat ſponſa, loco proximè dato: *In le-*

Cant. 3. *ctulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea,* Cantic. 3. num. 1. Cur nocte, & non die ſedulè quærit? Diuus Bernardus ſermone 86. in

Bernard. Cantic. *Verecundia tibi, ſi aduertis, & loco ſignatur, & tempore. Quid tam amicum verecundo animo, quàm ſecretum? Porrò ſecretum, & nox, & le-*

Iob. 4. *ctulus habet.* In hanc rem dicitur Iob. 4. num. 12. *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius, in horrore viſionis nocturnæ.*

32. Auguſt. Tertiò D. Auguſtinus epiſt. 28. ad Hieronym. *Vnde,* ait, *Nicodemus ad verum magiſtrum nocte venerat, quia fortaſſis erubeſcebat dicere, qui docere conſueuerat: me autem, magiſtrum audire, quàm velut magiſtrum delectat audiri.* Idem ha-

*Magiſter diſcere non erubeſcat.* Carthuſ. Hugo. bent Carthuſianus, Hugo, & alij. Nicodemus, cùm eſſet Princeps, ac magiſter in lege, erubeſcebat, ſe diſcipulum profiteri eius, quem conſtabat, litteras non didiciſſe. Hanc erubeſcentiam con-

Hieron. demnat D. Hieronymus *in cap. 2. Aggæi, num. 12.* vbi de Sacerdotibus ita fatur: *Diſcant legem Dei, vt poſſint docere, quod didicerint; & augeant ſcientiam magis, quàm opes, & non erubeſcant à laicis diſcere, qui nouerint ea, quæ ad officium pertinent Sacerdotum.*

33. Haymon. Quartò Haymon. *Pulchrè,* ait, *in nocte veniſſe dicitur, quia in tenebris ignorantiæ obnubilatus ad tantam lucem nondum peruenerat, vt perfectè*

Pſalm 81. *Deum verum crederet: nox enim in ſacro eloquio pro ignorantia ponitur.* Pſalm. 81. num. 5. *Neſcie-*

D. Thom. *runt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Idem Diuus Thomas. Competit tempus noctis ignorantiæ, & imperfectæ cognitioni, quam habebat Nicodemus: ſicut enim nox ſenſibilis cauſatur ab intermedia terra, quæ denſitate, atque opacitate ſua ſolarium radiorum impediens penetrationem, ipſam efficit noctem; ita nox ſpiritualis reſultat ab aliqua denſa re, quæ adſtanti Deo, qui animæ Sol eſt, oppoſita, illius impediat lucem.

Quintò D. Gregorius Nazianz. orat. 16. n. 53.

34 Greg. Naz. *Ille,* inquit, *dimidia tantùm ex parte Chriſtum amans Nicodemus.* Nicodemus valde imperfectus in amore, qui pernoctes ad Chriſtum veniebat, per dies verò conuerſando cum Phariſæis verſabatur. Magnus error in obſequium Diaboli, ac mundi, tempus conſumere: ſed multo deteſtabilius, duobus dominis velle ſeruire, Deo, & Diabolo. *Diſperdam,* ait Deus, *eos, qui iurant in Domino, & iurant in Melchon,* Sophon. 1. num. 5. Septuaginta: *Eos qui iurant in Domino, & iurant in Rege ſuo.* Vbi ſignanter notandum, quòd non comminatur Dominus in eos, qui iurant tantùm in Deo ſuo, ſed in illos, qui cum obſequio Dei coniungunt famulatum Regis. D. Hieronymus. *Diſperdet Dominus eos, qui adorant Dominum, & Melchon; qui ſæculo pariter, & Domino, putant ſe poſſe ſeruire; qui militantes Chriſto, obligant ſe negotiis ſæcularibus, & eandem imaginem offerunt Deo, & Cæſari; & cùm Chriſti Sacerdotes ſe eſſe dicant, filios ſuos conſecrant Melchon, id eſt, Regi ſuo.* Vide *lib. 1. cap. 1. num. 124.*

*Non eſt ſeruiẽdum Deo & mundo.* Sophon. 1. Septuag. Hieron.

Sextò. Nicodemus venit nocte, claudicabat enim fide, ac dilectione, vt colligitur ex Cyrillo *lib. 2. in Ioan. cap. 38.* Quilibet animi affectus diſſimulari patiens eſt; at amor neſcit occultari, & ſemper in manifeſtum prodire intentat. Vnde qui in negotio dilecti furtim ambulat, latebras quærit, tanquam amoris expers æſtimatur. Tempore perſecutionis impiæ Iezabelis dabantur multi Dei cultores, qui per caſtitatem deſerti, ac montium ſpeluncas latitabant, & ita dixit Abdias Eliæ: *Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim, cùm interficeret IeZabel Prophetas Domini, quòd abſconderim de Prophetis Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane, & aqua,* 3. Reg. 18. num. 13. Et etiam Deus dixit Eliæ. *Derelinquam mihi ſeptem millia virorum, quorum genua non curuata ante Baal,* cap. 19. num. 18. Et tamen cùm Elias viderit Dominum in Horeb, ait ei: *Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam,* ibid. num. 14. Sed quomodo tantus Propheta potuerit ignorare, quòd multi amicorum Dei cœtus darentur, vt meritò addubitat Rabanus. Imò ipſe Abdias ei dixerat, quòd tot, tantoſque aluerit, ac eis alimoniam præſtarit. Quomodo ergo ait: *Derelictus ſum ego ſolus;* ſeu, vt eſt in Hebræo, *Derelictus ſum ego ſolus ego?* Caietanus. *Derelictus ſum ego ſolus: verum dicit, inter Dei Prophetas tunc manifeſtos.* Cauſa venerationis Dei erat, & multi extabant Dei cultores, & occulti, & abſconditi: at Elias tantùm erat manifeſtus, & publicus. Optimè ergo ait: Derelictus ſum ſolus. nam qui clam, ac ſub caligine ambulat, non reputatur tanquam amicus, ſed ille tantùm, qui palàm, ac ſub luce meridiana verſatur.

35. Cyrill. *Amor nequit abſcondi.* 3. Reg. 18. 3. Reg. 19. Raban. Hebræus. Caietan.

Apparet Dominus ſuper ſolium maieſtatis. Et Seraphim ſtabant ſuper illud. *Sex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant,* Iſai. 6. num. 2. Sex alas adnatas habent Angeli, duabus tegunt caput, & duabus pedes: at aliis: quæ erant ad latus volabant, vt explicat Interlinealis, medium aperiendo; cur ſicut capiti, & pedibus dant tegumenta, illud etiam medio non parant? Per caput, & pedes, teſte D. Hieronymo, D. Ambroſio *in Symbolum, c. 10.* D. Thoma, Hugone, & aliis, intelliguntur præterita ante mundum, & futura poſt mundum, quæ ſcire non poſſumus: ſed media tantùm, quæ ſex diebus ob hominum dilectionem facta ſunt, vidimus, &

36. Iſai. 6. Hieron. Ambroſ. D Thom. Hugo.

contemplamur. Conſequens ergo erat, vt pectus alis non inuolueretur; ibi enim conſiſtit cor, vbi ignitus reſidet amor. Pedes, & caput abdi, ac ab hominum conſpectu remoueri poterunt: at vbi amor commoratur, abdimenta ſemouet, & in publicum patenter prodit. Quod eleganter dixit D.

Cyrill. Cyrillus de Incarnatione: *Omnis animi affectus diſſimulari patiens eſt, amor verò impatiens.*

---

## Qvæstio VIII.

### *Quare Nicodemus, cùm venerit nocte, ac occultè, à Christo non reprehendatur?*

37\. Nicodemvs reprehenſione maximè dignus, eo quòd ſub caligine noctis clã veniret ad Chriſtum Dominum verum lumen, cùm non fuerit auſus ob metum Iudæorũ palàm ad ipſum accedere, ſitque maximè execrabile, quòd noſter amor in Deum, & in mundum diuidatur. Et ita dicitur Apoc. 3. n. 16. *Vtinam calidus, aut frigidus eſſes*; attamen reprehenſione omiſſa, à Chriſto amicabiliter, benignéque recipitur. Cur non obiurgatur, ac reprehenditur? Huius rei rationes inquirimus.

Apoc. 3.

38\. Chryſoſt. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 23. *Clementiſſimus Deus, neque tam frigidum affectum pepulit, neque obiurgauit, neque indignum ſua duxit doctrina; ſed multa cum manſuetudine eum alloquitur, & arcana aperit, obſcurè quidem, aperit tamen: quippe quem longè magis venia dignum exiſtimauit, quàm qui malitia percontabantur, illi enim nullo pacto poterant excuſari; hic etſi reprehenſioni, non tantæ tamen, erat obnoxius.* Nocte venit Nicodemus, à Domino tamen amicabiliter recipitur, quia non ex malitia, ac contemptu, vt alij Phariſæorum Principes percontabantur, ſed ex quadam veluti ignorantia, ac ignauia ita clam accedit: & delicta, ex ignorantia facta, venia valde digna, ſicut magno multanda ſupplicio, quæ ex malitia, maloque perpetrantur affectu. Ait Dominus Luc. 12. num. 47. *Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ignorantia enim à magno excuſatur ſupplicio; vt *ibi* notant D. Ambroſius, D. Bonauentura, & alij.

*Delicta ex ignorantia, venia digna.*

Luc. 12.

Ambroſ. Bonauent.

39\. Rupert. Secundò Rupertus lib. 3. *Ignoſcendum eſt illi, & expectanda eius lactens, & edentula fides, donec creſcat, & proficiat.* Erat enim Nicodemi fides valde debilis, venerat nanque ex Phariſæis; eratque tenera valde, ac infantula, ideo fauorabiliter irriganda, donec creſceret, ac proficeret. Ideo rigoroſis eum non increpat verbis, ne fortè aſperè obiurgatus à via ſalutis deſiſtat, ac retrocedat. *Calamum quaſſatum non conteret: & linum fumigans non extinguet*, Iſai. 42. num. 3. In cuius explicationem ita loquitur Diuus Hieronymus: *Calamum quaſſatum, ſiue confractum, non conteret, cunctis enim placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus, dicens: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua. Et linum fumigans non extinguet; qui vicini erant extinctioni, Domini clementia ſeruabuntur.*

*Fides tenera benignè fouenda.*

Iſai. 42.

Hieron.

40\. Ambroſ. Tertiò Diuus Ambroſius *in cap. 23. Luc.* ad illa verba: *Ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio*; ita ait ſanctus Pater. *Veni & tu, vel ſerò, vel nocte, vel quacunque hora: quandocunque veneris, inuenies Ieſum ad ſuſcipiendum paratum, nec minorem ſeriùs venientibus mercedem pia largitate ſoluentem. Nam & qui ſexta hora venit, non eſt mercede fraudatus: & qui vndecima, plenitudinem mercedis accepit. Sed etiam Nicodemus nocte venit.* Non reprehenditur, quia, etſi nocte, tamen ad Deum venit; in eo enim totum ſtat noſtræ ſalutis negotium, quòd ad Deum appropinquemus; nam ſi, quominus ad Deum accedamus, aliquo humano reſpectu, & peccatorum onere retardamur, huiuſmodi cogitationem deponamus, & tantum abeſt, quòd damnum aliquod, aut erubeſcentiam patiamur, vt potiùs ad eum accedentes bonum omne inueniamus. Pſalm. 33. num. 6. *Accedite ad Deum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* ſeu, vt legit Diuus Auguſtinus, *& vultus veſtri non erubeſcent.* Si aliquis vos detinet peccatorum timor, vel patiendi verecundia, ne ad Deum approximemini; accedite, & non verecundiam, verùm illuminationem potiùs inuenietis, & gloriam: hoc tantùm intereſt, vt veniatis, non enim repulſam patiemini. Diuus Auguſtinus: *Sed dicit aliquis: Quomodo ad Deum accedo? tantis malis, tantis peccatis oneratus ſum, tanta ſcelera clamant de conſcientia mea, quomodo audeo accedere ad Deum? Accede ergo ad eum, & illuminaberis, & vultus tuus non erubeſcet. Si enim timor erubeſcendi reuocat te à pœnitentia, pœnitentia autem facit te accedere ad Deum.*

*In acceſſu ad Deũ, non verecundia, ſed omne bonum.*

Pſalm. 33.

Auguſt.

Idem.

41\. Quartò. Chriſtus Dominus ſumma ſapientia Patris Nicodemum nocte, & clam venientem non ſolùm abſque reprehenſione, ſed valde amicabiliter recipit, atque ad ſe admittit, quia eo tempore homines in republica illa Chriſto Domino non ſolùm propitij non erant, verùm maximè aduerſabantur: cùm autem quis in eo euentu conſtituitur, vt omnibus inuiſus, odioſuſque ſit, quocunque modo ei aliquis aſſocietur, ac coniungatur, hoc ei valde feſtiuum eſt, ac periucundum. Sicut enim ille, in quo omnibus eſt voluptas leui offenditur aura; ita & qui ab omnibus contemnitur, quacunque re delectatur. Inquit Regius Vates ad Chriſtum Dominum: *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*, Pſalm. 75. n. 21. Mirum valde huiuſmodi pronunciatum: nã omnes noſtræ cogitationes, ſenſus, & operationes in obſequium Chriſti Domini defixæ, intentæque eſſe debent: quomodo ergo ait Pſalmographus, quòd reliquiæ cogitationis, ſeu quædam parua, & minima cogitatio ſolemne ei peragit feſtum? Verſabatur in hoc mundo Chriſtus Dominus valde abiectus, & contemptus apud homines, ita vt omnes ab eo oculos, cogitationeſque auerterent: qui ergo in famulatum eius aliquem intendebat cogitatum, magnam ei ſolemnitatem videbatur impendere. Antonius Gueuara Ordinis Franciſcani, in prologo ad Oratorium Religioſorum: *Adeo*, ait, *Deus noſter eſt, ac tam paucis contentus, vt feſtum agatur ei reliquiis ipſis bonorum deſideriorum.*

*Felices leui offenduntur aura, re qualibet contemptibiles lætantur.*

Pſalm. 75.

Gueuara.

42\. Cùm Rachel ſororem ſuam Liam, quæ quatuor marito ſuo Iacob pepererat filios fœcundam cerneret, ſeque infœcundam, & ſterilem contemplaretur, viro Balaam famulam tradidit, vt ad





illam ingrederetur, quæ poſtquam concepit, & peperit, ait Raphael: *Comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui*, Gen. 30. num. 8. ſeu, vt alij legunt, *excellui*, ſeu, *vici eam.* Sed quomodo Rachel, cùm ex famula vnum, vel alterum habeat filium, contra ſororem ex proprio vtero quatuor habentem tam arroganter loquitur: Rachel ſterilitatis laborans opprobrio maximè erat humiliata, proindeque cùm filium, licèt ex ancilla, nomine ſuo habuerit, quanuis vnus, vel alter eſſet, ita ab ea appretiabatur. in æſtimatione que erat, vt ſibi perſuaderet, ſororem quaternis natis editis ſuperatam à ſe eſſe, atque deuictam. Abulenſis: *Et inualui*, inquit, *facta ſum in maiori ſtatu, quàm ipſa: ante enim quàm Rachel ex ancilla ſua ſuſciperet aliquem filium, timebat ſe inferiorem ſorore ſua fieri; nunc dicit, ſe inualuiſſe contra ſororem, quia iam maioris reputationis haberetur apud virum, quàm ſoror ſua.*

Geneſ. 30.

Abulenſ.

---

## Qvæstio IX.

### *Quare, cùm multi in populo ſiniſtram de Chriſto Domino opinionem haberent, Nicodemus tamen, veluti de omnibus, ait:* Scimus, quia à Deo veniſti magiſter?

43\. Valde notatu dignum, cùm multi in populo, ſuadente Dæmone, prauè de Chriſto Domino iudicarint, ita vt multi maligno ſpiritu dicerent, atque aſſererent, Dæmonium habere, ac in Beelzebuth eiicere dæmonia; quomodo Nicodemus tanquam de omnibus dicat: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter.* Nec dubium ſoluitur, ſi dicatur, quòd hoc erat in exordio prædicationis Chriſti, & quod tunc Iudæorum Principes Chriſtum Dominum in magno odio non habebant. Hoc dici non poteſt, quia iam pro tali tempore reipublicæ magnates maximè Chriſto Domino aduerſabantur; & ideo Nicodemus propter metum Iudæorum venit ad Ieſum nocte.

44\. Reſpondeo primò. Quanuis in republica Iudaica extarent multi: multa de Chriſto Domino indignè ſentientes, dabantur tamen aliqui, non ſolùm ex diſcipulis, ſed etiam ex Phariſæis, qui rectè iudicabant, *Ioan. 12. num. 42.* Nicodemus autem, cùm ad viam perfectionis approximaret, iuſtorum ingenium iam ebiberat, quod maximè aſſolitum eſt, in alienis rebus, ſpecioſa, & magna dicere, ac conſiderare; noxia, & turpia diſſimulare, ac omittere: elegantia diuulgare; fœda verò obnubilare. Et ita ait: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter*; ante oculos habens, non prauam ſententiam eorum, qui temere de Chriſto loquebantur, ſed optimum placitum eorum, qui conuenienter iudicabant. Mortuo Domino ſuſcitantur multa corpora Sanctorum, de quibus ait S. Matthæus cap. 27. num. 53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem.* Maximè dubitant Authores, quo fundamento diuinus Euangeliſta ſanctam appellet ciuitatem, omni vitio, & abominatione plenam, in qua regnabat iniquitas, dominabatur malitia? Cùm D. Matthæus ciuitatem deteſtandam omni nefario ſacrilegio immerſam, ob inhabitantium malitiam aliquo turpi nollet deuenuſtare vocabulo, attendit, non ad conſertam vitiorum manum, quæ imperabat in ea, ſed ad antiquum Deo gratum, quo olim floruit, ſtatum; vel ad templum Deo dicatum, quo maximè erat illuſtris, vt ab his nomen ſanctum illi daret. Hoc non ſubterfugit D. Paſchaſius lib. 12. in Matth. *At verò iſta*, inquit, *venerunt in ſanctam ciuitatem, ſcilicet Ieruſalem illam, & apparuerunt multis. Sancta autem ideo vocatur, vel propter templum, quod erat in ea, ſeu propter ſancta Sanctorum: vel ideo, quia priùs ſancta fuerat, & adhuc ex antiquo iure ita vocabatur vocabulo.*

*Iuſti de aliis magna dicunt, fœda tacent.*

Matth. 27.

Paſchaſ.

45\. Secundò. Nicodemus in animo non habebat, vt aliorum creſceret decrementis, aliorum exiguitate magnus fieret; ideo veluti de omnibus loquens ait: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter*; non enim intendebat, aliorum aperire malitiam, vt ſuam rectitudinem oſtentaret, cauebat, aliorum detegere nuditatem, vt ſuam glorioſam iudicij ſupellectilem propalaret: quippe Nicodemus ex eorum numero non erat, qui ſibi perſuadent: tunc aliquid ad augmentum addi, cùm aliis detrahunt. Multa ſibi apud ciuitatis contigiſſe cuſtodes, narrat ſponſa; quomodo multis impoſitis plagis vulnerauerint eam, eiuſque abſtulerint pallium; & ſtatim ſuis ſodalibus contexens ait: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*, Cantic. 5. num. 8. Valde mirum, quòd ſponſa tantum ſuum amorem in medium proferat. Eximia, flagranſque eius erga ſponſum charitas abſque dubio maximè commendabatur, dum pro fruenda præſentia eius tot, tantaque perpeti non dedignatur. Cur ergo non plagas, iniurias, contumeliaſque commemorat, ſed tantùm nuntiari ſuum mandat amorem? Quoniam ſponſæ magnanimitas, ac charitas, non aliorum turpe factis fulcitur, nec aliena grandeſcit exiguitate; ſed propriis geſtis valde procera incrementatur, neque eius gloria aliorum decrementis alitur, ac augeſcit. Ideo non aliorum puſillitatem, ſed ſpecioſam ſuam inculcat dilectionem. Audiendus eſt Gillibert. ſerm. 46. in Cantic. *Deſine*, inquit, *in ſanctis magis numerare detrimenta, quàm lucra. Noli foris nuntiare, noli prædicare ſodalibus tuis. Temerarium eſt, dilectam condemnare dilecto, bona ſibi vult nuntiare, & commendationi potiùs aurem præbere. Nouit hæc ſponſa, ideo dicit: Adiuro vos, ſi inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.*

*Magnus non intendit aliorum dicere defectus, vt ſuam gloriã oſtendat.*

Cant. 5.

Gillibert.

46\. Cùm Moyſes in monte Horeb ſoceri ſui paſceret oues, rubum flammis circundatum abſque combuſtione videt, & ait: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, Exod. 3. num. 3. Sed vnde dicit viſionem tam magnam, cùm rubus eſſet valde exiguus, vt eſt plurimorum Patrum ſententia? Imò dum dicit viſionem magnam, aliquid diuinum latens in rubo ſuſpicatus eſt, vt teſtatur D. Gregor. Nazianz. *Orat.* 1. S. Germanus Archiepiſcop. *Orat. in Natiu. Virg.* S. Bernardus *ſerm. de B. Maria.* D. Gregorius Magnus *lib. 15. moral. cap. 27.* Vnde tam altum, & ſublime ſuper naturam de humili rubo coniecturauit? Prudenter rem diſcutit Moyſes: Non mundana, ſed diuina lux eſſe poteſt, quæ ſine rubi combuſtione ſplendeſcit, & fulget. Terrena flamma dum materiam abſumit, vires acquirit, ac ſplendore ſuo illuminat; cœleſtis

Exod. 3.

Greg. Naz. Germ. Arch. Bernard. Greg. Mag.

*Solius eſt Dei ſplendeſcere ſine alterius diminutione.*

verò ignis non alterius depaſtione alitur, & nutritur, ſed ſine alicuius diminutione totus irradiat, atque effulget. Philo lib. 1. de vita Moyſis. *Porro*, ait, *nuntius diuinæ prouidentiæ faciebat ſpem tot horrendorum periculorum fore lætum, & facilem exitum, ea coniectura excutiatur diligentiùs; rubus frutex debilis eſt, & ſenticoſus, nec abſumitur ignis voraci natura, imò conſeruatur etiam, qualis antea fuit permanens, adeò nihil amittens, vt niteſceret etiam.* Expende vltima verba in rem noſtram. — *Philo.*

*Ioannis 3. n. 5.* Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.

### *VERSIONES.*

*Syriacus, Euthymius* — Niſi quis genitus fuerit denuo.

*D. Cyrill. lib. 2. Theophylact. Vatablus.* — Niſi quis natus fuerit deſuper, non poteſt, *&c.*

*Aliqui ex Græco apud Maldonat.* — Niſi natus fuerit cælitus.

## *EXPOSITIO.*

47. PRÆCLARA veritatis ſtabilitate, & magna authoritate, manſuetudine, beneficentia, prudentia, atque modeſtia Nicodemum Dominus excipit, eique reſpondet: *Amen, amen;* quòd magnam in dictis denotat ſtabilitatem, certitudinem, atque conſtantiam, quæ excelſi animi ſingularis eſt index. *Dico tibi.* Caietanus. *Legem mundo promulgans*, ait, *de Baptiſmo, non dicit: Hæc dicit Dominus, vt Moyſes, & Prophetæ dicebant; ſed authoritatiuè loquitur, dicendo: Dico, incipiens hinc excitare Nicodemum ad maiorem de ſe fidem, minus ſiquidem de Ieſu ſentiebat Nicodemus; qui pro ſummo titulo profeſſus eſt Ieſum magiſtrum deſtinatum à Deo, hic enim titulus communis erat Chriſto, & reliquis Prophetis. Per hoc autem, quod dicit: Dico, maiorem ſe Prophetis cunctis ex modo loquendi aperit.* Manſuetudinem ſuam Dominus declarat, non enim reprehendit, nec obiurgat Nicodemum, quòd nocte venerit ad eum, quem magiſtrum à Deo datum confitetur: ſed tantùm ad eius infirmitatem curandam Dominus ſe conuertit.

*Conſtantia magni animi index.* Caietan.

48. *Niſi quis renatus fuerit denuò.* Inſinuat Dominus, quòd hominem natum ac genitum ex naturali ſemine, oportet iterum renaſci, non ex carne, nec ex ſanguine, ſed ex voluntate Dei, & in ſtatu filiorum Dei: vbi enim interuenit noua filiatio, noua exigitur generatio. Nomen autem Græcum, vt cum Chryſoſtomo *homil.* 23. notant Tolet. Salmeiron, Beaulxames, Barradas, reſpondens *denuo*, vt ſignificat iterum, ſeu *denuo*; vel supernè, ſeu deſuper, & vtroque modo legitur. Tamen Chryſoſtomus ſequitur priorem lectionem; quam nos etiam habemus in noſtra vulgata. Poſterior ſignificatio eſt probabilis, & optimè adaptatur: quod eleganter ponderat D. Cyrillus *lib. 2. in Ioan.* S. Thomas *hîc*; & ait: *Naſci deſuper eſſe proprium filij Dei, quia ipſe ſolus natus eſt deſuper; & ita dicitur infrà: Qui deſurſum eſt, ſuper omnes eſt.* Et poſt pauca ſubdit. *Ideo, quia illa generatio ſuperna eſt, & noſtra generatio deſuper eſt, quantum ad tempus per æternam prædeſtinationem.* Ad Epheſ. 1. num. 4. *Elegit nos in ipſo.* Singulariter Chriſti Domini magnificentia decantatur, qua ſuam dignitatem, quantum fieri poteſt, nobis communicat: cùm enim eius generatio ab æterno ſit deſurſum, etiam noſtram regenerationem deſuper eſſe, determinat. Et mira prudentia Dominus inchoat Nicodemum inſtruere in regeneratione ſpirituali, à Baptiſmo, quod primum eſt totius ædificij ſpiritualis fundamentum in lege gratiæ. Et Dominus ſatis inuolutè, ac obſcurè reſpondet, vt eum faceret attentiorem, vt obſeruat D. Bonauentura; obſcura enim acumen ingenij maximè ſolicitant. Vel ex eo, vt mihi eſt probabilius, obſcurè reſpondet, vt Nicodemus ſuam agnoſcat ignorantiam, ac fragilitatem; & vt intelligat, ſe ad cæleſtia percipienda altiori indigere inſtructione, vt ita cognita infirmitate ſalutem valeat recuperare.

Chryſoſt. Tolet. Salmeiron. Beaulxam. Barradas.

Cyril. D. Thom.

Epheſ. 1. *Chriſtus nos celſitudinis ſuæ facit participes.*

Bonauent. *Obſcura excitant intellectum.*

*Non poteſt videre regnum Dei.* Nicodemus humilem de Chriſto habebat opinionem, ipſumque tanquam vnum ex Prophetis exiſtimabat; & quia vidit ſigna, quæ fecit in Ieruſalem, vt patet ex *cap. 2. in fine*, ad ipſum venit. Cui ait Chriſtus: Nemo poteſt intelligere, ac videre mea opera, ſigna, atque doctrinam, niſi natus fuerit denuò in Spiritu ſancto: in quo inſinuat, ſe eſſe Deum, cùm tanta ſit ad eum videndum, & intelligendum neceſſaria gratia. Vnde inquit Euthymius; *Nunc ſeipſum dicit Deum; id tamen obſcurè, quò inſolentiam deuitet.* Cùm neceſſarium ſit ad tradendam doctrinam ſe eſſe Deum manifeſtare; id tamen modeſtiæ ergò ſub quibuſdam inuolucris inuoluit, & ait, *Videre regnum Dei.* Dubitat verò Hugo, quomodo ad huiuſmodi viſionem tanta gratia exigatur, cùm etiam impij videant iuſtos: *Iacebunt impij ante portas iuſtorum.* Prouerb. 14. num. 19. *Peccator videbit, & iraſcetur;* Pſalm. 111. num. 9. Et reſpondet: *Videre, ſumitur pro frui gaudio regni Dei.* Qui enim Dominum videt, eiuſque præſentiæ gaudio minimè fruitur, idem eſt ac ſi non videat. 49.

Euthym. *Chriſtus ob modeſtiam ſuam dignitatem occultat.*

Hugo.

Prou. 14. Pſalm. 111.

Regnum Dei quid hic ſignificet, controuertitur. D. Chryſoſtomus *hom.* 23. Euthymius, Theophylactus, D. Bonauentura, ipſummet Chriſtum dicere exponunt, *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum*, Ioan. 17. num. 3. Ac ſi dicat Chriſtus: O homo, niſi quis renaſcatur ex gratia Dei, non poterit me ipſum videre, & intelligere. Secundò D. Auguſtinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap.* 30. D. Cyrillus *lib.* 2. Beda, Carthuſianus, D. Thomas, Albertus Magnus, exponunt, regnum eſſe beatitudinem, ac vitam æternam, quam ſine Spiritus ſancti influxu homo conſequi non poteſt. Tertiò D. Cyprianus *lib. 2. epiſt.* 1. Salmeiron, Toletus *annot.* 6. per regnum Dei intelligunt Chriſti Eccleſiam, vt ſit ſenſus: Venis, vt te inſtruam in vera doctrina, quæ eſt in fide catholica; hanc autem nemo poteſt capere, & percipere, niſi fuerit denuò generatus ex gratia Spiritus ſancti. Et quia hæc expoſitio 50.

*Quid ſit regnum Dei.* Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Bonauent. Ioan. 17. Auguſt. Cyrill. Beda. Carthuſ. D. Thom. Albert. Mag. Cyprian. Salmeiron. Tolet.



ſitio eſt magis conformis intentioni hiſtoriæ, ideo, meo iudicio, præferenda. Eccleſia Catholica ſæpè dicitur regnum Dei. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*, Matth. 12. *Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei*, Luc. 11. num. 20.

Matth. 12. Lucæ 11.

---

## QVÆSTIO X.

### *Quomodo hæc Chriſti reſponſio connectatur cum dictis à Nicodemo?*

51. PRÆSENS quæſtio in valde diuerſas ſententias fecit abire Doctores; Nicodemus enim à Chriſto nihil quæſiuit de eius doctrina, nec de eius regno, nec de illius conſecutione, ac viſione; nam tantùm dixi: *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Quomodo ergo ſapientiæ Magiſter ad hæc reſpondet, explicando quæ neceſſaria ſunt ad ſui regni conſecutionem, & viſionem.

52. Maldonat. Primò aliqui recentiores cum Maldonato reſpondent, quòd poſtquam Nicodemus dixit ea, quæ in 2. verſu antecedenti continentur, interrogauerit etiam à Chriſto Domino, quid ſibi faciendum eſſet, vt regnum cælorum ingrederetur, Chriſtumque viam cælorum illi demonſtraſſe. Euangeliſta autem interrogationem Nicodemi non expreſſit (eam tamen in Chriſti reſponſione ſatis inſinuauit. At hæc ſolutio mihi, ſicut & aliis non placet, quia ſine vlla authoritate, ac neceſſitate additionem in hiſtoria textus facere vult. Et aliunde legitimus ſenſus rectè cohæret. Deinde valde difficile eſt, quòd Euangeliſta ſatis latè narrando huiuſmodi colloquium Chriſti cum Nicodemo, talem interrogationem ſubticuerit. Tertiò, quia iam in tali interrogatione Nicodemus ſe Chriſti diſcipulum profiteretur, & Dominus ita obſcurè ei non reſponderet, ſed ſatis clarè, & diſtinctè, vt dixit adoleſcenti, quando quæſiuit: *Quid faciam, vt vitam æternam habeam?*

*Non approbatur ſententia.*

53. Rupert. Secundò Rupertus *lib.* 3. Nicodemus, ait, quæſtionem nullam propoſuiſſe videtur, ad quam de videndo regno conſequenter reſponderit Ieſus. Cui quæſtioni reſpondet, quòd Nicodemus erat ex illis, qui in Chriſtum crediderunt, *Videntes ſigna, quæ faciebat*, Ioan. 2. n. 23. & credebat, ipſum eſſe Meſſiam, quem Iudæi expectabant venturum Regem magnum. Nicodemus ergo ad eum venit, vt ſciret, quando, vel quomodo in throno Dauid reſideret, & reſtitueret regnum Iſraël. Hæc ergo cogitanti congruè, & verè reſpondet Dei ſapientia: *Nemo poteſt videre regnum Dei*, &c. Contra hæc faciunt difficultatem, quia ſi Nicodemus ad Chriſtum accederet Regem exiſtimans, potius Regem diceret, quàm magiſtrum: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter.* Deinde, quia ipſemet Rupertus exiſtimat, vt eſt communis ſententia, & dixi ſuprà *num.* 21. quòd Nicodemus ſibi perſuaſerit, Chriſtum non eſſe Deum, ſed magiſtum, veluti vnum ex Prophetis, Meſſiam Deum eſſe, omnis Scriptura conteſtatur.

Ioan. 2.

54. Cyrill. Chryſoſt. Tertiò D. Cyrillus *lib. 2. in Ioan.* cui videtur adhærere D. Chryſoſtomus *homil.* 23. ita rem explicat. Nicodemus exiſtimabat, ſatis ſe feciſſe ad ſalutem, quòd ad Chriſtum venerit, ipſumque magiſtrum à Deo miſſum appellauerit: Chriſtus ad hæc reſpondet, non ſatis eſſe, ſi fidem verbis profiteatur, niſi iterum renaſcatur ex gratia. At hæc reſponſio etiam mihi eſt difficilis: primò, quia Nicodemus, vt dixi *num.* 21. claudicabat in fide, & ipſimet citati Patres docent; ac proinde eius fides non erat ſufficiens ad ſalutem. Deinde, quia ſi Dominus totum progreſſum ad ſalutem explicaret, non ſolùm ageret de fide, ac Baptiſmo, verùm etiam de operibus diſſereret.

Quartò Ammonius *in Cat. Græca*, ita ſoluit, quòd Chriſtus Dominus non reſponderit ad illam interrogationem, ſed ad opinionem, quam de ipſo tanquam de puro homine conceperat Nicodemus; & quòd propterea Chriſtus Dominus eum docere voluerit, aliam generationem illi eſſe neceſſariam, vt de eo altiorem conciperet cognitionem. In hac etiam ſententia eſt Theophylactus, & D. Thomas. Verùm hæc ſententia rem adhuc adæquatè non explicat; quia paſſim in Euangelio habetur quòd homines acceſſerint ad Chriſtum ad eum interrogandum, ac ſequendum, humilem de eo opinionem habentes, nimirum quòd tantùm eſſet homo ſanctus, vel Propheta; & tamen ex hoc Dominus non arripuit occaſionem ad eos inſtruendos de modo ad altiorem cognitionem. Ergo aliquid hîc peculiare eſt inueſtigandum. 55. Ammon.

Theoph. D. Thom.

Quintò Hugo, *Nicodemus*, ait, *exiſtimat ſe magna dixiſſe de Chriſto: quia vocauerat eum Rabbi miſſum à Deo. Chriſtus autem oſtendit ei, quòd neque ianuam ingreſſus eſt decentis, & neceſſariæ cognitionis: & ideo docere eum incipit de primordiis fidei, ſcilicet de Baptiſmo,* Sunt enim homines, qui vix minima eorum, quæ ad dicendum neceſſaria ſunt, attingentes, magna ſe dicere autumant. Pergit citatus Hugo. *Vel aliter. Tu ſperas, & credis reſurrectionem futuram; quia Phariſæus es, & vis intrare in regnum Dei, & ideo ad me venis, & ideo doceo te viam.* 56. Hugo.

*Sunt multi ignorantes, qui magna præſumunt dicere.* Hugo.

Sextò, quæ mihi eſt germana ſolutio. Nicodemus cognoſcebat, Chriſtum eſſe verum magiſtrum datum à Deo, qui admirabilem, ſublimenque doctrinam cœleſti rore diffundebat, quæ multis erat ſignis comprobata; ideo enim dixit: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter: nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Acceſſit ergo ad Chriſtum, vt ab eo inſtrueretur, vtque eum Dominus doceret; ideo nihil aliud, niſi magiſtrum bis appellat: *Rabbi. ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter.* Rabbi nanque per excellentiam magiſtrum ſignificat. Chriſtus bonam nactus occaſionem animi ſimplicis hominis, & veluti ipſo magiſtri nomine pigneratus, eum à primis fundamentis de via ſalutis informat, & ait: Si vis meam capere doctrinam, quæ eſt in vera fide ſupernaturali Dei (quam per Eccleſiam Catholicam intelligit) debes renaſci priùs ex gratia Dei. Sapientiæ magiſter hominis ignorantiam circa ſuam maieſtatem non exprobrat, neque obiurgat, ſed diſſimulat, & magnanimiter ſuffert ſiniſtram opinionem, quam de eo habebat, qua tanquam Prophetam, ac purum hominem exiſtimabat; ſed totus ſe intendit, vt hominem per cœleſtem viam dirigat, atque informet in his, quæ ad ſalutem ſpectant. 57. *Germana ſolutio.*

*Magnus magno nomine pigneratur.*

*Verus Rex diſſimulat in proprio negotio, non verò in ſalute populi.*

Cùm Saul ad clauum regni eſſet elatus, magna eum exercitus pars in domum ſuam comitabatur; filij verò Belial dixerunt: *Num ſaluare* 58. 1. Reg. 10.

*nos*

*nos poterit iſte? & deſpexunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò diſſimulabat, ſe audire,* 1.Reg.10.num.27. [1.Reg.11.] Poſtea verò ſuccedentibus rebus Naas Ammonites obſedit Iabes Galaad, fœdaſque eis in pactum appoſuit conditiones, quas agnoſcens populus Iſraël in fletum magnum prorumpit: *Et ecce Saul veniebat ſequens boues de agro,* & ait: *Quid habet populus, quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes,* 1.Reg.11. n.5. Satis ambigua exoritur quæſtio: Dum Saul iniuriis appetitur à filiis Belial, ita ſe habet, ac ſi verba ad aures eius minimè perueniſſent; dum verò populus Iabes periclitatur, ſolicitè, ac promptè verba percepit, & audit? Eleganter D. Gregorius. [Gregor.] *Saul flentem populum vidit, ob quam cauſam fleret, interrogauit: quia electus doctor ſubditorum neceſſitatem compatiendo ſuam facit, & hanc releuare appetit.* Dum iniquorum cœtus in Saul contumelias coniicit, ac minus, quàm decet, de eo iudicat; aſtutè, & prudenter celat Rex, & ac ſi nihil ei notum ſit, ſe exhibet. At cùm de alterius remedio, ac ſalute incidit cauſa, nil diſſimulat, diligenter audit, ac percipit, vt opportunè opituletur. Paſſim tam in ſancto Euangelio, quàm Prophetis inuenies, quòd ſtabat Ieſus, & clamabat? [Iſai.42.2.] tamen de ipſo ait Iſaias: *Non clamabit, nec audietur vox eius foris,* cap.42. num.2. [*Chriſtus pluris æſtimat ſalutem noſtram, quàm dignitatem ſuam.*] Si vox Domini ita in ſilentio erat, ac ſubmiſſione, vt de eo dicatur: *Non clamabit;* quomodo, alta, & ſublimi voce clamare, teſtatur Euangeliſta? Vt ſiniſtram populi opinionem, de eo conceptam ſufferret, ita modeſtus erat, vt obmuteſceret, ne vox eius audiretur. At vt homines ad cœleſtem patriam reduceret, eiuſque ſalutares aquas propinaret, altiſona voce totum adimplebat orbem. [Hugo.] Hugo. *Non clamabit, & non audietur vox eius foris.* [Ioan.7.] Contra Ioan.7. num.37. *In nouiſſimo magnæ feſtiuitatis die ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit,* &c. [Hebr.5.] Ad Hebræos 5.n.7. *Cùm clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia. Eſt clamor veniens ex impetu contentionis; & eſt clamor proueniens ex feruore charitatis. de primo dicitur hic: Non clamabit.* Clamor Domini erat, non ex contentione pro ſuis depellendis iniuriis; ſed ex charitate eximia pro aliorum ſalute. Vide infrà *quæſt.*13. *in fine.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quare inter Euangeliſtas ſolus Ioannes geminet dictionem, Amen?*

59. DICTIO *Amen,* vox eſt Hebraica, & in textu non interpretata manet, vt notat D. Bonauentura, [Bonauent.] vt myſterij velamento honor habeatur. [*Dupliciter ſumitur, Amen.*] Et dupliciter ſumi poteſt, & vt nomen ſubſtantiuum, & dicit fidelitatem, ac veracitatem; hoc eſt, verus, & fidelis in ſuis dictis, & factis. [Apoc.3.] Apocal.3.num.14. *Hæc dicit Amen teſtis fidelis;* hoc eſt: Hæc dicit Deus verus, & fidelis. Altero modo ſumitur vt Aduerbium, & duplicem retinet ſignificationem. Prima ſignificatio eſt conſentiendi, & confirmandi dicta, hoc eſt, ita ſit, ſeu fiat, vt dicitur: & ſic paſſim habetur [Deuter.27.] Deuter.27. *Omnis populus dicet: Amen.* Altera ſignificatio eſt per modum affirmandi, & aſſeuerandi dicta; & ideo D. Hieronymus *epiſt.*177. [Hieron.] *ad Marcellum,* notat, hanc dictionem Aquilam vertiſſe Græcè *fideliter;* Septuaginta, *fiat, fiat.* Geminatio autem vocis vim habet ſuperlatiui, quo carent Hebræi, vt notat Mariana.

60. Quæſtio præſens eſt, cur inter Euangeliſtas ſolùm apud Ioannem hæc vox *Amen* reduplicata inuenitur? Hoc dubium excitant Rupert. *lib.*3. D. Thomas, & ita reſpondent; [Rupert. D.Thom.] verba ſunt D. Thomæ. *Hanc dictionem ſolus Ioannes Euangeliſta ingeminat inter Euangeliſtas. Cuius ratio eſt, quia alij Euangeliſtæ ea principaliter tradunt, quæ ad humanitatem Chriſti pertinent, ad quæ, cùm faciliùs credibilia ſint, minor aſſertio neceſſaria erat. Ioannes verò ea, quæ ad diuinitatem Chriſti pertinent, principaliter tractat, quæ cùm occulta ſint, & à cognitione hominum remota, maiori aſſertione indigebant.* [*Ioannes tractat res valde ſublimes.*] Hanc rationem multi recentiores applaudunt, & eſt ſatis probabilis. Illud tamen facit difficultatem, quòd ſemper Ioannes ingeminat dictionem *Amen;* alij Euangeliſtæ nunquam, cùm de rebus grauiſſimis agant; imò in ferè ſimilibus Ioannes duplicatam ponit vocem, non verò alij, vt hîc Ioannes ait: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit, non intrabit in regnum cœlorum.* [Matth.18.] Et Matth.18. num.8. *Amen dico vobis: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Hoc eſt, niſi per gratiam Spiritus ſancti habueritis ſimplicitatem, ac humilitatem pueri: vt explicant D. Paſchaſius, Clemens Alexandr. *lib.*1. *Pædagogi, cap.*5. D. Ambroſius *ſerm.*10. [Paſchaſ. Clem.Alex. Ambroſ.] Cur ergo ſolus Ioannes ingeminat vocem.

61. Reſpondet ſecundò idem Rupertus. [Rupert.] *Poteſt etſi rectè intelligi, quòd Amen dictum ſit pro ipſo nomine veritatis, quæ eſt ipſe filius Dei, iuxta illud,* [*Veritas maximè attrahit animos.*] Apocal.3. num. 14. *Hæc dicit Amen teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei; & ſic dicat: Amen dico vobis, vt intelligas, eum dixiſſe: Ego veritas dico vobis.* Vt diuinus Euangeliſta omnes traheret, vt dictis Chriſti acquieſcerent. Ait, Ego veritas dico vobis: animus enim propoſita veritate maximè trahitur. Tertiò Albertus Magnus. [Albert.Mag.] *Amen, amen, hoc eſt, verè, verè. Quoniam habet veritatem conſilij æterni in prædefinitione Patris. Et habet immobilitatem in verbo Verbi Incarnati pronuntiantis.* Vt Chriſtus Dominus homines, quos vocabat, ad regnum cælorum alliceret, [*Promiſſio fidelis mouet animum.*] conſtantiam, & firmitatem in ſuis verbis, ac promiſſionibus oſtendit, tum ex decreto Patris, tum ex ſua infallibili veritate: vehementi impulſu mouetur animus ſtabili, ac firma ſponſione. Quartò D. Auguſtinus *tract.*11. [Auguſt. Hugo.] Hugo, notant, quòd bis dicitur *Amen,* ad maiorem confirmationem eorum, quæ dicebantur. Hæ ſolutiones optimè explicant dubium, cur duplicetur *Amen;* non tamen enucleant, neque extricant nodum, cur ſolus Ioannes inter Euangeliſtas omnes ſemper hanc vocem geminat, non verò alij, qui eam ſemel tantùm apponere contenti ſunt.

62. Ideo probabilius mihi videtur dicendum cum Maldonato, [Maldon. *Vera ſolutio.*] hunc modum ſcribendi natum eſſe ex proprio Euangeliſtarum ingenio. Aſſuetum erat vtrumque vulgo dici; & Chriſtus Dominus quando loquebatur, ſolebat aliquando geminare, aliquando non. Euangeliſtæ autem pro ſuo quiſque ingenio verba, ac ſententiam Chriſti recitant: ſolebat vnus geminare, cùm loqueretur, alij



alij verò non; ſacri enim ſcriptores, non ad verba, ſed ad ſenſum, ac ſententiam frequenter attendunt. Et quanuis diuinus Spiritus ſcriptoribus ſuis ſemper aſſiſtat, vt ſummam veritatem enarrent; idem tamen Spiritus multoties permittit, & eos relinquit, vt modo ſibi accommodato, & ſecundùm ſuum ingenium, & eruditionem ſcribant, [Suarius.] vt obſeruat Suarius *tom.de fide, diſput.*4. *ſect.*3. *num.*5. & 15. Et ideo Ioannes ex proprio ingenio repetit, Amen.

Moraliter etiam rem explicemus. Cùm Ioannes charitate valde feruidus eſſet, 63. [*Charitas ingeminat voces.*] ideo frequenter duplicatam dictionem apponit, vt in omnium cordibus Chriſti verba inſinuaret, atque reconderet. Paſſim Chriſtus Dominus in Canticis voces ingeminat. *Amica mea ſpecioſa mea, columba mea,* [Cant.2.] Cant.2.num.13. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni,* [Cant.4] Cant.4. num.8. Sed ad quid ita reduplicantur voces? Nónne ſat erga dicere: Specioſa mea? Ad quid additur, formoſa mea? Nónne ſat erat ſemel dicere, veni? Ad quid iterum, atque iterum repetitur? [Rupert.] Rupertus in Cantica: *Eximia charitas non contenta eſt vna voce, ſed multiplicat affectus.* [Pſalm.21.] In perſona Chriſti ait regius Vates: *Deus, Deus meus reſpice in me,* Pſal.21. [Aquila.] n.1. ſeu, vt vertit Aquila: *Fortis meus, fortis meus;* bis ponitur nomen Deus. Vehementi Chriſtus Dominus intendebat conatu, vt oratio ſua cælos, penetraret, ad Deumque accederet; ideo ob affectum, [Lorin.] vt *ibi* notat Lorinus, nomen repetitur. Quod frequenter fecit Chriſtus Dominus [Matth.23.] Matthæi 23.num.37. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas,* [Luc.10.] Luc.10. n.41. *Martha, Martha ſolicita es.* [Luc.22.] Luc.22. num.31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus Dominus cum Nicodemo per tertiam loquatur perſonam, cùm ad ipſum dirigat nomen.*

64. [Tolet.] QVAMQVAM Toletus in Commentario exiſtimet, quòd Nicodemus ad Chriſtum venerit, non vt ab eo in doctrina inſtrueretur: ſimpliciter tamen dicendum eſt cum D. [Chryſoſt. Beda. Rupert.] Chryſoſtomo *homil.*23. Beda, Ruperto, & aliis, Nicodemum ad Chriſtum conueniſſe, vt ab eo diſceret. quod iam notaui *quæſt.*10. Ideo in dubium vertitur, cur Chriſtus Dominus loquatur cum Nicodemo per tertiam perſonam. *Niſi quis renatus fuerit?* Cur Dominus ad ipſum explicitè non dirigit ſermonem, & dicit: Niſi tu renatus fueris? huiuſmodi enim explicatio ſermonis in Scriptura etiam in corrigendis peccatoribus eſt valde frequens. Sic olim Moyſes dixit ad Aaronem: [Exod.32.] *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximum?* Exod.32.n.21. Sic Samuel fatur ad Saulem Sacerdotis officium vſurpantem: [1.Reg.13.] *Quid feciſti?* 1.Reg.13. num.11. Sic Nathan ad Dauidem in peccato obdormientem, [2.Reg.12.] 2.*Reg.*12.*num.*9.

65. [Chryſoſt.] Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil.23. *Obſcurè,* inquit, *dixit, & vt æquiori animo toleraret, non apertè ad ipſum ſermonem vertit; ſed indefinito vtitur verbo: Niſi quis renatus fuerit; tantùm, nón dicens, ſiue tu, ſiue quis alius talem de me habet opinionem, in regnum non recipietur,* [Bonauent.] Similiter D. Bonauentura: *Chriſtus* inquit, *non direxit ſermonem ad eum, ſed in tertia perſona loquitur, vt mitiùs grauem ſermonem ſufferret, non ad ipſum manifeſtè direxit ſermonem.* Sapientiæ Magiſter exemplo ſuo nos informat; [*Nō arguitur in particulari, vt mitiùs toleret.*] non determinatè cum homine fatur, ſed generaliter proponit doctrinam, vt ita faciliori modo percipiatur; nam dum aliquis in particulari arguitur, aliquando ita eſt propoſiti tenax, vt, ne ab errore ſuo deſiſtat, emendari nolit. De muliere Chriſti pedes vngente obmurmurauit proditor Iudas: tamen Saluator noſter, non ad ipſum, ſed ad omnes ſermonem detorquet: *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud,* [Ioan.12.] Ioan.12. num.7. Non particulariter ſugillatur Iudas, ſed arguuntur omnes vt ipſe faciliùs valeat emendari. D. Chryſoſtomus ibi: [Chryſoſt.] *Demonſtrauit, quòd proditorem cognoſceret, non tamen manifeſtè reprehendit, vt à propoſito reuocaret.*

66. [Hugo.] Secundò Hugo. *Non dicit particulariter, Niſi tu renatus fueris: & hoc fecit duplici ratione. Prima, vt ſe oſtendat generalem doctorem.* [*Communis doctrina animum rapit.*] Communis doctor, ac communis doctrina animos poſt ſe maximè rapit. *Ieremiæ* 1.*num.*9. loquitur diuinus Spiritus, & ait: [Ierem.1.] *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna.* Rectè ponitur ordo, [Hugo.] vt ibi obſeruat Hugo: nam poſtquam dictum eſt à Domino, quòd verba ſua in ore Prophetæ dederit, ſtatim communis doctor ad gentes, & regna declaratur, vt ita maior ei concilietur authoritas, eiuſque doctrinæ excellentia ad omnes communis patefiat.

67. Tertiò citatus Hugo idem dubium ſoluens. [Hugo.] *Secundò, ne indignaretur Nicodemus, ſi ſermo doctrinæ ſpecialiter ad eum dirigeretur: quia faſtum magiſterij nondum depoſuerat.* Nicodemus, [*Inflatus ſapientia falſa emendari noluit.*] cùm ſuo magiſterij gradu eſſet inflatus, ſi eum Dominus expreſsè, patenterque doceret, pro ſua præſumptione tuenda cæleſtem doctrinam repellere poterat, [1.Cor.12.] eamque non acceptare. Hæc præuidens Dominus, hoc verborum inuolucro eum inſtruit, ac docet in via ſalutis. Explicat Paulus 1.*Corinth.*12.*num.*8. diuiſiones Spiritus: *Alij datur ſermo ſapientiæ; alij ſermo ſcientiæ; alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum.* Et tandem veluti concludens ait: *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus; & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent,* ibidem num. 13. Eleganti comparatione rem totam explicat: ſicut enim humilioribus, ac verecundis membris maiorem impendimus reuerentiã, atque honorem, [*Potentes non manifeſtè reprehendantur, ne exaſperentur.*] dum ea magis obtegimus, & occultamus: ita qui ſæculi ſapientem, atque potentem ad ſalutis viam reducere optat, eum non directè, ac manifeſtè pungere debet, ſed verbis maximè abſcondere, ac inuoluere, vt ita mitiori ineſcatus medicamento vim ad reſipiſcentiam inferat. D. Gregorius [Gregor.] lib.13. moralium cap.4. *Magna,* inquit, *Prædicatoris arte agendum eſt, vt qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam temperamento correptionis ad ſalutem redeant. Vnde Paulus dicit: Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus,* &c. *Sicut enim inhoneſta membra in corpore, ita quidam ſunt intra ſanctam Eccleſiam potentes,*

*&*

*& proterui, qui dum aperta inuectione feriri nequeunt, quaſi honore tegminis velantur.*

---

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Dominus Nicodemum non inſtruat de ſua potentia ad miracula perpetranda?*

68. Ioan.1.

NICODEMVS vi miraculorum Domini impulſus ad eum venit, erat enim vnus ex illis, de quibus Ioannes ait *cap.2.in fine*, qui crediderunt in Chriſtum videntes ſigna, quæ faciebat; & de his mentionem fecit, dum ad Dominum acceſſit: *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Conueniens ergo videbatur, vt eum Chriſtus Dominus de ſua potentia inſtrueret, præcipuè cùm ipſe exiſtimauerit Chriſtum Dominum non eſſe verum Deum, ſed vnum ex prophetis, vt notaui *num.21.*

69. Bonauent.

Ad hoc reſpondet primò D. Bonauentura: *Nicodemus exiſtimauit, ſe magna aliqua dixiſſe: ideo oſtendens, quoniam neque in ianuam decentis cognitionis aſcendit, ſed extra regnum Dei erat; ideo ait: Niſi quis renatus fuerit.* Nicodemus erat è numero eorum, qui ſibi perſuadent, magna, & alta ſapientiæ proferre documenta, & ne primis labiis initium eius deguſtant; exiſtimauit enim, quòd valde excelſa de Chriſto dixerit, *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Ideo Dominus hac ei reſponſione oſtendit, quòd nec quid minimum, nec maieſtatis ſuæ initium attigerit: ſunt enim multi ita in ſcientia inflati, vt ſuper aſtra ſe volare præſumant; & tamen nec tanquam reptilia reptant ſuper terram. In hos grauiter inuehitur D. Auguſtinus *lib.2. de Baptiſm. contra Donatum*, & Diaboli vitium appellat.

*Nicodemus minima dicens, magna proferre putabat.*

Auguſt.

70. Bonauent.

Secundò idem D. Bonauentura, *Quæritur*, ait, *quare non inſtruxit eum de veritate ſuæ potentiæ, quod erat filius Dei naturalis non indigens auxilio alicuius ad operandum?* Et ad iſtud reſpondet Chryſoſtomus homil.23. quòd *ſtudium erat Chriſto, non ita dignitatem ſuam reuelare, ſicut ſuadere, quoniam nihil ex diuerſo agebat Patri: etenim verbis moderatè loquebatur, in factis autem cum poteſtate mirificabat*, vt patet infrà Ioan.5.n.11. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Et ideo non reuelauit his verbis dignitatem ſuam, miraculo autem oſtenderat poteſtatem. Quanuis Nicodemus parum conuenienter de Chriſti Domini potentia iudicaret; tamen bonus magiſter diſſimulat, eumque in hoc, non ſermone inſtruit, quia totus, non verbis, ſed operibus ad potentiam ſuam declarandam erat intentus. Cùm primum in orbe Sol iuſtitiæ eluceſceret, venit ad domum, in qua ſocrus Petri ægrotabat; *Ieſus accedens eleuauit eam apprehenſa manu*, Marc.1.num.30. Cur voce non imperat febri, ſed manu erigit. Manus operum noſtrorum eſt index; volebat Dominus coram ſuis, quos recenter vocauerat, præclarum maieſtatis ſuæ exhibere documentum; ideo non voce, ſed manu præſtat. Victor Antiochenus. *Indiuulſam ſe cum carne ſua ſocietatem habere, perſuaſum volens, pleraque miracula, & ſigna per corporis miniſterium edebat.*

Chryſoſt. Ioan.5.

*Potentia, ac maieſtas, non verbis, ſed operibus declaranda.*

Marc.1. Vict. Ant.

71. Tertiò. Nicodemus duobus grauiter laborabat, neceſſitate diuinæ gratiæ per baptiſmatis lauacrum in animæ ſuæ ſalutem; & etiam perfecta cognitione potentiæ Chriſti, quæ non vt alicuius puri hominis, ac Prophetæ erat, vt ipſe exiſtimabat, & dixi ſuprà *num.* 21. per quod Chriſti Domini maieſtas maximè offendebatur. Tamen bonus magiſter ad ea, quæ ad hominis attinent ſalutem, attendit, ad illaque ſermonem conuertit, eum de ſpirituali regeneratione inſtruendo: ea verò, quæ excellentiam ſuam, virtutemque declarabant diuinam, diſſimulat, ac præteriit; tanquam ſi ei in maiori eſſet æſtimatione noſtra ſalus, quàm ſua maieſtas. Ait regius Vates Pſ.50. num.28. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Horum verborum ſenſus eſt, vt explicant D. Auguſtinus, D. Hieronymus, D. Thomas, Hugo, Genebrardus, noſter Incognitus. *Oblationes, & libamina reieciſti, ſed cor contritum, & humiliatum tibi placet, & eſt acceptabile.* Ex quo ingenioſa ſuboritur quæſtio. Sacrificia, ac oblationes actus Religionis conſiſtunt; contritio, ac cordis humiliatio à virtute pœnitentiæ proueniunt, vt planum eſt apud Theologos; & tamen, vt ipſimet docent cum D. Thoma 2.2. *quæſt.81. art.6.* de quo latè vide Suarium *tom.1. de Reoig. lib.3. cap.9. n.3.* multo excellentior, & nobilior eſt Religionis virtus, quàm pœnitentia. Cur ergo Deus præſtantiſſimum Religionis actum, nempe holocauſtum, reſpuit; & in inferiori virtute pœnitentiæ, id eſt, in corde contrito ſibi complacet? Ea, quæ Religionis ſunt, ſupremam Dei venerantur maieſtatem, eique reuerentiam exhibent: contritio verò propria deteſtatur peccata, hominemque ad gratiæ ſtatum erigit: & Deus, qui diues eſt in miſericordia, his potius, quæ in ſalutem noſtram cedunt, delectatur, quàm illis, quæ ſuæ ſupremæ celſitudinis cultum recolunt. 1. Corinth.8.n.9. ait Paulus: *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia diuites eſſetis.* Valde mirum, quòd Chriſtus Dominus inter cæleſtes theſauros locupletiſſimus, in cuius manu reſplendent diuitiæ, & gloria; & ſub cuius pedibus omnia ſunt ſubiecta, in hunc mundum veniens pauper ſe exhibuerit. Quid cum ſuprema gloria magis repugnans, quàm infima pauperies Nónne egeſtas amplitudini derogare videtur? Sed Deus ad noſtram ſalutem ita afficitur, vt nihil duxerit pro hominibus lucrandis maieſtatem ſuam exinanire, vt ſua inopia gloriæ in nos transferret diuitias. D. Nazianzenus orat. de Paſcha: *Pauper factus eſt Chriſtus, vt nos illius paupertate diteſcamus, ſerui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus; deſcendit, vt euehamur: tentatus eſt, vt vincamus; contemptus eſt, vt nos gloria ſua afficiat; mortuus eſt, vt ſeruet; aſcendit, vt ad ipſum trahat humi prouolutus in peccati lapſu.* Vide ſuprà *num.*58.

*Chriſtus pluris æſtimat ſalutem noſtram, quàm maieſtatem ſuam.*

Pſalm.50. Auguſt. Hieron. D.Thom. Hugo. Genebrard. Incogn. D.Thom. Suarius. 1.Cor.8. Nazianz.

*Ioannis 3.n.4.* Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ



ſuæ iteratò introire, & renaſci.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quî fieri poteſt, vt naſcatur homo ſenex? Nunquid poteſt iterum in vterum matris ſuæ duabus vicibus introire, & gigni?

*Arias.* Num homo poteſt renaſci ſenex exiſtẽs? Num poteſt in ventrem matris ſuæ ſecundò introire, & renaſci?

## *EXPOSITIO.*

72. NICODEMVS Chriſti reſponſione, ac Dei regni viſione vehementer concitatus; neque enim nomen regni Dei, ſeu cælorum apud Iudæos aliquando auditum fuerat, vt obſeruarunt D. Chryſoſtomus *homil.23.* Theophylactus, rei nouitate maximè perplexus, atque auidus, regni nomen materialiter, ac temporaliter accepit; nam adhuc in carne radicatus totam Chriſti reſpõſionem de re ſpirituali minimè intellexit, vt dicam *quæſt. ſequent.* In hoc tamen Nicodemus maximè laudandus, qui quanuis dicta Chriſti non intelligeret, vt ait citatus Chryſoſtomus, Chriſtum reuerenter alloquitur. *Non intellexit, quæ diceret, & impoſſibile id arbitratur, hoc tamen conticet.* Sunt enim multi, qui ea, quæ vt ſtulti non capiunt, tanquam impoſſibilia alto ore diuulgant: non ita Nicodemus, qui quanuis Chriſti eloquia non apprehenderit, non irriſit, ſed per ſe tulit. Et ideo non dixit aſſeueranter: Homo non poteſt naſci, cùm ſit ſenex; nec poteſt in vterum matris introire; ſed ſub dubio, & interrogando loquitur; reuerentiam habens tanti magiſtri, vt obſeruat Hugo. Et duo obiicit, vt notat Caietanus. Primò ab ætate, ſecundò à naturali modo naſcendi.

Chryſoſt. Theophyl.

*Nicodemus quãuis dicta Chriſti non intellexit, reuerenter loquitur.*

Hugo. Caietan.

73. Chryſoſt. Ioan.6.

Et ait: *Quomodo*; verbum infidelitatis eſt, vt notat citatus Chryſoſtomus; ſic enim Iudæi dixerunt: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*, Ioan.6. n.53. Nicodemus cum Chriſto loquebatur; adhuc tamen claudicabat in fide, vt dixi ſuprà *num.*1. Et ideo eius verba infidelitatis odorem exhalant; quod enim eſt in corde, ſemper redundat in os. Et ait, *homo naſci, cùm ſit ſenex?* Non pueros, ſed ſenes in exemplum obiicit, quia maior in his ad renaſcendum videbatur repugnantia. Deinde, quia ipſe Nicodemus ſenex erat, ac proinde in ſe ipſo ponit difficultatem. *Et in ventrem matris iteratò introire.* A modo generationis naturalis procedit obiectio. De regeneratione ſpirituali loquebatur Dominus, quam carneus homo non intellexit; & tamen non interrogat, quæ ſit talis generatio? Quod eius ſuperbiæ aſcribit Toletus. Sed modeſtè Nicodemus, dum per interrogationem loquitur, ſcire deſiderat, quomodo fieri poſſit? Et ita præbet occaſionem Domino, vt ab eo doceatur.

Tolet. *Nicodemus modeſtè, & non ſuperbè ſe regit.*



## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Nicodemus tam humiliter intellexerit ſublimem Chriſti Domini doctrinam.*

PRIMA, & literalis ratio eſt: quia, cùm Nicodemus carnalibus adhuc, & terrenis rebus eſſet inhærens, ſpiritualem doctrinã de regeneratione per gratiam minimè intellexit. Vnde eleganter ait D. Auguſt. tract.11. *Spiritus ei loquitur, & ille carnem ſapit; carnem ſuam ſapit, quia carnem Chriſti nondum ſapit.* Et ita ait Paulus 1.Corinth.2.n.14. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Quod explicans D. Ambroſius ait: *Animalis homo pecoribus ſimilis ſenſum ſuum in terram deprimit, ideoque non aſſequitur, niſi quæ videt; nec putat aliquid poſſe fieri, quàm quomodo ſcit; ideo quidquid aliter audit, quàm norit, ſtultum iudicat.* At Nicodemus, quanuis dicta Chriſti non apprehenderit, impoſſibilia eſſe, non aſſeruit, vt dixi in expoſitione. 74.

Auguſt. 1.Cor.2. Ambroſ. *Homo id ſolũ poſſibile putat, quod intelligit.*

Secundò D. Cyrillus lib.2. c.41. *Natiuitatem, inquit, ſpiritualem non capiens, nec vltra res humanas quidquam cogitans, corporalem quendam ventrem, & reditum hominis rurſus ad partum fingere cogitur: ita magnitudine rerum depreſſus, in his inferioribus voluitur.* Intellectus rerum ſublimitate oppreſſus ea non percipit, quæ dicuntur; ideo audientium imbecillitati condeſcendendum: ac proinde à ſequenti verſu Chriſtus Dominus incipit, hanc regenerationem magis explicare: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto.* Et ideo dicebat Paulus 1.Cor.3.n.2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis.* 75.

Cyrill. *Imbecillitati audientium accomodandum.* 1.Cor.3.

Tertiò D. Chryſoſtomus homil.23. *Animaduerte, inquit, quónam pacto, qui humanis rationibus ſpiritualia permiſerit, ridicula loquitur, & delirat tamquam ebrius, quoties diuinorum ſenſum perſcrutatur, neque eum accipit.* Cùm Nicodemus, ſecundùm vim naturalem intellectus, intenderit, magnitudinem myſteriorum fidei, & gratię ſupernaturalis perpendere, à veritate maximè deflexit, ac deuiauit: & ideo tanquam deliramenta reputauit. Vide *lib.1. cap.1. n.39. & lib.2. cap.4. n.*107. 76.

Chryſoſt. *Delirat, qui res ſupernaturales ſecũdùm vim intellectus perpendit.*

Quartò. Nicodemus ſe ipſum adhuc non cognoſcebat, ſuam adhuc infirmitatem, hoc eſt, debilitatem in fide, & gratiæ carentiam non ſentiebat: quid ergo mirum, ſi neque medicum, neque prolatum intelligat remedium, ſi ſpiritualem non percipiat regenerationem? Qui ad infirmitatem ſuam oculos non aperit, aditum claudit ad omne remedium. Ait Chriſtus Dominus Matth.24. num.41. *Duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur: duo in lecto, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.* Duo ſunt in rerum temporalium volubili rota, duo in infirmitatis huius ſæculi lectulo; & tamen ad meliorem frugem vnus eligitur, alter verò in ſua perditione relinquitur. Quænam tanti diſcriminis ratio? Qui vt perſpicax, volubilium inconſtantiam, tantique mali cauſam agnouit, ad meliorem ſortem præordinatur: qui autem, vt cæcus, ad ſuæ infirmitatis originem non vertit oculos, tamquam de ſalute deſperatus relinquitur. D. Paſchaſ. lib.11. in Matth. *Quarum vna, inquit, qui bene vertit* 77.

*Homo, vt reformetur, ſuã debet imbecillitatem agnoſcere.* Matth.24. Paſchaſ.

*hanc molam, vt panem comedat cœleſtem, aſſumetur; altera verò, quæ permanſerit cæca, ad molam relinquetur, gyrando in ſua cæcitate. Alioquin ille Sanſon fortiſſimus nunquam ad hanc molam veniſſet, niſi priùs gratiam Spiritus ſancti, deinde oculos perdidiſſet. Ergo duo in lectulo dicuntur; in quo morbo infirmitatis omnes verſamur.*

*Ioannis 3. n. 5.* Reſpondit Ieſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriac. D. Nyſſenus orat. de Baptiſmate. Euthymius.* | Niſi quis genitus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt ingredi regnum Dei. |
| *D. Ambroſ. lib. de Spiritu ſancto, cap. 11.* | Niſi quis renatus fuerit per aquam, & Spiritum. |
| *Tertullian. lib. de Baptiſ. c. 11.* | Niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam. |
| *S. Iuſtinus Martyr Apolog 2. ad Antoninum Pium.* | Niſi renati fueritis, in regnum cælorum minimè vobis aditus patebit. |
| *Diuus Cyrillus Ieroſolymit. catech. 3.* | Niſi quis renaſcatur deſuper ex aqua, & Spiritu, non poterit, &c. |
| *D. Anaſt. Sinai. lib. 5. Hexaëmer. Goffrid. Abb. ſerm. de reſurrect.* | Niſi quis fuerit generatus ex aqua, & Spiritu, non introibit in regnum cælorum. |

## *EXPOSITIO.*

78 NICODEMVS ſupremi Magiſtri ſententiam ex eo non intellexerat, quia terrenis rebus inhærens, futuram regenerationem, quam Dominus prædixerat, tanquam carnalem percipiebat. Ideo bonus Magiſter, vt eum in ſenſu, intellectuque inſtrueret, ad radicem occurrit, & originē inſcientiæ ſuæ, regenerationē aperiendo, ac enucleando. *Ad radicem infirmitatis occurrēdum.* Et ait: *Amen, amen dico tibi*, vt ipſa iurandi forma eum attentiorem faciat. *Niſi quis*, omnes comprehendit, vt obſeruat Caietanus. *Caietan.* *Omnibus neceſſitatem imponit, nullum excipit, nullam ætatem, nullum ſexum, nullam conditionem, ſed cuiuſcumque differentiæ hominem comprehendit.* Optima legiſlatoris forma ad omnes indiſtinctè fertur, *renatus fuerit*. Alij codices habēt, *natus*, ſeu *generatus*; & idem eſt. Non dixit: Niſi quis baptizatus fuerit; ſed *natus*, nouam in illo ſignificans naturam, & ad differentiam eorum, qui externè tantùm baptizantur, ſed non naſcuntur filij Dei; quia obicem ponunt. Et dum ait, *renatus*, eodemque vtitur verbo, ac ſuprà *n. 3.* conſtantiam in doctrina ſua oſtendit, *Bonus magiſter conſtans in doctrina.* & propter Nicodemi admirationem non mutare ſententiam, & huius natiuitatis nobilitatem aperit, vt rectè expendit Chryſoſtomus homil. 24. *Chryſoſt.* *Hic partus excellentior eſt, nihil cum terrenis communicat, nomine tantùm hæc generatio conuenit, re longè differt. Formauit Deus hominem ex terra, & aqua; non vile vas euaſit, ſed deterius factum eſt: non amplius terra, & aqua fingendum eſt, ſed aqua, & ſpiritu.* Id enim, quod ineptum inuentum eſt, in melius transformandum. *Ineptum vitandum, & aliud aſſumendum.*

79. *Ex aqua, & Spiritu ſancto.* His noſtrum ſignificat Baptiſmum, exteriùs ex aqua, interiùs ex Spiritu ſancto cooperante; quod latiùs erit enodandum *q. 16.* Et in hoc valde diuerſa eſt lectio: nam Syriacus, D. Gregor. Nyſſen. *orat. de Baptiſmate*, D. Chryſoſt. *homil. 24.* D. Ambroſ. D. Cyrill. Ieroſol. D. Anaſtaſ. Sinaita, Goffridus, citati in verſionibus cum D. Cypriano *Epiſt. 72. & 73.* legunt: *Ex aqua, & Spiritu.* At D. Auguſt. *lib. de peccat. merit. & remiſſ.* D. Gregor. *lib. 3. epiſt. 53.* D. Maxim. *homil. 4. in feſto Paſch.* D. Cyrill. Alex. *lib. 2. cap. 42.* D. Sedul. *in Epiſt. ad Rom. cap. 10.* D. Proſper *epiſt. ad Demetr*, cum noſtra Vulgata habent, *de Spiritu ſancto*, & omnes ſine diſcrimine de Spiritu ſancto intelligunt; vt colligitur ex effectu Baptiſmatis, & de illius forma à Christo data: *Intrabit in regnum cælorum.* (*Syriacus. Nyſſen. Chryſoſt. Ambroſ. Cyrill. Ieroſ. Anaſtaſ. Goffrid. Cyprian. Auguſt. Gregor. Maxim. Cyrill. Sedul. Proſper.*) Suprà dixerat, Videre regnum cælorum: modò ait, intrare. Gloſſa. D. Thom. Hugo inquiunt, quod idem eſt, *videre*, ac intrare in regnum cælorum; nam qui videt, intrat; & qui intrat, videt. (*Gloſſ. D. Thom. Hugo.*) Et ideò idem valet hîc, *intrare in regnum cælorum*, ac intrare in vitam æternam, ac ſalutem æternam, vt obſeruat D. Auguſt. *lib. 1. de peccat. merit.* contra Pelagian. *cap. 30.* (*Auguſt.*) tamen *regnum* dixit, quia regni nomen hominum animos maximè allicit, & attrahit. Ad Baptiſmum nos Dominus tanto propoſito præmio maximè mouet, ac exhortatur, cùm ipſe tamen priùs fuerit baptizatus, *Matth. 3. n. 16.* *Superioris exemplum multum mouet.* Ac diſcipulos ſuos Baptiſmatis prædicatores conſtituens, eos priùs baptizari decreuit. Goffridus ſerm. 5. de Reſurrect. (*Goffrid.*) *Priùs quidem*, ait, *Saluator noſter baptizari voluit, ac poſtea dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. Iſtam formam Baptiſmi verbo, & exemplo diſcipulos docuit ſuos, quia cùm prædicarent aliis, hanc priùs obſeruaſſent in ſemetipſis.* Ex quo habes, quod ad Baptiſmum verbo, exemplo, & præmio exhortatur nos Dominus.

## QVÆSTIO XV

### *De neceſſitate Baptiſmi, & de tempore, quo incepit huiuſmodi neceſſitas.*

EX proximis Ioannis verbis rectè colligunt omnes Patres, & doctores, Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, atque ad intrandum in regnum cælorum, quod eſt hæreditas filiorum Dei: ac proinde, cùm ex peccato naſcamur filij iræ, neceſſe eſt, vt per gratiam baptiſmalem renouemur in filios Dei. 80. Hanc Baptiſmi neceſſitatem exprimit Innocentius III. *in cap. maiores, de Baptiſm.* Eugenius IV. *in Concil. Florent. in decreto fidei, §. Primum omnium.* Concil. Trident. *ſeſſ. 7. can. 5.* Et hoc latè explicant Theologi cum D. Thoma *3. p. q. 68. art. 1.* (*Florent. Trident. D Thom.*)

81. Baptiſmus omnibus eſt neceſſarius, cum hac tamen differentia, quòd in paruulis exigitur, vt ſit *Baptiſmus omnibus neceſſarius.*



re ipſa ſuſceptus, niſi occidantur in odium Chriſti, quia licet per voluntatem, atque actum charitatis, mortem ob Chriſtum ſuſtinere non valeant; tamen re ipſa perfuſo fatentur ſanguine ſuo, iuxta illud Chriſti Domini: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Ita docent Patres, quos latè adducunt Vaſquius *tom. 2. ad 3. p. diſp. 153. cap. 7. num. 70.* Suarius *tom. 3. ad 3. p. diſp. 29. ſect. 1.* (*Vaſq. Suarius.*) Adultis autem neceſſarius eſt Baptiſmus, vel in re, vel in voto: votum autem tunc datur, quando fit aliquid, in quo includitur propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, vt ſi quis occidatur ob Chriſtum, vel actum contritionis eliciat.

82. De tempore, quo huiuſmodi obligatio incepit, ſecundò inquirimus. *Quando incepit Baptiſmi obligatio.* Aliqui fuere Theologi, vt referunt D. Bernardus *epiſt. 77.* Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacram. p. 6. cap. 4.* quibus fauet D. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap. 3.* (*Bernard. Hugo. Fulgent.*) qui exiſtimauerint, huiuſmodi obligationem incepiſſe à tempore, quo Chriſtus Dominus Nicodemo hæc verba dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu*, &c. Sed certiſſimum eſt, quòd Baptiſmi neceſſitas non incepit obligare à tempore, quo huiuſmodi verba dicta fuere; nam hæc Chriſtus dixit Nicodemo, tanquam amico, & in priuato colloquio, ac proinde non erat pro tunc communis lex promulgata omnibus aſtringens. Et Chriſtus Dominus hîc ſolùm prædixit, quod poſt ſufficientem legis promulgationem futurum erat; ſicut quando dixit Ioan. 6. (*Ioan. 6.*) *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Pro tunc non promulgauit præceptum, quia Euchariſtia adhuc inſtituta non erat; ſed his verbis indicauit neceſſitatem, quæ pro ſuo debito tempore futura erat; ita ſe habuit in Baptiſmo; nam poſt reſurrectionem mandauit baptizare omnes gentes, ac formam Baptiſmi præſcripſit: (*Matth. 28.*) *Euntes docete omnes gentes, batizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ac proinde Baptiſmus obligauit poſt ſufficientem legis Euangelicæ promulgationem.

---

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare noſtra regeneratio in Baptiſmo fiat interueniente aqua, & Spiritu ſancto?*

83. DE fide certum eſt, quòd aqua elementaris ſit materia noſtri Baptiſmatis, vt docet Trident. *ſeſſ. 7. can. 2.* Ratio à priori. Diuina voluntas, vt docet D. Ambroſus *lib. 1. de vocat. Gent.* (*Trident, Ambroſ.*) Congruentias verò inquirimus: ſicut cur huiuſmodi generatio tribuatur potius Spiritui ſancto, quàm Patri, & Filio?

84. Primò reſpondet Fulbertus, Epiſcopus Carnotenſis epiſt. 1. (*Fulbert.*) *Vide*, ait, *quid agit artifex miſericordiæ. Tale ſibi inuenit tumuli genus, quo ſciret peccata ſepelire, & peccatorem neſciret obruere, vt deſcendente homine in fontem, tanquam in ſepulchrum delictorum, reus exiret ad portum, & ſola paterentur delicta naufragium. Proinde aqua, & ſpiritus ſociantur cauſis, & beneficiis ſeparantur. Requiritur ſanè in Baptiſmatis ſacramento aquà propter ſepulturam; Spiritus ſanctus propter vitam æternam. Hæc ſimilitudinem mortis imitatur, ille veritatem ſalutis operatur.* Mirum diuinæ ſcientiæ artificium, vt homo in ſalutem æternam, ac regnum cælorum aſſumatur, exigitur, vt interueniant mors, & vita: nec aliter fit tranſitus ad vitam, niſi mortis præcedat ſimilitudo; *Præcedente mortis ſimilitudine fit tranſitus ad vitam.* hæc autem adumbratur, dum homo emergitur aquis, in quibus ſepeliuntur obruunturque peccata; non verò homo, cui, vt viuus euadat, diuinus aſſiſtit Spiritus. Et ſicut ab aquarum præſentia prouenit mors, ita ab intuitu diuini Spiritus vita reſultat. Huc tendit D. Paſchaſius, dum ponderat illud Apoſtoli ad Rom. 6. num. 4. (*Paſchaſ. Rom. 6.*) *Quicumque in Chriſto baptizati ſumus, conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Ita ait S. Paſchaſius lib. 2. de Spiritu ſancto contra Macedon. cap. 5. *Creatura itaque eſt, quæ ſepeliendi præſtat officium; Deus eſt, qui beneficium præſtat renaſcendi. Quid diſtat inter aquæ, & ſpiritus operationem? Per aquam deduci videmur in tumulum: per Spiritum ſanctum deduei videmur ad regnum.* *Creatura dat mortem Deus vitam.*

85. Secundò Hugo reſpondet cum D. Ioanne Damaſceno: (*Hugo. Damaſc.*) *Quoniam Chriſtus regenerans fuit duplicis naturæ, ſcilicet diuinæ, & humanæ: & homo qui regeneratur, eſt duplicis ſubſtantiæ, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis. Vnde conueniebat, duo eſſe in Baptiſmo, quorum vnum eſt viſibile, & corporale, aliud inuiſibile, & ſpirituale: corporale autem fuit aqua potius, quàm aliud elementum, quia illa propter naturam humoris lauare habet ſordes*, Vult Chriſtus Dominus, vt illi ſimus maximè conformes, eique ſummopere aſſimilemur, *Chriſtus vult vt ei aſſimilemur.* & cùm ille duplici ſubſtantia conſtituatur, diuina ſcilicet, & humana, ita decreuit, vt noſtra fieret regeneratio duplici interueniente entitate, nempe Spiritus ſancti gratia, & natura aquaria, à ſordibus abluere ſolita, Tertiò idem Hugo ait, (*Hugo.*) quòd *aqua* ſignificat tribulationes doloris, & pœnitentiæ: *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur*, ad Timoth. 3. num. 12. (*Tim. 3.*) Et aqua iſta ſine Spiritu ſancto non regenerat; *Per aquas pœnitentia regeneratur homo.* quia tribulatio, & aſperitas pœnitentiæ ſine Spiritus charitate non beatificat. Aliter etiam exponit idem Hugo, (*Hugo.*) quòd Prælati, ex aqua & Spiritu ſancto naſci, & eligi debent: hoc eſt, ex aqua lachrymarum, & inuocatione Spiritus debent eligi Prælati, & non ſicut hodie contendendo, plorando, & implorando hominum gratiam; quia tunc dicitur Oſeæ 8. n. 4. (*Oſeæ 8.*) *Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.*

86. Quartò. Dicitur noſtra regeneratio ex aqua, & Spiritu ſancto, vt ait Albertus Magnus, (*Albert. Mag*) quia eſt lauacrum, qua ſicut exteriùs à ſordibus mundamur, & lauamur, ita in Baptiſmo interiùs per gratiam ſancti Spiritus dealbamur mundi ab omni inquinamento peccati. Et hoc tribuitur Spiritui ſancto potius, quàm Patri, & Filio, cùm Trinitatis opera ſint indiuiſa, *Cur regeneratio potius tribuatur Spiritui, quā Patri, & Filio.* quia Spiritus ſanctus eſt amor; & huiuſmodi gratiæ largitio eſt liberalitatis effectus; ibi autem liberalitas propriè reperitur, vbi & amor. de quo multa dixi *lib. 1. cap. 5. q. 38.* dum explicaui quare Chriſtus dicatur conceptus de Spiritu ſancto; & ibi ad hoc vide alias rationes.

87. Quintò D. Cyrillus Alexand. *lib. 2. cap. 42.* (*Cyrill. Alex.*) ait. Cùm non ſimplex, ſed compoſitus ex corpore ſenſibili, & intellectuali anima homo ſit, duplici quodam ad generationem indiget modo; Spiritu enim ſancto ſpiritus hominis, aquâ verò corpus ſanctificatur. Quemadmodum enim viribus

bus ignis intenſiùs aqua calefacta, *non aliter, quàm ignis vrit; ſic Spiritus ſancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus abſtergunt.* Omnia Dei ſapientia mira diſpoſitione gubernat, & valde proportionatè ad ea, quæ in creatione ſunt facta, in reſtauratione diſponit, & agit, veluti approbans, ac in prima creationis diſpoſitione perſiſtens. Et ſicut in primo rerum molimine ex corpore, & ſpiritu hominem fabricauit; ita in reſtauratione eum corporali aqua, at diuino viuificat ſpiritu, ac ducit ad vitam. Ait cœleſtis anima, *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea*, Cant. 2. num. 3. *Per vicos, & plateas*, homines intelligunt D. Gregorius Magnus *lib. 26. moral. cap. 8. & homil. 26. in Euang.* Beda, D. Anſelmus, & alij. Magnum latet myſterium, quòd dum bona anima alta diuini ſponſi conſilia, & opera quærere, ac inueſtigare affectat, ad homines confugit, ac diuertit. *Quæram per vicos, & plateas*, hoc eſt, per homines perſcrutabor, ac quæram: ea enim, quæ pro hominibus eſt operatus, & ſui inſcrutabilis conſilij inuiſibilia ex viſibili hominis operatione pateſiunt. D. Gregorius citato lib. 2. moral. cap. 8. *Deus*, inquit, *dum facturæ ſuæ decus foris proponit, quaſi quibuſdam ſe nobis nutibus innuit, & quæ intus ſequamur oſtendit, ac miro modo ipſis formis exterioribus nos ad interiora perducit: innuit immenſa admiratione, quod eſt, mira hæc exteriùs oſtendendo, quæ non eſt.* In Baptiſmo interueniunt aqua, & Spiritus ſancti cooperatio, vt dum aqua exteriùs lauat, internam ſignificet ablutionem, quam ſpiritus confert.

Cant. 2.
Greg. Magn.
Beda.
Anſelm.
*Dei opera per viſibilia demonſtrantur.*
Greg. Magn.

## Qᴠæſtio XVII.

### *Quare huiuſmodi regeneratio ſit in aqua? Rationes peculiares expendo.*

88. D. Thom. *Aquæ proprietates Baptiſmi affectiones exprimunt.*

PRæter rationes ſuperiori quæſtione datas; alias inquiro. Et primò reſpondet D. Thomas *3. part. quæſt. 66. art. 3.* nempe, Aquam conuenienter fuiſſe aſſumptam in materiam Baptiſmi, quia ſuis proprietatibus mirificè Baptiſmi affectiones indicat: aqua enim ſua humiditate lauat; bene exprimit ablutionem peccatorum, quam Baptiſmus operatur. Et quia aqua ſua frigiditate temperat calorem, optimè ſignificat hoc ſacramentum, quod concupiſcentiæ fomitem temperat. Et quia ſua diaphaneitate eſt ſuſceptiua lucis, bene ſignificat Baptiſmum, qui eſt ſacramentum fidei, qua homo illuminatur ad cognoſcenda ſupernaturalia myſteria. Et tandem quia, dum homo aquâ ſubmergitur in Baptiſmo, quaſi in ſepulchro proiicitur, & inde emergens quaſi reſurgit; optimè figuratur renouatio interioris hominis facta per Baptiſmum, per cuius virtutem vetus homo moritur, & nouus reſurgit.

89. Cyrill. Ieroſ.

Secundò D. Cyrillus Ieroſolymit. Catech. 3. *Si quis*, inquit, *ſcire deſiderat, quomodo per aquam potius, quàm per aliquod aliud elementum gratia detur, ſacras Scripturas relegens inueniet. Magnum quidem eſt aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum eſt cælum; atqui ex aquis ſunt cæli. Terra eſt hominum locus; atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem rerum creatarum ſex illis diebus diſtinctionem ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Principium mundi aqua, principium Euangelij Iordanis. Liberatio Iſraëlis à Pharaone per mare facta eſt; liberatio à peccatis mundi per lauacrum eſt aquæ in verbo Dei. Vbicunque fœdus aliquod inter Deum, & hominem, ibi & aqua. Poſt diluuium fœdus percuſſum eſt cum Noë, fœdus & cum Iſraële in monte Sinai; verùm hæc non ſine aqua, & lana rubea, & hyſſopo. Elias aſſumptus eſt in cœlum, & non ſine aqua.* Optimè ergo aqua, quæ tantis præparata erat myſteriis, aſſumitur in materiam tanti ſacramenti, cùm per Baptiſmum homo ex terra tranſeat in cælum, à Diabolique liberetur captiuitate, & Spiritus ſancti habitatio fiat, ac inter Deum, & hominem firmetur fœdus ſempiternum. Deinde aqua, quæ tantis miniſteriis inſeruiuit, dignè vt nobilitetur, in materiam tanti ſacramenti aſſumitur.

*Aqua ad magna myſteria deſtinata.*

90. Tertull.

Tertiò Tertullianus lib. de Baptiſmo, cap. 3. *Primis aquis præceptum eſt, animas proferre. Primus liquor, quòd viueret, edidit, ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aquæ animare nouerunt.* In primo rerum molimine dixit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli*, Gen. 1. num. 20. Inter omnia elementa primò omnium aquis committitur, vt animas viuentes producant, quæ tam per vndas natent, quàm per aëra, ac cæli tractus volitent. Pereleganti igitur ratione aqua in Baptiſmo eligitur, vt homines regeneret, ac ad cæleſtia ducat, cùm inter elementa aqua extiterit prima productione viuentium, ac volatile ad cæli ambitum primò produxerit: eſt enim, qui extollatur ſuper cæteros, maximè dignus, qui in aliquo virtutum facinore primas habet. Vide *lib. 1. cap. 2. n. 22.*

Geneſ. 1.
*Primus in aliqua virtute venerandus.*

91. Zeno.

Quartò D. Zeno ſerm. 10. de Iudæis. *Illorum*, ſcilicet Iudæorum, *profugus populus per mare rubrum dextera, læuaque vndarum ſtupentibus rupibus pede ſicco tranſiuit; at noſtrum mare, quos voluntarios ſuſcepit, fœliciter naufragos fecit: interimenſque vniuerſa peccata, genitali vnda ſubmergit, vt cœleſtes effecti terram deſiderare non norint.* Noſtra regeneratio fit in aquis potius, quàm in alio quocumque elemento; quia hoc eis peculiariter eſt ingenitum, vt terram ſuis vndis operiant, ac occultent, & generoſas ad volandum in cælum aues, vt in prima rerum creatione, producant: nobis enim tranſitus in patriam præparatur aliter, ac Iudæis per mare rubrum; nam illi, vtpote terreni, diuiſis vndis aperta terra, & ſicco in patriam gradiuntur pede: nos verò tanquam ſpirituales, non aquarum diuiſione, ſed cooperta, atque occulta, omiſſaque terra, vtpote ſublimes volucres, ad volandum, in cælumque eundum præparamur.

*Contempta terra eundum eſt in cælum.*

92. Paſchaſ. Rom. 6.

Quintò D. Paſchaſius lib. 2. contra Macedon. cap. 5. *Omnes*, inquit, *quicunque ſacro fonte ſubmergimur, mortem, & ſepulturam Redemptoris imitamur, ſicut ait Apoſtolus Rom. 6. An ignoras, quia quicunque in Chriſto baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem. Sicut enim ille triduana morte ſepulchro conditus fuit, ita & nos intra aquæ, id eſt, inter cognatæ creaturæ ſubſtantiam trina ſubmerſione depoſiti, dum deſcendimus, ſepelimur; dum emergimur, ſuſcitamur.* In aqua Baptiſmus inſtituitur, vt homo trina in crucis modum, & figuram ſanctificetur emerſione, & gratia condecoretur: aqua enim Chriſti paſſionem adumbrat, vt patet ex citato Pauli loco, *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Pſalm. 68. num. 3. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, Cant. 8. n. 7. In aqua, ſeu in vmbra paſſionis Chriſti cum trina emerſione confertur Baptiſmus: ſemper enim per crucis vexillum ad nos ſalus aduenit.



Pſalm. 68.
Cant. 8.

93. Pſalm. 103.

Ait regius Vates Pſalm. 103. num. 25. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum; ibi reptilia, quorum non eſt numerus.* Sed cùm iſtius mundi pelagus tot periculis ſit plenum, tot animalibus vitam noſtram inſidiantibus repletum, quomodo, ne in Scyllam, & Charybdim incidamus, niſi ligno nauigemus, transfretari poterit. D. Auguſtinus *ibi* ſic fatur: *Repentes tentationes quis numeret? Repunt, ſed caue, ne ſurripiant. Vigiletur in ligno, etiam in aquis in cruce nauigamus, etiam in fluctibus tuti ſumus.* Qui enim per hoc procelloſum mare ligno crucis nauigat, ab omni tempeſtate, maloque inſidiante eſt maximè ſecurus, vt naufragium non timeat. Hac præclara doctrina bene erat inſtructa pia anima illa, dum dicebat Cantic. 3. num. 1. *In lectulo meo quæſiui, quem diligit anima mea.* Cur ſponſa de ſuo dilecto ſedula, non ad aureum reclinatorium vadit? Ad præcelſam Dauidis turrim non aſcendit? non ad mœnia ciuitatis accedit? Ad hortum, atque conuallem aromatibus plenum non deſcendit? ſed in lectulo perſiſtit, & ibi dilectum inquirit? Crucis myſterium in lectulo nitet, ibi enim requieuit, qui extra crucem non habuit, vbi caput ſuum reclinaret; & nullibi melius inquirendus, ac inueſtigandus, quàm in cruce, vt omni ſuauitate inueniatur. Et bene ſub noctis tenebras, hoc eſt, horrore mortis quærit, vt cum Chriſto reuiuiſcat. Gillibert. Abbas ſerm. 2. in Cantic. *Durus lectulus illud crucis tuæ lignum. In hoc ego naſcor, & nutrior; creor, & recreor; & ſuper paſſionis tuæ altaria memoriæ mihi nidum libenter recolo.*

Auguſt.
Cant. 3.
*In cruce Chriſtus inuenitur.*
Gillib. Abb.

## Qᴠæſtio XVIII.

### *Quare in hac generatione aliquod homini non datur adiutorium, ſicut in prima eius creatione?*

94.

POſtqvam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam diuinus opifex hominem condidit, ſtatim de eius adiutorio tractans ait: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, Gen. 2. n. 18. At verò, dum Deus ad ſecundam hîc hominis regenerationem per lauacrum aquæ Spiritu ſancto cooperante accedit, nullum homini adiutorium concedi video. Quænam igitur huius diſcriminis ratio? D. Chryſoſtomus homil. 24. in Ioan. *Et quemadmodum à principio totum formauit, ita nunc totum creat; & tunc; Faciamus, inquit, ei adiutorium; hîc minimè. Quippe qui Spiritus ſancti gratiam accepit, nulla re indiget, Qui in Chriſti corpore perficitur, quonam alio opus eſt auxilio?* In primo molimine, ac generatione ab homine in eadem humana natura adiutorium exigitur

Geneſ. 2.
Chryſoſt.



ſimile ſibi, vt preſſuras obuenientes vincere poſſit, in laboribuſque leuamen habeat. At in hac ſecunda regeneratione, in qua homo Spiritus ſancti gratia ditatus vnà cum Chriſto incorporatur, quo duce, & comite omnem etſi difficilem viam feliciter conficere valet, nullus alius exoptatur auxiliator. Miſerias multas ex ſterilitate prouenientes prænuntiat Iſaias cap. 4. num. 1. inquiunt mulieres: *Tantummodo inuocetur nomen tuũ ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Optimè ſanè, obtento nanque Chriſti nomine mala, ac dedecora omnia conculcantur. D. Hieronymus. *Quia in hominibus ſemper patiebatur opprobrium nullo viuente, vt Spiritus ſancti dona poſcebant: propterea Ieſu nomen ſibi cupiunt inuocari; vt quod in lege imperfectum erat; in Euangelio compleatur.*

Iſai. 4.
Hieron.

95.

Secundò. In prima generatione homini datur adiutorium; non verò in hac ſecunda regeneratione, in qua Baptiſmus ſub crucis ſigno per aquam præparabatur. Et quodnam maius auxilium, ac patrocinium homini poteſt concedi, quàm crucis vexillum? Accedit Nabuchodonoſor ad fornacem, & totus admirabundus exclamat: *Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, Daniel. 3. num. 92. Sed vnde tam mirabilis vis, vt pueri in medio fornacis à flamma ignis eximantur, ac liberentur illæſi, & veluti tenui recreati aura canentes ambulant? D. Macharius Chryſozephalus orat. de cruce. *Quartus quoque, qui apparuit, quadripartitæ crucis eius per vniuerſum orbem potentiam ſignificauit.* Quartus figuram crucis; quæ ex quadripartito ligno conſtat, exprimebat; & vbi crucis aderat vmbra, quid mirum, quòd ibi vmbraculum ab æſtu, refrigerium ab igne, ſcutum ab omni malo protegens haberetur? Sub vmbra enim crucis bonum ſuſcitatur omne, & excluditur malum. Cùm Thamar prægnans deprehenderetur, & ad capitis ſupplicium damnaretur: *Miſit ad ſocerum ſuum, dicens: De viro, cuius hæc ſunt, concepi: cognoui, cuius ſint annulus, armilla, & baculus.* Gen. 38. num. 25. Iudas ſigna illa videns, eam ſtatim liberam pronuntiauit. Ligneus ille baculus Chriſti Crucem figurabat, quæ vbi apparuit, ab omni malo ſtatim fuit tutamen. Theophanes Cerameus orat. in Exaltatione ſanctæ Crucis. *Illa enim*, inquit, *amatorem quæ ſocerum ſuum nacta, accepit ab illo pignori baculum, quo poſtea mortis diſcrimen euaſit. Thamar igitur Eccleſiam ex gentibus collectam adumbrat, quæ quaſi duobus improbis fratribus, impietati ſcilicet, & multorum Deorum cultui priùs iuncta, cùm nullum pietatis fructum edidiſſet, ſurripuit fructum ex Iuda, Chriſtum, inquam, ex tribu Iudæorum ortum, crucemque baculi inſtar arripuit, per quam à morte anima liberata eſt.*

Daniel. 3.
Machar.
Geneſ. 38.
Theophan.

## Qᴠæſtio XIX.

### *Quare Baptiſmus dicatur regeneratio?*

96. Cyril.

ELeganter D. Cyrillus *lib. 2. in Ioan. c. 72.* rem ipſam explicat. *Regenerationem*, ait, *Dominus appellauit, vt etiam ex hoc diſceremus, idcirco nos Dei fieri participes, quoniam ſpiritum,*

*ſpiritum, qui ſubſtantialiter ex Deo procedit, per Baptiſmum acquirimus, quo in priſtinam pulcritudinem reformati, & ad nouam vitam renati, à Deo in filios adoptamur.* Noſtra in Chriſto natiuitas rectè,& valde nobiliſſimè regeneratio dicitur; nam ſi in prima productione, ac generatione, *inſpirauit Deus in faciem hominis ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem*, Geneſ.2.num.7. nunc ei in Baptiſmo per gratiam ipſemet Dei ſpiritus datur: & ſicut in natiuitate corporea exoritur homo ad vitam, & lucem, ac bona huius ſæculi perfruenda; ſic in Baptiſmo ad vitam ſpiritualem, & veram animæ lucem, atque ad bona cæleſtia poſſidenda naſcitur homo. Et vt in generatione carnali homo patris ſui conſtituitur filius; ſic & in hac regeneratione renaſcitur filius Dei, & Eccleſia,tanquam mater, materiam, quæ eſt aqua, ſubminiſtrat; & ita homo ad ſuam priſtinam, quam in paradiſo habebat, pulchritudinem redit. Ait Dominus Iſai.7. num. 3. *Egredere in occurſum Achaz tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus, ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Et dices ad eum: Noli timere.* Vt bonum Regi annuncietur auſpicium, cur ad piſcinam aquæ cum filio Iaſub iubetur aſcendere: qui filius reuerſum ſignificat? Aquæ illæ baptiſmales fontes indicabant,vt fieret manifeſtum, quòd per aquas Baptiſmi homo ad ſuam antiquam pulchritudinem,elegantiamque reuertitur. D. Cyrillus in Iſai.lib.1. orat.4. *Typum Dei,* inquit, *repræſentans Propheta percommodè affert pollicitationem auxilij in piſcina ſuperioris agri fullonis. Figura rurſus eſt piſcina ſalutaris fontis ſacri Baptiſmatis, qui nos etiam in viam ducit ſuperiorem.*

Gen.2. — *Baptiſmus antiquã pulchritudinem reddit.* — Iſai.7. — Cyrill.

97. Secundò. D.Auguſtinus epiſt.23. *Niſi quis,* inquit, *renatus fuerit, non ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide: ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu. Aqua igitur exhibens forinſecus ſacramentum gratiæ; & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ regenerant hominem in vno Chriſto ex vno Adam generatum,* Cùm naturalis generatio, iuxta Ariſtotelem, ac Conimbricenſes *lib.1. de Gen.cap.4. quæſt.15. art.2. §. tertia aſſertio,* ſit quædam mutatio à priuatione formæ ad formam in materia; in hac ſpirituali regeneratione quædam interuenit mutatio à priuatione culpæ,ſeu ab expulſione illius maculæ ad nouam formam gratiæ,per quam filij Dei conſtituimur.

Auguſt. — Ariſtot. Conimbric. — *In Baptiſmo fit mutatio à culpa originali ad gratiam,*

98. Tertiò D. Zeno loquens ad baptizandos, ait *ſerm.3.* de inuitatione ad fontem. *Iam vos ſempiterni fontis calor ſalutaris inuitat, iam mater noſtra adoptat, vt pariat. Sed non ea lege, qua vos matres veſtræ pepererunt, quæ & ipſe partus dolore gementes, & vos plorantes ſordidos, pannis ſordidis alligatos, huic mundo deditos intulerunt; ſed læta gaudentes, cæleſtis libera peccatis omnibus abſolutos, non fœtidis cunis, ſed ſuaue redolentibus ſacri altaris feliciter enutrita cancellis.* Valde diuerſimodè nos mundialis mater, ac fons viuificus parit.Matres noſtræ edunt nos coinquinatos, ſordidos, gementes, lachrymantes, filios iræ,multiſque miſeriis obſtrictos: parit nos cælo baptiſmalis vnda pura mundos, magna lætitia perfuſos, multa abundantes ſuauitate, &,quod eſt maximum, filios Dei. Quòd doleas, à matris vtero habes; à viuifico fonte, quod gaudeas,ac læteris. Vide *lib.1.cap.1.num.95.& lib.3. cap.1. num.95.*

Zeno. — *Qualis ſit homo à ſuis, qualis à Deo.*

Quartò D.Zeno ſerm.5.de inuitatione ad fon- 99.
tem. *Quid ſtatis genere, ætate, ſexu, conditione diuerſi, mox vnum futuri? fontanum ſemper Virginis matris dulcem ad vterum conuolate, ibidemque vos veſtra nobilitari fide, ſcientes, quoniam quantum quis crediderit, tantum beatitudinis habebit.* Homo à natalibus ſuis nobile genus habet; ita Chriſtiana Phœnix ex fonte baptiſmatis renaſcens, concipienſque Chriſti fidem, ex ipſa fidei profeſſione præclariſſimam cæleſtem proſapiam cooptat, ac ſibi vendicat. *Ait Rex Aſphenez præpoſito eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula,* Daniel.1. num.3. & ſtatim ſubdit textus: *Fuerunt inter eos de filiis Iuda Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias.* Sed cur non dicitur, quòd erant de ſemine regio, vt Regis iuſſio vrgebat; ſed regia omiſſa proſapia ſacer textus pergit ad explicandam ipſorum egregiam fidem, atque virtutem? *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa Regis.* Optima ſanè ratione; nulla enim illuſtrior proſapia, ac maius regale genus, quàm virtus, ac fides in Deum. Theodoretus ibi. *Cùm ſuprà dixerit, imperaſſe Regem, vt eligerentur è ſtirpe regia iuuenes forma conſpicui, & magnitudine decori, & hîc perſonarum nomina poſuerit: Tribus Iuda ſimpliciter mentionem fecit, & regiam cognationem occultauit.* Iudas, id eſt, Domini confeſſio, *Gen.29.num.35.* & ex hac potius,quàm ex regali ſanguine nobilitas cooptanda eſt.

Idem. — *Maxima nobilitas à fide, & virtute.* — Daniel.1. — Theodor. *Ex fidei confeſſione nobilitas magna.*

*Ioannis 3.n.6.* Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

*V E R S I O N E S.*

| | |
|---|---|
| *Tertull. lib. de carne Chriſti cap.18.* | Quod in carne natum eſt, caro eſt. |
| *Idem lib.2. aduersùs Marcion.* | Quod natum eſt de carne, caro eſt; de ſpiritu vita. |

## *E X P O S I T I O.*

His verbis Dominus ſuperiorem de- 100.
clarat ſententiam; & ex manifeſtioribus ad abſcondita ducit: & valde ſubtilem ponit rationem; ſicut enim ex carne caro naſcitur, ita ex ſpiritu ſpiritus producitur, hoc eſt, ſicut caro generans, carnale, & humanum eſſe tribuit; ita ſpiritus regenerans, diuinum gratiæ ſpirituale eſſe largitur, per quod homo fit ſpiritualis filius Dei.Et ita hoc loco,vt bene obſeruat Theophylactus, ponuntur ſubſtantiua pro adiectiuis, hoc eſt, caro pro carnali homine, ſpiritus pro ſpirituali. Spiritus autem hic regenerans,hoc eſt, Deus,vt obſeruarunt D.Ambroſius *lib.3. de Spiritu ſancto, cap.11.* D. Auguſtinus *lib. de fide, & ſymbolo, cap.19.* Vnde eleganter ait D. Chryſoſtomus homil.25. *Natiuitatem hoc in loco, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm honorem, & gratiam intelligit.* Oſtendit Dominus,non de carnali generatione, habere ſermonem, in qua totus inhærebat Nicodemus;ſed de alia multo nobiliori: & excellentiori, quæ eſt ex gratia, per quam homo diuinum ſpiritum ebibens, ab eo ad omnes operationes agi, mouerique videtur; ac per illius diuinum afflatum maximè transformatur in mores, & actiones, quæ ab ipſo diuino dictantur ſpiritu, ita vt ab ipſo natus homo ſpiritus, ſeu ſpiritualis appellari maximè valeat. D.Cyrillus Arexandrinus lib.2. in Ioan. cap.43. *Natum ex Spiritu ſancto,* inquit, *ſpiritum hominis dicimus, non quia ex eo, ſecundùm naturam eſt, ſed quia per ipſum ad Deum reformati, ac proprio charactere inſigniti ad ſuam, vt ſic dixerim,qualitatem animo transformamur.*

Theophyl. — Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. — *Natiuitas ex Deo maximè honorificat.* — Cyrill.Alex.



---

## Q V Æ S T I O XX.

### *Qua ratione Chriſtus Dominus, cùm ſit natus ex Spiritu ſancto, conſtet humana carne?*

101. Difficvltas huius quæſtionis oritur ex Chriſti Domini verbis: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* De Chriſto Domino autem dixit Angelus Matth.1.num.20. *Quod in ea natum eſt, à Spiritu ſancto eſt;* ac proinde iuxta huiuſmodi pronuntiata videtur dicendus Chriſtus Dominus,non caro,ſed ſpiritus,quod repugnat cum fide Catholica, quæ tenet, Chriſtum Dominum fuiſſe verum hominem, corporeum, & ſenſibilem, compoſitum ex anima rationali, & vera carne. Quo ergo ſenſu dicatur natus à Spiritu ſancto,eſt explicandum.

Matth.1.

102. Reſpondet primò Maldonatus, exponens hoc loco carnem de carne peccati. Et ſenſus huiuſmodi rei eſt, inquit: Quod naſcitur ex carne, caro eſt: id eſt, quod naſcitur ex homine peccatore, homo peccator eſt; Chriſtus autem neque peccator eſt, neque ex homine peccatore natus. Sed expoſitio eſt non multum germana; Chriſtus Dominus hîc terminos generationis tantùm explicare intendit; ac proinde quod productum aſſimiletur principio ſuo. Deinde quanuis in mundo nullum daretur peccatum, adhuc verum eſſet dicere: Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu,ſpiritus.

Maldonat.

103. Reſpondet ſecundò, & valde egregiè D.Chryſoſtomus homil.25. in Ioan. *Chriſti caro non à ſpiritu tantùm parta eſt, ſed etiam à carne, quod Paulus ſignificat, cùm ait: Factum ex muliere. Spiritus carnem Chriſti formauit, non tamen ex nihilo, ſed ex carne virginali.* Similiter Euthymius, Theophylactus. Vera ſolutio huius quæſtionis ſtat in hoc, quòd Chriſtus Dominus hîc loquitur de generatione ſpirituali: Chriſtus autem ſecundùm carnem natus ex puriſſima Virgine Maria, & quia in hac admirabili generatione concurſus viri non interuenit, Spiritus ſanctus ſua infinita virtute ex puriſſimo ſanguine Virginis efformante, & organizante corpus Chriſti humanam operationem ſuppleuit.Et hac de cauſa Chriſtus caro natus, quia Spiritus ſanctus ita eſt principium, vt viri in materia operantis ſuppleret virtutem.

Chyſoſt. Galat.4. — Euthym. Theophyl. *Vera ſolutio.*

Tertiò dico, quòd Chriſtus Dominus poteſt 104.
dici ſpiritus in eo ſenſu,de quo hîc agitur in textu, ſicut quilibet iuſtus: nam dicitur natum ex ſpiritu ſpiritus, non quia ſecundùm ſuum eſſe phyſicum,& reale ſit ſpiritus;verùm, quia ſecundùm eſſe inuiſibile, & per dona Spiritus ſancti, cui in ſuis operationibus conformatur, homo ſpiritus fit, ſeu totus ſpiritualis, vt rectè explicat D.Cyrillus adductus in expoſitione.Et D.Baſilius *homil. de Baptiſmo,* tractans hunc locum: *Quemadmodum,* inquit, *quod ſecundùm carnem natum eſt,ex aliquo tale eſt, quale id, ex quo natum eſt; ita & nos neceſſariò ex ſpiritu nati, ſpiritus efficimur: ſpiritum dico, non ſecundùm eminentiam illam, & humano ſenſui incomprehenſibilem Spiritus ſancti gloriam, ſed ſecundùm eam, quæ in diuiſione chariſmatum Dei per Chriſtum vnicuique ad vtilitatem facta eſt.* Si ergo iuſtus in hoc ſenſu dicitur ſpiritus, prout Spiritus ſancti dona in ſe recipit; multo excellentiori modo Chriſtus Dominus dici poterit,prout ſubſtantialiter eſt ſanctus per gratiam vnionis, & ſuper omnes creaturas maximè ditatus donis gratiæ,& Spiritus ſancti.Non tamen ex hoc inferri poteſt, quòd ipſe ſit adoptiuus filius Dei, cùm ſit filius naturalis, & filiatio adoptiua cum naturali pugnet.Vide D.Thomam *3.part.quæſt.23.art.4.*

*Quomodo iuſtus dicitur natus eſt ſpiritu.* — Cyrill. Baſil. — D.Thom.

*Ioannis 3.n.7.* Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo.

*V E R S I O N E S.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Non mireris, quòd dixerim tibi. |
| *Theophylactus, Vatablus.* | Oportet, vos naſci è ſupernis. |

## *E X P O S I T I O.*

Hæc verba ad ſequentia referunt 105.
D. Cyrillus Alexandr. D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij, ac ſi eſſet ſenſus: *Non mireris, quòd dixerim: Oportet naſci denuo, quia ſpiritus, vbi vult, ſpirat.* Sed meo videri, magis ſunt connectenda cum ſuperioribus. Ita docent Albertus Magnus, D.Thomas, Vatablus *in ſcholiis.* Maldonatus, & alij. Dixerat enim; quod natum eſt ex carne, caro eſt; quod ex ſpiritu, ſpiritus: infert ergo ex hac ſententia, non eſſe mirandum,quia ipſe non loquitur de generatione carnali; quia tunc eſſet admiratione valde dignum, quòd homo ex ſene fieret puer,& ſuum amitteret eſſe,ac denuo acciperet aliud. Sed procedit ſententia Domini de generatione ſpirituali,in qua interueniente Spiritus ſancti gratia non eſt mirum, quòd homo denuo naſcatur ſpiritualiter filius Dei. Et ideo ſtatim ſubiunxit, *Spiritus,vbi vult,ſpirat.* Duplex eſt autem admiratio, vt notat D.Thomas, vna, quæ oritur ex deuotione, dum quis Dei mirabilia conſiderans cognoſcit, ſe ea non poſſe comprehendere, & tunc miratur. Ita dicitur Pſal.92. num.4. *Mirabilis in altis Dominus,*& Pſalm.118. num.129. *Mirabilia teſtimonia tua.* Altera verò admiratio eſt,quæ oritur ex infidelitate,qua non creden

Cyril.Alex. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Beda. — Albert.Mag. D. Thom. Vatabl. Maldonat. — D.Thom. *Duplex admiratio.* — Pſalm. 92. Pſalm 118.

credentes mirantur. Et ita dicitur *Matt.*13.*n.*54. quòd mirabantur in doctrina Chriſti. Et ſtatim ſubditur : *quòd ſcandalizabantur in eo*; & ab hac admiratione Nicodemum Dominus remouet.

*Ioannis* 3.*n.*8. Spiritus vbi vult, ſpirat:& vocem eius audis, ſed neſcis, vnde veniat, aut quò vadat : ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Spiritus, quo loci vult, ſpirat, *&c.* ita eſt quiſque genitus ex ſpiritu. |
| *Albert.Magn. ex Græco.* | Ventus flat, & vocem eius audis, *&c.* |
| *Arias.* | Sed non noſti, vnde veniat. |
| *Vatablus.* | Neſcis, vnde veniat, & quò abeat. |
| *S. Optatus Mileuitan.lib.*2. *contra Parmenian.* | Spiritus Deus eſt, & vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, & quò eat. |
| *D. Athanaſius lib.*5. *de ſubſtantia Trinitatis.* | Spiritus vbi vult, adſpirat, *&c.* Sic omnis, qui natus eſt ex aqua, & Spiritu ſancto. |
| *Idem lib. de Incarnat.* | Ita quoque eſt omnis, qui ex ſpiritu genitus eſt. |

### *EXPOSITIO.*

106. August. NICODEMVS, vt ait D.Auguſtinus *tract.*12. vocem ſpiritus audiebat, & neſciebat, vnde veniebat : ideo Dominus probat hac ſententia poſſe hominem ex ſpiritu naſci, etiamſi id non intelligamus. Quia ſpiritus, vbi vult, ſpirat; id eſt, quem vult, eligit ad Euangelicæ perfectionis faſtigium; & homo vocem ſpiritus audit, etiamſi neſciat, à quo illa vox oriatur, & ad quem gratiæ, ſeu beatitudinis gradum terminetur. Ac proinde ſicut modus operandi Spiritus ſancti nobis eſt ignotus, & ſolùm ſupernaturaliter percipitur; ita homo regeneratus, eiuſque regeneratio in gratia, ſolùm Dei ope percipi valet. Et hic eſt, meo iudicio, legitimus ſenſus. Breuiter ſingula perſtringamus.

107. 1.Cor.12. *Spiritus vbi vult, ſpirat.* Diuinus ſpiritus liberè operatur. 1. Corinth. 12.num. 11. *Omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis, prout vult.* Textus : *Et vocem eius audis*; tripliciter, vt notat Albertus Magnus. [Albert.Mag.] Primò in Scripturis. Apocal. 2.num. 7. [Apoc.2.] *Qui habet aurem audiendi, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Secundò auditur vox in prædicatore. Matth. 10. num. 20. [Matth.10.] *Non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Actor.6. num. 10. [Actor.6.] *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.*

Tertiò auditur vox in corde. Ad Galat.4. num.6. [Galat.4.] *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem : Abba Pater.* Pſalm.89.num.9. [Pſalm.89.] *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Hanc vocem ſpiritus audire, explicat D. Hieronymus *in cap.*32. *Ierem. num.*34. [Hieron.] hoc eſt, vt mens noſtra in cognitionem Dei feratur : quia, vt ait ſanctus Doctor, *Notitia vnius Dei, omnium virtutum poſſeſſio eſt.* [*Notitia Dei omnium virtantum poſſeſſio.*] Aliter verò hunc locum explanat D.Gregorius lib. 27. mor. cap.16. [Gregor.] *Vocem*, inquit, *ſpiritus audire, eſt, vi compunctionis intimæ in amorem inuiſibilis conditoris aſſurgere.* Ille enim perfectè Dei vocem audit, qui audita exequitur.

108. *Sed neſcis, vnde veniat, aut quò vadat.* hoc eſt, quomodo in cor hominis intrauerit, & quomodo redierit, ignoratur; quia ipſe eſt natura inuiſibilis. Iob 9. num. 11. [Iob.9.] *Si venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam.* Vel, vt explicat Albertus Magnus, [Albert.Mag.] quomodo huiuſmodi inſpiratio à concilio, ac prædefinitione Dei venerit, & ad quem gradum fœlicitatis, ſeu beatitudinis ducat, non percipitur à nobis. Aliter verò hunc locum enucleat D.Gregorius in lib. 1.Reg. cap.16. [Gregor.] *Spiritus quidem, inquit, venit, & vadit, quia reprobos deſerit, electos aſſumit.* Textus : *Sic omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.* Sicut enim vox Dei, quanuis audiatur, tamen ignoratur, à quo principio exeat, & ad quem terminetur: ſic ignoratur omnis, qui forma inuiſibili formatus eſt in filium Dei, cuius viæ ignotæ ſunt nobis. Eccleſiaſtici 11. num.5. [Eccli.11.] *Neſcis opera Dei, qui eſt fabricator omnium.*

---

## QVÆSTIO XXI.

### *Quid nomine ſpiritus hîc intelligatur?*

109. HOc loco Patres, & authores ſpiritus ſignificatum variè explicant; nam ventum hîc ſignificare, multi ſunt, qui affirmant. D.Chryſoſtomus *hom.*25. D.Cyrillus *lib.*2. *cap.*44. Euthymius, Theophylactus, Simon Caſſianus *lib.*11.*cap.*6. Lyranus. [Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Theoph. Simon Caſ. Dion.Areop.] Fauet D.Dionyſius Areopagita *de cœleſti Hierarch. cap.*15. *Inquiunt* enim, quòd Dominus, vt optimus magiſter, doctrinam ſuam exemplo, ac ſimilitudine petita à vento explicat : *Spiritus*, id eſt, *ventus*, vt legit Albertus, [Albert.Mag.] *vbi vult, ſpirat*; hoc eſt, nullo impediente, omnes orbis partes perflat. Eccleſiaſti. 1. num.6. [Eccli.1.] *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Textus, *Vocem eius audis*; hoc eſt, ſonitum, & ſibilum eius. Ezechiel. 3.num. 12. [Ezech.3.] *Audiui poſt me vocem commotionis magnæ.* Textus : *Sed neſcis, vnde veniat, aut quò vadat*; quia determinata cauſa. & locus, à quo ventus oriatur, & vbi terminetur, atque conſiſtat, omnino ignoratur. Pſalm. 134. num 8. [Pſalm.134.] *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Textus : *Sic omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.* Quemadmodum enim venti productio penitus neſcitur; & ipſe, non viſu, ſed auditu tantùm agnoſcitur; ſic ſpiritualis hominis natiuitas ignoratur, &, non oculis, ſed auditu fidei percipitur.

110. Secunda ſententia, & huius rei explicatio, non de vento, ſed de Spiritu ſancto præſentia verba interpretatur. D. Baſilius *lib.*5.*contr. Eunomium, cap.penultim.* [Baſil.] D. Athanaſius *lib.*1. *&* 5. [Athanaſ.]



[Nazianz. Nyſſen. Hilar. Hieron. Ambroſ. Auguſt. Greg.Magn. Carthuſ. Hugo. Caietan. Tolet. Albert.Mag. D.Thom. Bonauent.] *de vnica Dei Trinit.* D.Gregor. Nazianz. *orat.* 5. *Theolog.* D. Gregorius Nyſſenus *orat. de ſancto Baptiſm.* D.Hilarius *lib.*2.*de Trinit.* D. Hieronymus *epiſtol.ad Hedib.quæ.*9. D.Ambroſius *lib.* 2. *de fide, cap.* 3. *& lib.* 3. *de Spiritu ſanct.c.* 11. D. Auguſtinus *tract.* 12. *in Ioan.* D. Gregorius Magnus *lib.*27.*moral.cap.*13. D.Carthuſianus, Hugo, Caietanus, Toletus. Et hanc ſententiam tenent Albertus Magnus, D.Thom. D.Bonauentura, licèt oppoſitam iudicent probabilem. Et hanc interpretationem, vt veriorem, ſecutus ſum in expoſitione.

111. *Vera explicatio de Spiritu ſancto.* Et probatur primò. Quia hoc ſenſu Chriſtus Dominus reddit rationem veluti ſuperioris ſententiæ : dixerat enim, non eſſe mirandum, quòd homo oporteat naſci denuo; & dat rationem: *Quia ſpiritus, vbi vult, ſpirat.* hoc eſt, quem vult, eligit. Secundò, quia valde rariſſimè in Scriptura ſpiritus ponitur pro vento; & Chriſtus Dominus in hoc colloquio ſæpe de ſpiritu verba faciens, tertiam Trinitatis perſonam intelligit; quomodo ergo poteſt hîc ſemel pro vento accipere? Imò in breui admodum dictione, *Spiritus vbi vult ſpirat; ſic omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.* Quo pacto igitur eſſe poterant verba de vento in primo loco, in ſecundo de Spiritu ſancto? Et tam amphibologicè loqui repugnat cum intentione boni magiſtri, qui maximè intendebat doctrinam ſuam in corde Nicodemi inſinuare. Et hoc non erat explanare, ſed potiùs obuelare, & valde æquiuocè vocibus vti. Tertiò. Eſſet valde amphibologica locutio; quia ventus non dicitur, velle habere vocem, & ſpirare; ſed potiùs diuino Spiritui hæc conueniunt : ergo de illo loquebatur Chriſtus Dominus.

112. Maldonat. *Alia explicatio de anima.* Alia explicatio huius rei adducitur à Maldonato, quæ aliquibus videtur plauſibilis, dum per ſpiritum humanus ſpiritus intelligitur : *Spiritus, vbi vult, ſpirat*; hoc eſt anima noſtra rationalis, prout vult, ſpirat, & interiùs effotmat voces, quas audis, & penitus ignoras, vnde huiuſmodi vox oriatur in corpore, & quò tendat. *Sic omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.* Sicut enim ignoratur, quomodo anima ingrediatur in corpus, & quomodo ab illo egrediatur : ſic ignotus eſt nobis, omnis, qui ex ſpiritu natus eſt, & eius regeneratio. Sed contra hanc interpretationem faciunt duæ primæ rationes, quas proximè adduxi. Deinde, quia, dum Chriſtus Dominus ait : Neſcis, vnde veniat, aut quò vadat; non eſt ſermo de ſpiritu, ſed de voce loquente; & homo benè agnoſcit, quòd eius interna locutio ab anima, ac intellectu oriatur; & ad quem finem tendat, ac ordinetur.

---

## QVÆSTIO XXII.

### *Vox diuini Spiritus ſilere non poteſt, quin ſe audire faciat.*

113. VOx eſt diuini Spiritus loquentis, & excitantis hominem ad pœnitentiam, & ad gratiam. Apocal. 3. num. 20. [Apoc.3.] *Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum.* Et valde frequens eſt locutio in Scriptura. Oſee 2.num.14. [Oſee 2.] *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* [*Deus loquitur ad cor noſtrum.*] Vnde ait D.Auguſtinus *tom.*2. *de ſermone Domini in monte*, nullam eſſe animam, quanuis peruerſam, quæ de ſua ſalute non poſſit ratiocinari, & in cuius conſcientia non loquatur Deus. *Rogandus*, inquit S. Pater, [Auguſt. Iob.4.] *vt aperiat aures, ne contradicamus, & aures aptet nobis, & loquatur, quia nos ſerui eius audiemus, & vel quaſi furtiuè ſuſcipiat auris noſtra venas ſuſurri eius*, Iob.4.

114. Rupert. Secundò Rupertus *lib.*2.*de gloria Trinit.cap.*1. ait: *Verus ſermo, quem dixit, & vocem eius audis: non enim tacere poteſt, qui gratiam accepit eiuſdem. Verè ergo vocem eius audis, quia tacere non poteſt, ſilere non audet. Ibi enim eſt præceptor, qui tubam vocis largitus eſt, & dicit ei: Clama, ne ceſſes.* [*Spiritus ſanctus latere non poteſt in anima, in qua inhabitat.*] Qui enim diuino Spiritui auditum præbet, vt ſuis donis repleatur, minimè ſilentij patiens eſt, ſed in mille voces prorumpit, vt Deus in ipſo inhabitans maximè ſentiatur, ac ſui ſalutiferum exhalet odorem, in multiſque effectibus manifeſtetur, itaut à toto orbe percipi valeat.

115. Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis reſurrectionis gloria circundatus apparet; at illi *conturbati, & conterriti exiſtimabant, ſe ſpiritum videre*, Luc.24.num. 38. [Luc.24.] *& Actor.*1.*num.* 3.dicitur: *Præbuit ſe ipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Et tamen cum tanta Dei viſione, & allocutione nullus Apoſtolorum audebat Chriſti verba prædicare, ac hominibus annuntiare. At vbi diuinus Spiritus eorum corda adimpleuit, *ſtans Petrus cum vndecim leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis*, Actor. 2. num. 14. [Actor 2.] Quid excellentius Dei viſione? Quid maius excogitari poteſt, quàm Deum propriis oculis intueri? Et tamen viſo Chriſto cum gloria reſurgente, adhuc timidi in cœnaculo hærebant Apoſtoli; at vbi diuinus Spiritus in eorum corda deſcendit, tanquam intrepidi milites proſilierunt, ac euolarunt ad Chriſtum gentibus annuntiandum. Guerricus Abbas ſerm. 1. de reſurrect. [Guerric.] *Apoſtoli*, inquit, *qui priùs dubitabant, etiam poſt intuitum corporis viuentis, poſt guſtum ſpiritus viuificantis virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis. Adeò plus eſt corde Ieſum concipere, quàm oculis videre, & auribus de ipſo audire.* Ideo meritiſſimè D. Iſidorus [Iſidor.] per ſeptem lucernas, quas Moyſes fecit in tabernaculo *Exod.* 37. *num.* 23. ſeptem ſpiritus dona intelligit, quibus Eccleſia fœcundatur : nam ſicut lucerna minimè eſſe poteſt, quin luceat, atque reſplendeat; ita gratia Spiritus ſancti minimè abſcondi valet in anima, quam fœcundat, quin ſcintillet, ac ſui radios emittat.

---

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare, cùm diuinus Spiritus det omnium rerum intelligentiam, de eo dicatur, quòd neſcimus, quò vadat, & quò tendat?*

116. VIDETVR dubitatione maximè dignum, quomodo Chriſtus Dominus dicat, quòd dum diuinus Spiritus in noſtram animam venit, homo neſciat, quò vadat, & tendat : nam, vt benè notat

Bonauent. notat D. Bonauentura hîc, *Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Ergo vbi eſt inſpiratio ſpiritus, ibi intelligenda de ipſo ſpiritu, & aduentu eius. Ioan. 12. n. 27. *Vnctio eius docet vos de omnibus.* Ioan. 16. n. 13. *Cùm venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 14. n. 26. *Paraclitus autem ſpiritus ille vos docebit omnia.* Ergo dum diuinus Spiritus in cor hominis illabitur, omnium ſcientiam cnmmunicat. Et augetur dubium ſententiâ D. Bernardi ſerm. 32. in Cantic. *Tu ergo,* ait, *ſi vocem eius audis, non iam neſcis, vnde veniat, aut quò vadat, ſciens, quia à Deo exiit, & ad cor vadit.* Ego dum vox Dei in nobis auditur, & ſentitur, iam ſcimus, à quo venit, & quò vadit.

Ioan 12. Ioan. 16. Ioan. 1.

*Spiritus dat omniũ ſcientaim.*

Bernard.

117\. Bonauent. Reſpondetur primò cum D. Bonauentura, quòd Chriſtus D. hîc loquitur de originali ratione, ſiue occaſione aduentus Spiritus ſancti, quæ eſt inſcrutabile conſilium Dei. Et ideo homo neſcit, vnde veniat, & quò vadat, quantum ad finalem perſeuerantiam, & finalem vtilitatem; quia de hac non poteſt homo eſſe certus abſque ſpeciali Dei reuelatione, vt docet Tridentinum *ſeſſ. 6. can.* 16. Chriſtus autem Dominus dixit, quòd ſpiritus docet omnia, quia ipſe illuminat Eccleſiam in his, quæ pertinent ad fidem, bonamque doctrinam, ad ſanctam, ac rectam gubernationem, & etiam illuminat vnumquemque hominem in his, quæ ſunt ad ſuam ſalutem.

*Finalis perſeuerantia ignoratur.*

118\. Gregor. Secundò D. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 11. *Acceſſus igitur,* ait, *receſſuſque Dei à mente noſtra minimè cognoſcitur, quouſque rerum alternantium finis ignoratur; quia de tentatione incertum eſt, vtrùm probet, an trucidet: & de donis nequaquam deprehenditur, vtrùm hic deſertos remunerent, an in via nutriant, vt ad patriam producant.* Et hoc clariùs explicat ibidem S. Pater cap. 10. *Quòd exigentibus peccatis ita cœcum eſt genus humanum, vt ſæpe quod donum eſt gratiæ, iram putet: & quod ira eſt, gratiam æſtimat.* Nam plerumque gratiam deputat dona virtutum; & tamen de eiſdem donis elatus corruit. Plerumque velut iram metuit aduerſa tentationum: & tamen eiſdem tentationibus preſſus ad virtutum cuſtodiam cautior exurgit. Quis, ſe Deo propinquare, non æſtimet, cùm ſupernis excreſcete ſe muneribus agnoſcit; cùm vel prophetiæ donum, vel doctrinæ magiſterium percipit, vel exercendam curationum gratiam conualeſcit? Et tamen ſæpe mens, dum de virtutis ſuæ ſecuritate reſoluitur, inſidiante aduerſario inopinatæ culpæ telo perforatur. Quis non æſtimet gratiam, quòd Saül ad regni clauum eſſet elatus, 1. *Reg.* 10. *n.* 1. Et tamen magna inde ruinæ occaſio ei præparatur. Quis non iram deputaret, quòd Ioſeph venundatus deſcenderet in Ægyptum, *Gen.* 39. *n.* 1. Et tamen magna tunc ad regnum, ſalutemque multorum deſtinabatur gratia.

*Illud quod videtur miſericordia, aliquando iuſtitia eſt, & vice verſa.*

119 Rupert. Tertiò Rupertus lib. 3. *Neſcimus, quò vadit, quia videlicet nobis notum non eſt, ad quem finem proceſſura ſit eadem gratia.* Diuinus ſpiritus, vbi vult, ſpirat, & tamen neſcimus, quò vadit. Sed cur ipſa meta, ac finis nobis non aperitur, ac manifeſtatur? nam dum terminus itineris notus eſt, magis parato animo conficitur iter. Cur ergo illus finis abſconditur? Vt homo ad diuinæ voluntatis obſequium ſe maximè promptum, paratumque exhibeat, ac velociſſimè currat; maximè enim mouetur animus, quando neſciens, quò pergi totus eſt à diuina volutate pendulus. Nam ſi huius cæleſtis viæ meta nobis eſſet explorata, forſitan totus deſidioſus, ac torpens animus ſuis terminis inhæreret: at dum finem, quò gratia duce tendimus, ignoramus, velociſſimè, ac celerrimè tanquam penduli currimus, vt metam apprehendamus, atque ad diuinæ voluntatis nutum, renutumque paratiſſimi adſumus. Apparet Angelus parenti Eliæ, & ait: *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via,* 3. Reg. 19. n. 7. At ſi Angelus tam familiarem ſe exhibet, cur itineris via non aperitur, ne facile ab intento tramite erret? cur locus, ad quem tendat, non declarat? Ambulauit enim in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb. Qui ad montem Dei pergit, viæ terminum ignoret, vt agillimè moueatur, omnibuſque momentis, die nocte, inceſſanter iter conficiat. Huc ſpectat dictum D. Baſilij orat. 7. *Metam celat, vt curſum contendat.*

*Sì meta itineris ignoratur, velociùs curritur.*

3\. Reg. 19.

Baſilius.

Quartò. *Spiritus, vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis, vnde veniat, aut quò vadat.* Vox eius auditur, ac percipitur; & tamen vnde veniat, aut quò vadat, penitus ignoratur. Diuinus Spiritus amor, ac charitas eſt, cuius amoris exordium, vnde veniat, aut finis, quò vadat, comprehendi minimè valent. Diuinæ charitatis opera inſcrutabilia ſunt, & captum noſtrum maximè tranſcendunt; ideo eius principia, ac fines nec teneri à nobis, nec inueſtigari poſſunt. Alia Dei opera, vtpore omnipotentiæ, Maieſtatis, ac ſcientiæ, aliquantulum manifeſtantur; at diuini amoris elogia maximè nobis ſunt abſcondita. Ait Regius Vates Pſal. 79. n. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.* Apparet Dominus Iſaiæ 6. n. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* Cur ſedens ſuper Cherubim manifeſtatur, cùm tamen Seraphim adſunt, occultatur? Cur apud tot Tribus, ac gentes, vtpote Ephraim, Manaſſe, & Beniamin manifeſtari dicitur, & tamen fideliſſimo amico ſuo Iſaiæ, non ſolùm abſconditus inter Seraphim alas ſe exhibet, verùm etiam. *Tota domus repleta eſt fumo,* ibidem n. 8. vt ad ipſum oculorum acies minimè penetrare valeat? Cherubim multitudo ſcientiæ interpretatur; Seraphim verò amor, ſeu charitas: & licèt Deus inter ſcientiæ, ac maieſtatis ſnæ opera ſe manifeſtare, ac apparere poſſit; tamen dum adſunt diuini amoris incendia, ipſa Dei eminentialitas occultatur, ac multis tegitur inuolucris. Alia quantumuis aliquantulum pateſiant, tamen quæ amoris ſunt, maximè à noſtris oculis diſparent. Et quid præcipuè te[illegible]tur, niſi caput, & pedes, hoc eſt, principium, & finis. D. Hieronymus poſtquam notat, quòd Cherubim dicit multitudinem ſcientiæ, Seraphim amoris incendium, ait S. Doctor: *In Cherubim ergo oſtenditur Dominus: in Seraphim ex parte oſtenditur, ex parte celatur; faciem enim, & pedes eius operiunt.*

120\.

*Diuini amoris finis maximè nobis occultatus.*

Pſalm. 79.

Iſaiæ. 6.

*Licèt alia Dei opera poſſint agnoſci; quæ tamen amoris ſunt abſconduntur.*

Hieron.

Quod ipſemet S. Doctor explicat
eſſe principium, & finis, quæ
nobis ſunt occultata,
vt etiam aduertit
D. Cyrillus
*ibid.*

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XXIV.

### *Quàm periculoſum ſit, quòd homo non obſeruet Deum ad ſe venientem, & recedentem?*

121 NICODEMO ait Chriſtus Dominus, Vocem eius audis, & neſcis, vnde veniat, aut quò vadat. Nobis diuinus Spiritus loquitur, & vocem eius pulſantis audimus? tamen ſi ita inconſideratè viuitur, vt eius acceſſum, & receſſum non obſeruemus, quid erit niſi in magnum periculum ſalutis incidere. Rem perbellè ponderat D. Bernardus ſem. 17. in Cantica: *Venit nanque, & vadit, prout vult, & nemo facile ſcit, vnde veniat, aut quò vadat; id planè periculoſiſſimè ignoratur. Cùm enim hæ Spiritus ſancti circa nos diſpenſatoriæ quidem viciſſitudines vigilantiſſimè non obſeruantur, fit, vt ne abſentem deſideres, ne præſentem glorifices. Mens ergo, quæ ignorat abſceſſum, patet ſeductioni: & quæ reditum non obſeruat, erit ingrata viſitationi.* Quid magis deplorandum eſſe poteſt, quàm quòd homo ita mundialibus voluptatibus, atque negotiis ſit immerſus, ac irretitus, vt non attendat, quando ſupremus Rex per ſuas internas pulſationes veniat, & vadat? Deſcendit Dominus ad cor noſtrum, vt omnibus diuitiis ditemur; ſi verò recedit, neceſſe eſt, omni ſpirituali egeſtate laborare: dum venit, vitam haurire poſſumus; dum verò abeſt, mors interuenit, & adeſt. Pro negotio ergo vitæ, eius aduentum nobis explorare incumbit, vt eius præſentiam gratificemus, & ne eius abſentia tentationi ſuccumbamus.

Bernard.

*Cùm Deus ad cor noſtrũ venit occaſio eſt vita.*

122\. In celebri illa nocte, qua Hebræi egreſſuri erant de Ægypto, eis præcepit Dominus, vt comederent Agnum paſchalem, ac eius ſanguine linirent ſuper vtrumque poſtem in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedebant illum. Et ait Dominus: *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti,* Exod. 12. num. 13. Ad quid ponitur ſanguis in domorum frontibus, quando Dominus deambulans terram Ægypti, & percutiens primogenita tranſit? Nunquid indiget Deus, aut Angelus pertranſiens ſigno, quo noſſet domos, in quibus Hebræi, & in quibus Ægyptij diuerſabantur? Nónne ipſe eſt, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat? Nónne ipſe eſt omnium agnitor, ac ſcrutator? Ad quid opus ſigno, ac ſanguine in domorum facie, vt dicatur: *Videbo ſanguinem, & tranſibo;* ſeu, vt habent Septuaginta: *Videbo ſanguinem, & protegam vos?* Habitantes domum, quæ ſanguine notabatur, Domini aduentum, ac tranſitum obſeruabant, & explorabant; commorantes verò in habitaculo nulla ſanguinis nota inſignito, ſomno, ac voluptatibus indulgebant, & nullo modo aduentum Domini perſentiebant, nec ad illum attendebant. Bene ergo qui tranſitum Domini, & acceſſum agnoſcit, miſericordiam inuenit, & gratiam conſequitur: qui verò prætereuntem Dominum minimè percipit, ac ſentit; deſperata ſalute in mortem, ac amiſſionem bonorum incidit. Huc tendit Theodoretus quæſt. 24. *Iuſſit in ſanguine ouis mactatæ tincto poſtes, & limen vngere, vt qui inſtabat ad perdenda primogenita Ægyptiorum, aſpecto ſanguine præteriret domos Hebræorum, non quòd incorporea natura huiuſmodi ſignis egeret, ſed quia conueniebat, vt per ſymbolum intelligerent illi prouidentiam diuinam.* Hæc eſt enim diuina prouidentia, vt qui præſtolantur Domini aduentum, viuant; qui, verò contemnunt, moriantur.

Exod. 12.

Septuag.

*Qui Dei aduẽtum agnoſcit, viuit; qui nõ obſeruat, moritur.*

Theod.

Fortiſſimus ille populi Iudaici dux Sanſon maximè caput ſuum cuſtodiuit, nec vnquam permiſit, vt ferrum ſuper illud aſcenderet, & ita præclara virtutum facinora edidit, vt leonem occideret, in maxilla aſinæ mille viros interſiceret: at vbi mulier *dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius: ſtatim fortitudo eius ab eo diſceſſit,* Iudic. 16. num. 19. & capitur ab hoſtibus, qui obcæcatum eum irridebant. Sanſon egregium Chriſti bellatorem innuit: qui dum omni cogitatu, ac circunſpectione virtutem diuinam, & Spiritus ſancti dona per ſeptem crines deſignata, cuſtodit, ac retinet, omnia ſuperat, omnia vincit: : at ſi veluti dormiens, & nil ſenſu, ac cogitatu apprehendens Deus ab eo recedat; ſtatim dæmones in ipſum inſurgunt, à quibus illuditur modis omnibus, ludibrioque habetur; & miſerum hominem tanquam captiuum molere faciunt. Hugo de S. Victore in illud Threnorum cap. 1. *Omnes perſecutores eius* &c. ita fatur: *Qui videlicet Sanſon, quandiu capillum capitis habuit, inſuperabilis fuit; ſed poſtquam in ſinu mulieris obdormiuit, & abraſus caput capillum perdidit, continuò ab hoſtibus capitur, & cæcatur, ſeruituti etiam addicitur.* 123.

Iudic. 16.

*Sanſon Chriſti militem præfigurat.*

Hugo Vict.

*Ioannis 3. n. 9.* Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?

*VERSIONES.*

Concordant omnes.

## *EXPOSITIO.*

NICODEMVS adhuc carnali cognitione ſubſiſtit, & imperfectione Iudaica detinetur. vt notant Chryſoſtomus *homil.* 25. Euthymius, & Theophylactus. Et quamuis in veteri Teſtamento multa ſint loca, in quibus Baptiſmus præſignatur, vt notant citati Authores, & dicam *quæſtione ſequenti;* quia tamen, vt ait Ariſtoteles lib. 1. de memoria, *Conſuetudo, quædam natura eſt;* & Nicodemus, licèt Magiſter, aſſuetus erat legi Moſaicæ, quæ promittit carnalia: ideo tam pereleganti Chriſti inſtructione non valuit facile capere ſpiritualia, vt aduertunt Carthuſianus, & Lyranus. Propter quod quærit vlteriùs: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Quo facto maximè verificauit infallibilem Chriſti Domini doctrinam; nam, vt docent D. Auguſtinus *tract.* 12. D. Bonauentura: *In illo fiebat, quod dixerat Dominus: Vocem eius audis, ſed neſcis, vnde veniat.* Domini vocem audiebat Nicodemus; ignorabat tamen, vnde veniebat, & ad quem finem tendebat. Et quòd Nicodemus iterum, 124.

Chryſoſt. Euthym. Theophil.

Ariſtot.

*Vetus cõſuetudo difficiliter amittitur.*

Carthuſ. Lyranus.

Bonauent. Auguſt.

rum, atque iterum interroget, ac Chriſti fruatur colloquio, quin capiat doctrinam eius; non inde tamen ſupremus Dominus arguendus, qui hoc in ſolatium præceptorum permiſit, dum ipſi laborantes, diſcipulos parum inſtructos vident.

Cyrillus. Eccli. 25. *Si diſcipuli doctrinam nõ capiant, non eſt dãda culpa magiſtro.*

D. Cyrillus lib. 2. cap. 46. *Nihil*, ait, *longa Chriſti oratione conſecutus eſt Nicodemus. Prudenter igitur à Salomone ſcriptum eſt*, Eccleſiaſtici. 25. num. 12. *In aure audientium loquere: nec tamen vlla non perſuadenti magiſtro culpa danda eſt.*

125. In hoc tamen maximè laudandus Nicodemus, qui venerat ad Dominum, vt de cœleſti doctrina inſtrueretur: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter.*

*Perſiſtentia in intento fine laudabilis.*

Quamuis dicta Chriſti non intelligeret, tamen à ſua intentione non deſiſtit, nec retrocedit; ſed immobilis in intento fine perſiſtens interrogat: *Quomodo hæc poſſunt fieri?*

*Duplex interrogatio.*

Hæc autem interrogatio non proceſſit ex malitia, ſed ex deſiderio apprehendendi Chriſti doctrinam: nam, vt notat D. Thom. *Dupliciter aliqui inquirunt, quidam ex diffidentia, ſicut Zacharias* Luc. 1. n. 18. *Vnde hoc ſciam? & ideo punitus eſt. Aliqui verò ex ſtudio addiſcendi, ſicut Virgo beata, cùm dixit Angelo* Luc. 2. num. 34. *Quomodo fiet iſtud? & tales inſtruuntur. Quia ergo illa quæſiuit ex ſtudio addiſcendi; ideo meruit inſtrui.*

D. Thom. Luc. 1. Luc. 2. Simon Caſ.

Vnde eleganter ait Simon Caſſianus lib. 11. cap. 7. *Non poteſt ab ignorantia detineri, qui humiliter ſcientem interrogat; initium eſt ad ſcientiam, ignorata quærere à ſciente, nec vereri erubeſcentiam ſuper his.*

*Interrogatio initium ad ſcientiam.*

Caiet.

Nicodemus in numero plurali dixit, *hæc fieri.* Caietanus ponderat, quod pronomen *hæc*, tria includit, quæ Dominus dixerat: Natiuitatem ex Spiritu, neceſſitatem huius natiuitatis: *Niſi quis natus fuerit: oportet vos naſci*; & illius efficaciam, ad videndum, & introeundum in regnum Dei. Tamen particula *hæc*, totam doctrinam de regeneratione reſpicit, quia de ea Chriſtus Dominus multa dixerat.

*Ioannis 3. n. 10.* Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Tu es doctor in Iſroiel, & hæc neſcis? |
| *Vatablus.* | Es tu ille magiſter Iſraëlis, & hæc ignoras? |
| *Euthymius.* | Tu es præceptor Iſraelis. |
| *Toletus ex Græco.* | Tu es ille magiſter ipſius Iſraelis. |
| *Arias.* | Et hæc non noſcis? |

## *EXPOSITIO.*

126. NICODEMVM arguit Dominus, non de malitia, ſed de ſimplicitate, & inſipientia, vt ait Chryſoſtomus *hom.* 25. & inquit: *Tu es magiſter.* In Græco eſt: *Tu es ille magiſter Iſraelis.* Ille articulus denotat, quòd eſſet ſingularis, & eximius doctor; & ait: *Tu es magiſter*, qui Scripturam doces, *in Iſrael*, vbi notus eſt Deus, & diuina in Scriptura præſignata leguntur. Pſalm. 75. num. 1. *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius. Et hæc ignoras.*

Chryſoſt. Græcus. Pſalm. 75.

*Homo tardus ad ea, quæ ſunt ſuæ ſalutis.*

Valde mirum, quòd ea, quæ in Scriptura tam communia erant, tantum doctorem fugerent. Sed proh dolor! valde frequenter ea neſcit homo, quæ ſunt ſuæ ſalutis.

Hugo.

Notat verò Hugo, quòd Dominus per modum interrogationis formauit redargutionem ſuam; ad quod reſpondet propter reuerentiam, quam Nicodemus habuit ad ipſum; dixit enim: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter*; & quamuis dicta Chriſti non intelligeret, nunquam impoſſibilia dixit; ideo Dominus redargutionem ſuam temperauit, vtens interrogatione ad eum, vt ipſe maiorem certificationem mereretur; Dominus enim honorat honorantes ſe.

*Dominus honorat honorantes ſe.*

---

## QVÆSTIO XXV.

### *Quare Dominus hîc reprehendat Nicodemum de ſua ignorantia?*

127. CONVENIVNT Patres, vt D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, D. Thomas, Beda, Haymon, quòd Chriſtus Dominus de ſua ruditate Nicodemum reprehendit; & verba reprehenſionis notam per ſe ferunt; quod cùm eſſet magiſter, ſcire debuerat huiuſmodi ſpiritualem generationem, & tamen illam neſciret. Veruntamen, vt bene notat D. Bonauentura cum D. Auguſtino, in verbis Domini eſt amicabilis argutio, dum fit per interrogationem, ipſumque appellando magiſtrum, vt proximè notaui ex Hugone. Amicabilis reprehenſio ſæpe plus proficit, quàm aſpera, & rigida.

Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Theophyl. D. Thom. Beda. Haymon. Bonauent.

*Amicabilis reprehenſio proficit.*

128. Ratio verò difficultatis quæſtionis eſt; quia poteſt quis dicere cum D. Chryſoſtomo *citat. homil.* 25. Carthuſiano, & aliis. Quid habet hæc ſpiritualis generatio ex aqua commune cum lege Moſaica, vt culpæ imputetur, quòd homo in Iudaica imperfectione detentus hanc ſublimem regenerationem ignoret? Ad hoc multipliciter reſpondetur.

Chryſoſt. Carthuſ.

129. Primò cum D. Chryſoſtomo citat. Euthymio, Carthuſiano, Beda & aliis, quòd meritò huius principis ignorantia arguitur, quia huiuſmodi regeneratio ſpiritualis maximè continebatur in ſacris Scripturis, quas ille, vt magiſter, ſcire tenebatur. Pſalm. 21. num. 32. *Annuntiabitur Domino generatio ventura.* Pſalm. 102. num. 5. *Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua.* Et huiuſmodi generatio ex aqua, & ſpiritu mundante promiſſa erat in Scriptura. Ioël. 2. num. 28. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem.* Iſai. 44. num. 3. *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem ſuper ſtirpem tuam.* Ezechiel. 36. num. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri.* Zachar. 13. num. 1. *In illa die erit fons patens Domini Dauid.* Huius rei figuræ præceſſerunt multis miraculis in lege veteri, vt quando leproſus Naaman lotus eſt in Iordane, & reuerſa eſt caro ſua ad ipſum, ſicut caro pueri paruuli, 4. *Reg.* 5. *num.* 14. Quando Saul vnctus eſt à Samuele, mutatus eſt in virum alterum, & quaſi renatus, 1. *Regum* 10. *num.* 1. Tranſitus Iudæorum per mare rubrum, Exod. 14. num. 22. *In quibus*,

Chryſoſt. Euthym. Carthuſ. Beda. Pſalm. 21. Pſalm. 102. Ioël. 2. Iſai. 44. Ezech. 36. Zachar. 13. Exod. 14.



*quibus*, vt ait Euthymius, *aquæ typus erat mare, nubes verò ſpiritus.* Ideo ait Paulus 1. Corinth. 10. num. 2. *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.* Tandem manifeſtum erat, quòd illi, qui ex peccatoribus conuertuntur ad iuſtitiam, renaſcantur ex gratia, & ex ſpiritu. Imò, vt bene Caietanus, Nicodemus facile poterat noſſe Prophetas natos fuiſſe ex ſpiritu. Et accedit amplius, quòd Dominus iam incipiebat baptizare in aqua ad purificationem animarum, vt patet hoc *cap.* 3. *Ioan. num.* 26. Meritò ergo Dominus obiicit Nicodemo ignorantiam earum rerum, quas maximè ſcire ad eum ſpectabat, & quas cognitas, ac compertas habere oportebat, vtpote magiſter: & maximè vitio dandum, quod quilibet à ſuo munere deficiat; nam, vt dicitur l. 2. ff. de regulis iuris, *Turpe eſt Patricio, & nobili viro, ius, in quo verſatur, ignorare.* Qui enim Doctoris nomen habet, omnia debet ſcire, & nihil ignorare. Vide *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 61. *& lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 60.

1. Cor. 10. Caietan.

*Doctor muneri ſuo ſatisfaciat.*

130. Secundò Diuus Auguſtinus tractat. 12. *O fratres*, ait, *quid putamus, Dominum huic magiſtro Iudæorum quaſi inſultare voluiſſe? Nouerat Dominus, quid agebat, volebat, illum naſci ex ſpiritu. Nemo ex ſpiritu naſcitur, niſi fuerit humilis, quia ipſa humilitas facit nos naſci de ſpiritu, quoniam propè eſt Dominus obtritis corde. Ille magiſterio inflatus erat, & alicuius momenti ſibi eſſe videbatur, quia doctor erat Iudæorum. Deponit ei ſuperbiam, vt poſſit naſci de ſpiritu, inſultat tanquam indocto.* Vt Dominus ſuperbum principem reformaret in vita, cum eo ita agit, vt ſuperbiæ faſtum deponat, ad humilitatemque reducat, recipiendo eum ad propriæ ignorantiæ cognitionem; nam humilitas gradus ad magna eſt, & aſcenſum ad ſublimia præſtat. Salomon Prouerb. 29. num. 23. *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Iſai. 66. num. 2. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu.* Septuaginta, *Niſi ad humilem, & quietum.* Et maximè humilitas proficit, vt homo renaſcatur in gratia, ac filius Dei fiat. Diuus Hilarius in illud Pſalm. 118. *Humiliatus ſum vſquequaque*, ita ait: *Cum Domino humilitas cordis generoſæ, & regiæ natiuitatis ortus eſt.* Vide ſuprà hoc lib. *cap.* 1. *num.* 65.

Auguſt.

*Humilitas gradus ad ſapientiã, & ad magna.*

Prouerb. 29. Iſai. 66. Septuaginta. Hilarius.

131. Tertiò Diuus Cyrillus lib. 2. cap. 46. *Ab hoc vno*, ait, *Iudæi omnes, qui multo ſe doctiores cæteris gentibus putabant, quaſi nudo doctrinæ, pietatiſque nomine, nec quicquam florentes à Chriſto redarguuntur, tanquam tanta imperitia præditi, vt non modò docere cæteros, verùm etiam ipſi intelligere nequeant. nam ſi Nicodemus, qui apud eos doctor erat, rudior inuenitur; quales fuiſſe diſcipulos eorum putamus? cùm non excedat diſcipulus magiſtri menſuram, vt ait Saluator: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Luc. 5. num. 4. Dum Dominus in Nicodemo ingenij tarditatem carpit, omnium Iudæorum neſcientiam, ac cæcitatem obiurgat, vt dicam expoſitione ſequenti. Nam ſi eorum magiſter, ac doctor ita rudis erat, & de ſacra Scriptura tam parum deguſtabat; quales ergo futuri erant diſcipuli eius, niſi ingenio pingues, ſenſu obturati, & ne primis labiis Scripturam attingentes, ita vt Chriſtum D. verum Meſſiam nec intelligerent, nec agnoſcerent. Et hanc Iudæorum ignorantiam explicans Paulus ait 2. Corinth. 3. num. 7. *Sicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intendere filij Iſraël in faciem eius.* Syriacus legit: *ne inſpicerent filij Iſraël in finem eius*, ſcilicet in finem legis, qui eſt Chriſtus, *Rom.* 10. *num.* 4. quod explicans Theophylactus ait: *Iſraëlitæ autem rudes non potuerunt videre, quòd finem haberet lex, quodque abroganda foret.* Proſequitur Apoſtolus: *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum, vſque hodiernum diem. id ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum.* Expendendum eſt, *id ipſum velamen.* nam illud, quod Moyſes ſibi impoſuerat ſuper faciem, corporeum erat quid linteum, vel pannoſum, quod manibus tractari poterat; velamen verò, quod obcæcat, ac obtenebrat Iudæos, error quidam in intellectu inhærens eſt. Quomodo ergo ait Apoſtolus: *Id ipſum velamen?* meritò ſanè; nam adeò craſſum, & palpabile eſt cæcitatis Iudæorum velamen, vt non intellectuale, ſed corporale, ac materiale reputetur, quod manibus tangitur, ſenſibus percipitur, experientia agnoſcitur. Et ideo dicitur, *id ipſum velamen.*

Cyril. Luc. 5.

*Iudæorum ignorantia arguitur.*

2. Cor. 3. Syriacus. Theophyl.

*Iudæorum error palpabilis, atque viſibilis.*

132. Quartò Diuus Thomas ait, quòd Dominus Nicodemum arguit ex tribus. Primò ex conditione perſonæ eius; & ideo dicit: *Tu es magiſter*; vbi eum Dominus reprehendit, non vt inſultaret ei; ſed quia præſumens de ſua ſcientia, de ſuo adhuc magiſterio confidebat; voluitque eum humiliando, vt ſuprà dixi ex Diuo Auguſtino, Spiritus ſancti efficere habitaculum. Secundò arguit Dominus eius tarditatem ex conditione dicentis: tolerari enim poteſt, quòd dictis alicuius rudis hominis non acquieſcatur; viri autem ſapientis, magnæque authoritatis dictis repugnare, reprehenſibile eſt. Ideo Dominus ait infrà: *Quod ſcimus, loquimur; quod vidimus, teſtamur.* Omnia autem ſunt aperta oculis eius. *Domine, qui habes ſanctam ſcientiam*, 2. Machab. 6 num. 30. Tertiò arguit Dominus eius tarditatem ex conditione eorum, quæ dicebantur: mirum enim non eſt, quòd difficilia ab aliquo non capiantur; quod autem facilia quis non capiat, reprehenſione maximè dignum. Et ideo dixit: *Si terrena dixi vobis, non creditis*, &c. de quo infrà *verſu* 12. Hæc Diuus Thomas.

D. Thom.

*Dictis ſapientis non acquieſcere, valde reprehenſibile.*

2. Machab. 6

133. Quintò Simon Caſſianus lib. 11. cap. 7. *Non obiurgando benignus Saluator ſic loquitur, vt eum velit per erubeſcentiam, vel per ignorantiam confundere, ſed eum ad docenda excitare propenſiùs.* Nicodemus de ſcientia ſua multum præſumebat; ideoque vt à Domino doceretur, minimè habilis erat: obiicit ergo ſuam ei ignorantiam Chriſtus, vt ita ad diſcendum eſſet diſpoſitus. Nam ſolus ille remedij fit capax, qui ſuam infirmitatem agnoſcit; & qui inſcientiam, ignorantiamque ſuam introſpicit, ſcientia, ac doctrina expoliri præpotens eſt. Vnde eleganter ait Diuus Cyprianus lib. 1. Epiſtol. 3. *Primus fœlicitatis gradus eſt, non delinquere; ſecundus delicta cognoſcere.* Vide ſuprà *in hoc cap. num.* 73.

Caſſian.

*Cognoſcere ignorantiam gradus ad ſapientiam.*

Cyprian.

134. Sextò. Reprehenditur Nicodemus, quia repetit infidelitatis notam, quam ſignificat aduerbium *quomodo*; ſuprà in hoc colloquio cum Chriſto dixit num. 4. *Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex?* Modò verò reincidit in idem verbum, & ait: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Et vbi ignorantia reiteratur, & culpa duplicatur;

*Magna indignatio in peccata reiterata.* — Oſeæ 5. — Septuag.

tur; omnis obiurgatio, ac pœna promeretur, & in omnem indignationem incurritur. Oſeæ 5. n. 10. *Facti ſunt Principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Septuaginta; *Facti ſum Principes Iuda, quaſi transferentes terminum.* Quodnam eſt horum principum peccatum, ac iniquitas, vt promittat Deus ſe adducturum ſuper eos iram ſuam, ſicut torrentem aquarum? Huiuſmodi principes aliquando peccatis ſuis compuncti impoſituros ſuis abominationibus terminos proponebant, ſeque à Dei obſequio nunquam receſſuros: at in bono non perſiſtentes: iterum ad iniquitates ſuas facile redibant: & ideo iram diuinam, veluti alter Pharao, in ſe concitarunt, vt iuſtitiæ diuinæ opprimerentur vndis: nam ſemel delinquere, graue eſt; at iterum relabi, omnem indignationem ſolicitat, ac exagitat. Eleganter Theophylactus: *Quando quiſquam princeps Iuda exiſtens confeſſus fuerit, ac promiſerit, ſe non eiſdem prauis ſtudiis admoturum mentem, idque ſecum decreuerit, & iterum tranſmiſerit tales fines, atque decretum ſuum fecerit irritum, ac reuerſus fuerit ad proprium vomitum, ira Dei ſuper talem prorſus effunditur: ac rubri maris aqua ſuper Pharaonem, qui ſæpe mentitus erat.* Inde enim Pharao aquis maris obruitur, non quia mentitus eſt, ſed quia ſæpe à veritate reſiliit. Poſt Adami peccatum ei dicitur à Domino: *Maledicta terra in opere tuo*, Geneſ. 3. num. 17. Caino verò poſtquam deliquit à Domino dicitur: *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram*, Geneſ. 4. num. 11. Sed cur iſte grauiori mulctatur pœna, quàm parens eius; non enim Adamo, ſed terræ iniungitur maledictio; at filius grauiori ſupplicio plectitur, eique maledictio infligitur? Meritò ſanè; nam pater deliquit, & filius parentis delicto ſuum proprium addidit: ideo diuina iuſtitia exigente grauiùs punitur, & in maiorem indignationem incidit. Albinus ibi: *Non timuit originali peccato fratris homicidij ſuperaddere ſcelus, ideo maiori maledictione dignus habetur.*

Theoph. — Geneſ. 3. — Geneſ. 4. — Albin.

## Qvæstio XXVI.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc Nicodemum de ignorantia ſua reprehendat, non tamen de eo, quòd nocte venerit ad ipſum?*

135. Nicodemvs nocte venit ad Chriſtum; quod tamen aliquali nota videbatur dignum: at Dominus ita cum eo diſſimulat, vt nulla quoad hoc reprehenſionis proferat verba; dum autem hoc loco quærit; quomodo poſſunt hæc fieri? *Vehementiùs eum tangit Chriſtus*, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 25. & per modum reprehenſionis ei dixit: *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Cur ergo hîc reprehenditur, non verò illic?

Chryſoſt.

136. Reſpondeo primò, quòd Nicodemus venit nocte, vt agnitus non eſſet, ſed haberetur tanquam occultus Chriſti diſcipulus, vt ita bonus aſſecla ex eius ſchola pro tuenda Chriſti cauſa poſſet in Concilio Iudæorum verba facere, vt præſtitit *Ioan.* 7. *num.* 50. & latè notaui ſuprà *quæſt.* 5. *num.* 25. At verò modò ignorat ea, quæ ei tanquam magiſtro incumbebat agnoſcere. Quomodo enim poterat populum ad ſalutem erudire, ſi litterarum corticem non nouerat priuatus interiori notitia veritatis de illis, quæ tenebatur ſcire? Dum ergo nocte venit, vt tanquam bonus Chriſti amicus ſui muneris functiones fungatur, ac pro illius defenſione Iudæorum iniquitati obſiſtere valeat, in nullam reprehenſionis notam incurrit; in eam verò maximè incidit, dum ignorat illa, quæ ad munus magiſterij, ac doctoris ſpectabant: ſicut enim laude dignus, qui iniunctæ obligationi ſatisfacit; ita maximè vituperandus, ſi ab illa deflectat. Percuſſo Rege Amonite, reuertenteque Saüle à prælio, dixit Samuël ad populum: *Eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum*, 1. Regum 11. num. 14. Et ibi dixit ad populum: *Ecce nunc Rex graditur ante vos*, cap. 12. num. 1. quæ verba tanquam Saülis laudatoria à Samuële dicta fuere, vt ibi notant Expoſitores, Abulenſis *cap.* 11. *quæſt.* 12. Hugo, & alij. At verò cùm Saül non expectato Samuëlis aduentu holocauſta obtuliſſet, ſtatim Propheta grauiter in Regem inuehitur, & ait illi: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui*, 1. Regum 13. num. 13. Sed cur Samuel tam iniurioſè tractat Regem, quem antea tam glorioſè laudauerat; præcipuè cùm Reges ſint honorandi, ſcriptum eſt enim: *Reges honorificate*, 1. Petri 2. num. 17. Dum Saül pro ſalute populi ſui, vt optimus Rex, aduerſarios eius debellauit, omni gloria fuit decantandus: at cum ignorantia laborat, quòd ſacrificia offerre, non ad Regem, ſed ad Sacerdotem pertinet; ſtatim rigidè obiurgatur, eique magnum comminatur ſupplicium. Lyranus: *Saül grauiter arguitur, quia officium ſibi illicitum, ſcilicet offerendi, per ſe ipſum vſurpauit, quod eſt graue peccatum, quod patet ex hoc, quòd Rex Ozias volens offerre incenſum, quod non pertinebat ad Regis officium, percuſſus fuit lepra, vt habetur* 2. Paralip. 26. num. 21.

*Qui officio ſuo ſatisfacit, laudandus; qui è contra, vituperandus.* — 1. Reg. 11. & 12. — Abulenſ. Hugo. — 1. Reg. 13. — 1 Pet. 2. — Lyran. — 2 Paral. 26.

137. Secundò. Venit nocte Nicodemus propter metum Iudæorum, vt ait Ioannes Apoſtolus, & dixi citata quæſtione, non enim audebat pro tunc Chriſtum palàm confiteri; & tamen Dominus ipſum benignè, ac fauorabiliter recipit: at verò hic, cum ea, quæ de regeneratione fuerant dicta, non capit, ſtatim aliquantulum aſpera in eum verba inflixit, dicens: *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Cur ergo hîc arguitur, non verò illic? Sub caligine noctis venit Nicodemus, caligabat eius amor in Chriſtum, nondum enim charitatis cuſpide vulneratus erat; & ideo Iudæorum iram declinans, ad Chriſtum manifeſtè non audebat accedere: at cùm doctrinam de regeneratione non apprehendit, in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectabant, torpeſcebat. Chriſtus Dominus hominum amator feruidus noſtri erga ipſum amoris defectus aliquantulum diſſimulat, ac patienter ſuſtinet; non verò quòd in negotio ſuæ ſalutis homo ſit languidus, atque remiſſus. Et ideo cùm Nicodemus nocte venit ad Chriſtum defectu amoris, non reprehenditur; maximè verò cùm in negotio ſuæ ſalutis ſe rudem exhibet, ac parum aſtutum. Vide quæ dixi ſuprà *num.* 70.

*Deus noſtri amoris defectus ſuffert, non tamẽ hominum in negotio ſalutis negligentiã.*

138. Tertiò. Nicodemus venit nocte, ob timorem Iudæorum: at modò ea, quæ hîc Dominus docet, ob ignorantiam, inſipientiamque non percipit: & timor, puſillanimitas, ac quilibet alius defectus poſſunt in homine diſſimulari; minimè verò inſipientia, & ignorantia in his, quæ tenemur ſcire, & agnoſcere: nam timor aliquando oritur ex inſito vitæ, honoriſque appetitu, & huiuſmodi res valde frequenter mentem obcæcant. At ignorantia illorum, quæ ad te pertinent, res eſt importuna, & ex malitia tantùm pullulat, ideoque omni obiurgatione, ac ſupplicio digna. Extremam, ac deploratam Iſraëlis miſeriam deſcribens Ieremias *cap.* 4. *n.* 22. ait. *Stultus populus meus me non cognouit, filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cælos, & non erat lux in eis: intuitus ſum, & non erat homo: & omne volatile cæli receſſit.* Valde quæſtionem ingerit, cur Propheta hîc totum orbem vacuum commemoret? ita vt nec in terra eſſet homo, nec in cælo volatile, ſed totum in ſolitudinem, ac deſertum redactum. Quænam tantæ huius deſertionis cauſa? Si, eſſe peccata, dicas; non videtur inde ſoluta quæſtio, quia multa, & grauiſſima enumerant Prophetæ, vt dicatur, quòd ſanguis ſanguinem tetigit. Imo & Ieremias *cap.* 16. *num.* 18. ait, quòd terra ſit plena idolis, & abominationibus; & tamen tunc totus locus non videtur deſertus. Quæ huius rei ratio? Dixerat Propheta: *Stultus populus meus, & filij inſipientes ſunt.* Igitur vbi eos ſtultitia, atque inſipientia, ita diuina indignatio in illos deſæuit, vt omnino deleti, à terraque eſſent erradicati, vt nullus eorum ampliùs appareret, ſed totus orbis euacuatus fieret. Diuus Thomas: *Aſſignat Propheta*, ait, *vaſtationis rationem, ſcilicet priuationem debitæ ſcientiæ, quia ſtultus quantum ad cognitionem diuinorum, inſipiens, quantum ad experientiam dulcedinis ipſorum.* Iſai. 5. num. 13. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.*

*Quilibet defectus poteſt in homine ſuſtineri, non verò ignorantia.* — Ierem. 4. — Ierem. 16. — D. Thom. — Iſai. 5.

*Ioannis* 3. *n.* 11. Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimu[r]; quod vidimus, teſtamur; & teſtimonium noſtrum non accipitis.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Teſtimonium noſtrum non recipitis. |
| *Diuus Chryſoſt. homil.* 25. | Teſtimonium noſtrum nemo accipit. |

## *EXPOSITIO.*

139. Tria in Nicodemo reprehenſione digna apparebant, vt notat poſt Diuum Thomam Toletus. Ignorantia eorum, quæ vt doctor legis tenebatur ſcire. Incredulitas in his, quæ Chriſtus docebat; nam ea in dubium reuocauit, & ideo dixit: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Tandem tertiò tarditas in percipienda Chriſti doctrina. Ignorantiam arguit Dominus ſuperiori verſu: *Tu es magiſter in Iſraël.* Eius tarditatem accuſat ſequenti verſu: *Si terrena dixi vobis, & non creditis*, &c. id eſt, ſi facilia non percepiſtis, quomodo difficiliora capietis, &c. Præſentibus verò verbis Nicodemi incredulitatem refutat Dominus: *Quia quod ſcimus, loquimur.* quibus Dominus ei perſuadet, vt ad præſidium fidei confugiat. Et eſt ſenſus, vt explicat D. Chryſoſtomus, Cyrillus. Si ea, quæ tibi dico, & iam explicaui, non apprehendis, ſaltem nondum intellecta ob meum teſtimonium crede: *Quia quod ſcimus, loquimur.* Vbi Dominus leniter, ac manſuetè cum eo diſputat; non indignè ferens, quòd dicta ſua non percipiat: *nam patienter loqui, ac reſpondere*, vt ait Euthymius, *eſt, conari, vt credibile facias, quod dicis.* Et ſimul Dominus eum præparat, ac exhortatur ad fidem, vt teſtimonio ſuo conſentiat. Ex quo nota, quòd Nicodemus, qui huc vſque multa interrogauerat, tamen vbi diuina gratia inſpirante aſſenſum fidei præſtitit, nihil amplius in toto colloquio exquiſiuit: nam prompta fides audit, & obedit, non verò exquirit, nec curioſè perſcrutatur. Ad Roman. cap. 1. num. 5. *Ad obediendum fidei in omnibus.*

D Thom. Tolet. — Chryſoſt. Cyrill. — *Doctrina cũ manſuetudine permanat.* — Euthym. — *Fides obedit & non curioſè perquirit.* — Rom. 1.

140. *Amen, amen*; aſſeueranter dixit ob magnam doctrinæ ſuæ authoritatem, *Quod ſcimus, loquimur.* Nam omnia fidei myſteria Chriſtus nouerat, vt Deus per ſcientiam æternam, & diuinam; vt homo verò per ſcientiam beatam, & per ſe infuſam. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, Ioan. 15. num. 15. Et loquitur pluraliter ob myſterium Trinitatis, vt vult Diuus Cyrillus, quia Patrem, & Spiritum ſanctum in ipſo habet: vel quia eſt ſermo de ſe ipſo, ac de Ioanne Baptiſta, de quo quæſtione ſequenti; quia ſuorum miniſtrorum doctrinam, ſuam reputat Dominus, eamque cum ſua æquabiliter extollit, ac nobilitat. *Quod vidimus, teſtamur.* Maximè teſtes ſunt illi, qui ex oculata cognitione conteſtantur, vt ait Chryſoſtomus homil. 25. *Hæc autem dicit Dominus, vt pro illius imbecillitate ad inferiora deſcendens orationem ſuam magis credibilem faciat, ſiquidem cùm apud nos ſenſus viſus certiſſimus ſit, cùm perſuadere quid volumus, ita loqui ſolemus, non audiſſe nos, ſed vidiſſe. Idcirco Chriſtus more hominum loquens ſibi fidem conciliat.* Hæc etiam Chriſti verba ponderans Tertullianus *lib. de Trinitate, cap.* 16. ait: *Quæ vidit Chriſtus, teſtificatus eſt; qui non venit, vt faceret ſuam voluntatem, ſed potiùs, vt faciat Patris voluntatem, à quo miſſus ad hoc ipſum fuerat.* Chriſtus veniens in mundum teſtimonium dedit de his, quæ vidit, & ſecundùm Patris voluntatem erant diſpoſita. Deinde in noſtrum documentum bonus teſtis de his teſtificatur, quæ vidit, & audiuit; non verò de his, quæ vult, & deſiderat.

Ioan. 15. — Cyrillus. — *Chriſtus ſuorum doctrinam æqualiter extollit, ac ſuam.* — Chryſoſt. — *Teſtis de viſu certiſſimus.* — Tertul. — *Bonus teſtis de his teſtificatur, quæ vidit, non quæ vult.*

141. *Et teſtimonium noſtrum non accipitis.* Quanuis Nicodemus adhuc in incredulitate Iudæorum ad Dominum accederet, tamen obſtinata voluntate non erat, vt notat Salmeiron: nam ipſe ad Dominum venit, vt ab eo doctrinam reciperet, à quo eſt illuminatus in fide, vt omnium ſententia eſt. Et ideo in his verbis, vt aduertunt Diuus Cyrillus, Diuus Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, Carthuſianus, Rupertus præcipuè; Dominus Iudæos perſtringit, qui Chriſtum Dominum verum Meſſiam recipere noluerunt. Oſe. 7. n. 14.

Salmeiron. — Cyrill. Chryſoſt. Theophyl. Beda. Carthuſ. Rupert.

Oſeæ 7. *Receſſerunt à me, & ego erudiui eos.* Et ait Dominus: *Teſtimonium noſtrum*, ſcilicet meum, & Ioannis. Vel meum, & Patris edentis ſigna per me, & Spiritus ſancti per me loquentis, *non recipitis.* Quod contra omnem legem facit Phariſæorum malitia, cùm in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. *Non recipitis*; in numero plurali loquitur, ſicut & ſequentia verba: *Si terrena dixi vobis, & non creditis*; vel quia aliqui cum Nicodemo fortaſſe venerant, vt ait Caietanus, & ideo ipſe dixit: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter*; vel quia (quod eſt mihi probabilius) Nicodemus princeps erat Iudæorum; & ideo in ipſo omnes alij Iudæi arguuntur; quia populus delinquens ſæpe Regis eſt delictum. Et hac de cauſa Nicodemus, quanuis de ſua ſalute ſolicitus, ob Iudæorum duritiam, vtpote eorum princeps obiurgatur.

Caietan.

*Peccatum populi delictum Regis.*

## QVÆSTIO XXVII.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc loquatur in numero plurali*: Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur?

142. Maldon. HOc dubium in varias ſententias Doctores fecit abire. Et primò Maldonatus hæc exiſtimat dicta de omnibus bonis teſtibus, *Quod ſcimus, loquimur*; hoc eſt, qui teſtes ſumus veraces, & fideles, de illis ſolum teſtificamur, quæ ſcimus, & quæ videmus. Quare ô Nicodeme, ex eo, quòd ego hæc tibi dico, tu exiſtimare debes, me certiſſimè illa ſcire. Hæc tamen interpretatio non cohæret cum ſumma authoritate Chriſti Domini, vt ipſe cum cæteris teſtibus, de quibuſcunque rebus teſtimonium ferentibus, ſe adnumeret.

143. Alcuin. Secundò Alcuinus *in Catena Diui Thomæ*, ait: *Dicit pluraliter, ac ſi dicat: Ego, & illi, qui modò Spiritu ſunt renati, intelligimus illud, quod loquimur, & quod vidimus apud Patrem in abſcondito, hoc teſtamur foris in mundo.* Hæc etiam interpretatio eſt valde humilis; nec enim ipſe loquitur æqualiter de cognitione, quam ipſe haber de myſteriis diuinis, ac nos habemus in via: nam cognitio Chriſti eſt intuitiua, & ipſe videt facie ad faciem, & ideo propriiſſimè ait: *Quod vidimus, teſtamur*; cognitio autem in viatoribus renatis eſt per fidem, & tanquam per ſpeculum in ænigmate.

*Excluditur ſententia.*

144. Salmeiron. Tertiò Salmeiron, & aliqui recentiores dicunt, quòd Chriſtus hîc loquitur in numero plurali, vt ſe cum cæteris Prophetis à Deo miſſis connumeret, ac coniungat. Hanc etiam explicationem non probo: quia cognitio prophetica non ſemper fundatur in cognitione euidenti, ſed valde frequenter reuelationes propheticæ obſcuræ erant, & ineuidentes; lumen enim propheticum ex natura ſua obſcuritatem non excludit. Et ideo Diuus Petrus *epiſt.* 2. *cap.* 1. *num.* 19. prophetiam lucernæ lucenti in caliginoſo loco comparauit, vt obſeruat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 74. *art.* 5. *in corpore.* & idem docent Cano *lib.* 12. *de locis, cap.* 2. *concluſ.* 2. Vaſquius *tom.* 1. *ad* 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 8. *num.* 10. Suarius *tom. de fide, diſp.* 8. *ſect.* 5. *num.* 2. & 3. Raguſa *ad* 3. *part. q.* 7. *diſp.* 74. Et patet, quia fide Iſaac benedixit Iacob, & Eſaü. Similiter Iacob fide benedixit filios ſuos, *ad Hebr.* 11. *n.* 20. & 21. quos tamen prophetaſſe ea in re, patet ex communi Patrum conſenſu, & Scriptura, Geneſ. 49. num. 2. *Congregamini, vt annuntiem quæ ventura ſunt vobis.* Ergo cùm in hac prophetia interueniret fides, lumine obſcuro factum eſt.

*Non loquitur de Prophetis.* 2. Petr. 2. D. Thom. Cano. Vaſq. Suarius. Raguſa. Geneſ. 49.

145. Caietan. Quartò Caietanus ait, quòd vtitur numero plurali, propter duplicem notitiam, quam habet Chriſtus; increatam, vt Deus; creatam, & per ſe infuſam, vt homo. Hæc tamen doctrina non placet, quia ſcire, & videre ſunt actiones, ac proinde ſuppoſitorum: cùm autem vnum ſit ſuppoſitum in Chriſto, vnus dici debet, & non plures: ſicut ſi in noſtro intellectu dentur plures actus intelligendi, ratione ſuppoſiti dicitur vnus intelligens, & non multiplex. Quintò. Sunt, qui dicant, Chriſtum hæc verba in plurali protuliſſe propter ſe, & diſcipulos ſuos; ac de omnibus ait: *quod ſcimus, quod vidimus.* Sed hoc non videtur firmum, ſi referatur ad tempus, quo Chriſtus hæc dicebat: quia non habemus fundamentum, ob quod dicamus, quòd pro tunc Apoſtoli aliquid de Saluatore teſtificarentur, præcipuè in hac materia, de qua erat ſermo, de regeneratione per aquam; quia hucvſque non legimus, quòd Dominus de hac re cum ſuis diſſeruiſſet. Sextò dicunt alij, vt Barradas, quòd Chriſtus vtitur hîc numero multitudinis pro ſingulari, vt ſæpè facimus. Vtitur ergo numero plurali modeſtiæ cauſa, ne de ſe diceret: Quæ ſcio, & video, hæc teſtor. Sed cum hoc pugnat, quòd Chriſtus de ſe nunquam loquitur in numero multitudinis, & etiam in ſimili materia, vt Ioan. 8. num. 38. *Ego, quod vidi apud Patrem, loquor.*

*Non loquitur de duplici ſcientia.* *Non loquitur de Apoſtolis.* Barradas. *Ob modeſtiã non loquitur de ſe pluraliter.* Ioan. 8.

146. Septimò D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius *homil. in Octau. Pentecoſt.* Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Rupertus, Carthuſianus, & communiter alij Patres, & Doctores hæc verba referunt ad Patrem, & Spiritum ſanctum, qui ſimul cum Filio ſciebant, & loquebantur per illum, ac teſtabantur, Ioan. 14. num. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt. Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor: Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Hæc ſententia eſt probabiliſſima, & maximè ob tot Patres veneranda. In ea tamen illud mihi ingerit ſcrupulum, quod Chriſtus Dominus doctrinam ſuam in auditoribus ſuis maximè inſinuare intendebat; & ad hoc valde expediens videbatur, vt auditores apprehenderent, quínam eſſent ſcientes, & videntes, de quibus Chriſtus loquebatur; & qui pro tunc aderant, non intelligebant, quòd Pater, & Spiritus ſanctus eſſent in Chriſto, in eoque loquerentur.

Cyrill. Chryſoſt. Ambroſ. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Rupert. Carthuſ. Ioan. 14. *De ſe, ac Patre, & Spiritu ſancto loquitur.*

147. Octauò, & mihi germana ſolutio. Chriſtus Dominus hîc de ſe, ac Baptiſta ſuo loquitur; nam de regeneratione ſpirituali per aquam ſermo erat; de ea ſine dubio Chriſtus hîc loquitur, cuius totam ſeriem optimè ſciebat, & videbat in Eſſentia diuina. Ioannes quoque illam optimè nouerat, & inſpexerat in Chriſti Baptiſmo, dum vidit Spiritum ſanctum venientem, & manentem ſuper eum. Vterque de regeneratione per aquam, & Spiritum Iudæis dedit teſtimonium Chriſtus hoc loco, & Baptiſta, Ioan. 1. num. 32. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptiʒare in aqua, ille dixit mihi: Super quem videris Spiritum manentem, hic eſt, qui*

*Germana expoſitio.* *De ſe, ac Baptiſta loquitur.* Ioan. 1.



*qui baptiʒat in Spiritu ſancto.* Et Matth. 3. n. 11. & Luc. 3. n. 16. Et tamen vtriuſque teſtimonium Iudæi recipere noluerunt. Et corroboratur expoſitio. Quia Chriſtus Dominus aliquando de ſe, ac ſuo Baptiſta ſimul in numero plurali loquitur, vt Matth. 3. n. 15. *Dixit ei: Sine modò, ſic nos decet implere omnem iuſtitiam*; vt notaui *lib.* 3. *c.* 2. *q.* 10.

Matth. 3.

*Ioannis 3. n. 12.* Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?

*VERSIONES.*

*Sà ex Græco.* Dixi vobis, & non credidiſtis mihi.

*Syriacus.* Quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis mihi.

## *EXPOSITIO.*

148. RATIONEM reddit Dominus de eo, quod immediatè antea dixerat: *Teſtimonium noſtrum non accipitis*; craſſitudinem, ac imbecillitatem auditorum arguit, vt notant Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, & alij. Ea, quæ de regeneratione dixerat, terrena appellat, cùm huiuſmodi regeneratio fiat in terris, interueniente terrena aqua, tanquam ſi dicat. Si non creditis ea, quæ fiunt in terris, quomodo credetis, quæ ſunt in cælo? Et ſi fidem non datis facilioribus, quomodo difficiliora apprehendetis, vt æternam generationem, proceſſionem Spiritus ſancti. Et ait: *Non creditis mihi*, vt explicatiùs legit Syriacus; quia Iudæa, cæcitate ſua detenta, veritatis magiſtro, à quo poterat illuminari, peculiariter credere coluit. Iniqui ſolùm iniquis credunt, non verò iuſtis, & probatis viris. Et ait in numero plurali. Non creditis, quia, vt dixi ex Diuo Cyrillo ſuperiori expoſitione, in Nicodemo arguit Iudæos omnes.

Euthym. Albert. Mag. D. Thom. Syriacus. Cyril.

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Cùm Chriſtus Dominus de regeneratione ſpirituali hîc loquatur, quid hîc per terrena intelligit?*

149. Caſſian. PERANTIQVA, & vulgaris quæſtio eſt, Quid Chriſtus Dominus hîc per terrena, quid per cœleſtia intelligat? Primò Simõ Caſſianus *lib.* 11. *c.* 6. ait, quòd in hoc primo anno ab egreſſu à deſerto multa contulit Ieſus cum Iudæis, quaſi terrena, & humana, & iuxta ſenſum exiſtentia, quæ ab eis non fuerunt credita. Quòd etiam de terrenis Dominus locutus fuerit in ſolennitate Paſchali, exponunt aliqui, vt Barradas. Sed hoc non videtur firmum; quia nec res terrenas, nec parabolas de eiſdem inuenimus in Euangelio vſque ad hoc tempus à Chriſto dictas, & pro noſtro captu non eſt diuinandum.

Barradas.



150. Secundò. Aliqui de vento hoc explicant, & ita intelligunt illud, quod ſuperiùs eſt dictum: *Spiritus vbi vult ſpirat*; tanquam ſi dicat Dominus: Si non creditis terrena, id eſt, generationem ſpiritualem, qaam terreno modo, & exemplo vobis explicaui, quomodo credetis cœleſtia, ſi nudè dixero. Hanc referunt D. Auguſtinus, & Beda *hîc.* & etiam D. Chryſoſtomus *homil.* 26. qui quanuis illius de vento interpretationis ſit author, eam hîc non approbat. Et meritò, quia Chriſtus Dominus hîc non loquitur de modo loquendi, & explicandi, ſed de rebus ipſis terrenis, & cœleſtibus.

Auguſt. Beda. Chryſoſt.

151. Auguſt. Rupert. Tertiò. D. Auguſtinus *tract.* 12. Rupertus per *terrena* exponunt id, quod ſuperiori capite dictum eſt de ſuo corpore: *Soluite templum hoc*; corpus enim res terrena eſt. Sed hæc verba non videntur reuocanda ad ea, quæ erant tam remota, ſed conferenda ſunt cum his, quæ dicta fuerant Nicodemo. Deinde, quia Chriſti Reſurrectio, de qua ibi eſt ſermo: *In tribus diebus ſuſcitabo illud*; æquale, immo maius eſt ſacramentum, quàm noſtra per Baptiſmum regeneratio.

152. Quarta explicatio, quæ meo videri eſt vera ſententia, eamque docent D. Chryſoſt. *homil.* 26. D. Cyrillus, *lib.* 2. *c.* 49. Origenes, & Ammonius *in catena Græca*, Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Caietanus & alij. Rem terrenam aſſerit, vocaſſe Baptiſmum, de quo totus cum Nicodemo ſermo erat. Non quòd Baptiſmus non ſit res diuina, & ſpiritualis; ſed quia ſuper terram, & aquæ terrenæ interuentu hominibus datur. Quapropter multa diuina myſteria, cùm in humana natura in hoc ſæculo fiant: de terra dicuntur. Vt de ineffabili Incarnationis myſterio: *Veritas de terra orta eſt*, Pſal. 84. n. 12. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, Iſai. 45. n. 8. Per cœleſtia verò intelligit Saluator generationem æternam, proceſſionem Spiritus ſancti. Tanquam ſi dicat Dominus Si ea, quæ ſunt magis in promptu, non capis, quomodo difficiliora percipies. Sap. 9. n. 16. *Difficilè æſtimamus, quæ in terra ſunt. Quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit?*

Chryſoſt. Cyrillus. Origen. Ammon. Theophyl. Euthym. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Caietan. Pſalm. 84. Iſai. 45. Sap. 9.

*Ioannis 3. n. 13.* Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo: filius hominis, qui eſt in cælo.

*VERSIONES.*

*D. Dionyſ. epiſt. contra Samoſat.* Amen dico vobis, quia nemo, &c.

*Petrus Diaconus lib. de Incarn. c. 4.* Ipſe enim omnino, & non alius aſcendit in cælũ, qui deſcendit de cælo.

*Arias.* Et nemo aſcendit in cælum, ſi non ille ex cælo deſcendens, filius hominis exiſtens in cælo.

*Syriacus.* Filius hominis, qui ipſe eſt in cælo.

*Sà ex Græco.* Qui erat in cælo.

## EXPOSITIO.

153. *Connexio ad antecedentia.*

IVDÆORVM incredulitatem Dominus vehementiſſimè arguit. Dixerat immediatè antea: *Quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Nunc verò probat, quomodo ei cœleſtia narranti indubitanter ſit credendum. Quia quanuis vſque ad illud tempus nullus homo in cælum aſcenderit, nec ea, quæ ibi fiunt, contemplatus fuerit; tamen ipſe clarè, ac maniſeſtè omnia intuetur, ac videt. nam ipſe ſolus de cælo deſcendit, & in cælum conſcendit, ac eſt in cælo ſemper exiſtens. Ex quo duo concluduntur: primum, quòd quamuis ſit in terra, eſt etiam præſens in cælo; ſecundum, quòd ipſi cœleſtia dicenti tribuenda ſit fides.

154. *Chriſtus in rebus magnis modeſtè loquitur.*

*Nemo aſcendit in cælum.* Chriſtus Dominus dicitur deſcendere de cælo, & aſcendere, & eſſe in cælo, ratione vtriuſque naturæ, diuinæ & humanæ, vt latiùs explicabo quæſtione ſequenti. *Filius hominis*, non dixit: Niſi ego, qui deſcendi de cælis, & ſum in cælis: ſed per tertiam perſonam loquitur modeſtiæ ergò, ne de ſe tam apertè gloriam tantam diuulgaret. Et dicitur, *Qui eſt in cælo*; hoc eſt, ratione diuinitatis, quia nullum circunſcriptum habet locum; ac proinde quanuis apparebat in terris, non ſeparabatur à cælo, vt notarunt D. Ambroſius *in Symbolum, c. 6.* D. Fulgentius *lib. 2. ad Thraſymundum, c. 17.*

Ambroſ. Fulgent.

## QVÆSTIO XXIX.

### *Quomodo Chriſtus Dominus dicat, quòd ipſe aſcendit in cælum, cùm hic ante aſcenſionem ſuam loquatur?*

155. IN præſenti textu grauis ſuboritur difficultas; ait Chriſtus Dominus, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis*; quando autem Chriſtus Dominus hæc verba dixit, non dum aſcenderat in cælum; quomodo ergo ait: *Nemo aſcendit, niſi qui deſcendit?* Nam ratione diuinitatis non potuit aſcendere; ipſa enim vbique eſt: ratione humanitatis, nondum aſcenderat. Et augetur difficultas; quia verbum *aſcendit*, iuxta radicem Græcam eſt in præterito tempore: quomodo ergo ſtat veritas in dictis? Nec effugit difficultatem Toletus *annot.* 17. dum negat, Chriſtum hoc loco dixiſſe, ſe in cælum aſcendiſſe: at ſine fundamento hoc negatur; nam ex illa particula excluſiua *niſi*, rectè infertur aſcenſus; ſi enim nemo aſcendit, niſi filius hominis; ergo benè concluditur, filius hominis aſcendit. Nec etiam quieſcit mens in expoſitione Bedæ & Ruperti, qui hæc intelligunt dicta per anteceſſionem de aſcenſione, quæ facta eſt poſt Reſurrectionem: quia illud verbum *aſcendit*, eſt in præterito, vt iam dixi. Deinde cum hoc pugnant ſequentia verba: *Filius hominis, qui eſt in cælo.* nam ſi filius hominis erat in cælo: ergo aſcendit, ſiquidem in terra vnita eſt humanitas.

Tolet. Beda. Rupert.

156. Caietan.

Ideo Caietanus, & multi alij reſpondent, quòd Chriſtus Dominus dicitur aſcendere in cælum, ratione ſuæ ſanctiſſimæ animæ, quæ à primo inſtanti ſuæ conceptionis aſcendit ad viſionem, ac fruitionem Dei, quam Beati aſcendendo in cælum obtinent: ac proinde iam Chriſtus Dominus id habebat, quod per aſcenſum in cælum acquiritur. Alij verò, vt Maldonatus, Cornelius explicāt, quòd Chriſtus ante Reſurrectionem in cælum aſcendere dicebatur per communicationem idiomatum; quia filius hominis, cùm eſſet in terra, dicebatur etiam eſſe in cælo, quia idem Deus erat; Deus autem eſt in cælo.

Maldon. Cornel.

157. Rem magis explico. Filius hominis dicitur aſcendere, & deſcendere, ratione vtriuſque naturæ, humanæ, & diuinæ, in vna perſona. Ita docent D. Dionyſius *in Epiſt. contra Samoſatenum*, D. Eucherius *quæſtionibus in Ioan.* D. Hieronymus *ſerm. de Aſſumptione.* Ioan. Caſſianus *lib. 4. de Incarnat.* D. Fulgentius *lib. 2. ad Thraſymundum, cap.* 17. Petrus Diaconus *de Incarnat. cap.* 4. Ferradus Diaconus *Epiſt. ad Seuerum*, & alij antiqui Patres. Cùm ergo natura diuina ſit vbique, & omnem repleat locum, ratione ſui aſcendere, & deſcendere nequit; hæc tamen de Deo in Scriptura paſſim dicuntur ob varios effectus, & operationes, quas hîc, & nunc exercet; ac ſi, per impoſſibile, non eſſet vbique, & ad illum locum veniſſet. Ac proinde ante aſcenſionem filius hominis dicebatur eſſe in cælo, ratione naturæ diuinæ, quæ ibi manifeſtatur; dicitur deſcendere de cælo ob Incarnationem, quia in vtero Virginis hypoſtaſis diuina humanam terminauit naturam. Dicitur aſcendere in cælum, quia ob naturam diuinam eleuata eſt natura humana, quæ erat in terris, vt videret Deum, ſicut Beati vident in cælo; & vt hominibus in terris communicaret cæleſtia dona, ac Angelis in cælo imperaret; ac tandem ſicut Deus eſt vbique, ſic & humana Chriſti natura per communicationem idiomatum, vt ex D. Auguſtino dicam *quæſt.* 164.

Dionyſ. Eucher. Hieronym. Caſſian. Fulgent. Petr. Diac. Ferrad. Diac. *Quomodo dicatur Deus aſcendere, & deſcendere.*

158. Secundò elegantiſſimè Diuus Bernardus *ſerm.* 18. inter paruos, & varios, explicat hunc locum. *Deſcendit*, ait, *& aſcendit filius hominis propter nos in noſtra natura: attingens nimirum à fine vſque ad finem fortiter; & diſponens omnia ſuauiter. Deſcendit ſiquidem, quò inferiùs non decuit; aſcendit, quò excelſiùs non potuit. Ipſumque deſcenſum egit fortiter, quia virtus erat: aſcenſum diſpoſuit ſuauiter, quia ſapientia erat. Deſcendit autem dictum eſt, non cecidit; quia qui cadit, ſine gradu ruit; qui autem deſcendit, gradatim pedem ponit. Sunt ergo gradus in deſcendendo; ſunt in aſcendendo. In deſcendendo primus quidem gradus eſt à ſummo cælo vſque ad carnem; ſecundus vſque ad crucem; tertius vſque ad mortem. Ecce quo vſque deſcendit. Nunquid amplius potuit? Poterat iam certè Rex noſter dicere, & quaſi quodam operis affectu clamare: Quid vltrà debui facere, & non feci? Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vidimus deſcenſum. Videamus & aſcenſum; ſed ille quoque triplex eſt. Et eius primus gradus gloria Reſurrectionis; ſecundus poteſtas iudicij: & de morte quidem meruit Reſurrectionem; de cruce iudicij poteſtatem: vt quoniam in illa iniuſtè iudicatus eſt, de illa iuſtam obtineret iudicis cenſuram. Ipſam verò ſerui formam, id eſt, carnem, in qua paſſus, & mortuus eſt, reſuſcitatam euexit ſuper omnes cælos, & ſuper omnes Angelorum Choros, vſque ad dexteram Patris.* Pulchrè multa docet Sanctus Pater. Deus in terram veniens, non cecidit, ſed per gradus

Bernard. *Deus gradatim in terrā deſcendit.* Iſai. 5. Ioan. 15. *Per gradus eſt eundum.*



deſcendit; nam gradatim, paulatimque eundum eſt. de quo multa dixi *lib. 1. cap. 1. num. 79. & cap. 2. num. 14. & lib. 2. cap. 2. num. 10. & cap. 4. num. 51. & cap. 1. num. 38. & lib. 3. cap. 1. num. 52.* Denique deſcendit per Crucem, & per ipſam aſcendit ad dexteram Patris, ac meruit poteſtatem iudiciariam, nos ſecum in cælum adducens.

159. Ioan. 15. Zeno. *Per crucem Deus, & homines in cælū aſcendunt.*

Ait Chriſtus Dominus Ioan. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites*; quod perbellè ponderat D. Zeno ſerm. in Pſalm. 79. *Vt optimè ſæpè recolitis*, ait, *palmes in ſcrobem dimittitur, vt animatus ibidem genitalis humor, manente ſemper ſecum ſubſtantia nutriatur; auxiliare illi neceſſariò iungitur lignum, cuius tutela defenſus ſeſe ſuſtollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, ad iugumque peruenerit: pura materia tabulatis infertur, nobis adſtringitur, ne à ligno, quo portatur, vel cuius adminiculo, vel ducatu in vberes fructus longiùs inuitata producitur, vi aliqua ſeparetur.* Et pulchrè S. Pater proſequitur. Chriſtus Dominus vera vitis, de cælo vſque ad ima terræ ſeſe ſubmiſit; vt inde verò extolleretur, lignum ei fuit adiungendum, vt Crucis adminiculo innixus à terra exaltaretur, vtque cœleſtes eius fructus, ac palmites ſubleuarentur, Crucis tabulatis ſuppoſitis fuerunt fulciendi, vt ita in altum ſurgerent, & vſque ad cælum cum ſua propagine, ac vite glorioſiſſimè peruenirent.

160. Deuter. 33. Tertul.

Sub figura Ioſeph gloriam Chriſti Domini prædicens Moyſes Deuteron. 33. num. 17. ait: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ.* Tertullianus ſtatim dandus legit: *In ipſis nationes ventilabit ad ſummum vſque terræ.* Pulcritudo tauri, ac cornua rhinocerotis, ſunt extrema Crucis brachia, quibus Dominus ventilans nationes humiles extollit è terra ad cælum; ſuperbos verò inde deiiciens ſua iudicaria poteſtate comprimit. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 18. *Chriſtus*, ait, *in illo ſignificabatur, taurus ob vtranque diſpoſitionem, aliis ferus, vt iudex; aliis manſuetus, vt Saluator, cuius cornua eſſent Crucis extrema. Nam in antenna nauis, quæ Crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur. Hac denique virtute Crucis vniuerſas gentes, & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cælum, & tunc per iudicium ventilabit, deiiciens de cælo in terram.* Tota Chriſti virtus, potentia, ac ſapientia, in Cruce ſita eſt; ea enim ſeparat agnos ab hœdis, ea extollit, ac ſubleuat iuſtos ad cælos, & ſuperbos à ſuæ præſumptionis altitudine grauiſſimo lapſu præcipitat, ac deiicit. Moyſi *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi*, Exod. 3. num. 2. vt inde Hebræos afflictionibus oppreſſos in terram promiſſionis adducat, interituque, ac ſupplicio contundat Ægyptum, vt ipſe Dominus dixit: *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus*, ibidem num. 20. Sed vbi hæc aguntur? In medio rubi. Sed cur aliud corpus non aſſumitur, niſi lignum rubi, quod ſanctam ſignificat crucem, vt author eſt ibi Procopius: *Initium miraculorum*, ait, *per lignum fit, quod noui Teſtamenti crucem prædicit.* Interueniente Cruce habent boni, ac electi, vt tranſeant in cœleſtem terram promiſſionis; & impij, vt inferni aquis obruantur.

Idem. Exod. 3. Procop.

## QVÆSTIO XXX.

### *Quomodo dicat Chriſtus, quòd* nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit, *cùm iuſti aſcendant in cælum, à quo non deſcenderunt?*

161. RATIO dubitandi eſt manifeſta. Ait Dominus: *Nemo aſcendit, niſi qui deſcendit filius hominis:* cùm tamen iuſti aſcendant, & aſcenſuri ſint omnes, non tamen è cælo deſcenderint. Nec ſatisfacit id, quod ait Salmeiron *tract. 6.* quòd ſolus Chriſtus aſcendit virtute propria; iuſti verò gratia Dei rapiuntur, & aſſumuntur ad cælum. Sed hoc non ſoluit quæſtionis nodum, nec facit ad id, quod Dominus intendebat; nam tota intentio erat, quòd nemo poterat res cœleſtes nuntiare, cùm nullus hominum præter filium hominis aſcenderit in cælum: ergo ſermo eſt hîc de omni aſcenſu. Nec etiam audiendus eſt Didymus *in catena Græca*, dubitans, quomodo Chriſtus dicat: Nemo aſcendit, cùm Angeli priùs aſcenderint in cælum; nam eos aſcendentes, & deſcendentes vidit Iacob *Geneſ. 28. num. 12.* At facilis eſt ſolutio. Chriſtus Dominus loquebatur de ſolis hominibus, eis enim dicebat Dominus: *Nemo aſcendit.*

Salmeiron. *Duæ ſentētiæ excluduntur.* Dydim.

162. *Germanus ſenſus.*

Verus ergo ſenſus eſt, quòd Chriſtus cum hominibus agebat, vt igitur Dominus comprobaret, quòd nullus mortalium res diuinas, ac cœleſtes hominibus ita aperire, ac declarare poterat, vt ipſe (hoc enim erat ſermonis intentum) ait. quòd hactenus nemo ex hominibus aſcendit in cælum, præter filium hominis: ergo nullus hominum valet huiuſmodi res diuinas in hoc ſæculo nuntiare, niſi filius hominis, qui ad cælum conſcendit, & ea, quæ ibi fiunt, perſpicua habet, atque aperta. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*, Ioannis 1. num. 8. Alias, veluti morales, demus rationes.

Ioan. 1.

163. Auguſt. Beda. Carthuſ. D. Thom. Bonauent. Auguſt. Galat. 3.

Secundò reſpondent D. Auguſtinus, Beda, Carthuſianus, D. Thomas, D. Bonauentura, quòd iuſti aſcendunt cum Chriſto, tanquam illius membra; nam cum ipſo faciunt vnum myſticum corpus, cuius caput eſt Chriſtus; membra iuſti, & ita cum illo, & in illo vnum ſunt, vt loquitur D. Auguſtinus. quod comprobat ex Paulo ad Galat. 3. num. 16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius, non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno.* Nemo in cælum aſcendere poterat, niſi filius Dei; ad nos ergo deſcendit, noſtramque aſſumpſit naturam, ac ſibi eam copulauit, vt nos vnum cum ipſo facti ad thronum Patris aſcendamus. Quod eleganter ponderauit Tertullianus lib. de Trinit. cap. 13. *De cælo deſcendit Verbum, tanquam ſponſus ad carnem, vt per carnis aſſumptionem filius hominis illuc poſſet aſcendere, vnde Dei filius Verbum deſcenderat: meritò dum per connexionem mutuam, & caro Verbum Dei gerit, & filius Dei fragilitatem carnis aſſumit, cum ſponſa carne conſcendens illuc, vnde ſine carne deſcenderat.* Deſcendit Dei filius, vt noſtram carnem eueheret in cælum. Deſcenſum, ac humiliationem ſibi tantùm reſeruauit, ſuumque eſſe voluit,

*Homines cū Chriſto in cælum aſcendunt.* Tertul.

ſolus enim ipſe deſcendit: exaltationem verò,& in gloria ſublimationem nobis communicauit, ac nos indignos tanti boni participes effecit; ſecum nos aſportauit in cælum. Ex quo Principes ſæculi exemplum habeant, vt ſibi deiectiones reſeruent, ſuis verò glorias parent. Vide *lib.2.cap.9.num.41. & lib.3. cap. 1. num.19. & 20.*

*Bonus Princeps ſibi deſcenſum, ſuis glorias reſeruat.*

164. Etherius. B.Preſbyt.

Tertiò hanc rem pulchrè explicant Etherius, & Beatus Preſbyter lib. 2. contra Elpidium: *Quia,* inquiunt, *nos vnum cum illo iam futuri ſumus, vnde ſolus venit in ſe, illuc ſolus redit etiam in nobis, & ille, qui in cælo ſemper eſt, ad cælum quotidie aſcendit. Quia qui diuinitate ſuper omnia permanet, humanitatis compage ſeſe quotidie ad cælos trahit.* Dominus, qui in cælo ſemper regnat, ratione membrorum ſuorum quotidie in cælum aſcendit; nam ex eo, quòd nos aſcendimus, & ipſe ſe aſcendere reputat.

*Noſtrũ aſcẽſum Deus reputat ſuum.*

165. Paſchaſ.

Quartò D.Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domini; cap.9. *Per ſacramentum*, inquit, *corporis, & ſanguinis Chriſtus in nobis non ſolùm fide, ſed etiam vnitate carnis, & ſanguinis manere probatur; & ideo iam membra Chriſti, eius carne veſcimur, vt nihil aliud, quàm corpus eius, vnde viuimus, & ſanguis inueniamur. Hinc igitur eſt, quòd nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit: quia cum illo per hæc myſteria vnum ſumus.* Similiter loquitur Innocentius III. *lib.14.de myſteriis Miſſæ cap.* 44. Nullus homo præter Chriſtum de cælo deſcendit: ergo ſolus ipſe eſt aſcenſurus? & pro eo tantum cœleſtis ſedes eſt præparata? Quæ ergo ſpes erit nobis? Bono animo eſtote. Verum eſt, quòd nemo aſcendit, niſi qui deſcendit; & ſolus Chriſtus deſcendit. Tamen dum eius carnem, & ſanguinem deguſtamus, ei vtpote membra tanquam capiti incorporamur, vnum cum Chriſto efficimur; ac ita in cælum ſubleuandi præparamur; non quia nos de cælo deſcendimus, ſed quia per ſacramentum corporis cum ipſo vnum facti, ac proinde omnium cœleſtium donorum participes ſumus.

Innoc.III.

*Per Euchariſtiam cum Chriſto vnimur.*

*Per Euchariſtiã in cælũ aſcendimus.*

166. Coloſſ.2.

Ait Paulus ad Coloſſ. 2. num.9. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Quam conſequentiam facis Eccleſiarum magiſter? In Chriſto eſt omnis diuinitas: ergo nos ipſâ ſumus repleti. Et nota, quòd ait Apoſtolus, *Eſtis in ipſo repleti*; quia dum homo ad Euchariſticam menſam accedit, ac diuino pabulo paſcitur, cœleſtibus donis inhabitantibus in Chriſto, cum quo vnum efficitur, impinguatur. D.Hilarius *lib.de vnitate Patris, & Filij*, explicans locum de Euchariſtia, ait: *Nunc igitur in eo repleti ſumus, id eſt, per aſſumptionem carnis eius, in qua diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat, & huius ſpei noſtræ non exigua poteſtas in eo eſt; nam quod repleti in eo ſumus, hoc eſt caput, & principium omnis poteſtatis.* Chriſtus ratione hypoſtaſis ſuæ omnem diuinitatem in ſe habet inhabitantem; nos verò, dum ipſum in Sacramento ſumimus, vnum cum ipſo facti, eius ditamur bonis, ad cælumque conſcendimus. *Tollite hoſtias, & introite in atria eius*, Pſalm.95. num.9. Sed quænam ſunt ſacrificia, quæ ad cælum nobis aditum, introitumque parant? Nullum aliud, niſi Euchariſtia ſacra, quam dum homo ſumit, ad cælum volat. Meus incognitus, *Secundum*, inquit, *atrium eſt triumphantis Eccleſiæ.* Pſalm.83. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. In iſto atrio gloriæ eſt æternitas ſine fine. De iſto ergo Sacramento ait: Tollite hoſtias, id eſt, recipite dignè iſtud Sacramentum, & introite in atria eius.*

*Per Euchariſtiam bonis Chriſti ditamur.* Hilar.

Pſalm.95. *Per Euchariſtiã aditus ad cælum pateſit.*

Incognit. Pſalm.83.

## QVÆSTIO XXXI.

### *Quomodo dicat Chriſtus, quòd filius hominis deſcendit de cælo, cùm humanitas vnita fuerit Verbo in terris?*

AIT Dominus, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis, qui eſt in cælo*; in quo apertè docet, quòd filius hominis ſit in cælo, & deſcenderit de cælo. 167.

Et ratio dubitandi eſt: quia Chriſtus hîc loquebatur ante reſurrectionem, Aſcenſionemque ſuam. Deinde, quia filius hominis, ſeu Chriſtus Dominus duas dicit naturas ſimul vnitas, ſcilicet humanam, & diuinam. Deus autem ad nos de cælo dilapſus eſt abſque naturæ humanæ reali complexu, vt eam ſibi in vtero Virginis complicaret, & de facto ibi eam ſibi copulauit, vt eſt fidei dogma. Quomodo ergo dicitur, quòd de cælo deſcendit filius hominis, qui ſibi vtramque naturam compactam ſupponit, cùm nondum humanitas Verbo eſſet vnita?

*Ratio dubitandi.*

Reſpondet primò D. Auguſtinus ſerm.14. de verbis Apoſtoli: *Filius hominis de cælo deſcendit? Nónne filius hominis in terra factus eſt? Nónne filius hominis per Mariam factus eſt? Sed ô homo, noli, inquit, ſeparare, quod volo copulare. Chriſtus enim deſcendit, idemque filius hominis, qui filius eſt Dei, ſedet in cælo, qui ambulat in terra. In cælo erat, quia vbique Chriſtus, idemque Chriſtus & filius Dei, & filius hominis.* Verum eſt, quòd ſolus Deus de cœlo deſcendit, vt fieret homo: Tamen cùm idem ſit filius hominis, qui filius eſt Dei; ideo per communicationem idiomatum ea, quæ dicuntur de filio Dei, dicuntur & de filio hominis. Filius Dei vbique eſt, etiam Chriſtus dicitur eſſe vbique: filius Dei ante Abraham, etiam Chriſtus dicitur ante Abraham. Ioan.8.num.58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Et alia multa, quæ docent D.Damaſcenus *lib.3.de fide, cap.4.* Nicetas *lib.3. Theſaur. cap.33.* de quo latè vide Vaſquium *3.p.diſp.73.cap.5. à n.32.* Cabreiram *q.16.art.5.in comment.num.12.* Ad rationes morales veniamus.

168. Auguſt. *Germana ratio ob quam filius hominis dicitur deſcendere de cælo.*

Ioan.8. Damaſc. Nicetas. Vaſq. Gabr.

Secundò D.Hyppolitus Martyr *homil. de Deo Trino, & de incarnatione*, poſtquam propoſitum dubium proponit: *Niſi, qui de cælo deſcendit filius hominis*, ait: *Manifeſtum igitur eſt, quòd antea non erat in cælo caro. Quis ergo erat in cælo, niſi Verbum, ſine carne, quod miſſum eſt, vt oſtenderet ſe, qui in terra erat, eſſe etiam in cælo? Verbum enim erat, Spiritus erat, virtus erat. Vnus commune nomen, & in vſu apud homines ſibi ſumpſit, vocatus à principio filius hominis propter futurum, quanuis nondum eſſet homo, ſicut Daniel teſtatur* cap.7. num. 13. *inquiens: Vidi, & ecce in nubibus cæli venientem tanquam filium hominis.* Verum eſt, quòd Deus ſine carne ad terram deſcendit; nam eam ſibi inter nos copulauit; tamen deſcendens non dicitur filius Dei, ſed filius hominis: commune

169. Hippol.

Dan.7. *Singularitas vitanda, & communis res ſequenda.*



mune nomen, & in vſu apud homines ſibi ſumpſit. Nomen *filij Dei* erat quid ſupremum, & valde rarum inter mortales; vocabulum verò *filij hominis* valde frequens, & vſitatum; ita paſſim dicebantur Prophetæ. *Ezech.cap.2.num.1. & 3. & Daniel. cap.8.num.17.* Deus veniens in mundum, cùm futurus eſſet homo, euitauit, atque occultauit ſingulare, & particulare nomen filij Dei, & ſolùm dici, ac euulgari voluit communem, & vſitatam filij hominis appellationem. Pro ſingularitate vitanda, & communi re ſequenda, vide *lib.1.cap.8. num.12. & lib.2.cap.10.n.8. & lib.3. cap.3.n.44. & hoc lib.4.cap.1.n.23.*

170. Athanaſ.

Tertiò D.Athanaſius *lib.9. ad Theophilum de fide ſua*, ait: *Legimus* Ioan.3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo. Quomodo filius hominis, qui in terra loquebatur, eſſe dicebatur in cælo? Et quemadmodum inde deſcendiſſe refertur, qui nec ibi factus, nec adhuc aſcenderat, qui nondum paſſus reſurrexerat? Sed quia Deus Verbum hominem aſſumpturus deſcenderat, homo diuinitati copulatus illuc aſcendit, vnde caro vtique non deſcenderat. ſed Verbum.* Solus Dei filius, vt naturam ſibi vniret humanam, ad nos venit, vt ita homo ſubleuaretur ad cælum. Et tamen dum deſcendit, filius hominis dicitur, & nomen filij Dei tacetur. O magnum charitatis ingenium! ô ſingulare beneficentiæ documentum! Voluit ſummus Princeps, ac Rex noſter multum occultare, quod præſtitit, ac pro nobis dedit; ideo verbis profert, non quòd filius Dei deſcendit, ſed quòd filius hominis ad nos venit. Nam quòd ſuprema Dei maieſtas ad nos ſe inclinaret, ac deiiceret, ſummus totius beneficentiæ apex, & acumen: quod verò filius hominis veniret, quid inferius erat. Eximia ergo Chriſti charitas, ac largitas, quod ſupremum erat, abſcondit; quod verò minus, palam facit, ac teſtatur. Magni enim eſt ingenij, multa elargiri, pauca diuulgare. Vide *lib.2. cap.3. num.17. & lib.1. cap.1. num.50. & cap.2. num.16. & cap.5. num.169.*

*Magni ingenij eſt, multa elargiri, pauca verò diuulgare.*

171. Zeno.

Quartò D.Zeno Veronenſ. ſerm. de ſpiritu & corpore, *Scriptum eſt in Euangelio*, ait, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit filius hominis qui erat in cælo. Quomodo filius hominis, vel cuius hominis naſci poſſet in cælo, vt de cælo deſcenderet, cùm humanitas à cælo, & poſſeſſio longè dimota ſit, & natura? Age, excita ſenſum, Lector, inuenies veritatem. Qui erat in cælo, de cælo deſcendit: qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit in cælum filius hominis, qui erat in cælo, filius hominis vocabulo, non natura: non enim bis carnem induit Dominus; ſed ſi oportuit prædicari, quia primò antequam eſſet, quàm ſe fieri voluiſſet, tam figura, quàm oraculis frequentibus publicabatur.* Semel Deus humanam ſibi carnem, non in cælo, ſed in terra copulauit: & tamen, antequam myſterium peragatur, dicitur filius hominis, qui eſt in cælo, & qui deſcendit de cælo. Sed quomodo tunc filius hominis, cùm humanitas adhuc Deo vnita non eſſet? *Non natura, ſed vocabulo.* Ab æterno filius Dei in ſinu Patris reſidens, vt humanam ſibi naturam in hypoſtaſi ſua aſciſceret, ardentiſſimo amoris æſtuabat impulſu. Sed cùm ſtatuta à Patre tempora non adeſſent, vt ſuum vehemens aſſumendæ noſtræ carnis deſiderium ſolaretur, hominis figuras frequenter ſuperinduebat, ſibique hominis nomen maximè delectabatur imponi; & ita feruentem noſtræ carnis affectum, hominis nomenclatura lenibat, amorique ſuo inducias dabat.

*Deus ante Incarnationẽ vehementer præoptabat hominem fieri.*

Deus, antequam homo fieret, maxima præ ſumendæ noſtræ carnis deſiderio, ſolicitudine, & anxietate ferebatur, ita vt introducatur in Canticis, *Saliens in montibus, tranſiliens colles*, Cantic.2.num.8.& dicatur in Pſalm.17.n.11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit; volauit ſuper pennas ventorum.* At ſponſa eum noſtra carne indutum videns ait: *Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo*, Cantic.1. num.12. vbi per *acubitum*, teſte Caſſiodoro, Aponio, Beda, & Hugone, intelligit Incarnationem, ſeu carnem aſſumptam. Et ita ait Beda. *Accubitum autem Regis, tempus Incarnationis appellat, per quam pro nobis humiliari, & vt nos erigeremus, ipſe inclinari dignatus eſt.* Sed quomodo humanitas dicitur accubitus Dei? Accubitus eſt ſeſſionis modus, quo in epulis omni quieti, & delectationi indulgebatur; antequam Deus noſtra carne eſſet præcinctus, filius Dei in ſuprema maieſtate dexteram Patris occupabat: at verò factus homo, vbi caput ſuum reclinet, non habet; & tamen tunc dicitur *Rex in accubitu ſuo*, ſeu *in requiete ſua*, vt alij legunt. Tam inexpleta Deus auiditate noſtram ſibi adamplexare humanitatem præoptabat, vt quandiu ineffabile Sacramentum non erat celebratum, nec leuiter quieti ſe concredere videretur. At poſtquam homo factus eſt, deſiderij æſtus cœpit ſoporari, requieique aperire aditum, & Deus in humanitate aſſumpta, magna dulcedine, ac gaudio periucundari. Vide *lib.1.cap.5.num.68. & lib.2. cap.1. num.63.* 172.

Cant.2. Pſalm.17.

Cant.1.

Caſſiod. Apon. Beda. Hugo.

*Deus in aſſumpta humanitate delectatur, ac requieſcit.*

## QVÆSTIO XXXII.

### *Quare Chriſtus Dominus frequenter ſe ipſum filium hominis appellet?*

VALDE familiariter Chriſtus in Euangelio ſe filium hominis dicit. Et ne paſſim in hanc quæſtionem incidamus, ſemel hîc eſt examinanda. Et prauum Gentilium dogma, qui, vt refert D.Iuſtinus *quæſt.66.ad Orthodoxos*; ex hoc vocabulo *filij hominis*, contendebant aſſerere, Chriſtum virili ſemine ex Ioſeph fuiſſe natum, omnino eſt contemnendum: nam ipſe de Spiritu ſancto eſt conceptus, vt ſæpe diximus. Cum Catholicis diſputamus. & inquirimus, cur ſe filium hominis dicit? Nec effugiunt difficultatem, qui dicunt eſſe Hebræam phraſim, & nihil aliud ſignificare, quàm hominem. Quod quanuis ita ſit, maximè ponderandum eſt, cur in illis locis non ponatur vox hominem tantùm ſignificans, vt *Matth.8.num.9.* de Centurione; ſed ſcribitur vocabulum denotans filium hominis. Deinde iterum redit quæſtio: Cur in his locis non loquatur de ſe per primam perſonam: Ego ſum in cælo: Ego deſcendi de cælo; ſed per tertiam perſonam, *filius hominis eſt in cælo?* Ex quo reiicitur quorumdam placitum, aſſerentium, quòd Chriſtus, dum loquitur de his, quæ concernunt naturam humanam, ſe filium hominis appellat; cùm verò de illis, quæ ad naturam diuinam ſpectant, Deum dicit. Nam deſcendere de cælo, & eſſe in cælo, ratione naturæ diuinæ 173.

Iuſtin.

diuinæ conueniunt; & tamen tunc ſe filium hominis vocat.

174. *Germana ſolutio. Chriſtus ſe appellat filiũ hominis, id eſt Adami.* Irenæus. Tertull.

Primò, & germana ratio. Chriſtus Dominus ſe filium hominis paſſim appellat, vt indicaret ſe ab Adamo originem trahere. *Adam* enim Hebraicè idem eſt, ac homo; vnde abſolutè filius hominis, id eſt, filius Adami. Hanc rationem tradunt D. Irenæus *lib.3.cap.21.* Tertullianus *lib. de carne Chriſti.* Poterat enim Dominus nouam naturam humanam creare, eamque ſibi vnire, & tunc filius hominis non diceretur, cùm ab homine non traheret originem: ſicut Adamus non dicitur filius alicuius hominis. Noluit Dominus ſibi aſſumere carnem, niſi genitam ab Adamo, vt iam dixi *lib.1.cap.5. quæſt.15.* Et vt vnus ex populo Hebræo, carnem ortam à ſuis progenitoribus, quam habuit per Virginem Mariam Spiritu ſancto concurſum viri ſupplente. Ideo ergo frequenter ſe filium hominis dicit, vt illorum maiorum filium ſe demonſtraret, & ita veritatem ſuæ promiſſionis indicaret impletam, qua ſe de eorum ſemine naſciturum ſpopondit.

*Ad veritatẽ promiſſionis ſuæ indicandam.*

175. *Chriſtus filius hominis dicitur, quia maximè recordabatur, ſe fratrem eſſe noſtrum.*

Secundò, & in eadem communi ratione perſiſtendo. Nomine filij hominis ſæpe vtitur, vt coniunctionem, ac fraternitatem nobiſcum fateatur: nam ſi Deus naturam ad ſui vnionem denuo crearet, verus daretur homo, non tamen diceretur filius hominis, nec frater noſter eſſet; fratres enim ſunt illi, qui ab vno communi parente originem trahunt, quanuis inter ſe multis gradibus diſtent. Hanc rationem tradit Paulus ad Hebræos 2. num.11. *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes: propter quod non confunditur, eos fratres appellare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Quæ verba, vt rectè ibi expendit Benedictus Iuſtinianus, ſignificant, quòd Chriſtus, qui ſanctificat, & fideles, qui per eum ſanctificantur, ſint ab vno communi parente Adamo, & ideo Chriſtus non fratres vocat, & non Angelos. quod ſignificat Apoſtolus citato loco *num.16.* dicens: *Nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Et ideo hanc fraternitatem glorianter ſignificans, ſe frequenter filium hominis dicit, vt inde omnes accedendi ad eum, tanquam ad fratrem, & conſanguineum noſtrum haberent fiduciam. Vide infrà *q.42.n.244.& 245.*

Hebr. 2. Iuſtinian.

*Chriſtus de noſtra natura gloriatur.*

176. *Humilitas, & abiectio naturæ Chriſto ante oculos maximè erat.*

Tertiò. Valde frequenter Chriſtus Dominus nomen filij hominis ſibi imponit: nam cùm ſit verus Deus, & homo, non ab altitudine diuinæ naturæ paſſim ſe Deum appellat, ſed humiliter loquens, ſe filium hominis dicit: humilitas, ac deiectio humanæ naturæ ei erat menti maximè affixa; & ideo non dicit ſe hominem, ſed filium hominis, quod quandam ſubiectionis relationem importat; filius enim parentibus eſt ſubditus. Et hæc eſt ratio, ob quam Ezechiel ſæpiſſimè filius hominis dicitur, vt *cap.2. num.1. & 3.* & etiam Daniel *cap.8. num.17.* Quia cùm duo hi Prophetæ valde conſuetè inter Angelos fuerint, ne eleuarentur, filij hominis nuncupantur, vt homines ſe eſſe meminerint. Ita Interlinealis *citato loco Ezechiel.* & *ibidem* Theodoretus *ſect.1.* Rupertus *cap.17.* & in Daniel. Lyranus, ac D. Thomas. Ex quo accipe ſolutionem cuiuſdam elegantiſſimi dubij: Quare, ſcilicet Chriſtus ſe filium hominis appellat; & tamen nunquam lego in Euangelio, quòd quilibet alius, eum tali nomine vocauerit. Econtra verò Ezechiel, & Daniel ab aliis filij hominum dicuntur, ſemetipſos verò nunquam tali vocabulo nominarunt? Nam cùm nomen filij hominis ſubiectionem dicat, & humilitatem, hæc erat alta mente repoſita Chriſto Domino, & non exigebatur, vt illam aliquis ei proponeret, ac diceret; maximè de ea recordabatur: & ideo Propheta non dicit: Tu es vermis, tu es homo; ſed vt perſonam Chriſti agens, ait: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis,* Pſalm.21.num.7. Econtra verò illi Prophetæ cùm eſſent colloquio angelico valde ſublimati, ne ſupra ſe aliquid ſaperent, ab aliis monentur homines eſſe.

*Cur Ezechiel & Daniel filij hominis appellentur.* Interlin. Theodor. Rupert. Lyran. D. Thom.

Pſalm. 21.

177. Auguſt.

Quartò D. Auguſtinus lib.2. de conſenſ. Euangel. cap.1. *Secundùm carnem,* ait, *Chriſtus filius hominis eſt, quod etiam ſe ipſe ſæpiſſimè appellat, commendans nobis, quòd miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis.* Ita enim appellatur vt ſuam eximiam erga nos miſericordiam declararet; nam cùm eſſet filius Dei, pro nobis factus eſt filius hominis: & vt ſæpiſſimè tantum nobis inculcaret beneficium, frequenter filius hominis voluit nominari, vt ita ad tantæ benignitatis diuinæ memoriam eſſemus maximè adſtricti.

*Beneficiũ Incarnationis maximè gratificandum.*

178. Nazianz.

Quintò D. Gregorius Nazianzenus orat.4. de Theologia, aliàs orat. 36. *Filius autem hominis,* ait, *propter Adamum, ac Virginem, ex quibus extitit, illo nimirum vt generis authore; hac autem vt matre, & iuxta legem, & ſupra legem.* Dicitur ergo filius hominis, id eſt, Adami, & Virginis; per Virginem enim Adami naturam participauerat. Et ideo hoc vocabulo frequenter vtitur, quia maximè deliciabatur, quod tantæ Virginis eſſet filius. Aliter verò rem explicat Theophylactus, vt refert Cornelius à Lapide *in cap. 8. Matth. verſ.20.* Filius hominis, id eſt, Virginis Mariæ matris ſuæ, homo enim communis generis eſt, tamque de fœmina, quàm de viro dicitur. Sed cum hoc repugnat; quod in Græco ponitur vox *homo* cum articulo maſculino, id eſt, hominis viri.

*Delectatur Chriſtus, quod filius Virginis dicatur.* Theophyl. Cornel.

179. Epiphan. Theodor. Hippol.

Sextò D. Epiphanius *aduerſus Noetianos hæreſi 57.* Theodoretus *in cap.7. Danielis,* & S. Hippolytus datus *quæſt.31.num.169.* in ea ſunt ſententia, vt aſſerant filium hominis Chriſtum Dominum dici, vt oſtendat, ſe eſſe eum, quem Prophetæ prædixerunt, humanam naturam eſſe aſſumpturum in remedium generis humani, quem filium hominis iam antiquitus appellarunt, vt *Daniel.7. num.13.* Hoc nomen olim iam ei erat impoſitum, & ideo frequenter illud ſibi aſſumit; & quia per illud etiam ſignificabatur, quòd ipſe tanquam vnus ex hominum filiis de aliorum remedio curam eſſet, & ſolicitudinem habiturus: ſolus enim conſors in natura, aliorum miſeretur. Et ideo notat D. Hieronymus *in cap.2. Ezechiel. verſ. 2.* quòd inter omnes Prophetas Ezechiel, & Daniel dicuntur filij hominis. *Crebrò,* ait, *ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, & ad Danielem raro. Quoniam vterque in perſona eius, qui dixerat: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet: captiuum populum conſolatur, & retrahit ad pœnitentiam.* Duo hi Prophetæ Chriſtum Dominum maximè repræſentabant, quippe qui ſub habitu captiuitatis poſiti, de remedio agebant populi captiui.

*Conſors in natura tui miſeretur.* Hieron.

180. Albert. Mag.

Septimò Albertus Magnus hoc loco ait, quòd Chriſtus Dominus frequenter ſe dicit filium hominis: *quia in hoc paſſus eſt, in quo filius hominis eſt.* Ita gloriatur Chriſtus de ſua paſſione, quòd



conſuetè voluit nomen habere ab humanitate, in qua ſuſtinuit mortem, & paſſionem per quam ad Crucem aſcendit. Vnde eleganter ait D. Drogo de ſacrament. Domin. Paſſionis: *Crux gloria tua, ô Domine qui erubeſcit crucem tuam, erubeſcit gloriam tuam. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri,* ad Galat.6. num.14. Apparet Angelus feſtiua veſte indutus ſanctis mulieribus in ſpendidiſſimi Reſurrectionis diei aurora, & ait eis Marc.16. num.6. *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, non eſt hic.* Nónne ſufficiebat dicere: Ieſum quæritis Dominum meum, non eſt hîc? Ad quid *Crucifixum* dicis? Ad quid cum Reſurrectionis gloria Crucis ignominias coniungis? Conſuetum eſt valde, fœdum, ac parum iucundum, ſi quid detur, in die ſolenni abſcondi, ac è memoria dilabi: quare ergo, ô Angele, Crucis opprobria ante oculos ponis? Chriſti gloriam Angelus declarabat, quæ ſine memorata Cruce manifeſtari nequit, à Cruce enim præcipuè excreuit. D. Cyrillus Ieroſolymit. catecheſ. 13. *Non pudeat,* ait, *Crucem Domini confiteri. Angeli gloriantur, dicentes: Ieſum quæritis crucifixum: Non potuiſti dicere, ô Angele, ſcio quem quæritis, meum Dominum? Sed confidenter dixit: Scio, quòd crucifixum. Corona enim eſt Crux, & non ignominia.*

Drogo. Galat. 6. Marc. 16. *Crux, honor, & gloria noſtra.* Cyrill. Ieroſ.

181.

Ad calcem *cap.25. Matth.* explicat Dominus, quomodo venturus ſit in ſede maieſtatis, magna gloria circundatus, magno Angelorum cœtu comitatus, & tandem quomodo Electi ſui beatitudinis corona ſint donandi. Et ſtatim *cap. 26. num. 1.* immediatè de paſſione ſua ſermonem ſuggerit: *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur.* Sed quo pacto cum magno gloriæ, maieſtatiſque applauſu coniungitur ignominia paſſionis? Nec enim aliter gloria Chriſti, Electorumque beatitudo potuit manifeſtari, niſi admixta ſimul paſſione, eiuſque Cruce. Pulchrè D. Paſchaſius lib.11. in Matth. ad finem. *Ideo priores præmiſerat ſermones de gloria, & claritate aduentus ſui, quos in hoc vno concluſit, in quo proximè ſe venturum in regno cum Angelis ſuis, & in ſede maieſtatis ſuæ ſe ſeſſurum declarat, & continuò ſatis diſpenſatiuè ſe paſſurum in proximo, vt diſcipuli ſacramentum Crucis admixtum eſſe gloriæ æternitatis fideliſſimè cognoſcant.* Vide infrà *quæſt.36.*

Matth. 26. *Gloria Chriſti non ſine Cruce declaratur.* Paſchaſ.

*Ioannis 3.n.4.* Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et quemadmodum extulit Mouſche ſerpentem in deſerto, ita futurum eſt, vt extollatur filius hominis.

*Ex Hebræo multi legunt.* Quia ſicut Moyſes exaltauit, &c.

*D. Auguſt. hîc.* Serpentem in eremo.

*D. Dionyſ. Alex. epiſt. contra Samoſat. q 4.* Sic oportebat exaltari.

*Franciſcus Lucas ex phraſi Hebraica.* Sicut Moyſes poſuit pro ſigno, ſeu vexillo ſerpentem in deſerto, ita oportet poni pro ſigno, ſeu vexillo filium hominis.

## *EXPOSITIO.*

182.

IN præſenti textu prima particula *&*, copulatiua eſt, connectens hanc ſententiam cum ſuperioribus; ideo omnes expoſitores maximè deſudant in huius rei explicatione. Mea ſententia ita eſt. Nicodemus introeundi in regnum Dei, & poſſidendi vitam æternam maximè auidus erat, eum Dominus verbis ſuperioribus arguit, quòd eius dictis, tam circa terreſtria, quàm cœleſtia, non acquieſcat, cùm ei, vtpote in cælo exiſtenti, ea, quæ ibi fiunt, videnti, & agnoſcenti ſit fides maximè danda; & tamen Nicodemus aſſenſum adhuc non præbebat. Nunc Chriſtus Dominus præmium ei proponit; quod in eum credentes ſunt conſecuturi, vt ex propoſito præmio moueatur ad fidem. Ac ſi dicat: Mihi teſti locupletiſſimo cœleſti, ac oculato non credis. Vide, & agnoſce præmium ab in me credentibus obtinendum: quia ego in cruce ſum exaltandus, vt omnis, qui credit in me, habeat vitam æternam, cuius maximè deſiderio flagraris. Si ergo ob meæ diuinæ perſonæ tecum loquentis authoritatem non credis; ſaltem ob promiſſum vitæ æternæ donum, cuius cauſa mors mea in Cruce erit, crede. Et tanquam legis perito ex lege figuram proponit, de qua quæſtione ſequenti, vt ita eum ad fidem ineſcare, & manuducere poſſet. Et occaſionaliter de altiſſimo noſtræ redemptionis eum docet myſterio. Et quia ſuperiori verſu ſummum dixerat, quod dicere poterat, nimirum ſe ita eſſe hominem, vt ſimul Deus eſſet regnans in cælo: ideo omnium infimum, quod dici potuſt, nimirum ſe eſſe crucifigendum, hoc verſiculo aperit. Solebat enim Dominus cum ſummis ſubiungere infima, vt *Matth.16. num.21.* poſtquam diſcipulis ſuis ſe eſſe Deum, & hominem declarauit. ſtatim de paſſione, ac morte ſua ſermonem inſtituit.

*Plus mouet præmiũ, quã magna authoritas.*

*Chriſtus cum infimis glorias cõnectit.*

183. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Albert Mag. D. Thom. Lyran. Rom. 6.

Aliter verò hanc ſententiam cum ſuperioribus connectunt D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, Lyranus. Ex magna connexione, quæ eſt inter Chriſti mortem, & Baptiſmum, iuxta Paul. Roman. 6. num. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Explicauerat Dominus Nicodemo Baptiſmum, ratione cuius mors Chriſti extitit. Alij verò, quibus fauet Simon Caſſianus *lib.10.c.7.* inquiunt, quòd ſubiungitur mors, tanquam motiuum deſcenſus filij hominis. Et ita aliqui Recentiores ex phraſi Hebraica pro copulatiua *&*, ponunt cauſalem *quia*, ſcilicet filius hominis deſcendit. quia oportet eum exaltari, ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem, de qua hiſtoria ſtatim. *Exaltauit.* Ex radice Hebraica legit Franciſcus Lucas: *Poſuit pro ſigno, ſeu vexillo,* id eſt, ſalutis; nam dum ſerpentem ſuſpiciebant, percuſſi ſanabantur. *Oportet exaltari,* non opportunitate ſua, ſed noſtra, vt rectè ait Caſſianus; ac proinde oportet, non neceſſitate abſoluta, ſed ſuppoſito Dei decreto, &

Caſſian. Franc. Luc. Caſſian.

*Chriſtus de hominum iniuria, ſed de noſtra recordabatur ſalute.*

& ordinatione. Et à quibus ſit exaltandus, Dominus non explicat, quia ante oculos eius, non eorum crudelitas, ac iniuria, à quibus crucifigendus erat, ſed generis humani ſalus obuerſabatur, ac remedium.

---

## QVÆSTIO XXXIII.

### *Quare in Chriſti crucifixi figuram ſerpens potius, quàm aliud eligatur animal?*

184. Num. 21.

NOTATA eſt hiſtoria *Num.* 21. *num.* 8. quòd populus Iſraëliticus longi itineris tædio affectus, contra Dominum, & Moyſem eſt oblocutus; quapropter miſit Dominus ignitos in populum ſerpentes, quorum lethali morſu obmurmuratores peribant. Et dicuntur igniti ſerpentes, non quòd eſſent igneæ naturæ, ſed ab effectu, quòd morſu ſuo tantum calorem inducerent, vt ab eis morſi ſibi vri viderentur. Huic tanto malo proſpiciens Deus iuſſit Moyſi, vt faceret ſerpentem æneum, eumque in excelſo ligno, ſiue in pertica pro ſigno poneret, ad quem quicunque à ſerpentibus percuſſus aſpiciebat, non ſolùm viuebat, verùm etiam ſanabatur. Ita ſimiliter, cùm mors per ſerpentem antiquum intraret in mundum, cuius venenoſo morſu omnibus parabatur interitus, pro ſalutis ſigno erectus eſt in Cruce Chriſtus, cuius ſalutifero aſpectu ſani à peccatis mundamur omnes. Quæſtio præſens eſt: Cur ad hanc figuram ſerpens potius eligatur, quàm bos, vel leo, vel quodque aliud animal?

*Cur igniti ſerpentes.*

Chryſoſt. Cyrill. Alexand. Auguſt. Euſeb. Emiſſenus. Theophanes. Euthym. D. Thom. Bonauent. Carthuſ. Lyranus. Rupert. Hugo. Iſai. 53.

Reſpondeo primò cum D. Chryſoſtomo *homil.* 26. D. Cyrillo Alexandrino *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 50. *& lib. de recta fide ad Regin.* D. Auguſtino *ſerm. de verbis Apoſtoli.* Euſebio Emiſſeno *homil. de exaltatione S. Crucis.* Theophane *eadem homil.* Euthymio, S. Thoma, D. Bonauentura, Carthuſiano, Lyrano, Ruperto, Hugone, quòd Chriſtus adumbratur in ſerpente, ſed æneo, & omni veneno carente. Peccator eſt ſerpens venenoſus, & lethalis; Chriſtus D. autem in figura erat, & habitu peccatoris: *Et peccatum ipſe non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, Iſai. 53. *num.* 9. Meritò ergo Chriſtus figuratur per ſerpentem æneum potius, quàm per leonem, vel aquilam quia ſerpens æneus animal venenoſum repræſentabat, & tamen non habebat venenum, nec, mortem, ſed potiùs vitam conferebat.

186. Auguſt.

Secundo D. Auguſtinus tract. 12. in Ioan. *Quis* ait, *eſt ſerpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim à ſerpente mors, per ſerpentis effigiem figurata eſt mors. Morſus ſerpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur ſerpens, vt nihil valeat ſerpens. Attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? mors vitæ.* Per eandem viam, qua morbus eſt ingreſſus, medicamen Deus parat, & remedium. Dum mulier cum ſerpente eſt allocuta, ad eumque attendit, mors in mundum eſt ingreſſa; ideo Dominus ſub figura ſerpentis contra ſerpentem noſtris ſe obiicit oculis, vt dum homines in ſerpente mortis ſuæ originem vident, ſerpens antiquus, qui mortem intulit, nihil valeat, ſed ſerpens nouus attendatur, qui vitam confert. Et ita ait ipſe Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. *Per ſerpentem intelligitur mors, quæ facta eſt à ſerpente in paradiſo.* Dum ergo radix mortis attenditur, & videtur, ſtatim remedium inuenitur. Et ideo ſerpens eleuatur in altum, vt ſuarum iniquitatum cauſam omnes agnoſcant.

*Dum mali origo agnoſcitur remediũ adeſt.*

Auguſt.

187. Beda.

Tertiò Beda in Iob lib. 3. cap. 8. *Cùm,* ait, *ſciamus, Diabolum in Scripturis ſerpentem nominari: quis auderet de Domino ita credere, niſi ipſe in ſe ſerpentis ſimilitudinem verbis propriis expreſſiſſet*, Ioan. 3. *Et ſerpens, id eſt, Diabolus maledictus à Deo eſt, quòd Euam ſeduxit*, Geneſ. 3. *& Chriſtus, Maledictus omnis, qui pendet in ligno, maledictum quippe hominis in ſe ſuſcipiendo, id eſt, eam, quæ ex ſententia Dei venerat, mortem, vt maledictam ſuſpendit in ligno: & inde eſt, quòd pro nobis Chriſtus factus eſt maledictum.* Similiter docent D. Chryſoſtomus *homil.* 26. D. Cæſarius *lib.* 2. *de Paſchate.* D. Ambroſius *lib.* 1. *de Apologia Dauid. cap.* 3. Ait Apoſtolus ad Galat. 3. num. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Inter omnia animantia ſerpens à Deo maledictus: rectè ergo per ſerpentem Chriſtus exprimitur, quia nos redemit factus pro nobis maledictum, id eſt, vt Beda explicat, dum maledictionem, id eſt, mortis ſententiam humano generi inflictam in ſe ſuſcepit, vt vitam donaret. Tunc enim princeps ſuorum conſulit ſaluti, cùm vt ipſi vitam habeant, eorum damnationem, ac mortem in ſe ſuſcipit.

Chryſoſt. Cæſarius. Ambroſ. Galat. 3.

Beda. *Princeps ſuorum ſaluti conſulit, eorum mala in ſe ſuſcipiendo.*

188. Exod. 20. Leuitic. 26. Deut. 5.

Quartò præcepit Deus Moyſi: *Non facies tibi ſculptile*, Exod. 20. num. 4. Leuit. 26. num. 1. Deut. 5. num. 8. Et tamen in deſerto, iubente Deo, Moyſes ſerpentinum ſculptile facit. Ad quid hoc, niſi in typum Chriſti Domini. Nam Diabolus ſerpens antiquus inter ramos arboris apparens genus humanum momordit, in muliereque decepit. Chriſtus in mundum veniens pro nobis veluti ſerpens effectus aduersùs Diabolum, vt ipſum mordeat: *Ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero, inferne*, Oſe. 13. num. 14. Lignum eligit Dominus ſub ſerpentis figura, vt inter arboris ramos ſerpentem antiquum intexens, ipſum deiiciat, atque deuincat. Ait Regius Vates Pſalm. 95. num. 10. *Dominus regnauit à ligno*, vt legunt Septuaginta. Qui enim ſub ſerpentis vicerat figura, ſub eadem vincitur, ac proſternitur: nulla quippe glorioſior victoria, nullus nobilior triumphus, quàm aduerſarij telis aduersùs illum vti, ipſumque iiſdem confodere, & configere. Tertullianus aduersùs Iudæos cap. 10. *Moyſes poſt interdictam omnis rei ſimilitudinem, cur æneum ſerpentem ligno impoſitum pendentis habitu in ſpectaculum Iſraëli ſalutare propoſuit eo tempore, quo à ſerpentibus poſt Idololatriam exterminabantur? Niſi quòd hîc dominicam crucem intendebat, qua ſerpens Diabolus publicabatur, & læſo cuique ab eiuſmodi colubris, id eſt, angelis eius ad delicta peccantium, & ad Chriſti crucis ſacramenta intento ſalus efficiebatur. Nam qui in illam tunc reſpiciebat, à morſu ſerpentium liberabatur. Age nunc, ſi legiſti penes Prophetam in Pſalmis: Dominus regnauit à ligno, ſuperata morte regnauit Chriſtus.* Et latè proſequitur ipſe. Rem breuiter modulatus eſt Diuus Alchimus Archiepiſcopus Viennenſis *lib.* 3. *cap.* 1.

Oſe. 13.

*Glorioſa victoria dum ſuis armis cõfigitur inimicus.* Pſalm. 95.

Tertul.

*Aureus ex alta dum pendens arbore ſerpens,*
*Serpentis veteris morſus, atque omne venenum*
*Elicet, & veterem perimet ſua forma draconem.* Alchimus.

Quintò



189. Tertull. Nazianz.

Quintò. *Serpens* ſignificat Diabolum, vt docent Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem, c.* 18. D. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. *aduersùs Iulianum, & orat.* 2. *in Paſcha*, ait: *Suſpenditur ſerpens, non tamen vt Chriſti pro nobis paſſi typus, verùm vt antipatus, id eſt, contraria figura.* Et Elias *in commentariis, ibidem.* D. Ambroſius *ſermone* 55. *Serpens* etiam ſignificat peccatum, vt docent idem D. Ambroſius *citatus*, & Rofinus *in expoſitione ſymboli.* Theophanes *homil. de exaltat.* Cæſarius Arelatenſis *homil.* 2. *de Paſchate.* Albertus Magnus *hîc*, & alij. Meritò ergo Chriſtus Dominus vitam largiens mundo, ſub ſerpentis figura repræſentatur: nam, vt ait D. Auguſtinus in Epiſtol. ad Galat. *Chriſtus de peccato damnauit peccatum, & de ſerpente ſerpentem ſuperauit.* Chriſtus ſub habitu peccatoris damnauit peccatum. Et ſicut ſerpens cauda, amplexuque ſuo hominem ligat, ne ampliùs moueri poſſit: ita Chriſtus manuum, pedumque ſuorum clauis, quibus eſt confixus, Diabolum confixit, atque ligauit, vt docent D. Leo ſermone 10. de Paſſione: *Exaltatus,* inquit, *Chriſtus in ligno retorſit mortem in mortis authorem. Claui illi Diabolum perpetuis fixere vulneribus.* Petrus Damianus ſermone de Cruce: *Ex vna parte crucis fixus eſt Chriſtus, ex alia dæmon.* Origenes homil. 8. in Ioſue, *Viſibiliter quidem,* ait, *filius Dei in carne crucifixus eſt: inuiſibiliter verò in ea cruce Diabolus cum principatibus ſuis affixus eſt.* Si ergo in Chriſto Domino peccatum eſt damnatum, & Diabolus virtute crucis Chriſti ligatus, nihil timendum, aut formidandum reſtat.

Elias. Ambroſ. Rofinus. Theophan. Cæſ. Arel. Albert. Mag.

*Serpens Diabolum & peccatum ſignificat.*

Auguſt.

*Peccatum, & Diabolus in cruce eſt affixus, & non formidandus.*

Leo.

Petr. Dam. Origen.

190. Hugo. *Per anguſtiam ad gloriam itur.*

Sextò. Hugo ait: Serpens veterem pellem per arctum foramen deponit, vt nouam accipiat; ſic Chriſtus per anguſtiam paſſionis depoſita pelle mortalitatis recepit ſtolam immortalitatis. Septimò. Albertus Magnus: *Figura ſerpentis eligitur*, inquit, *quia ſerpens præ omnibus aliis caput habet mobile; ita etiam quo directè à tergo reſpicit; & hoc ſibi natura dedit, vt poſſit poſt ſe occaſiones accidentes ſuo longo corpore reſpicere; & ſic per circunſpectionem dicitur prudens animal.* Bene ergo Chriſto Domino aſſimilatur; Chriſtus Dominus enim totam ſui myſtici corporis longitudinem maximè circunſpicit, & ab omni malo emergente, ac occaſione, inſidiante cuſtodit. Ita notat Hugo, quòd ſerpens oua ſua cum magna diligentia cuſtodit; cùm tamen non indigeant, quòd foueantur, & tamen iuxta ea, ne ab aliquo lædantur, ferè ſemper eſt: ita Chriſtus Dominus ſuos non derelinquit, ſed ſemper viſitat, ac cuſtodit.

Albert. Mag.

*Chriſtus, vt verus præſul totum ſuum corpus circumſpicit.* Hugo.

191. *Per Chriſtum datur remedium contra peccati venenum,*

Octauò. Idem Albertus Magnus notat, quòd in lege multa animalia offerebantur; tamen ad figuram Chriſti Domini ſerpens valde conueniens; nam ſerpens animal venenoſum, qui dum mordet, enecat; tamẽ infectio veneni curatur per theriacam, quæ ſumitur de ſerpente, hoc eſt, de carnibus, oſſibus, & humore ſerpentis. Et ſicut eſt ſerpens venenans; ita eſt ſerpens venena curans. Ac proinde ſicut primus ſerpens Diabolus venenum peccati intulit mundo; ita per ſecundum ſerpentem in ara crucis paratur theriaca, ac remedium, per quod excluditur peſtiferum venenum antiqui ſerpentis.

192.

Dum Cœna Domini peragitur, magnaque myſteria celebrantur, Diabolus poſſeſſum habebat cor Iudæ, vt Ieſum traderet Iudæis, *Ioan.* 13. *num.* 2. Cùm verò, vt Pilatus in Chriſtum Dominum mortis ſententiam ferret, tempus iam aduentaret: *Miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Matth. 27. numero 19. Mulier, inſtimulante Diabolo, viro ſuo hæc mandauit, vt eſt concors Patrum ſententia. Sed vnde in Satana hæc tam ſubita mutatio; antea enim omnes vires adhibebat, vt Chriſtus morti traderetur; nunc verò capitalem ſententiam à Chriſto Domino auertere, omni conatu affectat. Quænam huius rei cauſa? Vbi Diabolus, crucem Domini parari, audiuit, ſtatim ſalutiferum remedium, ac antidotum contra peſtiferum ſuum venenum horret, & pertimeſcit. Eleganter D. Ignatius Epiſtol. ad Polycarp. *Cùm paranda eſſet crux,* ait, *Diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immiſit proditori, & mulierculam turbans in ſomnis, vt à crucifixione ceſſarent, inducere moliebatur, ſuam ipſius perniciem ſentiebat.* Vocabulum crucis pectus Diaboli concutiebat, iamque ea tota eius peſtifera malignitas infirmabatur, & in interitum ibat.

Matth. 27.

*Diabolus timet crucem.*

Ignat.

*Per crucem venenũ Diaboli euacuatur.*

193. Theodor.

Pulchrè Theodoretus *in* 4. *Regum quæſt.* 9. vocat in dubium, quòd cùm populus per deſertum iter faceret, & aquarum penuria maximè laboraret, ad locumque, vbi aquæ erant valde amaræ, deueniret, *Clamauit Moyſes ad Dominum. & oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem ſunt verſæ*, Exod. 15. num. 25. At cùm in Iericho aquæ eſſent peſſimæ, parumque ſalutiferæ, vt eas parens Eliſæus dulceſceret, ac melioraret, dixit: *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal: quod cùm attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neque ſterilitas: & ſanatæ ſunt aquæ*, 4. Regum 2. num. 20. Ecce ſub Moyſe, & Eliſæo aquæ ſuaueſcunt, ac ſalubres redduntur; magna tamen differentia: nam Moyſes vbi primum lignum iniecit, ſtatim nulla alia adhibita re magnas aquæ ſapori delicias præſtat; at non parua exigitur diligentia, vt fluenta Eliſæus ſalutifera faciat; vas petitur nouum, reconditur in illo ſal, poſtea in aquas diſpergitur, & iuſſio, ac verbum Domini ſimul iniungitur: *Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has.* Sed cur, quæſo, ſub Moyſe illico, & ſine cunctatione; ſub Eliſæo verò multis mediis interpoſitis, & magno temporis ſpatio interiecto? Lignum, vt Patres agnoſcunt, crucem Domini præſignabat; in Eliſæi autem diligentia latent myſteria multa. In aqua præfigurabatur Baptiſmus; in ſale prudentia doctrinæ; in iuſſione efficacia verbi Dei. Et tamen aquæ illic ſtatim dulceſcunt, hîc verò tanta mora; plus enim valuit ad venenoſam amaritudinem excludendam ſalutiferi ligni remedium, quàm multa ſimul ſacramenta conglomerata, atque myſteria: & ideo vbi attingit aquas diuinum ligni antidotum, ſtatim venenum amaritudinis, tanquam à ſuo immediato contrario fugit, ac diſparet. Theodoretus ad locum Exodi. *Hoc itaque factum, ait, declarat, quod ſalutare crucis lignum, amarum illud gentium mare, dulciſſimum reddidit.* Crux Domini totius expulſio mali, eſtque omnis felicitatis largitio. Rabanus de laude crucis: *Tu ſancta Crux peccatorum es remiſſio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, deſperatorum ſecuritas, infortunatorum felicitas.*

Exod. 15.

4. Reg. 2.

*Plus valet crux ad peccatum excludendum, quàm multa alia myſteria.*

Teodor.

*Crux omne bonum.* Rabanus.





Et

*Laurent.*

Et D. Laurentius Nouar. *homil. de Pœnitent*, ait, quòd *Crux eſt arbor optabilis ſalubri medicamine plena.*

## QVÆSTIO XXXIV.

### *Quare ſerpens in figuram Chriſti erectus æneus erat potius, quàm ligneus, vel alterius materiæ?*

194. MOYSES ex Dei iuſſione fecit ſerpentem æneum, & qui à ſerpentibus ignitis morſus aſpiciebat eum, ſanus vita ſeruabatur, *Numer.* 21. *num.* 9. Non quòd ſerpens aliquam eos curandi naturalem vim haberet, vt latè probat Abulenſis *citato cap. Numer. quæſt.* 9. hoc enim erat impoſſibile. Sed Deus eo ſigno viſo miraculosè curabat. Cur autem hic ſerpens fuerit potius æneus, quàm ligneus, vel aureus, vel ex alia materia? quæſtio eſt, quam excitat D. Auguſtinus *ſermone* 101. *de tempore.* Et omnes fatentur, vt teſtatur Abulenſis, hoc factum fuiſſe in figuram Chriſti Domini, quam ſerpens ille repræſentabat.

*Abulenſ. — Auguſt. Abulenſ.*

195. Reſpondent primò D. Auguſtinus *citato loco.* D. Iſidorus *in Numer. cap.* 19. quòd æs inter omnia metalla duriſſimum eſt, incorruptibile, & quaſi æternum; aptè ergo ſerpens æneus in ligno ſuſpenſus eſt, *vt Dominus in ſerpente mortuus, & in ære ſignificaretur æternus*, vt ait D. Iſidorus. Secundò Rupertus. Æs non inficitur rubigine, quæ ſolet ferrum corrodere; ita Chriſtus Dominus nullam habuit rubiginem peccati, nec defectus. Tertiò, vt ait Hugo, Æs non eſt naturæ vnius metalli, ſed diuerſæ naturæ in vnum coniunctæ; & hoc conuenit Chriſto, qui eſt gigas geminæ ſubſtantiæ. Quartò. Duriſſimum æs Chriſti patientiam exprimit, qui in paſſione corpus ſuum pro nobis veluti duriſſimum æs omnibus cruciatibus expoſuit; & ita dicebat Iob 6. n. 12. *Nec caro mea ænea eſt*, quia tot tormentis anxiabatur maximè; nam vtpote homo, corpus eius ad tanta ſufferenda carneum, & non æneum erat. Quintò ait Hugo: Æs non poteſt domari tunſionibus malleorum, ſed potiùs expoliri valet; indicat fortitudinem Chriſti in paſſione, quæ tot preſſuris flecti non potuit, ſed potiùs condecorari. Iſai. 63. num. 1. *Quis iſte, qui venit de Edon, tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua.*

*Auguſt. Iſidor. Chriſti immortalitas eſt æternitas. — Rupert. Chriſtus ſine peccato. — Hugo. Duplex Chriſti natura. Chriſti in paſſione patientia. — Iob. 6. — Hugo. Chriſti fortitudo in paſſione. — Iſai. 63.*

196. Sextò Euthymius. *Erat ſerpens æneus durus figura corporis Chriſti duri, ac ſeueri contra peccatum.* Dicebat Deus Ieremiæ 1. num. 18. *Dedi te in ciuitatem munitam, in columnam ferream, & in murum æneum; & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum.* Ita peccatores contra Chriſtum congregati non præualuere, imò potiùs virtute Chriſti omnes diſſipati, & conſumpti ſunt. Septimò. Vbi nos habemus, *Fac ſerpentem æneum*; in Hebræo eſt, *ſerpentem ſeraphim*, hoc eſt, ignitum; *ſeraphim* enim idem eſt, ac incenſus amore. Significabat ergo ſerpens ignitus eximiam Chriſti charitatem, qua in cruce noſtri eſt incenſus amore, & veluti verus Phœnix igne inflammatus. Ideo Chriſtus ſtatim ſubdit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Octauò. Æs igne ex duplici conflatur metallo; ita ineffabile Chriſti compoſitum igne charitatis ex duplici natura, humana, & diuina conflatum eſt in vnitate ſuppoſiti.

*Euthym. Chriſtus durus contra peccatum. — Ierem. 1. — Chriſtus in cruce noſtri amore inflãmatus.*

197. Nonò D. Auguſtinus *ſermone citato* 101. *de tempore.* Albertus Magnus, Carthuſianus & alij. Æs inter omnia metalla eſt valde ſonorum, & maximè in longinquum ſe facit audiri; & ſignificat ſonum illum, qui de cruce Chriſti in totum terrarum orbem exiuit: nam Chriſtus in cruce pendens clamauit clamore magno, & valido, *ad Hebr.* 5. *num.* 7. Et crux fuit veluti cymbalum, cuius magno ſonitu totum Chriſtus Dominus adimpleuit orbem, ac vt verus magiſter alta voce docuit è ſuggeſtu. Ion. Aurelianenſis *lib.* 1. *de cultu imaginum*, ait, quòd crux fuit annuntiatio Apoſtolorum, quæ inſonuit in toto terrarum orbe; qui enim veluti obturatis auribus ſurdeſcebant, nec magna audire, nec conſequi poterant, forma crucis reſonante, ad ea præparantur, eaque percipere, ac penetrare valent.

*Auguſt. Alber. Mag. Carthuſ. — Aurel. — Crux per totum orbem maximum ſonum dedit.*

198. Celebrata Cœna, inſtitutáque Euchariſtia ſacra, ac diſcipulis data, Dominus eis in ſermone ſuo multa myſteria pandit; ac tandem ait: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*, Ioan. 16. num. 12. Si diſcipuli inter tot myſteria, ac ſacra Euchariſtia roborati, illa audire, & portare non poſſunt, quando erit tempus? Cùm Dominus crucem aſcenderit; ipſa enim crux magnum ſonitum excitauit in orbe, magnam vim habet, vt obſtacula remoueat, aperiat aures, intellectum acuat, omniumque eruditionem præſtet. Didymus lib. de Spiritu ſancto. *Hoc dicit*, inquit, *quòd auditores verborum eius nondum fuerant omnia conſecuti, ſed aliqua tradens eis, ea quæ maiora erant, in poſterum diſtulit, quæ tunc non poterant, niſi primitus in capite noſtro magiſterium, & forma crucis præiret.* In cœna tot inter ſacramenta, profundaque myſteria, magna eis reuelantur, ſed multo maiora reſeruantur in poſterum, vt forma crucis duce audiant, atque percipiant.

*Ioan. 16. — Didymus. — Duce ſancta Cruce myſteria percipiũtur altiſſima.*

## QVÆSTIO XXXV.

### *Quare potiùs adducitur ſerpentis figura in deſerto, cùm alia multa eſſent in lege veteri, quæ Chriſti paſſionem exprimebant?*

199. MVLTA erant in lege, quæ Chriſti paſſionem repræſentabant, vt Abrahæ ſacrificium, Agnus Paſchalis, & ad hanc figuram pertinebant holocauſta antiqua, & alia multa. Cur ergo inter tanta typus ſerpentis exaltati in deſerto eligitur?

200. Reſpondeo primò, quòd merito ſerpens exaltatus in deſerto hîc producitur inter omnes alias figuras; quia incarnationem, aduentum, vitam, ac Chriſti paſſionem, & peccatorum remiſſionem per eum datam maximè adumbrabat. Serpens erat æneus: æs autem, vt notat Rupertus, fit, non ferro cædente, ſed igne conflante; ita Deus, & homo, non præciſo ſemine humano, ſed

*Solutio quæſtionis. — Rupert.*



*Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus. — Cyril.*

ſed igne Spiritus ſancti operante conceptus eſt. Secundò, vt ait D. Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 50. Illud ſimulachrum apparebat ſerpens, & erat ſimile ſerpenti, ſed verè non erat; ita Chriſtus venit in ſimilitudinem carnis peccati, *ad Roman.* 8. *numero* 3. & in veritate non erat peccator. Tertiò. Serpens iuſſus eſt poni pro ſigno, ſcilicet ſalutis, credentibus; nam increduli non ſanabantur; ita Chriſtus Dominus, vt dixit Simeon Luc. 2. num. 34. *Poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur.* Et huic ſigno maximè contradictum eſt à Iudæis dicentibus, illum eſſe maleficum, dæmoniacum, & ſeductorem. Quartò. Serpens valde contemptibilis, & execrabilis ab omnibus reputatur; ita omnes, vt teſtatur D. Epiphanius hæreſi 37. *Inſtar ſerpentis Dominum Saluatorem ignominia afficiebant.*

*Chriſtus poſitus pro ſigno ſalutis. — Luc. 2. — Epiphan.*

201. Quintò, vt notat D. Auguſtinus *lib.* 1. *de peccat. merit. & remiſſ. cap.* 32. Serpens exaltatus eſt in ligno, vt facile à veneno infectis videri poſſet; ſic Chriſtus exaltatus eſt in ligno, vt omnes ad ipſum oculos leuemus, & ita vitam conſequi valeamus. Sextò, vt aduertit Hugo, ſerpens exaltatus eſt in deſerto, id eſt, Chriſtus crucifixus eſt in patibulo, vbi deſertus fuit à mundo, ab amicis, & etiam quodammodo videtur deſertus à Patre. Iſai. 63. num. 3. *Torcular calcaui ſolus.* Iob. 6. num. 13. *Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me.* Matth. 27. num. 46. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Septimò, vt notant omnes Patres. Qui morſu à ſerpentibus ignitis erant venenati, aſpicientes ſerpentem æneum ſanabantur; qui verò eum contemnebant, ignito morbo, hoc eſt, vehementiſſimo calore interibant. Morſus ſerpentum, peccata ſunt, quibus plagatum eſt genus humanum ab antiquo ſerpente diabolo. Qui ergo in Chriſtum crucifixum credunt, à peccatis liberantur, & vitam conſequuntur æternam; qui verò non credunt, pereunt, & gehennali igne torquentur. Octauò. In ſerpente mors Chriſti figurabatur, in ære eius æternitas, vt dixi *ſuperiori quæſt.* Nonò. In eodem ſerpente æneo, ſeu ignito, ignea Chriſti charitas adumbratur, vt dixi *eadem quæſt.* Ergo quamuis aliæ eſſent figuræ, quæ vnam, vel alteram actionem paſſionis Chriſti repræſentabant; tamen ſerpens omnia maximè exprimebat, ſcilicet paſſionem, cauſam patientis, & conditiones eius, & fructum ipſius, & quomodo illius participes ſimus.

*Auguſt. Dum Chriſtum aſpicimus, viuimus. — Hugo. Chriſtus in cruce deſertus à ſuis. — Iſai. 63. — Iob 6. — Matth. 27. — Aſpectu Chriſti à peccati morſu liberamur.*

202. Secundò principaliter ad quæſtionem. Typus ſerpentis hîc ad intentum Chriſti Domini aptus maximè erat; nam ipſe Nicodemo indicare intendebat, ad vitam æternam conſequendam hominibus eſſe neceſſarium, vt in ipſum crederent. Ergo ad præſens nulla erat aptior figura, quàm ſerpentis; ſicut enim illis, qui morſi à ſerpentibus erant, ad vitam obtinendam opus erat, vt æneum ſerpentem intuerentur; ita exigitur à nobis lethaliter à diabolo vulneratis, vt ad Chriſtum oculos ſubleuemus. Et tacitè Dominus occurrit obiectioni, vt notat D. Chryſoſtomus *homil.* 26. Ne quiſpiam diceret: Quomodo poſſunt credentes in Crucifixum ſalui fieri, cùm ſe à morte non liberauerit? Nam ſi ſerpens æneus, res inanimata, & vita carens, ex Dei virtute potuit vitam conferre; quanto maiori fruentur beneficio, qui in Crucifixum credunt?

*Chriſtus dat vitam æternam. — Chryſoſt.*

203. Tertiò D. Petrus Chryſologus ſermone 55. *Iudæus, ait, in ſerpente videbat Chriſtum, quia impius oculus Deum videre non poteſt; non poteſt videre pietatem.* Loquebatur Dominus Nicodemo, & in eo, vt ſæpe diximus, cum omnibus Iudæis, & illis ſe exhibet, ac oſtendit ſub ſpecie ſerpentis, qui maximè terrificat, ac horrorem incutit; nihil enim pietatis, ac miſericordiæ impius in Chriſto videt, ſed tantùm ſupplicium, vt ab eo damnetur, ac in æternum crucietur.

*Chryſolog. — Impius in Chriſto, non miſericordiã, ſed iuſtitiam videt.*

204. Quartò, vt obcæcatam Nicodemi mentem illuminaret Dominus, caliginemque ab ea depelleret, figuram hanc ſerpentis in ligno exaltati adducit in medium, quia in ea ſanctæ Crucis virtus maximè exprimebatur, quæ potenter tenebras diſſipat, ſupernorum myſteriorum lumen, ac eruditionem diffundit, & omnis Chriſtianæ ſapientiæ communicat magiſterium. Ait Iſaias cap. 13. num. 2. *Super montem caliginoſum leuate ſignum: ſeu ſuper montem tenebroſum*, vt vult D. Hieronymus. Signum illud eleuari iuſſum inter caligines, & tenebras, crux eſt victoriæ noſtri Saluatoris vexillum, vt tenet Gloſſa Interlinealis, & Moralis. Sed cur tam præclarum ſignum, tanti triumphi monumentum, non inter Solem, & Lunam, non inter lucidiſſima ſydera, non inter candelabra aurea erigitur, vt ab omnibus intueri valeat, ſed inter denſiſſimas caligines figitur? Optimè ſanè Deus multus in miſericordia omnibus prouidens, hoc ſignum ſalutiferum dedit ad diſſipandas omnes ignorantiæ, ac errorum tenebras; nam vbi crux apparet, ſtatim omnes vitiorum caligines, excutiuntur, ac fugiunt. D. Aëlredus citatus à Tilmanno in allegor. *Super montem, inquit, caliginoſum vexillum crucis extollitur, vt ſua virtute mundi potentiam premat.* Maximè autem premitur potentia mundi, dum eius falſa dogmata refutantur.

*Crux nos illuminat, ac docet. — Iſai. 13. — Hieron. — Gloſſa. — Aëlred.*

205. Ait Regius Vates Pſalm. 4. num. 6. *Multi dicunt: Quis oſtendet nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde.* Inter inſurgentia vndique mala, ac mundanas varietates multi de veris acquirendis bonis ſollicitos ſe exhibent; & ita legit Pagninus: *Quis videre nos faciet bonum?* Ad quod reſpondent Iuſti: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*, ſeu, vt ex Hebræo legunt Author Catenæ, & Genebrardus: *Signum, ſeu vexillum lumen vultus tui ſuper nos.* Signum, ſeu vexillum Dei, eſt maximum, & præclariſſimum lumen, hoc enim indicat verbum, *vultus*, ſeu *faciei tuæ*; hoc quippe lumine eruditi nos in beatitudinem, omniumque bonorum cumulum conuolauimus. Sed quodnam eſt vexillum, ſeu lumen hoc ſuper nos ſignatum? Nullum aliud, niſi ſanctæ Crucis ſignum oculos noſtros aperiens, & in ſupremam felicitatem nos deducens. Caſſiodorus ibi: *In crucis impreſſione lumen eſt vultus Dei, quia in eis ſemper noſcitur radiare, qui ſe non aliqua eligunt prauitate polluere; ſicut dicit Apoſtolus: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Et idem habet Theophanes *orat. de Exaltatione S. Crucis.*

*Pſalm. 4. — Pagnin. — Author Cat. Genebrard. — Crux nos illuminans. — Caſſiod. — Theophan.*

## Qvæstio XXXVI.

### *Quare Dominus crucifixionem ſuam, non ſuſpendium, ſed exaltationem appellet?*

206. Ioan. 8. & 12.
Carthuſ.
*Deus condecorat omnia.*
Gen. 40. & 41.

SÆPE Dominus crucem ſuam, exaltationem appellauit. Ioan. 8. n. 28. *Cùm exaltaueritis filiũ hominis, tunc cognoſcetis, quia ego sũ.* Et c. 12. n. 32. *Ego ſi exaltatus fuero à terra.* Et propriè *crux* dicitur exaltatio; quia vt rectè obſeruat Carthuſianus, in cruce exaltatus eſt Chriſtus à terra in aëre, vt ſanctificaret aërem, qui deambulando ſanctificauerat terram, in Baptiſmo aquas, ignem in die Pẽtecoſtes, vt omnia elementa condecorarentur. Tamen ad rem noſtram ſuam in crucem aſcenſionẽ appellat exaltationem; cùm tamen communi vocabulo, qui in cruce vitam finiebant, dicantur crucifigi, ſuſpendi, poni in cruce. Geneſ. 40. n. 19. *Suſpẽdet te in cruce,* & Gen. 41. n. 13. *Ioſue* 8. *n.* 29. *Eſther* 8. *n.* 7. *& c.* 9. *n.* 25. Quare ergo Dominus, dũ de patibulo ſuo loquitur, exaltationẽ appellat?

207. Chryſoſt. Albert. Mag. Bonauent.
*Auditorum imbecillitati accommodãdum.*
Chryſoſt.
Auguſt.

Reſpondent primò D. Chryſoſtomus *hom.* 26. Albertus magnus, D. Bonauentura, quòd crux, ſeu ſuſpendium videbatur ſonare horrorem, ſeu quid valde pro eo tempore durum: exaltatio autem ſonat effectus crucis cum honeſtate, quia crux exaltat. Et ne horreret Nicodemus, adhuc in fide puſillus, voce exaltationis Dominus ſermonem molliuit. Magiſter audientium imbecillitati condeſcendat. Vide ſuprà hoc cap. *num.* 74. Secundò, vt notat D. Chryſoſtomus citatus, ipſa vox *exaltationis* habebat conuenientiam, & proportionem cum figura ipſa de ſerpente exaltatio; & vocibus accommodatis cum rebus vtendum eſt. Tertiò. D. Auguſtinus *ſerm.* 14. *de verbis Apoſtoli.* In eo ſtat vita noſtra, vt ad Chriſtum crucifixum attendamus. Vt ergo promptè, & expeditè, & ſine vllo impedimento ad eum valeamus oculos noſtros erigere, ac eum videre, & conſiderare, ſe dicit in cruce exaltatum, vt ad eum attendendo viuamus, & non pereamus. Et ad hoc adducit figuram de ſerpente exaltato in deſerto, qui ideo eleuatus eſt in altum, vt eum aſpicerent Iſraëlitæ, ac ſanarentur.

208. D. Thom.
Pſalm. 109.
*Chriſtus in cruce de inimicis triumphauit.*
Caietan.
*Meritum exaltat.*
Carthuſ.
*Obedientia extullit.*
Carthuſ.
*Deus bonum noſtrum reputat ſuum.*

Quartò. D. Thomas. In morte crucis fuit Chriſtus exaltatus, in quantum ibi de inimicis triumphauit; vnde mors eius vocatur exaltatio. Pſalm. 109. n. 7. *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* Quintò. Caietanus. *Crucifixi exaltabantur, pro quanto eleuati à terra in cruee pendebant. Verùm Ieſus myſterium intendit ſignificare exaltationis quoad meritum, quoniam ex morte crucis meruit exaltari.* Cùm enim in cruce noſtræ redemptionis meritum fuerit conſtitutum, dicitur Chriſtus ibi exaltari; quia per meritum maximè exaltamur. Sextò. Carthuſianus. *Dicitur Chriſtus exaltari in cruce, quia per paſſionem maximè honorauit Deum Patrem obediendo ei vſque ad mortem.* Per obedientiam extollitur homo; & Chriſtus dum obedit, dicitur exaltari factus obediens vſque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum. Septimò. Idem Carthuſ. *Per ſuam mortem exaltauit genus humanum, reducendo illud ad regnum cælorum.* Et ideo dicit ſe exaltari; nam noſtram exaltationem, ſuam reputat; & quia per crucem nos omnes exaltamur, ideo ſe exaltari dicit.

209. Lactant.
*Vbi crux apparuit, ad Chriſtũ gentes confluunt omnes.*
Luc. 14.
Matth. 16.
Chryſoſt.

Octauò. Lactantius lib. 4. c. 26. *Nam vt is,* ait, *qui in cruce ſuſpenditur, conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior; idcirco pro Chriſti morte crux potius, quàm aliud inſtrumentum, electa eſt; vt ſignaret, illum tam conſpicuum futurum, vt cunctæ nationes ex totius orbis partibus ad eius fidem amplexandam concurrerent.* In cruce exaltatur Dominus, vt omnibus eſſet conſpicuus nationibus, ad eumque confluerent omnes; cruce enim præpoſita omnes ad eum cucurrere. Inuitatis ad cœnam venire nolentibus, ait Dominus ſeruo ſuo: *Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea,* Luc. 14. n. 23. Poſtea verò cùm vexillum crucis oſtendit, ait: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me,* Matth. 16. n. 24. Illic compelluntur, hîc verò eorum relinquitur libertati, *ſi quis vult?* Dominus crucem ſuam ferens præibat, & vbi crux oſtendebatur, voluntarij, & nemine compellente currere debebant omnes. D. Chryſoſtomus homil. 56. in Matth. *Perpende,* ait, *quomodo nullo pacto cogit oratio: non enim dixit, oportere ipſos pati, vellent, nollent. Sed quid? Si quis, ait, poſt me venire vult, non impello, non vrgeo, ſed liberam ſingulorum voluntatem efficiens dico: Si quis vult, ad ineffabilia bona conuoco, quorum ea eſt natura, vt facile per ſe ipſam eos inuitare poſſit.*

210.
Iob 7.
Albert. Mag.
*Deus mirabilia ſua verbis cõtrahit, homo, quæ agit, extollit.*
Deut. 32.
Exod. 13.
Exod. 4.
Num. 11.

Nonò. Dominus de morte, ac cruce ſua loquens eam exaltationem appellat; Iob verò *c.* 7. *n.* 15. de calamitatibus, cruciatibuſque ſuis agens ait: *Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea;* cùm tamen crucem ipſe non ſubiret, licèt duriſſimas preſſuras ſuſtineret. Quod ponderans Albertus Magnus hîc ait: *Dominus dixit* exaltari *pro* ſuſpendi; *Iob autem ſpiritualis amplectens crucis ſupplicium, & opprobrium, poſuit verbum* ſuſpenſionis. Dominus re vera crucem amplectens exaltationem vocat; Iob in figura crucem ſuſtinens, dicit ſuſpendium: quia Dominus præ nimio amoris æſtu, dum pro nobis vitam exhalat, operaturque mirabilia, verbis emollit, & vt minora dicit; homines verò, quæ pro Deo patiuntur, ac perpetrant, ſemper vt maiora ſubleuant, ac magnis vocibus exaltant. Tulit Dominus Iſraël de Ægypto, *& cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, & ſicut aquila expandens alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis,* Deuter. 32. num. 11. Et tamen, dum hæc narrat diuinus Spiritus, ait quòd *Dominus præcedebat ad oſtendendam viam,* Exod. 13. num. 21. *oſtendens quid agere debebant,* Exod. 4. num. 15. Econtra verò Moyſes, cùm tantùm dux populi eſſet, de ſe ait: *Nunquid ego genui hanc multitudinem, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulnm,* Numer. 11. num. 12. Quid hæc? Moraliter dicam, Iſte, vt homo, mandata Dei exequens, verbis amplificat; Dominus, vt diues in miſericordia, multa operans, verbis contrahit, & vt minora diuulgat.

211. Ephrem.

Decimò. Dicit, ſe exaltari, quia per crucem ſuam meruit ſuam exaltationem, magnitudinem nominis, creaturarum prælationem, glorificationem corporis. D. Ephem de Pœnitentia: *Exaltationem,* ait, *appellat crucem, declarans ſuam aduersùs draconem victoriam. Exaltationem vocat crucem ſuam, denuncians reſurrectionem. Exaltationem crucem nuncupat, ſignificans ſuam poſtea in*



Ammon.
Matth. 28.
Anaſtaſ.
*Crux recognoſcitur, vt author gloriæ Chriſti.*

*in cælos aſcenſionem.* Et ita ait Ammonius in Catena Græca: *Chriſtum eleuari, idem eſt, ac conſpicuum, illuſtremque fieri.* Omnis enim gloria, ac exaltatio Domini à cruce eſt. Poſt ſuam reſurrectionem Chriſtus diſcipulis ſuis dicebat Matth. 28. num. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Sed qui vnigenitus Dei filius erat, quomodo ei dicitur data poteſtas? & quomodo eam accepit? D. Anaſtaſius Sinaita lib. 4. de rectis fidei dogmatibus, *Data eſt,* ait, *mihi omnis poteſtas in cælo, ac in terra; ac ſi manifeſtè diceret, authorem gloriæ iſtius crucem eſſe.* Qui antea de ſe dicebat, quòd non habebat, vbi caput ſuum reclinaret; poſtquam ad crucem aſcendit, datam ſibi poteſtatem patenter diuulgat, vt crux author agnoſcatur illius.

212.
Ezech. 2.
Ioan. 12.
*Vera gloria Chriſti in cruce.*
Gregor.

In ſuo celebri curru vidit Ezechiel Dominum magna gloria circundatum, multis luminibus coruſcantem, & Angelis adſtantibus ad famulatum. Et ait Propheta cap. 2. num. 1. *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini.* At cùm Dominus multis iam editis miraculis, ad paſſionem ſuam properans de ſua in cruce exaltatione habuiſſet ſermonem, *Ioan.* 12. *num.* 32. ait diuinus Euangeliſta: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius,* Ioan. 12. num. 41. Sed iam examinandum eſt, quomodo in tam triumphali machina, tanto applauſu prodeunte, dicatur videri ſimilitudo gloriæ; at cùm ad paſſionis ignominiam accedit, ipſammet gloriam ab Iſaia conſpici aſſeueratur? De paſſione ſua, ac in cruce exaltatione ſermo erat, ideo ibi tota maieſtas. In cœleſti maieſtate ſimilitudo gloriæ; at in cruce vera gloria. D. Gregorius Magnus homil. 8. in Ezechielem, prope finem: *Non deſpicienda,* ait, *nobis quæſtio oritur: Quomodo Ioannes Euangeliſta, cùm erga miracula Redemptoris noſtri Iudæorum perfidiam deſcripſiſſet, adiungit, dicens: Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. Et ſi Ezechiel vidit, quid eſt, quod iſte ſimilitudinem gloriæ, & ille eius gloriam vidiſſe deſcribitur? Sed cùm Ioannes Euangeliſta prius miracula Redemptoris noſtri narrauit, atque infidelitatem Iudæorum, poſtmodum ſubdit, hanc eiuſdem Redemptoris gloriam, quæ in mundo apparuit, Iſaiam vidiſſe manifeſtat.* Ex infidelitate Iudæorum, per quam crux ei fuit præparata, illataque mors, eius gloria maximè reſplenduit. Vide ſuprà *quæſt.* 32. *n.* 176. *&* 177.

## Qvæstio XXXVII.

### *Quare Dominus cum Nicodemo de paſſione ſua, non manifeſtè, ſed per figuram loquatur?*

213. CONVENIENS fuit, vt cum Nicodemo de cruce, & morte ſua Dominus ageret; in quæſtionem maximè vertitur, cur hoc non clarè, & apertè, ſed per figuram ex lege ſit actum? Et ad hoc

214. Cyrill.
Ioan. 5.
*Noua ſuſpicione plena.*

Reſpondet primò D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *cap.* 50. Per hoc enim voluit Nicodemo indicare, quanta ei fides in omnibus deberetur; quia nihil nouum, & inauditum inueniretur in ipſo, ſed tantùm id, quod continebatur in Scriptura, in figuris, ac Prophetis. Et ait ita S. Pater: *Hiſtoriæ inquiſitionem, labenteſque in ea figuras rimari, hortatur; ac illud quaſi rurſus inculcat: Scrutamini Scripturas, quia ipſæ teſtimonium perhibent de me.* Ioan. 5. num. 39. Figura ex lege ſuam mortem declarat, vt eum ad fidem trahat, nam nouitas ſuſpicione eſt plena. Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 77.

215. Albert. Mag. Bonauent.
Chryſoſt. Euthym.
*Ob noua non ſunt contemnẽda vetera.*
Chryſoſt.

Secundò. Albertus Magnus, D. Bonauentura. Figuram ex Scriptura deſumptam proponit Dominus Nicodemo, vt faciliùs Domini doctrinam valeat penetrare; erat enim peritus in lege; ac proinde cum ipſa figura manuducitur ad fidem. Tertiò. D. Chryſoſtomus *homil.* 26. Euthymius. Non loquitur expreſsè Dominus de ſua morte; ſed exaltati à Moyſe ſerpentis ſumpſit exemplum, docens, quòd vetera nouis cognata ſint: antiqua enim documenta non reiicit Dominus, ſed maximè nobilitat, dum eorum vtitur figuris, Vide *lib.* 1. *c.* 2. *num.* 45. Quartò. Vt dixi *ſuperiori quæſt.* ſi Dominus diſtinctè ſuam in cruce mortem explicaſſet, Nicodemo incuteret horrorem, quòd figura ex lege demollitum eſt, ac mitigatum, vt notat. Chryſoſtomus.

216.
Bereng.
*Per crucem illuminantur omnia.*
*Per crucem mens illuminatur ad ſuperna.*

Quintò. Vt Nicodemus credat, in fideque illuminetur, Dominus cum eo crucis, & mortis ſuæ pertractat myſterium, non diſtinctè, & apertè, ſed ſub vmbra, & figura; vt omnibus fiat manifeſtum, quòd tanta eſt ſanctæ Crucis efficacia, vt adhuc illius vmbra ſit valde præpotens ad omnium oculos aperiendos, ac illuminandos, eorumque mentes ad cognitionem ſalutis erigendas. Latè hoc comprobat Berengoſius Abbas *lib. de myſterio ligni Domini,* per multa documenta, Et inter cætera ponderat, quòd Deus luminaria, ſcilicet Solem, Lunam, & ſtellas. *Geneſ.* 1. *num.* 14. in hoc orbe produxit die quarta, quia verum luminare Chriſtus Dominus, omnem lucem continens, inter quatuor ſanctæ Crucis extremitates Eccleſiæ eluceſcere ordinabatur ad errorum caliginem depellendam, & hominum mentes illuſtrandas. Et addidit: *Hæc eſt illa lux, per quam idem Noë illuſtratus eſt figuratiuè, quando columba ſibi ramum deferebat oliuæ, typicè ſcilicet deſignans, quòd virtutum pennis nullus euolare valet ab imis ad ſumma, niſi in arcam Eccleſiæ ramum ſtudeat reportare cum columba.* Ramus crucem adumbrat *Geneſ.* 8. *numero.* 11. Et columba ſurſum ferebatur, non tam alarum miniſterio, quàm virtute, ac efficacia rami ſanctæ Crucis, quo promeruit in arcam, ſcilicet in Eccleſiam, columba habere ingreſſum. Vide ſuprà *num.* 201. *&* 204.

*Ioannis* 3. *n.* 15. Vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Vt quiſquis credit in eum, *&c.* |
| *D. Cypr. lib.* 2. *adaerſ. Iudæ.* | Vt omnis, qui crediderit in filium, habebit vitam æternam. |
| *Arias.* | Vt credens in ipſum non pereat, |

## EXPOSITIO.

217. CAVSAM, ob quam filium hominis exaltari oporteat, Dominus explicat,& proſequitur, quantum ad fructum, ſerpentis ænæi figuram: ſicut enim omnis, qui ſerpentem illum corporis oculis intuebatur, non peribat, ſed viuebat; ita omnis, qui in filium Dei crediderit, ipſumque fidei aſpexerit oculis,periturus non erit.Et dicitur, *Qui credit*; fide formata per charitatem. Et ideo ait, *Credit in ipſum*;dicitur enim,credere Deo,Deum, & in Deum ( de quo D.Thomas 2.2.quæſt. 2.art. 2. Magiſter *in* 3. *diſt.* 23. Durandus *quæſt.* 3.Suarius *tom.de fide.diſp.*6.*ſect.*3.*num.* 2.) Dicitur ergo, credere Deo, vt teſtificanti,& dicenti: Credere Deum, vt obiectum materiale, quod creditur: Credere in Deum tanquam finem vltimum; finis autem per actiones noſtras comparatur.*Non pereat,ſed habeat vitam æternam.* Duo hîc ſignificantur,vt notat Caietanus;vnum,beneficium liberationis à malo, ſcilicet ne pereamus; alterum,donum conſecutionis boni ex fide in Ieſum Crucifixum. *Vitam æternam*; per hoc ſe eſſe Deum declarat, ſolus enim Deus eam dare poteſt. Et mors Chriſti hanc vitam confert. Vnde eleganter ait Euthymius, quòd *Chriſtus moritur tanquam homo; præſtat autem vitam æternam, tanquam Deus.* Ipſe vt homo ſuſtinet mortem, & moritur ſibi; vt Deus autem vitam nobis confert.

*Credere Deo, Deũ, in Deũ* D.Thom. Magiſter. Durand. Suarius. Caietan. Euthym. *Chriſtus homo ſibi, Deus nobis.*

## QVÆSTIO XXXVIII.

### *Quare Dominus paſſionem ſuam ponat ſub vmbra; illius verò fructum manifeſtè?*

218. SVPERIORI verſu paſſionem ſuam explicat Dominus, ſed obumbratè:*Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem*;illius verò fructum hîc manifeſtè: *Habeat vitam æternam.* Reſpondeo quòd auditorem ſuum propoſita paſſione, morteque ſua contriſtare noluit,ſed potiùs tanta æternæ vitæ declarata felicitate delectare. Mandauit Deus Exod. 22.n. 21. *Aduenam non contriſtabit.*Et Nicodemus recenter aduenerat,vt audiret Dominum:animus autem triſtitia,& anxietate affectus,ad auſcultandum,& audiendum incapax eſt. Auditis calamitatibus Iob, conuenerunt amici eius,*vt eum viſitarent,& conſolarentur,* Iob 2. num. 11. Et accedentes,*Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus,& ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem*,ibid.num.13.Si ad conſolandum veniunt, cur nec verbum proferunt, ſed per ſeptem dies cum totidem noctibus obmuteſcunt? *Videbant, dolorem eſſe vehementem.* D. Chryſoſtomus in Catena Græca, *Animus*, ait, *mœrore confectus nihil poteſt commodè audire, quare illi, nempè amici Iob, cùm domus illius tragœdiam ſpectarent iuſtumque in ſtercore ſedentem, atque exulceratum viderunt, veſtes diſciderunt, plorauruntque vehementer, ſeſſionemque prope eum delegerunt.* Et ita Iacob, cùm audiſſet dilectiſſimum filium ſuum Ioſeph demortuum, in multoque ſe diffudiſſet fletu; *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent patris dolorem, noluit conſolationem accipere*,Gen. 37.num. 75. Quod Ioannes de la Haye *ibi num.* 94.explicat,quòd Iacob præ triſtitia non attendebat ad perſuaſiones, quibus mœror erat deponendus, & non audiebat conſolationem; mœſtus enim animus difficile verba cipit.

*Auditor, & aduena non eſt contriſtãdus.* Exod. 22. *Mœſtus animus ad audiendum incapax.* Iob 2. Chryſoſt. Geneſ. 37. Ioannes de la Haye.

## QVÆSTIO XXXIX.

### *Quare paſſionis fructus per æternæ vitæ acquiſitionem explicetur?*

219. REGNVM cælorum multis rebus inuenies in Euangelio comparatum,verbi gratia,theſauro abſcondito, pretioſæ margaritæ,gaudio,& ita fideli ſeruo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui.* Cùm ergo per Chriſti paſſionem nobis cœlorum ianua ſit aperta,cur non ſub alio, ſed nomine vitæ æternæ feliciſſimus ipſe aditus explicatur?

220. Facilis eſt ſolutio. Vt recta proportio cum figura allata ſeruaretur. Nam ſicut vulnerati reſpicientes ſerpentem æneum viuebant; ita qui in Chriſtum credit,æterna vita viuet. Secundò,quia mors Chriſti,vita noſtra eſt, & ex ipſius morte vita noſtra prodit.Reuertitur filius prodigus ad patrem, qui ad ſeruos ait: *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, quia filius meus mortuus fuerat, & reuixit*,Luc. 15.numero 23. Optimè ſanè conueniunt mors vituli, ſcilicet Chriſti, cum vita filij.D. Chryſologus ſerm. 3. *Hiſtoriam loquimur, adhuc etiam cogitemus, arcanum nudare myſterium: Mortuus filius vituli ſuſcitatur ex morte.*

*Vita ex Chriſti morte.* Luc. 15. Chryſolog.

221. Tertiò. Euthymius, *Crux vitæ fons eſt.* Sub ſerpentis exaltati typo de cruce ſua Dominus agebat,cui fructus vitæ aſſociatur mirificè; nil enim citius à cruce prodit, quàm totius humani generis vita. Cùm Agar vnà cum Iſmaële filio ſuo à domo Abrahæ expulſa abiret,deficiente aqua ob illius penuriam: *Cumque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborem.* Eſt ſtatim ſubditur:*Aperuitque oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ abiit, impleuit vtrem, deditque puero bibere*, Gen. 21.n. 18. Sed cur cæli fauores non panduntur Agar,vt retinet puerum brachiis, fouet ſinu, recreat amplexu, ac proprio matris muneri incumbit? At vbi puerum ſpiritum penè exhalantem ſub arbore proiicit, Angelus apparet, puteus ſe prodit, & inde ſcaturientes aquæ defluunt?Arbor lignum ſanctæ Crucis præſignabat, cuius vmbram vbi puer moribundus attigit, ſtatim fons vitæ adeſt,cuius aquis abundantiſſimè recreatus refocillatur ſpiritus, & viuit ad numeroſam progeniem procreandam.D. Iſidorus in Geneſ.cap. 17. *Quòd filium morientem ſiti ſub arbore proiicit,& ſic demonſtrante Angelo aſpicit fontem, ſignificabat, quoſdam ex populo ad vmbram ligni crucis refugium petituros.*

Euthym. *Crux fons vitæ.* Geneſ. 21. Iſidor.

*Ioannis*



*Ioannis* 3.*n.*16. Sic enim Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

### *VESIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ita enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnicum dederit, vt quiſquis credit in eum, *&c.* |
| *Arabicus.* | Sic dilexit Deus mundum, vt dono dederit filium ſuum. |
| *D. Athanaſius lib.*5.*contra Arrian.* | Vt filium ſuum vnigenitum traderet, vt omnis, qui credit,*&c.* |
| *Saluianus lib. de gubernatione Dei.* | Sic enim Deus dilexit hunc mundum, vt filium ſuum vnicum daret pro mundi vita. |
| *Iobius Monach. lib. de Incarnat.c.*14.*Biblioth. Plotij.* | Vt filium ſuum vnigenitum dederit pro mundi vita. |
| *Ex radice Græca legũt multi.* | Sic Deus mentis iudicio dilexit mundum. |
| *Arias.* | Vt filium ſuum illum vnigenitum daret, vt omnis credens in eum. |
| *Tertullian. lib. aduersùs Praxeam c.*21. | In quem omnis, qui crediderit, non pereat, ſed habeat vitam ſempiternam. |

## EXPOSITIO.

222. SVPPONO ex communi conſenſu Patrum Cyrilli, Chryſoſtomi *homil.* 26. Baſilij *in Pſalm.* 7. Ambroſij *lib.*1. *de pœnitent.cap.* 10. & 11. D. Athanaſij, Tertulliani, Saluiani, quos proximè citaui, hæc verba prolata eſſe à Chriſto Domino.Et habet Eccleſia Romana feria 2.poſt Pentecoſtem, *Dixit Ieſus Nicodemo.* Vnde non ſunt audiendi Recentiores dicentes, hæc verba eſſe prolata ab Euangeliſta. Et in his verbis,vt notant D. Chryſoſt. *citatus*, Amphilochius, Euthymius, Theophylactus, Rupertus, & Apollinarius *in Catena Græca*, reddit Dominus rationem, vt manifeſtè indicat particula *enim*; ob quam filius hominis ſit exaltandus in cruce,ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem? ſic enim Deus dilexit mundum,vt filium ſuum daret, ſeu traderet ad mortem.

Cyrill. Chryſoſt. Baſilius. Ambroſ. Athanaſ. Tertull. Saluianus. Eccleſ. Rom. Chryſoſt. Amphiloch. Euthymius. Theoph. Rupert. Apollinar.

223. Hic autem eximius Dei amor maximè exaggeratur ex omnibus verbis appoſitis. Et ex ſex conditionibus oſtenditur. Primò ex modo proponendi: *Sic*, id eſt, tanta amoris vehementia, conatu, ac exceſſu, ſeu,vt explicat Albertus Magnus, *in tantum dilexit.* Et fuit tantus hic exceſſus amoris, vt ſola Chriſti infinita ſapientia potuerit explicari. Secundò ex perſona dante, ſeu amante *Deus*, qui infinitus modis ſuperat creaturam,& nil noſtri indiget, nec aliquid vtile poteſt ab homine accipere: immo multis erat offenſus peccatis. Quod notans Apoſtolus ait Rom. 5. num. 8. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam adhuc cùm peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Tertiò ex modo diligendi, ſeu dandi; nam *diligere* dicit amare, non impetu appetitus, ſed diſcretionis iudicio, vt notant multi ex radice Græca, de quo quæſt. 41. *Daret*; non redderet, non venderet, non mutuo daret ad tempus,vt notat Hugo; non ad triumphos, ſed ad mortem, & paſſionem dedit.nam, vt ait D. Bernardus, *Totus datus eſt mihi, & totus in vſus meos, & expenſas.* Quartò commendatur hæc dilectio ex dono dato, *filium* non ſeruum, non Angelum, vt notat Chryſoſtomus; & filium, non alienum, ſed *ſuum*, proprium,& naturalem, & *vnigenitum, ac vnicum.* Si enim multos filios haberet,& vnum pro mundi redemptione dediſſet,mira dignatio; ſed dum dat vnicum, & vnigenitum,exceſſus amoris:nam, vt aduertit D. Thomas, ſi multos haberet filios, amor eſſet diuiſus; at cùm vnicum habeat, totus amor eſt in vno. Et dum ſe Chriſtus appellat vnigenitum, vt notat D. Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 51. declarat, ſe eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, ac eius filium naturalem. Adoptiuos enim Deus multos filios habet, qui ſumus nos omnes. Et hîc etiam, vt bene ponderat Caietanus, explicat myſterium Trinitatis. Primam perſonam, & ſecundam *hîc*,de tertia egerat ſuprà: *Spiritus, vbi vult, ſpirat.* Quintò commendatur dilectio ex eo, cui datur, *mundum* ſcilicet ſibi contrarium, hoſtem,& reum damnationis.

Albert.Mag. Rom. 5. Hugo. Bernard. Chryſoſt. D.Thom. Cyrill. Caietan.

Sextò ex fine donationis; non enim Deus filium ſuum dedit, aliquem ſibi fructum quærens; ſed vt creator creaturas ſuas viuificaret à morte. *Vt omnis*, ait D. Ambroſius lib. de pœnitent.cap. 10. *Cùm omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur: non enim excipit eum, qui lapſus eſt, ſi tamen poſtea bene credat.* Textus, *Qui credit in eum* charitate formata. *Credit* de præſenti verbum eſt; & tamen credentium fides in Chriſtum maiori ex parte poſtea erat futura;ſuorum enim merita ſemper de præſenti ei ante oculos obuerſantur. *Non pereat,ſed habeat vitã æternam*; quod explicauit ſuperiori expoſitione *num.* 217. Et bis Dominus hæc verba repetit,tàm hîc, quàm ſuperiori *verſu* 15. vt homines de præmio ſuo,æternáque felicitate conſequenda redderentur maximè certi. De paſſione ſua Dominus hîc occultè agit: *vt filium ſuum vnigenitum daret*; de fructu verò illius apertè: *vt non pereat, ſed habeat vitam æternam.* quod pulchrè notat D. Chryſoſtomus homil. 26. *Paſſionem itaque*, ait, *non apertè, ſed in vmbra producit; ex ea autem emolumentum manifeſtiùs narrat*, vt iam ſuprà notaui *quæſt.* 38. Nota diligenter, quòd Dominus commemorat præmium credentibus promiſſum: *vt non pereat, ſed habeat vitam æternam*; & non credentibus impoſitum ſupplicium prætermittit; volebat enim homines ad ſe potius,ac benignitate allicere,quàm minaci terrore pœnæ. Vide *lib.*1. *cap.*1. *q.* 43.*num.*108. 224.

Ambroſ. *Chriſtus de præmio ſecuros nos reddit.* Chryſoſt. *Deus homines ad ſe, non terrore, ſed præmio attrahit.*

## Qvæstio XL.

### *Quare Dominus hîc cum Nicodemo de amore ſuo agat?*

225. Valde mirum videtur, quòd Chriſtus de ſupremo diuini amoris arcano agat cum Nicodemo. Ad quod reſpondent Patres citati in expoſitione, quòd Chriſtus Dominus, vt optimus magiſter, quandam Nicodemi præoccupauit obiectionem. Superiori *verſu* 15. egerat Dominus de ſua exaltatione in cruce; & mirabundus Nicodemus dicere poterat: Quomodo, ſi filius Dei es, permittet Deus, filium ſuum ſuſpendi, in cruceque exaltari? Occurrit Chriſtus, hoc Deum permiſſurum ob ſuam nimiam charitatem. Tanquam ſi dicat: Ne mireris, quòd filius Dei ſit crucifigendus, quia *ſic Deus dilexit mundum.* Vnde eleganter ait Saluianus lib. de Gubernatione mundi. *Plus nos amat Deus, quàm filium Pater. Euidens quippe res eſt, quòd ſupra affectum filiorum nos diligit Deus, qui propter nos filio non pepercit. Et quid plus addo. Et hoc filio iuſto; & hoc filio vnigenito; & hoc filio Deo.*

*Redditur ratio exaltationis Chriſti in cruce.*

Saluianus.

*Deus maximè nos diligit.*

226. Secundò. Chriſtus Dominus Nicodemo omnium hominum primo reuelat, ac aperit ſui diuini amoris diuitias; hic enim primus fuit ſermo, quem de ſuo diuino amore Dominus habuit. Nicodemus paſſionis tempore fugientibus diſcipulis, deſerentibus amicis, venit ad ſepeliendum Chriſtum, *ferens mixturam myrrhæ, & aloës,* Ioan. 19. num. 39. Vt ergo Dominus anticipata ſolutione tam eximiam hominis remuneraret charitatem, ei, omnium primo, diuini amoris diuitias pandit, qui paſſionis tempore recedentibus aliis inter primos ſuum erga Chriſtum declarauit amorem, vt Chriſtum è cruce deponeret, ac honorificentiſſimo, glorioſoque ſepeliret ſepulchro. Vide *lib. 1. cap. 2. num. 62. & cap. 6. numero* 30.

Ioan. 19.

*Deus anticipatè noſtra remunerat merita.*

227. Tertiò. Quanuis Nicodemus optimam haberet indolem, in charitate erga Deum valde tepidus erat, vt ex tot cum Chriſto habitis interrogationibus manifeſtè patet; & quòd adhuc eius dictis non præberet aſſenſum, vt conſtat ex hoc tertio Ioannis cap. Vt ergo Dominus Nicodemi erga ſe ipſum prouocaret, ac inflammaret amorem, ſuam ei Dominus eximiam in homines explicat charitatem, vt tanti amoris notitia incenſus, totis viribus, & ſine vllis terminis totus ſe conferat ad ſummè diligendum Deum. Ita ait D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 51. *Charitatis autem erga homines Dei Patris mentionem opportunè fecit, vt Nicodemi durities aut molliatur, aut apertiùs pateat.* Quid efficacius, ac fortius ad Dei charitatem hominem allicere valet, quàm quod dum conſideratur, ac ante oculos ponitur, quòd ipſe noſtræ ſalutis cauſa datus, ac ad crucifigendum in manibus inimicorum ſuorum ſit traditus?

*Eximia Chriſti charitas maximè in ipſum prouocat amorem noſtrum.*

Cyrillus.

228. Ait Habacuc 3. num. 4. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Septuaginta legunt, *Cornua in manibus eius, & poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ.* Vbi Dominus in Cruce apparuit extenſis manibus, ac clauis affixis, maximè omnium animos ad ſui imitationem traxit, vt homines tanto Dei amore inſpecto maximè prouocarentur ad ipſum Deum redamandum. In cruce poſuit Dominus dilectionem robuſtam, hoc eſt, vehementiſſimam vim, vt omnium animos ad ſui dilectionem attraheret. D. Hieronymus ibi. *Quod autem*, ait, *iuxta Septuaginta legimus: Et poſuit dilectionem fortem fortitudinis ſuæ; hoc eſt, vt Deus Pater faceret dilectum ſuum ab hominibus diligi; & diligi, non leuiter, ſed vehementer, & fortiter.* Acutè ponderat D. Athanaſius: Cur Deus veniens ad nos ſimilitudine carnis peccati præcinxit ſe? *Rom. 8. num.* 3. Quid repugnantius Deo, & quid ab eius puritate magis diſtat, quàm peccatum, & eius vmbra? Iuxta Philoſophum, vnumquodque maximè afficitur ad ſui ſimile, & magno pondere fertur ad ipſum. Deſcendit Deus ad nos ſimilitudine carnis peccati, vt homines videntes ipſum tot operibus, ac effuſione bonorum plenum, tot miraculis inſignitum, tanta charitate accenſum, & quòd per omnia ſimilis eſſet fratribus, animos cunctorum ad ſui conſiderationem, & amorem expiſcaret, ac ſollicitaret. D. Athanaſius orat. de Incarnat. Verbi, *Subiecit ſe ipſum,* inquit, *Verbum Dei, vt per corpus appareret, quo, vt homo iam factus, homines in ſe traduceret, eorumque ſenſus ad ſe reflecteret, vt illis veluti hominem conſpicientibus ex opere deſignationem perſuaderent ſibi,* &c. Et D. Auguſtinus *in manuali cap.* 26. ait: *Vt familiarius diligeretur ab homine Deus, in ſimilitudinem hominis Deus apparuit.*

Habacuc 3. Septuag.

*Chriſtus in Cruce noſtrũ ſollicitat amorem*

Hieron.

Athanaſ.

*Deus factus homo ad ipſũ amandum nos maximè prouocat.*

Athanaſ.

*Similitudo trahit ad ſe.*

Auguſt.

## Qvæstio XLI.

### *Quare Deus tam vehementer dilexerit homines?*

229. Amare, eſt alicui velle bonum, iuxta Philoſophum. Vnde obiiciet aliquis fatuus, quòd tantus Dei amor videtur inconſideratus: nam imprudentis animi eſt, amare, ſi nulla adſit perſuadens ad amandum ratio; & in præſenti ita res eſſe videtur; Deus enim in ſe habet omnem bonitatem, omnem perfectionem, omnemque amabilitatis rationem, ita vt nec minimam poſſit ab homine vtilitatis rationem reportare, nec aliquid ei accreſcere. Et ex parte hominis, nullum erat ad tantum amorem meritum, ſed potiùs demerita multa; & Deus optimè præuidebat, multos ex hominibus futuros eſſe ingratos. Ergo huiuſmodi amor obfirmatus iudicij pondere non videtur.

*Quid ſit amare.*

*Ratio dubitandi.*

230. Huiuſmodi ſtultus argumentator de diuino amore parum ſapit, altiſſimo, enim conſilio gubernatur amor. Et ad hoc reſpexit noſter Euangeliſta, dum ait: *Sic Deus dilexit mundum.* Nam verbum Græcum, quod reſpondet noſtro verbo *Diligo*, & pro eo eſt in radice Græca, vbi nos in noſtra vulgata habemus, *Diligo*, non tantùm dicit amorem, vt rectè obſeruauit Valaſquez *in Epiſtol. ad Philipp. cap. 2. verſ. 7. annot. 5. num.* 2. qui ex cordis impulſu proficiſcitur, cui explicando verbum *Amor*, deſeruire ſolet; quàm illum, qui ex mentis iudicio, ac pondere oritur, propriè ſignificat. Et hoc Dei iudicium conſiderans Dauid *Pſalm. 137. num.* 6. dicebat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* Et D. Auguſtinus in ſuis confeſſionibus. *Non ſatiabatur illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilij Domini ſuper ſalutem generis humani.*

*Quid ſignificet verbum* Diligo.

Valaſquez.

*Dei amor cũ ratione.*

Pſalm. 137.



Auguſt.

231. Ad quæſtionem. Reſpondeo primò, quòd ratio huius dilectionis eſt, diuina bonitas. In quo conueniunt omnes Patres. D. Athanaſius *Orat. de Incarnat.* D. Auguſtinus *ſerm. 12. de Natiuit.* Theologi cum D. Thoma 3. *part. quæſt. 1. art.* 1. Quod rectè explicat D. Chryſoſtomus *homil. 7. in Epiſtol. ad Timoth.* Quanuis enim in his, quæ amantur nulla detur cauſa, tamen in ipſo amante poteſt eſſe ſumma ratio diligendi; ac proinde tanta eſt infinita Dei bonitas, vt ipſa ſola per ſe ſit ſufficiens amandi homines, omni dilectione indignos: nam etiam inter nos, cùm videmus, homines indignis, & ignotis benefacere, hoc ex eorum bonitate, atque clementia dicimus prouenire. De Chriſti aduentu loquens Paulus ad Titum 3. num. 4. ait: *Benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei.* Syriacus, *Patefacta eſt benignitas, & miſericordia Dei.*

Athanaſ. Auguſt. D. Thom. Chryſoſt.

*Diuina bonitas radix dilectionis.*

Ad Titum 3. Syriacus.

232. Secunda ratio deſumitur ex Paulo 1. *Corinth.* 1. *numero* 30. vbi de Chriſto Saluatore ait: *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* In primis fuit valde conueniens huiuſmodi dilectio Dei, vt filium ſuum vnigenitum daret ob ſapientiam, vt homines docerentur, ac illuminarentur ab ipſo. Et ita ei dixit Nicodemus ſuprà num. 2. *Scimus quia à Deo veniſti magiſter.* Et ipſemet Saluator hîc infrà num. 19. *Lux venit in mundum*, vt ita homines, qui à Deo creati erant, in vitam æternam, de mediis neceſſariis ad talem finem imſtruerentur. Fuit etiam conueniens ratione iuſtitiæ diuinæ: nam per Chriſtum pro peccatis generis humani de rigore iuſtitiæ ſatisfactum eſt Deo. Et ita ait Paulus Roman. 3. n. 25. poſitum eſſe Chriſtum *in oſtenſionem iuſtitiæ diuinæ*; quod non ſolùm intelligitur, vt vult Suarius *tom. 1. ad 3. part. diſp. 3. ſect.* 3. de iuſtitia vindicatiua ſuppoſito peccato; verùm etiam de diſtributiua, & ſuo modo de commutatiua, quæ in diſtributione præmiorum, & remuneratione meritorum præducent. Et ita ait Chriſtus Nicodemo infrà num. 18. *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Tertiò fuit conueniens ratione ſanctitatis, vt Deus, qui eſt ipſamet ſanctitas, alios ſanctificaret; tunc enim bona maximè perlucent, cùm aliis communicantur. Ita ait Dominus: *Vt qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quartò fuit conueniens ratione redemptionis, vt ait Chriſtus hîc, *vt ſaluetur mundus per ipſum.* Oportuit, redemptorem eſſe Deum, vt ait D. Athanaſius *ſerm. 3. contra Arrian.* ne ſummus honor, debitus Deo, creaturæ tribueretur.

1. Cor. 1.

*Chriſtus Doctor noſter.*

Rom. 3. Suarius.

*Præmia per Chriſtũ cum iuſtitia diſtribuuntur.*

Athanaſ.

233. Tertia ratio traditur à Ruperto *lib. 3. in Ioan.* ad hunc locum. *Ecce*, inquit, *Abraham obtulit Deo filium ſuum, & non pepercit filio ſuo propter Deum. Nónne ergo ſalua iuſtitia, & veritate Deus homini debitor, eſſe voluit, vt & Deus propter hominem filio ſuo non parceret, quia propter Deum homo filio ſuo non pepercit? Vbi Deus accepta tanta iuſtitiæ cauſa proclamat: Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti vnigenito tuo, propterea benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, & poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, atque in te benedicentur omnes gentes terræ*, Geneſ. 22. num. 16. *Quis dicere audet: Quare ſic iuraſti? quare apud hominem damnati generis te obligaſti?* &c. Et latè ipſe proſequitur. Infrà ait ipſe Rupertus, quòd Deus *cum interpoſitione iuramenti promiſit, atque compleuit.* Iuramento facto accedente diuina promiſſione ſe obligauit Deus, vt filium ſuum vnigenitum daret ad exaltandum in cruce; non enim patiens eſt diuina charitas ab homine ſuperari: ſi enim homo ob Deum filio ſuo non pepercit, Deus excellentiſſimè meritum remunerans, vnigenito filio ſuo ob hominem non pepercit, ſed morti tradidit, vt qui eſſent filij Abraham per fidem, non perirent, ſed haberent vitam æternam.

Rupert.

Geneſ. 22.

*Dei amor ab aliquo creato amore nequit excedi.*

234. Quartò B. Vigilius Epiſcopus Tridentinus lib. 4. contra Eutychen. *Tantum*, ait, *Deo fuit ſtudium tuæ ſalutis, vt filium, per quem fecerat omnia, dederit pro mundi vita, vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* Cauſa huius tantæ dilectionis diuinæ fuit vehemens deſiderium, ac ſtudium noſtræ ſalutis, vt hominem, quem crearat, non desereret, ſed omnibus modis adiuuaret, vt vita æterna donaretur. Valde decorum ſupremæ maieſtati, dum ſuos beneficiis fouet. Vide *lib. 1. cap. 1. num. 51. & cap. 7. num. 38. & lib. 2. cap. 1. numero* 82.

Vigilius.

*Princeps, quos creauit non deſerat, ſed adiuuet.*

235. Quintò. Ex ipſamet obiectione in principio propoſita formo rationem. In Deo relucebat omnis bonitatis, ac perfectionis ratio omnino independens ab omni creatura. In homine verò viſebatur extrema miſeria, ac grauiſſima deiectio. Ipſamet miſerrima conditio allexit, ac attraxit ſupremam Dei maieſtatem ad ſui auxilium, atque leuamen. Multum enim diſcrepat diuina bonitas ab hominum ingenio; nam homines, quos proſtratos vident, deſerunt, ac derelinquunt; at Dei ſuprema maieſtas ex ipſa calamitate arripit anſam ad opitulandum, vt hominem erigat, ac ſubleuet. Exorat Ieruſalem Domino: *Recordare paupertatis, & tranſmigrationis meæ, abſinthij, & fellis*, Threnor. 3. num. 19. Sed omni admiratione dignum, quòd ciuitas illa à Deo expoſtulat, vt recordetur tranſmigrationis ſuæ, ſeu culpæ ſuæ. *Cùm*, vt optimè obſeruat Paſchaſius lib. 3. in Threnos, *non rectè quis tranſmigrationem ſuam offert iudici, qua puniatur; imò rogat cum Dauid: Auerte faciem tuam à peccatis meis*, Pſalm. 50. num. 11. ſi iuſtus poſtulat, vt peccata obliuiſcantur, quomodo Ieruſalem peccatis plena pro beneficio exoptat, vt Dominus ſuarum tranſmigrationum recordetur? Cur totis viribus non intendit, vt huiuſmodi tranſmigrationes è memoria dilabantur? D. Paſchaſius citatus. *Cum multis ſponſa*, inquit, *coanguſtiatur laboribus, & doloribus fatigatur, dicit ſponſo: Recordare paupertatis, & tranſmigrationis meæ, abſinthij & fellis: non quòd à Domino tranſmigrationis ſuæ recordari velit, ſed laborum, ac certaminum, quæ pro his tolerat, id eſt, abſinthij, & fellis.* Deſiderat, vt in mentem Dei veniant, non eius tranſmigrationes, ſed labores, ac miſeriæ, quas pro eis ſuffert; ideo ait: *paupertatis meæ*, id eſt, vt explicat Lyranus, ſpoliationem omnium bonorum, quam ſuſtineo. Non merita exquirit, non egregia facta Patrum commemorat, vt videbatur olim: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iacob.* Exod. 32. numero 13. Sed extremam miſeriam, & deſolationem exponit:

*Ex ipſa miſeria manus diuina mouetur ad opem.*

Threnor 3.

Paſchal.

Pſalm. 50.

Paſchaſ.

*Miſeria, & calamitas Deum allicit ad miſericordiam & auxilium.*

Lyrannus.

Exod. 32.

exponit: his maximè commouebitur diuina maieſtas, vt opem ferat; ac vt benignus pater erigat, ac ſubleuet iacentem. His bene conſcius Ieremias orabat: *Recordare Domine, & vide quid acciderit nobis, intuere, & reſpice opprobrium noſtrum*, Threnor. 5. num. 1. Vbi D. Paſchaſius lib. 5. *Barbaram hiſtoriæ captiuitatem deflet, miſeriaſque, quas pertulit gens illa, ingerit aſpectibus creatoris, vt clementiam imploret pro ſuis factis, & criminibus.*

Threnor. 5. Paſchaſ.

236. Anaſtaſ. Seuerian. Ambroſ. Geneſ. 1.

Quæſtionem excitant D. Anaſtaſiu *ib. 4. Hexaëmeron.* Seuerianus apud Lippom. D. Ambroſius, & alij, quare die tertio, ex Dei mandato, *protulit terra herbam virentem, lignúmque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam*, Geneſ. 1. num. 12. Die verò quarto poſt condecoratam terram fecit Deus duo luminaria in firmamento cæli, *ibidem num.* 14. Sed qualis huius opificij ordo à præſtantiſſimo artifice? Cur potiùs non ornatur priùs præcipua orbis pars, ſcilicet cælum? Quis de Principibus admirandi operis palatia ſtructurus, fabricam incipit à viliſſima domus parte; & non prius, quàm famulis habitationem adaptat? Creauit Deus in principio terram, & de ea dicitur: *Erat inanis, & vacua*, Geneſ. 1. num. 2. ſeu, vt habent Septuaginta, *inuiſibilis, & in compoſita*, id eſt, non erat digna, ſeu apta videri. Ideo ab ipſa infima terræ conditione capitur diuinus artifex, vt priùs ad terram exornandam manus admoueat, & vaſtæ machinæ fabricam, non à firmamento, ſed à puluere, à gleba exornare incipiat. Eccleſiæ Lugdunenſis liber aduersùs opiniones cuiuſdam Ioannis, *inuiſibilis erat terra, non tamen Domini oculis, qui dicebat: Germinet terra herbam virentem.*

Gen. 1. Septuaginta. Liber Lugdunenſis.

## QVÆSTIO XLII.

### *Quare in ſignum dilectionis ſuæ Deus mundo dedit, non Angelum, vel Archangelùm, ſed filium ſuum vnigenitum?*

237. Rom. 5.

MAXIME mirantur Scripturæ omnes, quòd Deus filium ſuum vnigenitum dederit; nam, vt ait Paulus Roman. 5. num. 7. *Vix pro iuſto quis moritur.* At Deus Pater nos ita dilexit, vt pro ſeruis, & quidem ingratis, filium daret: quod neque pro iuſto, neque pro amico facile quiſpiam facit.

238. Chryſoſt. Cyrill. Hieron.

Reſpondent primò D. Chryſoſtomus *homil.* 26. D. Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap.* 51. D. Hieronymus *in cap.* 43. *Iſai. verſu* 8. Et ita ait Chryſoſtomus citatus. *Filium vnigenitum dedit, non ſeruum, non Angelum, non Archangelum. Nemo vnquam pro filio tantam præ ſe tulit charitatem, quantam pro ſeruis, & ingratis Deus.* Ad oſtendendas eximias ſui diuini amoris diuitias, non ſeruum, non Angelum dedit, ſed filium ſuum vnigenitum, vnicum, eique conſubſtantialem: nam, vt ait Theophilactus, ſi Angelum quidem dediſſet, res parua non erat, eo quòd Angelus miniſter eius, & ſeruus fidelis, non verò inimici, & apoſtatæ; nunc autem dato filio excellentiorem dedit charitatem: tantum enim proprio filio mandauit negotium. *Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël, & Angeli eius præliabantur cum Dracone*, Apocal. 12. num. 7. Tota contentio erat de Luciferi ſuperbia; dixit enim: *In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, Iſai. 14. num. 13. Dum Lucifer vult Dei ambire, ac vſurpare ſedem, Michaël, & Angeli eius, Deo excitante, in prælium prodeunt pro diuino honore, ac ſede tuenda. At pro mundi ſalute Dei filius vnigenitus datur, ac in prælium cum Diabolo condeſcendit. Deus quodammodo videtur pluris æſtimare, ac apprehendere ſalutem noſtram, quàm honorem ſuum. Ideo pro diuinæ authoritatis defenſione Angelus cum Diabolo bellum commiſceat; pro mundi verò redemptione, non alius, niſi vnigenitus Dei filius ad certamen exeat. Vide infrà *hoc cap. 3. num.* 58. & *num.* 71.

*Eximius Dei in homines Amor.* Theoph. Apocal. 12. Iſai. 14. *Deus videtur pluris æſtimare noſtram ſalutem, quam ſuum honorem.*

239. Hilarius.

Secundò D. Hilarius lib. 6. de Trinit. *Sed ſi dilectionis hinc fides eſt, creaturam creaturæ præſtitiſſe. Non facit magni meriti fidem vilis, & ſpernenda iactura. Pretioſa autem ſunt, quæ commendant charitatem, & ingentia ingentibus æſtimantur. Deus diligens mundum, filium non adoptiuum, ſed ſuum, & vnigenitum dedit, hinc dilectionis, & charitatis fides eſt, vt ad mundi ſalutem, & filium ſuum, & vnigenitum præſtitiſſet.* Decreuit Dei concilium humano, generi ſuum ingentem oſtentare, ac propalare amorem; eſtque diuinus amor præexcellens adeò, atque creatum tranſcendens captum, vt creatura, ſiue humana, ſiue Angelica, ad tantum detegendum arcanum nulla ſit præpotens; nec alicui creaturæ tanta erat danda fides. Aduenit ergo ipſemet Dei filius, vt paternæ charitatis theſaurum nobis aperiat, ac manifeſtet, vt verbis eius noſtra fides in tanto myſterio acquieſcat. *Hinc dilectionis, & charitatis fides eſt, vt ad mundi ſalutem, & filium ſuum, & vnigenitum præſtitiſſet.*

*Solus Deus ſui amoris diuitias nobis poteſt declarare.*

240. Ambroſ.

Tertiò D. Ambroſius lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 6. *Pulchro*, inquit, *verbo vſa eſt Scriptura, vt Dei Patris erga te pium propoſitum declararet, qui morti pro te totum obtulit, quod in Patre fuit, nihil ſibi reliquit, totum pro te obtulit. Conſidera affectum Patris. Quod pietatis eſt, quaſi morituri filij ſuſcepit periculum; quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, vt propemodum de ſuo periclitaretur; dum te lucratur, ille propter te diſpendia noſtra ſuſcepit.* Creaturarum amor res eſt ſumptuoſa nimis, multis ſemper doloribus, afflictionibuſque concomitatus incedit, ideo diuinus vbi ad creaturas ſe extendit, noſtra ſimul quædam ſuſcepit diſpendia: *Pater nihil ſibi reliquit, totum pro te obtulit*; & in morte filij quaſi quandam orbitatem ſuſtinuit: *Quaſi orbitatis hauſit dolorem*; & apud rude vulgus quaſi de ſuo *periclitaretur*, & tandem propter te diſpendia noſtra ſuſcepit. Amor enim creaturarum etiam in Deo ſine aliquali diſpendij vmbra, noſtro loquendi modo, reperiri non valet. De Domino ait Iſaias 53. num. 3. *Vidimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Et Threnor. 1. num. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Sed Deo, qui in beatitudine, in omni gaudio regnat, vnde acerbiſſimi dolores, & vulnera? Pulchrè D. Chryſoſtomus homil. 6. de Paſſione. *Chriſtus pœnarum genera percurrit, mortem ſuſcepit peramaram, quia damnari voluit, qui, quod fecerat, ſic amauit.* Deus ſumma fruitur felicitate, at vbi creaturas amauit, diſpendia noſtra ſuſcepit, mori, doloribus affligi, puniri, ac damnari voluit; vbi enim amor ad creaturas extenditur, ſine diſpendio ſtare neſcit.

*Creaturarum amor ſine aliquo diſpēdio non datur.* Iſai. 53. Threnor. 1.



*Vbi amor ad creaturas extenditur, doloribus exponitur.*

241. Chryſoſt. Rom. 5.

Quartò D. Chryſoſtomus *homil. 9. in Epiſtol. ad Roman.* dum ponderat illa verba, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, Roman. 5. num. 5. ait S. Doctor. *Largitatem oſtendens, quod enim maximum donum erat, hoc dedit, non cælum, non terram, non mare, ſed, quod his omnibus antiquius, pretioſiuſque erat, non ſenſim, aut pedetentim nos honeſtauit, ſed cumulatè, ac plena manu bonorum omnium fontem diffudit.* Adamauit Deus homines, non cælum, non terram, non mare dedit, ſed filium ſuum vnigenitum omnium bonorum fontem; verus enim amor ſe cohibere neſcit, quin largiatur omnia, atque diffundat: non ſenſim, ac per partes ſe communicat; non vnum dat, & alterum retinet, ſed omnia cumulatè, ac plena manu elargitur. D. Ambroſius proximè citatus *lib. 1. de Iacob. c. 6.* dum ponderat verba Pauli Roman. 8. num. 32. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*; ait S. Pater, *vt oſtenderet, quòd ita omnes diligat, & dilectiſſimum ſibi filium pro ſingulis traderet. Pro quibus, quod ſuper omnia eſt, dedit: poteſt fieri, vt non in illo vniuerſa donauerit? Nihil enim excipit, qui omnium conceſſit authorem.* Amauit Deus creaturas, nihil excipit, omnia ampliſſimè dedit.

*Verus amor nil ſibi retinet, largitur omnia.* Rom. 8. Ambroſ.

242. Origen.

Quintò. Origenes homil. 1. in Geneſ. *Saluator noſter*, ait, *qui eſt imago Dei, miſericordia motus pro homine, qui ad eius ſimilitudinem factus fuerat, videns eum depoſita ſui imagine, maligni imaginem induiſſe: ipſe motus miſericordia, imagine hominis aſſumpta, venit ad eum, ſicut Apoſtolus conteſtatur, dicens: Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Verus amor ſimilitudinem, & æqualitatem exquirit, vt docet D. Auguſtinus lib. de amicitia. cap. 4. *Quem diligis*, ait, *parem tibi facere, non negligas: non enim amicitia rectè colitur, à quibus æqualitas non ſeruatur.* Homo ob ſuam peruerſitatem maligni imaginem induerat, eaque veluti obdormiens, Deo videri ſimilis renuebat: ne ergo amori deſit ſimilitudo, & æqualitas, Deus imagine hominis aſſumpta, in ſimilitudinem hominum factus ad nos venit, vt ſi homo Deo ſimilis apparere recuſat, Deus homini ſimilis fiat. Vide *l. 2. cap. 10. n.* 63.

*Amor abſque ſimilitudine, & æqualitate ſtare neſcit.* Auguſt.

243.

Sextò. Dei amor maximè enituit, eo quòd, cùm vnicum haberet filium naturalem, per ipſum nos fecit adoptiuos filios ſuos, vt ponderaui ex D. Auguſtino *lib. 1. cap. 1. quæſt. 45. num.* 112. Deinde mirificè reſplenduit Dei bonitas, eo quòd nobis dedit filium ſuum vnigenitum, vt eſſet hominis filius, frater, ac conſanguineus noſter, vt ad ipſum, tanquam ad fratrem noſtrum, accedendi fiduciam haberemus, cùm ſit caro de carne noſtra, os ex oſſibus noſtris. Ac proinde ſi vt Deus habet Deum Patrem, vt homo habet Virginem matrem. Et huiuſmodi amplexum diuinitatis, & humanitatis optabat ſponſa Cantic. 1. num. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Si enim, vt Deus, eſt inacceſſibilis; tamen vt homo, ac caro noſtra, ad ſe omnes facilè trahit, vt aditum inueniamus ad ipſum. Dulciter D. Bernardus ſerm. 2. in Cant. *Vt ex æquo*, ait, *partibus congruens mediator, neutri ſuſpectus ſit, Deus filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc oſculo oris ſui: ſecurus ſuſcipio mediatorem Dei filium, quem agnoſco, & meum: minimè planè iam mihi ſuſpectus erit; frater enim, & caro mea eſt: puto enim, me ſpernere iam non poterit os de oſſibus meis, & caro de carne mea.*

*Cũ Chriſtus frater ſit noſter, ad eum confidenter accedamus.* Cantic. 1. Bernard.

244.

Ad oſtium dilectæ animæ pulſat Chriſtus Dominus, & ait: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, Cantic. 5. num. 2. Vbi graues Patres, vt Gregorius Nyſſenus *homil.* 11. *Catena trium Patrum.* Ambroſius *lib. 3. de Virgin.* Paulinus *Epiſt. ad Seuerum*; per rorem, ac guttas noctium intelligunt gratiam, ac cœleſtia dona, quæ Chriſtus dilectæ animæ largitur. Sed cur, quæſo, dum eam ad oſtium aperiendum inuitat, vt familiari colloquio fruantur, ſororem vocat? Cur, non Reginam, non electam ex millibus, non totam pulchram appellat, ſed ſororem dicit? Hugo. *Soror mea es, ne timeas periclitari, ſi mihi aperias, tanto magis cauta eris, & vmbram leuiùs percipies.* Aduentus tanti hoſpitis cum tot cæleſtibus donis te non terreat, ſed bono animo, magnaque fiducia vectes oſtij reſerentur, vt me recipias in tabernacula tua, & meo fruaris conſortio, quia ſi poteſtatis maieſtas te terret, fraternitatis, ac conſanguinitatis cognatio te ſecuram quieto animo reddit. Et ita Aſſuerus cùm præ metu conſternatam Eſther recreare vellet, ſuauiſſimo vocabulo, fratris titulo vſus eſt: *Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere*, cap. 15. num. 12. Hoc pacto huiuſmodi dictum interpretantur Serarius *quæſtiunc* 9. Gaſpar Sanctius *num.* 7. Non vxorem, non dilectam dicit, ſed fratris nomine vocat, vt ei vehementis amoris ſignum indicaret, vt vires conciperet ad Regi accedendum, & ei cor ſuum aperiendum.

Cantic. 5. Nyſſen. *Catena Patrum.* Ambroſ. Paulinus. Hugo. Eſther. 15. Serarius. Sanctius.

## QVÆSTIO XLIII.

### *Vtrùm Deus Pater maius amoris præbuiſſet ſignum, ſi ſe ipſum nobis dediſſet, quàm dum filium vnigenitum dedit?* 245.

PRÆSENS quæſtio inquirit: An ſi Deus Pater ſe ipſum nobis dediſſet, & noſtram carnem aſſumpſiſſet, maius eſſet amoris indicium, quàm dum filium vnigenitum dedit, & miſit? Et ratio difficultatis eſt, quia plus dat, qui ſe ipſum dat, quàm qui alium dat, & mittit. 246.

*Ratio difficultatis.*

Reſpondeo primò, quòd illud verum eſt, quando datur amor inæqualis, & inter res diuerſæ naturæ, ſaltem numericè, vt eſt in creatis; vbi vna creatura magis diligit ſe, quàm alterum; & magis appetit ſui conſeruationem, quàm alterius. At in diuinis perſonis amor eſt æqualis, & Pater æqualiter amat ſe, ac filium, vt docent Theologi, Suarius *lib. 11. de Trinit. cap. 2. num.* 3. & 4. Cumel 1. *part. quæſt. 34. art. 3. diſp. 1. ad* 3.

Suarius. Cumel.

Magiſter

Corneio. Magiſter Petrus Corneio *tract.* 3. *de Trinit. diſp.* 3. *dub.* 9. Quia ille amor, quo ſe vna diuina perſona diligit, eſt eſſentialis; ac proinde omnibus diuinis perſonis communis: eſt etiam comprehenſiuus; ac proinde per illum amat Pater ſuam naturam; ac omnem eius perfectionem. Vna autem perfectio illius naturæ eſt, eſſe in tribus ſuppoſitis. Deinde, quia in omnibus diuinis perſonis eſt eadem eſſentia, ac proinde eadem bonitas. Ergo dilectio in vna diuina perſona, tam erga ſe, quàm per reſpectum ad alias duas, eſt æqualis. Deinde, quia Pater dando Filium, dedit & ſuam naturam, qua nihil maius eſſe poteſt.

*Amor æqualis inter diuinas perſonas.*

247. Inſtabit aliquis. Pater non dedit ſuam perſonam, ſed ſuam duntaxat eſſentiam: ergo plus dediſſet, ſi eſſentiam, & perſonam ſuam quoque dediſſet. Neganda eſt conſequentia. Tum quia perſona in Deo realiter eſt idem cum eſſentia; & ſolùm eſſentiæ addit quandam relationem: tum quia perſonalitas Filij, ſeu eius relatio, tantam perfectionem dicit, ac relatio Patris; quia perfectio in diuinis relationibus eſt æqualis. Adde etiam, quia Pater dando perſonam Filij, dedit etiam ſuam perſonalitatem, ſeu relationem, ac etiam Spiritus ſancti, quæ continentur eminenter in ipſa eſſentia; & tantam perfectionem, ac bonitatem dicit ipſa relatio in ſe formaliter, ac prout eſt in eſſentia eminenter, vt obſeruat Suarius *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 10. *n.* 7. tam perfecta eſt enim eſſentia diuina præciſa à relationibus, prout illas continet eminenter, quàm prout illas continet formaliter.

*Vna relatio diuina tantam perfectionem dicit, ac alia.*

Suarius.

248. Secundò moraliter. Liceat ex humanis ad diuina philoſophari; & aliquo modo dici poſſe videtur, quòd plus amoris Pater oſtendit, dum nobis filium ſuum vnigenitum ad mortem pro noſtra redemptione dedit, quàm ſi ipſemet Pater ſe nobis dediſſet. Amoris vis, ac vehementia magis pateſit, ac declaratur, dum dilectus morti, ac tormentis committitur, quàm dum ipſemet amans mortem, ac omnia pœnarum genera ſubit. Non enim dicitur: Sic Deus dilexit mundum, vt vitam dederit pro mundo; ſed dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Non enim exaggeratur diuinus amor, quòd Deus filius pro noſtra redemptione vitam exhalauerit; ſed quòd Pater vnigenitum filium ſibi dilectiſſimum pro nobis ad mortem dederit. Amoris celſitudo plus clareſcit, ac foràs prodit, dum res amata doloribus, tormentis, ac morti exponitur, quàm dum ipſemet amans mortem amplectitur: vehementiùs enim torquemur, dum dilectus cruciatibus premitur, quàm dum nos metipſi omni preſſura anguſtiamur.

*Magis commouetur amor, dum dilectus patitur, quàm dum amans moritur.*

249. Rom. 9. Celebris eſt pro hac re locus Pauli Roman. 9. num. 9. *Optabam,* inquit, *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ita ſuorum charitate fratrum gentium magiſter ardebat, vt ne ipſi iacturam facerent, ipſe libenter omnibus pœnis ac doloribus ſe obiiceret, dummodo fratres ſalui eſſent, incolumitate fruerentur. D. Chryſoſtomus homil. 79. ad populum, vbi Apoſtolum Moyſi anteponit: *Nam ille,* ait, *cum aliis perire malebat; hic autem non ſimul perire, ſed ſoſpitibus aliis, ab æterna ſolus gloria, excidere optabat.* Et eamdem charitatem ponderat idem Chryſoſtomus *homil.* 25. *in* 1. *Corinth.* de Moyſe, dum dixit Exod. 32. num. 33. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo.* Et in Dauide idem conſiderat Chryſoſtomus *homil.* 29. *in Epiſtol. ad Roman.* quando ſe obiiciens Angelo percutienti dixit: *Ego ſum, qui peccaui, ego inique egi; iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur: obſecro, manus tua contra me,* 2. Reg. 24. num. 17. ita enim iſti ſuorum charitate erant accenſi, vt maximè eorum affligerentur anguſtia, ita vt potius vitam dare vellent, quàm quòd alij perirent.

*Prælatus pluris æſtimat oues, quàm vitam.*

Chryſoſt.

Exod. 32.

Chryſoſt.

2. Reg. 24.

250. Genef. 14. Cùm Abrahamus accepiſſet, conſobrinum ſuum Loth captum eſſe à quatuor Regibus, *numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo, & perſecutus eſt eos,* Geneſ. 14. num. 14. vt conſanguineum ſuum ab eorum manibus eriperet. Sed cur cùm tam parua manu contra potentiſſimos hoſtes in prælium audet exire? Ita æſtuabat amore, vt nihil dubitaret, omni ſe periculo illaqueare, vt dilectum conſanguineum ab omni eriperet diſcrimine vitæ: magis affligebatur illius anguſtia, quàm ſi in bello vitam profunderet. D. Ambroſius lib. 1. de Arahamo cap. 3. *Sic,* ait, *amabat nepotem, vt pro eo ne belli declinaret periculum.* Et hæc fuit cauſa, ob quam Abrahamus pro victoria adepta, à Sodomorum Rege nullam rem accipere voluit. *Non accipiam,* ait, *ex omnibus, quæ tua ſunt,* ibidem num. 23. *Quaſi diceret,* inquit Chryſoſtomus, *neque enim mercedis gratia vindictam feci, ſed ob amoris affectum, quem erga fratris mei filium gero.*

*Amans ob dilectum cõtemnit periculum.*

Ambroſ.

Chryſoſt.

## QVÆSTIO XLIV.

### *Quare tam diuerſimodè Chriſtus loquatur de dilectione ſua, ac Magdalenæ amore?*

251. MAGNO diſcrimine loquitur Chriſtus, dum ſuam dilectionem, ac amorem Magdalenæ explicat; de ſua enim ait: *ſic Deus dilexit mundum*; & quanuis illius particulæ *ſic* verum ſenſum in expoſitione enucleauerim; tamen moraliter poteſt exponi *ſic*, id eſt, ita, tali modo. At cùm Chriſtus loquitur de amore Magdalenæ, ait: *Dilexit multum*, Luc. 7. n. 47. Sed cur ſapientiæ magiſter de ſuo infinito amore, qui in immenſum tranſcendit omnem creatum, ait: *Sic dilexit Deus*; id eſt, ita, tali modo; ac de amore finito, ac limitato creaturæ proteſtatur: *Dilexit multum?* O admirabile ingenium inacceſſibilis diuinæ charitatis erga nos! præ cordis æſtu, quæ ſua ſunt, vt parua, & minima reputat, & ait: *Sic dilexit*; at verò noſtra, quanuis aliàs multo inferiora, comparatione ad diuina, tamen tamquam multa, & magna appretiantur ab eo, *Dilexit multum.*

Lucæ. 7.

*Diuinus amor ſua in pauca reputat; noſtra verò in multum.*

252. Ioan. 17. Paſſioni proximus ad æternum Parentem orat Chriſtus: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos,* Ioan. 17. num. 11. Sermo erat de his, pro quibus mortuus eſt, & quos infinito pretio ſanguinis ſui ſibi acquiſiuit. Sed quomodo de illis ait, *Quos Dediſti mihi*; non enim gratis donati fuere, ſed pretio empti, ac comparati? Quomodo ergo: *dediſti mihi?* donatio enim gratuitum donum importat? De electis ad beatitudinem aliter dicitur:



Apoc. 14. dicitur. *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei,* Apoc. 14. num. 4. & 5. Electi, vt explicat ibi Pannonius, empti ſunt ad beatitudinem ſuis meritis, & ideo eorum egregia facta ſtatim commemorantur: *Non eſt inuentum in ore eorum mandacium; ſine macula enim ſunt.* In Electis ad fruitionem gloriæ interuenit emptio; & in Chriſto Domino ad principatum, ac caput Apoſtolorum, & omnium Electorum, donatio? Chriſtus erat, qui loquebatur, qui quanuis ſuis meritis infinitis de rigore iuſtitiæ principatum obtinuerit; tamen præ amoris æſtu eius opera pauca ei videbantur; & ideo quodammodo non pretio, ac morte diſcipulos ſibi comparatos, ſed ex dono acceptos denuntiat. At noſtra merita ita æſtimatione ab eo digna cenſentur, vt per ea dicamur, beatitudinem nobis acquirere, ac quodammodo emere. Cùm ipſe de ſuis Apoſtolis dicat, à Patre fuiſſe datos, non tamen in recompenſatione acceptos. Richardus de S. Victore, c. 10. in Cantic. *Acerbiorem martyrij dolorem aſſumpſit, & pati potuit, quàm vllus hominum vnquam paſſus ſit, vel pati potuit, vt incomparabilem demonſtraret charitatem: quæ charitas circa eorum ſalutem tanta fuit, quòd cùm eos pretio ſuæ mortis redemiſſet, non tam redemptos à ſe, quàm à Patre ſibi datos commemorat, ita dicens: Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, & ibi ſint mecum: in tantum de eorum redemptione exultat, vt non putaret magnum id, quod pro eis pertulit; ſed videatur, eos, quos accepit, datos ſibi potius in munere, quàm emptos pretio, vel recompenſatione.*

Pannonius.

*Chriſtus ob ſuum amorẽ quæ pro nobis agit, in pauca reputat.*

Richard.

252. Rom. 15. Ait Apoſtolus Roman. 15. num. 3. *Chriſtus ſibi non placuit.* Valde mirum, quòd Chriſtus, cuius perſona diuina eſt, cuius merita infinita, ſibi non placuit; nam ob noſtram ſalutem, ſanguinem à ſacris venis profluentem dedit; conſpui, crucifigi, mori voluit; flagella, alapas, coronam ſpineam, & improperia amariſſima ſupportauit. Ad quid, Domine mi Ieſus, tanta? Nonne vnum ex his operibus, cuius valor eſt infinitus, ſat erat pro noſtra ſalute? Abundantiſſimè ſufficiebat. Tamen præ amoris flamma, non ſolùm in flagellis, non in improperiis tantùm, verbi gratia, ſibi placuit, ſed magis, & magis ſuſtineri voluit: Et tamen noſtra merita, quanuis finita, & limitata, ei maximè placent. Ipſemet Paulus ad Coloſſenſ. 1. num. 10. *Deo per omnia placentes.* Ad Roman. 12. num. 1. *Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, Deo placentem.* Chriſtus in ſuis excellentiſſimis operibus, verbi gratia, dum conſpuitur, felle potatur, cuius valor in infinitum ſuperat omne meritum creatum, tam quod de facto datur, quàm quod dari poteſt in pura creatura de poſſibili; non ſibi placuit. Et noſtra opera multo inferiora ei placent. Ignita charitate Dominus ardebat, & vt verus hominum amator, quod noſtrum erat, in magnum appretiauit; quod verò ſuum, quodammodo non multum reputauit. Diuus Chryſoſtomus homilia 27. ad Romanos. *Poterat,* ait, *Chriſtus nulla ferre opprobria; poterat, quæ paſſus eſt, non pati, ſi quidem, quæ ſua erant ſpectare voluiſſet; verùm noluit: ſed quod noſtrum erat reſpiciens, quod ſuum neglexit.*

*Diuinus amor plura tormenta deſiderat.*

Coloſſ. 1.

Rom. 12.

Chryſoſt.



## QVÆSTIO XLV.

### *Quare non ſuam, ſed tantùm Patris dilectionem Chriſtus expreſſè commemoret?*

254. AIT noſter Redemptor: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* In quibus verbis Patris charitatem producit. Sed cur etiam ſuam dilectionem non commendat Chriſtus, qua pro nobis datus, & traditus eſt? Si enim Pater eximia charitate filium dedit ad mortem; filius etiam non minori charitate mortem eſt amplexatus pro nobis.

255. Euthym. Reſpondet primò Euthymius, quòd eadem eſt voluntas Patris, ac Filij, & Spiritus ſancti; ac proinde in eo, quod Pater tradidit, Filius ſe ipſum tradidit. Secundò, & in idem redit Diuus Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 12. *Eadem charitas, quæ Patris, etiam Filij eſt. Quæ eſt enim charitas Filij, niſi quia ſe pro nobis obtulit, & ſuo ſanguine nos redemit; eadem autem charitas eſt in Patre, quia ſcriptum eſt: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Tradidit ergo Pater filium, & filius ipſe ſe tradidit.* Tertiò D. Thomas *hoc loco.* Quòd Pater tradidit filium ad mortem, prout animæ Chriſti inſpirata eſt à Deo voluntas patiendi.

Ambroſ.

*Eadem charitas Patris, ac Filij.*

256. Rupert. Quartò Rupertus *lib.* 3. *in Ioan.* ad hunc locum. *Cùm dicere poſſet Chriſtus,* ait, *Tantus ego ſum, vt credentem in me totum poſſim redimere mundum; tanta, inquit, dilectione Deus dilexit mundum, vt pro illo in pretium daret filium ſuum vnigenitum.* Chriſtus ſeipſum tradidit pro noſtra ſalute, vt ait Paulus ad Galat. 2. *Chriſtus nos dilexit, & redemit à maledicto.* Tamen non de ſua, ſed de Patris dilectione facit mentonem: *Sic Deus dilexit mundum.* In noſtra redemptione interuenit Patris, & Filij dilectio; cur ſolùm eam quæ Patris eſt, commemorat? Cur ſolùm eam apponit? Sapientiæ magiſter, non ſua, ſed quæ Patris erant, conſiderabat, & totum negotium in Patris clementiam refundit, eumque totius operis fatetur authorem. Dixit quidam Chriſto Domino. *Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam.* Cui ait Dominus? *Quid me interrogas de bono?* Hoc eſt, quid me appellas bonum? *Vnus eſt bonus, Deus.* Matth. 19. num. 17. Sed cur tantus magiſter hominem aliqualiter increpat, quòd ipſum appellauerit bonum? Bonus eſt Pater, bonus eſt Filius; non enim negauit Dominus, ſe eſſe bonum, ſed exemplo ſuo nos inſtruere voluit, vt Deum totius bonitatis fontem, ac authorem agnoſcant homines, & quidquid boni nobis euenerit, ipſi Deo referatur. Caietanus. *Dixit hoc,* ait, *ad docendum exemplo ſuo, quòd cùm laudamur, retorquere proprias laudes in diuinam debeamus.* Bona noſtra opera, non nobis tribuamus, ſed Deo decantemus.

Galat. 2.

Matth. 19.

*Quidquid boni in nobis eſt, Deo tribuatur.*

Caiet.

257. Exod. 15. Poſtquam ſubmerſi ſunt Ægyptij in mari rubro, cecinit Moyſes: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus,* Exod. 15. num. 2. Quomodo Moyſes totam tuam fortitudinem Deo adſcribis? Nónne tuis viribus Ægyptium percutientem Hebræum interfeciſti? Nónne tuis viribus defendiſti ſeptem filias Sacerdotis Madian à paſtoribus prohiben-

tibus eas ſuum gregem adaquare? Nónne animoſè Ægyptiorum diuitias contempſiſti? Nónne munus tibi commiſſum de libertate populi cum Pharaone perfeciſti, itavt dicat Paulus ad Hebræos 11. n. 27. *Non eſt veritus animoſitatem Regis.* Vox Græca: *Non eſt veritus Regis iracundiam.* Syriacus: *Non formidauit Regis furorem.* Quomodo dicis, *fortitudo mea, & laus mea Dominus?* Quia licèt aliquid fortitudinis geſſerit; tamen non propriam laudem, ſed Dei gloriam, à quo eſt omne bonum, quærebat, eique omnia tribuebat. Titelmanus, *Omnem hanc victoriam*, inquit, *cum laude, & cantico adſcribo, ego Domino Deo noſtro, qui eſt fortitudo mea; illa tota, per quam tam præclara mihi contigit de inimicis meis victoria, quam meis propriis viribus, ſpes nunquam fuiſſet conſequendi.* Vide *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 1.

Hebr. 11.

Titelmanus.

## QVÆSTIO XLVI.

### *Quare Chriſtus Dominus non diſtinctè, ſed inuolutè Nicodemo dixit, ſe eſſe Filium Dei vnigenitum?*

258. CHRISTVS Dominus in toto hoc colloquio maximè intendebat, vt Nicodemus eius dictis crederet, & ei aſſentiretur; ideo ei ſuperius dixit *n.* 15. quòd *oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat;* ideo hîc etiam ait, quòd Deus dedit filium ſuum vnigenitum, *vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* Sed cur Dominus non manifeſtè loquitur, quòd oportet credere in ipſum, qui eſt filius hominis, qui eſt filius Dei vnigenitus? dicendo, verbi gratia: Sic Deus dilexit mundum, vt me filium ſuum vnigenitum dederit, vt omnis, qui in me credit, non pereat:

259. Reſpondeo, quòd Dominus meus Ieſus, vt bonus magiſter, expreſsè docet ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, nempe quòd oportet credere in filium Dei vnigenitum: tamen, vt valde humilis, modeſtiæ ergò, diſtinctè non dicit ſe eſſe filium Dei vnigenitum; ſed tantùm ex antecedentibus, & conſequentibus inſinuat, vt oſtentationem declinet. Ea, quæ ad noſtram ſalutem ſpectant, diſertis verbis docet, & oſtendit; quæ verò ad gloriam ſuam attinent, inſinuat, & denotat. Rupertus lib. 3. in Ioan. *Cum dixiſſet*, ait, *ſe exaltari oportere, & in ſe credendum eſſe, rationem auditor tacitus expectabat (qui in vnum, & ſolum Deum credendum eſſe, non ignorabat, quippe qui princeps Iudæorum erat) quæ perdoceretur, vt quid in filium hominis credi oporteat. Nam ſi credendum in illo eſt, conſequitur, quia Deus eſt; hoc ergo conſequebatur, vt diceret: Quia Deus ſum; Quia filius Dei ſum: Quia Dei Patris vnigenitus ſum. Et hoc ſubiungit; ſed cum tanto condimento ſapientiæ, & humilitatis, vt illum, non tam ſe ipſum commendare, vel propriam gloriam quærere, quàm neceſſariam audientium ſalutem optare, manifeſtum ſit. Sic enim, inquit, Deus dilexit mundum,* &c. & poſtea ſubdit. *Quantum habet gratiæ, & pulchritudinis, quod dum cauſa, vt ſe fateatur eſſe filium Dei, oſtentationem declinans, immo declinando ſe eſſe; quod erat inſinuans, ad commendationem dilectionis Dei confugit, dicens: Sic Deus dilexit mundum,* &c. *Cum dicere poſſet: Tantus ego ſum, vt credentem in me totum poſſim redimere mundum.* Ita ille, & ſatis eleganter. Neceſſitas poſtulabat, vt Dominus ſe ipſum declararet, Dei filium vnigenitum eſſe; hoc tamen non diſertè facit, non dicit: Ego ſum Deus; Ego totum mundum credentem in me poſſum redimere: *ſed cum magno condimento ſapientiæ, & humilitatis*, oſtentationem declinans, per tertiam perſonam loquens, ſe Deum eſſe inſinuat: ſi enim neceſſitas proprias laudes detegere poſcit, diuini eſt ingenij hoc cum modeſtia verborumque inuolucro præſtare.

*Chriſtus cum modeſtia excellentias ſuas producit.*

Rupert.

*Chriſtus oſtentationem declinat.*

260. 2. *Corinth.* 12. *num.* 2. ait Paulus. *Scio hominem ante annos quatuordecim*; de ſuo raptu ad cælum agit; & cùm multas reuelationes habuerit, vt probant Iuſtinianus, & Cornelius, vnam commemorat; & hoc non ſponte, ſed coactus neceſſitate, vt obſeruat Diuus Hieronymus. Et non ſtatim, ſed poſt annos quatuordecim, vt aduertunt Chryſoſtomus, & Diuus Thomas. Et reuelationem, non in propria perſona, ſed veluti in aliena declarat. Sedulius. *De ſe, humilitatis cauſa, quaſi in alterius perſona loquitur.* Cantant in cælo Sancti: *Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius; quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & regnabimus*, Apocal. 5. num. 9. Pro illo, *regnabimus*, habetur in margine, & alij legunt, *regnabunt*; ſed quomodo felices illi Spiritus, qui cum Deo regnant, non de ipſis, ſed de aliis regnum diuulgant, ac fatentur? Nunquid obliuiſcuntur tanti beneficij, quod acceperunt? Minimè. Sed cæleſtes illi Spiritus ob ſuam modeſtiam cauent tantam gloriam, ac regnum de ſe prædicare, ac decantare. Et ideo veluti Chriſti Spiritum bibentes per tertiam perſonam, tanquam de aliis loquuntur, *regnabunt*. Rupertus lib. 4. *Religioſa*, inquit, *valde tranſitio hæc eſt, declinans etiam in ſono vocis vanè gloriantium ſimilitudinem. Etenim cum veraciter dicere poſſent: Et regnabimus ſuper terram; magis humiliter dicere placuit: Regnabunt. Itaque, & feciſti nos Deo noſtro regnum, ſit laudatio omnium communiter confitentium, & regnabunt ſuper terram; dictum ſit ſingulorum humili ſe reuerentia deprimentium.*

2. Corint. 12. *Sancti cum modeſtia laudes ſuas dicunt.* Iuſtinian. Cornelius. Hieron. Chryſoſt. D. Thom. Sedulius. Apocal. 5.

Rupert.

## QVÆSTIO XLVII.

### *Quomodo cohæreat præſens textus cum illo Pauli:* Qui dilexit me, tradidit ſemetipſum propter me?

261. AIT Paulus ad Galat. 2. n. 20. *Qui dilexit me, tradidit ſemetipſum propter me.* Et Chriſtus Dominus hoc loco: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Paulus charitatem Chriſti erga nos, Chriſtus tantùm charitatē Patris ergo mundum producit, de quo dictum eſt q. 45. Modò verò in dubium vocamus, cur Magiſter gentium dilectionem, & traditionem propter ſe factam ſcribit; Chriſtus autem eximiam in omnes Patris charitatem, ob quam filius eſt traditus ad mortem, prædicat, & diuulgat: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret?* Et dubitationem in hunc modum proponens D. Chryſoſt. ad citata verba

Galat. 2.

*Ponitur ratio difficultatis.*

Chryſoſt.



verba ad Galatas, vtrumque locum inter ſe conferens, ſic cum Paulo argumentatur: *Quid facis, ô Paule*, inquit, *dum communia propria tibi vendicas, quæque pro toto terrarum orbe facta ſunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixiſti: Qui dilexit nos; ſed, qui dilexit me. Atqui Euangeliſta dixit: Sic Deus dilexit mundum. Quin & tu dicis: Qui proprio filio non pepercit, ſed tradidit eum pro nobis.* Ad Roman. 8. num. 38. *Non igitur pro te, ſed pro omnibus. Quid eſt igitur? Quid dicis?*

Rom. 8.

262. Duo reſpondet citatus Chryſoſtomus. Et primò, *Cùm conſideraſſet*, ait, *Apoſtolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei ſolicitudinem, inflammatus illius deſiderio in hunc modum loquitur.* Quanuis enim dilectio Dei fuerit ad omnes, & pro omnibus traditus Chriſtus; tamen Apoſtolus de ſe ſpecialiter fatur: *Qui dilexit me, tradidit ſemetipſum pro me, inflammatus illius deſiderio.* Nam tale erat Dei deſiderium, vt pro vno ſolo omnia tormenta ſubiret Dominus; quoniam, vt poſtea ſubdit ſanctus Doctor, *Neque enim recuſatus erat Chriſtus ob vnum tantam exhibere diſpenſationem; adeò ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuerſum.* Tam vehemens hominum amator eſt Deus, vt non minori charitatis flamma vnumquemque diligat, ac vniuerſos homines diligit. Et ideo quod de dilectione in vniuerſum mundum producit Chriſtus, Paulus de dilectione erga ſe ſolum aſſeuerat. Vnde ita dolet Dominus, dum vnus perit, ac ſi multi in interitum abirent. Ad regales nuptias vocantur omnes; ex quibus cùm vnus adeſſet non veſtitus nuptiali veſte, miſſus eſt in tenebras exteriores. Et ita Dominus claudit parabolam: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 22. n. 12. Grauis exoritur difficultas. Ex omnibus vocatis vnus eſt eiectus; quomodo ergo pauci ſunt electi? Dicendum potiùs erat: Multi ſunt vocati, pauci verò reprobati? Sed è contra dicit Dominus, *pauci electi*; quia ita dolebat in vnius amiſſione, ac ſi multos perdidiſſet. D. Bernardus ſerm. 68. in Cantica: *In quo multi audent, audet & vnus; quod habet in natura ſimpliciſſima ſponſi diuinitas, quaſi vnum, reſpicere multos, & quaſi multos vnum.*

Chryſoſt.

*Chriſtus pro vno ſolo omnia tormenta ſubiret.*

*Deus æquali dilectione diligit vnum hominem, ac vniuerſos.*

Matth. 22.

*Chriſtus ita dolet in vnius perditione, ac ſi multos perdidiſſet.*

Bernard.

263. Secundò reſpondet citatus Chryſoſtomus: *Præterea declarat hoc quoque par eſſe, vt quiſque noſtrûm non minus agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum aduenſſet.* In Deo dilectio, ac beneficium ad omnes: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* At verò in ſeruo tanta eſt gratificatio, & tam gratum ſe exhibet, ac ſi beneficia omnibus communia, ei vni fuiſſent ſpecialiter præſtita. Poſtquam Iſraël tranſiuit per mare ſiccum, & Pharao cum exercitu ſuo eſt ſubmerſus, cecinit Moyſes, & ait: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*, Exod. 15. num. 2. Quid dicis, Moyſes? Nónne omni populo Iſraëlitico factus eſt Dominus in ſalutem? Nónne omnes de ergaſtulo Ægyptiorum, ac Pharaonis tyrannide liberati ſunt, ita enim dicunt infrà: *Dux fuiſti in miſericordia populo tuo, quem redemiſti*, num. 13. Cur ergo communem miſericordiam, tibi peculiarem dicis? Cur non dicis, factus eſt nobis in ſalutem? Intellige myſterium; in Deo gratia omni populo communis; in ſeruo autem tam gratus animus, ac ſi beneficium ei ſolum fuiſſet collatum. Carthuſianus ibi: *Hoc*, inquit, *ad ſeruum Deo ſpecialiter gratum, deuotum, fidelemque pertinet, vt de generalibus beneficiis Creatoris ſpeciales laudes, & gratias referat Domino, quaſi ſint ſibi ſoli condonata ab illo.*

Chryſoſt.

*Gratus animus beneficia communia tanquam propria ducit.*

Exod. 15.

Carthuſ.

264. Ait Regius Vates: *Redemiſti me, Domine Deus veritatis*, Pſalm. 30. num. 6. vbi Dauid recognoſcit beneficium redemptionis à ſeruitute Ægyptiaca, vt vult Lyranus, qui ait: *Quia Dauid de ſeruitute Ægypti redemptus fuit in Patribus antiquis.* At huiuſmodi ingens Dei miſericordia ad vniuerſum populum Iſraëliticum ſe extendit, ſicut promiſerat patribus ſuis Abrahamo, Iſaac, & Iacob. Et ideo dicitur à Pſalmographo, *Deus veritatis.* Si ergo vniuerſus Iſraël egreſſus eſt, ita vt nec vna eorum vngula remanſerit, *Exod.* 10. *num.* 26. Quomodo ait Dauid: *Redemiſti me?* Cur redemptionem tibi factam commemoras? Cur non dicis: Redemiſti nos? Quanuis enim miſericordia in Deo fuerit generalis; tamen animus gratus beneficium, vt ſibi ſpeciale agnoſcit, vt inde ſe magis Deo obnoxium, ac obligatum fateatur. Vide *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 6.

Pſalm. 30.

Lyran.

## QVÆSTIO XLVIII.

### *Quare hîc non ſolùm dicitur, quòd Pater dederit filium vnigenitum, ſed etiam additur ſuum, non verò, prout eſt in ſinu eius?*

265. DVM in hoc loco deſcribitur, quòd Pater miſerit filium ad mortem pro redemptione generis humani, dicitur: *Filium ſuum vnigenitum dedit.* At cùm Euangeliſta mentionem facit de ipſomet filio, prout eſt in gloria Patris, ait: *Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*, Ioan. 1. num. 18. In quæſtionem ergo voco: cur in noſtro textu, non ſolùm dicitur filius vnigenitus, verùm additur *ſuus: dedit vnigentum filium ſuum.* In ſinu autem dum deſcribitur, nomen *ſuus* prætermittitur, non enim dicitur: In ſinu Patris ſui, ſed abſolutè: *Qui eſt in ſinu Patris?*

Ioan. 1. *Ratio difficultatis.*

266. Reſpondeo, quòd quanuis Chriſtus Dominus ſemper ſit filius vnigenitus dilectiſſimus ſui Patris; tamen amore tam vehementiſſimo Pater nos diligit, quòd noſtro dicendi modo magis Chriſtus declaratur filius ſui Patris, cùm pro generis humani ſalute traditur ad mortem, quàm dum in cœleſti beatitudine, ac beatifico applauſu ad dexteram Patris regnat, & triumphat. Et dulciori verbo *ſuum* vtitur Scriptura, enarrans aduentum filij ad mortem: *dedit filium ſuum vnigenitum*; & huiuſmodi nomen non apponit, eum in ſinu Patris reclinatum deſcribens; non enim dicitur: Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ſui.

*Chriſtus magis declaratur filius ſui Patris, dum patitur, quàm dum regnat.*

267. Loquitur Pater cum filio ſuo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Pſalm. 2. num. 6. Quod de generatione temporali explicant Origenes. Diuus Athanaſius, Beda, & alij, quando filius in Incarnatione à Patre in mundum miſſus eſt ad mortem; & ideo dicitur in principio Pſalmi, *Aſtiterunt Reges terræ aduerſus Dominum, &* aduer

Pſalm. 2. Origen. Athanaſ. Beda.

*aduerſus Chriſtum eius.* In ipſa ergo Incarnatione, ac morte à Patre cognoſcitur, ac declaratur *filius meus.* Et tamen in ſequenti Pſalmo, cùm de Chriſti reſurrectione agatur, nec Chriſtus appellat ſuum parentem Patrem, nec ipſe eum filium ſuum vocat; ſed tantùm dicitur: *Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*, Pſalm. 3. num. 6. Res omni admiratione digna, quòd Dominus, dum deſcendit ad humanæ naturæ abiectionem, ac mortem, & paſſionem amplexatur, à Patre appellatur filius, & in triumphali, ac glorioſa reſurrectione nomen filij prætermittitur; non enim dicitur: Dominus ſuſcepit me filium ſuum. Abſque dubio Chriſtus Dominus magis recognoſcitur, ac manifeſtatur, noſtro loquendi modo, filius æterni Parentis, ad humilitatem mortis deſcendens, quàm in reuiuiſcentia ſui corporis glorioſus triumphator aſcendens. Et hac de cauſa, cùm ad mortem venit, filius publicatur. Diuus Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Pulchrè autem*, ait, *Pater dicit ad Filium, Ego hodie genui te, hoc eſt, quando redemiſti populum; quando ad cæli regnum vocaſti; quando impleſti voluntatem meam: probaſti meum te eſſe filium.*

Pſalm. 3.

*Chriſtus in morte agnoſcitur à Patre vt filius ſuus.*

Ambroſ.

268. Dixit Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & offeres eum in holocauſtum*, Geneſ. 22. num. 1. Abrahamo euaginato gladio diuinum mandatum exequenti clamat Angelus de cælo: *Ne extendas manum tuam ſuper puerum*, ibidem num. 12. Iam dubium pulſat, cur non dixerit Angelus: Ne extendas manum ſuper filium tuum vnigenitum; ſed maluit puerum, quàm filium nominare; ſicut fecerat, cùm ad immolationem imperauit: *Tolle filium tuum vnigenitum*; cùm *puer* in Scriptura frequenter ſeruum ſignificet, vt patet ex multis locis, & ex eodem cap. num. 5. *Omnia in parabolis contingebant illis.* Iſaac Chriſtum Dominum repræſentans dicitur *filius*, cùm ad iugulationem mittitur; cùm verò viuus accipitur, puer, ſeu ſeruus vocatur. Multo plus ſe filium tanti genitoris probauit, quando gladio collum exhibuit, quàm dum viuus in ampliſſimam hæreditatem, ac poſſeſſionem donatur. D. Chryſoſtomus *homil. de Iob & Abraham*, ſic ait: *Dixit Deus Abraham: Abraham, ne extendas manum tuam ſuper puerum. Quare non dixit filium, ſed puerum? vilior erat.* Multo nobilior erat Iſaac, cùm in victimam præparabatur, quàm dum ei vita conceditur. Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 96. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 89.

Geneſ. 22.

*Iſaac magis declaratur patris ſui filius, dum tēdit ad ſacrificia, quàm dum viuit.*

Chryſoſt.

## QVÆSTIO XLIX.

### *Quare dicatur, quòd Deus dilexerit mundum, cùm ſcriptum ſit:* Nolite diligere mundum?

269. MVNDVS, vt vult Plato, & refert Albertus Magnus *hîc*, dicitur, quia mundiſſimo exemplari à Deo formatus exiuit. Communiter Expoſitores docent, quòd *mundus* dicitur Latine à munditie, Græcè ab ornatu, eo quòd immundus, & inornatus per antiphraſim ſit. Sicut frequenter apud Hebræos vſurpatur verbum *benedicendi*, pro verbo *maledicendi*, Iob 1. n. 11. Et quanuis mundus, ſeu orbis in ſe purus ſit, tamen dum nos in eo finem vltimum collocamus, ſit nobis immundus.

Plato.
Albert. Mag.
*Mundus vnde dictus.*

Iob 1.

270. Difficultas præſens eſt, quomodo Chriſtus Dominus dicat, quòd Deus dilexit mundum, cùm Ioannes *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *n.* 15. dicat: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Quomodo ergo charitas Patris manifeſtatur, dum diligit mundum? Nunquid aliud videtur in magiſtro, & aliud docet diſcipulus?

1. Ioan. 2.

271. Et ad hoc reſpondet Dion. Carthuſianus, quòd in Scriptura *mundus* accipitur pro hominibus in terra degentibus; & hoc tripliciter. Primò pro mundanis, & vitioſis hominibus; de quibus Paulus *ad Galat.* 1. *n.* 10. teſtatur: *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Et de hoc mundo ſcribit 1. Ioan. 4. n. 5. *Ipſi de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et iſte eſt mundus pertinens ad maſſam perditionis. Secundò accipitur mundus pro hominibus prædeſtinatis in mundo ſenſibili pergentibus. Huius mundi dicitur Chriſtus Saluator, quemadmodum loquitur Paulus 2. Cor. 5. n. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Tertiò ſumitur mundus pro omnibus hominibus in terra viuentibus indifferenter, electis, & reprobis; & ſic poteſt nunc accipi. Deus enim diligit omnia, quæ fecit; & vult omnes homines ſaluos facere; & quantum in ipſo eſt, neminem vult perire. Hæc Carthuſianus.

Carthuſ.
Galat. 1.
1. Ioan. 4.
2. Cor. 5.

272. Reſpondeo ad quæſtionem, quòd Ioannes in ſua Canonica *citato loco*, ſupponit mundum pro vniuerſitate concupiſcibilium, vt rectè *ibi* explicat Diuus Thomas, & eundem ſenſum ſequuntur Gloſſ. Lyranus, & Hugo. Et patet ex verbis Apoſtoli citato loco: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt.* Et ideo per *mundum* intelligitur inordinatus carnis appetitus. de quo dicitur Ioan. 1. num. 10. *Et mundus eum non cognouit*; vt dicunt Auguſtinus *in Pſalm.* 54. Diuus Cyprianus *lib. de immortalitate.* At verò hoc loco, dum Chriſtus ait: *Sic Deus dilexit mundum*; per *mundum* intelligit homines; nam iniquitas eſt deteſtanda, non autem peccator, prout homo, & creatura eſt: concupiſcentia mundi eſt abominanda, non autem homo.

D. Thom.
Gloſſa.
Lyran.
Hugo.
1. Ioan. 2.
Ioan. 1.
Auguſt.
Cyprian.
*Peccatum eſt execrandum, non peccator.*

273. De iniquis ait Regius Vates: *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*, Pſal. 138. n. 22. Sed quodnam eſt odium perfectum? Mandatum Chriſti eſt, vt diligamus inimicos noſtros: quomodo ergo poteſt eſſe odium perfectum? Sine dubio illud eſt, quo abominatur peccatum, non autem peccator, qui à Deo eſt creatus. Diuus Auguſtinus in Pſalmum citatum. *Quid eſt, perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc eſt perfecto odio odiſſe, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Ait Deus Moyſi Exod. 18. num. 21. *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam.* Vbi Dominus præcipit, vt ad regimen populi eligantur viri, non qui oderint auaros, ſed auaritiam, ſeu ſuperbiam, vt alij legunt. Origen. homil. 11. ad prædictum locum: *Tales, ait, oportet eſſe principes populi, qui non ſolùm ſuperbi non ſint, ſed etiam qui oderint ſuperbiam, id eſt, non ſolùm ipſi abſque vitio ſint, ſed etiam in aliis oderint vitia. Non homines dico odiſſe, ſed vitia.*

Pſalm. 138.
Auguſt.
Rom. 18.
Origen.





## QVÆSTIO L.

### *Quare non dicitur, quòd Deus dilexerit homines, ſed mundum?*

274. CERTVM eſt, quòd ob hominum amorem Deus filium ſuum miſit in mundum; vt homines quos condiderat, non perirent. Cur ergo non dicitur, quòd Deus ſic dilexit homines, vt filium ſuum vnigenitum daret: ſed tantùm dicitur, dilexit mundum? Et quanuis ibi per *mundum* intelligantur homines, vt fatentur communiter omnes Patres, & Expoſitores; tamen adhuc eſt dubium, cur non dixit *homines*, ſed *mundum?*

*Ratio difficultatis.*

275. Rectè reſpondet Caietanus. *Homo pars eſt mundi, & bonum partis eſt bonum totius. Parque fuit, vt Creatori mundi aſſignaretur potius dilectio totius, quàm partis.* Nobilitas enim partis, totius nobilitas eſt; ac proinde illud, quod illuſtrat hominem, vniuerſum orbem illuſtrat, cuius homo pars eſt. Deinde maximè alienum eſt ab omnium rerum Creatore, ac gubernatore, vt aliquis peculiaris in eo videatur affectus: & ideo non dilectio partis, ſed totius Deo fuit attribuenda. Dicebat impius Arrius, Verbum eſſe creaturam immediatè productam à Deo, & ipſum Verbum cætera omnia condidiſſe, Acutè Fauſtinus Preſbyter *lib. contra Arrium*, ipſum conuincit. *Si cunctorum Creatorem diuidis, vt vnius efficiaris, Deum negas.* Non enim ea inæqualitas datur in diuina bonitate, vt vnam creaturam per ſe immediatè creet, & alias creari imperet, ſed omnia exornat, & nobilitat, dum proprio ore fieri iubet, dicens: Fiat firmamentum, fiat lux, fiant luminaria, &c.

Caietan.

*Particularitatis affectus lōgè diſtat à Deo.*

Fauſt. Preſb.

276. Deus enim nil magis intendit, quàm miſericordiam ſuam ad omnes extendere, nil magis refugit, quàm id, quod particularitatis notam innuere poteſt. Poſtquam Matthæus incipiendo ab Abrahamo Chriſti ſcripſit genealogiam, Lucas per ſeptuaginta duas generationes reducendo vſque ad Adam eam narrauit. Diuus Irenæus lib. 3. cap. 33. *Propter hoc*, ait, *Lucas genealogiam, quæ eſt à generatione Domini noſtri vſque ad Adam, ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit, finem coniungens initio, & ſignificans, quoniam ipſe eſt, qui omnes gentes exinde ab Adam diſperſas, & vniuerſas linguas, & generationem hominum cum ipſo Adam in ſemetipſo recapitulatus eſt. Vnde & à Paulo typus futuri dictus eſt ipſe Adam; quoniam futuram circa filium Dei humani generis diſpoſitionem in ſemetipſo fabricator omnium Verbum præformauerat prædeſtinante Deo primum animal, hominem videlicet, vt à Spiritu ſaluaretur.* Cùm Matthæus Hebræis ſuum ſcriberet Euangelium, vt notaui *tom.* 1. *in proœmio. c.* 3. ab Abrahamo exorditur, qui eorum caput, & princeps erat. Et ne quis leuiter ſuſpicaretur, Chriſti aduentum Hebræorum tantùm vtilitatem reſpicere, Lucas texit Chriſti genealogiam vſque ad Adam, qui totius vniuerſi extitit origo; & per ſeptuaginta duas generationes, quia in totidem linguas genus humanum eſt diuiſum: vt nobis fieret euidens, Chriſtum non vnum populum, ſed cunctarum gentium, ac linguarum congregationem in ſe recapitulaſſe ad ſalutem, vt omnium Redemptor, ac Saluator agnoſceretur.

Irenæus.

*Chriſtus, non vnius populi ſed omnium gentium Saluator.*



## QVÆSTIO LI.

### *Quare Chriſtus in hoc colloquio cum Nicodemo priùs ſe appellat filium hominis, & poſtea filium Dei?*

ANTEQVAM Chriſtus Dominus cum Nicodemo ad præſentem textum deueniſſet, in quo ſe filium Dei vnigenitum appellat, *vt filium ſuum vnigenitum daret*; priùs bis ſe filium hominis vocauit ſuprà num. 13. *filius hominis, qui eſt in cælo*, & num. 14. *Exaltari oportet filium hominis.* Sed maximè eſt inueſtigandum, cur Chriſtus Dominus ſe incipit declarare per id, quod erat abiectius, & humilius, nempe humanitatem? Solent homines prima facie tam in ſuis domibus, quàm in publicis colloquiis præcipua ſtemmata ſuæ nobilitatis aperire, ac euulgare. Cur ergo Dominus ab eo, quod erat inferius, exorditur. 277.

278. Reſpondeo primò, quòd cùm humanitas eſſet quid apparens, & omnium oculis manifeſtum, Chriſtus Dominus ab his, quæ erant faciliora, vt optimus magiſter incepit. Vide *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 56 Secundò. Ob magnum ingenium, & propenſionem quam Dominus ad humilitatem habebat. Vide ſuprà *num.* 72. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 85. *& c.* 9. *num.* 43. Tertiò. Cùm Chriſtus Dominus eſſet Deus, ac vnigenitus conſubſtantialis filius Dei, & etiam eſſet homo, natura humana ex parte Matris vnita in vnitate ſuppoſiti Verbi Dei; abiectio, & humilitas humanæ naturæ ante oculos ei erat maximè defixa. Ait Rex Salomon Sapient. 7. num. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus & ex genere terreni illius hominis, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro decem menſium tempore.* Eleganter addubitat Lorinus: Cur ſapientiſſimus Rex, dum de ſua conceptione aggreditur loqui, cur non de patre, ſed potiùs de matre mentionem facit? Satis erat apertum ſapientiſſimo Regi id, quod mediocri ingenio non eſt abſconditum, quòd ſcilicet pater in filij conceptione primas habet partes; immo ſolus vir concurrit effectiuè in generatione, vt volunt Ariſtoteles *lib.* 1. *de gener. cap.* 19. *&* 20. Auicenna *lib.* 9. *de anima cap.* 3. Diuus Thomas 3. *p. q.* 32. *art.* 4. *ibid.* Caietanus, & alij multi, quos citant Conibricenſes *lib.* 1. *de gener. quæſt.* 27. *art.* 1. Cur ergo matrem primò commemorat Salomon? Eius pater Rex Dauid, ſanctitate, virtute, animi dotibus præclarus extitit valde; at mater crimine adulterij fœdata: immo regalis Tribus Iuda valde ignobiles paſſa eſt matres; Thamar fornicariam, Raab meretricē, Ruth Moabitidem. Et ſapiens Salomon prius oculos coniecit ad natalium vilitates, & abiectiones, quàm ad glorias, & ſplendores. Et ideo ante omnia ignobilitatis matris meminit & ſplendorem paternæ gloriæ omittit. Vide *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 80. *& ſupra num.* 171.

*Bonus magiſter à facilioribus incepit.*

Sap. 7.

Lorin.

Ariſtot.
Auicenna.
D. Thom.
Caiet.
Conimbric.

*Homo cognoſcat humilitatem ſua natura.*

## QVÆSTIO LII.

*Quare idem effectus redemptionis, priùs tribuatur Christo Domino, provt filius hominis, quàm provt Vnigenitus Dei?*

279. *Ratio dubitationis.* DE effectu noſtræ redemptionis bis loquitur Chriſtus Dominus in hoc colloquio cum Nicodemo. Primò, provt ſe dicit filium hominis ſuprà n. 14. & 15. *Ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et idem repetit hîc ſecundò in hoc textu, cùm ſe filium Dei appellat: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Cur ergo Chriſtus Dominus redemptionis effectum primò ſibi attribuit, provt filius hominis eſt, ſecundò loco provt filius vnigenitus Dei? Et præſtantiſſimum noſtræ ſaluationis opus ſibi primo adſcribendum videbatur, provt vnigenitus Dei filius, ſiquidem à ſuppoſito Verbi Dei prouenit infinitus valor in actionibus Chriſti, per quem de rigore iuſtitiæ ſatisfecit.

280. August. Reſpondet primò Diuus Auguſtinus: *Notandum vero,* ait, *quod eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiſerat, dicens: Vt omnis, qui credit in eum; quia idem redemptor, & conditor noſter filius Dei ante ſæcula exiſtens, filius hominis factus eſt in fine ſæculorum, vt qui per diuinitatis ſuæ potentiam nos creauerat ad perfruendam beatitudinem perennis vitæ, ipſe per fragilitatem humanitatis noſtræ nos reſtauraret ad percipiendam, quam perdidimus vitam.* Idem habent Beda, & Haymon *homil. de Inuentione Sanctæ Crucis.* Ipſe Dominus, vt vnigenitus filius Dei per potentiam creauit hominem ad æternam beatitudinis felicitatem; at verò, vt filius hominis, per fragilitatem humanitatis ad vitam nos reſtaurauit æternam. Et alicuius boni reſtauratio in maiori veneratione, ac æſtimatione eſt, quàm illius prima collatio. Ergo ſi vt filius Dei dedit, & vt filius hominis reſtaurauit, Chriſto vt filio hominis primò fructus redemptionis adſcribatur, cùm ipſa reſtauratio maximi ſit oblectamenti, & delectet: maiori enim gaudio Iacob fuit perfuſus, cùm audiſſet Ioſeph, quem mortuum exiſtimabat, in Ægypto regnare, *Geneſ. 45. n. 26.* quàm dum ex Rachel illum accepit, vt ponderat Diuus Eucherius; nam cùm cognouiſſet, filium in Ægypto regnare, multo maiora lætitiæ edidit ſigna. Vide *lib. 2. c. 10. q. 25.*

Beda. Haymon. *Reſtauratio boni alicuius in maiori æſtimatione, quàm prima collatio.* Eucher.

281. *Quæ ex merito maximè nobili ant, & primo commemoranda.* Secundò. Chriſtus Dominus vt filius hominis mortuus, & paſſus redemptionem noſtram promeruit; eleganti ordine noſtræ recuperationis fructus ipſi, vt filio hominis primò aſſignatur: qui enim meritum habet, primas habeat ſedes, honoreque ex merito proueniente maximè nobilitetur. Cùm Dominus meus Ieſus adſtaret coram Principe Sacerdotum, ei dixit: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei.* Cui Dominus reſpondet: *Dico vobis: Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli,* Matth. 26. num. 63. & 64. Qua conſequentia loquitur ſapientiæ magiſter? Pontifex interrogat: an ipſe ſit filius Dei? Ad quid Dominus diuertit ſermonem ad filium hominis: *Videbitis filium hominis?* Interrogatio, & reſponſio ſibi mutuò cohærere debent; ſi de filio Dei interrogatur, qua connexione ad filium hominis recurritur? Agebat Dominus de merito ſuæ paſſionis, quo promeruit exaltationem ſui corporis vſque ad dexteram Dei, & poteſtatem iudiciariam ſuper omnem creaturam; & quia vt filius hominis profuſione ſui pretioſiſſimi ſanguinis totum principatum obtinuit, ac victor reſurrexit, ideo filius hominis commemoratur, ac de eo ſermonem inſerit. D. Paſchaſius lib. 12. in Matt. *Seſſio filij hominis,* inquit, *& non filij Dei: Quæ nimirum Eccleſia, ſeu thronus dicatur, ſeu ſeſſio Chriſti à tempore reſurrectionis eius colligitur, & aggregatur vſque in finem, in qua filius hominis & ſedere victor videtur, & venire in nubibus cæli.* Vide ſuprà *n. 208.* Paſchaſ.

Matth. 26.

*Ioannis 3. n. 17.* Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.

### VERSIONES.

| | |
|---|---|
| *D. Athanaſius lib. 5. contra Arrian.* | Non veni, vt iudicē mundum, ſed vt ſeruem ipſum. |
| *D. Ambroſius lib. de Pœnit. cap. 11.* | Non enim veni, vt iudicem mundum, ſed vt ſaluetur mūdus per me. |
| *Syriacus.* | Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt condemnet mūdum, ſed vt ſeruetur mundus per eum. |
| *Vatablus, &c.* | Vt condemnet mundum, ſed vt ſalutē conſequatur mundus per eum. |

### EXPOSITIO.

PARTICVLA illa *enim* cauſam indicat ſuperioris ſententiæ. Deus ex amore ſuo filium Vnigenitum dedit, vt omnis, qui credit in eum, non pereat; quia miſit Deus filium ſuum, non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus. Nam quanuis hominum peccata mererentur iudicium, & condemnationem; tamen Deus primò miſit filium ſuum ad ſaluandum mundum; nam, vt notant D. Chryſoſtomus *homil.* 27. Theophylactus, & Euthymius, ſi filius Dei ad iudicandos prius quàm ad ſeruandos homines veniſſet, quem ſeruaret, non inueniſſet. *Vt iudicet mundum,* id eſt, condemnet, vt legunt Syriacus, Vatablus, Theophylactus, Euthymius, & explicant Albertus Magnus, & alij. Et ita manet recta in verbis oppoſitio; non venit, vt condemnet, ſed vt ſaluet. *Mundum,* id eſt, omnes homines, vt explicat Caiet. *Sed vt ſaluetur mundus,* quia, vt omnes explicant cum D. Auguſt. *tract.* 12. Deus, quantū ex ſe, vult omnes homines ſaluos facere. 282.

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Syriacus. Vatabl. Theophyl. Euthym. Albert. Mag. Caietan. Auguſt.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO LIII.

*Quare Chriſtus Dominus, hîc auditores ſuos à iudicij ſuſpicione remoueat?*

283. Rupert. RESPONDET primò Rupertus lib. 3. in Ioan. *Contra carnalem,* ait, *Iudæorum opinionem hoc intulit Chriſtus, à quibus terrenum regnum, & carnale ſæculum Chriſto regnante ſperabatur affuturum, bellis, & cædibus cruentum: Non, inquit, miſit Deus filium ſuum, vt iudicet, vel diſponat ea, quæ in mundo: ſed vt iudicetur, & agat ea, quæ ſalutis æternæ ſunt.* Similiter Caietanus. Ac proinde, quod dum Chriſtus ait: Non miſit Deus filium ſuum, vt iudicet, id eſt, vt Rex ſit mundi, & vt iudicet, vt Reges faciunt. Et ita excluditur falſa Iudæorum opinio, qua in primo aduentu Chriſtum ſperabant vt Regem. Quanuis hæc explicatio ſit probabilis; tamen verior mihi videtur, vt etiam Barradas, ſententia, quàm ſecutus ſum in expoſitione, quod non venit, vt iudicet, id eſt, condemnet; ſed vt ſaluet.

*Chriſtus non venit, vt rex ad iudicandum.* Caietan. Barradas.

284. Ianſen. Secundò Ianſenius ita ſoluit præſentem difficultatem. Cùm multis in locis in veteri Teſtamento promittatur, Chriſtum venturum ad iudicandum Daniel. 7. num. 9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* & inferiùs: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Malach. toto cap. 4. Ioël. 3. num. 2. & aliis locis. Ex quibus potuit Nicodemus dubitare, quòd Chriſtus veniſſet ad iudicandum, ideo Dominus ait, quòd non venit ad iudicandum, ſed ad ſaluandum genus humanum.

Daniel. 7.

285. Brixianus. Tertiò Brixianus. *Quid erat neceſſe,* ait, *hanc remouere dubitationem, quòd videlicet Deus non miſerit filium ſuum in mundi condemnationem? Ob hanc cauſam, opinor, quòd cum aduentu Chriſti Iudæi ob infidelitatem ſuam eſſent abiiciendi; quibus tamen venerat ſaluandis Chriſtus; res contra erat caſura, quàm ab omnibus expectabatur. Ideo præuenit Dominus admonens, Deum quidem ob ſolam benignitatem, & ob ſaluandos homines miſiſſe illum vnigenitum filium ſuum, non ob condemnandos; ſed vt credens mundus per illum ſaluetur. Quòd ſi quis non credit, ipſe de ſuo iudicio damnat, non Deus in cauſa eſt.* Ita Brixianus. Explicat Dominus cauſam ſui aduentus eſſe in noſtram ſalutem, quòd ſi eam non conſequantur, ipſi ſe ſuo gehennali iudicio damnant, & hominum culpæ, ac vitio id deputandum.

*Deus ſalutē parat omnibus, homo ſe ipſum condemnat.*

286. Maldonat. Quartò Maldonatus. Et meo videri eſt germana ratio. Audientes peccatores, Deum filium ſuum vnigenitum miſiſſe in mundum, poterant cogitare, & ſuſpicari, ad hoc veniſſe, vt mundum iudicaret, & pœnas ſcelerum ab hominibus exigeret, ac Patris iniurias vindicaret. Ac proinde quanuis dictum eſſet à Domino, ita Deum dilexiſſe mundum, vt illi filium ſuum vnigenitum dederit, vt quiſquis in eum crederet, non periret, ſed haberet vitam æternam; non contentus, ſemel dixiſſe, iterum aliter dicit, remouetque ab eis plenam timoris opinionem, quam illis peccatorum ſuorum conſcientia generabat, ne fortè idcirco veniſſet, vt mundum iudicaret.

*Vt timor deponatur, verba ſunt multiplicanda.*

Cùm Abraham ex multiplici animalium genere ſacrificium peregiſſet, & volucres deſcenderent ſuper cadauera, *Horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum,* Geneſ. 15. num. 12. Horror autem, & timor prouenit ex cognitione, quam habuit, Deo reuelante in illo euentu, ſeruitutis, & calamitatum poſteritatis ſuæ, quas tolerare debebat in Ægypto ante poſſeſſionem terræ Chanaam, vt eſt communis interpretum vox Chryſoſtomi, D. Auguſtini, Abulenſis, Lyrani, & aliorum. Et ſtatim Dominus multa protulit verba ad quietandum eius animum, formidine, ac pauore perturbatum, dictumque eſt ei: *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadraginta annis; veruntamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc reuertentur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad patres tuos ſepultus in ſenectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc,* ibidem à num. 13. Ad quid tanta dicuntur, & tot verba multiplicantur? Nónne ſufficiebat dicere ſemel reuertentur ab ipſa captiuitate? Sed bis dicitur *reuertentur cum magna ſubſtantia, reuertentur quarta generatione.* Quando promiſſa eſt Abrahamo Verbi diuini Incarnatio, Deus vno verbo dixit, *Quia feciſti hanc rem, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Geneſ. 22. num. 18. At modò promiſſio fit geminatis verbis, quòd reuertentur filij ab Ægypto. Promiſſio Incarnationis Verbi diuini, res multo ſuperior, & excellentior, ſed in hoc euentu Abrahamus erat formidine, ac terrore conſternatus; & vt eius perturbatus animus ſedaretur, non tantùm ſemel dicitur *reuertentur;* ſed verba multiplicantur duplicata, vt timor deponeretur. D. Chryſoſtomus homil. 37. in Geneſ. *Quoniam,* ait, *attonitus, & perculſus erat animo iuſtus ille, & concuſſerat eius timor, magna ſunt hæc ei dicta, quæ ad animum maſculinum pertinent, qui tranſcendat, & infra ſe relinquat humana omnia.* 287.

Gen. 15. Chryſoſt. Auguſt. Abulenſ. Lyran. Gen. 15. *Multa requiruntur, vt animus timore perfuſus ſedetur.* Gen. 2. Chryſoſt.

Cùm Daniel pro captiuitate ſui populi maximè ſe affligeret, apparuit ei Dominus, vt ei leuamen daret. Ex qua viſione tantus terror irruit ſuper Prophetam, vt ipſe dicat de ſe: *Non remanſit in me fortitudo, ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum mearum,* Daniel. 10. num. 8. & 9. Et iterum. *Nil in me remanſit virium, ſed & halitus meus intercluditur. Rurſus ergo tetigit me quaſi viſio hominis, & confortauit me,* ibidem num. 18. Valde mirum, quòd vt Propheta concipiat vires, manus Domini ſemel, & iterum tangit eum; nam vt cæli, & terra creentur, digitis Dei formantur: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum,* Pſalm. 8. num. 4. Et Chriſtus Dominus ſuis digitis multa miracula operatus eſt, Marc. 7. num. 33. *Miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Et tamen vt Daniel audiat, ac loquatur, non ſolùm digitus, & manus Domini tetigit eum, ſed etiam apprehendit, ac erexit. Et hoc non ſemel tantùm, ſed etiam bis? Fiant cæli digito Dei: at Propheta erat totus perterritus, timore, ac terrore concuſſus, ita vt vires deficerent; & vt formido abigeretur, pauor abiret, ac animum recuperaret, adſit manus Domini ſemel, & iterum eum recreans, & confortans, vt ſtet pedibus homo ſuis. D. Thomas ibi. *Deficienti,* ait, *præ formidine præbuit mihi tactu ſuo, vt pauor à corde* 288.

Daniel. 10. Pſalm. 8. Marc. 7. D. Thom.



de

*de recederet, & dixit mihi: Confortare ab hac tur-
batione, quæ metus te concuſſit.*

## QVÆSTIO LIV.

### *Quomodo dicitur, quòd Chriſtus non venit, vt iudicet mundum, cùm Pater omne iudicium dederit filio?*

289. AIt Chriſtus D. hoc loco, quòd Deus
miſit filium ſuum in mundum, non vt
iudicet mundum. Et tamen de Chriſto
Iſai.16. Domino ait Iſaias 16. num.5. *Præparabitur in
miſericordia ſolium eius, & ſedebit ſuper illud iu-
dicans, & quærens iudicium.* Et Ioan.5. num.22.
Ioan.5. ait Dominus: *Pater non iudicat quemquam, ſed
iudicium dedit filio.* Et Ioan.9. num. 39. *In iudi-
Ioan.9. cium ego in hunc mundum veni.* Quomodo er-
go ait Chriſtus, quòd ipſe non eſt miſſus, vt iu-
dicet mundum?

290. Pro huius rei intelligentia notandum eſt ex
Baſil. D. Baſilio *Pſalm.* 7. Alberto Magno, & aliis,
Albert.Mag. quòd *iudicare* multipliciter ſumitur in Scriptura;
*Iudicare tripliciter ſumitur.* & præcipuè tribus modis. Primò eſt iudicium
diſcretionis, quando boni diſcernuntur à malis,
ſicut filij Iſraël diſcreti fuerunt ab Ægyptiis in
plagis: & ſecundùm hunc iudicij actum iudex
fert ſententiam approbando, vel reprobando; &
Pſalm 7. de hoc iudicio dicitur Pſalm.7. num.1. *Dominus
iudicat populos.* Secundò eſt iudicium quidam
actus iuſtitiæ, & idem valet, ac diſcutere, & exa-
Pſalm.25. minare facta. Pſalm.25. num.1. *Iudica me Domi-
ne, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum.*
Et ſtatim ſequitur: *Proba me Deus, & tenta me,
& vide, ſi via iniquitatis in me eſt.* Oſee 2.num.
Oſe.2. 2. *Iudicate matrem veſtram, iudicate: quoniam
ipſa non vxor mea eſt, & ego non vir eius.* Ter-
tio. *Iudicare*, idem eſt ac damnare, ſeu condem-
Apoc.18. nare. Apocal.18. num. 10. *Væ ciuitas illa magna
Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora ve-
nit iudicium tum*; id eſt, condemnatio tua. Et
Ioan.5. Chriſtus Dominus Ioan.5. num. 29. *Procedent,
qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò
malè egerunt, in reſurrectionem iudicij*; id eſt,
damnationis.

291. Reſpondeo primò ad quæſtionem cum Alber-
Albert.Mag. to Magno, D.Thoma, D.Bonauentura, & eſt ger-
D.Thom. mana explicatio. Chriſtus Dominus in hoc pri-
Bonauent. mo aduentu non venit ad iudicandum, id eſt, ad
condemnandum, ſed ad ſalutem dandam. Et hoc
pacto manet legitima oppoſitio inter verba *iudi-
re, & ſaluare*, vt dixi in expoſitione. Vnde ait
Chryſoſt. D. Chryſoſtomus homil. 27. *Duo ſunt Chriſti
aduentus, præteritus, & futurus, ſed non eiſdem
de cauſis: præteritus non vt iudicaret, ſed vt di-
mitteret, futurus contrà, non vt dimitteret, ſed
iudicaret.* Ac proinde *iudicare* prout eſt idem
ac condemnare, ad ſecundum aduentum perti-
net, in primo autem totum fuit gratia, & miſe-
Idem. ricordia Dei, vt pergit citatur Chryſoſtomus.
*Deus peccatoribus dat ſpatium ad pœnitentiam.* *Incredibilem præ ſe fert humanitatem, quod non
ſolùm filium daret, ſed iudicij quoque tempus dif-
fert in longum, vt abluendi criminis poteſtas fieret
peccatoribus.* Si Chriſtus Dominus ait de ſe, lo-
quens de ſuo primo aduentu, quòd venit in iudi-
D Thom. cium, rectè explicat D.Thomas, quòd Chriſtus
in primo aduentu venit in iudicium diſcretionis,
quia eo veniente homines diſcreti ſunt, quidam
per cæcitatem, quidam per lumen gratiæ. Et ita
Pater in omni acceptione omne iudicium dedit
filio, licèt actus condemnationis reſeruatus ſit
ad vltimum aduentum.

Secundò Euthymius. Et in eandem ferè ſen- 292.
tentiam redit cum D. Chryſoſtomo. *Neque ſo-* Euthym.
*lum*, ait, *dedit filium ſuum vnigenitum, ſed & iu-
dicium reiecit, atque in ſecundum eius diſtulit ad-
uentum.* Pater omne iudicium dedit filio, & fi-
lius omnes iudicaturus eſt, ſed hoc ad ſecundum
aduentum reſeruatum eſt; nam primo aduentu
totus miſericordiam præſtitit, & vt omnes ſalui
fiant. In Principe enim inter omnes animi do- *In principe miſericordia primas obtinet.*
tes ſemper miſericordia primas tenet. Vide *lib.2.
cap.4.num.33.*

Tertiò Amonius in Catena Græca, *Duo*, ait, 293.
*ſunt Chriſti aduentus. Primus quidem non exa-* Amonius.
*minis, ſed condonationis; ſecundus verò contrà,
non condonationis, ſed examinis exiſtet. Idcirco
de priore ait; Non veni, vt iudicem mundum, ſed
vt ſaluificem mundum. Veruntamen & hoc tem-
pus etiam erat iudicij. Quî ſic? Quia nimirum
in priori eius aduentu, & Prophetæ, & lex, & do-
ctrinæ, infinitæque propemodum promiſſiones, ſigno-
rum exhibitiones, increpationes, ſupplicia, lex na-
turæ, atque alia eiuſcemodi quamplurima fuerunt,
quæ nos erudirent, atque corrigerent. Vnde con-
ſequens erat; vt horum omnium ſtricta ratio exi-
geretur. Verùm cùm benignitate præſtaret, non
inſtituit examinationem, ſed veniam dedit.* Vl-
tima verba expende. Multa erant, quæ in primo
Chriſti aduentu rigorem, ac iuſtitiam excita-
bant, ſed cùm tunc fuiſſet à Deo conſtitutum
tempus gratiæ, miſericordiæ, ac benignitatis, *Tempus miſericordiæ non eſt fœdandũ rigore.*
ideo ſeueritas iudicij ad ſecundum aduentum
fuit reſeruanda, ne gratiæ indulgentia ſeueritate
condemnationis minueretur. Poſt interfectum
Abſalon, qui à Rege defecerant, cùm ſupplices
ad eius pedes peruoluerentur, vt veniam inueni-
rent, inter hos aduenit Semei, qui Regi male-
dixerat. Quod iniquè ferens Ioab, volebat eum
interficere, cui ait Dauid: *Ergo ne hodie interficie-* 2.Reg.19.
*tur vir in Iſraël? an ignoro, hodie me factum Re-
gem ſuper Iſraël*; 2.Reg.19. num.22. Abulenſis Abulenſ.
*Tanquam ſi dicat Dauid, Non debes ignorare,
quòd ego hodie nouiter conſtitutus ſim Rex ſuper
Iſraël, ideo non eſt dies ad occidendum aliquem.*
cùm dies vnctionis Regis ſit dies miſercordiæ,
& gratiæ.

Quartò D. Cyrillus Alexandr. lib.1. in Ioan. 294.
cap.52. *Non enim*, inquit Dominus, *miſſus ſum,* Cyrill.
*vt lege orbem terrarum, quemadmodum Moyſes,
damnem; nec vt mandata in redargutionem pec-
catorum tradam; nec vt ſeruili miniſterio fungar:
verùm vt per miſericordiam Deo conuenientem,
tanquam filius, ac hæres Patris à ſeruitute homi-
nes vendicem, damnante lege in iuſtificantem gra-
tiam commutata; & ſic à peccatorum vinculis ge-
nus eripiam. Ad ſaluandum ergo, & non ad dam-
nandum veni.* Miſſus eſt ad populum Moyſes, *Proprium eſt ſerui damnare, Domini verò benefacere.*
miſſus eſt & meus IESVS. Sed Moyſes tan-
quam ſeruus, & ſeruili miniſterio fungens, ad
perimendos, ac damnandos Ægyptios venit, &
vt mandata in redargutionem peccatorum mul-
tis pœnis impoſitis traderet. At meus IESVS tan-
quam filius, ac hæres æterni Patris deſcendit in
orbem, non ad iudicandum, *ſed damnante lege*



*in iuſtificantem gratiam commutata, & ſic à pec-
catorum vinculis genus eripiam.* In perſona Chri-
ſti ſanctus Doctor loquitur.

295. Ait Moyſes ad populum in perſona Dei: *Vos
ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo
portauerim vos ſuper alas aquilarum. Si ergo au-
dieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum
meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis,
& eritis mihi in regnum ſacerdotale gens ſancta,*
Exod.19. Exod.18. num.4. & 5. Vbi Dominus percuſſis
Ægyptiis; interueniente legis obſeruatione po-
pulum Iſraëliticum elegit in regnum ſacerdota-
le. At quid excellentius Chriſtianis populis pro-
1.Petri 2. mulgat Petrus Epiſtol.1.cap.2.n.9. *Vos autem ge-
nus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, po-
pulus acquiſitionis vt virtutes annuntietis eius,
qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen
*Seruus damnat, filius Dei ſaluat.* ſuum.* Meus Ieſus, non de rigore, ac obſerua-
tione legis, nec interueniente alicuius damnatio-
ne; ſed de caligine, ac peccatorum tenebris nos
vocauit in admirabilem lucem ſuam. Sed cur
Deus in Moyſe, vt eligat in regale ſacerdotium,
legis adſtricta adimpletio mandatur, & tranſ-
greſſoribus capitalis pœna infligitur, & deuaſta-
tio Ægypti ante oculos proponitur? At Deus in
Chriſto, non de legis obſeruatione, non de ali-
cuius comminatione, ſed de impietatis caligine
nos tranſtulit in vitam æternam? Moyſes ſeruus;
Ieſus filius Dei, ille vt ſeruus, adſtringente lege,
& eius capitali pœna ante oculos propoſita, ad
magna producit: in Ieſu autem, vt Dei filio, tota
beneficentia, ac indulgentia abſque ſuppliciis
panditur, & viſitur. D.Baſilius Seleucus *Orat.*25.
Baſilius Seleucus. ſtatim in principio. *Moyſes*, ait, *Hebræorum Do-
ctor Dei cognitionis diſciplinam Iudæorum filiis
traditurus, diſcipulorum animos Ægyptiorum
ſuppliciis ante præcellit.* Et ſtatim aliqua facta
in Ægypto commemorat, & ſubdit. *Verùm Do-
minus noſter Ieſus Chriſtus reſtitutionem Apoſto-
lorum choro promulgans, non quibus alios puniue-
rit, iis ipſos docet, ſed miraculorum, & humanita-
tis ſuæ fontes patefaciens, & commune valetudi-
narium aperiens miraculorum vi, quaſi manu du-
cit animos ad Dei cognitionem.*

296. Ingrediens Ioſuë Iericho, eam funditus dele-
uit, ac deuaſtauit, Ioſuë 6.num.20. Aliter Ieſus,
Luc.19. qui *ingreſſus perambulabat Iericho, & ecce vir
nomine Zachæus*, &c. Luc.19. num.1. Ad Iericho
veniunt Ioſuë, & Ieſus; Ioſuë clangentibus tubis,
& multo ſtipatus exercitu, euaginato gladio ci-
uitatem ſolo adæquans. At Ieſus venit, vt ſalui-
ficet, ac reducat ad vitam. Quomodo, bone Ie-
ſus, ingrederis ciuitatem, quam tuus miles de-
uaſtauit? Ille erat ſeruus; Ieſus Dei filius. Ioſuë,
vt ſeruus, venerat clangore tubarum, id eſt, legis
ſtrepitu, vt damnaret, ac vt ciuitatem demolire-
tur. Ieſus, vt Dominus, totus beneficus, ac be-
nignus, vt ſaluaret, ac vitam daret. D. Chryſo-
Chryſolog. logus *ſerm.* 54. de Zachæo. *Iericho*, ait, *ciui-
tas ipſa eſt, quam Ioſuë Naue ſepteno tubarum
clangore ſubuertit. Sed quia Chriſtus venit ſal-
uare, quod perierat, ingreditur Iericho, vt
quod lex terribili vociferatione deiecerat,
Ieſus clamore piæ prædicationis
attollat.*

## QVÆSTIO LV.

### *Quomodo dicatur hîc filius Dei miſſus in mundum, cùm* Ioannis 1. *dicatur, quòd erat in mundo?*

DE filio Dei dicitur Ioan.1. num.10. *In* 297.
*mundo erat.* Quomodo hoc loco ait Ioan.1.
Chriſtus Dominus, quòd Deus miſit fi-
lium ſuum in mundum? Reſpondet D. Bonauen- Bonauent.
tura, quòd *in mundo erat, ſcilicet diuinitate, ſed
in mundum dicitur mitti humanitatis aſſumptione.*
Et hæc eſt litteralis ratio. Et etiam moraliter
rem explicemus. Meritò enim qui in mundo
erat ob diuinitatem, tanquam omnium Domi-
nus, & Deus omnia gubernans, & diſponens; ſub
forma ſerui in mundum mittitur ad reſtauratio-
nem, in morale documentum noſtrum, vt ille, qui
vt Princeps omnibus imperat, & ad ſuum nutum *Regnare, quũdam ſeruitus eſt.*
cuncta regit, ſi occaſio poſtulet, tempus flagitet,
ſe tanquam omnium ſeruum exhibeat, ac pro
omnium ſalute ſtet. Vnde Pacatus Latinus vi-
dens ſuum magnum Imperatorem Theodoſium
multis laboribus fatigari, exclamans dixit: *Quid-* Pacatus.
*quid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt,
ô Imperator.* Ac ſi diceretur: Nemo miretur,
quòd Princeps tantis anxietur moleſtiis; nam
tota Imperatoris vita labor eſt, laboribus viuit,
nutritur, & paſcitur, ac cuncta gubernat.

Iacob *diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos,* 298.
Gen.37. num.1. Et in ſignum huius amoris mo- Geneſ.37.
riens, peculiare donum ei dedit, dicens, *Do tibi* Geneſ.48.
*partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de ma-
nu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*, Geneſ.48.
num.22. Hanc partem fuiſſe Sichimam, commu-
nis eſt expoſitio. Et ita habent Septuaginta: Septuaginta.
*Ego autem do tibi Sichimam præcipuam ſuper fra-
tres tuos, quam cepi de manu Amorrhæorum.* Sed
cùm Iacob eſſet valde potentiſſimus, vtpote hæ-
res poſſeſſionum Abrahami; ac Iſaac, cur non *Principatus ſeruitus.*
aliud donum in morte delegauit dilectiſſimo fi-
lio Ioſeph, niſi Sichem, quam ab Hemor emerat
centum agnis? Cur donum ex auro, vel argento
confectum ei non derelinquit? *Sichem*, vt in-
terpretantur D. Hieronymus *in quæſtionibus He-* Hieron.
*braicis*, D.Iſidorus & alij, idem valet, ac hume- Iſidorus.
rus. Et ita ait D.Nilus Abbas in Aſcetico. *Sichi-* Nilus.
*ma, quod eſt humerus, ſignificat laborem; quare
Iacob partem eximiam dat Ioſeph, ipſa Sichima,
quæ in gladio, & arcu ſuo ſe dicit acquiſiſſe.* Ioſeph
totius Ægypti regimen tenebat: meritò ergo
Iacob moriens, in ſignum, ac pignus amoris,
nil ei relinquit, niſi Sichimam, id eſt, humerum;
quia Princeps tanquam baiulus ſuper humeros
onera populorum aſportat. Et ideo pater filio
Ioſeph Sichimam, ſiue humerum donat, ad eius
humeros corroborandos, ad onera populorum
deferenda; quia populus non aſportat Regem
humeris ſuis, ſed potiùs Rex populum. Vide
*lib.3.cap.3.quæſt.32.n.19.*

*Ioannis 3.n.18.* Qui credit in eum, non
iudicatur: qui au-
tem non credit; iam
iudicatus eſt; quia
non credit in nomi-
ne

ne vnigeniti filij Dei.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus, Vatablus, Euthymius.* | Qui credit in eum, non condemnatur; qui verò non credit, iam condemnatus eſt. |
| *Arias.* | Credens in eum non iudicatur; qui utem non credens, iam iudicatus eſt. |
| *D. Athanaſius lib. 5. contra Arrium.* | Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem diſcredit filio, non videbit vitam. |
| *D. Zeno ſerm. in Pſalm. 110.* | Qui credit in me, non iudicabitur. |
| *Tertullianus aduerſus Praxeam, c. 21.* | Qui crediderit in illum, non iudicatur, qui non crediderit in illum, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnici filij Dei. |

## *EXPOSITIO.*

299\. PROBAT Dominus præcedentem ſententiam, ſe in primo aduentu non veniſſe in iudicium; & condemnationem mundi, ſed quòd vnuſquiſque vitio ſuo ſe damnet. Nam vel homo credit, vel non credit: ſi credit, non iudicatur in hoc primo aduentu, hoc eſt, Chriſtus non exercet ſuam iuſticiam contra eum; ſi autem non credit, iam iudicatus eſt. Ac proinde totius ſalutis cauſam, fidem eſſe, demonſtrat. Et ait, *Qui credit in eum*; hoc eſt, fide formata, & operante per charitatem. Et ideo dicit *in eum*, vt iam notaui ſuprà num. 217. *Non iudicatur*, id eſt, non condemnatur. Ita transferunt Syriacus. & Vatablus, & explicant D. Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij citandi *quæſt. ſequenti.* Et verbum *iudicare* pro *condemnare* hîc ſumitur. Et non dicit, vt notat Albertus Magnus; Non iudicabitur de futuro, ſed *non iudicatur*, de præſenti, quia vbi primùm homo credit, ſtatim bona ſupernaturalia, & diuina ad ſuam ſalutem conſequitur. Ioan. 5. num. 24. *Qui credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam.* Et dum dicit Dominus de præſenti, *Non iudicatur*; per hoc intendit declarare, vt rectè obſeruarunt Caietanus, & Toletus, quòd ille, qui credit in eum, non iudicatur, ſeu condemnatur de commiſſis antea peccatis: quoniam credendo, vt oportet, ad ſalutem, conſequitur remiſſionem eorum, & gratiam habitualem Dei, non ex iure, ſeu debito, ſed ex gratuita condonatione.

Syriacus. Vatabl. Chryſoſt. Theophyl. Albert. Mag.

Ioan. 3. Toler. *Cum gratia datur peccatorum remiſſio.*

300\. *Qui autem non credit*, fide formata; nam qui iniquè agit, in opere non credit. Ait Paulus; *Confitentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant*, ad Titum 1. num. 16. *iam iudicatus eſt*; id eſt, iam eſt condemnatus; in ipſo enim actu non credendi ſe oſtendit homo dignum æterna pœna, & priuatum cæleſti gratia, quæ eſt ſemen vitæ. Et non dicit, *iudicatur*; ſed iam iudicatus: ſuprà enim de credente, *Quid credit, non iudicatur*; at de infideli, qui non credit, iam iudicatus; per quod aliquid maius denotatur; nam qui nôn credit, non ſolùm eſt adſtrictus condemnationi, ſed ipſomet infidelitatis actu condemnatus. Et ita ait Diuus Chryſoſtomus homilia 27. *Ipſum diſcredere impœnitentis ſupplicium eſt: eſſe enim extra lumen ſecundùm ſe maximum ſupplicium eſt.* Et totius pœnæ ſubiicitur cauſa: *Quia non credit in nomine.* Meritò non credens in tantam pœnam incurrit; quia, vt ait Diuus Cyrillus lib. 2. cap. 53. *Nam quanto præſtantius eſt, quod contemnitur, tanto maioribus, qui ſpernit, ſuppliciis ſubiacebit.* Cauſam dictorum ſubdit Dominus: *Quia non credit in nomine filij Dei.* Albertus Magnus aduertit, quòd *nomen* hîc ponitur pro notitia, ac cognitione, quæ data eſt de filio Dei per teſtimonium Ioannis, vocem Patris, & per ſtellam, & alia. Et dicitur: *Quia non credit in nomine*, Actor. 4. num. 14. *Quia nec aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et non dicitur: quia non credit in filio Dei, ſed *in nomine*, quia in ipſo nomine Ieſu omnia magnalia recapitulantur.

Titum 1.

Chryſoſt. *Ipſum peccatum ſupplicium.*

Cyrill.

Albert. Mag.

Actor. 4.

*In nomine Ieſu omnia magnalia recapitulãtur.*

### QVÆSTIO LVI.

*Quomodo hæc ſententia Chriſti:* qui credit, non iudicatur; & qui non credit, iam iudicatus eſt; *cohæreat cum vniuerſali iudicio?*

ASSERTVM Pauli infallibile fidei dogma eſt: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*, 2. Corinth. 5. num. 10. Conſtitutus eſt enim Chriſtus Dominus iudex omnium viuorum, ac mortuorum. Et ideo omnes tam probi, quàm improbi, ab ipſo ſunt iudicandi. Quomodo ergo ait Dominus hîc, *Qui credit, non iudicatur, & qui non credit, iam iudicatus eſt.* Et ob id Diuus Zeno *ſerm. in Pſalm.* 100. Diuus Hilarius in illud Pſalm. 1. *Non reſurgent impij in iudicio.* Diuus Auguſtinus *lib. de Agone Chriſti, cap.* 27. referunt, aliquos fuiſſe deceptos vniuerſale iudicium negantes; dicebant enim, hac ſententia Domini à iudicio eximi fideles; infideles non admitti; ac proinde neminem ſupereſſe iudicandum. Ideo Patres in varias ſententias abierunt in huius rei explicatione. 301.

1\. Cor. 5.

Zeno. Hilar. Auguſt.

Reſpondet primò D. Hilarius *citato loco*, quòd iudicium eſt in ambiguis; ac proinde quòd iuſti credentes, cùm eorum merita ſint nota, non ſunt iudicandi. Infideles autem, cùm non credant, eorum damnatio eſt aperta, & ideo iam ſunt iudicati. Qui autem credunt cum iuſtis, & malè agunt cum peccatoribus, hos eſſe iudicandos aſſeuerat, vt eorum cooperta nequitia, dum viuebant, fiat coram omnibus aperta, & manifeſta in vniuerſali iudicio. 302.

Hilarius.

Secundò D. Auguſtinus *citato loco, & tract. 12. in Ioan.* Non credentes, aſſeuerat, eſſe iudicandos; huiuſmodi autem verba, *Iam iudicatus eſt*, affirmat dicta more prophetico; nam ob magnam certitudinem rei, ſolent multoties Prophetæ futura prædicere, tanquam præterita. Et eodem modo explicat illa alia verba de fidelibus: *Qui credit, non iudicatur*, quia tam certa eſt eorum vita æterna, ac ſi iudicium eſſet abſolutum. 305.



Auguſt.

304\. Tertiò D. Zeno, & alij Doctores ſtatim citandi, conſiderant in iudicio duos actus, vt iam notaui *quæſt.* 54. *in principio.* Vnus eſt examinis, & diſcuſſionis, quo cauſa examinatur, ac diſcutitur. Alius actus, quo examine facto ſententia profertur. Dicunt ergo, iudicio diſcuſſionis non eſſe non credentes iudicandos; nam eo ipſo, quòd non credunt, eorum cauſa iam eſt iudicata, ac damnationi obnoxia. Affirmant tamen iudicandos iudicio ſententiæ, quia ſententia damnationis contra eos proferenda eſt. Ita docent D. Baſilius *in Pſalm.* 1. in illud: *Non reſurgent impij in iudicio. Non*, inquit, *veniunt, vt conuincantur, ſed vt ferant damnationem.* Similiter D. Ambroſius *in cit. Pſalm. & ſerm.* 20. *in Pſalm.* 118. *num.* 1. D. Gregorius *lib.* 26. *Moral. cap.* 20. D. Hieronymus in illud Ierem. 25. *Iudicium Domini cum gentibus.*

Zeno.

Baſil.

Ambroſ. Gregor. Hieron.

305\. Quartò, & eſt vera intelligentia, quòd hoc loco verbum *iudicare* ſumitur pro damnare. Ita tradunt D. Chryſoſtomus *homil.* 27. *& homil.* 65. *in Matth.* D. Auguſtinus *ſerm.* 14. de verbis Apoſtori: *Quid eſt, ait, iam iudicatus eſt? damnatus eſt: nam iudicium pro damnatione plerunque poni noſtis*, & tract. 22. & 43. in Ioan. D. Baſilius *Pſal.* 7. hoc in loco Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, & alij multi. Qui credit, non iudicatur, id eſt; nôn damnatur, nam per fidem formatam, ac per ipſam gratiam habet cauſam per quam effugiat damnationem; & qui non credit, iam dicitur iudicatus, id eſt, damnatus; nam per peccatum incredulitatis habet in ſe cauſam damnationis. Sicut qui mortiferum vulnus accepit, dicitur iam mortuus, quanuis adhuc viuat, quia in ſe iam habet cauſam mortis. Adamus, vt explicant D. Chryſoſtomus *homil.* 27. *in Ioan.* Euthymius, Theopyhlactus, qua die comedit, dicitur mortuus. *In quacunque die comederitis, morte moriemini*, Gen. 2. num. 17. Et tamen ipſe poſtquam comedit, viuebat: tamen dicitur mortuus rei natura, ac ſententia Dei, quia fecit ſe obnoxium ſupplicio mortis; ac proinde à propria ratione iudicij ſui iam eſt condemnatus. De Hæretico ait Apoſtolus ad Titum 3. num. 10. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus.* Græcè legitur, *à ſe ipſo condemnatus.*

*Vera ſententia.* Chryſoſt. Auguſt.

Baſilius. Euthym. Theophyl. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Hugo.

Chryſoſt. Euthym. Theoph. Geneſ. 2.

Titum 3.

### QVÆSTIO LVII.

*Quare iudicium ſumatur pro condemnatione?*

306\. VT patet ex proximè dictis, *iudicium*, ſeu *iudicare* ſumitur pro condemnare; cùm tamen multi, qui iudicantur, abſoluantur. Ratio litteralis huius rei eſt vſus Scripturæ, ſecundùm quem idem eſt iudicare, ac condemnare; vt patet ex dictis *quæſt.* 54. *in principio.* Sed, vt moraliter dicamus, apud homines idem valet iudicare, ac condemnare; quia nullus apud homines accuſatur, qui totaliter ſit abſolutus; nam ipſa accuſatio, ac iudicium, quoddam condemnationis eſt genus; quanuis enim homo abſoluatur, ſemper tamen manet ſuſpicio, ac probabilitas commiſſi criminis; & ipſa diſcuſſione multa ſæpe crimina fabricantur. Nam dum homo turpe flagitium ſibi obiectum à ſe repellit, ipſa defenſione fœdatur, ac verecundia afficitur; & ipſa criminis refutatio etiam valde moleſta eſt. D. Gregorius Nazianz. *Orat. de laudibus Baſilij*, inter eius graues perſecutiones commemorat, quòd de eius vitæ integritate facta fuerit inquiſitio. *Ille*, ſcilicet Prætor, *rurſum furere concitatur, & magiſtratus quoſdam mittit, qui ſancti viri cubiculum perſcrutentur; ignominiæ cauſa potius id faciens, quàm quòd huiuſmodi quidquam neceſſe eſſet.* D. Chryſologus *ſerm.* 3. eleganter ait: *Delicta, qui diſcutit, prodit.*

*Iudicium, quoddã damnationis genus.*

Nazianz.

Chryſolog.

Totam domum Iacob inueſtigauit, ac reuoluit Laban, an idola ſua ſibi ablata potuerit inuenire; quæ cum non inueniſſet, *Tumens Iacob cum iurgio ait: Quam ob cauſam meam, & ob quod peccatum meum exarſiſti in me? Scrutatus es omnem ſupellectilem meam?* Gen. 31. num. 36. Sed Iacob, qui valde mitiſſimus erat quomodo tanta indignatione tangitur? æquo animo paſſus eſt minas, ac iniurias fratris, fraudem ſoceri, dum pro Rachel dedit Liam, permutationes Laban; necem dilectiſſimi filij Ioſeph, quanuis ſuſpicaretur, vt volunt graues Auctores, quod à fratribus eſſet interfectus; & tamen in tantis euentibus non iraſcitur, ſed modò indignatione commouetur; *Scrutatus es omnem ſupellectilem meam?* Totius familiæ examen, ac inquiſitionẽ pro graui iniuria habuit, nam dum inueſtigatur, ſemper fama periclitatur, ac multis opinionibus eſt expoſita. Rupertus lib. 7. de Trinit. & operibus eius, cap. 45. *Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia tua, vt tu exardeſceres poſt me, & ſcrutareris omnem ſupellectilem meam, quæ magna indignitas eſt.* Carthuſianus citato loco Geneſ. *Iuſtè indignans Iacob*, ait, *quoniam contumelioſum fuit, ita de furto impeti, reprehendi, & examinari.* Vide *cap.* 12. *num.* 60. *&* 61. 307.

Geneſ. 31.

*Dum aliquis ſubit examẽ, & iudicium, ei fit iniuria.*

Rupert.

Carthuſ.

*Ioannis* 3. *n.* 19. Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem erãt enim eorum mala opera.

*VERSIO.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus, Vatablus.* | Hæc eſt autem condemnatio, *&c.* & dilexerunt homines tenebras potiùs, *&c.* |

## *EXPOSITIO.*

APPONIT Chriſtus Dominus cauſam, & rationem, vt notant D. Chryſoſtomus, Alcuinus, Theophyl. Euthymius, Albertus 308.

Chryſoſt. Alcuinus. Theophyl. Euthym.

Albert. Mag.

Albertus Magnus, ob quam, qui non credunt, iam iudicati, & damnati ſunt. Et ita ait: *Hoc eſt iudicium*, ſeu forma, & ratio condemnationis. Et ad hoc magis declarandum enumerantur tria, vt aduertit D. Thomas. Beneficium, peruerſitas infidelium, cauſa peruerſitatis. Beneficium: *Lux venit in mundum.* Homines erant in tenebris ignorantiæ, quas quidem Deus deſtruxit, mittens lucem filij ſui in mundum, vt homines cognoſcerent veritatem. Ioan. 8. *Ego ſum lux mundi.* Et conſidera magnum Dei beneficium, quòd homines non quæſierunt lucem, ſed ipſa venit ad eos. Vide *lib.* 3. *cap.* 2. *quæſt.* 4. Quod notans D. Chryſoſtomus homil. 27. *Nunquid ipſi homines eam quæſierunt, vel laborauerunt, vt inuenirent? Ipſa lux venit ad eos, nec ei occurrerunt.* Peruerſitas infidelium: *Dilexerunt magis tenebras, quàm lucem.* D. Hilarius *in Pſalm.* 1. *per tenebras* intelligit peccata, & vitia. At hæc expoſitio cum ſequentibus verbis, *Erant enim eorum mala opera:* non cohæret; nam ſimul eiuſdem rei fieret repetitio. Et ideo D. Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 54. D. Chryſoſtomus *homil.* 27. D. Thomas, D. Bonauentura, per tenebras intelligunt infidelitatem, ſeu Dei ignorantiam; & valde frequenter in hoc ſenſu vſurpantur *tenebræ* in Scriptura 1. Petri. 2. num. 9. *Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum*, ad Epheſ. 5. num. 28. *Eratis aliquando tenebræ, id eſt, ſine Dei cognitione, nunc autem lux in Domino.* Et ita dilexerunt homines magis tenebras, tam immobiliter ſuis deprauatis erroribus inhærentes, vt ne ab illis deſiſterent, noluerint veritatis fidem inquirere, nec oblatam recipere. De his enim ait D. Chryſoſtomus homil. 27. *Quis nam eius miſerebitur, qui cognita luce in tenebris potius degere perſeuerat.* Cauſa peruerſitatis. *Erant enim eorum mala opera.* Quanuis enim lux venerit, vt omnes illuminaret; tamen infideles ſuis iniquè factis obſtacula, & impedimenta apponebant, ne illuminarentur. Et licèt darentur aliqui infideles, qui aliquas bonas haberent actiones, vt Cato, & alij; hoc prouenieb at, non amore virtutis, ſed ob vanam gloriam, vt docent *hic* D. Chryſoſtomus, D. Thomas; vel ob amorem ſuæ ſectæ, & erroris. Vt ſi quis infidelis caſtè viuat, vel ieiunet, quia præcipitur in ſua ſecta.

D. Thom. — Ioan. 8. — *Lux quarit homines, & non homines lucem.* — Chryſoſt. — Hilar. — Cyrill. Chryſoſt. D. Thom. Bonauent. — 1. Petri 2. Epheſ. 5. — Chryſoſt. — *Peccata infidelium ſunt obſtacula, ne illuminentur* — Chryſoſt. D. Thom.

*Ioannis* 3. *n.* 20. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Quiſquis enim odioſa mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera eius.

*Arias.* Mala faciens.

## *EXPOSITIO.*

309. MAGNA connexione procedens loquitur Dominus, & explicat cauſam, ob quam homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem. Et ait: *Omnis, qui malè agit.* Et quanuis Græcè dicatur, *Mala agit;* tamen præſtantior eſt noſtra lectio Latina: nam apud Philoſophos conſtat, peius eſſe malè operari, quàm malum; nam illud ſignificat cum contemptu, ac perſeueranter agere; & hi propriè oderunt lucem, vt notant Albertus Magnus, & Salmeiron. Illi verò, qui licèt interdum malum faciant, non tamen ex contemptu; ideo non fugiunt à luce, ſed currunt ad illam, vt videant ſuos defectus, *Omnis enim, qui malè agit*, peccando, *odit lucem*, peccata, & vitia arguentem. Iob 24. num. 13. *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius.* Textus, *Non venit ad lucem;* immo fugit eam, ne manifeſtentur opera ſua. ſed ſolùm tenebras quærit; vt licentioſè viuat. Ita impius ſuis iniquè factis inhæret; vt ne eius detegantur, ac arguantur facta, neque ipſe de veritate doceatur, lucem fugiat. Rectè D. Chryſoſtomus *homil.* 27. ait: *Qui tenebris inhæret, peruerſæ mentis, & litigioſæ argumentum defert aduerſus ſemetipſum.* Valde decipitur peccator; nam dum lucem, veritatiſque ſcientiam fugit, iudiciũ non effugit, ſed aduerſùs ſe à ſemetipſo ſuæ nequitiæ habet argumentum. D. Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 55. ita explicat hæc verba. *Recuſat*, ait, *omnis; qui malè agit, lucis illuminationem: non quia malorum eum pudeat, pigeatque (ſaluaretur enim, ſi id eſſet,) ſed quia ignorare meliora mauult, ne conſcientiæ ſtimulis quotidie peccans exagitetur.* Quia verò impij in vitiis ſuis maximè delectabantur, & ne à lege Euangelica, eorum malam conſcientiam indicante, cogerentur huiuſmodi vitia deponere, ideo legem noluerunt recipere, vt placidè ſuis iniquitatibus indulgerent; mala enim conſcientia accuſatrix eſt, & quietem in delectationibus perturbat.

Albert. Mag. Salmeiron. — Iob 24. — Chryſoſt. — *A ſemetipſo arguitur peccator.* — Cyrill. — *Mala conſcientia accuſatrix eſt.*

## QVÆSTIO LVIII.

### *Quare, cùm lex venerit ad ſaluandum homines, noluerint ad ipſam venire?*

310. MERITO ò addubitat D. Chryſoſtomus *homil.* 27. Quare homines noluerunt venire ad lucem, quia eorum opera erant mala: nam ſi lux ad iudicandum, ac damnandum veniſſet, optima erat ratio: Noluerunt venire, quia timebant lucem; nam eorum opera erant mala, ne à luce condemnarentur. At cùm lux veniſſet ad ſaluandum, quomodo noluerunt venire, quia eorum opera mala erant, vt ita remedium inuenirent in ſuis peccatis? Optimo exemplo res explicatur. Si quis enim dicat, quòd homines infirmi noluerunt venire ad medicum, quia infirmi erant: quomodo hoc ſtabit? Immo potiùs infirmitas cauſa eſt veniendi: nam, vt ait ipſe Chryſoſtomus: *Qui enim alicuius culpæ ſibi conſcius eſt, iudicem fugere ſolet; indulgenti autem errantes quoque obuiam fiunt.*

Chryſoſt. — *Ratio dubitandi.*

311. Reſpondet idem Chryſoſtomus, quòd ad lucem noluerunt venire, non quia peccata habebant; multi enim publicani, & peccatores Ieſum ſequebantur, & ambulabant cum eo; ſed illi venire noluerunt, qui perſeuerantiæ ſuæ malitiam cupiebant; & ne à ſuis peccatis deſiſterent, lucem fugiebant, & tenebras ſectabantur; tenebræ enim valde opportunè delictis patrocinantur, & ex tenebrarum caligine peccatores ſibi peccandi licentiam ſumunt: nam qui in occulto peccat, videtur ſibi impunè delinquere, tanquam ſi apud homines homo, non tam ſit delicti reus; quàm publicationis ipſius criminis. Ait Iſaias 29. num. 15. *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos?* Lamentatur Propheta, vt vult ibi Oleaſter, principes Iſraël, qui ſecretiſſimè petabant auxilium ab Ægyptiis, ne hoc ſcirent Aſſyrij inconſulto Domino, Tamen, cùm multa in Iſraël flagitia, & abominationes graſſarentur, vt patet ex ipſo *cap.* 29. & 30. Propheta lachrymoſum væ profert, & multis deplorat, quæ ſecreto, ac ſub tenebris fiebant; quia tenebrarum latebræ magnam delictis licentiam, & ſuffragium præſtant; dicunt enim: *Quis videt nos?* Quos latè pungit, & arguit Diuus Hieronymus *ad citatum Iſaiæ locum.*

Chryſoſt. — *Tenebræ delictis patrocinantur.*



Iſai. 29. — Oleaſter. — *Peccata ſecreta maximè deploranda.* — Hieronym.

312. Veniens Nathan ad Dauidem, vt ipſum argueret, & increparet de adulterio commiſſo, ait ei. *Tu enim feciſti abſconditè*, 2. Regum 12. n. 12. Sed ad quid, dum eius ſupplicium profertur, ei dicitur, quòd fecerit abſconditè? Abulenſis ibi: *Tu cognouiſti Bethſabee in abſcondito, & feciſti eam ad te ſecretè duci; poſtea quoque celare voluiſti factum iſtud per mortem Vriæ.* Vt exaggeretur culpa, ſecreti commoditas commemoratur; quod enim ſecretè agitur, magna cum petulantia committitur? nam tenebrarum abſconſum latibulum fouet inuerecundiam, patrocinatur impudentiæ, & totas libidinis habenas ſoluit.

2. Reg. 12. — Abulenſ.

*Ioannis* 3. *n.* 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

*VERSIONES.*

*Vatablus.* Qui autem operam dat integritati, venit ad lucem, vt palam fiant facta ipſius, quòd cum Deo ſint facta.

*Hebraicè.* Qui autem facit opus rectum, ſeu iuſtum, venit ad lucem vt manifeſtẽtur eius opera quia inſtinctu Dei ſunt facta.

*Syriacus.* Vt innoteſcant opera ipſius,

*Theophylactus.* Vt conſpicua fiant facta ipſius, quòd per Deum ſint facta.

## *EXPOSITIO.*

313. CVM malè operantes dixiſſet odiſſe lucem, & ad eam non venire, vt non arguantur eorum opera; ſubiungit, bene operantes amare lucem, & ad illam venire, vt manifeſtentur opera eorum: *Qui autem facit veritatem;* frequens Hebraïſmus eſt; & *veritas* ponitur pro opere iuſto, & recto. Ezechiel 18. num. 9. *Si iudicia mea cuſtodierit, vt faciat veritatem, hic iuſtus eſt, & viuet.* 4. Regum 20. num. 3. *Memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate.* Quemadmodum enim veritas dicti in eo ſtat, dum conceptus, vel verbum internum confirmatur rei, quæ, vt eſt, concipitur, & profertur; ita rectum, & iuſtum opus in eo conſiſtit, dum conforme legi Dei. *Venit ad lucem.* D. Auguſtinus *tractat.* 12. *in Ioannem*, magnam hîc dubitationem mouet; quia ex dictis videtur ſequi, aliquos ante fidem Chriſti habuiſſe bona opera, & in Deo facta: quod contrariatur Pſalm. 126. num. 2. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* Ad hoc reſpondent D. Auguſtinus, & D. Bonauentura: *Facere veritatem ergo vocat hîc Dominus peccata agnoſcere Chriſto lucente: vel ire ad lucem, vocat, gratias Deo agere: vel in dilectione Dei, & miſericordia ambulare, ſiue in operibus bonis.* Ita Bonauentura. Ille ergo venit ad lucem, qui agnoſcendo peccata ſua, & miſerrimum infidelitatis ſtatum, venit ad lucem, gratias agendo pro miſericordia recepta Chriſto illuminante. Tamen meo videri hîc loquitur Dominus de pia, & bona voluntate antecedente ad opus iuſtitiæ. Nam in nobis ante actum credendi datur quædam voluntas, quæ dicitur pia affectio; & ante opus meritorium datu huiuſmodi voluntas rectè operandi, quæ voluntas eſt ex peculiari Dei auxilio. Qui ergo habet huiuſmodi bonam voluntatem, venit ad lucem, id eſt, ad Chriſtum. *Vt manifeſtentur opera eius*, id eſt, venit ad lucem. vt per eam cognoſcat, opera ſua rectè, & ſecundùm Deum eſſe facta. Nam ſicut qui malè agit, fugit lucem, ne agnoſcat ſuam nequitiam; ita qui rectè agit, quærit, & venit ad lucem, vt per eam agnoſcat, quod ſit rectum opus, & ſecundùm Deum factum.

Ezech. 18. — 4. Reg. 20. — Auguſt. — Pſalm. 126. — Auguſt. Bonauent. — *Magna vtilitas ex cognitione proprij ſtatus.*

# CAP. IV.

## *Incarceratur diuinus Baptiſta.*

*Marci* 6. *n.* 17. Ipſe Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ipſe Heroudes miſerat prehenſum Iouchanũ, eumque coniecerat in domum vinctorum, propter Heroudiadem vxorem Philippi fratris ſui, quam duxerat.

*Theophylactus, Euthymius, Vatablus.* Ipſe Herodes miſſis ſatellitibus manus iniecerat in Ioannem, & vinxerat eum in carcere.

*Arias.* Herodes delegans prehendit Ioannem, & vinxit eum in cuſtodia.

ALTER TEXTVS.

*Matth.* 14.*n.* 3. Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum, & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui.

*Luc.* 3.*num.* 19. Herodes autem Tetrarcéa, cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris ſui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes; adiecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcere.

## EXPOSITIO.

1. Chryſoſt. Abulenſ.

RECTE notant Chryſoſtomus *homil. in Matth.* & Abulenſis *cap.* 14. *Matth. quæſt.* 4. quòd Euangeliſtæ non principaliter inducunt hanc hiſtoriam Ioannis; nam totum eorum ſtudium fuit, res geſtas Chriſti ſcribere; ſed tantùm occaſionaliter incarcerationem, ac necem Ioannis commemorant, prout ad facta Chriſti pertinent. Et ideo in hac Ioannis hiſtoria narranda nullus Euangeliſta ſeruauit ordinem: nam *Lucas* narrat incarcerationem, ac alligationem Ioannis, antequam explicet, Chriſtum ab eo baptizatum eſſe. Et hoc fit per anticipationem; Chriſtus enim priùs eſt baptizatus ab eo. *Matthæus*, & *Marcus* antequam hanc Ioannis hiſtoriam proferant, Herodis ſententiam referunt, quia audiens Chriſti mirabilia dixit: *Ioannes, quem ego decollaui, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Et hæc ſententia fuit dicta poſtquam Ioannes mortuus eſt. Circa hoc tempus ergo incarceratio Ioannis contigit: nam ipſe coniectus eſt in catenas, antequam Chriſtus abiret in Galilæam, & colloqueretur cum muliere Samaritana. Matt. 4. num. 12. *Cùm audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, receſſit in Galilæam.* Et ſimiliter *Marc.* 1. *num.* 14. quod intelligitur, non de primo acceſſu ad Galilæam, quando Dominus venit ad nuptias; quia poſt huiuſmodi nuptias Ioannes baptizabat in Ænnon, *Ioan.* 3. *num.* 23. Sed de ſecundo diſceſſu: quando habuit colloquium cum Samaritana. *(Matth. 4.)*

2. *Ipſe Herodes*, Qui Chriſti mirabilia audiens dixit, quòd Ioannes Baptiſta ſurrexit à mortuis; ita enim patet ex textu Matthæi & Marci. Herodes iſte fuit Herodes Antipas filius Herodis Idumæi, qui infantes occidit. *Miſit, ac tenuit Ioannem* per ſatellites, ac miniſtros ſuos, vt clariùs habent Euthymius, Theophylactus, Vatablus. Nunquam deſunt impij miniſtri, qui deprauatæ Regis voluntati famulentur. *Et poſuit eum in carcere*, in quo manſit longo tempore, vt notat Abulenſis *Matth.* 14. *quæſt.* 12. ne argueret, ac reprehenderet Herodem de adulterio; vxorem enim fratris ſui Philippi ſibi copulauerat, ac multa alia ſcelera publica commiſerat, de quibus omnibus intrepidè à Ioanne arguebatur. Quod notat Diuus Lucas, *Cùm corriperetur ab illo de Herodiade, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes.*

*Euthym. Theoph. Vatabl. Miniſtri famulãtur iniqua Regis voluntati. Abulenſ.*

## QVÆSTIO I.

### *Quiſnam eſſet Herodes, Herodias, & Ioannis carcer?*

3. *Quis eſſet Herodes.*

HERODES hîc ab Euangeliſtis commemoratus, ille eſt, qui dicitur Antipas magni Herodis filius, quo regnante natus eſt Chriſtus, & infantes occidit, vt dixi *lib.* 2. *cap.* 7. Iſte autem Herodes magnus, ſeu Idumæus multos habuit filios; aliquos antequam è vita diſcederet, iuſſit occidi, vt aduerti *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 18. Inter quos fuit occiſus Ariſtobulus, pater Herodiadis. Tres tamen reliquit filios ſuperſtites. Hunc Herodem Tetrarcham Galilææ, Philippum Itruriæ Tetrarcham, & Archelaum, qui rexit Iudæam. Herodes autem hîc nominatus, quem Ioannes reprehendit, eſt ille, à quo Dominus eſt illuſus in ſua paſſione, & erat Galilææ Tetrarcha, vt aduertit D. Lucas. *Tetrarcha* vox eſt Græca, & ſignificat illum, qui quartam partem regni tenet, vt notaui *lib.* 3. *c.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 4. Dicitur etiam ab Euangeliſtis infrà Rex *Marc.* 6. *num.* 14. *Matth.* 14. *num.* 9. quia Tetrarchæ poteſtate, ſimili regiæ vtebantur. Hæc omnia fuerunt notanda, vt intelligantur, quæ infrà ſunt dicenda.

*Herodes Idumæus filios habuit multos.*

4. *Herodiades cuius filia. Hieron.*

Circa Herodiadem aliquæ ſunt controuerſiæ apud authores; nam D. Hieronymus *Matth.* 14. ex quadam antiqua hiſtoria narrat Herodiadem Aretæ Regis Arabiæ Petrææ filiam fuiſſe, & Philippo Herodis Idumæi filio datam fuiſſe in matrimonium. Poſtea verò refert ſanctus Doctor, ſocerum eius, exortis quibuſdam contra generum ſimulationibus, tuliſſe filiam ſuam, & in dolorem prioris mariti, Herodi fratri eius, ac inimico nuptiis copulaſſe. Diuum Hieronymum ſequuntur Diuus Paſchaſius *lib.* 7. *in Matth.* Beda, Haymon, Albertus Magnus. Sed probabilior eſt ſententia Ioſephi, quàm vetus illa hiſtoria, ignoratur enim, ex quo deſumpta fuerit, vt teſtatur Caietanus.

*Paſchaſ. Beda. Haymon. Albert. Mag. Caietan.*

5. *Ioſeph. Beauxalm.*

Ioſephus *lib.* 18. *antiquit. cap.* 7. affirmat Herodiadem hanc magni Herodis neptem fuiſſe ex filio Ariſtobulo; & ita, vt rectè obſeruat Beaulxames, dicta eſt Herodiades nomine patronymico ab auo. Pater ergo Herodiadis extitit Ariſtobulus filius magni Herodis, qui patris iuſſu eſt occiſus: fuit etiam frater Herodis Antipatæ, & Philippi, qui Herodiadem conſobrinam ſuam in matrimonium duxere. Cum Ioſepho conueniunt Euſebius *lib.* 1. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 11. Cardinales Ianſenius, Caietanus, Baronius, Toletus *in Lucam.* Herodes autem Tetrarcha,

*Euſeb. Ianſen. Caiet. Baron.*



antequam Herodiadem acciperet, vt teſtantur Ioſephus, & Euſebius *citati*, vnà cum Nicephoro *lib.* 1. *hiſtor. cap.* 19. vxorem habuit Aretam Regis Arabum filiam, quam è ſuo matrimonio eiecit, cùm eſſet captus amore Herodiadis vxoris ſui fratris, quam in coniugem duxit. Et ob hoc negotium inter Herodem, & Aretæ Arabiæ Regem interceſſit bellum; exercitus autem Herodis internecione periit, vt refert Ioſephus citatus, eo quòd Herodes Ioannem Baptiſtam decollauerit.

*Ioſeph. Euſeb. Niceph. Ioſeph.*

6. *An viuente fratre.*

Adhuc eſt lis inter Doctores, An Herodes duxerit Herodiadem in matrimonium viuente fratre Philippo? Affirmatiua ſententia meo videri eſt ſimpliciter vera, eam tradunt Diuus Hieronymus, & Euſebius *citati*. Diuus Paſchaſius *lib.* 7. *in Matth.* Diuus Baſilius Seleucus *Orat.* 18. *in cap.* 14. *Matth.* Gloſſa Interlinealis, Euthymius, Albertus Magnus, Beda, Haymon, Carthuſianus, Hugo, Caietanus, Beaulxames, Diuus Bonauentura *de vita Chriſti cap.* 29. Nicephorus *lib.* 1. *hiſtoriarum c.* 19. & alij multi Doctores. Nam Philippus, vt refert Ioſephus *lib.* 18. *antiquit. cap.* 6. obiit anno vigeſimo primo principatus Tiberij Cæſaris; Ioannes autem incepit ſuam prædicationem anno decimoquinto Tiberij Cæſaris *Luc.* 3. *num.* 1. & poſtea ferè circa annum & dimidium carceri eſt traditus. Imò Baronius in eodem anno trigeſimo primo Chriſti ponit exordium prædicationis Ioannis *in Epitome num.* 6. & incarcerationem *num.* 19.

*Hieron. Euſeb. Paſchaſ. Baſil. Gloſſa. Euthym. Albert. Mag. Beda. Haymon. Carthuſ. Hugo. Caiet. Beauxalm. Bonauent. Nicephor. Baron.*

7. *Qui dicunt poſt mortem fratris.*

Sunt alij authores, qui dicunt, Herodem coniunxiſſe ſibi matrimonio Herodiadem vxorem Philippi demortui, qui reliquerat ex Herodiade filiam; hac de cauſa à Ioanne reprehenſum fuiſſe, quòd contra legem ageret; nam prohibitum erat *Leuitic.* 18. *num.* 16. fratris demortui vxorem ducere, ſolo vno caſu licebat, & præceptum erat, nimirum ad ſuſcitandum ſemen fratris ſui, quando ſine liberis diſceſſerat, vt conſtat *Deuteronom.* 25. *num.* 5. Quod in hoc Herodis facto locum non habebat; nam Herodias ex Philippo mortuo puellam illam ſaltatricem conceperat. Huic opinioni patrocinantur Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 34. D. Chryſoſtomus *homil.* 49. *in Matth.* Sed prima opinio verior, vtpote communior, & ſolidiori fundamento innixa.

*Tertul. Chryſoſt.*

8. *Ioſeph. Vbi fuerit Ioannis carcer. Barradas.*

Locus carceris ſcribitur à Ioſepho *lib.* 18. *antiq. cap.* 10. fuiſſe caſtellum Machærunite munitiſſimum, non longè à mari mortuo. At, vt rectè obſeruat Barradas, falſum videtur; quoniam conuiuium Herodis agebatur in Galilæa: non potuit ergo ex conuiuio mitti ſpiculator in caſtellum, & è caſtello ad idem conuiuium eodem die caput Ioannis afferre: interiacet enim iter oblongum, & multarum leucarum. Aranda *cap.* 2. *de Samaria*, ſcribit, carcerem Ioannis oſtendi in Samaria. Vnde non eſt probanda ſententia Maldonati *in cap.* 14. *Matth. num.* 10. vbi tenet, Herodem ſuum conuiuium celebraſſe in Machæruntina arce, hoc dicens ad euitandam difficultatem propoſitam. Hoc non placet; tum quia Aranda diligentiſſimus ſpeculator Terræ ſanctæ ſcribit, carcerem Ioannis eſſe in Samaria; tum quia creditur, Herodem celebre conuiuium natalis ſui peregiſſe in regali ciuitate Galilææ, & non in paruo caſtello.

*Aranda. Maldon.*



## QVÆSTIO II.

### *An Herodes ſponte ſua, vel perſuaſu aliorum Ioannem incarcerauerit?*

DICO primò, quòd conſentientibus, & cooperantibus Phariſæis Ioannes coniectus eſt in carcerem. Hanc ſententiam tradunt D. Hieronymus *in c.* 17. *Matt.* ad illa verba, *Elias iam venit.* Et *in eod. c.* Lyranus, & Carthuſ. Gloſſa Interlin. D. Thom. Caiet. & Tolet. *in c.* 4. *Ioan.* ſtatim in principio. Ianſenius *c.* 25. *Concord.* Probatur ex *Matth.* 17. *num.* 12. vbi ait Dominus: *Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eum, quæcunque voluerunt; ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis*, &c. Loquitur Dominus de Ioanne, quem Eliam vocat. Vbi ait D. Hieronymus. Quæritur, cùm Herodes, & Herodias Ioannem interfecerint, quomodo ipſi Ieſum quoque crucifixiſſe dicantur, cùm dicamus, eum à Scribis, & Phariſæis interfectum? Reſpondendum, quòd & in Ioannis nece conſenſerit Phariſæorum factio; & in occiſione Domini Herodes iunxerit voluntatem ſuam, qui illuſum remiſerit ad Pilatum, vt crucifigeret eum. Ita D. Hieronymus. 9.

*Hieron. Lyran. Carthuſ. Interlin. D. Thom. Caietan. Tolet. Ianſen. Matth. 17. Hieron. In vincula Ioannis conſentit Phariſæorum factio.*

Dico ſecundò. Suadente etiam Herodiade Herodes poſuit Ioannem in carcerem. Ita Euthymius, Carthuſianus *in c.* 14. *Matth.* Abulenſis *q.* 15. Imò ait Victor Antiochenus, quod *Herodes victus precibus Herodiadis Ioannem incarcerauerit.* Probatur, quia Marc. 6. num. 19. *Herodias autem inſidiabatur illi*, ſcilicet Baptiſtæ, *& volebat occidere eum.* Et quanquam Euangeliſta per anticipationem prius commemorauerit incarcerationem Ioannis, quàm inſidias Herodiadis; tamen vbi primum Ioannes arguit Herodem de ſua luxurioſa turpitudine, Herodias odium concepit in Baptiſtam, & omnibus modis tentauit aduersùs eum parare omnes inſidias, eumque occidere, ac incarcerare; & hac de cauſa importunis precibus inſtabat Herodi. Eleganter D. Petrus Chryſologus ſerm. 173. *Illa, ſcilicet Herodias, ne eſſet arguens, arguentis tendebat ad mortem; ille, vt placeret inceſtæ, captiuus ipſe iuſtum tantùm tenuis, vinxit incluſum, quia in innocentem reus facile non poterat dictare ſententiam.* Vt placeret Herodiadi, Herodes incarcerauit Ioannem; non tamen in eum capitalem ſtatim ſententiam profert: quia iniquus in iuſtum ſententiam facile dare nequibat. Imò Herodes quando poſt multum tempus incarcerationis Ioannis caput eius iuſſit amputari, ſententiam non profert, ſed violenter per iniquum imperium caput ſibi mandat afferri. 10.

*Euthym. Carthuſ. Abulenſ. Vict. Ant. Marc. 6. Ob preces Herodiadis Ioannes incarceratus. Chryſol. Impius innocentem nõ poteſt pronuntiare ſententiam.*

Dico tertiò, quòd Herodes ſpontè, ac voluntariè conſenſerit in carcerationem Ioannis. Ita Abulenſ. *q.* 15. licèt ipſe teneat, quòd etiã nemine ſuggerente voluit eum in vincula coniicere. Ego verò exiſtimo, quòd in hoc negotio interuenit conſilium Phariſæorum; quia Ioannes de Chriſto teſtimonium dabat; preces Herodiadis, & etiam voluntas ipſius Herodis. Hoc vltimum probatur; nam cætera patent. Probatur, quia Ioannes prædicans arguebat Herodem de illicitis nuptiis; ideo ad euitandam huiuſmodi vexationem, eum vo- 11.

*Herodes ſpõte conſenſit. Abulenſ.*

luit incarcerare Herodes;nam clauſus in cuſtodia prædicare non poterat,& ita ceſſaret arguere Herodem. Secundò, quia Herodes voluit caſtigare Ioannem per pœnam carceris, vt ab eius arguitione deſiſteret;& ſic intendebat, longo carceris labore eum affligere, vt ita ab eius reprehenſione recederet. Tertiò. Facta eſt huiuſmodi incarceratio ad ſatisfaciendum Herodiadi;nam illa grauiter oderat Ioannem;vt enim dicitur Marc.6.n.19
Marc. 6. *Herodias inſidiabatur illi,& volebat eum occidere*; & non poterat ei nocere, niſi per manum Herodis;& ideo rogabat eum, quòd Ioannem occideret;& ipſe nolebat, quia venerabatur Ioannem,
*Impij iuſtorũ pœnis ſaturantur.* & cuſtodiebat eum. Ad ſatisfaciendum ergo Herodiadi incarcerauit Ioannem, vt ſic illa ſaturaretur in pœnis Ioannis,tenendo eum longo tempore in carcere, & poſtea dimitteret illum.

12. *Impij aduerſùs iuſtum vniuntur facile.* O quàm facilè omnes iniqui conueniunt aduerſùs vnum,& ſanctum Baptiſtam! Phariſæi cooperantur conſilio;Herodias precibus inſtar,Herodes ſpontè conſentit, vt Ioannes in vincula coniiciatur: quamquam enim impij animo inter ſe diſcrepent,vt fortaſſe erant Herodes & Phariſæi;tamen facile fiunt vnanimes, dum omni aduerſùs iuſtum machinatione armantur. Aderant in Concilio Phariſæi,& Sadducæi,vt Paulum punirent; qui tamen omnes voce Pauli in magnas controuerſias abiere: nam Phariſæi fatentur, reſurrectionem, & angelos eſſe; Sadducæi verò vtrumque negant; & hac de cauſa magna inter
Actor.23. eos erat altercatio. *Cùm magna diſſenſio facta eſſet, timens Tribunus, ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſſit milites deſcendere,& rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra*, Actor.23.
*Impij,quãuis inimici vniuntur aduerſùs iuſtum.* num.10.Sed ad quid Tribunus videns Phariſæos & Sadducæos magnis argumentis implicatos,iubet Paulum deſcendere, & abire; nam dum ipſi inter ſe pugnabant vehementer,ac magnis vocibus contendebant,Paulus ſecurus erat. Quid ergo timet in eum Tribunus,vt imperet eum recedere à Concilio? Prudenter quidem;nam quamuis ipſi inter ſe acriter belligerarent, nimis facile concordes futuri erant,vt iuſtum damnarent, ac morti traderent.In hanc rem ait Tertullianus lib.
Tertul. de præſcript.cap. 41. *Nihil enim intereſt*, ait,*illis diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent*.

13. Poſtquam Pharao cum toto exercitu ſuo ſubmerſus eſt in mari rubro, cecinit Moyſes canti-
Exod.15. cum Domino,dicens:*Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem eius deiecit in mare*, Exod. 15.n.1.Illud mihi eſt valde
*Impij, vt vnus homo cõtra iuſtum vniuntur.* mirabile, quòd cùm valde copioſiſſimus exercitus,continens ferè quinquaginta millia equitum, & innumeram ferè peditum multitudinẽ, vnius nomine aſcenſoris dicis,ô Moyſes? Cur non commemoras equites, milites, ac phalanges, vt inde magis clareſcat diuina virtus, ac potentia? Tam vnanimi conſenſu conuenerant ad perſequendum populum Dei electum Iſraël, vt non innumera hominum multitudo,ſed vnus tantùm homo videretur. D. Athanaſius lib.de communi eſ-
Athanaſ. ſentia Patris,Filij,& Spiritus ſancti. *Tantas*, inquit, *hominum copias appellauit hominem vnum, & tantum numerum equorum appellauit vnum equum,cùm diceret: Equum,& aſcenſorem, ob communionem naturæ*. Eorum erat communis natura in malum;mens tamen ſancti Patris ad aliud tendit.

## QVÆSTIO III.

### *Ex quo motiuo Herodes Ioannem in vinculis alligauerit?*

14. Ioſeph. IOSEPHVS hanc Ioannis incarcerationem ſcribens *lib.18.antiq.c.7.* ait:Cùm magni concurſus ad Ioannem fierent, plebe talis doctrinæ auida, Herodes veritus, ne tanta hominis authoritas defectionem aliquam pararet, quòd viderentur, nihil non facturi ex eius conſilio;iudicauit ſatius eſſe, priuſquam noui aliquid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaque vinctum miſſum in Machæruntem,illic occidi imperat. Ita Ioſephus.Quod ita intelligo. Cùm Ioannes reprehenderet Herodem de adulterio, ac ſuis criminibus; ex hac Ioannis correptione timuit populi rebellionem: nam, vt notat D. Thomas D.Thom.
*hîc*, commotio populi maximè timenda eſt;ac proinde pro euitanda huiuſmodi populi commotione, & pro conſeruatione ſua in regno Ioannem incarcerauit. *Perit impius iniquitate, qua ſe in dignitate vult conſeruare.* Sed è contra res accidit: nam tantum abeſt, vt incarceratione Ioannis Herodes ſe in regno perpetuauerit,quòd potiùs ea ex cauſa,quia Ioannem alligauit,ac decollauit,Herodes ipſe cum exercitu ſuo periit in bello, vt ex Ioſepho iam ſuprà notaui num.5.

15. *Germana.* Præcipuam huius rei rationem aſſignant ſacri Euangeliſtæ Matthæus, & Marcus, cur Herodes Ioannem miſerit in carcerem; quia ſcilicet arguebatur ab eo de Herodiade à fratre viuente ablata, & ſibi vxoris nomine copulata. In quo, vt obſeruat Abulenſis *q.17.* duo fœda flagitia com- Abulenſ.
miſit Herodes, adulterium ſcilicet, & inceſtum. *In vno facinore peccata multa.* Adulterium,quia alienam vxorem tenebat; inceſtum autem, quia erat ei coniuncta,gradu affinitatis prohibito, vtpote vxor ſui fratris, Diuus verò Lucas præter cauſam memoratam, aliam aſſignat. *Cùm corriperetur ab illo de Herodiade, & de* Luc.3.
*omnibus malis,quæ fecit Herodes*.Ioannem coniecit in carcerem Herodes,quia de Herodiade, ac multis aliis criminibus reprehendebatur ab illo.Quæ flagitia denotauit Chriſtus in Herode,dum de eo ait: *Dicite vulpi illi*, Luc.13.num.32. Vnde He- Luc.13.
rodes debuit fieri debitor Ioannis, quia ei vitam ſalutis indicabat,inde ira exarſit in eum.Vnde ait Diuus Auguſtinus *ſerm.10.lib.1.homil.* relatus in Homilario: *Non potuit*; ait, *equo animo tolerari*, Auguſt.
*quod homo Dei ſanctus monebat, qui vtique ſalutem eorum quærebat, quos ſic monebat, Reſponderunt illi mala pro bonis.* Tyranni omnia ſibi licere pu- *Peccatores mala pro bonis retribuũt.*
tant;& ſi quis ipſos reprehendit, id grauiſſimum facinus reputant, & ideo pro bono omne malum parant.

16. Chryſolog. In hanc rem eleganter loquitur Diuus Petrus Chryſologus ſerm. 127. *Ioannes orbis notus, fama virtutis cognitus, celebratiſſimus ſanctitate, dum trahit ad ſe inquiſitores iniuriæ, facit,vt tuus cunctis innoteſcat inceſtus: agit, vt te habeat confuſio publica.* Vinculis capitur Ioannes ab Herode, ne eius *Impius dum peccatum ſuum occultare vult,illud magis manifeſta.* crimina eſſent manifeſta,ne eius adulterium omnibus eſſet notum; nam dum peccata Herodis à Ioanne arguuntur, fiunt publica in omnium ore. Vt ergo huiuſmodi criminis propagatio euitaretur, capitur iniquitatis obiurgator. Sed fallitur Herodes, & maximè fallitur; nam crimen



ſuum,dum occultare vult,magis,ac magis manifeſtat: Ioannis enim carcer, ac gladius, quo caput eſt amputatum, maximè Herodis flagitia accuſant, ac euulgant. Deuaſtata Sodomâ,aſcendit Loth cum ſuis duabus filiabus in montem.Et ibi *manſit in ſpelunca ipſe,& duæ filiæ eius*, Geneſ.19. num. 30. Vbi filiæ cum parente magnum ince-
Auguſt. D.Thom. ſtum perpetrarunt, in quo grauiter peccarunt, vt cum Auguſtino, S. Thoma communiter volunt Theologi. Et cùm filiæ partus ſuos ederent in lucem, vnum appellarunt Moab, id eſt, vt exponit Diuus Chryſoſtomus homilia 44. in Geneſ.
Chryſoſt. *Ex patre meo*; alterum verò dixerunt Ammon,id eſt, vt interpretatur idem Chryſoſtomus, *Filius generis mei.* Sed magnum myſterium latet, quòd mulieres illæ habuerunt occaſionem delinquendi cùm parente,quia ſolæ inueniebantur in monte,& abſconditæ in ſpelunca: & tamen filiis imponunt nomina, quæ eorum peccata maximè te-
Idem. ſtentur. D.Chryſoſtomus citatus: *Nomina enim*, ait,*ſtatim natis indiderunt, quibus factum ſignificabant; & in filiorum nominibus, quaſi in columna quadam,memoriam facti inſcribebant.* Hæc eſt diuina prouidentia, vt in ipſis latibulis, quæ impius quærit ſuis iniquitatibus ibi columnam æream inuenit,in qua in omnium memoriam ſuum ſcribit peccatum.

17. Duo illi impudici ſenes Suſannam in pomario obſeruabant,& cùm nemo ibi adeſſet, eam ad peccatum induxerunt; quibus non conſentiens, coram populo accuſatur. Illa tacet, & ſolùm cum Deo intus in corde loquitur; illi verò multa dicunt, & ſe teſtes, ac inſpectores criminis aſſeuerant,*Daniel.13.n.40.* Quid tunc? Illa,dum tacet, muliebrem pudicitiam declarat, & ſe immunem ab omni crimine oſtendit, vt rectè ponderat Di-
Auguſt. Ambroſ. uus Auguſtinus *ſerm.242.de tempore.* D.Ambroſ. *lib.de Tobia c.20.* At dum ſenes vocibus clamant, multa dicunt, rationes mouent, coniecturas apponunt,vt ſuum crimen abſcondant,& totum in mulierem refundant; vnde illud patefaciunt, & ſuiſmet dictis vt delicti authores à Daniele capiuntur,& in ipſa abſconſione peccati præparata eſt manifeſtatio.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Herodes auſus ſit, Ioannem in vinculis alligare.*

18. RATIO difficultatis. Quomodo auſus eſt Herodes Ioannem coniicere in vincula;nam ipſe magnæ authoritatis,& opinionis erat apud populum,qui eum, vt magnum Prophetam venerabatur, & ideò omnes veniebant ad eum, vt ab ipſo baptizarentur in Iordane,*Matth.3.n.1.Marc.1.n.5.* Quomodo ergo Herodes non timet populum, vt pro Ioanne ſtet? De hac quæſtione multa dicturus ſum infrà, cum de nece Ioannis fuerit ſermo.

19. Abulenſ. Reſpondet Abulenſis *c.14. Matth. q.16.* duo. Et primò,quia incarceratio eſt malum paruum,& pro huiuſmodi malo non facile moueretur po-
*Per incarcerationem explorauit Herodes populi voluntatem.* pulus contra Dominum ſuum. Sed huiuſmodi ratio non eſt multum firma, & ideo reſpondet ipſe ſecundò, Non timuit Herodes; quia ſi incarcerato Ioanne populus turbaretur,& moleſtè hoc ferret,ſolueret illum ſtatim Herodes, & ſic placaret turbationem populi. Si autem Ioannem ſtatim occideret, non eſſet remediabile malum, & ita populum contra ſe inſurgentem placare non poſſet; & ideò licèt vellet occidere Ioannem, non eſt auſus propter populum, ſed ſolum incarcerauit eum.

20. *Veritatis prædicator multos habet inimicos.* Tertiò Ioannes erat veritatis prædicator, ac iniquitatis reprehenſor, & quanuis omnes ad eum confluerent, vel ducti rei nouitate, vel pro conſeruanda propria fama, & honore, vt dixi ex Alberto Magno *lib.3.cap.1.num.87.& 99.* tamen in animo multi ei erant infeſti,& aduerſarij:nam ipſe Phariſæos appellabat genimina viperarum, *Luc.3.num.7.* Et cùm hoc cognoſceret Herodes, habuit audaciam ad ipſum in vincula coniiciendum. Prædicator veritatis multos ſemper aduerſum ſe habet. Amos 5. num. 10. *Odio habue-* Amos 5.
*runt corripientem in porta; & loquentem perfectè abominati ſunt.*

21. *Populus ſequitur Principis exemplum.* Quartò,& hæc eſt mihi probabilior ratio. Herodes ex conſilio,& cooperatione Phariſæorum, vt dixi ſuprà *num. 9.* comprehendit Ioannem, ideo Herodes in hoc negotio populum non timuit: nam ſemper Principum veſtigia ſequitur vulgus; & cùm huiuſmodi incarceratio Principibus placeret,populo non erat futura inuiſa, qui ſemper ſuorum gubernatorum tanquam præcepta ſectatur exempla. Et hac de cauſa Philo Iu- Philo.
dæus Patriarcharum facta appellauit *leges,& iura non ſcripta.*

22. Pſalm.13. Ait Regius Vates Pſalm.13.num.1.*Dixit inſipiens in corde ſuo,non eſt Deus.* & ſtatim proſequitur: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Vbi maximè ponderandum, quòd in primo verſiculo loquitur in ſingulari: *Dixit inſipiens*; & ſtatim ita adaugetur numerus: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti*; vt non ſolùm ſint multi iniquitatem operantes, verùm etiam nec vnus quidem inueniatur, qui faciat bonum. Ille inſipiens,& ſceleratus, qui dixit: *Non eſt Deus*, vt volunt Rabbi Salomon,& Lyran.extitit Nabuchodonoſor;vel,vt contendunt Theodoretus, & Treuetus, Sennacharidis Regis ſententia eſt. Et Rab. Salom. Lyran. Theodor. Treuet.
*Iniquitas Regis, peſtis totam ciuitatẽ corrumpens.* vbi inſipientia,ac Regis ſtultitia ſceleratiſſimum dogma protulit,ſtatim omnes populos, & omnes ciuitates poſt ſe rapuit: *Corrupti ſunt,& abominabiles facti ſunt.* Ita ait Theodoretus,*Subditi ducis* Theodor.
*inſaniam ſecuti ſunt.* Nam iniquitas Principis tanquam peſtis, ac mortiferus morbus graſſatur, ac totum orbem corrumpit.

23. Cant.5. Conſequens inquit ſponſa: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*, Cantic.5.num.7. Sæpe dubitaui cum D. Gregorio Nyſſeno *homil.12.* Quomodo Nyſſen.
ſponſa, cùm eſſet ſpoliata, ac vulnerata, & tantis iniuriis affecta à cuſtodibus murorum, & ciuitatis,cur alta voce non clamauit, ac vociferauit, & populum in ſui auxilium,ac defenſionem,vt frequenter fit in ſimili euentu, non conuocauit, ac excitauit: ſed obmuteſcit, & patienter tanta incommoda ſuſtinet, nec verbum profert? Cuſtodes illi,vt aſſeueranter tenent Theodoretus,& Theodor. Orgelitan.
Iuſtus Orgelitanus, erant Magiſtratus, & principes ciuitatis. Prudenter ergo ſponſa patienter ſuſtinet, & meminem aduocat: nam cùm principes ciuitatis denudantes eſſent, ac vulnerantes

ipſam,& populus eorum ſequatur exemplum;totus, ſi adueniret, futurus erat armatus, non in ſponſæ defenſionem, ſed in maiorem eius ſpoliationem, & ideo neminem appellat, ne plures contra ſe haberet latrones, & hoſtes. *Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*, Eccleſ.10. num.2. Eccli.10.

## QVÆSTIO V.

### *Quomodo prenditur Ioannes, qui eſt Chriſti vox, cùm Verbum Dei non ſit alligatum?*

24. 2.Timot. 2. Chryſoſt. Ambroſ. Remigius. Anſelmus.

AIT Apoſtolus in ſua 2.ad Timoth.2.n.9. *Verbum Dei non eſt alligatum.* At Baptiſta erat vox Dei; quomodo ergo vinculis aſtringitur? Et genuinus Pauli ſenſus eſt, vt explicant D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius, D. Remigius, D. Anſelmus, quòd quanuis Paulus alligaretur, ac includeretur in carcere; tamen verbum Dei alligari non poterat: nam inde ſcribebat, docebat, ac prædicabat. Verumtamen in myſtico, ac morali ſenſu rem inueſtigemus.

25. Reſpondeo primò. Ioannes vox Dei, quæ inſonuit per vaſtiſſimum eremum, ac totum Iudæ regnum adimpleuit, cùm verbum Dei non ſit alligatum, in paruo tamen carceris loco ab iniquo Rege conſtringitur. D. Baſilius Seleucus Orat.18. *Herodianis affectibus pro armis vſus diabolus, viam aperit ad Baptiſtæ mortem. O pulchrè excogitatam à diabolo inſaniam! Carnificem ſtatuit in Ioannem Regem ipſum. Vidit hominum quidem dominatorem eſſe Herodem, affectuum verò ſeruum.* Vidit diabolus Herodem indomita cupiditate exagitari, ac ſuorum affectuum vile eſſe mancipium, per ipſum parat carcerem, & necem in Baptiſtam Dei clamantis vocem, quæ quanuis alligari non poſſit, tamen accenſa Regis cupiditas, tyrannide inſoleſcens, ſua poteſtate innixa, impoſſibilia tentat, & inacceſſa audet, & vocem clamantem in carceris barathro includi præſumit. Vide *lib.*2. *cap.*4.*num.*94.*& cap.*8.*num.*12.

Baſil.

*Regis cupiditas impoſſibilia præſumit.*

26. Chryſolog. Secundò eleganter D. Chryſologus ſerm.127. *Qui vincula*, ait, *ſoluerat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, vt vincta venia locum veniæ non relinquat.* Ex alto Dei iudicio Ioannes Dei vox, qui omnes vocabat ad pœnitentiam, qua à peccatorum vinculis ſoluebantur homines Regis iniqui, ac peccatoris vinculis aſtringitur, vt ita ipſi ſit omnis venia alligata, & tantum irremediabilis interitus præparatus. Aliquando Dei Sacerdos, ac Pontifex, qui peccatorum vincula ſoluit, peccatoris Regis vinculis alligatur, vt ipſe miſerabili ruina abſque venia perimatur; nulli enim rigidiori ſupplicio periere, quàm Core, Dathan, & Abiron, quos viuos deuorauit terra, quia contra Moyſem, & Aaron Sacerdotes Domini conſpirarunt, *Numer.*16.*num.*30. Qui enim Sacerdotes contemnit, in omne malum prolabitur. Vnde ait Diuus Cyprianus Epiſtol. 66. ad Florentium. *Vnde ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur? Dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.*

*Contemptus in Sacerdotes ruinam ſine venia generat.*

Cyprian.

27. Auguſt. Tertiò D. Auguſtinus *in Pſalm.*115. ad illa verba: *Ego autem humiliatus ſum nimis*, ita ait. *Cur addidit Propheta: Ego autem, niſi quia homo humiliari poteſt ab eis, qui veritati contradicunt; non ipſa veritas, in quam credidit, & loquitur? Vnde Apoſtolus cùm de catena ſua diceret: Sed ſermo, inquit, Dei non alligatus.* Ioannis perſona carcere alligatur, & conſtringitur; non tamen ipſa vox clamantis; nam de carcere prædicabat, docebat, ac diſcipulos ſuos ad Chriſtum deſtinabat, vt ab eo in veritate inſtruerentur. Ita Diuus Auguſtinus cit. *Pſal.*115. *num.*1. quo Pſalmographus ait: *Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis*; vbi ait, quòd ipſemet Regius Vates humiliatus eſt, non tamen veritas, quam credidit, & loquitur Diuus Auguſtinus. *Iſte, quia eſt vna perſona ſanctorum teſtium, hoc eſt, martyrum Dei. Credidi*, inquit, *propter quod locutus ſum: Ego autem; non illud, quod credidi; non ſermo, quem protuli; ſed ego humiliatus ſum nimis.*

*Prædicator alligari poterit eius tamẽ veritas minimè.*

Pſalm.115.

Auguſt.

28. Cùm Paulus eſſet Ieroſolymis in conuentu Iudæorum duabus catenis aſtrictus, ac ligatus, aſcendens in loco ſublimiori, *ſtans in gradibus annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt*, Actor.21. num.40. Et habuit ſatis largum ſermonem. Adhuc, Paule, catenis vinctus non deſinis loqui ad populum; immo vt meliùs ab omnibus percipiaris, altiorem ſcandis locum? Alligatus erat Paulus, verbum tamen Dei alligatum non erat. Vnde ait Diuus Chryſoſtomus homil. 47. in Acta Apoſtolorum. *Quid huic ſpectaculo par videre; Paulum duabus catenis ligatum concionantem? Quomodo non turbatus eſt? quomodo non confuſus eſt, tantum populum exaſperatum videns aſtante præſide?* Et ita multa verba habuit, maximè concitatum contra ſe Iudaïcum populum minimè timens.

Actor.21.

Chryſoſt.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare inter Herodem, & Herodiadem tanta in nomine conuenientia?*

29. GERMANAM huius rei rationem dixi iam ſuprà *num.*5. Quia iſte Herodes erat filius Herodis Iudæi, & ab ipſo parente ita nuncupabatur. Herodias verò nepos extiterat ipſiuſmet Herodis Iudæi; ac proinde nomine ab auo ita dicebatur. Tamen moraliter inquirimus, cur hæc duo luxuriæ mancipia tam ſimilia nomina habeant inter ſe, ac veluti vno nomine dicantur Herodes, & Herodias? Ad quod

*Genuina ſolutio.*

30. Chryſol. Reſpondet primò Diuus Chryſologus ſerm. 173. *Sociatur*, inquit, *Herodi Herodias, ne eſſent vel nomine diſſimiles, qui erant ſcelere, moribus, vitáque conſimiles: & iungerentur vocabulo, quos criminum iunxerat turpitudo.* Semper enim vitæ turpitudo, laſciuitas morum ſuos alumnos conſimiles facit, vt inter ſe arctiſſimo vinculo aſſocientur tam vitæ petulantia, quàm nomine, & vocabulo, vt vix vnum ab altero diſcerni poſſit. Duo diaboli membra armantur contra populum Iſraëliticum, cùm per deſertum incederet, ſcilicet Rex Balac, & Balaam, *Numer.* 22. *num.* 5. vt ita maledictionibus, ac inſidiis ſuis totus demoliretur, ac conſumptus eſſet Iſraël. Sed cur vocantur Balac,

*Iniqui valde ſimiles, ac aſſociati.*



Carthuſ. Balac, & Balaam? vt aduertit Carthuſianus, vt quos malitia coniunxerat, nomine non diſcreparent.

31. Fulgentius. Secundò D. Fulgentius *ſerm.* 7. *de Ioanne*, ita loquitur. *Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Baptiſta Herodes, & Herodias, quos ad conſortium adduxit nominum impuritas criminum? An timetis, qui vobis vocabulis coniungimi in luxuria, forſitan ſeparemini? eſtote certiſſimi, qui ſicut vno conſenſu caditis in luxuriam, ita vno nomine ſuſcipietis ſententiam.* Notate vltima verba. Ad quid commune nomen in eis? Quia ſicut in obſcœnis luxuriæ aſſociabantur, ita ſub vno damnationis nomine in ſupplicio maximè conuenirent: *Ita vno nomine ſuſcipietis ſententiam.* Quibus enim æquale crimen, non diſſimilis eſt pœna. Turpiſſimis vitiis licentioſè viuebant filij Heli. Accipiebant carnes in templo; antequam Domino offerretur ſacrificium indulgebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium Tabernaculi; & tandem omni violentia opprimebant Iſraël. Eorum ſupplicium denuntians Propheta Domini ait ſuo parenti Heli: *Hoc erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo*, 1.Reg.2. num.34. Cur ſimul vna die, & non diuerſis temporibus? Cur ſimul eadem morte, & eodem bello cadunt? Quia cùm eorum peccatum eſſet ſimultaneum, ſupplicium diſiungendum non fuit; qui enim æquali peccato ſimul delinquebant, æquali ſimul ſupplicio pereant. D. Gregorius, prout in his duobus filiis conſiderat duplicem gradum antiqui Sacerdotij: ita fatur eodem loco. *In duobus filiis Heli geminum Sacerdotij veteris ordinem oſtendimus deſignari: qui rectè in vna die mortui ſunt, quia ſimul in Redemptoris morte conuenerunt.*

*Vbi æquale crimen æqualis eſt pœna.*

1.Reg.2.

Gregor.

32. Innoc.III. Hanc rem multiplici exemplo confirmat Innocentius III. *lib.* 2. *de contemptu ſæculi cap.*23. de luxuria diſſerens. Hæc, ait, Pentapolim cum adiacente regione ſubuertit, *Geneſ.*19.*num.*24. Sichimitas raptores Dinæ cum populo interemit, *Geneſ.*34. *num.*25. Her, & Onam filios Iuda immundos percuſſit, *Geneſ.*38. *num.*7. Iudæum, & Madianitidem pugione transfodit, *Numer.*25. *num.*8. Tribum Benjamin pro vxore Leuitæ deleuit, *Iudic.*20. *num.*37. Filios Heli in bello proſtrauit, 1. *Reg.*4. *num.*11. Ammon in conuiuio interfecit, 2.*Reg.*13. *n.*28. Vriam occidit, 2.*Reg.* 11. *num.*17. Preſbyteros lapidauit, *Daniel* 13. *num.*61. Rubem maledixit, *Geneſ.*35. *num.*22. *& Geneſ.*39.*num.*4. Sanſon ſeduxit, *Iudic.*16.*num.* 19. Salomonem peruertit, 3.*Reg.*11.*num.*1. Hæc multos vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea, viæ inferi domus eius penetrantes in interiora mortis. Ita Innocentius. In quibus multa enumerat exempla, in quibus ob eadem peccata eadem pœna infligitur.

*Marci 6.n.18.* Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Non licet tibi ducere vxorem fratris tui.

*Euſebius Gallican. hom.2. de Ioanne Bapt.* Non licet tibi vxorem viuentis accipere fratris.

ALTER TEXTVS.

*Matth.*12.*n.*4. Idem ferè vt Marcus.

### *EXPOSITIO.*

33. MIRA cum modeſtia Regi loquitur Ioannes, ſine improperio, ſolius veritatis amore, non ex ſe, ſed ex lege, potius monens de veritate, quàm corripiens. Quod eleganter ponderauit Chryſoſtomus homil. 29. in 2. Epiſtol. ad Corinth. *Non enim*, inquit, *dixit: Sceleſte, pollute, & præuaricator, ac prophane, conculcaſti Dei legem; contempſiſti, quæ ſtatuta ſunt; potentiam tuam legem feciſti: nihil horum, ſed etiam in reprehenſione apparuit multa manſuetudo viri, ac mititas. Dixit enim: Non licet tibi habere vxorem fratris tui; erat enim verbum magis docentis, quàm reprehendentis.* Eadem cum modeſtia Sacerdos Azarias reprehendit Regem Oziam, Sacerdotale officium vſurpantem: non exaggerat crimen, ſed tantùm ſacrilegium proponit: *Non eſt*, inquit, *tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino*, 2.Paralipom.26.num.14. Ioannes cùm ad Phariſæos loquitur, *genimina viperarum* vocat, Luc.3. num.7. honori verò regali deferens nil ſimile dixit, ſed tantùm ſimpliciter: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, 1. Petri 2. num.17. *Regem honorificate.* Et dicit ei. *Non licet tibi habere vxorem*; Cùm ipſe eſſet alienigena. Ad quod optimè reſpondet Albertus Magnus: *Quia contra omnem legem naturalem eſt, habere vxorem alterius. Vel quia, quanuis ipſe eſſet Idumæus, fortè legem Dei aſſumpſerat. Vel quia prælatus populi Dei exiſtens, legis formam ſeruare debuit, quandiu præfuit.* Et adulterium ſemper prohibitum fuit grauiſſimis pœnis, & legibus à Romanis, Perſis, ac omnibus nationibus, vt latè intendunt Tiraquellus *in comment. de legibus connub. l.*13.*num.*3. Menochius *de arbitrarijs lib.*2. *cent.*5. *caſu* 419. vbi ſatis latè rem tractat. *Vxorem fratris tui.* Non dixit: Non licet tibi habere vxorem alienam, ſed *fratris tui*, quia dum crimen committitur in fratrem, maximè aggrauatur eius malitia. D. Baſilius Seleuc. Orat.18. *Fratris autem*, inquit, *appellatio per medias incedens iniurias ſcelus augebat adulterij nouo ſcelere, & iniuriæ acceſſione cumulabatur iniuria. Auget enim iniuriam cognatio. A quo enim naturæ debita expectabatur beneuolentia, apud eum maiora ſunt, quæ accuſantur crimina.*

Chryſoſt.

2.Paral.26.

Luc.3.

1.Petri 2.

Albert.Mag.

*Præſul debet ſeruare legẽ.*

Tiraquellus. Menochius.

Baſil.

*Iniuria in fratrem grauior.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Herodes publicè arguatur à Ioanne?*

34. POTERIT in dubium reuocari, an Ioannes manifeſtè, vel ſecretè reprehenderit Tetrarcham? Pro ſecreta admonitione ſtat D. Chryſologus *ſerm.* 127. Pro publica obiurgatione pugnant D. Chryſoſtomus *homil. ad populum* 1. Victor Antiochenus, Abulenſis *cap.*14. *Matth. quæſt.*15. *in corpore.* Tamen

*An manifeſta, vel ſecreta fuerit reprehenſio?*

Chryſolog. Chryſoſt. Victor Antiochenus. Abulenſ.

probabile, quòd priùs fuerit Herodes priuatim admonitus; & cùm à deprauata muliere noluerit diuelli, publicè in eum inuehitur Baptiſta. Et forſitan hoc intendit ſententia D. Chryſologi cit. ſerm. 27. ait enim, *Agit, vt te habeat confuſio publica, quem corrigere non potuit ſecreta correctio.*

*Chryſolog.*

35. Huius publicæ correctionis cauſas inquirimus, cùm videamus ſæpe in ſcripturis Reges ob mulieres ſecretè fuiſſe admonitos, vt Abimelech ob Saram in ſomnis, *Geneſ.* 20. *num.* 3. & Dauid ob adulterium Barſabee. Ita ibi denotat Scriptura; de Nathan ait: *Cùm veniſſet ad eum, dixit ei,* 2. Reg. 12. num. 1. Septuaginta: *Ingreſſus eſt Nathan ad Dauid.* D. Anaſtaſius Nyſſenus *quæſt.* 8. *in Scripturam,* ex Euſebio Pamphilo expendit verbum *ingrediendi*, tanquam in aliquo loco occulto, Regi peccatum ſuum obiecit. *Oſtendit,* ait, *oratio, quòd non præſente alio, neque coram vniuerſo populo eum redarguit.*

*2. Reg. 12. Septuaginta. Anaſtaſ. Pamphil.*

36. Ob quatuor princicipia publicè obiurgatur Herodes. Primò ob Ioannem. Secundò ob Herodem. Tertiò ob ciuitatem. Quartò ob ipſummet peccatum, quæ breuiter oſtendo.

37. Primò Ioannem: nam ipſe magnus prædicator Baptiſta patenter aliorum peccata publica reprehendebat; ita enim appellauerat Phariſæos *genimina viperarum,* Luc. 3. num. 7. Ne ergo Ioannes videretur acceptor perſonarum, ac Herodianam inſolentem purpuram formidare, qui aliorum iniquè facta coram populo arguebat, Herodis inceſtum non diſſimulat, ſed propalanter redarguit. Dicebat Paulus de ſe, ac ſuis coadiutoribus: *Chriſti bonus odor ſumus,* 2. Corinth. 2. num. 15. Quia ſicut odor æqualiter ad omnes partes ſe diffundit, ita prædicator ad omnes ſit æqualis. Ait Iſaias. *Væ mihi quia tacui,* Iſai. 6. num. 5. hoc eſt, vt explicat D. Hieronymus; *Quia Oziam non reprehendi.* Iſaias frequenter arguebat populum, tamen non reprehendit Oziam Regem delinquentem, ideo ſtatim de ſe ait: *Vir pollutus labiis ego ſum.* D. Hieronymus *in Epiſt.* 141. *ad Damaſum,* ita fatur. *Iſaias quantum ego arbitror, quia Oziam in templo irruentem non corripuerat, nec iuxtà Eliæ exemplum libera voce impium deſignarat, labia habebat immunda.*

*Luc. 3. Prædicator æqualis ad omnes. 2. Cor. 2. Iſai. 6. Hieron. Prædicator vitia Regum non diſſimulet. Hieron.*

38. Secundò. Publica fit reprehenſio ob ipſummet Herodem: nam hic Tetrarcha, vt eſt probabile, priùs fuit ſecretè admonitus, & poſtea patenter argutus, vt ait D. Chryſologus cit. *Agit, vt te habeat confugio publica, quem corrigere non potuit ſecreta correctio.* Sic enim obdurata Herodis natura occulta admonitione non emolleſcit, publica correptione obiurgandus eſt, vt ad emendationem trahatur: nam multoties peccator à ſuis auſibus reſipiſcit, non tantùm vt peccati malitiam effugiat, ſed potiùs vt ignominiam coram hominibus euadat. Secundò Abimelech, & Dauid ex humana ſunt fragilitate prolapſi, & ideo prima admonitione adhibita ſtatim à peccatis deſtitere. At Herodes obfirmata malitia perſiſtit in ſuis peccatis; nam multis correctionibus impetitus, nunquam melior eſt effectus. Et ſicut ille, qui audita voce emendatur, benignè recipitur; ita qui nullis increpationibus miteſcit, ſeuera eſt obiurgatione conculcandus. Delinquit Iudas Chriſtum tradens; delinquit Petrus Dominum negans: hic veniam inuenit, ille verò minimè. Petrus ex fragilitate, timiditateque prolapſus, vna galli voce perculſus ingemuit, & in lachrymas prorupit. At Iudas cum conſilio Iudæorum obdurato corde perſiſtens, multis Domini verbis à ſua malitia non frangitur. Dixerat Dominus: *Vnus veſtrûm me traditurus eſt,* Matth. 26. num. 21. *Qui intingit mecum in paropſide, hic me tradet,* ibidem num. 23. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur,* ibidem 24. Ideo Iudas venia indignus, quam impetrat Petrus. Hanc proditoris impudentiam multis expendit D. Leo ſerm. 7. de Paſſione. *Tu abuteris Domini patientia, & abſcondi te tua credis audacia. Addis impudentiam ſceleri, nec ſigno euidentiore terreris.*

*Chryſol. Peccator aliquando emendatur ob peccati ignominiam. Peccata ex fragilitate, venia digna, non verò quæ ex malitia. Matth. 26. Leo.*

39. Tertiò. Ob regiam curiam publicè arguitur Herodes. D. Baſilius Seleucus orat. 18. *Videns,* inquit, *Baptiſta, eremi ciuis, temperantiæ opifex, reginam libidinis, adminiſtram contra dignitatis, & naturæ rationem debacchantem; hæc, inquam, videns, rurſus quas olim voces in eremo iecerat, repetebat: Vox clamantis in deſerto.* Cùm Ioannes viueret in eremo, teſtificabatur de ſe, quòd eſſet *vox clamantis in deſerto*; Modò in regali ciuitate, ac totius regni capite eandem vocem repetit. *Vox clamantis in deſerto.* quia cùm vidiſſet laſciuiam ibi graſſantem, ac debacchantem, non curiam hominibus frequentatam, ſed deſertum omnino vacuum reputauit. Luxuria ciuitates deuaſtat, regna ab hominum concurſu euacuat, & omnia in deſertum, ac ſolitudinem conuertit. Ait Oſeas Propheta cap. 7. num. 4. *Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Theodoretus ſic legit. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ardens in deuaſtationem flammæ.* Septuaginta: *ad coquendum deuaſtationis à flamma.* Luxuriæ, ac adulterij ardor, veluti hoſtilis ignis omnia deuorat, & exedit, ac minimè quieſcit, donec omnia in deuaſtationem tradantur. Theodoretus ibi, *In deuaſtationem flammæ, id eſt, libidinum ignis hoſtilem flammam in eas infert.*

*Baſil. Luxuria ciuitates facit deſertas. Oſe. 7. Theodor. Septuaginta. Theodor.*

40. Quartò. Peccatum erat publicum, & in omnium ore verſabatur: quandiu enim peccatum ſecretum, ac occultum eſt, poterit diſſimulari, ac peccator priuatim eſt admonendus; cùm autem peccatum propalatur, ac in forum prodiit, publicè eſt arguendum, ac puniendum. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius: & vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te,* Luc. 16. num. 2. Hic homo erat Deus, cui abſcondita cordis ſunt manifeſta, antequam fiant. Cur ergo vbi primum villicus ſcelera commiſit, non aduocat ad ſe; ſed cùm famæ rumor increuit, tunc accerſit villicus; tunc arguitur, ac punitur? Quandiu enim peccatum fuit abſconditum, potuit diſſimulari; ac ita ſe habebat Dominus, ac ſi illud minimè ſciret: ac cùm pecatum euulgari cœpit, tunc patenter arguitur, ac propalanter punitur. D. Chryſologus ſerm. 125. *Quaſi,* inquit, *non præſcierit, quaſi non præuiderit, cui occulta nota ſunt, cuius oculis illa nuda ſunt etiam, quæ teguntur. Et hic diffamatus eſt apud illum: ergo ille famæ credidit; fama nuntiante cognouit? Abſit. Sed quia illa, quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra.*

*Peccata publica, non diſſimulāda, ſed arguenda. Luc. 16. Chryſolog.*

QVÆSTIO



## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Ioannes reprehendat Herodem, quem ſciebat, reprehenſione non futurum meliorem?*

41. CONVENIVNT Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 1. & 2. quòd correctio tunc eſt adhibenda, cùm datur ſpes futuræ emendationis; nam ad opus inutile nemo tenetur. Atqui incorrigibilis animus Herodis facile deprehendebatur, tum ex ſua malitia, tum quia ſæpe admonitus erat; & tamen nunquam deſtitit. Quomodo ergo ipſum corripit Ioannes, quem incorrigibilem agnouerat.

*D. Thom.*

42. Reſpondetur primò. Correptionem Ioannis erga Herodem non fuiſſe inutilem, & abſque fructu; nam, vt teſtatur noſter Euangeliſta Marcus hoc cap. 6. num. 20. *Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Ergo prædicatio Ioannis Herodi non erat abſque fructu; nam eo audito multa faciebat, & ſperari poterat, quòd ab inceſtu emendaretur: quia nullus eſt adeò iniquus, cuius ſalus ſit omnino deſperanda, vt monet D. Auguſtinus *lib.* 1. *de Ciuit. Dei cap.* 11.

*Marc. 6. Nullus adeò iniquus, cuius ſaluus ſit deſperanda. Auguſt.*

43. Secundò. Quanuis Ioannes ſua admonitione nihil efficeret, quantum ad dimiſſionem vxoris fratris; non propterea eius prædicatio ſine fructu exiſtimari poteſt. Maximè enim conſiderandum eſt Concionatoribus diuini verbi, publica peccata, præcipuè Principum, vehementer arguenda eſſe, etiamſi certò agnoſcatur, ipſos emendandos non eſſe; tum ne cæteri ſcandalum patiantur, ſibi perſuadentes, aut prædicatores timiditate quadam propulſari, vt obmuteſcant; aut illorum iniqua facta probare; tum etiam, vt alij à conſimilibus flagitiis refrænentur, dum vident talia crimina tam grauiter obiurgari in Principibus, ac magnatibus. Eſt enim ſatis vulgaris doctrina, vt docent Bannez 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 6. Toletus *in cap.* 3. *Lucæ annot.* 4. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 33. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *de charitate quæſt.* 4. *punct.* 1. *n.* 7. §. *Secundò limita.* correptionem omittendam eſſe, quando vtilitas correpti non ſperatur, niſi quando peccatum in aliorum damnum vergit, aut quia aliis eſt occaſio ruinæ, quia licere putant, quod non licet; in his enim caſibus ob commune bonum correptio eſt facienda. Ne ergo Ioannes videretur timidus, aut probare inceſtum Herodis, aut dare anſam aliis ad conſimilia, Herodes ab eo reprehendendus maximè fuit.

*Peccata publica à prædicatoribus arguenda. Bannez. Tolet. Reginaldus. Bonacina.*

44. Tertiò D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *Theſauror. cap.* 4. pulchram excogitauit huius rationem. *Conquerebantur Iudæi.,* inquit, *de Ioanne Baptiſta, quòd authoritate ſua illi,* ſcilicet Chriſto, *faueret qui legalem doctrinam euerteret, vt ipſi putabant. Quid igitur ad hæc Ioannes? Legi propugnat, ne Moſaicam doctrinam contemnere videretur. Idque vel ad repellendam, vel mitigandam ſuſpicionem de ſe Iudæorum fecit: non quia magni hoc ipſe exiſtimaret, ſed vt teſtimonium ſuum de Chriſto credibilius apud eos fieret. Quanuis igitur tunc multi multis, variiſque præuaricarentur, Herodem tamen ſolum, qui Princeps erat, redarguit, vt periculo ſuo ad beneuolentiam ſui Iudæos reuocaret, & credibilior apud eos fieret; nam quaſi pro lege pateretur, faciliores ad credendum ei fiebant: ita morte ſua cæteris prodeſſe ſtudebat* Aduerſabantur Iudæi Chriſto Domino falsò dicentes, quòd ipſe erat legis tranſgreſſor. Et ideo teſtimonium, quod Ioannes de Chriſto dabat, Iudæis erat inuiſum. Vt ergo Ioannes eorum beneuolentiam conciliaret, & eius teſtimonium, ac prædicatio eis ingrata non eſſet, ideo de inceſtu lege prohibito Herodem grauiter redarguit; quanuis Ioannes benè ſciret, quòd ex hoc mors ei occaſionanda foret: tamen fecit, vt Iudæis proficeret; qui cùm viderent Ioannem pro defenſione legis morientem, ſibi perſuaderent, Chriſtum, de quo ipſemet Ioannes teſtimonium dabat, legi non eſſe contrarium: tantus enim legis zelator, qui pro illius obſeruatione moriebatur, inimico legis non faueret. Ac proinde diuinus Baptiſta ſua eximia charitate, morte ſua cæteris prodeſſe ſtudebat.

*Cyrill. Ioannes volebat auditores ſibi beneuolos facere. Baptiſta ob charitatem ſua morte aliis prodeſſe volebat.*

45. Sicut enim Baptiſta aliquid cum Chriſto ſimile habuit, vt docent D. Ambroſius *ſerm.* 1. *de Baptiſta.* Euſebius Gallicanus *homil.* 2. ita etiam in morte ab aliquali ſimilitudine non diſcrepauit: nam Chriſtus mortuus eſt, vt morte ſua omnium ſaluti proficeret; Ioannes etiam ſua morte ſtudebat cæteris prodeſſe, vt ſiniſtram de Chriſto Iudæi opinionem deponerent. De Ioanne ait Dominus: *Erat lucerna lucens, & ardens,* Ioan. 5. num. 35. Albertus Magnus. *Ardens ſibi, lucens nobis.* Baptiſta, vt nobis luceret, omneſque illuminaret per fidem, ac doctrinam veram, tanquam lucerna ſemetipſum conſumebat, ac interitui dabat.

*Ambroſ. Euſeb. Gall. Ioannes aliquid cũ Chriſto ſimile habuit. Ioan. 5. Albert. Mag.*

46. Magni fuere Eccleſiæ proceres; tamen aliquando aliquid ſui quæſiere. Petrus ait: *Quid ergo erit nobis?* Filij Zebedæi cathedras quærunt, *Matth.* 20. *num.* 21. Et omnes tandem Apoſtolici viri perfectiſſimi quærunt *alimenta, & quibus tegantur, his contenti ſunt,* vt ait Paulus 1. ad Timoth. 6. num. 8. At Ioannes pro ſua charitate ardentiſſima, omnium oblitus, quæ ſui erant, totus in aliorum ſalutem, fructumque pœnitentiæ erat intentus. D. Bernardus ſerm. de Natiuitate Baptiſtæ, *In nouo homine,* inquit, *pœnitentiæ mirare feruorem. Victum, & veſtitum, ait Apoſtolus* 1. Timoth. 6. *habentes, his contenti ſumus. Apoſtolica perfectio iſta eſt. Sed Ioannes etiam hæc contempſit. Denique audi Dominum in Euangelio* Matth. 11. *Venit,* inquit, *Ioannes non manducans, nec bibens, planè nec veſtiens. Sicut enim non eſt locuſta cibus, niſi fortè aliquorum irrationabilium animalium, ſic nec pilus cameli humanum eſt indumentum.* Abſque veſtitu, & cibo erat Ioannes tranſcendens perfectionem Apoſtolicam, & totum in feruorem intentus, vt homines reduceret ad pœnitentiam, non quæ ſibi, ſed quæ aliis proficerent, quærebat. Bene ait de ſe ipſe: *Ego vox clamantis in deſerto,* Ioan. 1. num. 23. *Vox,* vt notat noſter Luſitanus Hieronymus Oſorius in cap. 40. Iſaiæ, *non ad loquentem, ſed audientes fertur, & dirigitur.* Benè ergo Ioannes vox, qui magno charitatis impulſu totus ordinabatur, ac ferebatur ad hominum ſalutem, eos illuminando ad fidem, vocando ad Chriſtum, & excitando ad ſalutares pœnitentiæ fructus. Ita ait D. Ambroſius ſermone

*1. Timot. 6. Bernard. Ioannes nil ſui quærebat, ſed tantum aliorum ſalutem. Ioannes tranſcendit perfectionem Apoſtolicam. Ioan. 1. Ozorius. Ambroſ.*

ne

ne 2. de Baptiſta : *Vox clamantis homines ad fidem.*

## Qvæstio IX.

### *Quare Ioannes Herodem tantùm, & non Herodiadem arguerit?*

47. IOANNES dicebat Herodi : *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Sed ſicut Herodem magnus prædicator arguit, cur etiam mulierem non reprehendit, vt deſiſtat ab inceſtu, & diſcedat à viro, iniuſtè eam retinente? præcipuè cùm videamus, quòd Deus *Ezechiel cap.*13.*num.*12. præceperit, vehementer obiurgare mulieres populi, quæ falsò ſe prophetiſſas eſſe dicebant. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi mei, quæ prophetant de corde ſuo.* (Ezech.13.)

48. Chryſoſt. Ad quæſtionem reſpondet primò pereleganter D. Chryſoſtomus homil.49. in Matth. *Cur nam*, ait, *nihil Ioannes hac de re mulierem, ſed virum alloquitur? Quia & principalior vir eſt, & poteſtas in illo erat.* Herodes extiterat principalis perſona, poteſtate quaſi regali eminens, criminis aggreſſor, ipſe duxerat, & ſibi copulauerat Herodiadem; & ideo ipſe vt principalis, ac vt criminis author reprehenditur. Sicut etiam illæ falſæ prophetiſſæ arguuntur, quæ ſuis dementationibus ſeducebant populum, & ſubuertebant fidem veritatis, vt ibi notant D.Hieronymus, S. Thomas, Carthuſianus, Pinto, & Cornelius. Sicut enim, vt graſſanti malo ſubueniatur, cauſa eſt amputanda, ſic etiam vt flagitium reſecari, ac euelli poſſit, criminis machinator, & author eſt compeſcendus: ſi enim huiuſmodi radix eruitur, malum vltrà non germinat, ſed marceſcit. Vide ſuprà *cap.*3.*num.*78.

*Criminis author eſt reprehendendus, vt malum ceſſet.*

Hieron. D Thom. Carthuſ. Pinto. Cornelius.

49. Secundò Ioannes cum Herode loquitur, minimè verò cum Herodiade: nunquid Ioannes timet Reginam, qui non timebat Regem? Quare ergo tam audacter in Regem inuehitur, & Reginam criminis collegam non increpat? nunquid formidabat mortem? verebatur inſidias, ac machinationes mulieris, quæ inſidiabatur ei? Minimè; collum enim libenter gladio præbuit. Sed Ioannes ob ſuam eximiam virginitatem verebatur mulieris ſermones, fœminarum colloquium erat ei valde ſuſpectum, ideoque refugit petulantem fœminam alloqui, & laſciuam impudicæ linguæ audire fœminam. Mittitur Angelus Gabriel ad Mariam Virginem *Luc.* 1. *num.*28. Cur non aliquis ſanctiſſimus vir ex antiquis Prophetis, vel parentibus Virginis, vt Abraham, Iſaac? D. Ambroſius ibi. *Quam nemo virorum videret, ſolam Angelus reperiret, ne quo degenere deprauaretur affectu, ab Angelo ſalutatur.* Vir ille, eſtò ſanctitate eximius, homo erat; ne ergo degenere deprauaretur affectu puritas Mariæ erat ſuperexcellens, & in eminentiſſimo gradu; ne igitur aliquis degeneraret affectus, & ab ipſa admirabili puritate diſcederet, non homo, ſed Angelus veniat; nam colloquium viri, eſtò ſanctiſſimi, & de re ſanctiſſima, qualis erat Incarnatio, virgineas dedecet aures, ab eiuſque eximia pudicitia in affectu degenerare videtur. Virginitas Mariæ ita erat obfirmata, vt nullum periculum pati poſſet; tamen ne in affectu à ſua integritate, ac pudicitia Mariæ aures degenerarent, veniat Angelus, & non homo. Vnde eleganter ait idem Ambroſius lib. 2. de Virginibus paulo poſt initium. *Angelum Maria, quaſi viri ſpecie mota, trepidauit; quaſi non cognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata eſt in viro, quæ non peregrinata eſt in Angelo; vt cognoſcas aures religioſas, oculos verecundos.* Vide de hac re *lib.*1.*cap.*5.*quæſt.*5.*n.*10.& 11.

*Puritas Ioannis impudicæ mulieris linguam refugit.*

Ambroſ.

*Virginales Mariæ aures colloquiū viri refugiunt.*

Ambroſ.

50. Tertiò. Ioannes totus eſt linguatus in Regem, & nil cum Regina fatur; quia dum arguitur Rex, etiam admonetur criminis collega Herodias: nam ſi Regi non licebat, eam habere; nec Herodi permittebatur eſſe cum Rege. In Herodem tamen reprehenſione rapitur Ioannes Chryſoſtomus citatus: *Poteſtas in illo erat.* Ipſe enim quaſi Rex dominabatur; & inferiores ſemper Regis appetitui famulantur, ac obſequuntur, itaut nullum aliud ius recognoſcant, quàm Principis beneplacitum, ad cuius nutum tanquam volubiles rotæ mouentur. Quos pungit D. Gregorius Nazianzenus *Orat.*1.*in Iulianum*, de Iuliano agens : *Alios honoribus capiens; nimirum eos, qui nullam aliam legem, quàm Principis voluntatem agnoſcebant.*

Chryſoſt.

*Populus ad Regis appetitum rapitur.*

Nazianz.

51. Dat Pilatus optionem populo, vt è duobus vnus eligatur ad vitam, vel Ieſus omnium benefactor; vel Barrabas latro, homicida, & ſeditioſus. *Principes Sacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, Ieſum verò perderent.* Et ita omnes vna voce clamant : *Barabbam*, Matth.27.num.21. Quid magis mirabitur, quàm quòd Ieſus omnibus benefaciens relinquatur, & optetur Barabbas malefactor, qui homines interficiebat, eorum bona furabatur, & diſſenſiones, ac rixas excitabat? Hoc eſt populi ingenium, vt ad maiorum voluntatem moueatur. Voluerunt Principes, ac ſeniores Barabbam, etiam ad illum populus inclinatur, ac fertur contra propriam vtilitatem vitæ, bonorum, ac pacis. Carthuſianus *ibi.* Pulchrè D. Paſchaſius lib.12.in Matth. *Quid in hoc dicam*, inquit, *niſi quia penè omnis iniquitas, & præuaricatio plebium à Principibus eſt populi, quorum excitatur malis ad omne peccatum; quorum velle, quorumque nolle, omnes conſiderant, & ſequuntur.*

Matth.27.

*Populus contra ſuā vtilitatem obſequitur Principis voluntati.*

Carthuſ. Paſchaſ.

52. Cùm Achior ſiſteretur in Concilio Aſſyriorum, & multa Dei circa populum Iſraël enarraſſet mirabilia, quæ ipſi etiam Aſſyrij erant experti, vt patet ex multis locis ſacræ Scripturæ 4. *Reg.*7.*num.*6.& *cap.*19.*num.*35. & dediſſet Aſſyriis conſilium Achior, vt ſcirent, an populus Iſraël eſſet in offenſa contra Deum, quia alio modo ſuperari non poterat gens illa. *Et factum eſt, cùm ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterum : Quis eſt iſte, qui filios Iſraël poſſe dicat reſiſtere Regi Nabuchodonoſor*, Iudith.5.num.26. Et poſtea ſequitur *cap.*6.*num.*1. quomodo Holofernes locutus eſt. Illud tamen ingerit graue dubium, quo pacto Principes Holofernis primò ante ipſum, & non interrogati verba proferunt in Concilio, & præſidente principe exercitus, cùm eſſet lex Aſſyriorum, vt teſtatur Polybius hiſtoriator, ſub capitali pœna, vt nullus in Concilio loqueretur, niſi quando interrogatus? Cur ergo periculo ſe exponunt, & contra Achior tanto impetu fremunt? Ex

Iudith.5.

Polybius.



Ex truculentia vultus, & ex ingenio Holofernis, quod optimè exploratum habebant magnates, dicta Achior ei diſplicere bene deprehenderunt. Et vbi primum Principis inſinuatam voluntatem ſunt aſſecuti, omne periculum vitæ poſtponunt, vt beneplacito Holofernis famulentur, eligentes potius vita priuari, quàm Principis voluntatem non adulari. Nihil aliud ſcit populus, quàm inclinari ad id, ad quod Rex deflectit. Vnde ait Philo Iudæus lib.1. de vita Moyſis. *Si Princeps totum ſe dans ad vitam delicatam deflectit, vniuerſa propemodum ſubditorum multitudo ad voluptates proclinat.*

*Inſinuatam Principis voluntatem ſequitur populus.*

Philo Iud.

## Qvæstio X.

### *Quare cum libertate Ioannes Herodem arguat?*

53. Andr.Cret. LATE hanc materiam tractat S. Andreas Epiſcopus Cretæ Ieroſolymit. *Orat. de amputatione capitis Baptiſtæ.* Vbi multis comprobat, Ioannem libertate, & zelo antecedere omnes, qui pro Dei honore ante ipſum ſtetere. *An non tibi videtur*, ait. *zelo fuiſſe incitatum, & omnium, qui zelo mouentur, incitatiſſimum?* Et latè ipſe de hac re diſcurrit. Phinees magnus fuit zelo, qui virum Iſraëlitam ſimul cum muliere Madianita confixit, *Numer.*25. *n.*8. Sed, vt ait S.Andreas *cit.* res non ſunt pares, nec in ſimilibus rebus fit contentio; *Nam ille non erat vir aliquis eximius, & excellens*; & ad plurimum erat dux aliquis ex populo, vt multi volunt. *Hic autem*, ſcilicet Herodes, *Rex, & in lingua ferens mortis ſententiam. Elias magno zelo accenſus cælo frænum impoſuit, vt diuturno tempore non plueret, & in terra eſſet fames trium annorum.* Iram non ferens libidinoſæ mulieris, furore percitæ, exilium, & fugam, tanquam domum propriam amplectebatur; 3.*Reg.*19.*num.*3. At Ioannes, vt feruidus bellator, non ad eremum fugit, ſed de eremo ad ciuitatem venit, vt Regem arguat, & increpet, ac ei in faciem dicat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

*Ioannes zelo cæteris antecedit.*

54. Ad increpandum Dauid de adulterio Berſabeth venit Nathan cum parabola, & figura 2.*Reg.* 12.*num.* 1. At Ioannes propalanter dicit Regi: *Non licet tibi habere vxorem*, &c. Immo, vt perdoctè notauit D. Syneſius *lib de inſomniis*, Abimelech Rex Geraræ docetur ab Angelo in nomine Dei, vt multorum eſt ſententia, in ſomnis, *Geneſ.*20.*n.*3. vt reddat Saram viro ſuo, quam ſibi tulerat. At Herodes vigilans admonetur à Baptiſta, vt dimittat vxorem fratris, quam ſibi copulauerat. Adeò imperterritus eſt Baptiſtæ animus pro veritate, vt & vigilantis Regis laſciuientem cupiditatem patenter, ac manifeſtè audeat increpare, & arguere. Et hæc tanta pro religione, & virtute libertas, ei ex dono Dei eſt conceſſa, & reſeruata.

Syneſius.

*Ioannes reges vigilantes arguit.*

55. Baſil.Seleuc. Secundò D. Baſilius Seleucus Orat. 18. *O dicendi libertas*, inquit, *quæ regiam iniuriam non metuit, linguam eubrabat, vt olim in vtero ſaltum edebat, tunc in partionem naturam impellebat, & ante partionem partionis accuſabat lenitudinem; & nunc adulterantem naturam accuſat, vocemque iacit temperantiæ fulgorem coruſcantem.* Infantia totius vitæ curſus index. Si Ioannes antequam naſceretur animoſitate magna vterum concutiebat maternum, & naturæ accuſabat lentitudinem, qua retardabatur, vt pro veritate pugnaret, teſtimoniumque præberet. Quomodo adoleſcens factus in ætate perfecta adulterantem non accuſaret naturam, vt eam concuteret, euibratóque linguæ ſuæ ore terrificaret? Quomodo retardari poſſet ab adulterante natura, quin teſtimonium ſuum de veritate præſtaret? Deinde ſi Baptiſta antequam in lucem prodiret, ita erat temporum appretiator, ac ſi videretur, quòd ad natiuitatem tempus eſſet defuturum; ita teſtificandi Chriſtum æſtuabat deſiderio: manifeſtum erat, quòd vir factus tempus in vacuum non ſineret abire; ſed ita proficeret, & totum vitæ curſum corona aurea gloriæ, & martyrij terminaret.

*Infantia vitæ index.*

*Appretiator temporum. proficit multum.*

56. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſtomus ſerm. de virtutibus, & vitiis. *Quod ſi, inquit, cognoſcere velis, tyrannica vi quantò potentior ſit iuſtorum libertas, audi, quid dicat Herodi Ioannes : Non licet, inquit, tibi fratris adhærere vxori : Rex erat Herodes, ſatellitibus vndique ſtipatus, diuitiis præpotens, regium tenebat imperium. At contrà pauper Ioannes, tecto, vrbe, copia, cibo carebat. Sed pauper iſte deſerta pererrans, multarum vrbium Regi imperiosè adeò iubet : Non licet, inquit, tibi. Vides, vt natura ſua vitio dominetur.* Magna potentia in Herode nitebat, multas vrbes ſub ſuo habebat imperio, magna hominum copia ad eius nutum parebat : in Ioanne verò extrema videbatur paupertas; & tamen Regi imperiosè iubet : *Non licet tibi.* Vides, vt natura ſua vitio Dominetur. In Rege vitium dominabatur magna authoritate, & regali purpura circundatum. In Ioanne verò reſplendebat eximia virtus ab omnibus magnatibus deſerta. Virtus autem, quanuis contempta, valde audax; & præpotens contra peccatum; nam virtus animum miniſtrat, vitium vires eneruat. Quod eleganter ponderauit D. Chryſoſtomus *in Pſalm.*50. dum conſiderat Dauidem, qui hoſtes terrebat, Vriam Hethæum metuentem 2. Reg.11. à num.6. *Nónne*, inquit, *loqueris cum Rege, tu Imperator Nónne gladij poteſtatem habet? Habeo, inquit : ſed conſcientiam meam timeo, formidinis matrem.*

*Virtus valdè audax contra vitium etiam in maieſtate.*

Chryſoſt.

2.Reg.11.

57. Quartò. Non dixit Ioannes Herodi : Dimitte vxorem fratris : ſed, *non licet tibi*; quia libidinoſi Reges omnia ſibi licere putant, prout volunt, & ſuo inſeruiunt apetitui. Conſiderans Samuel effrænatam Principum licentiam, qui contra Dei legem, patria præſcripta, & bonos mores, multa, eaque pia profana, aut laſciua pro ſua libidine attenuare præſumunt; dicebat petenti populo Regem : *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis : filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum*, 1. Reg.8. num.11. Maximè conſideratione dignum eſt, quòd ſanctus Samuel appellet hoc ius Regis, tollere filios, & filias à ſuis parentibus; agros, vineas, & oliueta à ſuis poſſeſſoribus; hoc enim dicit violentiam, vt rectè notat Abulenſis *quæſt.* 19. quam ſignificat verbum *tollere*, quòd inuitis parentibus Rex accipiet filios, & filias, & agros; ac proinde hoc non eſt ius, ſed quædam tyrannis, vt perbellè obſeruauit Clemens Alexandr. *lib.*3.*Pædag. cap.*4. & ait : *Non humanum pollicetur dominum, ſed*

*Peccator timidus.*

*Impij Reges, omnia ſibi licere putant.*

1.Reg.8.

Abulenſ.

Clem.Alex.

Gregor. Cyprian. D.Thom.

*ſed quandam inſolentem minatur tyrannidem.* Et ſimiliter notarunt D. Gregorius *ad hunc locum.* D. Cyprianus *Epiſtol.* 38. S.Thomas 1.2.*quæſt.* 105. *art.*1. Quomodo ergo Propheta vocat ius manifeſtam tyrannidem, & prophanam licentiam, qua Principes contra omne fas in ſubditorum ſuorum perniciem graſſantur? Reges dominatores beneplacitum ſuum, omni legi,rationíque aduerſans, tanquam ius omni æquitate conſtitutum,volunt venerari, & reputari à ſubditis. Id, quod Rex erat præcepturus, vt filios, filias, & agros tolleret, violentia erat omni iuſtitiæ repugnans; at tanquam ius ratione, iuſtitiaque firmatum inferioribus traderetur: nam ſæpe reges oppreſſiones ſuas, ius æſtimari contendunt. Vide *lib.*3.*cap.*4.*quæſt.*11.*num.*56.

*Reges, quæ contra iuſtitiam præcipiunt, ius æſtimari volunt.*

*Marci* 6.*n.*19. Herodias autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, & non poterat.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ipſa autem Herodias inſidiabatur ei, & volebat eum interficere, nec poterat.

*Vatablus.* Cupiebátque occidere eum,nec poterat.

ALTER TEXTVS.

*Matth.*14.*n.*5. Volens, *ſcilicet Herodes,* eum occidere, timuit populum, quia ſicut Prophetam eum habebat,

## *EXPOSITIO.*

58\. QVOMODO Matthæus, & Marcus conueniant in hac re ſcribenda, explicabo *quæſt. ſequenti* Nam Marcus ſcribit ea, quæ primò contigerunt, quando Herodes erat beneuolus Ioanni, tunc cuſtodiebat eum ab inſidiis Herodiadis: quæ ideo Ioannem non poterat occidere. Matthæus ſcribit, quæ ſubſecuta ſunt,quando ſcilicet Herodes ægrè ferebat reprehenſionem Ioannis, & victus precibus Herodiadis eum volebat occidere.Marcus narrans,quæ primò facta ſunt, ait: *Herodias inſidiabatur illi,* ſcilicet Ioanni.Quod intelligendum eſt,tam antequam Ioannes in carcerem eſſet coniectus, quàm poſtquam in illo detinebatur. Et ſi Marcus, antequam has proponat inſidias, incarcerationem narrat, eſt per quandam anticipationem, vt ſæpe fit. *Inſidiabatur illi,* (Simon Caſſianus *lib.*3.*cap.*3.) *Impatiens eſt,* ait, *mulierum amor, & ſibi inſidiari metuens, ſemper inſidias machinatur, & nolens ſeparari, à quo ligatur amore venereo, qui hoc arguebat venabatur ad mortem. Omnis malitia nequitia mulieris,* Eccleſiaſtici 25. num. 17. Quod multis exemplis explicat D.Chryſoſtomus *homil. de decollat. Baptiſtæ,* apud Metaphraſt. & habetur etiam *in Homiliario,* Et tandem ait S. Doctor: *Mulier mala, ſi afficitur contumelia, inſanit; adulatione autem, & blanditiis inſoleſcit.* Cùm Herodias aduerteret, Herodem bene exiſtimare de Ioanne, ob id magis ſibi metuens per inſidias illum tollere quærebat.

Caſſian. *Mulieris amor impatiens. Mulieris nequitiæ multa.* Eccli 25. Chryſoſt. Chryſoſt.

*Et volebat eum occidere, & non poterat.* Herodias omnibus modis mortem Ioannis machinabatur; tamen non poterat interficere. Et ſtatim Marcus ſubdit rationem. *Herodes enim cuſtodiebat Ioannem.* Nam ideo incarcerauit, vt eſt probabile, & ſuprà dixi cum Abulenſe *quæſt.* 15. *in cap.*14. *Matth.* vt eum ab Herodiade tueretur. Et docet D.Chryſologus ſerm. 173. *Herodes adulteræ non vincebat animum, nefas tamen adulteræ differebat. Illa, ne eſſet arguens, arguentis tendebat ad mortem: ille, vt placeret inceſtæ, captiuus ipſe iuſtum tantum tenuit, vinxit incluſum.* Herodes incluſit Ioannem in carcere, vt placaret animum Herodiadis accuſantis Ioannem; ſed minimè quieuit ira mulieris, quia è carcere adhuc Ioannes Herodem reprehendebat. Vide quantum ab iniquorum diſcrepet iuſtorum conditio; Ioannes enim Herodiadis procurabat ſalutem; ipſa verò *arguentis tendebat ad mortem;* ac nihil aliud, quàm Ioannem interficere, cogitabat. 59.

Abulenſ. Chryſolog. *Impij mortem iuſtorum procurant, qui eorum ſalutem affectant.*

Matthæus narrans,quæ poſtea ſunt ſubſecuta, ait,quòd Herodes victus precibus Herodiadis, & pertæſus arguitionem Ioannis, volebat eum occidere; ſed timuit populum. Commotio populi maximè timenda, vt iam dixi ex D. Thoma, *A tribus timuit cor meum; delaturam ciuitatis, & collectiouem populi, & calumniam mendacem,* Eccleſiaſtici 26.n.6. Et timebat, non Deum, ſed populum. Et cùm iſte timor fuerit mundanus, non correxit culpam, nec emendauit peccatum, vt dicam *quæſt.* 12. ex D. Chryſologo. 60.

*Populi commotio timenda.* D.Thom. Eccli 26.

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quomodo Matthæus, & Marcus, qui videntur ſibi contrarij in narranda hac hiſtoria, conueniant inter ſe?*

MARCVS ſcribens hanc hiſtoriam ait, quòd Herodias inſidiabatur Ioanni, & quòd volebat eum occidere,& non poterat; & ſtatim verſu ſequenti apponit rationem: *Herodes enim metuebat Ioannem, & cuſtodiebat eum.* Matthæus hanc rem narrans, inquit, quòd Herodes volebat occidere Ioannem, ſed timuit populũ. Si ergo Herodes cuſtodiebat Ioannem ab inſidiis Herodiadis, ne eum occideret; quomodo ipſe Herodes volebat eum interficere? Rectè reſpondet Euthymius *in Matth. cap.* 14. quòd Marcus dicit, quod primum factum eſt; Matthæus verò,quæ poſtea ſubſecuta ſunt. Primum enim, ait, Herodias negotium faceſſebat Ioanni, volebatque illum occidere: Herodes verò non permittebat, ſciens eum virum iuſtum,& ſanctum; cùm autem vehementer illum vrgeret, arguens, ac increpans eum; tandem Herodes hinc quidem deuictus moleſtia;hinc autem vim quodammodo ab Herodiade perpeſſus, pudorem in iram commutauit: nec omnino quieſcens volebat 61.

Euthym. *Vera, & germana explicatio.*



eum occidere; timens verò multitudinem,vinxit eum quaſi puniens;& ligauit eum, ne varia loca circumueniens obiurgaret eum.Et hæc ſententia eſt vera, & eam ſequitur Abulenſis *c.*14.*Matth.quæſt.*24.

62\. Lyran. Anſelm. Caietan. *Animus fictus Herodis.* Secundò Lyranus,D. Anſelmus, & Caietanus ad illa ſequentia verba: *Libenter eum audiebat;* aſſeuerant,quòd ea, quæ Marcus de Herode prædicat,intelligenda, non verè ita in eo fuiſſe, ſed apparenter tantùm;ita vt propter timorem populi ſimularet, ſe metuere Ioannem, & libenter eum audire,ac obſeruare eum. Et huic ſententiæ fauent D.Hieronymus. Beda ad illa verba, *Contriſtatus eſt Rex.* Et quia Herodes habebat huiuſmodi animum fictitium, à Chriſto appellatur vulpes: *Dicite vulpi illi,* Matth.13.num. 32. Et quid mirum,quòd Herodes in tanta ſit prolapſus peccata, ſemper enim ſimulatio multa malignè operatur. In hac ergo ſententia Herodes ex ſuo animo volebat occidere Baptiſtam; tamen iuxta Marcum,ſecundùm actus exteriores cuſtodiebat eum, ne ab Herodiade interficeretur,ne contra ſe populi commotionem excitaret.De veritate huius ſententiæ dicam *expoſitione ſequenti.*

Hieron. Beda. Matth.13.

63\. Ianſe. Tertiò. Ianſenius ait, Herodem partim quidem voluiſſe occidere Ioannem; partim noluiſſe: ita vt fuerit in eo voluntarium permixtum inuoluntario; ſicut de pigro dicit Sapiens, quòd vult,& non vult.Cupiuiſſe eum occidere, ac Herodiadi obſequi, quatenus contrarius erat ſuæ libidini, ab eoque ſibi malè timebat; verùm nec quod hac ratione volebat,audebat facere: timor populi retraxit, vt dicit Matthæus;ac ſanctitatis conſideratio,& veneratio, vt dicit Marcus. Duæ enim erant cauſæ,quæ ab occidendo reuocabant Herodem, quanuis id ſatis cuperet;quorum alteram diuiniorem recenſet Marcus, quia cognoſcebat Ioannem,virum iuſtum, & ſanctum: alteram carnalem Matthæus reddit, ſignificans, non tantùm, ſanctitatis venerationem apud eum habuiſſe pondus, vt ob eam intermiſiſſet viri ſancti necem, ſi non magis populi in ſe incurſum metuiſſet.Hinc autem dicendum, quàm pugnans,ac portentoſa res ſit impius à Deo reiectus,dum partim conſcientiæ ſuæ,partim mundo, partim libidini ſuæ ſatisfacere ſtudet; & in nullo ſit permanens,ſed vbique inconſtans.

*Voluntas inconſtans in Herode.* *Peccator inconſtans, atque mutabilis.*

64\. Geneſ 4. Ait Caimus Domino: *Ecce eiicis me hodie à facie tua: ero vagus, & profugus in terra,* Geneſ.4.num. 14. Sed dic mihi, ô homo,cur vagus eris in terra? Nónne tu primus omnium ædificaſti tibi ciuitatem? vt conſtat ex *eodem cap.* 4. *num.*17. Si tuam habes ciuitatem, fige pedem,ſiſte locum in ea. Quis te cogit exire extra tuam ciuitatem? Cùm Caimus eſſet peccator,bene ait de ſe: *Ero vagus, & profugus,* ſeu, vt habet Chaldaicus: *Ero inſtabilis, & tranſmigrans in terra.* Peccator ſemper maximè eſt inconſtans, & in nullo ſcit quietus permanere.D.Philippus Abbas de ſilentio Clericorum cap.107.*Vagus, & profugus,*ait,*miſer miſerrimè tunc habetur, cùm vndique deſertus à gratia, ſolo vitio non tenetur, ſed habenis ſolutis per multa, & varia circunfertur, nullis valens reſiſtere,cunctis perſequentibus antefertur; induratus nequitia ad omne reuocantis conſilium obſtinatus; non recordans veniæ, morti perditæ deſtinatus; ad omnem flatum, vel impulſum cuiuſque prauitatis fertur, vt ſtipula raptatur, vt palea ſuo vitio leuitatis.*

Chald. Philip. Abb. *Peccator cõſtantẽ locum non habet.*



65\. Ait Sophonias cap.1. num. 11.*Vlulate habitatores pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan.* Septuaginta verò legunt: *Quia aſſimilatus eſt omnis populus Chanaan.* Conuocat Propheta ad planctum, & vlulatum habitatores pilæ. Pila eſt inſtrumentum,in quo frumenta tunduntur. Per hanc metaphoram denotat habitatores ciuitatis, quæ multis ſuppliciis peſſundata eſt à Deo. Sed cur,iuxta Septuaginta, dicitur, quòd omnis populus iſtius ciuitatis peccatricis aſſimilatus ſit Chanaan? nam,iuxta D. Hieronymum, *Chanaan,* eſt,commotio:& bene peccatores commotioni ſimiles dicuntur, quia peccator, cùm ſit valde inconſtans, ſemper commouetur de vno ad aliud, & in vno perſiſtere nequit. D. Hieronymus ad citatum locum: *Quia peccatum peccauit Ieruſalem, ideo in commotionem facta eſt; populus dicitur Chanaan, quod interpretatur commotio. Non enim poteſt dicere: Statui ſuper petram pedes meos: ſed incertus & fluctuans ſemper in motu eſt. Vnde & Noë vir ſanctus, poſtquam euigilauit è ſomno,ex maledictione nomen impoſuit Chanaan,dicens: Maledictus Chanaan famulus erit fratrum ſuorum.*

Sophon. Septuag. Hieron. Idem. Gen. 9.

*Marci* 6.*n.*20 Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum; & cuſtodiebat eum; & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Namque Heroudes timebat à Iouchanon, propterea quòd ſciebat, eum eſſe virum iuſtum, & ſanctum: &,obſeruabat eum; multaque audierat ab eo,feceratque, ac ſuauiter audiebat eum.

*Arias.& multi ex Græco.* Et conſeruabat eum, & audito eo multa faciebat, & promptè, ac ſuauiter audiebat eum.

## *EXPOSITIO.*

66\. DIXERAT immediatè antea Euangeliſta, quòd Herodias volebat occidere Ioannem, & non poterat; modò ait: *Herodes enim metuebat.* Illa particula *enim,* vt obſeruauit Caietanus, cauſam indicat, ob quam Herodias non poterat occidere. *Herodes metuebat Ioannem.* Explicat Gloſſa: Timebat eum reuerendo; nam talis eſt virtus, vt hoſtibus etiam ſuis in reuerentia ſit. Ad hunc ſenſum Vatablus, & Sà explicant verbum *timebat,*hoc eſt, verebatur. Vereri propriè eſt extimeſcere cum verecundia, ſeu commoueri honeſtatis gratia. *Sciens eum virum iuſtum, & ſanctum.* Gloſſa: *Sciebat Baptiſtam iuſtum, quoad homines; ſanctum verò,*

Caietan. Gloſſ. *Virtus ſuis etiam hoſtibus in reuerentia.* Vatab. Sà. Gloſſ.

*Baptiſtæ ſanctitatem inimici etiam agnoſcebunt.* Gloſſa. Syriac. Anſelm. Lyranus. Caietan. *Solus Baptiſtæ deuotus bene opinatus in populo.* Barradas. Abulenſ. Syriac.

*quoad Deum.* Tanta erat ſanctimonia vitæ Baptiſtæ, vt tam quoad homines, etiam inimicos, quàm quoad Deum, omni iuſtitia plena videretur. *Et cuſtodiebat eum.* Gloſſa explicat, ab Herodiade, ne interficeretur. Syriacus habet: *Obſeruabat eum*; ſeu eius dicta. Aliqui, vt D. Anſelmus, Lyranus, Caietanus, & alij, quos citaui quæſt. ſuperiori in 2. ratione, volunt, quòd hoc fuerit animus fictus in Herode, & fortaſſe habebat huiuſmodi fictionem, vt æſtimaretur bene affectus erga Baptiſtam, & ita reconciliaret ſibi magnam opinionem erga populum; nam ſolùm deuotus Baptiſtæ bene opinabatur, vt dixi ex Alberto Magno *lib. 3. cap. 1. quæſt. 30. n. 99.* Tamen aliquando, & pro aliquibus actibus non fuit Herodis animus ſimulatorius, ſed verus, vt tenent Barradas, Abulenſ. c. 4. *Matth. quæſt.* 18. Et hoc indicant verba Euangeliſtæ: *Sciens eum virum iuſtum, & ſanctum, cuſtodiebat eum, & libenter audiebat.* Syriacus, *Suauiter audiebat*; quanquam in hoc non perſeuerauerit, vt explicabo *quæſt. ſequenti.*

67. Gloſſa. *Verus auditor verbi Dei omnia exequi debet.* Barradas.

*Eo audito multa faciebat*, ait Gloſſa, quia putauit, eum ſpiritu Dei loqui. *Multa faciebat.* Nec ex eo perfectus Dei auditor cenſendus eſt, ſed Verbi diuini contemptor; quia non ſufficit, aliquid ex his, quæ audiuntur, perficere, niſi omnia executioni mandentur. Huc tendit Barradas 129. *Mementote*, ait, *ſcriptum Marc. 6. quòd Herodes libenter audiebat Ioannem: ſed beatus foret, ſi audita libenter æquè ſeruaſſet. Denique non qui audiunt, ſed beati, inquit, qui audiunt, & cuſtodiunt verbum Dei*

## QVÆSTIO XII.

### *Quomodo Herodes in Ioannem tam bene affectus, eum occidere voluit, vt Matthæus ſcribit?*

68. Gloſſa.

QVANTVM ex hac littera Marci colligitur; valde propenſus erat Herodes in Ioannem: nam ipſum cuſtodiebat, vt explicat Gloſſa, ne interficeretur ab Herodiade; & libenter eum audiebat. Tamen, vt narrat *Matth. 14. n. 5.* voluit eum occidere. Quod, vt explicaui *quæſt.* 11. ex Euthymio, poſtea factum eſt; nam primò libenter audiebat, & cuſtodiebat eum: ſubſequenter verò mutata voluntate eum occidere voluit. Vnde ergo prouenit huiuſmodi mutatio, vt eum vellet occidere? Et hæc quæſtio coincidit cum ipſa quæſtione 11. quæ eſt videnda; res tamen hîc latiùs eſt explicanda.

69. Abulenſ. *Mulieris preces animum vincunt.* Prouerb. 2.

Reſpondet primò Abulenſis *cap. 14. Matth. quæſt.* 18. quòd Herodes venerabatur Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ipſum libenter audiebat, ac cuſtodiebat ab inſidiis Herodiadis, ne ipſum interficeret. Tamen, cùm Herodias ſæpe apud Herodem oraret pro morte Ioannis, flexus ille vxoris blanditiis, concepit animum occidendi Ioannem poſthabita ſanctitatis reuerentia. Mulieris enim iaculatoria verba animum vincunt, & attrahunt omne malum. Et ideo Salomon *Prouerb. 2. num.* 16. nobis commendat eſſe maximè cautos. *Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos.* Mulier extranea, & quæ non eſt tua, blandis, ac mollibus verbis, vt communiter explicatur, animum delinitum labefactat, ac mille dolos ad capiendum tendit. Vnde eleganter cecinit Codrus Magnus Poëta: Codrus.

*Sydera non tot habet cælum, non flumina piſces,*
*Quot ſcelerata gerit fœmina mente dolos.*

Herodem tamen timor populi cohibuit, ne Ioannem interficeret; & per multum tempus hanc prauam voluntatem occultauit, ac diſſimulauit.

70. Secundò. Multi ita explicant, quòd Herodes metuebat Ioannem, & cuſtodiebat, ac libenter audiebat, antequam Ioannes eum corriperet de ſua execranda libidine; & quando ſolùm de virtutibus, ac vitiis abſtractè, ac in communi loquebatur: tunc enim integritas, ac puritas Ioannis non erat inuiſa Regi. At poſtquam diuinus Prædicator in Regis petulantem libidinem incurrit, eumque vehementer arguit, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Ecce iam totus animus Regis ita efferbuit, & nihil aliud totis niſibus parat, quàm Prædicatorem veritatis iugulare. Veritas odioſa Regibus. Et ita ait Achab de Michæa Propheta: *Odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum*, 3. Regum 22. num. 8. Tum etiam necatur Ioannes, vt Rex maiori cum libertate ſuo indulgeat appetitui, vt eleganter dixit D. Fulgentius ſerm. de decollatione Baptiſtæ: *Vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes.* *Veritas odioſa Regibus.* 3. Reg. 12. Fulgent.

71. Chryſolog. *Solus Dei timor à peccatis refranat.*

Tertiò perbellè D. Chryſologus *ſermone* 127. dum conſiderat verba *Matth. 14. num.* 5. ſuprà data: *Volens eum occidere, timuit populum*; ſic ait ſanctus Pater: *Facile deuiat à iuſtitia, qui in cauſis, non Deum, ſed hominem pertimeſcit. Hic timor, peccati facultatem differre poteſt; auferre non poteſt voluntatem. Vnde etiam quòd ſuſpenderit à crimine auditores, redit ad crimen, & æſtuat animo, quouſque perficiat, quod cogitat malum. Solus Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſeruat, perpetem tribuit facultatem.* Quanuis Herodes agnoſceret, Ioannem eſſe virum iuſtum, & ſanctum; tamen volebat eum occidere, & diſſimulat per tempus hanc voluntatem; & licèt in viro fulgentiſſimum diuinæ gratiæ, & Omnipotentiæ Dei lumen effulſerit, minimè tamen obtenebrata Herodis mens illuminatur; imò vnius vanæ ſaltatricis voci tanti viri caput concedit. Sed vnde tantum deprauatur voluntas Herodis, vt Ioannem velit occidere, contra id, quod intellectu capiebat, ſciens eum virum iuſtum? Vide quid dicitur: *Timuit populum, & facilè deuiat à iuſtitia, qui in cauſis, non Deum, ſed hominem pertimeſcit.* Totum Herodem tenebat, non diuinus, ſed mundanus timor; ſolus enim Dei timor mentem à peccatis refrænat; humanus verò, etſi faciat diſſimulare deprauatam voluntatem, minimè tamen aufert. Et ideo ait D. Zeno ſermone de timore: *Sine fine quiſque ſtudet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.* Vide *lib. 2. c. 6. n. 11. & cap. 9. n. 23.* Zeno.

72. Baſil. Seleuc.

Quartò. D. Baſilius Seleucus orat. 18. *Mihi vide*, ait, *Diaboli artem, vt ad impietatem ex leuioribus erratis extrahat. Primum fraterni cubiculi perfoſſorem fecit, & ſubſeſſorem, vt ex adulterij foſſa ad Baptiſtæ cædem tranſilire faciat. Malum verò tempore altum creſcit in quanuis libertatem.* Semper iniquus de peccato in peccatum ruit. Herodes luxurioſo inceſtu detentus minimè quieuit, ſed timore mundano repletus ad contemptum Dei procedens, in crudelitatem dilabitur. Primò prophetam incarcerauit, & vlteriùs in ipſa nequitia proficiens capite Ioannem iugulauit. Ita ait D. Remigius in Matth. cap. 14. *Libidinoſa voluntas eum coëgit, in Ioannem manum mittere, quem ſciebat, iuſtum & ſanctum. Ac per hoc datur intelligi, quòd minus peccatum factum eſt cauſa maioris peccati, iuxta illud. Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Remig.



73. Ambroſ.

Eleganter hanc rem explicat D. Ambroſius *in Pſalm.* 1. ad illa verba, *In cathedra peſtilentiæ non ſedit*; poſt multa verba ait: *Cauenda ergo prima ſunt vitia, ne in plura deinde grauiora proſerpant. Etenim ſicut ij, qui ſe in luto verſant, quo magis volutantur, eo ampliùs inquinantur: ita qui ſemel ſe luto improbitatis aſperſerit, niſi ab eo velociter exiliat, grauius ſibi dedecoris ſui cœnũ per ſingulos dies lutulentæ conuerſationis obducit.* Ecce quantum malum ſit peccatum peccatis addere, ita vt ad barathrum extremæ malitiæ, ac miſeriæ detrudat hominem. Ait Chriſtus Dominus Matt. 18. numero 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Fratris* nomine Chriſtianus homo intelligitur, vt ſuo loco dicam. Et hîc eſſe ſermonem de peccatis mortalibus, tenent Diuus Chryſoſtomus, D. Hieronymus, D. Paſchaſius, D. Anſelmus, S. Thomas, Euthymius, Theophylactus *ibi* cum D. Auguſtino *ſerm.* 16. de verbis Domini. Origenes verò *homil. 6. in Matth.* de venialibus peccatis locum explicat. Sed bone Deus, ſi homo fidelis delinquat, & ter admonitus à peccato non recedat habendus eſt tanquam Ethnicus, & publicanus; nónne ipſe fidem retinet, vt vult Maldonatus? Ergo ex ipſa perſiſtentia peccati, vt Ethnicus habendus eſt. Eccleſiam non audire, & ei non obedire, peccatum eſt; qui ergo in peccato perſiſtit, & peccatum peccatis addit, omne nefas, & malum de eo ſuſpicari, ac præſumi poteſt; ideo talis fugiendus, ac vitandus eſt à nobis vt Ethnicus & publicanus. Origenes citata homilia 6. *Qui ergo*, ait, *in peccato leui correptus ter, ſecundùm quod diximus, non ſe emendat, nos quidem ſic eum debemus habere, quaſi publicanum & Ethnicum. An etiam à Deo quaſi publicanus, & Ethnicus iudicetur, non eſt noſtrum pronuntiare, ſed eſt in iudicio Dei.* Deus vniuſcuiuſque cor intuetur; at nos ſi viderimus hominem in peccato etiam leui perſeuerantem, vel de vno in aliud prolabentem, deuitemus eum, vt Ethnicum, & publicanum, vt admonet Chriſtus de eo, qui de peccato fratris prolabitur in Eccleſiæ contemptum; nam, vt cecinit Iuuenalis:

Matth. 18. Chryſoſt. Hieron. Paſchaſ. Anſelmus. D. Thom. Euthym. Theophyl. Auguſt. Origen. Idem. Iuuenal.

*Nemo repentè fit turpiſſimus,*

niſi dum vnum peccatum alteri aſſociatur. Vide hoc libro *cap. 13. num.* 134.

*De nece Ioannis inferiùs erit dicendum ſuo loco.*

# CAP. V.

## *Colloquium Chriſti cum Samaritana, quæ vocatur à Chriſto.*

*Ioannis 4. n. 1.* Vt ergo cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Cognouit autem Ieſchua, audiſſe Periſchæos, ipſum diſcipulos multos facere, magíſque baptizare, quàm Iouchanon,

*Vatablus.* Vt ergo cognouit Dominus, audiſſe Phariſæos, Ieſum plures diſcipulos adſciſcere, & baptizare, quàm Ioannem.

*D. Auguſtinus. tract. 15. in Ioannem.* Quòd plures diſcipulos faceret, quàm Ioannes, & plures baptizaret.

### *EXPOSITIO.*

HIC verſus terminatur *num.* 3. dum dicitur: *Reliquit Iudæam, & abiit in Galilæam.* Quòd hic diſceſſus in Galilæam fuerit poſt incarcerationem Ioannis, ſignificant D. Matthæus 4. num. 12. *Cùm audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam*; Marcus 1. *num.* 14. Et ita tradunt D. Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 18. in ſua Concordia Euangelica.* Gerſon, Beaulxames, Barradas, Corder. *in cap. 4. Ioan.* & Baron. *annot. 31. in epitome n.* 20. Abulenſis verò *in cap. 4. Matth. quæſt. 84. & 85.* & Rupertus *lib. 4. in Ioan.* exiſtimant, Chriſtum deceſſiſſe in Galilæam ante Baptiſtæ incarcerationem. Fundantur, quia ait Euangeliſta: *Vt cognouit Ieſus, quia Phariſæi audierunt, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes, reliquit Iudæam, & abiit in Galilæam.* Ergo videtur Euangeliſta innuere, quòd Ioannes nondum erat incarceratus, & adhuc baptizabat, & faciebat diſcipulos. Sed facilè ſoluitur obiectio. Nam Phariſæi non indignabantur, quòd Ieſus plures diſcipulos faceret, Ioannis zelo, ſed inuidia moti, vt ſtatim dicam. Et ideo rectè Auguſtinus *citato loco* ſoluit obiectionem, quòd ita exponendus eſt locus, quòd audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioãnes fecerat, & baptizarat, antequã eſſet coniectus in vincula. 1

Matth. 1. Marc. 1. Auguſt. Gerſon. Beaulxam. Barradas. Corder. Baron. Abulenſ. Rupert. Auguſt.

Ioan. 3. Græcus. Vatabl. Arias. Pagninus Auguſt. Eccli 23. Hebr. 4.

2\. Repreſſit Baptiſta ſuorum diſcipulorum inuidiam circa Chriſti Baptiſmum, vt habetur *Ioan.* 3. *à num.* 27. Declinat etiam nunc Dominus inuidiam Phariſæorum. *Vt cognouit Ieſus.* Græca exemplaria, Vatablus, Arias, Pagninus, D. Auguſtinus, & alij habent *Dominus* ne ſimul in eadem dictione bis repetatur idem nomen *Ieſus.* *Cognouit.* *Domino Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita,* Eccli. 23. num. 29. *Oomnia nuda, & aperta ſunt oculis eius,* ad Hebr. 4. num. 13. Quomodo ergo Ieſus verus Deus nunc cognouit? Quanquam vt Deus omnia cognoſcat ab æterno; tamen vt homo cognouit ſcientia experimentali, poſtquam ei nuntiatum eſt ex aliorum relatu, vt ait Rupertus *lib.* 3. *in Ioan.* D. Thomas, Ammonius *in Catena Græca.* *Etſi* ait, *omnia ſciebat, vt Deus: attamen hoc diuinæ diſpenſationi erat conſentaneum, vt opportunè quidquid tunc diſcere videretur, cùm vſus eſſet.* Quanquam omnia ſciret, vt ſe hominem manifeſtaret, tunc aperiebat ſuam ſcientiam, quando tempus, & occaſio poſtulabant, vt rectè notat hîc D. Cyrillus *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 76. *Quod audierunt Phariſæi.* Chriſtus cognouit; Phariſæi audierunt: quia Dominus cognitione certa mouebatur, illi verò falſo rumore, vt ſtatim dicam. Et Phariſæi audierunt, vt indicant D. Chryſoſtomus, & Theophylactus, à diſcipulis Ioannis; nam ſicut Chriſtum accuſarunt apud Magiſtrum, quòd baptizaret; ita & verſimile eſt, quòd Chriſtum deferrent apud Phariſæos: præcipuè, vt notat D. Thomas, diſcipuli Ioannis erant confœderati cum Phariſæis, vt colligitur ex *Matth.* 4. *n.* 14. qui ſimul contra Chriſti diſcipulos poſuerunt quæſtionem.

Rupert. D. Thom. Ammon.

*Scientia manifeſtanda, quando occaſio poſtulat.* Cyrill.

Chryſoſt. Theoph.

D. Thom.

3\. *Quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes.* Ecce res delata, & quod erat auditum, & tamen erat falſum: quia Dominus non baptizabat, vt patet ex ſequenti verſu, & notant omnes. Et ipſa res falſa denuntiatur à diſcipulis Ioannis, (aliàs pij viri) inuidia mouebantur erga Chriſtum; vel quia erant frequenter delatores, Chriſtum accuſarunt, tam apud Magiſtrum *Ioan.* 3. *num.* 26. quàm apud Phariſæos, vt patet ex proximè dictis, quòd baptizaret, cùm non eſſet verum. Sed aſſuetus accuſator multa mendosè dicit, multa falſa teſtificatur. Et ad Phariſæos Chriſti Baptiſmus defertur, quòd multo pluribus eſſet collatus, quàm Baptiſmus Ioannis; non quia Phariſæi zelarent pro Ioanne, ſed quia magnam erga Chriſtum habebant inuidiam, vt notant D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioannem* Et ratio inuidiæ in promptu eſt, ait Caietanus: *Quia ſecta Phariſæorum offuſcabatur ex noua baptizatorum proficientium ſchola; multoque maiorem inuidiam ſignificat Euangeliſta ex maiori multitudine diſcipulorum Chriſti.* Et maximè dolebant Phariſæi de Chriſti Baptiſmo, vt notat Albertus Magnus, quia dabatur Chriſti nomine, & ita Chriſti fama maximè propagabatur.

*Aſſuetus accuſator multa falſa teſtatur.*

Auguſt. Caietan. Albert. Mag.

*Ioannis* 4. *n.* 2. Quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.

*VERSIONES.*

*Vatablus* Quanquam Ieſus ipſe non baptizaret.

*Tertull. lib. de baptiſ. c.* 11. Tamen Ieſus non tingebat, verùm diſcipuli eius.

*S. Optat. Afric. lib.* 4. *aduerſ. Parmenian.* Nam ipſe neminem baptizauit, ſed diſcipuli eius.

*EXPOSITIO.*

Delatvm erat ad Phariſæos, vt patet ſuperiori verſu, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes. Quòd Dominus diſcipulos faceret per ſe ipſum, verum erat; non tamen quòd per ſe baptizaret; hoc enim fiebat per manus Apoſtolorum: tamen famæ rumor ſemper vires acquirit eundo; & multa falſa defert, & admiſcet. 2. Regum 13. n. 30. *Fama peruenit ad Dauid, dicens: Percuſſit Abſalon omnes filios Regis, nec remanſit ex eis ſaltem vnus.* Et tamen ſolus Amnon erat mortuus. Ouidius Metamorph. 12. 4.

*Fames vires acquirit eundo, & multa falſa dicit.* 2. Reg. 13.

*Creſcit, & auditis aliquid nouus adiicit auctor.* Ouidius.

## Qvæstio I.

### *Vtrùm Chriſtus per ſe ipſum baptizaret?*

Sit reſolutio quæſtionis, quòd Chriſtus Dominus per ſe ipſum non baptizauit, vt expreſsè ait hîc Euangeliſta: *Quanquam Ieſus non baptizaret.* Et notant hîc D. Auguſtinus, D. Chryſoſtomus, D. Cyrillus, D. Thomas, D. Bonauentura. Nec obſtat id, quod dicitur de Chriſto Domino Matth. 3. n. 11. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto.* Et ſimiliter *Ioan.* 1. *n.* 33. Et diſcipuli Ioannis dicunt ad magiſtrum de Chriſto Ioan. 3. num. 26. *Cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat.* Rectè reſpondet Tertullianus *lib. de Baptiſm. cap.* 11. S. Optatus Africanus *citato lib.* 4. quòd Chriſtus per ſe ipſum non baptizauit quemquam, vt hîc teſtatur Euangeliſta; tamen citatis locis dicitur baptizare, quia per ſuos diſcipulos illud miniſterium præſtabat; ſicut ea, quæ Rex, vel magiſter diſponit per ſuos inferiores, dicitur facere per ſe ipſum: ſicut quando Rex præcipit extruere ædificium, dicitur, quòd Rex ædificauit: *Ædificauit Rex Salomon domum, & conſummauit eam,* 3. Regum 6. num. 9. Et quæ diſcipuli operantur, non contradicente magiſtro, ipſe magiſter facit, & operatur, vt notat Ammonius. Et ideo reprehenſus eſt Heli Sacerdos, tanquam ipſe faceret, quod filios ſuos ſciebat facere, & non prohibebat, 1. *Regum* 2. *n.* 28. Aliter reſpondet D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* & Beda, quòd Chriſtus baptizabat, & non baptizabat: non baptizabat exteriùs aqua corpora tingendo; baptizabat tamen interiùs gratiam Spiritus ſancti communicando. Vel dicitur Chriſtus baptizare in ſuis diſcipulis, quia Baptiſmus ab eo erat inſtitutus, & ab eo habebat virtutem. 5.

Auguſt. Chryſoſt. Cyril. D. Thom. Bonauent. Matth. 3. Ioan. 3. Tertull. S. Opt. Afric

*Quæ fiunt per diſcipulos, tribuuntur magiſtro.* 3. Reg. 6.

Ammon. Auguſt. Beda.

Dices: Chriſtus Dominus baptizauit Ioannem Baptiſtam, vt ex D. Auguſtino, Chryſoſtomo, Euthymio, Carthuſiano dixi *lib.* 3. *cap.* 2. *quæſt.* 7. Et 6.

Auguſt. Chryſoſt. Euthym. Carthuſ.



Et etiam baptizauit ſanctiſſimam Virginem Mariam, vt docent Euthymius *ad cap.* 3. *Ioan.* Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 3. Suarius *tom.* 2. *ad* 3. *part. diſput.* 18. *ſect.* 3. §. *Alterum verò.* Et etiam Chriſtus Dominus baptizauit Petrum, qui cæteros Apoſtolos baptizauit, vt tradunt Euodius primus Antiochiæ Epiſcopus, in libro, qui appellatur *Lux.* Euiratus *in Prato ſpirituali cap.* 17. D. Auguſtinus verò *Epiſt.* 108. docet, Apoſtolos à Chriſto fuiſſe baptizatos. Quomodo ergo hîc dicitur, quòd Chriſtus non baptizauit? Reſpondetur. Intelligendum, Chriſtum Dominum communiter, & vulgariter non baptizaſſe per ſe ipſum, ſed per ſuos diſcipulos. Et ita Carthuſianus, quòd Chriſtus non baptizauit quoſlibet propria manu, ſed tantùm ſuos diſcipulos. Similes autem locutiones in Scriptura, vt notat D. Hieronymus *Epiſt. de Beatitudine,* ſignificant id, quod communiter, & vulgariter fit.

Euthym. Niceph. Suarius. Euodius. Euiratus. Auguſt. *Chriſtus baptizauit Virginẽ, Baptiſtam, & Apoſtolos.* Hieron.

## Qvæstio II.

### *Quare Chriſtus Dominus noluerit per ſe ipſum baptizare?*

7\. Resolvtvm eſt ſuperiori quæſtione, quòd Chriſtus Dominus per ſe ipſum non baptizabat. Huius rei congruentias inueſtigamus. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus *homil.* 28. *in Ioan.* quòd ille Baptiſmus qui conferebatur ante Chriſti paſſionem non erat proprius Baptiſmus. Chriſti, ſed Ioannis; & ad hoc erat, vt aſſueſcerent homines ad Chriſti Baptiſmum. Inconueniens autem erat, quòd Chriſtus baptizaret baptiſmate Ioãnis, cùm in illo non communicaretur Spiritus ſanctus, qui ante Chriſti paſſionem non dabatur. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus,* Ioan. 7. num. 39. Tamen ſententia non eſt probanda, quia Chriſti baptiſmus, quo Apoſtoli baptizabant, gratiam Spiritus ſancti conferebat, & erat diſtinctus à Baptiſmo Ioannis. Quia, vt rectè probat Lyranus, orta fuit quæſtio *Ioan.* 3. *num.* 25. inter diſcipulos Ioannis, & Iudæos baptizatos lauacro Chriſti: Quænam eſſet perfectior purificatio, Ioannis, an Chriſti? vt notant *ibi* Chryſoſtomus, Euthymius, Albertus Magnus. Et tamen hæc diſputatio nulla eſſe poterat, ſi vnus, & idem eſſet baptiſmus, & diſcipuli Domini Ioannis baptiſmo vterentur. Illud autem, quod dicitur, quòd Spiritus ſanctus nondum erat datus, intelligendum eſt cum D. Thoma, D. Bonauentura, quòd nondum erat datus ſignis viſibilibus, ſicut poſt Chriſti reſurrectionem datus eſt diſcipulis. De forma verò, ſub qua ante Chriſti reſurrectionem eius baptiſmus dabatur, ſtatim dicam.

Chryſoſt. Ioan. 7. *Sententia non probatur.* Lyran. Chryſoſt. Euthym. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent.

8\. Ob quatuor principia conuenientiſſimum fuit, vt Chriſtus non baptizaret per ſe ipſum. Primò ob perſonam ipſius Chriſti. Secundò ob ipſum baptiſmum. Tertiò ob commodum baptizandorum. Quartò ob authoritatem diſcipulorum Chriſti.

9\. Primò. Non fuit conueniens, vt Chriſtus per ſe ipſum baptizaret, ob perſonam ipſius Chriſti, vt rectè docent D. Thomas, D. Bonauentura, Lyranus, & alij; quia in rebus grauioribus, in docendo, in faciendo miracula erat occupatus, dans exemplum Eccleſiarum Prælatis, vt in maioribus negotiis occupentur, & minora inferioribus committant. 1. *Corinth.* 1. *num.* 17. ait Paulus: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* Sic Apoſtoli elegerunt diaconos ad pietatis opera impendenda: *Non eſt æquum, nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis,* Actor. 6. n. 2. Secundò D. Auguſtinus *tractat.* 15. *in Ioan.* ita explicat rem. Si Chriſtus baptizaret per ſe ipſum, forſitan non author, ſed miniſter baptiſmi exiſtimaretur: vt ergo ab omnibus agnoſceretur vt author, non per ſe, ſed per ſuos diſcipulos miniſterium exhibuit. Nec Dominus nouit omnia officia ſibi retinere, verùm etiam ſuis communicauit.

D. Thom. Bonauen. Lyran.

*Prælati in maioribus occupentur, minora inferioribus committant.* 1. Cor. 1. Act. 6. Auguſt. *Prælatus non omnia ſibi officia retineat.*

Secundò ob ipſum baptiſmum. Nam per hoc, quòd Chriſtus non baptizabat per ſe, ſed per ſuos diſcipulos, vt rectè notauit D. Cyrillus *lib.* 2. *in Ioannem cap.* 76. declarabat, excellentiorem eſſe ſuum baptiſmum, quàm Ioannis lauacrum. Ioannes per ſe ipſum adminiſtrabat baptiſmum; Chriſtus verò per diſcipulos illum conferebat; & tamen multo plures veniebant ad Chriſtum, *Ioan.* 3. *num.* 26. Ergo per hoc multo excellentior demonſtrabatur Chriſti baptiſmus. Secundò. Dum Chriſti baptiſmus per diſcipulos exercetur, valde efficax, & perdurabilis declaratur; quam efficaciam, & perſiſtentiam non habuit Ioannis baptiſmus; ſi quidem per ipſum ſolum exerceri potuit; & ita cum eius vita terminatus eſt, vt probat Suarius *tom.* 2. *ad* 3. *part. diſp.* 25. *ſect.* 3. §. *Sed quærit aliquis.* Tertiò. Quia, vt eſt valde probabile, ex peculiari priuilegio Apoſtoli baptizabant in nomine Chriſti, vt colligitur ex multis locis, Actor. 10. num. 48. *Iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti.* Et docent D. Bernardus *Epiſt.* 38. S. Thomas 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 1. vt ita Chriſti nomen magis fieret celebre. Quod maximè habere locum videtur ante reſurrectionem: quia tunc forma Patris, & Filij, & Spiritus ſancti *Matth.* 29. nondum tradita erat. Ergo magis decens intelligitur, quòd huiuſmodi baptiſmus per alios, & non per ſe ipſum à Chriſto exerceretur; quæ enim ad noſtram gloriam, laudémque conducunt, valde proportionata ſunt, vt per alios celebrentur, vt dixi *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 5. 10.

Cyrill. *Baptiſmus Ioannis cum eo terminatus eſt.* Act. 10. Bernard. D. Thom. *Quæ sũt laudis noſtræ, per alios celebrentur.*

Tertiò. Ob ipſos baptizandos. Nam omnes veniebant ad Chriſti baptiſmum, *Ioan.* 3. *num.* 26. & ita Apoſtoli erant occupati, vt nec haberent locum ad comedendum, vt dicitur Marc. 6. n. 31. *Venite,* ait eis Chriſtus, *ſeorſum, in deſertum locum, & requieſcite puſillum; erant enim, qui veniebant, & redibant multi; & nec ſpatium manducandi habebant.* Ergo ſi cum tot miniſtris tanta erat occupatio, quid fieret, ſi ſolus Chriſtus exerceret per ſe ipſum? Rectè igitur diſtributum eſt ob commodum venientium, vt Chriſtus prædicaret, & Apoſtoli baptizarent, vt ita accedentibus prompta expeditio exhiberetur. Et ita Moyſes conſilio Iethro ſoceri ſui per ſeptuaginta duos ſeniores populi laborem partiuit. *Exod.* 18. *n.* 19. *&* 20. *Deuter.* 1. *n.* 13. *&* 15. 11.

Marc. 6.

Quartò. Ob diſcipulos, vt ipſis functionibus, ac miniſteriis gratiam impertientibus Dominus eos maximè honoraret, ac nobilitaret. Hoc debet eſſe peculiare ſtudium Principis, ſuorum miniſtrorum honori conſulere. Deſtinauit 12.

*Princeps miniſtros ſuos honorat.*

Dominus ſuos Apoſtolos Principes in orbem, quibus dedit plenariam poteſtatem gubernandi, condendi leges, ſacramenta adminiſtrandi, Epiſcopos creandi, quanuis huiuſmodi poteſtas ſolùm permanſerit in ſucceſſoribus Petri, cui data eſt, tanquam capiti. Quòd autem illa plenaria poteſtas Eccleſias ſuas gubernandi data fuerit omnibus Apoſtolis, colligunt ex verbis Chriſti Domini, *Sicut miſit me viuens Pater, ego mitto vos*, Ioan. 20. num. 21. D. Auguſtinus, D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, Albertus Magnus, *& in ſermone de S. Petro*, S. Thomas, & alij. Et docent Sotus *in 4. diſtinct.* 20. *quæſt.* 1. *artic.* 2. *& lib.* 1. *de iuſtitia, quæſt.* 1. *art.* 3. Bellarminus *lib.* 4. *de Pontific. cap.* 23. Suarius *lib.* 4. *de legibus, cap.* 3. *numero* 4. Sed ſi huiuſmodi poteſtas ſolùm in ſuceſſoribus Petri permanſura erat, cur omnibus datur? Cur non recipiunt à Petro, ſed à Chriſto, à quo tanta poteſtate delegantur? Albertus Magnus in perſona Chriſti ait: *Mitto vos, authoritatem vobis dando, vt qui vos audiat, me audiat; & qui vos ſpernit, me ſpernat: ideo dicit Apoſtolus* 2. Corinth. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, vt ſui miniſtri omnibus eſſent in reuerentia.* Tanta authoritate, ac iuriſdictione Dominus ſuos miniſtros, ac Apoſtolos ſublimauit; tum vt promptè, & expeditè ſuas Eccleſias gubernaret; tum vt etiam omnibus eſſent in veneratione, vtpote tanta authoritate condecorati.

Ioan. 20. August. Cyrill. Chryſoſt. Albert. Mag. D. Thom. Sotus. Bellarmin. Suarius. Albert. Mag. 2. Cor. 5.

13. Exod. 7.

Cùm Moyſes eſſet deſtinatus à Deo legatus ad Pharaonem, ait ei Dominus: *Conſtitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7. num. 1. Præficiens Deus Moyſem ad educendum ſuum populum, cur non appellauit Imperatorem, Regem, Ducem, Præfectum? Cur aliquo nomine ex his, quibus homines ſolent ſuos præfectos inſignire, non appellauit? Cur Deum dicit purum hominem? Deſtinabatur Moyſes Dei miniſter; & ita decreuit Dominus eum extollere, vt alio nomine non delegaret, niſi propria nuncupatione Dei data, vt ex tanta ſublimitate authoritas ſua innoteſceret. Caietanus. *Vide*, ait, *attende, & perpende, in quali, quantoque gradu conſtitui te: nam dedi te, vt officio Dei fungaris erga Pharaonem: magnanimus eſto, qui loco mei conſtitui te relatiuè ad Pharaonem: non ibis tanquam inferior, ſed tanquam ſuperior, vt agens Deum ducem Pharaonis.*

*Domini authoritate honoratur miniſter.* Caietan.

*Ioannis* 4. *n.* 3. Reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galiæam.

## *VERSIONES.*

*D. Auguſt. tr.* 15. *Theophylact.* Reliquit Iudæam terram.

## ALTER TEXTVS.

*Matth.* 4. *n.* 12. Cùm autem audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.

*Marci* 1. *n.* 14. Poſtquam autem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam.

*Lucæ* 4. *n.* 14. Et egreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam.

## *EXPOSITIO.*

14. HIc eſt ſecundus Chriſti aduentus in Galilæam, vt denotat illa particula *iterum*; primus enim extitit, quando cum diſcipulis venit in Canam Galililęæ ad nuptias, *Ioan.* 2. de quo dictum eſt *cap.* 1. *huius libri.* Tempore autem Paſchatis in Iudæam, *Ioan.* 2. *num.* 12. Et ibi in Ieruſalem eiecit vendentes de templo, miracula fecit, cum Nicodemo locutus eſt; & in altera Iudææ parte multos baptizauit, *Ioan.* 3. *num.* 26. Cùm ergo ibi eſſet, & audiſſet, quòd Ioannes traditus eſſet in carcerem, vt iam dixi *num.* 1. fugiens Phariſæorum inuidiam, vt ex multis Patribus dicam *quæſt. ſequenti*; nam Phariſæi audierunt, quòd Ieſus plures baptizaret, & plures diſcipulos faceret, quàm Ioannes, vt patet ex *verſu* 1. Relinquit Iudæam, terram, in qua maiores Phariſæorum habitabant, & abiit in Galilæam, in qua erat patria ſua, vt ibi prædicaret; quanuis, vt ibi dixit Dominus, *Nullus Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Et hic diſceſſus in Galilæam eſt ille, de quo Matthæus, Marcus, & Lucas faciunt mentionem poſt traditum Ioannem ab Herode, vt exponit Abulenſis, & dixi *num.* 1.

Abulenſ.

15. Maldon.

Maldonatus *in* 4. *Matth. num.* 12. ait, quòd Dominus ſeceſſit in Galilæam, non inferiorem, ſed ſuperiorem, quæ appellabatur Galilæa Gentium, & extra iuriſdictionem Herodis erat: nam Ioannes incarceratus eſt ab Herode, vt vidimus *cap.* 4. *Matth.* 14. *n.* 3. *Marc.* 6. *num.* 17. *Luc.* 3. *num.* 9. Herodes autem Tetracha erat Galilææ, *Luc.* 3. *num.* 1. Non ergo Dominus fugeret periculum, ſi abiret in Galilæam, in qua Ioannes traditus erat. Igitur ſeceſſit in aliam extra iuriſdictionem Herodis. Et hanc expoſitionem, ait ipſe Maldonatus, latuiſſe alios Auctores, ac Magnum Auguſtinum. Sed reuera expoſitio me quoque latet. Nam *Galilæa* in Scriptura abſolutè ſumitur pro vtraque, ſiue inferiori, ſiue ſuperiori, & vtrique imperabat Herodes; aliter enim Herodes non diceretur ab Euangeliſta *Luc.* 3. *num.* 1. abſolutè Tetrarchà Galilææ, ſed cum limitatione, & explicatione. Nec Ioſephus, nec alius auctor antiquus ſubtrahit Galiæam ſuperiorem à poteſtate Herodis. Nec ratio deſumpta ex traditione Ioannis habet vim; quia Dominus non fugiebat Herodem, ſed inuidiam Phariſæorum, vt dicam *quæſt. ſequent.* Deinde, vt rectè obſeruauit Abulenſis *cap.* 4. *Matth. quæſt.* 85. §. *dicendum.* non erat Chriſto Domino ratio timendi, quòd Ioannes incarceratus fuerat ab Herode, quia increpabat eum propter Herodiadem vxorem fratris ſui, quam ei viuenti abſtulerat; nam Chriſtus Dominus ob altum ſuum conſilium decreuerat, de hac re non agere; & ideo non datur eadem cauſa timoris.

*Vtraque Galilæa ſub Herodis poteſtate.* Ioſeph. Abulenſ.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO III.

### *Quare Dominus diſceſſit ex Iudæa in Galilæam?*

16. Rupert.

AD quæſtionem reſpondet primò Rupertus lib. 4. in Ioan. *Nam quandiu*, ait, *lucerna hæc, de qua prædictum eſt, lucerna clariſſimè Ioannes, ardere, & lucere potuit, & paſſi ſunt filij tenebrarum, vt ſtaret lucens ſuper candelabrum ſuum, tanto illum honore dignum duxit Dominus omnium, vt ſicut ille, non ſe ipſum commendabat prædicatione ſua, ſed Chriſtum; ſic è contra Chriſtus Ieſus, illo ſuperſtite, nunquam poneret in conſpectu populi magiſterij ſui cathedram publicæ prædicationis officium. Quod ſi faceret, magna vtique claritate ſua famam illius citiùs obſcuraſſet, ſicut Sole meridiano lucernæ fulgor exiguus operire ſolet. Hoc enim deuitans exemplorum bonorum prouiſor, nec hoc ſaltem eſt, vt propter id, quod ſui quoque diſcipuli baptizabant, quæſtiones augeſcerent, quæ iam, vt ſuprà dictum eſt, fieri cœperant. Sed loco, & tempore cedere dignatus eſt, vt debito cum honore Baptiſta ſuus ad conſummationem curſus ſui perueniret. Hoc eſt, quod Euangeliſta nunc refert: Vt cognouit Ieſus, quòd Phariſæi audierunt, quia Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes, abiit in Galilæam.* Quatuor nobis ſatis ingenioſè dat venerabilis Abbas. Quanquam ipſe exiſtimet, quòd Dominus petiuerit Galilæam, antequam Ioannes eſſet incarceratus; tamen ait ipſe, quòd Dominus tetendit in Galilæam, tempus ſuæ prædicationis exſpectans, vt eo incarcerato illam inchoaret. Sed nos dicimus, quòd cùm eſſet traditus, Dominus diſceſſit, vt tradunt Matthæus, & Marcus.

17. In quo docet primò, in quanta æſtimatione fuerit Baptiſta apud Dominum, & quantum ei credidit Chriſtus: *Vt illo ſuperſtite, nunquam poneret in conſpectu populi magiſterij ſui cathedram*; veluti ſapientia Dei approbans, quod ſat erat, Ioannem prædicare, & docere, & ideo eo ſuperſtite Dominus non ponit cathedram ſui magiſterij. Secundò Baptiſta conſtitutus erat à Deo prædicator, & Doctor vniuerſi: *Venit, vt omnes crederent per illum*; dum ergo Ioannes prædicat, & adimplet munus ſuum, abſtinet Chriſtus à prædicatione publica, & ſui magiſterij cathedram non ponit. Quod ſignificat Matthæus 4. num. 12. & 17. *Cùm audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam*, &c. *Et exinde cœpit Ieſus prædicare.* Non enim ſolet Deus ſuos fideles miniſtros euocare ab inchoato munere, & eos impedire in executione officij commiſſi. Differt Dei ſapientia prædicare, quandiu Ioannis vox intonat, quoad vſque vinculis ſit alligata. Poterat Dominus ab exortu ſuo prædicare, & ſilentium Ioanni imponere, & tanquam Sol meridianus Luciferi lucem obſcurare; ſed noluit miniſtro fideli obſtacula ponere, & permiſit, vt vices ſuas abſolueret. *Loco, & tempore cedere dignatus eſt, vt debito cum honore Baptiſta ſuus ad conſummationem curſus ſui perueniret.* Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 9. *num.* 16. *& lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 6. Tertiò. Deus vnumquemque lucere permittit, & cuilibet dat ſpatium, vt fulgore ſuo reſplendeat. Ioannes erat lucerna, ac proinde aliquis ei debebatur ſplendor; noluit ergo Chriſtus eum offuſcare, ac obumbracula ponere. *Quod ſi facere voluiſſet, magna vtique claritate ſua famam illius citius obſcuraſſet.* Sed hoc valde alienum iudicauit à bonitate ſua, qua ſinit vnumquemque lucere. Quartò. Recedit Dominus, vt ſui diſcipuli abſtinerent à quæſtionibus, quæ iam circa baptiſmum Chriſti inter ſuos diſcipulos, ac aſſeclas Ioannis cœperant, *Ioan.* 3. *num.* 25. Ne huiuſmodi quæſtiones iterum implicarentur cum Phariſæis, qui audierunt, quòd Ieſus plures diſcipulos faceret, & baptizaret, quàm Ioannes, & dicebant, vt ait ipſe Rupertus: *Ecce duos Baptiſtas habemus. Nunquid vterque eſt Chriſtus?* Vt ergo huiuſmodi quæſtionibus imponeretur ſilentium, recedit Dominus, & abiit in Galilæam. Ne quæſtiones augeſcerent, quæ iam fieri cœperant, loco, & tempore cedere dignatus eſt. Eccleſiaſt. 8. num. 4. *Non litiges cum homine linguato, ne ſtruas in ignem illius ligna.*

*Ioanne viuente Chriſtus non ponit cathedrã magiſterij.* Ioan. 1. Matth. 4. *Non ſolet Deus ſuos miniſtros in officio commiſſo impedire.* *Deus vult, vt quilibet ſuo fulgore luceat.* *A quæſtionibus abſtinendum, & fugiendum.* Eccli. 8.

18. August. Albert. Mag. D. Thom. Matth. 10.

Secundò. D. Auguſtinus *tractat.* 15. *in Ioan.* Albertus Magnus, D. Thomas, vt daret exemplum, ac formam in perſecutione fugiendi in alium locum, & ciuitatem. Matth. 10. num. 23. *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*, 2. Corinth. 11. num. 33. *Per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* Tertiò. Albertus Magnus, S. Thomas, Carthuſianus. Vt ſe ſubtraheret inuidiæ Phariſæorum, ne contra ſe excitaretur, & exaſperaretur; & ideo declinauit præbens exemplum, vt malis cedamus ad tempus, quoad vſque inimici melioris animi fiant. Ezechiel. 2. num. 5. *Si fortè ipſi audiant, & quieſcant, quia domus exaſperans eſt.* Quartò. Carthuſianus. Receſſit Dominus, quia aliquando ſubtrahendum eſt verbum Dei propter irriſionem, ob reuerentiam, ne vilipendatur ab inimicis.

2. Cor. 11. Albert. Mag. D. Thom. Carthuſ. *Cedendum ad tempus.* Ezech. 2. Carthuſ.

19. Albert. Mag. Hugo.

Quintò. Albertus Magnus, Hugo. In Galilæa Dominus initium ſuæ prædicationis inchoauerat; & ideo reuertitur ad illam, quia voluit viſitare, conſolari, ac confirmare eos, quos per verbum Dei attraxerat. Actor. 15. num. 36. *Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Dei, quomodo ſe habeant.* Hinc eſt, quòd redarguitur malus Prælatus, qui non eſt paſtor paſcens, & viſitans ſua. Iob 39. num. 14. *Relinquit oua ſua in terra, obliuiſcitur, quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat, duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* Ita Albertus. Sextò D. Chryſoſtomus *homil.* 30. Theophylactus, D. Bonauentura. Poterat Dominus eſſe in medio Phariſæorum abſque eo, quòd illum apprehenderent; quia ſæpe de eorum manibus exiuit; & tamen noluit, ſed abiit in Galilæam: *Quia*, ait D. Bonauentura, *ſicut volebat credi, quoniam erat Deus, ſic volebat credi, quoniam carnem ferebat, vt verus homo; & ideo aliquando recedebat, & eorum præcauebat inſidias*, Vnde eleganter ait Chryſoſtomus citatus. *Ideo maximè voluit ſuam Incarnationem credi, quæ nobis principium, & fons eſt innumerabilium bonorum, hinc, non humanitatem, ſed diuinitatem potiùs latere voluit.* In humanitate aſſumpta opus noſtræ redemptionis exercuit Deus; & ideo in tanta ei æſtimatione fuit, ac tam eximiè de humanitate gloriabatur, vt tanquam homo iram hominum fugeret, diuinitatem ſuam paſſus

Actor. 15. Iob 39. Chryſoſt. Theophyl. Bonauent. Chryſoſt. *Deus maximè gloriatur de noſtra redemptione ac humanitate.*

 abſcon

abſcondi, vt ſe hominem manifeſtaret. Vide *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 53. & *cap.* 3. *n.* 22. & 23.

20. Abulenſ. Septimò. Abulenſis *in cap.* 4. *Matth. quæſt.* 85. ex eo contendit, quòd Chriſtus Dominus abiit in Galilæam, quia volebat in ea primò prædicare. *Beneficia à ſuis inchoanda.* Quod ex multiplici cauſa factum eſt, vt ipſe probat *ſequenti quæſt.* 86. Theophil. Primò, quia illa erat terra natalis Chriſti; & voluit Dominus primò illi benefacere, quàm aliis, vt docet Theophylactus *in cap.* 4. *Matth.* Quo inſtruimur priùs propriis benefacere, eoſque docere; deinde ad reliquos amicitiam ſpargere. Galilæa autem erat patria natalis Chriſti, id eſt, ſuæ nutritionis; quia licèt in Bethleem eſſet natus, tamen tota vita in Nazareth nutritus fuit, & educatus; & ideo non *Quilibet honoret ſuos.* Bethleemites, ſed Nazaræus eſt dictus, vt dixi *lib.* 2. *cap.* 9. *quæſt.* 11. Secundò, quia Chriſtus volebat habere teſtes ſuæ prædicationis ab eius exordio; cùm autem Dominus decreuiſſet, ſuos honorare, vtque Apoſtoli maiori ex parte eſſent Actor. 2. Galilæi, Actor. 2. num. 7. *Nónne omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt?* ideo ad Galilæam tendit ad ſuam prædicationem inchoandam. Tertiò. Recedit in Galilæam; quia cùm Ioannes Iſai. 9. eſſet iam in carcere traditus, tempus erat, vt ſuam prædicationem initiaret in Galilæa, vt impleretur vaticinium. Iſaiæ 9. num. 1. *Primò tempore al-* Matth. 4. *leuiata eſt terra Zabulon, Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ Gentium: populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et hanc rationem inducit Matthæus in textu *cap.* 4. *n.* 15. Et ſtatim poſt commemoratam prophetiam ait: *Et exinde cæpit Ieſus prædicare.* Quæ rationes optimè probant, quare ad exordium ſuæ prædicationis elegerit Galilæam.

21. Auguſt. Cyril. Chryſoſt. Ambroſ. Beda. D.Thom. Bonauent. Octauò. Communiter Patres. D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* D. Cyrillus *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 76. D. Chryſoſtomus *homil.* 30. D. Ambroſius *lib.* 4. *in Lucam.* Theophylactus, Beda, D. Thomas, D. Bonauentura, & alij multi ad hunc locum Ioannis tenent, quòd Dominus diſceſſit ex *Ob inuidiam Dominus diſceſſit.* Iudæa, declinans Phariſæorum inuidiam. Et ita ait D. Auguſtinus *citatus*, vt cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi. *Quia verò*, inquit, *cognouit eorum ſcientiam, ſimul cognouit & inuidiam, quia non hoc propterea didicerunt, vt ſe-* Chryſoſt. *querentur, ſed vt perſequerentur.* D. Chryſoſtomus. *Matthæus declarat, cur abierit in Galilæam. Ioannes, cur receſſerit à Iudæa.* *Non formidinis cauſa diſceſſit, ſed vt eorum inuidiam leniret.* Explicat Matthæus, vt patet ex ſeptima ratione, cur Dominus potius tenderit in Galilæam, quàm in aliam prouinciam. Ioannes verò hìc declarat, cur diſceſſerit ex Iudæa. *Vt cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quia Ieſus plures baptizaret, quàm Ioannes, relinquit Iudæam.* Ergo innuit Euangeliſta, quòd cauſa huius diſceſſus fuit, quia cognouerunt Iudæi, quòd plures baptizaret, quàm Ioannes, quo maximè liuore torquebantur Phariſæi, non quia pro Ioanne zelarent, vt iam dixi ex Caietano *nu-* *Odium tegumento zeli crudele.* *mero* 3. immò potiùs Ioannis baptiſmum ſpreuerunt *Luc.* 7. *num.* 30. Sed quia verebantur, ne Chriſti nomine, ac baptiſmo eorum Secta extingueretur, ideo incredibili inuidia, ac odio Chriſtum perſequebatur; quod inde erat vehementius, quia tegumento, ac prætextu zeli Ioannis fiebat.

22. Valde mirum eſt, quòd Dominus recedat à Iudæa ob inuidiam Phariſæorum, & eligat abire in Galilæam, in qua regnabat Herodes, vt iam notaui in expoſitione *num.* 15. qui Ioannem incarcerauerat, & ſæuiſſimus erat hoſtis religionis, virtutis, ac veritatis. Sed ſapientiſſimus Dominus Ieſus elegit degere potius, ac habitare cum *Melius eſt eſſe cùm hoſte crudeli, quàm cum inuidioſo.* crudeliſſimo hoſte, quàm cum Phariſæis inimicis ſimulatis, ac inuidioſis. Cùm Dauid fuiſſet maximè oppreſſus perſecutionibus Saul: *Ait in cor-* 1. Reg. 27. *de ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nónne melius eſt, vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum? Surrexit Dauid, & abiit ad Achis filium Geth*, 1. Reg. 27. à num. 1. Me- Abulenſ. ritò addubitat Abulenſis ibi, *quæſt.* 5. & 7. quomodo Dauid auſus fuerit ſe recipere in terra Philiſthinorum; nimium enim offenderat Philiſthæos, & eos maximè bellis attriuerat, vt patet ex *cap.* 18. 19. & 23. Multos namque Philiſthæos 1. Reg 18. 19. & 23. occiderat, ducenta præputia adduxerat ad Regem Saul *cap.* 18. Et tandem inter eos virum valde inſignem interfecerat Goliath. Quomodo ergo fugit à Saule, ac ſuis patriciis, & tendit ad Regem Philiſthæum inimicum? Saul magna in Dauidem commouebatur inuidia, vt latè pro- Chryſoſt. Ambroſ. ſequuntur D. Chryſoſtomus *homil. de Dauid.* D. Ambroſius *lib. de eodem*, & alij Patres. Prudenter Dauid relinquens conciues ſuos pergit ad Philiſthæum, meliùs iudicans, habitare cum in- *Inuidus beneficiis fit peior.* feſto inimico incircunciſo, quàm cum inuidioſo, ac ſimulato hoſte, etiam compatritio. Aliquando enim beneficiis miteſcit odium; quibus obſti- Auguſt. nata magis obdureſcit inuidia. Quod eleganter dixit D. Auguſtinus ſerm. 83. de tempore. *Canes*, ait, *educatione manſueſcunt, Leones obſequio tractabiles fiunt, inuidi tantùm officio aggreſſiores euadunt.*

23. Matth. 2. Poſt diſceſſum Magorum, *Apparet Angelus Ioſeph in ſomnis, & ait ei: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum*, Matth. 2. num. 13. Quomodo fuga pueri mandatur ab Angelo in Ægyptum; nam Ægyptiaca gens ſemper fuit valde infeſta populo Hebraico, vt no- Rupert. tat Rupertus. Ibi Abrahamus perſecutionem pertulit *Geneſ.* 12. *num.* 14. Ibi & Ioſeph incarceratur *Geneſ.* 39. Et tandem totus populus Hebraicus captiuitate affligitur. Ad quid ergo tendit Puer in Ægyptum? Aduenientibus Magis, Matth. 2. *Turbatus eſt Herodes, & tota Ieroſolyma cum illo*; & Herodes dixerat Magis, *Ite, & interrogate diligenter de puero, vt & ego veniens adorem eum*, Matth. 2. num. 8. Hæc fatur Herodes, & ta- Paſchaſ. men, vt notat D. Paſchaſius lib. 1. in Matth. *Simulato odio, ac inuidia Chriſtum perſequebatur.* *Melior eſt apertus hoſtis, quàm occultus, & ſimulatus inuidus.* Mandatur fuga in Ægyptum, quæ ſemper ſe habuit aduerſo animo in Abrahami natos; tutius enim eſt commorari cum aperto hoſte, quàm cum occulto inimico, ac ſimulato inuidioſo. In *Inuidus nulli parcit.* Ægypto manifeſtabatur odium, videbatur inimicitia in Iudaicam gentem; at in Herode occultabatur odium, latebat inuidia. Recede ergo Guill. Peral. ab Iſraël, vade in Ægyptum; nam inuidia nulli ſcit parcere. Guill. Perald. Epiſcopus Lugdun. ſumm. de vitiis, & virtutibus lib. 2. tract. 7. *Crudele malum*, ait, *ſuper omne malum inuidia; nam odium aliquando pietate mouetur, iniuria ſæpe deponitur. At inuidia facit hominem penitus immiſericordem, quia non parcit patri, fratri, amico, nec innocenti. Quòd inuidia non parcit patri, exemplum habemus de Abſalon, qui voluit interficere patrem ſuum Dauidem propter inuidiam, vt regnum eius poſſideret; quòd inuidia non parcit*



*fratri, in filiis Iacob, qui Ioſeph fratri ſuo non pepercerunt; quòd non parcit amico, vt Ioab, qui interfecit Abner; nec innocenti, vt Herodes, qui puerum quærebat ad mortem.*

*Ioannis* 4. *n.* 4. Oportebat autem eum tranſire per Samariam.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Opus autem erat ei, vt veniens tranſiret per Schamaritanos.

*Pagninus.* Tranſire per mediam Samariam.

## *EXPOSITIO.*

24. Chryſoſt. Theophyl. D.Thom. MAXIME nobis enucleat, ac expendit Euangeliſta, vt obſeruant D. Chryſoſtomus, Theophylactus, S. Thomas; quòd Dominus in Samariam, non directè, ac ex propoſito, ſed veluti occaſionaliter venit. quod explicabo *quæſt.* 5. Quòd verò hic tranſitus fuerit occaſionalis, duobus verbis explicauit Euange- Albert. Mag. liſta, Primò *Oportebat.* nam, vt rectè obſeruat Albertus Magnus, directè venientibus à Iudæa in Galilæam, per Samariam eſt tranſeundum, ſiquidem Samaria in medio interiacet, vt ſtatim dicam ex Ioſepho; & ideo oportebat tranſire, neceſſitate viæ. Secundò *tranſire*; non ait Euangeliſta: Oportebat ire in Samariam; nam *ire*, ſignificat manere, & habitare. At *tranſire*, viam Rupert. itineris dicit. Illud autem verbum *oportebat*, explicat Rupertus, quòd idem ſit, ac congruebat ob altum Dei conſilium, de quo *quæſt.* 5.

## QVÆSTIO IV.

### *Quænam eſſet regio Samaria?*

25. INTELLIGENTIA, ac cognitio huius regionis maxime conducit ad expoſitionem ſacri textus. Vnde de illa quatuor inquiro. Primò, vbi ſita? Secundò, à quo ædificata? Tertiò, vnde dicta? Quartò, à quibus habitata?

26. *Samaria vbi ſita.* Primò quo ad ſitum. Hæc regio locata erat inter Iudæam, & Galilæam, vt teſtantur Ioſephus *de* Ioſephus. Hegeſippus. *bello Iudaico lib.* 3. *cap.* 2. Hegeſippus *lib.* 3. *de excidio Ieroſolymitano cap.* 6. Et ideo Euangeliſta dixit, quòd oportebat tranſire de Iudæa per Samariam in Galilæam, incedendo nempe itinere recto. Erat autem regio partim campeſtris, partim montoſa, habens aquas ſupra modum dulces.

27. *A quo ædificata.* Secundò quantum ad ædificationem, Amri Rex Iſraël anno ſexto regni ſui emit montem, à *A quo dicta.* quodam Somer, in cuius vertice ciuitatem conſtruxit; & ab antiquo poſſeſſore, & vendente Iſai. 7. Somer Samariam nuncupauit. Totum refertut 3. *Reg.* 16. *num.* 24. Hac deinde Reges Iſraël pro regia vſi ſunt, vt ait Iſaias 7. n. 9. *Caput Ephraïm* *Caput totius regni.* *Samaria.* Et tota regio, ac prouincia ab hac ciuitate Samaria vocabatur. Et ciuitas hæc funditus eſt euerſa ab Hircano, ſed ab Herode Rege iterum eſt ædificata, teſte Euſebio *in Chronico* Euſeb. *tom.* 2. E tin honorem Auguſti nominata eſt Auguſta. Et ſic manet explicatum, vnde dicta eſt Samaria, quòd erat tertium quæſitum. Et D. Hie- Hieron. ronymus *in Epitaphio Paulæ*, ibi condita eſſe oſſa Eliſæi, Abdiæ, & Ioannis Baptiſtæ, aſſeuerat.

28. *Quinam habitatores Samariæ.* Quartò. In Samaria habitabat tota Tribus Ephraim, & dimidia Manaſſes. Cùm verò decem Tribus, quarum regia erat Samaria, in captiuitatem eſſent adductæ à Salmanaſar Rege Aſſyriorum, Rex pro Iſraëlitis Aſſyrios poſuit. Sed cùm à leonibus ob idololatriam dilacerarentur, *Qualis eorum cultus* Salmanaſar Rex miſit Sacerdotem quendam ex iis, qui captiui ducti fuerant, vt gentes habitantes in Samaria inſtrueret in cultu Dei, & ita factum eſt. Et vnaquæque gens in Samaria commorans ſuum idolum fabricauit, & illud adorabat. Et fecerunt ſibi de nouiſſimis Sacerdotes, & cùm Deum colerent, diis quoque ſeruiebant, 4. *Reg.* 17. *à n.* 25. Seducti ſunt poſtea variis erroribus à quodam, qui à Iudæis ad ipſos transfugit, vt te- Epiphan. Hieron. ſtantur D. Epiphanius *hæreſ.* 9. & D. Hieronymus *Dialogo contra Luciferanos.*

29. Theophyl. Theophylactus *in hoc cap. Ioan.* ait, poſterioribus temporibus à cultu idolorum abſtinuiſſe; Abulenſ. idémque teſtatur Abulenſis in 4. Reg. cap. 17. *Quales tempore Chriſti.* *Aliquando*, ait, *Samaritani venerunt ad colendum vnum Deum; & ſic erat tempore Chriſti. Nam tunc ſolùm erat diuerſitas inter Iudæos, & Samaritanos; in quo loco adorandum erat, ſed non erat diuerſitas, an deberet Deus adorari, vel idola.* Ex libris ſacris ſolùm quinque libros Moyſis recipiebant, Theoph. Origen. vt docent idem Theophylactus, Origenes *lib.* 1. Epiphan. *contra Celſum.* Epiphanius *hæreſ.* 9. & omnium eſſe Abulenſ. ſententiam, teſtatur Abulenſis. Cùm autem Meſ- *Samaritani inter alienigenas, & hæreticos reputabantur.* ſias in libris Moyſis contineretur, ipſum expectabant, vt patet infrà *num.* 25. ait mulier: *Scio, quia Meſſias venit.* Et quia Samaria Aſſyriorum colonia erat, ideo Samaritani inter Gentiles à Iu- Ammonius. Chryſoſt. Euthym. Albert. Mag. Hieron. dæis reputabantur, vt aduertunt hoc loco Ammonius, Chryſoſtomus, Euthymius, Albertus Magnus. Immo Iudæi Samaritanos inter hæreticos recenſebant, vt aduertit Hieronymus *Epiſt. ad Algaſ. quæſt.* 5.

## QVÆSTIO V.

### *Quare tantus eſt Euangeliſta in narrando, quòd oportebat Dominum tranſire per Samariam?*

IRIA poterat obiici contra Dominum, quòd ad Samariam veniret. Primò, 30. quòd contrariabat ſuum mandatum. Dixerat ſuis diſcipulis: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intra-* Matth. 10. *ueritis*, Matth. 10. num. 5. Secundò, quòd aduerſabatur antiquæ conſuetudini: *Non coütuntur Iudæi Samaritanis*, infrà *num.* 9. Et ideo, quia Dominus ad Samaritanos venerat, eum Samarita- Albert. Mag. Cyrillus. num appellabant. Tertiò, vt aiunt Albertus Magnus, D. Cyrillus, poterat eſſe ſcandalum, quòd relicta Iudæa abiret in Samariam, cùm Dominus non eſſet miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël, *Matth.* 15. *n.* 24. His ergo Euangeliſta

liſta occurrit duplici verbo, vt dixi in expoſitione, quòd *oportebat eum.* ſeu, vt habet Syriacus, *opus erat ei, tranſire per Samariam,* non manere, ſed tranſire, veluti compulſus à via. Et quanquam vt ſupremus Dominus nulli legi, ac conſuetudini eſſet adſtrictus, tantùm in exemplum noſtrum omnia obſeruare volebat.

Syriacus.

31. Et ideo Euangeliſta tam notanter aduertit, quod oportebat eum tranſire per Samariam, ne antiquæ conſuetudini, qua Iudæi non coütuntur Samaritanis; nec legi, ac diſpoſitioni diuinæ, qua miſſus erat ad domum Iſraël, videretur contrarius. Et hac de cauſa Chriſtus Dominus dicebat de ſe Matth. 5. num. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere.* Non fuit contentus, ſemel dicere, quòd non venit ſoluere, ſed bis idem verbum repetit, magnam efficaciam, & conatum in hoc negotio declarans, vt proprio loco notabo. Et ideo, quòd Dominus contra præſcriptam cõſuetudinem adueniret in Samariam, ait Euangeliſta, quòd *oportebat eum*; quia leges, ac probatæ conſuetudines non ſunt contemnendæ, niſi ex vehementiſſima, ac ſatis vrgenti cauſa, quæ multis probata ſit, quam Dominus magno miraculo, nempe conuerſione mulieris, ac aliorum, in documentum noſtrum, voluit comprobare.

Matth. 5.

*Leges venerandæ, & obſeruandæ.*

32. Vt parens Elias ſuo populo comprobaret, quòd non Baal, ſed verus Deus Iſraël ſupremo latriæ cultu eſſet colendus, in Monte Carmeli erexit duodecim lapidibus altare, & poſuit bouem, & orauit: *Exaudi me Domine Deus, exaudi me: vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus,* 3. Reg. 18. num. 37. Et cùm hæc diceret, ignis cælitus miſſus totam victimam deuorauit. Grauis ſuboritur difficultas: quia videtur, quòd Elias egerit contra legem ex duplici capite. Primò, quia ipſe non erat Sacerdos, nec Leuita, vt vult Abulenſis: & tamen immolauit victimam, quod ſolum ad Sacerdotem pertinebat, *Numer. 3. num. 10. & cap. 18. num. 6.* Secundò videtur, quòd egerit contra legem; quia obtulit ſacrificium extra Tabernaculum; nam ſolùm in Sanctuario offerendum erat in altari holocauſtorum, *Leuit. 27. num. 9. Deuteronom. 12. num. 4. &* 16. Elias obtulit in monte Carmeli. Sed omnium ſolutio eſt, quòd ipſe parens Elias ex diſpenſatione diuina ibi erexerit altare. Abulenſis quæſt. 34. *Non peccauit Elias, non egit contra legem, ſed ex diſpenſatione diuina ſacrificauit, nam Deus exaudit orationem Eliæ, mittendo ignem de cælo.* Ne ſacrificium Eliæ videretur legi repugnans, ignis de cælo prolabitur in ſignum approbationis; vt in ſacrificio Abel factum eſt, vt vult Theodoretus, *Gen. 4. n. 4.* Tantum per omnem modum exigitur, vt actus perpetratus, in apparentia lege contrariante, cum iuſtitia, ac rectitudine operatus appretietur, vt in eius comprobationem miracula è cælo exoptentur.

3. Reg. 18.

*Vt lex tranſgrediatur cũ rectitudine, cæli miraculum requiritur.*

Abulenſ.

Abulenſ.

Theodor.

## Qvæstio VI.

### *Quare tranſiuit Dominus per Samariam?*

33. Chryſoſt. D. Thom. Bonauent. Hugo. Caietan.

Respondetvr primò ex his, quæ dicta ſunt cum D. Chryſoſtomo, S. Thoma, D. Bonauentura, Hugone, Caietano, quòd tranſiuit per illam ratione viæ in Galilæam. Quia venientibus directè à Iudæa in Galilæam tranſeundum erat per Samariam, quæ interiacebat, vt dixi *quæſt.* 4. Secundò Rupertus. *lib. 4. in Ioan.* Oportebat eum tranſire per Samariam: *Quam ob cauſam?* ait, *Illam vtique, quæ longè inferius, poſt hunc tranſitum, ſubiecta eſt. Quia propheta in patria ſua honorem non habet: ergo vt verum comprobaret hoc teſtimonium, id eſt, non ob aliam cauſam, apud Iudæos honorem non habet, niſi quia patria ſua, contribules ſui Iudæi erant, & præ inuidia totum hominem contemnebant; ſimulque hoc ex oppoſito, id eſt, ex eo, quod in patria non ſua diuinum honorem habiturus erat, oportebat eum tranſire per Samariam. Oportebat hoc propoſito, vel conſilio diuinitatis congruebat, vt per illos alienigenas iter faceret.* Cùm Dominus pergeret in Galilæam, quæ erat veluti proprium ſolum, & nullus Propheta habeat honorem in patria ſua, decreuit per Samariam iter facere, vbi ab illis alienigenis erat maximè venerandus, infrà *num.* 41. & 42. vt ita patritij confunderentur, quia contemnebant cognatum, quem alienigenæ omni honore proſequebantur.

Rupert.

*Confunduntur ciues, dum contemnunt cognatum, quem alienigenæ venerantur.*

34. Tertiò. Albertus Magnus, *Deus vult omnes homines ſaluos facere, tranſit per Samariam, vt vocaret mulierem ad illuminationem diſpoſitam, & ſimiliter vocarentur alij per mulierem.* Venerat Dominus ad mulierem vocandam ad fidem; & tamen dicitur, quòd oportebat eum tranſire per Samariam. Amantis diſſimulationes ſunt; quæ enim fiunt vi amoris, ſæpe neceſſitati, ac obligationi adſcribuntur. Cùm Dominus pergeret ad ſuam paſſionem, ait ſuis diſcipulis: *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio,* Ioan. 14. numero 31. Et tamen Iſaias 53. num. 7. de ipſo ait: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Et totum hoc in negotio noſtræ redemptionis interuenit, Patris præceptum, & Chriſti voluntas acceptantis. Quod explicauit Theophylactus ad cap. 14. Ioan. *Pater, inquit Saluator, qui diligit mundum, expoſuit me pro illorum morte. Ego quoque Patrem diligens, voluntatem eius approbo, & oſtendo, quòd diligam Patrem, per hoc quòd mandatum ab eo, hoc eſt, quod complacitum illi, & decretum ab eo ſuſcipio, & perficio.* Sed iam illud mihi facit difficultatem. Cur Propheta voluntatem Chriſti commemorat: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*; & tamen Dominus totum ad præceptum Patris refert. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc?* Artificium eſt amoris, vt quod voluntariè, ac ſpontaneè præſtat, obligationi, ac mandato tribuat, atque adſcribat. Vide *lib. 2. cap. 1. quæſt. 11. n. 54. & cap. 5. quæſt. 3. n. 15. eodem libro.*

Albert. Mag.

*Amoris diſſimulatio, quæ fiunt vi amoris neceſſitati tribuuntur.*

Iſa. 14.

Iſai. 53.

Theoph.

*Ioannis 4. n. 5.* Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo,

*Versiones.*

*D. Chryſoſt. homil.* 30. Præteriens ergo venit in ciuitatem Samariæ.

*Syriacus.* Venit itaque in vrbem Schamaritanorum, quæ vocatur Schocar, iuxta tumulnm agri, quem dedit, &c.



## *Expositio.*

35. Franc. Lucas.

Venit præſens eſt, vt notat Franciſcus Lucas. *Venit in ciuitatem.* nam proficiſcentibus à Iudæa in Galilæam occurrit hæc ciuitas, quæ ipſo in itinere ſita eſt: & hoc indicat illa particula *ergo*; & clariùs habet Chryſoſtom. *Præteriens venit. Venit in ciuitatem Samariæ*; dicitur per anticipationem, vt notat Carthuſianus; nam Dominus non dum intrauerat ciuitatem, ſiquidem extra remanſit iuxta mœnia, Apoſtoli abierant in ciuitatem ad comparandos cibos, *numero* 8. poſtea autem Dominus eſt ingreſſus, *num.* 40. Et quanquam Samaria ſit nomen ciuitatis, hîc verò ſumitur pro prouincia, quæ à ciuitate principali ita dicebatur, *Quæ dicitur Sichar*; tempore Chriſti Domini dicebatur Sichar, & in libris antiquis Veteris Teſtamenti dicitur Sichem, de qua *Geneſ.* 35. Vide *quæſt. ſequenti.*

Chryſoſt.

Carthuſ.

36. *Iuxta prædium,* hoc refertur ad ciuitatem, quæ ſita erat iuxta agrum illum; nam Ieſus non erat iuxta prædium, ſed ad ipſum agrum, ſeu prædium venit, *Quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Hîc reſpicitur ad hiſtoriam *Geneſ.* 48. *numero* 22. Quando Iacob moribundus dixit filio ſuo Ioſeph: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Et hanc priùs Iacob emerat Gen. 33. numero 19. *Centum agnis à filiis Hemor patris Sichem.* Si verò obiter inquiras, quomodo idem prædium emptum ſit à Iacob centum nouellis ouibus, & idem arcu, & gladio è manibus Amorrhæi ablatum? Reſpondet D. Hieronymus relatus in Gloſſa Geneſ. 48. *Rectè quidem arcum, & gladium dicit pecunias, quibus agrum emebat.* Fortiſſimus arcus, & gladius eſt aurum, quo expugnantur omnia. Idem D. Hieronymus *in quæſtionibus Hebraicis,* per arcum, & gladium intelligit iuſtitiam, & laborem, quo omnia vincuntur. Chaldæus verò per arcum, & gladium interpretatur orationem, qua omnia ſuperantur. Probabilius verò videtur, quòd poſt interfectos Sichimitas Iacob inde egreſſo Amorrhæi locum illum occupaſſent; poſtea verò Iacob vi recuperauit. Syriacus noſtrum textum ita legit; *Iuxta tumulum agri.* Nam Ioſeph moriens in Ægypto iuſſit inde aſportari oſſa ſua, *Geneſ.* 50. *num.* 24. & ſepulta ſunt à Ioſuë *cap.* 24. *numero* 32. in illo prædio Sichem. *Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerunt filij Iſraël de Ægypto, ſepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus.* Et ait textus: *Iuxta tumulum agri, quem dedit Iacob*; ac proinde denotatur, quòd Dominus erat iuxta ipſum tumulum Ioſeph. Et dicitur: *Quem dedit Iacob*; fortaſſe erat conſuetudo apud patres, vt cum hæreditate darent tumulum ſepulchri, vt in ipſa maiori poſſeſſione de morte homo recordaretur. *Quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Æquiſſimus pater Ioſeph ſibi benemerito plus ei poſſidendum donat, quàm aliis concedit. Quod notat Oleaſter ad locum Gen. 48. num. 22. *Dicunt hic,* ait, *Iuriſconſulti, licere patri de bonis ſuis plus vni filiorum, quàm alteri conferre, maximè de bonis caſtrenſibus.*

Gen. 33.

Hieron.

*Pecunia validiſſima arma.*

Hieron.

Chaldæus.

*Labore, iuſtitia, & oratione ſubiectantur omnia.*

Syriacus.

*In ipſa maiori poſſeſſione homo de morte recordetur.*

*Filio benemerito plus donandum.*

Oleaſter

## Qvæstio VII.

### *Quænam fuerit ciuitas Sichar?*

37. Sichar ciuitas Samariæ, quæ temporibus Chriſti ita dicebatur, ea eſt, & valde celebris, quæ vocatur Sichem, Græcè *Sichima*; corrupto vocabulo dicebatur *Sichar*, vt adſtipulantur D. Hieronymus. *Epiſt. 27. cap. 6.* quæ eſt Epitaphium Paulæ. Quæ à multis ita exiſtimatur dicta à Sichem filio Hemor principe terræ illius, *Geneſ. 34. num. 9.* Et D. Hieronymus *citato loco.* Rupertus *lib. 4. in Ioan.* Beda *de locis ſanctis cap.* 15. & alij putant eſſe illam ciuitatem, quæ temporibus Hieronymi dicebatur Neapolis. Idem verò Hieronymus *lib. de locis Hebraicis.* & Aranda exiſtimant, Sichar non fuiſſe Neapolim, ſed oppidum aliud ante Neapolim ſitum. Bocardus verò ait, quòd Sichar diſtat ab ea, quam diximus appellari Neapolim, iactu duorum arcuum. Teſte eodem Bocardo Sichar diſtabat ab vrbe Samaria, ſeu Sabaſte duabus leucis; Ieruſalem verò, vt vult Abulenſis *Geneſ.* 12. decem leucis. Fuit hæc ciuitas ab Abimelech, *Iud. 9. num.* 45. euerſa, etiam ſale ſuper eam diſperſo. Inſtaurata tamen fuit ciuitas à Ieroboam 3. *Reg.* 12. *numero* 25. & ibi habitauit, ſuamque regalem ſedem collocauit. Alexander veniens in Iudæam, eam totius Samariæ conſtituit caput, vt teſtatur Ioſephus *lib. 11. cap. 6. Antiquitatum.*

Hieron.

Hieron.

Rupert.

Beda.

Hieron.

Aranda.

Bocardus.

Abulenſ.

Ioſeph.

38. Multa valde memoranda facta in hac ciuitate narrat Scriptura. Nam Abrahamus, cùm Dei iuſſu egreſſus eſſet de Meſopotamia, & veniſſet in terram Chanaam: primò ad Sichem venit, *Geneſ. 12. num. 6.* & ibi illius terræ à Deo primam promiſſionem accepit, ac altare Domino ædificauit. D. Hieronymus *de locis Hebraicis,* affirmat idem eſſe Sichem, ac ſalem, quod poteſt probari ex *Geneſ. 33. num.* 18. de Iacob dicitur: *Tranſiuit in Salem, vrbem Sichimorum*; quod Hebraicè vertunt, *Venit incolumis in vrbem Sichem.* Ex quo infert Toletus *annot.* 4. Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum, fuiſſe Regem huius ciuitatis. In Sichem etiam veniens Iacob emit partem agri centum agnis; ibíque erexit altare, & inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël. *Geneſ. 33. à numero* 19. In eadémque vrbe Dina violata eſt à principe terræ illius; & ibi à filiis Iacob magna cædes perpetrata eſt, *Geneſ. 37. à numero* 1. Sichem etiam data eſt in aſylum, ac refugium fugitiuis, *Ioſuë 20. num. 7. & 21. num.* 21. Sichem facta eſt item ciuitas Sacerdotalis, & data fuit Leuitis cum ſuburbanis ſuis, cùm eſſet ciuitas refugij, 1. *Paralipom. 6. num.* 67. Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerunt filij Iſraël de Ægypto, ſepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob ab Hemor filiis, patris Sichem, centum nouellis ouibus, *Ioſuë 24. num.* 32. In Sichem denique Iſraël diuiſus eſt à Roboam ob ſuam inſipientiam, & duritiem in populum, 3. *Reg. 12. à num.* 1.

Hieronym.

Gen. 33.

39. Hæc ciuitas Sichar tot monumentis antiquis valde

valde nobilis, ſed nunc multo illuſtrior Chriſti Domini aduentu. Iuxta hanc ciuitatem erat prædium Ioſeph, & in eo fons Iacob. De fonte autem, ad quem Dominus venit, ſcribit Beda de locis ſacris cap. 15. *Prope ciuitatem*, inquit, *Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, Eccleſia quadrifida eſt, hoc eſt, in modum crucis facta, in cuius medio fons Iacob habetur.*

Beda. *Templum in fonte ædificatum.*

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Dominus venit ad ciuitatem Sichar?*

40\. RATIO litteralis patet ex dictis in expoſitione, quia ciuitas Sichar ſita erat in medio itineris: nam venientibus à Iudæa in Galilæam, recta via per Sichar prætereundum erat, & cùm Dominus, non per ambagines, nec per retortos tramites, ſed per regiam incederet viam, veniens à Iudæa in Galilæam per Sichar inſtituit iter. Huius autem rei rationes morales inquiramus. Et ſuppono ex dictis, quòd quanuis Chriſtus dominus huc vſque doceret, erat priuatim, & occultè, vt videre eſt in Nicodemo: nam publicè, & manifeſtè nõ cœpit prædicare, niſi poſtquam Ioannes traditus eſt in carcere, vt ex communi conſenſu Sanctorum Patrum recipitur, vt patet ex dictis *quæſt.* 3. Hic verò diſceſſus in Galilæam contigit, poſtquam Ioannes traditus eſt in carcere, vt dixi ſuprà *n.* 14. Et colligitur ex *Matth.* 4. *num.* 12. *Marc.* 1. *numero* 14. *Luc.* 4. *num.* 14. Et tunc in Galilæa Ieſus cœpit prædicare; quod intelligitur de prædicatione publica, vt exponunt ibi Rupertus, Albertus Magnus, S. Thomas, Carthuſianus, Beaulxames, & alij. Veruntamen apud Samaritanos videtur, quòd Dominus publicè prædicauerit, vt patet infrà à *n.* 41. vt *ibi* dicam; hoc tamen fuit obiter, & itinerando, vt obſeruat Barradas *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. §. *At dices.* Hoc poſito ad reſponſiones morales veniamus.

*Ratio litteralis.* *Chriſtus per communem viam incedebat.* Rupert. Albert. Mag. D. Thom. Carthuſ. Barradas.

41\. Reſpondeo primò. Vt dixi in fine ſuperioris quæſtionis *num.* 38. Abrahamus in illa ciuitate Sichem obtulit ſuum primum ſacrificium in Dei honorem; cùm autem Abrahamus honoraretur, ac haberetur à Samaritanis tanquam pater; ad aliquod reſpexit Samaritana num. 20. *Patres noſtri adorauerunt in monte hoc*, vt explicant Ammonius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Rupertus, Euthymius, Theophylactus. A loco veluti pigneratus eſt Dominus, vt itinerando oſtentaret ſuæ prædicationis beneficium. Nam ſi ibi Abrahamus primum ſuum obſequium, ſacrificando, in Dei honorem conſecrauit: ibi etiam Dominus inter primos ſuos vberes fructus voluit, multos patenter ad ſe attrahendo, ac conuertendo, donum ſuæ publicæ prædicationis aperire. Vide *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 30.

Ammonius. Chryſoſt. Auguſt. Rupert. Euthym. Theophyl. *Dominus ad benefaciendum, à loco ſæpe pigneratur.*

42\. Secundò. In Sichem, quod eſt idem ac Salem vt dixi, ex D. Hieronymo ſuprà *n.* 38. Melchiſedech obtulit panem, & vinum in typum corporis Chriſti; & fortaſſe in veteri Teſtamento tanti myſterij hæc eſt prima figura. Dominus Ieſus, veniens in hunc mundum, citiſſimè ad hunc locum pergit, vt illum ſua præſentia honoraret, ac ibi docendo, & prædicando effunderet ſuæ largitatis diuitias: maximè attrahitur Dominus à loco, vbi tantum eſt recolitum Sacramentum. Cùm Herodes illuſus eſſet à Magis, ac inuidia, odióque arderet, vt Ieſum occideret; apparet Angelus, & ait Ioſeph: *Accipe puerum, & fuge in Ægyptum*, Matth. 2. num. 13. Sed cur præcipitur abire in regionem, quæ omni ſcelere, ac nequitia ſcatebat, & maximè idolorum cultui erat addicta? In Ægypto extitit prima agni Paſchalis immolatio, *Exod.* 12. *num.* 3. in quo noſtrum Euchariſticum præcipuè eſt adumbratum Sacramentum; & Chriſtus Dominus ad eum honorandum locum, vbi tanti myſterij præceſſit figura, vbi primum natus, ſtatim tendit, vt ibi miſericordiæ ſuæ theſauros largiatur. D. Leo ſerm. 3. de Epiphan. *Ille, qui ſanguinem ſuum*, ait, *pro mundi redemptione fundendum in aliam differt ætatem, Ægypto ſe parentum miniſterio ſubuectus intulit, ne ſine illa regione pararetur ſingulare hoſtiæ Sacramentum, in qua primum, occiſione agni, ſalutiferum Paſcha Domini fuerat præformatum.*

Hieron. *Maximè trahitur Dominus ad locũ, quo Euchariſtia veneratur.* Matth. 2. D. Leo.

43\. Tertiò. D. Chryſoſtomus homil. 30. *Neque*, ait, *hiſtoriæ duntaxat gratiâ, prædij Iacob meminit Euangeliſta, ſed vt Iudæos iamdiu repulſos oſtenderet. Siquidem progenitorum temporibus pro ipſis ea loca illi occuparant: quæ enim eorum maiores, cùm ſua non eſſent, ceperant; ea hi ob deſidiam ſuam, & iniquitatem, iampridem poſſeſſa, amiſerunt.* Ita & nihil maiorum virtus confert, ſi nepotes degenerant. Similiter D. Bonauentura. Terra Sichem data eſt in promiſſione Abrahamo & empta à Iacob; immo in arcu, & gladio è manu Amorrhæi ablata, atque erepta, vt dixi *num.* 38. Magno myſterio Dominus ad hanc ciuitatem venit, & adeò diligenter Euangeliſta aduertit, agrum fuiſſe Iacob, datum Ioſeph: *Venit in ciuitatem Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo*; cùm tamen ad hiſtoriæ contextum hæc annotatio parum conducere videatur: ſed multum per omnem modum; & magno ſacramento hæc ſcribuntur, vt nequitia, ac pigritia Iudæorum ſuggilletur; quia illud, quod ſui maiores meritis, virtute, bellis, armis, ac pretio compararunt, illi ignauiter viuendo, ac deliciis, & peccatis indulgendo perdiderunt, & amiſerunt; ita vt ad alienigenas, quales reputabantur Samaritani, eorum hæreditas eſſet tranſlata, ab eiſque obtenta. Ait Ieremias 12. num. 9. *Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? nunquid auis tincta per totum? Contra eam venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum.* Conqueritur Dominus de Iſraël, quem ob ſuos parentes vocauit in hæreditatem ſuam; facta eſt *auis diſcolor* multiplici colore variata, à ſuis maioribus diſcrepans virtute, religione, ac meritis; & idolis ſeruiens, vt explicat D. Thomas, & facta eſt tincta per totum fuco mendacij, luxuriæ, ac vitiorum: ideo vtpote à ſuis maioribus diſcedens tradita eſt gentibus ad deuorandum.

Chryſoſt. Bonauent. *Nequitia, ac pigritia filiorum deperditur hæreditas à maioribus obtenta.* Ierem. 12. D. Thom.

44\. Quartò. Albertus Magnus. Venit Dominus in hanc ciuitatem Sichem, in qua Dina corrupta eſt, & magna interfectio, ac depopulatio facta fuit à Simeone, & Leui filiis Iacob, vt, vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia: & ſicut olim vna mulier, vt dixi ſuprà *num.* 38. extitit occaſio ruinæ totius ciuitatis Sichimæ; ita nunc vna mulier eſſet cauſa ſalutis, ac vitæ vniuerſæ

Albert. Mag. *Vbi abundauit delictum, regnet gratia.*



vniuerſæ ciuitatis ad Chriſtum conuerſæ. Moriens Iacob ait filio ſuo Ioſeph: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos*, Geneſ. 48. n. 22. Quæ pars, iuxta D. Ambroſium, & alios, vt dixi ſuprà, erat Sichema, in qua violata eſt Dina, *Geneſ.* 34. Sed quomodo prudentiſſimus ſenex dat caſtiſſimo filio in poſſeſſionem ciuitatem, in qua ſtuprum, & libidinoſa cupiditas floruerat? Magno conſilio hoc factum eſt, vt vbi dominata erat luxuria, ibi regnaret, ac triumpharet & caſtitas. S. Eucherius. *Hæredem ergo bonorum operum ſanctum Ioſeph præ cæteris elegit, cuius opera fratres æquare non poterant: ideo locum ſtupris, & flagitiis vacantem ad incolatum Sanctorum verbis cæleſtibus, & gladio capiens ſpirituali, vt vbi habitatores antea laſciuiæ, & principes luxuriæ verſabantur; vbi fuerant incentiua libidinis, & fomenta nequitiæ, ibi nunc ſancti Sacerdotes magiſteria doceant caſtitatis, & plurima virginalis integritatis exempla, quodam ſupernæ lucis fulgore reſplendeant.*

Geneſ. 48. Ambroſ. *Vbi dominata eſt luxuria, regnet caſtitas.* Eucher.

45\. Quintò. In illo prædio, ad quod venit Dominus in Sichimis, iacebant ſepulta oſſa Ioſeph, vt dixi ſuprà *n.* 38. Conuenientiſſimè Dominus húc viſitat locum, ibique mirabilem hanc mulieris, ac multorum ciuium operatur conuerſionem: nam ob Sanctorum reliquias in aliquo loco commorantes multa habitatoribus illius bona Dominus impertitur, & magnam ſæpe ob Sanctorum corpora miſericordiam illi conſequuntur, ac impetrant. Vide *lib.* 2. *c.* 1. *q.* 13. *n.* 63.

*Ob Sanctorũ reliquias habitatores multa bona conſequũtur.*

46\. Sextò. Cardinalis Hugo, *Hæc ciuitas*, ait, *dicitur Sichar, quæ interpretatur concluſio, quoniam Religio clauditur tanquam hortus Domini ſpecioſus, & delitioſus.* Cùm enim Sichar adumbraret Religionem, in qua maximè ſibi complacet Dominus, ideo ad illam tam citiſſimè venit. Et de Religione interpretatur Hugo illa verba Iſaïæ 51. n. 3. *Ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius, quaſi hortum Domini; gaudium; & lætitia inuenietur in ea.* In Religione gaudium, & voluptas Domini eſt, & ideo ad illam properanter conuolat Ieſus.

Hugo. Iſai. 51. *In Religione Dominus delectatur.*

47\. Dicebat ſponſa ad dilectum ſuum: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*, Cantic. 5. num. 1. Et tamen ad domum ſponſæ abſque alicuius rogatu Dominus venit, & deſcendit, ac ſtat ad oſtium pulſans: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea*, Cantic. 5. num. 2. Cur, vt veniat ad hortum, priùs inuitatur; tamen abſque alicuius poſtulatione ad domum ſponſæ deſcendit? Domus illa erat clauſa, vt aduertunt Aponius, Beda, Caſſiodorus, & communiter Expoſitores, vt bene colligitur ex textu; ac proinde ſignificabat Religioſorum clauſtrum. Et vbi fuit Religionis vmbra, ad illam Dominus ſe confert; nam ipſa Religio per ſe eum attrahit, & allicit. Vnde ait Lactantius Firmianus *lib.* 6. quòd in Religione delectatur Dominus; & ideo ad illam concitato curſu ſemper tendit. Ait ipſa anima ſancta Chriſto D. Cant. 2. n. 17. *Similis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bather.* Quod de Religione exponit Ghiſlerius *ibi expoſit.* 2. *num.* 12. Dicitur Religio mons, quia eſt valde excelſa, & ſupereminens; & appellatur mons Bather, quod diuiſionem ſonat; nam Religio eſt mons diuiſus, ac ſeiunctus à mundo; in eoque ſunt ſciſſuræ, antra, atque concauitates, vbi diſtinctas, ab inuicemque diuiſas Monachorum inſpicias cellulas. Septuaginta verò, Diuus Gregorius Nyſſenus *homilia* 6. legunt: *Super montes Bethel*, quod interpretatur domus Dei: quia Religio talis habitatio eſt. Et dum Dominus ſuper hos montes graditur, eoſque viſitat, ita properato curſu tendit, veluti hinnulus ceruorum, qui rapidiſſimo motu montes, & conualles ſupergreditur.

Cant. 5. Ibid. Aponius. Beda. Caſſiod. Lactant. Cant. 2. Ghiſlerius. *Domus religioſa ſeiuncta à mundo.* Septuag. Nyſſen.

*Ioannis* 4. *n.* 6. Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Hora erat quaſi ſexta.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Eratque ibi fons aquarum Iaakoub. Ipſe autem Ieſchua fatigatus erat ex labore itineris, ſedebatque ad fontem. Et erat hora ſexta. |
| *D. Aug. ſer.* 92. *de temp.* | In quo prædio erat fons Iacob. |
| *D. Chryſoſtom. hom.* 30. | Illic fons Iacob erat. |
| *D. Athan. diſp. contr. Arriũ.* | Ieſus, quum laſſus eſſet ex itinere, ſedebat. |
| *Ex Hebræo legitur.* | Prope fontem. |
| *Maldonat. ex Hebræo.* | Fatigatus ex itinere ſedebat, ita, aut propterea. |
| *Goticus. S. Auguſt. ſerm. de temp.* 92. | Sedebat ſuper puteum. |
| *Pagninus, Vatablus.* | Hora erat ferme ſexta. |

### *EXPOSITIO.*

48\. DESCRIBIT Euangeliſta locum, ad quem venit Dominus; eius fatigationem, cauſam, ſeſſionem, & horam. Quantum ad locum, ait: *Erat ibi fons Iacob.* In ipſo prædio, vt exprimit D. Aug. *citatus*, quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph; & ad quod venit Dominus, *Erat ibi fons Iacob*, valde celebris, vt aduertit Rupertus *lib.* 4. *in Ioan.* vel ob tantum Patriarcham, vel ob fontium penuriam. Valde veriſimile eſt, Iacob fodiſſe illum puteum ad aquandos ſuos greges, vt fecit Abraham, *Gen.* 21. *num.* 25. Iſaac, *Geneſ.* 26. *num.* 15. & 18. *Fatigatus ex itinere.* Deus, & homo erat; vt Deus infatigabilis erat, omnia portabat *verbo virtutis ſuæ.* Ipſe dixit, & facta ſunt. Fatigatus erat, vt homo, veram humanam naturam oſtendens, vt obſeruant Diuus Irenæus *lib.* 3. *cap.* 32. Diuus Auguſtinus, & alij, de quo infrà. Huius fatigationis cauſa extiterat iter, quod Dominus pedibus confecerat. *Sedebat*, vtpote laſſatus ex via, Ieremiæ 14. num. 8. *Quare quaſi colonus futurus*

Auguſt. Rupert. Irenæus. Auguſt. Ierem. 14.

*rus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum.*

49. *Sedebat ſic.* In illa particula *ſic*, multum variant interpretes. Diuus Chryſoſtomus *homil.* 30. Theophylactus, Euthymius ? *Sedebat ſic, non in ſella, non in loco honoratiori, ſed in terra.* Vel *ſic*, id eſt, prout contigit, & caſus dabat. Caietanus, Sedebat ſic, id eſt, eo modo, quo ſolent defatigati. Mariana, *Sic*, id eſt, vt locus, & tempus dabant. Quidam author grauis modernus ita explicat: Fatigatus ex itinere ſedebat ſic, ita fatigatus, vt nullo modo exprimi valeat. Ioan. 3. num. 16. *Sic Deus dilexit mundum*; ſic, id eſt, ita dilexit, vt non ſit poſſibile explicari. Ita citatus Author. Maldonatus ex Hebræo illam particulam *ſic*, legit *ita*, aut *propterea.* Pſalm. 60. num. 9. *Sic Pſalmum dicam nomini tuo.* Ita Pſalmum dicam: aut, Propterea Pſalmum dicam. Vt ſit ſenſus: Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat propterea: ſeu ſedebat ita, hoc eſt, quia fatigatus erat. Sed verba in propria ſignificatione accipienda ſunt. Et Euangeliſta ſcripſit in Græco; non eſt igitur recurrendum ad Hebraïcum. Meo iudicio, cum Alberto Magno explicanda eſt particula, *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic*, hoc eſt, ſedebat ſic fatigatus, & laſſus ad quieſcendum; hoc eſt, adhuc ſic fatigatus, vt erat; ſedebat, quando venit mulier. *Super fontem*, idem eſt, ac iuxta fontem. *Stans ſuper illam imperauit febri*, Luc. 4. num. 39. Illa particula *ſupra*, ſæpe idem eſt, ac iuxta. Caietanus verò ait: Supra fontem, hoc eſt, innixus fonti. Vel in germana ſignificatione poteſt accipi; ſedebat ſuper puteum, hoc eſt, ſuper pectorale putei. *Hora erat quaſi ſexta*, id eſt, meridiana, qua Solis calor eſt vehementior. Nam Iudæi in duodecim horas diem diuidebant. Et non dicitur hora ſexta, ſed quaſi ſexta, vt obſeruant Diuus Cyrillus, Sanctus Thomas, Euthymius, vt veritatis curam in minimis habere diſcamus.

Chryſoſt. Theoph. Euthym. Caietan. Mariana. Ioan. 3. Maldon. Pſalm. 60. Albert. Mag. Luc. 4. Caiet. Cyrill. D. Thom. Euthym.

## QVÆSTIO IX.

### *Quomodo dicatur fons, cùm poſtea puteus appelletur?*

50. BIs dicitur hîc fons: *Erat ibi fons:* iterum, *ſedebat ſupra fontem*; & tamen poſtea puteus appellatur. Ait mulier num. 11. *Puteus altus eſt*; & iterum num. 12. *Iacob dedit nobis puteum.* Si fons, quomodo puteus? Reſpondent, & litteraliter, Diuus Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* Ammonius, Euthymius, Albertus Magnus, Sanctus Thomas, Diuus Bonauentura, quòd ille dicitur fons, à quo ſcaturit aqua; cùm autem à puteo etiam emanet aqua, rectè dicitur fons, quanuis ſuffoſſus in terra. Rationes morales proſequamur.

Auguſt. Ammon. Euthym. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent.

51. Reſpondet primò Diuus Ambroſius *lib. de Iſaac, cap.* 26. vbi obiter explicat illa verba Cantic. 4. num. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum*; ait ſanctus Doctor. *Etenim ſi myſteriorum altitudinem proſequeris, puteus tibi videtur, tanquam in profundo ſita myſtica eſſet ſapientia: ſi verò haurire velis affluentiam charitatis, quæ maior, & vberior eſt, quàm fides, & ſpes, tunc tibi fons eſt; ne quid autem moueat, quod puteum, & fontem eundem dixit; etiam Euangelium te inſtruat, in quo ſcriptum eſt: venit Ieſus in ciuitatem Sichar, erat ibi fons Iacob, fatigatus ſedebat ſuper puteum: quia ibi Samaritana illa, id eſt, cuſtos (cuſtos autem cœleſtium præceptorum) hauſit de puteo illo diuina myſteria, cognoſcens, quia Deus ſpiritus eſt, & non in loco adoratur, ſed in ſpiritu: & quia Meſſias venit, qui eſt Chriſtus.* Itaque dicitur puteus altus ob altitudinem myſteriorum; fons verò quia, illi, qui charitate ignita accedunt, faciliter, & promptè ipſa diuina myſteria deguſtant. Et quia ipſa mulier Samaritana iam diuina charitate vulnerata, ac diuinorum præceptorum cuſtos, vt nomen Samaritani defert, ad puteum adſtabat, iam diuina myſteria potauit, & agnouit Deum, eſſe ſpiritum, & in ſpiritu adorari, ac Meſſiam Chriſtum omnium Saluatorem iam veniſſe, & adeſſe.

Ambroſ. Cant. 4.

*Myſteria diuina profunda, qui charitate accedit, facile deguſtat.*

52. Secundò D. Auguſtinus ſerm. 92. de tempore: *Sedit Dominus*, ait, *ſuper puteum, vt non in altitudine quæramus aquam, ſed de eo fonte, qui ſupra omnes aquas eſt, ſalutaria nobis pocula hauriamus.* Quando mulier è ciuitate venerat ad hauriendam aquam, puteus appellatur. *Puteus altus eſt*, vnde amatores mundi, ac ſæculi huius filij cum magno labore, ac ſudore ſuarum delectationum, ac appetituum aquam extrahunt. At vbi Chriſtus Dominus acceſſit, ſtatim commutauit puteum in fontem ſalientem in vitam æternam, vbi omni ſuauitate, ac dulcedine omnia à ſuis fidelibus bona deguſtantur: *Vt non in altitudine quæramus aquam, ſed eo fonte ſalutaria nobis pocula hauriamus.* Iuſti in Chriſto dulcedines cunctas inueniunt; è contra verò peccatores in mundo omni affliguntur preſſura. Sap. 5. n. 7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viam Domini ignoramus.* Si enim viam Domini agnoſcerent, omni ſuauitate, ac facilitate per viam huius ſæculi degerent ad patriam.

Auguſt.

*Mundani in ſuis delectationibus multos labores; fideles in Chriſto magnas ſuauitates experiuntur.*

Sap. 5.

53. Tertiò Euſebius Emiſſenus *homilia in feria 6. poſt 3. Domin. Quadrageſ.* ita ait: *Fons iſte, profunda Patriarcharum fides, & doctrina eſſe videtur. Vnde non ſolùm fons, ſed puteus vocatur: fons quidem propter viuam aquam; puteus verò propter profunditatem. Valde enim profunda eſt legis, & Prophetarum ſcientia.* Huiuſmodi aqua noſtram fidem, ac ſcientiam, & cognitionem Prophetarum deſignat; reconditur autem in puteo, & fonte. In puteo, propter profunditatem myſteriorum fidei, & propter arcana abſcondita Scripturæ ſacræ; nam puteus etiam ſignificat ſacram Scripturam, eiuſque ſcientiam, vt explicat Sanctus Maximus Confeſſor *centuria 2. cap. 29. tom. 2. Biblioth.* In fonte verò, quia credentibus ex corde, ac perfecto ſtudio Scripturæ incumbentibus aqua viua, & ſalutaris magna periucunditate datur, & communicatur.

Euſeb Emiſ.

*Myſteria Scripturæ, quamuis abſcondita, credentibus cõmunicantur.*

54. Quartò Hieronymus Lauretus *in Allegoriis, verb. fons, & puteus*, ait: *Puteus profundus, & obſcurus, ſuper quem ſedebat Dominus Chriſtus, profunditatem, ac obſcuritatem humanæ miſeriæ, quam Chriſtus aſſumpſit, ſignificare poteſt. Fons verò ſignificat abundantiam gratiæ, ac claritatem doctrinæ, quam nobis largitur.* Ioël. 3. num. 18. *Fons de domo Dauid egreditur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Symmachus legit, *vallem ſpinarum.* Talis erat humana natura circundata multis aculeis ſpinarum, hoc eſt, multis miſeriis, calamitatibus, vitiis, & peccatis: at vbi Chriſtus aduenit, totum

Lauret.

*Chriſtus humanam miſeriam ſibi aſſumpſit, & ſuam nobis gratiam dat.*

Ioël. 3.

Symmach.



totum irrigauit ſua diuina gratia, vt iam non ſpinas, ſed generos flores produceret. Diuus Hieronymus, *Egredietur fons*, ait, *vt ſpinas noſtras, & vitia, atque peccata, quæ nullam frugem habuere iuſtitiæ, commutet in Domini noualia, & ariditatem noſtram riget aquis largiſſimis, & pro ſpinis, ac vepribus flores virtutum multiplices germinemus.*

Hieron.

55. Quintò. Diuinus Euangeliſta geſta Chriſti deſcribens, & enarrans, quomodò Dominus ad locum aquarum veniſſet, ſemper fontem appellat: *Venit Ieſus in ciuitatem Sichar, erat ibi fons Iacob*; & iterum: *Sedebat ſupra fontem.* At mulier Samaritana ſemper puteum vocat: *Puteus altus eſt: Iacob dedit nobis puteum*, infrà *num.* 11. & 12. Dona enim, quæ iuxta Chriſtum emanant, ſunt veluti fons, quæ promptè, ac facilè omnibus communicantur, ac omnium prata irrigant. At verò bona, dum conſiſtunt propè mulierem Samaritanam, tanquam puteus ſe habent, quæ magno cum labore conſequuntur, ac obtinentur.

*Dona Chriſti ſuauiter dãtur, bona verò mundi cum labore.*

56. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum*, Geneſ. 2. num. 10. At verò in Ægypto etiam erant aquæ, ſed in puteo, ad quem filiæ Sacerdotis Madian *venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui; ſuperuenerunt paſtores, & eiecerunt eas*, Exod. 2. num. 16. Quid huiuſmodi aquæ ſignificant? Vt vult Rupertus *lib. 2. de Trinitate, cap.* 29. Fluuius paradiſi diuina bona, quæ per omnium prata defluunt, ac ſtagnantur, vt omnis terra in ſuaues fructus dulceſcat. Quid verò puteus Ægypti, niſi mundialia bona innuit, cuius aqua magno ſudore, ac brachiorum nixu hauritur: & tamen ſuperuenientibus aliis impedimur, ne ea frui, ac potiri valeamus.

Geneſ. 2. Exod. 2. Rupert.

*Poſt labores mundus ſuis bonis nos frui non ſinit.*

57. Perpende, quæſo, & videbis, ſacrum textum nobis explicare, quòd Ægyptiorum plagæ illatæ ſunt virga, vel manu Moyſis. Virga aquæ conuertuntur in ſanguinem, *Exod. 7. num.* 20. Extendens Moyſes manus ſuper riuos, & paludes, eductæ ſunt ranæ, *Exod. 8. num.* 5. Extenſa virga facti ſunt ſciniphes, *ibidem num.* 17. Per manum Moyſis facta eſt peſtis in iumentis. *Exod. 9. num.* 3. Et grando in omni terra Ægypti ſuper iumenta, homines, & omnem herbam, *ibidem num.* 22. & ſimiliter de cæteris. Tamen de muſcarum plaga (quanuis veriſſimum ſit, quòd facta fuerit manu Moyſis, & quòd Deus ſua diuina virtute fecerit mirabile inter Ægyptios, & Hebræos, vt in hos nulla eſſet muſca) ſacer textus in hac percuſſione, nec manum Moyſis, nec virgam explicat; ſed ait: *Venit muſca grauiſſima in domos Pharaonis, & ſeruorum eius, & in omnem terram Ægypti: corruptaque eſt terra ab huiuſmodi muſcis*, Exod. 8. num. 24. Moraliter, ac ad noſtram eruditionem ita dicam. Erat huiuſmodi muſca in Ægypto. Muſca laborem, & afflictionem dicit; & vt preſſura, ac ærumna in Ægyptum, ac mundum veniat, nullius manus exigitur, ſed ipſa per ſe conuolat, ac ſuperuolitat: *Venit muſca in omnem terram Ægypti*; in mundo enim omnia ſunt dolore, ac perturbatione plena. In Deo omnia cumulata ſuauitate, ac requie. Diuus Gregorius Magnus *lib. 18. Moral. cap.* 28. *Quid in hac vita*, ait, *laborioſius, quàm terrenis deſideriis æſtuare? aut quid quietius, quàm huius ſæculi nihil appetere? hinc eſt, quòd Iſraëliticus populus cuſtodiam Sabbathi accepit in munere: hinc è contra eſt Ægyptus muſcarum multitudine percuſſa; populus namque, qui Deum ſequitur, accepit Sabbathum, id eſt, requiem mentis, vt nullo in hac vita deſideriorum appetitu fatigetur: Ægyptus verò, quæ huius mundi ſpeciem tenet, muſcis percutitur; muſca enim nimis inſolens, & inquietum animal eſt, in qua quid aliud, quàm inſolentes curæ deſideriorum carnalium deſignantur?*

Exod. 8.

*Mala, ac preſſura in homines ſæculi huius veniunt ſine manu vllius.*

Greg. Magn.



## QVÆSTIO X.

### *Quare Dominus ad conuertendam mulierem venit ad fontem?*

58. TACITE Euangeliſta innuit rationem litteralem, cur Dominus venerit ad fontem. Erat enim hora ſexta, hoc eſt, meridiana: & fatigatus ex itinere, & ſedebat: fatigatio autem ſecum ſitim affert. Tamen rationes morales huius rei delibandæ ſunt in noſtram eruditionem.

59. Primò Albertus Magnus ait: Fons iſte ſignificat quadruplicem fontem, fundentem aquam munditiæ, ſapientiæ, gratiæ, & vitæ æternæ. Sic fons paradiſi diuiditur in quatuor capita, *Geneſ. 2. n.* 11. De aqua munditiæ dicitur Zachar. 13. num. 1. *Erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ieruſalem in ablutionem peccatoribus, & menſtruæ.* Eſt enim huiuſmodi aqua in dilutionem peccati actualis per contritionem, & originalis per Baptiſmum. De aqua ſapientiæ dicitur Eccleſiaſtic. 15. num. 3 *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Et hæc funditur de fonte doctrinæ, qua Dominus hîc docuit, & illuminauit Samaritanam. De aqua gratiæ dicitur Ioan. 7. num. 38. *Qui credit in me; ſicut dicit Scriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Huiuſmodi fons eſt Chriſtus Dominus, qui gratiam ſuam dedit huic mulieri, vt eum agnoſceret. De aqua vitæ æternæ dicitur Apocal. 7. num. 17. *Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Talis fons eſt agnus Chriſtus Dominus, qui mulieri credenti largitus eſt vitam æternam.

Albert. Mag.

*Fons iſte quatuor fontes ſignificat.*

Zach. 13. Eccleſ. 15. Ioan. 7. Apoc. 7.

60. Secundò Diuus Bernardus ſermone de Natiuitate Domini: *Aquarum vſus*, ait, *eſt irrigatio, quam profectò maximè neceſſariam habent nouellæ plantationes; alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt ex ſiccitate. Quærat ergo deuotionis aquas, quiſquis ſemina uerit bonorum operum ſemina, vt irrigatus fonte gratiæ, bonæ conuerſationis hortus non areſcat, ſed in perpetua viriditate proficiat.* Venit Dominus ad aquam, & ad fontem, vt hanc nouellam mulieris plantationem, quam in horto ſuo diſponebat, cœleſti gratiæ aqua recrearet, ac foueret, ne ſiccitate areſceret. Teneræ virgutulæ, ac naſcentia germina benignè alenda ſunt, ne pereant; at cùm adulta ſunt, temporum iniurias facile vincunt. Vnde qui recenter ad pœnitentiam veniunt, leniter ſunt tractandi, ne aſperitate deterriti à via ſalutis retrocedant. Vide *lib. 2. cap. 4. num.* 50.

Bernard.

*Recẽter conuerſus, non rigidè tractandus, ſed benignè fouendus.*

61. Tertiò Tertullianus lib. de Baptiſmo, cap. 9. *Nunquam ſine aqua Chriſtus. Prima rudimenta poteſta*

Tertuil.

*poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur; cùm ſermonem facit, ſitientes ad aquam ſuam inuitat ſempiternam*, Ioan. 7. *Cum de agape docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat.* Matth. 10. *Ad puteum vires reſumit.* Nunquam Chriſtus ſine aqua. Venit Dominus ad fontem, vt mulier Samaritana illuc veniens vocetur, atque à peccatis conuertatur. Nunquam homo à peccatis expeditur, ad gratiamque peruenit, niſi per fontem lachrymarum, ac per aquam cœleſtis roris pœnitentiæ, quibus abluitur, vt totus mundus ſit: *Aſperges me Domine, hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*, Pſalm. 50. num. 9. Simon Caſſianus lib. 11. cap. 1. *Chriſtus*, ait, *fons aquæ viuæ, venit ad fontem commutaturus aquas mortuas in aquas viuas, ad quas omnes ſitientes iam per Prophetam inuitauerat*, Iſai. 55. num. 7.

*Per aquas pœnitentiæ lauatur homo.* — Pſalm 50. — Caſſian.

62\. Quartò. Lyranus: *Hìc ponitur opportunitas docendi ex acceſſu, quia acceſſit ad locum delectabilem, & quietum, & doctrinæ aptum; tum propter amœnitatem loci; tum propter fontis, ibidem exiſtentis, proprietatem, quæ ſignat doctrinam Chriſti, & gratiam, ſecundùm quod dicitur* Iſai. 12. num. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Venit Dominus ad fontem, ad locum periucundum, atque quietum, vt ibi mulieri cœleſtia arcana aperiat, eamque in ſalutaribus monitis inſtruat. Locus enim ad doctrinam capeſſendam proportionatus, ab hominum perturbatione ſemotus, ac per ſe delectabilis eſſe debet; quia tunc ſenſus acutiores redduntur; nam triſtitia, & anxietate maximè deprimuntur. Et ideo Iſaïas, ad aquas ſalutares potandas, inuitat ad fontem in gaudio. Ad prophetizandum in choro canentium inuenitur Saül 1. *Regum* 10. *num.* 5. Et ita ait Deus per Oſeam 2. num. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Diuus Hieronymus ibi: *Ducam eam à malis.* Et conſequenter transferam ad bona, & inde loquar ad cor eius.

Lyran. — Iſai. 12. — *Ad docēdum requiritur iucunditas, & delectabilitis.* — Oſeæ 2. — Hieron.

63\. Quintò. Congruenter Dominus ad conuertendam mulierem, ad fontem accedit. Nam olim Iacob ad fontem, viſam Rachel dilexit, *Geneſ.* 29. *n.* 10. Ad aquas coniugium Iſaac cum Rebecca Eleazaris ope initiatur, *Geneſ.* 24. *n.* 14. Moyſes ad aquas in Ægypto accipit in vxorem Sephoram filiam Sacerdotis Madianitæ, *Exod.* 2. *n.* 16. Dauid, dum Bethſabeam vidit aquis ſe lauantem, eam in vxorem ſuam adſciuit, 2. *Regum* 11. *n.* 4. Chriſtus Dominus etiam Samaritanam ad aquas conuertit, eamque ſibi in ſponſam ſuam copulauit, vt mulier in aquis pœnitentiæ abluta, digna ſponſalitiis Chriſti efficeretur. Tum etiam vt Dominus antiquam Patrum obſeruaret conſuetudinem, ac ab ea non diſcreparet, qui ſponſas ad aquas accipiebant. Vide *lib.* 1. *c.* 7. *num.* 6. *& lib.* 2. *n.* 94. *& c.* 10. *n.* 16.

*Antiqua cōſuetudo obſeruanda.*

64\. Sextò. Venit Ieſus ad fontem, vt ibi mulierem ad pœnitentiam trahat, ac vt ipſa à ſuorum peccatorum laqueis, atque compedibus Chriſti doctrina liberaretur. Eſt enim aquarum natura, vt accedentium ad ſe imagines exprimant, ac veluti cryſtallinum ſpeculum ante oculos obiiciant. Venit Ieſus verus fons ad fontem aquarum, vt Chriſti ſplendore naturales aquæ maiorem claritatem, ac pelluciditatem accipiant, vt ibi mulier ſe totamque ſuæ vitæ ſeriem agnoſcat, & videat. Dixit ei Chriſtus: *Bene dixiſti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir*, Ioan. 4. num. 17. Et ita ipſa dixit: *Videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Veniat mulier ad fontem aquarum, vt in cryſtallinis lymphis ſua antea facta intueatur. Nil efficacius, vt homo in vita melioretur, reformetur in moribus, & à peccatis reſipiſcat, quàm dum ſe, ſuaque geſta videt, conſiderat, ac ante oculos ponit.

Ioan. 4. — *Dum peccator ſe videt, & agnoſcit, reformatur.*

65\. Cum filij Iacob deſcenderent in Ægyptum ad emendos cibos, ac coram Ioſeph adſtarent, ipſe eos cognouit, & *quaſi ad alienos durius loquebatur, & ait ad eos: Exploratores eſtis*, Geneſ. 42. n. 9. Sed quomodo Ioſeph, qui tenera viſcera habebat in omnes, & potiore iure in fratres, tam rigidum ſe exhibet ad eos? Num forſitan in hoc aliqua vindictæ ſcintilla relucebat, vt pro vlciſcenda venditione eos aſperè tractaret? Minimè, ſed hoc ex ardenti charitate proueniebat, vt ipſi in hac amaritudine conſtituti leuarent oculos ad peccata ſua, & ſcelera, quæ in venditione fratris commiſere. Et ita ipſi locuti ſunt ad inuicem: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius*, ibidem num. 21. Feruidus amore Ioſeph duriuſculè, ac acerbè fatur, vt eos in hanc cognitionem impellat, vt ita ſuorum facinorum cognitione compuncti doleant, & reſipiſcant. Rupertus ibi: *Iuſtitiæ perfectio*, inquit, *& idoneæ ſeueritatis fuit, quòd peccatores tandiu flagellat Ioſeph, & corripit ſuorum verborum ſtimulis, clauiſque acutis tandem configit, donec peccatum ſuum agnoſcant, & dicant: Meritò hæc patimur*, &c.

Gen. 42. — *Deducatur homo ad ſui cognitionem delictorum, vt emendetur.* — Rupert.

66\. Egreſſi filij Iſraël de Ægypto, cùm appropinquarent ad mare rubrum, reuertentes oculos, *Viderunt poſt ſe Ægyptios, & timuerunt valde*, Exod. 14. n. 10. Valde mirum, quòd Iſraëlitæ tantis diuinis fauoribus muniti, & cum eis adeſſet columna nubis, per diem oſtendens iter, per noctem luceſcens, adhuc timeant, & paueſcant; ſi Deus tantis documentis ſe benignum exhibet, quid adhuc trepidat populus? Sine dubio à luce columnæ hoc proueniebat. Nam dum Hebræi reſpiciunt ad Ægyptios, oculos coniiciunt ad ſuam præteritam vitam, in ipſiſque Ægyptiis ſua antiqua delicta, ac facinora intuentur, vt hac cognitione commoti ſuas culpas deplorantes ad Deum vehementiùs pro auxilio inclamarent. Rabbanus Maurus, *Tunc leuantes*, ait, *filij Iſraël oculos ſuos viderunt Ægyptios poſt ſe, quando auditores Euangelij præcedentis columnæ iam illuminatos oculos cordis habentes reſpiciunt præteritos errores, in quibus fuerunt, & conferentes veritati, quam nouo nuntio audierunt, valde admirati ſunt, commoti ſunt, timor apprehendit eos; verùm ibi dolores parturientis, id eſt, non vani, ſed fructum afferentes gaudij ſempiterni.* Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 76.

Exod. 14. — *Dum homo ſe cognoſcit, emendatur.* — Rabban.

---

## Quæstio XI.

### *Quare meus Ieſus oſtendatur fatigatus?*

67\. Ratio litteralis huius rei eſt: quia Dominus pedes incederat, ac proinde, vt homo fatigabatur longum iter deambulando. Ita Euthymius, Theophylactus, qui ait: *Non*

*Ratio litteralis.* — Euthym. — Theophyl.



*Non enim iumentis vtebatur ad iter, ſed pedes ibat, inſtruens etiam nos, non multis opus habere. Inſuper dicit, ipſum incedere ſtrenuè, & non ignauiter. Ex quo diſcimus & nos, vt cum conſtantia, & diligentia faciamus opus Dei.* In quo manifeſtabatur humilitas, charitas, ac conſtantia Domini: nam vt humilis iter pedibus, non equo conficiebat, vt charitate feruidus, ſtrenuè, & non ignauiter ambulabat ad vocandam mulierem, & vt conſtans in ſuis operibus, nec fatigatione, nec labore ab itinere incepto deſiſtebat. Albertus Magnus eandem rationem tradens cum Theophylacto ait: *Fatigatus ex itinere; non enim vectura vtebatur, ſed pedibus incedebat, ne grauis eſſet his, ad quos declinabat.* Ac ſi dicat, quòd multi per vias in domibus ſuis Chriſtum recipiebant; ne ergo huiuſmodi equitatu grauarentur hoſpitio, Dominus pedeſter per itinera pergebat.

*Domini humilitas, charitas, ac ſubſtantia.* — Albert. Mag. — *Hoſpites non ſunt grauandi.*

68\. Secundò. D. Chryſoſtomus *homil.* 30. Diuus Auguſtinus *tractat.* 15. *in Ioan.* Diuus Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 78. Diuus Irenæus *lib.* 3. *cap.* 32. Euſebius Emiſſenus *homil. in feria* 6. *poſt* 3. *Dominic. Quadrag.* Diuus Thomas, Diuus Bonauentura. Fatigatur Ieſus ambulans ſuper terram, vt ſe verum hominem demonſtraret; nam vt verus Deus ambulans ſuper mare, ac ſuper pennas ventorum, & totam mundi machinam pugillo continens, non fatigatur. Tamen dum conuerſatus eſt nobiſcum, ſe verum hominem comprobauit, noſtras infirmitates, ac miſerias ſuſtinens, per omnia nobis ſimilis, vt nobis dolentibus, ac laborantibus compaſſus eſſet. Ad Hebr. 4. num. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Ad Hebr. 2. num. 17. *Debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Vide ſuprà *c.* 3. *num.* 175.

Chryſoſt. — Auguſt. — Cyril. — Irenæus. — Euſeb. — D. Thom. — Bonauent. — *Ieſus fatigatur vt homo, vt fatigantibus ſubueniat.* — Hebr. 4. — Hebr. 2.

69\. Tertiò. Euſebius Gallicanus citatus: *Ieſus fatigatus ſedebat ſuper puteum. Qui ergo ſunt fatigati, & requieſcere volunt, veniant ad puteum, veniant ad Scripturas Prophetarum; ibi inuenient Ieſum, ibi eum dicentem audient: Venite ad me, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ideo enim Ieſus ſuper puteum fatigatus quieuit, vt nobis, vbi quietem quæramus, oſtenderet.* Chriſtus Dominus oppreſſos, ac oneratos ad refectionem, ac requiem vocans, ad puteum fatigatus venit. (*Puteus*, vt ſuprà dixi, ob profunditatem ſacram Scripturam ſignificat,) vt nos doceret bonus Magiſter, quòd ſi laboribus, ac calamitatibus ingruentibus vexati, ac fatigati ſumus: ad ſacram Scripturam, ad documenta Prophetarum, ac exempla ſanctorum Patrum leuemus oculos, ac confugiamus; nam ibi conſolationem inueniemus, ac requiem. Sic Mathathias moriens maiorum ſuorum exemplo aduersùs Regis Antiochi tyrannidem filios communiuit. 1. Mach. 2. n. 50. *Mementote eperum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis.* Et ſtatim illuſtria facta commemorat.

Euſeb. — *Fatigati, ac laborati ad Scripturam oculos coniiciant, & ibi conſolationē inuenient.* — 1. Mach. 2.

70\. Quartò. Diuus Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 20. *Chriſtus*, ait, *non ad locum, ſed ad puteum ſedere conſueuit. Ibi eum Samaritana illa, quæ credidit, illa, quæ aquam haurire cupiebat, inuenit. Quamuis manè venire debueris, tamen etiamſi ſeriùs veneris, etiam ſexta hora Ieſum fatigatum inuenies; fatigatus eſt, ſed in te, quia diu te quæſiuit; tua illum tandiu incredulitas fatigauit.* Similiter Simon Caſſianus lib. 11. cap. 1. *Inquiſitiuus amor eius fatigarat mentem, & corpus eius, velut conſueuit fatigare quærentes, donec inueniretur quæſitum. Nondum Ieſus inuenerat hominem, quem quærebat.* Tota die iter fecerat Ieſus; & tamen modò hora ſexta dicitur fatigatus; quia cùm mulier primò manè ad Saluatorem ſuum venire deberet, adhuc hora meridiana non venerat, nec Ieſus inuenerat eam; ideo fatigatus erat, quia ouem quæſitam non inueniebat, & ouis ipſa moroſè adhuc reluctabatur accedere: qualibet enim mora, & tarditate noſtra Ieſus valde fatigatur, magnaque moleſtia afficitur.

Ambroſ. — Caſſian. — *Tarditas, ac mora hominis ad Chriſtum grauis ei, ac valde moleſta.*



71\. Quintò. Diuus Auguſtinus tract. 15. in Ioannem: *Ieſus*, ait, *fatigatur, & ab itinere fatigatur. Inuenimus virtutem Ieſu, fortem, & infirmum: fortem, quia, In principio erat Verbum. Vis videre, quàm iſte filius Dei fortis ſit? Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quid ergo fortius, per quem ſine labore facta ſunt omnia? Infirmum vis noſſe? Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Fortitudo Chriſti creauit, infirmitas Chriſti recreauit: fortitudo Chriſti fecit, vt quod non erat, eſſet; infirmitas Chriſti fecit, vt, quod erat, non periret.* Veniebat Dominus ad fontem ad expugnandum, expellendumque à muliere antiquum hoſtem; & tamen defatigatum ſe exhibet. Sed cur fatigatus? Quando aliquis procedit ad bella, vires reſumit, corpus corroborat, laſſitudinem, ac defatigationem deuitat. At meus Ieſus, dum ad hoſtem proſternendum, ac deturbandum, ad victoriamque conſequendam properat, fatigatio, ac infirmitas aſſumitur ab eo: quia tota victoria, ac fortitudo Chriſtiana ab oppreſſione, ac moleſtia procedit; quando enim Chriſtianus animus anxiatur, ac multis calamitatibus vexatur, tunc animum concipiat, quòdglorioſa præſtabit, & collapſa reſtaurabit. *Infirmitas Chriſti fecit, vt quod erat, non periret.*

Auguſt. — *Tota Chriſti ſua fortitudo à labore, ac preſſura.*

72\. Sextò. Idem D. Auguſtinus ſermone 92. de tempore: *Vide diuerſitatem myſterij: Inter Apoſtolos exultabat in ſpiritu*, Matth. 11. num. 27. *In monte poſitus, non ſolùm confortabat eos, verùm etiam gloriam in his propriam demonſtrabat.* Matth. 17. num. 2. *In Samaria conſtitutus, fatigatus ex itinere ſedebat ſuper puteum. Nunquid Dei virtus poterat fatigari? Non vtique: ſed fatigabatur, quòd fidelem populum inuenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Chriſtus, quando nullam virtutem in ſuo populo recognoſcit; hodieque fatigat eum inobedientia noſtra, fatigat eum infirmitas noſtra.* Inter ſuos Apoſtolos Dominus lætabatur in ſpiritu, ac gratias dabat Patri; & inter ſuos conſtitutus in monte glorioſus apparebat; at verò apud Samariam ſudat, ac fatigatur. Cum ſuis fidelibus Dominus exultat, ac magna lætitia perfunditur; tamen apud infidelem populum fatigatur, moleſtias patitur, ac preſſuram ſuſtinet? nam ſicut cum ſuis diſcipulis eorum obedientia, fortitudine, ac conſtantia lætatur, & exultat; ita cum infidelibus, eorum proteruia, ac inobedientia anxiatur, dolet, & affligitur: *Fatigat eum inobedientia noſtra, fatigat eum infirmitas noſtra.*

Auguſt. — Matth. 11. — Matth. 17. — *Chriſtus cum ſuorum obedientia lætatur; cum infidelium inobedientia affligitur.*

73\. Septimò D. Thom. In Chriſto Domino fatigato ex itinere datur nobis exemplum non refugiendi laborem propter ſalutem aliorum. Pſal. 87. num. 16. *Pauper ſum ego in laboribus à iuuentute mea.* Hoc exemplo inſtruuntur Eccleſiarum

D. Thom. — Pſalm. 87.

*Prælatus nullo parcat labori pro ſuorum vtilitate.* Genеſ.31.

Prælati, ac paſtores pro animarũ præda capienda vſque ad ſudores laborare, ac defatigari, itavt nullo incommodo parcant, dummodo ſuorum ſaluti conſulant. Sic dicebat Iacob Laban auunculo ſuo Geneſ. 31. num. 39. *Arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi: ego damnum omne reddebam; die, noctúque æſtu vrebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Et Paulus, non glorianter, ſed formam veri Prælati præſcribens dicebat 1. Cor. 15. num. 10. *Abundantius illis omnibus laboraui.* Vide *lib. 1. cap. 7. num. 38. & lib. 2. c. 1. num. 82.*

74. Rupert. Octauò. Rupertus lib. 4. in Ioan. *Nam quomodo*, ait, *in fonte ſubiecto relucet Solis imago, ſic iſta Domini Ieſu fatigatio fatigationem alteram ſpectat, quam ipſe in arcano diuinitatis ſuæ meditabatur Concilio. Quàm ergo fatigationem ſui meditabatur? Ieſus ipſe ex itinere humanitatis ſuæ vera paſſione, veris doloribus, & ſua morte erat fatigandus.* In hoc itinere Dominus laſſatus eſt, in quo adumbrabatur, quomodo Dominus in via ſuæ humanitatis, ac huius ſæculi fatigandus erat quadrupliciter. Primò ſua morte, ac magnis ſuæ paſſionis doloribus, itavt vocaretur vir dolorum, *Iſai. 53. num. 3.* Deinde fatigandus erat (ait Cardinalis Hugo) onere, clamore, & itinere. Onere peccatorum portando peccata noſtra, & expectando peccatores, vt Samaritanam expectauit, Iſai. 1. num. 14. *Laboraui ſuſtinens.* Iſai. 46. num. 3. *Audite domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua; vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſeruabo.* Tertiò fatigatur clamore, nos vocando. *Laboraui clamans, & raucæ factæ ſunt fauces meæ*, Pſalm. 68. num. 4. *Vocaui, & renuiſtis: extendi manum mem, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum*, Prouerb. 1. num. 24. Quartò fatigatur ex itinere, quia multas, & longas vias vadit, vt nos inueniat, & quærat. Aliquos enim vocat per opera miſericordiæ, & amoris; alios per viam iuſtitiæ. & timoris. Pſalm. 24. num. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.*

*Chriſtus in via huius ſæculi pro nobis multipliciter fatigatur.*

Iſai. 1. Iſai. 46. Pſalm. 68. Prouerb. 1. Pſalm 24.

75. Bonauent. August. Nono, Diuus Bonauentura, *Ieſus fatigatus*, ait, *oſtenſio fuit, quòd infirmitas ſua aſſumpta, fuit noſtra fortitudo; & fecit nos fortes, prout ait Auguſtinus* tractat. 25. in Ioan. *bene dicens quòd nutrit infirmus infirmos, infirmitas ſua nos fecit fortes.* Fatigatur meus Ieſus, vt nos fortes reddamur ad requiem; nam eius laſſitudo nos vacuos à labore conſtituit, vt dixi ex Euſebio in tertia ratione. Infirmitas fortes; & crux, ac ærumnæ oppreſſio felices, ac bonorum poſſeſſores omni quiete, & indulgentia nos firmat. Bonus paſtor ouem deperditam *cùm inuenerit, eam imponit in humeros ſuos, & gaudens venit in domum*, &c. Luc. 15. num. 5. Inuenit ſolicitus paſtor ouem errantem; cur non ad paſtum, vel ad aquas ducit? Cur non trahit ad gregem baculo, vel manu? Sed in humeros ponit? In humeris fulgent ſigna paſſionis Chriſti Domini ſuper humeros. *factus eſt principatus eius*, Iſai. 9. num. 6. *Super dorſum eius fabricauerunt peccatores*, Pſalm. 128. num. 3. Et non poterat ouis requieſcere, nec recreari, niſi à preſſura Crucis, & paſſionis Chriſti Domini. Diuus Ambroſius *ſerm. 22. in Pſalm. 118.* ſtatim in principio. *Denique inuentam paſtor*, ait, *ouem humeris imponit ſuis. Agnoſcis vtique myſterium, quomodo ouis laſſa reficiatur, quia non poteſt aliter humana conditio laſſa recreari, niſi ſacramento dominicæ paſſionis, & ſanguinis Ieſu Chriſti: cuius principatus ſuper humeros eius.*

Luc. 15. Iſai. 9. Pſal. 128.

*A Chriſti paſſione requies, & recreatione noſtra.* Ambroſ.

Decimò. Non dicitur Ieſus fatigatus, dum iter faciebat, non dum æſtus, ac calores Solis ſupportabat; ſed quando ſedebat ſuper puteum. Puteus ob ſuam obſcuritatem, ac profunditatem mundi bona denotat, vt patet ex his, quæ dixi *quæſt. 9.* Et in hoc ſenſu myſticè ſumuntur putei bituminis, apud quos conuenerunt Reges Sodomorum *Geneſ. 14. num. 10. Apocal. 9. num. 2. & Prouerb. 23. num. 27.* Moraliter dicam. Ieſus, dum ſedet ad puteum, hoc eſt, ad vmbram rerum temporalium, fatigatus ſedet. In documentum noſtrum; ſi enim homo poſt huius ſæculi vias, quibus maximè laborat ad bona comparanda, in puteo ſignificata, vidit in eis ſedere, otióque vacare, non requiem, ſed fatigationem, ac laborem, quo maximè premitur, ibi inuenit, ac reperit; & in ipſa ſuper res temporales ſeſſione homo moleſtatur, ac affligitur. Diues ille, *cuius ager attulit vberes fructus, cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Luc. 12. num. 17. Diuus Ambroſius ſerm. 18. *Anguſtiatur hic*, ait, *ex abundantia, conſtringitur, & coarctatur ex opulentia; infelix in præſentibus bonis, infelicior in futuris. Et, vt video, ager ei, non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores.* 76.

*Homo fatigationem inuenit, dũ ſuper res huius ſæculi requieſcere cupit.*

Luc. 12. Ambroſ.

Bonus ille Centurio accedit ad Dominum, omnium opificem, & ait: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, Matth. 8. num. 6. Eleganter Diuus Chryſologus *ſerm. 15.* pungit hominis tarditatem. *Quomodo*, ait, *hic Centurio, qui ſi agnoſcit Dominum, puerum ſuum auſus eſt profiteri, quaſi neſciens, ſerui peculium ad Dominum pertinere? An ignorat communia, qui docet tam ſecreta, tam profunda?* Si Centurio oculis fidei illuſtratus alta myſteria penetrauit, Chriſtum eſſe omnium Dominum, cur non ait: Seruus tuus, creatura tua iacet? Sed aliter fatur: *Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Nam, ſi eſſet ſeruus tuus, Domine, non iaceret in lectulo, ſed volitaret ſuper illum: at quia ſeruus meus eſt, & mihi homini ſæculari obſequia præſtat; hoc eſt, mundo ſeruit, iacet in lectulo bonorum temporalium, non vt ibi requieſcat, ſed vt malè torqueatur, ac maxima afflictione vexetur. Pergit citatus Chryſologus. *Meum dico, quia iacet; ſi tuus eſſet, non iaceret: ſerui tui ſtant; hominum ſerui iacent.* 77. Matth. 8. Chryſol.

*Homo, dum in bonis temporalibus iacet, malè torquetur.*

Chryſol.

Egrediuntur filij Iſraël de ſuo regno captiui; & nunquam legimus, quòd in itinere fuerint lachrymati, ſed tantùm quando ad flumina Babylonis deuenerunt: *Super flumina Babylonis ſedimus, & fleuimus*, Pſalm. 136. num. 1. Et cur ad fluenta aquarum in lachrymas prorumpunt? Flumina illa, vt docent Diuus Auguſtinus, Diuus Hieronymus, Brunonius Abbas, & alij denotabant mundum, ac bona temporalia, quæ amantur in mundo. Et cùm ad res ſæculares huiuſmodi accedunt, ſedéntque ſuper eas, quanuis videatur habitus quieſcentis, non requie potiuntur, ſed dolor in eis excitatur, ac gemitus; magnáque afflictione concutiuntur. Diuus Auguſtinus citato Pſalm. *Videt fluere, vnde gaudeat, ſedeat ſuprà, & fleat.* 78.

Pſalm. 136. Auguſt. Hieron. Brun. Abb. Auguſt.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XII.

### *Quare Ieſus non ſtabat, ſed ſedebat ſuper fontem?*

79. *Ratio litteralis.* RATIO litteralis huius rei, ſecundùm Patres, eſt, quia Dominus fatigatus erat ex itinere; ac proinde vt homo volens oſtendere humanam infirmitatem, ſedebat ad fontem, vt dixi ex Lyrano *quæſt. 9.* vtpote ad locum quietum, & ob amœnitatem periucundum. Alias rationes morales inquiramus.

80. Auguſt. Reſpondet primò D. Auguſtinus ſerm. 92. de temp. *Sedebat*, ait, *ſupra puteum; non requieſcebat: quoniam in Samaritanis non poterat requieſcere.* Samaritani infideles, ac peccatores erant; & ideo quanuis Chriſtus Dominus apud eos ſederet, non tamen requieſcebat, cùm eius delectatio, ac recreatio ſit cum fidelibus iuſtè, ac ſanctè viuentibus. Prouerb. 14. num. 33. *In corde prudentis requieſcet ſapientia.* Eccleſiaſt. 24. num. 15. *In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui.* Iſai. 28. num. 12. cui dixit. *Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium.*

*Deus apud iuſtos requieſcit.*

Prou. 14. Eccleſia. 24. Iſai. 28.

81. Caſſian. Secundò. Simon Caſſianus lib. 11. cap. 1. *Sedebat*, ait, *ſuper fontem profundorum myſteriorum fidei, & profunditatis Scripturarum. Verè omnibus ſuperſedet, omnia intelligit, omnia nouit.* Puteus ille ſacram Scripturam, ac profunda myſteria denotabat, vt dixi *quæſt. 9.* Sedet Dominus ſuper puteum: nam, cùm ipſe in ſe habeat omnes theſauros ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei, omnia myſteria, ac Scripturarum arcana penetrat, & ſuperintelligit. Et eius manu, cùm ſcientiæ clauem teneat, omnes fideles ſapientiæ aquas haurimus, ac potamus. Vide *lib. 1. cap. 1. quæſt. 3. num. 8.*

*Omnia myſteria Chriſtus ſuperintelligit.*

82. Cyrill. Alex. Tertiò. D. Cyrillus Alexandr. lib. 2. cap. 78. *Quum à terminis Iudæorum exiuerit*, ait, *alienigenarum regionem ingreſſus, ſuper fontem Iacob ſedebat: vt ænigmaticè ſignificaret, quanuis Iudæorum genere relicto, in gentes abitura ſit veritas; non tamen honor, & dignitas Patrum decidet, ſed creſcet potiùs, quaſi iugibus aquis Chriſti irrigata.* Tranſibat Dominus à Iudæa ad Gentes; ad fontem tamen Iacob ſedet, vt fons ipſe ob ſuum opificem, Patriarchamque tantum condecoraretur, ac nobilitatem acquireret. Nam quanuis Iudæa ob perfidiam ſuam relinqueretur, honor tamen, atque authoritas Patribus debita non minuebatur, ſed potiùs à Chriſto Domino veluti irriguis aquis perfuſa creſcebat magis, atque florebat: nec enim delicto aliorum, etiam maximè propinquorum, dignitas vnius benemeriti extenuatur, ac decreſcit. Sic Dominus dicebat ad Moyſem peccante populo, cùm eum delere vellet: *Faciámque te in gentem magnam*, Exod. 32. num. 10.

*Benemeritis dignitas non minuitur, ex alterius delinquentis coniunctione.*

Exod. 32.

83. Pſalm. 18. Symmach. Hieron. Aquila. Quartò. Venit Dominus ad fontem, ſuper eúmque ſedet, ac quieſcit. De Chriſto Domino ait Regius Vates Pſalm. 18. num. 7. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* ſeu, vt legit Symmachus, D. Hieronymus ex Hebræo, *vt fortis.* Aquila, *vt potens.* Tamen noſter interpres poſuit *gigantem.* Nam Dominus in via non tardauit, ſed alacritate magna, veluti gigas cucurrit, ac pertranſiit. Cur ergo Dominus moratur ad fontem, qui exultauit, vt ſuam curreret viam? Cur Dominus ſuum modò retinet curſum? Cur ſuam velociſſimè viam non pertranſit? Aliquando, vt paruulorum ſaluti conſulatur, de intentione eſt, ac vehementia curſus remittendum: quanuis enim Dominus vt gigas, vt fortis, ac potens; alacriter curſum perageret; tamen vt mulieris infirmæ attendatur ſaluti, ipſe velut infirmus, fatigatus ſedet, non attendens tantum ad celſitudinem ſuæ dignitatis, quantum ad debilitatem, ac tenuitatem mulieris.

*Prælatus ſubditorum infirmitati condeſcendat, ſ que accommodet.*

Ad populum Hebræorum ait Zacharias cap. 9. num. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Dominus, qui apparet inter millia millium Angelorum, qui ambulat ſuper pennas ventorum, qui aſcendit ſuper Cherubim; modò in vili, ac humili aſino ſe conſpectui populorum exhibet? Cur ad hoc non eligitur equus albus, vt maieſtatem ſupremi Regis decebat, *Apocal. 19. num. 11.* Sed tam abiectum animal aſſumitur? Veniebat Dominus, vt medelam conferret miſerrimo populo, qui ob ſua peccata maximè rudis, & humilis erat; ideo Dominus maieſtatem occultat, vt neceſſitati, ac debili ſubditorum conditioni ſeſe accommodet, atque attemperet. D. Zeno ſerm. 3. de æterna filij Dei generatione. *Nanque*, ait, *temperat ſe propter rerum naturam filius, ne æternæ maieſtatis Dominum non poſſit mundi iſtius mediocritas ſuſtinere.* Et idem *ſerm. de Natiuitate Chriſti*, ait, *Etenim Dei filius tempore conſtituto, diſſimulata interim maieſtate ab ætherea ſede profectus*, &c. 84. Zachar. 9.

*Chriſtus, non maieſtati ſuæ, ſed noſtræ neceſſitati condeſcendit.*

Zeno.

*Verba Amos, qui fuit in paſtoribus Thecue: quæ vidit ſuper Iſraël in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Iſraël*, Amos 1. num. 1. Prædicabat Propheta iſte, non ad Ieruſalem, ſed ad decem Tribus Iſrael, vt docent D. Hieronymus, Rupertus, Remigius, Ribeyra, & alij. Et Propheta dicitur Amos, quod interpretatur *populus auulſus*, vt placet D. Hieronymo, & Ruperto. Sed cur Dei prouidentia Prophetæ ſuo tale indidit nomen? Cur non quid magnum, & perexcelſum in appellatione, ſicut in aliis geſtum vidimus, ei conceditur? Nam Elias interpretatur *Deus Dominus*, Iſaias *Domini ſalus*, Ieremias *celſitudo Domini*, Daniel *iudicium Dei*, Ezechiel *fortitudo Dei*; cur ergo Amos, *populus auulſus?* Mittebatur iſte Propheta ad prædicandum ad decem Tribus Iſraël, *Quæ vidit ſuper Iſraël*, hoc eſt, ſuper populum auulſum. D. Hieronymus, *Verba itaque Amos quo tempore populus auulſus erat à Domino, & aureis vitulis ſeruiebat, ſiue auulſus à regno ſtirpis Dauid, clara voce cecinerunt.* Cùm ergo populus eſſet auulſus à Domino, à regno Dauid, à terra promiſſionis ſuæ, ad eum mittitur Amos, populus auulſus dictus, vt nomine ſuo portans populi infirmitatem, ita eius miſerrimæ conditioni adaptatus, faciliori modo remedium ei poſſet afferre, adhibereque medelam. Rupertus. *Amos*, ait, *qui interpretatur populus auulſus, ex ipſa ſui nominis interpretatione durum præfert præſagium Iſraëli, ad quem mittitur, quod videlicet proxima captiuitate de terra ſua erat auellendus, qui aureos colendo vitulos à domo, & ſtirpe Dauid, quem elegerat Dominus, erat auulſus.* Vide *lib. 2. cap. 1. nnm. 45. & lib. 3. cap. 1. num. 55. & 56.* 85. Amos 1.

Hieron. Rupert. Remigius. Ribeyra. Hieron.

*Prælatus, ac concionator aliorum indigentia facile ſubuenit, ſi ſubditorum in ſe infirmitatem repræſentat.*

Rupert.

 QVÆSTIO

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare hora ſexta ſedebat Dominus?*

86\. EVANGELISTA notat tempus, quòd hora ſexta ſedebat Dominus fatigatus. In quo magnum notat myſterium, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ratio huius rei naturalis ea eſt, quòd Euangeliſta deſignat tempus, vt nobis innueret cauſam defatigationis, ſeſſionis, ac ſitis Chriſti Domini. Hora ſexta erat, hoc eſt, meridiana, vt dixi in expoſitione, quando Solis calor vehementiùs vrget, & ipſe peditanter à matutino tempore ambulauerat; & hac de cauſa ex itinere tam longo, ex tempore tanto, tam vehementique æſtu ipſe, veluti homo, ſiti, ac fatigatione laborans, ad fontem, tanquam ad locum aquis irriguum ſuperſedebat. Ita docent Ammonius, D. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, Lyranus, & alij. Rationes morales quæramus.

*Ratio litteralis.*

Ammonius. Cyrill. Theoph. Euthym. D.Thom. Lyran.

87\. August. Reſpondet primò D. Auguſtinus ſerm. 92. de temp. *Hora, inquit Euangeliſta, erat quaſi ſexta. Sexta die Deus de limo terræ hominem figurauerat, ſexta hora venit Samariam viſitare, vt ſi in eum Samaritani crederent, ipſe in eis inciperet requieſcere, vt verum illud quietis Sabbatum celebraret.* In molimine mundi ſexta die Deus hominem creauit, vt requieſceret ab vniuerſo opere, quod patrauerat, *Geneſ.* 2. *num.* 2. Tamen cùm homo deliquerit, & in mandatis Dei non ſteterit, non dabatur in eo locus ad quieſcendum; hora ſexta ingreditur Samariam, vt credentibus Samaritanis, in eis requieſcens verum illud quietis Sabbathum celebraret. Expende verbum, *vt verum illud quietis Sabbatum celebraret.* In opificio mundi inter tot opera maieſtatis, cùm homo tranſgrederetur Dei mandatum, non inueniebatur ibi verum quietis Sabbatum; hæc enim vera ſolennitas quietis Domini ſolum datur inter iuſtos, ac fideles de corde pœnitentiam agentes. Vide ſuperiori *quæſt. num.* 80.

*Deus inter iuſtos verè requieſcit.*

88\. Caſſian. Secundò Simon Caſſianus lib. 11. cap. 1. *Deſcriptio, ait, iſta temporis, non paruum myſterium tribuit ad contemplandum. Nam ſexta die factus eſt, qua & peccauit homo, & quaſi hora ſexta eiectus de paradiſo; & ſexta ætate mundi requiſitus eſt, in qua ſexta die Incarnatus, & crucifixus, & mortuus eſt.* Altitudo diuinæ ſapientiæ eſt, vt remedium proportionetur delicto. Sexta hora venit Dominus, vt medelam homini conferat; ſexta enim die homo creatus eſt, ſexta hora deliquit, & ferè illâ à paradiſo expulſus eſt. Venit etiam Dominus viſitare nos ſexta mundi ætate, ſexta die incarnatus, paſſus, & mortuus eſt. Sexta hora pullulauit delictum, ſexta etiam hora parat medicinam ad ſubleuandam hominis miſeriam. Et hora, quæ fœdata fuerat ignominia culpæ, condecoratur medicamine ſalutis. Vide *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 47. & 48. & *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 49. & *eodem lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 33.

*Remedium proportionatur delicto.*

*Ignominia affectu nobilitatur.*

89\. Auguſt. Beda. D Thom. Bonauent. Tertiò. Sexta hora venit, hoc eſt, ſexta mundi ætate, qua nos viſitauit. Ita D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* Beda, D. Thomas, D. Bouauentura, qui iuxta D. Auguſtinum ait: *Hora verò ſexta figura eſt ſextæ ætatis, in qua venit filius Dei ad puteum, id eſt, ad profunditatem noſtræ habitationis.* Albertus Magnus ait: *Sexta hora ſignificat ſextam ætatem mundi: in qua venit Chriſtus in mundum, vt ipſum maximè Gentilem populum reformaret.* Iob 5. num. 19. *In ſex tribulationibus liberauit te, in ſeptima vero non tanget te malum.*

*Sexta hora ſextam mundi ætatem dicit.*

Albert. Mag. Iob 5.

90\. Albert. Mag. Quartò. Idem Albertus Magnus. *Hora ſexta,* ait, *hoc eſt, meridies, quando Sol in ſummo cæli conſiſtit, & vndique per cardines orbis lumen ſuum diffundit, & maximi caloris exiſtit, quod etiam maximè congruit; quia tunc in ipſo meridiano tempore Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter lumen ſuum etiam ad gentes diffundit.* Malach. 1. num. 11. *Ab ortu Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus. & tunc calorem ſuæ charitatis ad omnes expandit.* Eccleſiaſtic. 43. num. 3. *In meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere.* Verus Sol iuſtitiæ à materiali Sole ſuperari non poterat, imò eum magno interuallo tranſcendit, meridiano tempore fulgentiſſimis radiis nitet, ac magno calefacit æſtu. Cùm autem verus amor à nullo poſſit ſuperari, ipſo meridiano tempore multo vehementiùs reſplendet Sol iuſtitiæ ſua ſapientia, ac calorem ſuæ charitatis diffundit, vt mentem mulieris illuminet ad inflammandum cor eius diuino amore. Vide ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 41. *num.* 233.

Malach. 1. Eccli. 43.

*Verus amor à nullo poteſt ſuperari.*

91\. Chryſoſt. Quintò. D. Chryſoſtomus *homil. de Samaritana*, modò in Latinis data habetur tom. 6. inter eius opera. *Venit hora ſexta*, ait, *quandoquidem, & cum Eua mandatum in paradiſo tranſgreſſa eſt, hora erat quaſi ſexta, ideóque Samaritana ſeruata eſt in fonte eadem hora.* Maximè diuerſificantur arbor paradiſi; & fons Iacob. In horto deliciarum hora ſexta ad præſentiam arboris ſcientiæ boni, & mali miſerrimè labitur Eua, ac paradiſum amittit. At eadem hora ſexta ad fontem Iacob, hoc eſt, ad fontem pœnitentiæ, & lachrymarum, erigitur mulier, ac reſurgit, & paradiſum inuenit. Nam omne illud, quod felicitas, ac ſcientia boni, & mali perdidit, pœnitentia, ac lachrymæ inueniunt, & reſtaurant. *Ideóque Samaritana ſeruata eſt in fonte eadem hora.*

*Omne bonũ, quod per delicias deperditur, per lachrymas recuperatur.*

92\. Chryſoſt. Sextò. Idem D. Chryſoſtomus *eadem homil.* proximè citata. *Hora ſexta,* ait, *quo tempore quieti à labore vacabant omnes, tunc illa hydriam arripiens aquam aduehebat: nouerat ergo Dominus, quam horam cæteri captandæ quieti dabant, illa ſolere iſtam aduehendæ aquæ vacare, propterea ſexta hora Dominus abiit.* Meridiana hora, quando omnes alij cibo incumbunt, ac quieti; Samaritana arripiens hydriam ibat ad fontem ad hauriendam aquam; fontem aquæ viuæ Chriſtum Dominum inuenit. Quid mirum, ſi omnes alij voluptate delitiantur, illa à cæteris omnibus ſibi Chriſtum præripiat? Facile eum inuenit, qui dum alij oſcitantur, ipſe Solus vigilat, & laborat.

*Qui laborant, dũ alij quieti indulgent, multum impetrat.*

93\. 2. Reg. 24. Septuaginta. Cyrill. Hugo. Lyran. Cùm ob numeratum à Dauide populum Iſraël cunctus plecteretur, maxima ira exardeſcens. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël de manè vſque ad tempus conſtitutum*, 2. Reg. 24. num. 15. Septuaginta transferunt: *Dedit Dominus mortem in Iſraël à manè vſque ad horam prandij.* Vt etiam ibi aduertunt D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 3. *de Ado.* Hugo, Lyranus ex aliorum relatis, & alij. Qui omnes docent, quòd Dauid per totum illud tempus erat Deum exorans, ac maximè deprecans



deprecans in cilicio, & cinere. Sed quæro, cùm tempus peſtilentiæ aſſignatum eſſet trium dierum, vt patet ex eodem cap. *num.* 13. cur vſque ad horam prandij tantùm durauerit? Et cur potius in hac ora prandij meridiana, quàm manè, vel veſpere plaga ceſſauerit? Per aliud tempus, ſiue matutinum, ſiue veſpertinum, ſi Rex erat orationi inſtans, orabant etiam, ac laborabant alij: at meridiano tempore omnes cibo, & potui indulgebant; & tamen ſolus Rex ieiunus inſtabat, Deum cum lachrymis deprecans; & ideo tantum peſtilentiæ malum à ſe, populóque ſuo expellere valuit. Oratio enim vigilantis, quando alij rebus corporalibus implicantur, Deum propitium maximè facit.

*Multum penetrat oratio vigilantis oſcitantibus aliis.*

94\. Geneſ. 18. Stabat Abrahamus ad oſtium ſui tabernaculi meridiano tempore, *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi in ipſo feruore diei,* Geneſ. 18. num. 1. Et tres Angelos in totius Trinitatis figuram recepit hoſpitio; promittitur ei filius Iſaac, numeroſaque progenies, & quod plus omnium, Chriſtus Dominus. *Benedicendæ ſint in illo omnes nationes.* Sed cur in huiuſmodi hoſpitio Abrahamus tantum promeruit; nam hic plus quodammodo promiſſionis accepit, quàm dum in holocauſtum filium obtulit, *Geneſ.* 22. *à num.* 15. Nam in hoſpitio hoc Chriſtus primò ei promittitur; in holocauſto verò fuit quodammodo promiſſionis ratificatio, vel ſecunda promiſſio: & in hoſpitio conſtituitur ab intimis Dei ſecretis: *Nunquid celare poſſum Abrahamo, quæ geſturus ſum?* Vnde ergo tantum promeruit? Dominum hoſpitio recepit in ipſo feruore diei, hoc eſt, meridiano tempore, vt eſt omnium expoſitio; & tunc Domino miniſtrauit, ad armentúmque cucurrit: & qui, dum alij relaxationis tempus habent, expers quietis laborat; cúmque alij cibo, & potu recreantur, atque paſcuntur, ipſe ſedulus ſtat in obſequium Dei miniſter, facillimè fauorem, & gratiam apud Dominum impetrat. D. Ambroſius lib. 1. cap. 5. *Ante oſtium ſedebat*, ait, *Abrahamus, ſedebat meridie, quando alij requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat aduentum, merito illi Deus apparuit.*

*Qui in opere charitatis laborat, dum alij deſides ſunt, multum promeretur.*

Ambroſ.

*Ioannis* 4. *n.* 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Vatablus, Theophylactus.* | Venit mulier Samaritana, vt hauriret aquam. Dicit ei Ieſus: Da mihi, quod bibam. |
| *Syriacus.* | Da mihi aquam bibendam. |

## *EXPOSITIO.*

95\. Hugo. CARDINALIS Hugo: *Vbique, ait, Chriſtus ſeruat pacem, quia nec ex propoſito, ſed quaſi ex accidenti venit ad Samaritanos: nec mulier venit mandata, ſiue vocata: ſed à caſu omnia dicit facta Euangeliſta, vt tollat occaſionem murmuris Iudæis.* Eximia Ieſu manſuetudo Iudæis, quibus odioſum cum Samaritanis erat commercium, occaſionem murmuris in omnibus euitat: ideo veluti caſu in Samariam Dominus venit: *Quia oportebat, eum tranſire per eam,* vt ad Galilæam deueniret, ſuprà *num.* 4. Et mulier venit non vocata, ſed veluti caſu ad hauriendam aquam. Et quod fortuitum ex parte mulieris videbatur factum, ex parte diuinæ prouidentiæ erat altum conſilium; vt in multis, quæ caſu fieri videntur, agnoſcimus; vt quando Rebecca ad fontem veniens Abrahæ ſeruum inuenit, *Geneſ.* 24. *num.* 15. Rachel Iacob ſponſum futurum. Geneſ. 29. num. 9. *Venit mulier.* O felix hora, in qua veniſti mulier! *Venit ad puteum*, ait D. Auguſtinus ſerm. 92. de temp. *& inuenit fontem.* Et quid mirum? *Venit mulier de Samaria.* quanquam enim Vatablus, Theophylactus, Ianſenius habeant, *Venit mulier Samaritana*; tamen rectiùs legendum eſt cum noſtra vulgata: *Venit de Samaria.* Et hoc loco nomen eſt, non vrbis, ſed totius prouinciæ, in qua regnabat peccatum, colebantur idola, & omnia illicita ſedem habebant. Mulier ergo, quæ ab hoc loco venit, atque egreditur, vitæ fontem inuenit ad ſalutares aquas potandas. Hæc etiam mulier, vt ait D. Auguſtinus *tractat.* 15. ex alienigenis veniens, typum gerit Eccleſiæ, quæ ex Gentibus venit, ac congregata eſt.

*Murmurationis cauſa vitanda.*

Geneſ. 29. Auguſt. Vatabl. Theophyl. Ianſenius.

*Deum inuenit, qui exiit ab occaſione peccati.*

Auguſt.

96\. *Dicit ei Ieſus.* Quanuis Dominus diſcipulis ſuis præciperet, ne in Samaritanorum ciuitates venirent, de quo multa dixi ſuprà *quæſt.* 5. tamen hîc cum Samaritana Dominus loquitur. Quod præuidens Euangeliſta, priùs eum dicit fatigatum. Theophylactus. *Idcirco, ait, dicit, quòd ſedens in loco propter fatigationem fuerit, & quòd colloquium cum muliere rationabilem habuerit cauſam, ſitim ſcilicet: quoniam enim ſitiebat, conſequenter humano more indigebat & potu.* D. Thomas vero ait, quòd Chriſtus, vt ſupremus Dominus non tenebatur illi legi. Et Chriſtus Dominus priùs petit, vt habeat occaſionem loquendi cum muliere. Vnde eleganter ait D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 80. *Doctrinæ illi retia tetendit, ab ipſa re, quam mulier faciebat, facto collocutionis initio.* Vt auiculam hanc Dominus capiat, ad fontem ei retia tetendit, fatúrque illi: *Da mihi bibere.* Carthuſianus, *Corporaliter, ait, ſitiebat aquam, ſpiritualiter conuerſionem mulieris.* Vnde inquiunt D. Auguſtinus, Euſebius Emiſſenus, Beda, Ericus. Dominus fons vitæ, qui credentibus in ſe promittit affluentiam aquæ vitæ, ſitiebat, non aquam, ſed mulieris ſalutem, & fidem. Et petit Dominus aquam materialem, vt det vitæ aquam ſalutarem. Pulchrè D. Chryſoſtomus *homil. de Samaritana.* habetur in 6. tom. *Fons vitæ, ait, iuxta fontem ſedens bibere poſcit, non bibere volens, ſed potum dare. Da mihi bibere, vt dem tibi bibendam aquam immortalitatis. Ego enim ſalutem mortalium ſitio; non vt bibam, ſed vt potum præbeam. Patrem imitor meum; ſic enim ait Deus ad Abraham:* Offer mihi filium tuum Iſaac dilectum vnigenitum in holocauſtum, Geneſ. 22. num. 2. *Non quòd accipere filium vellet, id dixit: ſed quòd proprium filium orbi terrarum largiri vellet. Immola filium tuum, non vt immoles, ſed vt filium meum vnigenitum immolem pro ſalute mundi.*

Theophyl.

*Neceſſitas legem non habet.*

D.Thom. Cyrill.

*Dominus quærit peccatores.*

Carthuſ. Auguſt. Euſeb. Emiſſ. Beda. Ericus.

*Deus petit, vt habeat occaſionem maiora donandi.*

Chryſoſt. Gen. 22.

Ioannis

*Ioannis 4.n.8.* Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.

*VERSIO.*

*Syriacus.* Porrò diſcipuli eius introierant in vrbem, vt emerent ſibi cibum.

## *EXPOSITIO.*

97. IN his verbis Euangeliſta reddit rationem ſuperioris ſententiæ, vt denotat illa particula *enim*. Ac ſi dicat: Quia diſcipuli abierant in ciuitatem, ideo Dominus à muliere petiit aquam; nam, ſi diſcipuli adeſſent, ab eis Dominus aquam poſtularet, vt obſeruant D. Thomas, Lyranus, Caietanus, & alij: quod totum factum eſt diuina prouidentia, vt loquendi cum muliere anſam haberet; & vt ſolus cum ſola loqueretur. De quo poſtea admirati ſunt diſcipuli num. 27.

D.Thom. Lyran. Caietan.

Origen. *Vt cibos emerent.* Meritò addubitat Origenes *homil. de Samaritana.* Cur Dominus, qui in deſerto aliquando quinque millia hominum, aliquando quatuor millia, præter mulierum, ac puerorum ingentem multitudinem miraculosè nutriuerit; cur etiam hic, ſua diuina virtute ſuppeditante, cibos non producit; ſed diſcipulos ad eos emendos deſtinat? Sed facile reſpondet ipſe, & Euthymius, vt homo crederetur. Deinde in magnum noſtrum documentum Chriſtus, dum ſuæ, ſuorúmque ſubuenit neceſſitati, humana media eligit; at cùm ad aliorum exigentiam eſt opitulandum, diuina potentia operatur. E contra verò ſæculi Magnates, cùm ſuæ conſulunt vtilitati, remedia ſupra omnem humanum captum intentant in medium producere, at cùm aliorum res agitur, totum negotium viribus humanis etiam magna cum difficultate relinquunt, & ſubmittunt.

Euthym. *Chriſtus, vt ſuæ ſubuenat neceſſitati media humana eligit; noſtræ verò diuina.*

98. *Vt cibos emerent*; non vt mendicarent. Ex quo quidam author aſſeruit, quòd Dominus non mendicauerit. Sed futilis eſt ratiocinatio: non enim ſemper datur gratis mendico panis, aut vinum, ſed aliquando pecunia comparatur, vt obſeruant Simon Caſſianus *lib. 11. cap. 1.* D. Bonauentura *hoc loco.* Quòd verò Dominus mendicauerit, communiter colligunt Patres ex Pſalm. 39. num. 23. *Ego autem mendicus ſum, & pauper,* Deinde Cardinalis Hugo duplicem aſſignat rationem, ob quam non decuit, diſcipulos mendicare apud Samaritanos. Primò, quia mendicantis eſt, omnem cibum oblatum recipere; & ſi ipſi reciperent cibos Gentilium Samaritanorum, qui erant prohibiti Iudæis ſecundùm legem, haberentur tanquam legis deſertores. Secundò, quia cùm Apoſtoli futuri eſſent Prædicatores apud Samaritanos, ne viderentur ſub pretio ponere verbum ſalutis, ideo non mendicando, ſed emendo cibos comparant. Tertiò Albertus Magnus, quòd apud Samaritanos diſcipulis non daretur eleemoſyna, eo quòd erant diſpari cultu. Et ita Samaritani Luc 9. num. 53. *Non receperunt Chriſtum, quia facies eius erat euntis in Ieruſalem.*

Caſſian. Bonauent. Pſalm. 39. Hugo. *Concionator prædicet gratis.* Albert. Mag. Luc. 9.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Dominus ad emendos cibos miſerit omnes diſcipulos ſuos?*

99. ERAT enim hora prandij, vt patet ex ſuprà dictis, & diſcipuli cum ſuo Magiſtro non habebant aliquid ad manducandum: nam ita erant alieni à rebus humanis, vt de illis non agerent, niſi quando neceſſitas vrgebat. Hugo. *Cibos Apoſtoli ſecum non portabant: quia decuit, eos, qui futuri erant doctores mundi, eſſe attentos continuè in doctrina Chriſti, nec impediri cura, & ſolicitudine mundi, niſi cùm vrgeret neceſſitas.* Ideo ergo cùm ad manducandum cibos non haberent, in ciuitatem abierunt.

*Intentus doctrinæ Chriſti alienus eſt à rebus humanis.* Hugo.

100. Quæſtio præſens eſt: quare Dominus miſit omnes diſcipulos ſuos ad emendos cibos, cùm vnus, vel alter ad hoc ſufficeret? Prima, & litteralis huius rei ratio eſt diuina prouidentia, vt cùm eſſet ſolus, mulieri exhiberet fiduciam cum eo loquendi familiariter, & audaciter quærendi, quæ erant ſuæ ſalutis; quia cum multis ita loqui auſa non eſſet. Secundò in magnum documentum noſtrum. Quia, cùm omnes eſſent manducaturi, diſpoſuit Dominus, vt omnes eſſent laboris participes, vtque, ita in ciuitatem vnanimiter tendentes, quæ neceſſaria erant, emerent, atque portarent. Tertiò Albertus Magnus ait, quòd Dominus per Samariam paucos, & familiariſſimos ſecum diſcipulos duxerit, ideo omnes miſit. Quartò. Idem Albertus reſpondet. Deſtinauit omnes, quia decreuerat loqui cùm Samaritana de peccatis ſuis occultis, & in diſcipulorum præſentia nihil de illis eſſet locuturus; ſicut Confeſſor peccatorum, quæ ſcit, coram aliis reuelare non debet. Charitas nos impellit ad aliorum occultandos defectus. Vt ergo Dominus à delictis ſuis mulierem reuocet, eaque diſcipuli minimè agnoſcant, in ciuitatem abeant. Vide *lib. 1. cap. 1. num. 67. & cap. 10. num. 22. & ſuprà cap. 3. num. 45. & 46.*

*Qui manducat, laboret.* Albert. Mag. *Aliorum defectus occultandi.*

101. Quintò. D. Chryſoſtomus homil. 30. *Studioſus,* ait, *humilitatis, non fatigatus duntaxat ex itinere, ſed relictus ſolus dimiſſis diſcipulis, hic Ieſus oſtenditur. Atqui poterat, vel non omnes dimittere, vel alios ſibi miniſtros comparare, ſed noluit: etenim diſcipulos quoque his moribus aſſuefecerat. Et quid mirum, dixerit fortaſſe quiſpiam, ſi humiles erant piſcatores, & tentoriorum opifices? Erant ſanè. Verùm repentè ad ipſum cælum volarunt, & cunctis Regibus clariores euaſerunt, digni habiti, qui vniuerſi orbis Domini familiaritate fruerentur. Illud præterea non ignoratis, quòd quanto quis humiliori gradu ad dignitates aſſumitur, faciliùs in ſuperbiæ inſaniam effertur, vtpote qui inexpers ſit repentini, & inſperati honoris.* Similiter fatur D. Thomas hîc: *Maximè autem,* ait, *qui ex humilibus ſunt, quando dignitates, quandoque aſſumpſerint, faciliùs ad ſuperbiam eleuantur, veluti inexpertes ſe habentes ad tantum honorem.* Solus remanet Ieſus, & omnes diſcipulos ire permittit in vrbem, vt eos in humilitate inſtrueret. Sed ad quid Dominus diſcipulis tantam formam humilitatis præbet? Ipſi enim erant pauperes, piſcatores plebeij, ac ex obſcuro genere. Ad quid Dominus eis tantis operibus humilitatem perſuadebat? Sed ideo, quia ex vulgari conditione habebant originem, tam repetitis actibus eos in humilitate erudit. Conſtituendi erant principes totius orbis; ac proinde, vt ex obſcuro genere aſſumpti, maximè elationis vitio expoſiti, ad quod declinandum tam profunda humilitatis datur doctrina.

Chryſoſt. D. Thom. *Plebeius, ſi extollitur dignitate, valde ſuperbus.*



102. Aman crudeli odio perſequens populum Iudaicum, maximè elatus erat animo; omnium applauſus, ac adorationem totis viribus ambiebat; itaut ſuperbiſſimus appelletur, *Eſther 13. num. 12.* Si Scripturæ paginam reuoluas, valde ſuperbos Principes inuenies Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Sennacharibem, Antiochum, & alias cruentas beſtias; nullus tamen dicitur ſuperbiſſimus, niſi ſolus Aman. Et quid in eo introſpicitur, vt tam infauſto nomine ſuper omnes appelletur; De eo dicitur Eſther 3. num. 1. *Rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag: & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat.* Aman erat natione Macedo, ex infima, & abiectiſſima plebe, vt aduertit Gorionides *lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 1.* Cùm ergo iſte Aman eſſet inter omnes ex valde obſcuro, & ignobili genere ortus, cùm ad apicem dignitatis eſt euectus, inter omnes ſuperbiſſimum monſtrum euaſit. Vide *cap. 10. quæſt. 12.*

Eſther 3. Gorionides.

*Ioannis 4. n. 9.* Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.

*VERSIONES.*

*Arias.* Tu, Iudæus exiſtens, à me bibere poſcis, exiſtens ergo mulier Samaritana?

*Syriacus.* A me petis potum, quæ ſum mulier Schamaritana? nulla enim intercedit familiaritas Iihoudæis cum Schamaritanis.

*Euthym. Theophyl. Vatabl.* Non enim commercium habent Iudæi cum Samaritanis.

## *EXPOSITIO.*

103. RESPONDENS mulier Chriſto proponit quæſtionem, & illius rationem. Nam, vt ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 81. *Initium diſciplinæ quæſtio eſt: dubitatio prudens, radix cognoſcendi, quæ ignorantur, ſolet fieri.* Et ait mulier in ſua quæſtione: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis.* Tenebatur mens illius rebus humanis, & cognouit eum eſſe Iudæum, & non Regem, & dominum: in eo ſolùm agnouit, quæ deprimebant, ac odij cauſam miniſtrabant; non verò, quæ condecorabant, extollebant, amorémque conciliabant. Tamen laudanda eſt mulieris prudentia; agnouit hominem, cum quo loquebatur, quíſnam eſſet; & paucis interpoſitis verbis eum Prophetam deprehendit: *Vt video, Propheta es tu,* infrà *num. 19.* Et etiam aliquali charitate loquitur mulier, vt notat Euthymius: *Samaritana,* ait, *exiſtimans, eum peccare, corripientis more ad memoriam reducit obſeruantiam.* Charitas vrget nos, aliquando obiecto præcepto ab his, quæ videntur illicita, proximum reuocare.

Cyrill. *Qui dubitat, intelligere ſcit.* *Mundanus, non quæ extollũt, ſed quæ deprimunt, ſolũ agnoſcit.* Euthym. *Charitas à peccatis proximum reuocat.*

104. Ait mulier: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis.* agnouit eum Iudæum, vt obſeruat Chryſoſtomus *homil. 30.* tum ex loquela, ſicut & Petrum agnouerunt miniſtri: *Verè tu ex illis es; nam & loquela tua te manifeſtum facit,* Matth. 26. num. 71. tum etiam ex veſtitu vt cum Chryſoſtomo habent Euthymius, Albertus Magnus, Carthuſianus, D. Thomas, D. Bonauentura, Lyranus, & alij. Nam Iudæis præcepit Deus *Numer. 15. num. 38.* vt in palliorum angulis fimbrias geſtarent, vittaſque hyacinthinas, vt facile ab aliis gentibus dignoſcerentur. Chriſtus autem Dominus geſtabat fimbrias, vt conſtat ex muliere, quæ tetigit fimbriam veſtimenti eius, Matth. 9. num. 20. *Bibere à me poſcis.* D. Cyrillus *lib. 2. cap. 81.* exiſtimat, verba eſſe dicta per modum admirationis, & dubij: cur præter Iudæorum morem, à Samaritanis expoſcat aquam. D. Chryſoſtomus *homil.* 30. Euthymius, Theophylactus, per modum correctionis pronuntiata volunt, quia ſibi perſuadebant, non licere Chriſto, quem Iudæum agnouerat, loqui cum Samaritanis. Ac ſi diceret: ſi Iudæi non locuntur cum Samaritanis, quomodo tu bibere à me poſcis? Et non ait: Mecum loqueris, ſed *bibere à me poſcis*; nam, vt aduertit D. Auguſtinus *tract. 15. in Ioan.* Iudæi non vtebantur vaſculis Gentilium, quia multas res immundas attingebant; & mulier ſecum aſportabat vaſculum. Deinde, vt obſeruat Albertus Magnus, abominabile erat apud Hebræos, cum alienigenis comedere; & bibere: *Illicitum eſt Ægyptiis comedere cum Hebræis,* Geneſ. 42. num. 32. & ad hoc alludit Paulus 1. Corinth. 5. num. 1. *Cum huiuſmodi nec cibum ſumere.*

Matth. 26. Chryſoſt. Euthym. Albert. Mag. Carthuſ. D Thom. Bonauent. Lyran. Num. 15. Matth. 9. Cyrill. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Auguſt. Albert. Mag. Gen. 42. 1. Cor. 5.

105. *Non enim coütuntur.* Verba eſſe non fœminæ, ſed Euangeliſtæ, autumant Rupertus, & Caietanus. Communis tamen ſententia Samaritanæ illa adſcribit. In quibus, vt ait Hugo ex Chryſoſtomo, mulier reddit rationem ſui dicti: *Non enim coütuntur,* quod ad litteram exprimitur: Inter Iudæos, & Samaritanos non eſt mutua familiaritas, ac commercium. Quod non proueniebat ex lege; nam quanuis Deus *Deuteron. 7. n. 2.* mandauerit ſuo populo, ne cum gentibus inirent fœdus; tamen in rebus neceſſariis licitum erat colloquium cum illis, vt dixi ex Theophylacto *num. 95.* & docent Abulenſis 4. *Reg. cap. 17. quæſt. 24. & in cap. Iudic. 19.* Maldonatus, Toletus *annot. 6.* Euitabatur ergo commercium inter Iudæos & Samaritanos ex odio, maláque affectione; cuius rei cauſas aperiam *quæſt. 16.* Cùm autem Chriſtus non haberet Samaritanos in odio; ideo à muliere petit aquam. Et mulier dixit: *Iudæi non coütuntur Samaritanis*, vt notarunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius. Illicitum erat Iudæis, habere commercium cum Samaritanis; cùm tamen Samaritanis non eſſet prohibitum, agere cum Iudæis. Et ideo

Rupert. Caietan. Hugo. Chryſoſt. *Sui dicti det homo rationem.* Theophyl. Abulenſ. Maldonat. Tolet. Chryſoſt. Theoph. Euthym.

ideo mulier dixit: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis?*

## QVÆSTIO XV.

### *Quare Samaritana Chriſto Domino potum dare recuſet, cum tamen Rebecca libenter illum Eleazero, & ſuis camelis dederit?*

106. VVLGARIS eſt hiſtoria, quòd cùm Eleazer, ſeruus Abrahami, ex eius mandato quærens vxorem Iſaac filio domini ſui, veniſſet ad qnendam amœniſſimum fontem, & à Rebecca expoſtulaſſet aquam, quæ prompta voluntate ab ipſa fuit data Eleazero, & ſuis camelis, *Gen.* 24. *à n.* 17. E contra verò Samaritana hoc loco magno enixu repugnat, pauxillum aquæ Chriſto Domino præbere. Ratio litteralis in aperto eſt: quia inter Eleazerum, & Rebeccam non dabatur aliqua ſuæ gentis conſuetudo prohibens familiaritatem, quæ inter Iudæos, & Samaritanos ex deprauato odio interueniebat. Ad morales rationes veniamus.

107. Ambroſ. Reſpondet primò D. Ambroſius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 24. Dicitur de Rebecca. *Virgo pulcherrima, cuius decorem nulla corrupit ætas: ſpecioſa valde, quia ſpecioſus eam acquiſiuit ſibi, quam vir non cognouerat; nulli enim viro erat copula ius, ſed ſoli Chriſto debita: habens hydriam ſuper humerum, qua lauat actus hominum: & quia ex congregatione Gentilium conſtat, qua ſuos lauit, ideo legis, quia deſcendit ad fontem & impleuit hydriam, & aſcendit. Samaritana illa venit ad fontem, ſed non deſcendit; puteus enim ei videbatur altus: nec impleuit hydriam, vnde non habebat, vt actus ſuos lauaret. Hæc*, ſcilicet Rebecca, *ſola cognouit fontem verum: hoc eſt, non aquæ fontem, ſed vitæ æternæ. Ideo habuit, quod daret ſitientibus.* Venerunt ad fontem Rebecca; & Samaritana: illa ſitientibus præbet potum; hæc verò minimè. *Rebecca* Virgo pulcherrima, & quæ non nouerat Virgo, ſignificat Eccleſiam Chriſti ſponſam, vt tradunt Ambroſius *citato loco.* Rabanus, Lyranus, Hugo, & alij; quæ eſt Virgo ſine ruga, & macula, *Samaritana* autem Synagogam exprimebat. Non ergo mirum, quòd Rebecca det aquam, quam negat Samaritana; quia Eccleſia Chriſti ſiti fidelium, ac ſpirituali morbo dat opportunum remedium ſalutari aqua Sacramentorum, quòd Synagoga ex vi ſuarum cæremoniarum non præſtabat.

*Eccleſia Chriſti ſpirituali neceſſitati remediũ præbet, non autem Synagoga.*
Ambroſ. Rabanus. Lyran. Hugo.

108. Secundò. Rebecca, quanuis eſſet puella, & virgo caſtiſſima, ac verecunda, aquam libenter præbet Eleazero, & ſuis camelis, quam multis obſtaculis denegat Samaritana; quòd Chriſtus eſſet Iudæus, puteus altus, & hauſtorium non daretur. Rebecca typum iuſti, ac gratiæ gerebat; Samaritana verò formam peccatoris exprimebat. Iuſtus, cùm omnium ſit abundans, cunctis dat, atque largitur; peccator autem, cùm omnibus ſit expoliatus, nihil habet, quod valeat tribuere, ac ſuppeditare. Tertiò. Rebecca promptam voluntatem ad largiendum habebat; Samaritana verò totis viribus dare renuebat, ideo nulla difficultas puellæ virgini offertur, ſed omnes in oculis Samaritanæ creſcunt, & augentur.

*Iuſtus libenter dat, peccator verò potiſſimè denegat.*

*Qui detrahit dare, multa obſtacula mouet.*

109. Quartò. Rebecca incunctanter, & ſine mora dat; at Samaritana, veluti conſilium præbendo, ait: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Ac ſi dicat: Non licet tibi hoc à me poſtulare. Bona mulier, ſi dare non vis, cur hoc vno verbo non denegas, ſed conſilium oſtendis? Res ſatis vſitata, quod conſilium proferamus, dum petita annuere nolumus. Mittitur Moyſes à Deo ad Pharaonem, vt populum de Ægypto educat, & excuſans ſe ab huiuſmodi legatione, ait: *Domine non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum: mitte, quem miſſurus es.* Exod. 4. à num. 10. Intendebat Moyſes adducere, ac noſtro loquendi modo, aliqualiter perſuadere Deum, vt notant Philo *lib. de ſacrificio Abel, & Cain.* & Euſebius apud Lyppomanum, quòd alium nuntium eligeret; & ideo dicebat de ſe, quòd erat tardioris ſermonis. Quod explicans Abulenſis ait: *Hoc eſt, non ſum bene, & promptè loquens: hoc valde indecens erat; quia ſi malè loqueretur, ante Pharaonem irrideretur, nec alicuius ei daretur audientia, quod ad magnam dehonorationem Moyſis, & eius qui mittebat eum, videbatur redundare.* Et hac de cauſa dicebat Moyſes: *Mitte, quem miſſurus es*; ſeu, vt habent Septuaginta: *Elige potentem alium.* Moyſes cùm eſſet inſtructus omni ſapientia, optimè penetrabat, Deum omnia agnoſcere, & impedimentum ſuæ linguæ eum minimè latere. Cur ergo tanquam conſiliarius coram Deo loquitur, ſe non eſſe aptum miniſtrum ob tarditatem oris; ſed quòd alius nuntius promptioris ſermonis eligatur? Moyſes vehementer appetebat, ſed ab officio commiſſo, atque iniuncta legatione excuſare? & ideo totus ſe diffundit in conſultoriis verbis declarandis, ac proponendis etiam ipſi Deo: tam ingenitum eſt homini, dum voluntas reluctatur, quòd mens in conſilia proferenda prodeat.

*Qui dare non vult, conſiliũ præbere ſolet.*
Exod. 4.
Philo. Euſeb. Lyppoman. Abulenſ.
Septuaginta.
*Si homo non vult poſtulata præſtare, frequenter conſilia dat.*

110. Ioan. 6. Cùm Dominus videret in deſerto fameſcentem turbam, quærit à Philippo: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Cui reſpondet Philippus: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat*, Ioan. 6. num. 7. Sed ſi Dominus de loco, vbi emendi ſint panes, interrogat; cur ipſe præter quæſita, reſpondet de quantitate pecuniæ, quæ ei videbatur inſufficiens? Tanquam ſi dicat: Tanta aureorum ſumma exigitur, ad hos homines paſcendos, quam minimè habemus: ac proinde de hoc negotio non eſt curandum Philippus, vt multorum eſt ſententia, & ſuo loco referam, affectabat, quòd Dominus miraculum non operetur, ne illi homines paſcerentur à Chriſto; & ideo præter interrogata conſilium dat: *Ducentorum denariorum panes*, &c. Dum enim aliorum deſideratis reluctamur, eiſque innuere nolumus, conſilia ſuperabundant: & noſtram miſeriam; ac parcam conditionem, quæ petita negamus in munere, prudentiæ, ac diſcretionis conſiliis adſcribi intendimus.

*Philippus, vt impediat miraculum, dat conſilium.*

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XVI.

### *Explicantur cauſæ, ob quas inter Iudæos, & Samaritanos erat magnum odium, cuius ratione mulier negat Chriſto potum; diſcipulis tamen in vrbe cibus non negatur?*

111. DE origine, ac conditione Samaritanorum iam dixi *quæſt.* 4. Cùm autem mulier dicat quòd Iudæi non coutuntur Samaritanis, nec inter ſe commercium, ac familiaritatem habeant: quòd ex magno odio pullulabat, vt aduerti in expoſitione. Cauſæ, ac rationes, vnde huiuſmodi odium naſcebatur hîc ſunt explicandæ.

112. Prima, quia Samaritani trahebant originem ab Aſſyriis Iudaici populi inimicis. Secunda, quia Samaritani poſſidebant regionem ad Iudæorum hæreditatem ſpectantem. Tertia, quia Samaritani Moyſaïcis cæremoniis Deos alienos colebant. Quarta, quia ſolis quinque libris Moyſis receptis, cæteros reiiciebant. Quinta, quia poſtquam Iudæi inchoarunt reædificare templum, Samaritani, non admiſſi ab eis ad ædificium, omni vi conati ſunt, illud opus impedire, vt conſtat ex *lib.* 1. *Eſdræ c.* 4. *à n.* 4. Sexta, quia Samaritani ſacrificabant extra templum in monte Gariſim, vbi etiam ædificauerant templum, & Sacerdotes inſtituerant, & ſacrificia, vt refert Ioſeph. *lib.* 11. *antiq. c.* 7. & 8. Vnde exiſtit inter eos de templi præſtantia diſceptatio, adeò vt delata fuerit ad Regem Ægypti; qui adiudicauit ſentẽtiam Iudæis, vt refert Ioſeph. *lib.* 13. *antiq. c.* 4. Quæ contentio etiam tempore Chriſti perdurabat. Ob has cauſas, & alias, quæ facile poſſunt excogitari, magnum erat odium inter Iudæos, & Samaritanos, itavt nec commercium, nec familiaritatem inter ſe haberent.

*Apponuntur cauſæ, ob quas erat odium inter Iudæos, & Samaritanos.*
Ioſeph.
Idem.

113. Tamen hac inter vtrunque populum inimicitia non obſtante, diſcipuli iuerunt in ciuitatem, vt pretio ſibi cibos compararent, & illos adduxerunt, vt patet infrà *à n.* 27. Et tamen Samaritana Chriſto Domino potum aquæ totis viribus dare recuſat. Ratio huius rei litteralis eſt. Quia, quanuis Deus *Deuter.* 7. *n.* 2. mandauerit populo ſuo, vt cum infidelibus; ac gentibus fœdus non iniret non ita erat prohibitum commercium, vt iter agentes per gentium fines non poſſent ſibi cibos emere, aut potum accipere: nam inter fideles multi verſabantur negotiorum ergò; & aliquid pretio acquirebant, vel gratis accipiebant ab eis. Et ideo diſcipuli in ciuitate cibos emerunt; mulier autem, vt eſt eius propria inclinatio, nimis ſuperſtitioſa, inhærendo conſuetudini, potum negat. Et hæc ſolutio eſt multo probabilior, illa ab aliis data. nimirum quòd lex tunc ceſſauerit, vel quòd Chriſtus, vt ſupremus Dominus, in ea diſpenſauerit. Nam lex itinerantes non comprehendebat, vt patet ex dictis.

*Mulier in ſuis actionibus nimis ſuperſtitioſa.*

114. Moraliter rem aliter explico. Valde mirum, quòd mulier negat potum aquæ Chriſto Domino petenti: ait enim: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana*, &c. & tamen diſcipuli abierunt in ciuitatem ad emendos cibos; qui ex eorum veſtitu, ac lingua erant omnibus noti, vt in expoſitione dixi de Chriſto Domino; at verò nullus ſe abſtinet ab eorum commercio, atque colloquio. Vt mulier cum Chriſto loqueretur, eique gratis daret potum, extabat lex, eam ab huiuſmodi conuerſatione arcens: vt verò Samaritani cùm diſcipulis verba miſcerent, nulla videbatur lex prohibens extare; nam diſcipuli abierant in ciuitatem, *vt emerent cibos*; & ſecum aſportabant pecunias; & qui aurum, & argentum defert, nulla eſt lex, nec prohibitio erga eum.

*Si pecuniam habes, nulla erga te lex eſt, aut prohibitio.*



Satis ſolemnis erat lex apud Hebræos, vt nullum haberent ſermonem cum leproſo, vt patet *Leuitic.* 13. *num.* 46. *Numer. num.* 2. Et ideo Maria ſoror Moyſis, lepra percuſſa, iuſſa eſt ſeparari à ſtris, *Numer.* 12. *n.* 14. Et tamen Rex Iſraël ſatis moroſè loquebatur cum Giezi, dicens: *Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliſæus*, 4. Reg. 8. n. 4. & Giezi totus leproſus erat, 4. *Reg.* 5. *num.* 27. Sed quomodo Rex Iſraël cum leproſo loqueris? Quomodo non declinas, quem lex euitandum præcipit? Vnde de hoc colloquio Regis cum leproſo maximè admirantur Caietanus, & Carthuſianus, qui ait: *Quòd ex ſpeciali cauſa Reges, & Magnates quandoque loquebantur cum leproſo.* Giezi habebat aurum, argentum, & veſtes pretioſas, 4. *Reg.* 7. *num.* 25. Et qui huiuſmodi bonis locuples eſt, nulla lege, ac præcepto apud homines mundanos aſtringitur, nec ab eius commercio prohibetur: talis lex religabit alios leproſos pauperes, & debiles; at hominem diuitem à filiis huius ſæculi minimè arcet. 115.

4. Reg. 8.
Caietan. Carthuſ.
*Diues nulla lege aſtringitur.*

*Ioannis* 4. *n.* 10. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Salmeir. tom.* 4. *p.* 1. *tract.* 19. | Si ſcires eximium illud donum Dei, &c. |
| *Vatabl. Pagninus, Arias.* | Et quis eſt dicens tibi: Da mihi bibere; tu vtique petiſſes illum. & dediſſet vtique tibi aquam. |
| *Beda.* | Tu magis petiſſes ab eo. |
| *Syriacus.* | Da mihi potum: tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquas viuas. |
| *D. Athan. diſp. contr. Arriũ.* | Tu poſtulaſſes, & dediſſet tibi aquam viuentem. |

## *EXPOSITIO.*

EX his manifeſtè, vt obſeruat Caietan. conſtat, quòd Dominus petiit aquam à muliere, non vt biberet, ſed vt haberet occaſionem loquendi, & inſtruẽdi eã. Vnde eleganter ait Rupert. lib. 4. in Ioan. *Quòd Dominus ab aqua viſibili metaphorã faciens, mulie-* 116.

Caietan.
Rupert.

O *ris*

*ris mentem paulatim ſubleuando ad petendam Spiritus ſancti gratiam, leni introductione inuitat.* Suauiter, ac leniter Dominus mulierem diſponendo, ab aqua materiali eam allicit ad aquam ſalutarem. In quo maximè eluceſcit clementia Domini. Ex repulſa Samaritanæ ſumit occaſionem, ac anſam cæleſti gratia eam ditandi. Nec contemptus Dominus contemnit mulierem; ſed ſalutem eius quærit. Nec reſpondet ad ea, quæ Samaritana dixerat de conſuetudine ſuæ gentis; ſed ad maiora euehit. Ex quo mirabere patientiam Domini: nam ex aſpero mulieris verbo motiuum arripit, fœminam ſubleuandi ad gratiam. Et nos ex quolibet irriſorio verbo toti excandeſcimus, ac proximum in profundum volumus demergere.

*Paulatim, ac ſuauiter res diſponenda.*

*Domini manſuetudo. Contemptus non contemnit, ſed ſalutem quærit.*

117. Quatuor proponit Dominus in hac reſponſione, cognitionem mulieris circa donum Dei; circa loquentem, petitionem eius; ad donum Dei largitatem. *Si ſcires donum Dei*; ecce primum; hoc eſt, ſi agnoſceres, ô mulier, eximium, excellenſque donum, quod tibi Deus hodie conceſſit, vt loquaris, & tecum habeas modò filium Dei incarnatum. *Et quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere.* Ecce ſecundum, & magis explicando donum conceſſum mulieri, quòd ipſemet filius Dei à te petat aquam. Ac proinde ſenſus eſt: ſi ſcires donum Dei, quòd Meſſias, omnium deſideratus, tibi ſit præſens; nam ex præſentia Dei omnia bona redundant: & quòd ipſe à te petat aquam; nam petit, non vt accipiat, ſed vt in duplo reddat, Carthuſianus. *Si ſcires,* inquit, *donum Dei, id eſt, miſericordiam, & gratiam, quæ tibi nunc offertur per hoc, quòd filius Dei petit à te potum; nempe qui Christo aliquid dat, potius recipit beneficium, quàm impendit.* Et ait Saluator: *Si ſcires*; quia maximè intereſt ad noſtram ſalutem, vt diuina beneficia agnoſcamus; nam ſolus ille, qui agnoſcit, proficit. Deinde, vt agnoſcamus, quantum lucramur, dum Deus à nobis aliquid per pauperes exigit: & quia multi hoc non intelligunt, claudunt viſcera ſua ab egenis.

*Præſentia Dei magnum donum.*

Carthuſ.

*Cognitio diuinorum beneficiorum valde neceſſaria.*

118. Proponitur tertium: *Tu forſitan petiſſes ab eo.* Illud *forſitan* appoſitum eſt, non dubitando, ſed ob noſtram libertatem; quia homo non cogitur in ſuis actionibus, vt aduertunt Albertus Magnus, Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, Hugo, Caietanus, & alij. In Græco eſt, *vtique.* Si petiſſes ab eo, *qui,* vt ait Iacobus 1. num. 5. *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et ait Dominus: *Tu petiſſes ab eo.* Aſſignantur, tanquam medium requiſitum, petitio, & oratio, ſine qua nec coniunctiſſimi cum Domino donum conſequuntur. Origenes: *Quaſi,* ait, *dogma quoddam eſt, neminem accipere donum ex non quærentibus illud: ipſum autem Saluatorem, iubet Pater, poſcere, vt det illi, ſecundum illud* Pſalmi 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes.* Et ſubdit: *Perſuadetur Samaritanæ, vt à Ieſu aquam petat.* Tantum exigitur noſtra oratio ad Deum, vt nec Filius à Patre impetret, quin poſtulet. Et ideo perſuadetur Samaritanæ, vt petat. *Suadeo tibi, emere à me aurum,* Apocal. 3. num. 8. *Dediſſem tibi.* Et eſt quartum, vbi largitas Dei viſitur. Si petiſſes, nulla interpoſita mora dediſſem; & non negarem tibi, vt tu mihi negaſti aquam: nam tu, vt mulier, negaſti; ego, vt Deus, largiar. Et ait Dominus: *Dediſſem aquam viuam*; ſcilicet Spiritum ſanctum, qui per Chriſtum datur; hoc eſt, vt explicat Albert. Magn. effectum vitæ facientem. Et tantam aquam pollicetur Dominus, vt duritiem mulieris emolliat, ac eam faciliter alliciat: nã propoſito præmio promptè mouetur animus, ac miteſcit. Et ait Chriſtus Dominus, *Aquam viuam.* D. Auguſt. *tractat.* 15. *in Ioan.* Euthym. Theophylact. inquiunt, quòd aqua viua non dicitur illa quæ eſt in lacunis, & ciſternis, ſed quæ ſcaturiens exit, & fluit. *Talis,* ait Theophylact. *dicitur gratia Spiritus ſancti, ſemper agilem ad bonum facit animam, aſcenſiones ſemper diſponentem.* Vel quia, ſicut aqua viua per omnium agros; ita gratia cæleſtis per omnes diffunditur.

Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Hugo. Caiet. Iacob. 1.

Origen.

Pſalm 2.

*Oratio medium neceſſarium ad impetrãdum.*

Apoc. 3.

Albert. Mag.

*Præmio mouetur animus.*

Auguſt. Euthym. Theophyl.

*Gratia facit hominem agilem.*

---

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare Chriſtus Dominus non explicet, quid, & quale ſit hoc donum Dei, de quo loquitur?*

AIT Chriſtus Dominus, *Si ſcires donum Dei*; & non explicat, quid ſit hoc donum. In cuius rei expoſitione triplex eſt ſententia. 119. Prima, & probabilior, quam ſecutus ſum in expoſitione, & tradunt Hugo, Toletus, Caietanus, ſe ipſum per donum intelligit; nempe quòd filius Dei incarnatus, qui eſt donum per antonomaſiam, & à Patre datus hominibus, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*; tecum hic ſit, & loquatur. Vbi Dominus inſinuat, ſe eſſe donum datum à Deo; & ſe eſſe Deum, dum ait: *Qui dicit tibi: Da mihi bibere: petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Solus enim Deus, vt notat Chryſoſt. *hom.* 30. poteſt dare aquam viuam gratiæ ſpiritualis. Si ergo de ſe ait explicitè, quòd poteſt dare aquam viuam, cur etiam de ſe non manifeſtè ait, quòd ſit Deus, & tanquam donum ſupernaturale datum hominibus; ſed tantùm ait: *Si ſcires, qui dicit tibi.* Hoc eſt diuinum ingeniũ Chriſti Domini, quòd magnalia ſua, non verbis, ſed operibus manifeſtet, atque declaret. Admirabile arcanum diuinitatis ſuæ aperit, non locutione, ac ſermone; ſed cæleſti dono diuinæ gratiæ, quam promittit, & confert. Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 167.

Hugo. Tolet. Caietan.

*Chriſtus Dominus donum Dei.*

Chryſoſt.

*Chriſtus magnalia ſua operibus, non verbis aperit.*

120. Secundam explicationem dat Rupert. *Si ſcires,* ait, *quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere, id eſt, qualis eſt eſſentia eius, quantum à cæteris mortalibus differt; quia non filius hominis tantùm, ſed filius Dei eſt. Et eſt ſenſus. Si ſcires Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; ſi audiſſes nominis eius Euangelium, tu forſitan crederes in eum, & petiſſes aquam viuam, hoc eſt, baptiſmatis.* Ac proinde iuxta hanc ſententiam, donum Dei eſt ſcire Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, cuius inuocatione Baptiſmus confertur, quo à peccatis mundamur. Vel aliter dic: Singulare beneficium eſt cognoſcere eum, *qui dicit tibi: Da mihi bibere*; quis eſt, quòd non tantùm homo, ſed Deus ſit; & quale ſit ſanctiſſimum nomen eius Ieſus. *Si audiſſes nominis eius Euangelium,* nam hoc dulciſſimum nomen ſolum in Euangelio auditur; magnum enim Dei donum eſt, hoc admirabile nomen ſcire, & inuocare illud, vt aquam viuam cæleſtis gratiæ impetremus. Tantum ergo donum, ac nomen Chriſtus Dominus de ſe non manifeſtat, ſed diſcipulis diuulgandum remittit.

Rupert.

*Magnum donum, ſcire inuocare nomen Ieſus.*

Tertia



121. Tertia expoſitio multorum Patrum, Diui Auguſtini *tractat.* 15. *in Ioan.* Diui Athanaſij *lib. de Incarnat.* Diui Remigij *in cap.* 1. *ad Roman.* Ruperti, Ammonij, Alberti Magni, Diui Thomæ, Diui Bonauenturæ, Bedæ, Erici, & multorum, qui per donum Dei intelligunt Spiritum ſanctum. Vt ſit ſenſus: Si ſcires ingens donum Spiritus ſancti in aquis ſignificatum. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant,* Ioan. 7. num. 38. tu hoc donum petiſſes à me, & ego illud dediſſem tibi. Diuus Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 82. per hoc donum intelligit diuini Spiritus dona. Ac ſi diceret: Si ſcires magnitudinem donorum, quæ præparauit Deus hominibus, & me eſſe eorum datorem, tu petiiſſes, & dediſſem tibi talia dona. Tamen Chriſtus Dominus non explicat hæc dona, *Quia,* vt inquit Albertus Magnus, *diuinus Spiritus eſt donum, in quo omnia verè donantur.* Dum ergo Chriſtus Dominus dicit donum Dei, diuinus Spiritus ſignificatur; quia ipſe eſt donum Dei, vt docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 38. *art.* 2. Et in ipſo ſolo omnia verè donantur. Ait Chriſtus Dominus, Matth. 7. n. 11. *Pater veſter dabit bona petentibus ſe.* Eandem hiſtoriam ſcribens Lucas cap. 11. n. 9. *Pater veſter dabit ſpiritum bonum,* ſcilicet ſanctum, *petentibus ſe.* Et rectè, dum dicitur, *dabit ſpiritum,* dicitur etiam, *dabit bona.* nam in ipſo ſpiritu dantur omnia bona; & omnia dona ab ipſo profluunt, & extra ipſum nihil eſt.

Auguſt. Athanaſ. Remig. Rupert. Ammon. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Beda. Ericus. Ioan. 7.

Cyrill.

Albert. Mag.

*In ſpiritu Dei omnia verè donantur.*

D. Thom. Matth. 7.

Luc. 11.

122. Venit Dominus ad ficulneam in Iſraël, & non inuenit in ea ficus, *Marc.* 11. *num.* 13. Vidit Ezechiel arborem cap. 47. num. 12. de qua ait: *Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum, non deſluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per ſingulos menſes afferet primitiua; quia aquæ eius de Sanctuario egredientur.* Maximè diſcriminatur arbor Iſraëlis, & lignum Ezechielis: nam ficulnea Iſraëlis, pro aliquo etſi tempore fructum daret, tamen maiori anni parte, melioríque occaſione denudata fructu apparebat; ex quo in maledictionem incurrit. At lignum Ezechielis per omne tempus foliis exornabatur, & per omnes anni menſes fructibus primitiuis abundabat. Sed vnde tam ferax, ac fœcunda extitit arbor, ipſe Propheta enarrat: *Quia aquæ eius de Sanctuario egredientur.* Irrigatur arbor aquis diuinæ gratiæ, fluentibus à Sanctuario diuinitatis. Non ergo mirum, quòd arbor per omne tempus foliis, ac fructu conſpicua apparet. D. Hieronymus. *Ne putemus,* ait, *riparum eſſe, vel arborum, aut menſium tantarum frugum abundantiam, reddit cauſas vbertatis: & infert: Quia aquæ eius de Sanctuario egredientur.* Et ait Propheta: *Per ſingulos menſes affert primitiua,* quæ ſunt excellentiora, & ſuauiora poma; quia omne excellens, & ſuaue in donis diuinæ gratiæ reconditur.

Marc. 11. Ezech. 47.

*Bona mundi deficiũt; bona verò gratiæ perpetuò virent, & florent.*

Hieron.

---

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quid Chriſtus Dominus per aquam viuam intelligat?*

123. QVATVOR ſunt ſententiæ in hac materia. Prima, quam tenent Ammonius, Origenes *tom.* 3. *in Ioannem,* Baſilius *in Pſalm.* 28. Theodoretus *in* 1. *Pſalm.* intelligit per aquam viuam ſacram doctrinam, quæ in Euangelio continetur; cuius cæleſtibus documentis anima irrigatur, ac ſterilitas ignorantiæ, & incredulitatis excluditur. Sed hæc interpretatio non multum facit ad præſens; non doctrinam, ſed ſupernaturale donum Chriſtus Dominus Samaritanæ promittebat.

Ammonius. Origen. Baſilius.

Theodor.

124. Secundam interpretationem dant Diuus Cyprianus *epiſtol.* 36. Diuus Ambroſius *ſerm.* 31. qui per aquam viuam, baptiſmales aquas volunt intelligere. Explicatio eſt probabilis. Tamen contra eam militat, quia quamuis Baptiſmus ſit aqua viua, Chriſtus videtur aliud hîc innuere. Nam Dominus pollicetur Samaritanæ, vt aduertit Toletus *annotat.* 9. aquam viuam, ſi cognoſceret donum Dei, & ſi ſciret, *quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere*; & tamen mulier poſtea lumine diuini Spiritus illuſtrata agnoſcendo ipſum donum Dei, & quis erat, qui cum ea loquebatur, ſecundùm Chriſti promiſſionem, accepit aquam viuam, quin baptiſmalem obtinuerit aquam, ſiquidem tunc baptizata non fuit, licèt poſtea fuerit. Ergo per aquam viuam non intelligitur hoc loco aqua Baptiſmi, ſed gratia Spiritus ſancti, quæ tunc in muliere diffuſa eſt.

Cyprian. Ambroſ. *Aqua viua Baptiſmus.*

Tolet.

125. Tertia huius rei intelligentia eſt Diui Cyrilli *lib.* 2. *cap.* 82. & 83. Theophylacti, Alberti Magni, Diui Thomæ, Diui Bonauenturæ. Qui omnes per aquam viuam intelligunt gratiam Spiritus ſancti. Et ita ait eleganter Diuus Cyrillus. *Aquam viuam appellat Chriſtus viuificantem Spiritus ſancti gratiam, per quam humana natura ab ariditate, infœcunditateque ad priſtinam pulchritudinem, ac viriditatem irrigata recurrit, magno virtutum numero florens, & charitate erga Deum ſuauiſſimos fructus producens.* Cardinalis Hugo, *Aquam viuam dicit Spiritus ſancti gratiam, abluentem à peccatis, refrigerantem à concupiſcentiis, fœcunditatem in operibus bonis, viuificantem in virtute, regenerantem in ſpem vitæ æternæ.*

Cyrill. Theophyl. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Cyrill.

Hugo. *Miri effectus à gratia producti.*

126. Quarta explicatio, parum differens à ſuperiori, eſt Diui Athanaſij *lib. de Incarnat.* Diui Baſilij *in Pſalm.* 45. in illud, *Fluminis impetus lætificat.* Diui Hieronymi *in Iſai.* 55. Diui Chryſoſtomi *hom.* 30. Diui Auguſtini *tractat.* 15. *in Ioan.* Diui Ambroſij *lib.* 1. *de Spiritu ſancto, cap.* 19. & 20. Carthuſiani. Qui omnes per aquam viuam exprimunt ipſummet Spiritum ſanctum, prout communicat animæ gratiam, & ſua dona. Et ita hæc ſententia includit ſuperiorem; & addit ampliùs dona Spiritus ſancti, qui per aquam etiam ſignificatur, vt nobis Chriſtus expreſſit Ioan. 7. n. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum.* Stabit hæc interpretatio ex verbis Chriſti Domini infrà num. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Aqua ergo, quam Chriſtus pollicetur, fit in nobis fons; fons autem gratiæ, & omnium donorum, per quæ homo producitur in vitam æternam, eſt diuinus Spiritus.

Athanaſ. Baſil. Hieron. Chryſoſt. Auguſt. Ambroſ. Carthuſ.

*Diuinus Spiritus aqua viua.*

Ioan. 7.

127. Et eleganter diuinus Spiritus per appropriationem aqua viua nuncupatur; nam ſicut aqua ita rigat plantas, iuxta earum naturam, & qualitatem ſeſe illis accommodando, vt in miros, ac diuerſos flores, ac fructus pullulare faciat; ita cæleſtis ros diuini Spiritus attemperatè in cordibus noſtris diffunditur, vt varios effectus operetur.

*Diuinus Spiritus varios operatur effectus.*

Euthym.





Euthy

Euthym.

Euthymius : *Sicut aqua*, ait, *de cælo deſcendens nutrit, ac viuificat, cumque vnius ſpeciei ſit, vario modo operatur; dealbans in lilio, denigrans in Narciſſo, rubricans in roſa, purpuriſſans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in abſinthio : ita diuinus quoque Spiritus de cælo deſcendens nutrit, ac viuificat animam; cumque vnus ſit, variis operationibus gratiam diuidit, ac virtutem.* Nec enim aqua eodem colore, odore, ac virtute flores germinare facit; nec diuinus Spiritus eoſdem effectus in quolibet producit, ſed provt vniuſcuiuſque conditio, ac exigentia poſtulat. Et hac ratione diuinus Spiritus à Chriſto hîc vocatur aqua; & tamen à Baptiſta dicitur ignis : *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*, Luc. 3. n. 16. Ignis eſt, provt conſumit peccata, & inflammat, ac accendit cor noſtrum in amore Dei; & veluti ſe aqua habet, provt abluit à peccatis, & refrigerat noſtram animam à concupiſcentiis, & irrigat mentem noſtram cœleſtibus illuſtrationibus. Nec ſemper rigor ignis, nec ſemper teneritudo, ac ſuauitas aquæ, ſed provt rei euentus exigit. Pulchrè Diuus Chryſoſtomus homilia 31. in Ioan. *Spiritus ſancti gratiam*, ait, *nunc ignem, nunc aquam Scriptura appellat, vt non ſubſtantiæ, ſed operationis has intelligentias eſſe demonſtret. Ita ſpiritum ignem appellat, vt excitamentum, & feruorem gratiæ, & peccatorum abſumptionem ſignificet : aquam autem, vt ablutionem, & refrigerium, quibus ipſum accipientes animi fruuntur.*

*Diuinus ſpiritus indigētiæ noſtræ ſe accommodat.*

Luc. 3.

*Spiritus, ignis, & aqua, vt nobis attemperetur.*

Chryſoſt.

127. Benedicens Iſaac Iacob filio ſuo, *Gen. 27. n. 27.* ait : *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli.* Loquitur de Eccleſia Dei, vt docent Lyranus, & Rabanus, quæ eſt ager varietate florum valde conſpicuus, diuerſitate arborum maximè fertilis, vtpote impinguatus rore diuini Spiritus, vt nullus hoc in agro faſtidiat, ſed vt diuerſitate pomorum, provt ſua neceſſitas exigit, abundet. Accipe Diuum Gregorium hom. 6. in Ezechiel. *Ager eſt hic mundus*, inquit, *vt in Euangelio Veritas ait; & quia Eccleſia per electos ſuos in vniuerſo mundo virtutibus redolet, odor filij odor eſt agri pleni. Aliter namque olet flos vuæ, quia magna eſt virtus, & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium: aliter flos oliuæ, quia ſuaue eſt opus miſericordiæ, quia more olei refouet, & lucet : aliter flos roſæ, quia mira eſt fragrantia, quæ rutilat, & redolet ex cruore Martyrum : aliter flos lilij, quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis : aliter flos violæ, quia magna virtus humilium.* Et concludit S. Doctor. *Sed quia ager hic has virtutes ex ſe ipſo non habet adiungitur : Cui benedixit Deus.*

Geneſ. 27.

Lyran.
Raban.
*Ager Eccleſiæ omnibus accommodat, vt paſtū det.*

Gregor.

*Ioannis 4. n. 11.* Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt : vnde ergo habes aquam viuam.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Dicit ei mulier illa: Domine mi, ſitulam non habes, & puteus profundus eſt : vnde tibi ſunt aquæ viuæ. |
| *Pagnin. Græcus.* | Neque hauſtrum habes. |
| *D. Aug. tract. 15. in Ioan.* | Neque hauritorium habes. |

*EXPOSITIO.*

128. MVLIER, quanuis adhuc carnalis; tamen Chriſti doctrina iam proficiebat, vt notant D. Chryſoſt. Euthym. Theophylact. & Beda; & quem antea Iudæum dixerat, *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis*; iam Dominum appellat. Cognouit enim ex maieſtate vultus, grauitate verborum, magnitudine pollicitationis, non vulgarem eſſe hominem, ſed valde magnum. Nam dixerat: *Si ſcires, quis eſt, qui dicit tibi : Da mihi bibere; tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam*; quia vidit tam magna promittere. Albert. Magn. notat, reuerenter Dominum appellauit. *Neque in quo haurias habes*; conſiderabat mulier, quòd Chriſtus Dominus non habebat inſtrumentum hauriendi cum fune, & quanuis ipſa mulier ſecum aſportaret, tamen, vt notant Chryſoſtomus, Albertus Magnus. *Non coutuntur Iudæi Samaritanis*; ideo ſciuit mulier, quòd ſua hydria non hauriret Chriſtus aquam: nam Iudæi euitabant Samaritanorum vaſa, vt immunda, vt iam dixi. *Puteus altus eſt*. Græci omnes, Syriacus, Pagninus, Vatablus, Theophyl. habent. *Profundus eſt*; ſed quoad ſenſum idem eſt, ſcilicet quòd aqua maximè diſtabat à pectorali putei; ita vt dicat Rupert. *lib. 4. in Ioan.* quòd puteus habeat in altitudinem quadraginta cubitos. Beda, D. Thomas per altitudinem putei profunditatem myſteriorum ſacræ Scripturæ intelligi volunt. *Vnde ergo habes aquam viuam?* Ac ſi dicat: Hauſtorium non habes; aqua non eſt ad manum, cùm puteus ſit altus. Vnde ergo habes aquam? Hugo. *Audierat mulier, quòd Dominus poſſet dare aquam viuam; & cùm haberet materiam dicendi aliquid peruerſum: ſcilicet ſi haberes aquam viuam, non bibere à me peteres: huiuſmodi nil tale fecit, ſed benignè quærens, dubietatem ſuam exponit, dicens: Vnde habes.* Non irridet mulier de promiſſione; nec dixit: Si haberes, non à me peteres aquam. Sed manſuetè à principio per omnem ſermonem reſpondit, vt notat Chryſoſtomus. Et ideo meruit audire, & doceri, *Ad annuntiandum manſuetis miſit me Dominus*, Iſai. 61. n. 1. Putat Cyrill. *lib. 2. in Ioan. c. 83.* quòd mulier exiſtimauerit, quòd Chriſtus aliqua occulta arte, ex alto puteo ſine inſtrumento hauriret aquam: & ideo quærit, qua ratione hoc fieri poſſit.

Chryſoſt.
Euthym.
Theoph.
Beda.

Albert. Mag.
*Magna promiſſio ſolicitat reuerentiam.*
Chryſoſt.
Albert. Mag.

Syriacus.
Pagninus
Vatabl.
Theophyl.

Rupert.
*Quanta putei altitudo.*
Beda.
D. Thom.

Hugo.

*Manſueti erudiuntur in diſciplina.*
Chryſoſt.

Iſai. 61.
Cyrill.

*Ioannis 4. n. 12.* Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Is, qui dedit nobis puteum hunc, ipſeque ex eo bibit, & filij eius, ac eius oues. |
| *D. Chryſ. apud Hug. Card.* | Filij eius, & nutritij eius. |





*EXPOSITIO.*

130. PROMISERAT Dominus mulieri aquam viuam; ideo illa duo Chriſto obiicit. Primò, quòd non habeat inſtrumentum ad hauriendum, vt vidimus antecedenti verſu. Alteram obiectionem mouet hîc mulier: Quia, ſi tu hoc, in quo ſumus, loco habes aquam viuam, quam promittis; *eris maior patre noſtro Iacob*. Appellat Iacob patrem ſuum, non origine carnis, ſed religione, per quam Samaritani Deum Iſraël colebant in loco, in quo adoratus eſt à Iacob, vt aduertit Caietanus. *Qui dedit nobis puteum*, vt erat conſtans fama. *Et ipſe ex eo bibit, & filij eius*; commendatur excellentia aquæ ex ſua qualitate, quia ipſe biberat ex ea, quod non feciſſet, ſi meliorem haberet, vt notat Hugo. *Quia*, vt ait Albertus Magnus, *tanquam bonus pater optimas aquas libenter filiis procurabat*. Commendatur etiã aqua ex copia in pecorum paſtu: *Et pecora*, ſeu, vt ait Hugo ex Chryſoſt. *& nutritij eius*. Præſcribitur forma boni Prælati, qui eodem potu, & obſonio, quo ipſe vtitur, oues ſuas paſcit, ſubditiſque præbet, & largitur.

Caietan.

Hugo.
Albert. Mag.
*Pater meliora filiis procurat.*
Hugo.
Chryſoſt.
*Bonus prælatus cibũ, quo vtitur, dat ſuis.*

## QVÆSTIO XIX.

*Quare mulier alienigena, & Samaritana appellat Iacob patrem ſuum?*

131. SAMARITANI, non à Iudæis, ſed ab Ethnicis originem trahebant; nam, vt ſuprà diximus, ex Aſſvria, ſeu Babylonia in Samariam fuerunt tranſlati. Quæſtio præſens eſt: Quomodo Samaritana appellat Iacob patrem ſuum, cùm reuera non eſſet ſecundùm carnem; dicit enim eum patrem noſtrum, ſcilicet Iudæorum, & Samaritanorum.

132. Reſpondent primò D. Auguſt. *tract. 15. in Ioan.* D. Cyrillus *lib. 2. c. 84.* Beda, Thomas, Albert. Magnus, D. Bonau. Gloſſa. Quòd mulier appellauerit Iacob patrem ſuum; quia eius religionem, ac cultum veri Dei ſe ſequi putabat; nam Samaritani libros Moyſis accipiebant. Secundò D. Chryſoſt. Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus. *Animaduerte*, ait Chryſoſt. *quomodo hæc mulier ſe inſerit in Iudaicam nobilitatem.* Nam, cùm Samaritani, quanuis eſſent ex Chaldæa, Iudæis tamen vicini, cum illiſque eſſent commixti, ex origine Iudæorum gloriabantur, ac patrem ſuum dicebant Iacob. Semper enim ad nobiliorem proſapiam ſuum omnes affectãt reducere genus. Tertiò Cardinalis Hugo, Euthymius. Quia Samaritani erant nati ex Chaldæa, ex qua etiam Abrahamus exiuit, qui Chaldæus erat, cuius nepos extiterat Iacob; ideo ob Chaldæorum originem Samaritani Abraham, & Iacob parentes ſuos vocabãt. Quartò Hugo, *Quia beneficia Iacob experti erant, cuius terram, & habitationem ſubintrauerant.* Nullus potiori iure pater nuncupatur, quàm ille, à quo beneficia obtinemus: cùm ergo hæc haberent Samaritani à Iacob, hac de cauſa eum patrem ſuum appellabant. Quintò. Mulier priùs exprobrando dixerat: *Tu Iudæus cùm ſis*; & modò, vt notat Toletus *in Commentar.* ſe quodammodo Iudæam profitetur, cùm à Iacob dicat genus habere; vt faciliùs alliciat Chriſtum ad præſtandum, quod optat : nil enim, nec inuiſum inimicorum ſanguinem reſpuimus, dummo deſiderata impetremus.

Auguſt.
Cyril.
Beda.
D. Thom.
Albert. Mag.
Bonauent.
Gloſſ.
Chryſoſt.
Euthym.
Theophyl.
Albert. Mag.

Hugo.
Euthym.

Hugo.
*Nullus magis pater, quã qui beneficia præſtat.*

Tolet.

*Vt homo deſiderata impetret, nil reſpuit.*

133. Sexto Ioſeph. *lib. 10. antiq. c. vlt.* ita ait: *Samaritæ pro præſenti ſemper conditione temporum mutabiles, quoties feliciter degere Iudæos viderint, cognatos ſe eorum appellant, vtpote à Ioſeph oriundos, & hac ratione ſanguine illis coniunctos. Quando verò in rebus aduerſis eos aſpiciunt, nihil ad ſe pertinere, aiunt, nec illis quidquã deberi beneuolentiæ, cùm ipſi ex longè remotis gentibus ad ea loca euenerint.* Et ferè idem repetit *lib. 11. c. vlt.* Samaritani ſeruiebant tempori. Si Iudæos in afflictione, ac oppreſſione videbant, veritatem dicendo, negant ſe eſſe eorum cognatos. At ſi opportunitas temporis Iudæis benignè fauebat, in eorum ſocietatem ſtatim ſe inſerebant, ac ad eorum parentes genus ſuum deducebãt. Et ideo Samaritana in præſenti, cùm audiſſet, quòd Chriſtus habebat excellentiſſimam aquam, vt eum induceret ad dandam aquam, ſe illi coniunctam ſanguine, ac origine profitetur; cùm antea, quando eum, vt vulgarem hominem, fatigatum agnouerat, aquam ei denegauerit, tanquam Iudæo, atque à gente Samaritana valde diuerſo.

Ioſeph.

*In fœlicitate omnes ſunt amici, in aduerſitate nemo te cognoſcit.*

134. Cùm Iacob veniret de Meſopotamia ad parentem ſuum Iſaac, & audiſſet, quòd frater ſuus Eſaü adueniret ei obuiam, miſit ei nuntios, dicens: *Habeo boues, & aſinos, & oues, & ſeruos; & ancillas, mittoque nunc legationem ad Dominum meum, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo*, Gen. 32. n. 5. Preme verbum, *Mitto nunc legationem.* Cur modò, quàm ditiſſimus venit, & non antea? quando gelu, æſtuque ac dura ſeruitute premebatur? Cur ad fratrem ſuum nuntios non deſtinat, dum parat à Laban fugere, vt ei eſſet in auxilium? Sed modò, quando iam pericula euaſerat, totamque terram magnis gregibus occuparat? *Mitto nunc legationem, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo?* Iacob deſtinabat legationem, vt amorem, & gratiam cum fratre Eſaü reconciliaret : non ergo tempore preſſuræ, ſed abundantiæ, ac fœlicitatis; quando ſeruos, & ancillas poſſidebat, nuntios mittit; quia proſperitas ſolicitaret, ac coniungeret amorem fraternum, quem aduerſitas diſiungebat, ac odium odio cumulabat. Huc reſpicit D. Anton. Olyſſip. ſerm. in Dom. 3. poſt Pentecoſt. *Locuples Iacob legationem mittit ad fratrem, vt gratiam inueniat.*

Gen. 32.

*Fœlicitas fratres vnit, aduerſitas diſiungit.*

An. Olyſſip.

*Ioannis 4. n. 13.* Reſpondit Ieſus, & dixit ei : Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum : qui autem biberit ex qua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Arias.* | Omnis bibens ex aqua iſta. |
| *Syriacus.* | Quiſque bibet ex aquis iſtis, iterum ſitiet. |
| *Vatablus.* | Quiſquis autem biberit de aqua, quam ego dabo ei, neutiquam ſitierit in æternum. |

*S.Optat. lib.*1. *contr.Parm.* Aquam, quam ego dabo, qui biberit.

*Marianus Victorin. lib.*1. *aduerſ. Arrium.* Qui autem biberit ex iſta aqua, quam ego dabo ipſi, non ſitiet in omni ſæculo.

## *EXPOSITIO.*

135. *Deus nos excitat ad petendum.*

MIRO modo Chriſtus Dominus allicit, ac inuitat mulierem ad petendam ſuam aquam. Quia, vt miſericors pater, non ſolùm vult dare, ſed etiam noſtrum appetitum excitat, ac mouet, vt impetrare valeamus. *Omnis, qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.* Ac ſi dicat. Iſtius putei aquam laudas, cùm ſitim non extinguat, niſi ad breue tempus, & horam. Aqua illa putei, voluptates, ac res huius ſæculi ſignificat, cum quibus minimè noſter appetitus quieſcit. D. Auguſtinus tractat. 15. in Ioan. *Verum eſt*, ait, *ſecundum quod ſignificat illa aqua. Etenim aqua in puteo voluptas ſæculi eſt in profundo tenebroſa. Hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum. Cupiditatem quippe proni ſummittunt, vt ad voluptatem hauſtam de profundo proueniant, & fruuntur voluptate procedente, & præmiſſa cupiditate, nunquid non iterum ſitiet? Ergo de hac aqua, qui biberit, iterum, inquit, ſitiet.*

*Res huius ſæculi non ſatiant appetitum.*

August.

136. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Maximè Dominus laudat ſuam aquam, demonſtrans ab effectu, eſſe excellentiorem, quàm aquam putei. Aduertit tamen Hugo ex Chryſoſtomo homilia 31. *Quòd Dominus comparationem facit, non à detractione, ſed à ſupereminentia ſuæ aquæ ad illam. Non enim dicit, quòd aqua, quam dedit Iacob, nihil eſt, vel quòd vilis, & contemptibilis eſt, ſed id, quod natura teſtatur, proponit.* Vt Dominus maximè laudet ſuam aquam, non nimis exaggerat vilitatem aquæ illius putei, ſed tantùm, quòd ex natura erat dicit. Vel niſi velis dicere, quòd adeò zeloſus erat Dominus excellentiæ ſuæ aquæ, ac ſalutis animarum, vt illa aqua fruerentur, quod ideo Dominus effectu tantùm eam extollit ſuper naturam aquæ putei. Et ait Dominus: *Qui biberit ex aqua.* Per hanc aquam Chriſti intelligitur Spiritus ſanctus, vt explicant Rupertus, Albertus Magnus, Carthuſianus, & alij. Cuius virtute in hoc ſæculo omni bono ſupernaturali in æternum ſatiamur. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, Pſalm. 16. num. 15. Et hic eſt legitimus ſenſus. Per hanc etiam aquam Hugo, Lyranus, Caietanus gratiam intelligunt, qua accepta, & in ea perſeuerans homo non ſitiet in cælo. Diuus Cyprianus *epiſtol. ad Cæcilium*, Diuus Auguſtinus *ſerm. 92. de temp.* Sanctus Gaudentius *ſerm. 9. ad Neophytos*, Sanctus Maximus *homil. 2. de Eleemoſ.* Philus Carpath. *in cap. 4. Cantic.* Interpretantur, eſſe aquam Baptiſmi, quo ſuſcepto homo non ſitiet in æternum, cùm Baptiſmus non reiteretur. Et de eo explicat illud *fons ſignatus*, ob Baptiſmi characterem. D. Hieronymus *in cap. 14. Zachar.* per hanc aquam ſacram doctrinam interpretatur; qui enim eam biberit, ac Chriſtum prædicantem audierit, non ſitiet in æternum. Et ait Chriſtus: *Non ſitiet in æternum.* Quia quanuis peccando homo à ſe eiiciat Spiritum ſanctum & pereat; tamen quandiu ſe à peccatis abſtinet, & in ſe retinet Spiritum ſanctum, habet vitam in æternum.

Hugo. *Dominus laudat ſuam aquam, non vituperando aliam.* *Dominus excellentia ſuorum donorum nos allicit ad eius amorem.*

*Quid ſignificet aqua hîc.*

Rupert. Albert. Mag. Carthuſ. Pſalm. 16.

Hugo. Lyran. Caietan. Cyprian. Auguſt. Gaudentius. Maximus. Philus Carpath.

Hieron.

---

## QVÆSTIO XX.

### *Quare Chriſtus mulieri non reſponderit, ſe eſſe maiorem Iacob.*

DVo intulerat mulier in ſuo colloquio. Primum quòd Chriſtus non erat maior Iacob: *Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob?* Et quòd excellentior aqua non poterat dari in illo loco, ſiquidem Iacob effodit illum puteum; & ipſe, & filij eius, & pecora biberunt ex eo; quod non fieret, ſi præſtantior aqua ibi poſſet inueniri. Ad hanc ſecundam quæſtionem reſpondet Dominus, quòd aqua ſua melior ſit, quàm illa: *Si quis biberit ex ea, non ſitiet in æternum.* Primam verò quæſtionem de maioritate Iacob, ſilentio premit. Ad quod 137.

138. Reſpondent primò D. Chryſoſtomus *homil.* 31. Euthymius, Theophylactus. Non ſe maiorem dicit Iacob, ne ſe iactare, ac in proprias laudes prorumpere videretur. Secundò. Non ſe dicit Dominus maiorem Iacob, & tamen cum Iudæis diſputans ſe præſtantiorem probat Abrahamo: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, Ioan. 8. num. 58. & Matth. 22. num. 43. ſe ſuperiorem Dauid oſtendit: *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum*, & alio loco ſe maiorem Iona, ac Salomone ſimul eſſe, affirmat Matth. 12. num. 42. & 43. *Ecce pluſquam Salomon hic, & pluſquam Ionas hic.* Et tamen Dominus quæſtionem hoc loco de maioritate Iacob prætermittit, ac ſilentio inuoluit: nam illis in locis erat Dominus diſputans cum Iudæis, qui inimico animo intendebant detrahere de authoritate, ac excellentia Domini, quam ipſe Saluator defendere tenebatur: & ideo de propria magnitudine neceſſe fuit verba facere, vt vidimus, quod fecit Iob *cap.* 31. *à num.* 1. Samuel 1. *Reg.* 12. *num.* 3. At mulier, iam hîc erat inclinata, ac propenſa ad Dominum, & quid magnum de eo conceperat, ſiquidem aquam eius petiit *verſic.* 15. Et modeſtia non ſinit proprias laudes aperire, niſi occaſione vrgente.

Chryſoſt. Euthym. Theophyl. *Laus ne ſit in ore proprio.*

Ioan. 8.

Matth. 22.

Matth. 12. *Modeſtia non ſinit laudes proprias, niſi vrgente cauſa, aperire.*

139. Tertiò Photius in Catena Græca. *Non reſpondit Dominus. Certè maior ſum Iacob; viſus enim fuiſſet, ſe ſe tantùm iactare, nondum ſui facta probatione.* Coram Iudæis ſuam maieſtatem, ac magnitudinem aperit Dominus, & ſe maiorem eſſe patribus, declarat; nam illi multa miracula, & documenta ſuæ potentiæ erant experti, & iam viderant. At cùm mulieri eſſet ignotus, ne irriſioni haberetur, ſe maiorem Iacob non dicit, ſed paulatim eam ad ſui cognitionem diſponit: nec enim omnia omnibus dicenda ſunt, ſed cuiuſlibet infirmitati accommodandum: nec etiam ſubitò magna dicenda, ſed paulatim aſſueſcant auditores ad magna de te percipienda. Diuus Chryſoſtomus homil. de Samarit. tom. 6. *Si diceret*, ait, *Dominus ſe maiorem Iacob, irrideret mulier, & diceret: Hic inſanit, & lunaticus eſt, cùm ſit vnus peregrinus, ſe maiorem patre noſtro dicit. Accommodat ſe mulieri Chriſtus, & infirmitati mulieris aliquid condeſcendebat, vt ſenſim ad rerum eam grauiorum ſublimitatem proueheret.* Vide ſuprà

Photius.

*Magna non ſubitò dicenda, ſed paulatim promoueantur auditores ad percipienda magna.*

Chryſoſt.



ſuprà *cap.* 1. *num.* 123. & *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 16. & *cap.* 10. *num.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 7.

140. Quartò D. Cyrillus lib. 2. cap. 85. *Nunquid tu maior es noſtro Iacob? quaſi confutatur: impoſſibilem orationem mulier protulit, Saluator autem, verbis quidem ſibi (ne arrogans videretur) id apertè non attribuit; rebus autem hoc ipſum perſuadet.* Non ſe maiorem oſtendit Iacob verbis, hoc aſſerendo apertè in ſermone ſuo, ſed illuſtriora operando ſe excellentiorem declarat. Ideo ad aquarum differentiam venit, cùm aqua ſua in infinitum excedat Iacob aquam: regius enim ſplendor, ac ingenita nobilitas, non tam declaratur verbis, quàm operibus comprobatur.

Cyrill.

*Regius ſplendor operibus potius, quàm verbis oſtenditur.*

141. Cùm Chriſtus Dominus accederet ac ſuſcitandum Lazarum, orans ad Patrem ait: *Pater gratias ago tibi, quia audiſti me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*, Ioan. 11. num. 41. Cùm tamen ad ſepulchrum accedit, alta voce ait: *Lazare veni foras.* Valde mirum, quòd Chriſtus orans, Deum Patrem ſuum appellat; cùm tamen ad donandam vitam mortuo deuenitur, nullam Patris facit mentionem. Cur non ait: Lazare veni foras in nomine Patris mei? Veni foras, vt videant omnes, quòd ego ſum filius mei Patris, præcipuè cùm intentio operis ad hoc referatur? vt ipſamet Veritas dixit citato loco num. 42. *Sed propter populum qui circunſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.* Expende myſterium, dum Chriſtus orat, ac ſuam ſubiectionem, & demiſſionem, vt homo, erga Patrem oſtendit, ipſum Patrem appellat. At dum opus perpetratur, vt à populo agnoſcatur filius ſui Patris, non verbis hoc exprimit, nec ore profert Patrem, ſed miraculo, ac admirabili facto ſe filium ſui Patris declarat. D. Baſilius Seleucus orat. 42. *Cur non dicit*, ait, *In nomine Patris mei prodi foras? Cur non dixit: Pater eum vitæ reſtitue: ſed his omiſſis omnibus, in ſpeciem precantis compoſitus, rebus ipſis authoritatem manifeſtat? Hoc eius ſapientiæ eſt, verbis demiſſionem animi, factis poteſtatem demonſtrare. Cùm enim Chriſto nihil aliud obiectare haberent, quàm quòd ex Deo non eſſet, hoc ipſum idcirco pleniſſimè monſtrat, ac eo modo, quem eorum repoſcebat infirmitas.* Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 70. & *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 27. & 98. & *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 38. & *cap.* 5. *num.* 9.

Ioan. 11.

*Opera declarant, quilibet cuius filius ſit.*

Baſil.

---

## QVÆSTIO XXI.

### *Quomodo dicat Chriſtus, quòd qui biberit ex aqua ſua, non ſitiet in æternum, cùm Sapientia dicat:* Qui bibunt me, adhuc ſitient?

142. QVÆSTIO præſens eſt: Quomodo Chriſtus Dominus ait: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*; & tamen ſapientia æterna ait de ſe: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient*, Eccleſiaſt. 24. num. 29. Et Regius Vates Pſal. 41. n. 3. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Quo pacto hæc cohæreant inter ſe, & non habeant repugnantiam, hîc eſt inquirendum.

Eccleſia. 24. Pſalm. 41.

143. Reſpondet primò Albertus Magnus, Carthuſianus, D. Bonauentura, Lyranus, quòd triplex eſt deſiderium. Primò eſt deſiderium rei non habitæ, vt habeatur. Secundò eſt deſiderium rei habitæ, vt conſeruetur. Tertiò eſt deſiderium rei habitæ, vt augeatur, & creſcat. Dum ergo dicitur à Sapientia: *Qui bibunt me, adhuc ſitient*, eſt ſecundo, & tertio modo: quia iuſtus maximè deſiderat conſeruare Dei gratiam, ac amicitiam, & in charitate erga Deum creſcere, & proficere. Chriſtus Dominus autem loquitur de primo deſiderio, & ſiti: nam qui ſemel accipit in ſe Spiritum ſanctum non habet neceſſitatem iterum illum recipiendi; ſemel enim acceptus ſemper in nobis manet, niſi per peccatum à nobis eiiciatur, ac expellatur.

Albert. Mag. Carthuſ. Bonauent. Lyran.

*Explicatur triplex deſiderium.*

144. Secundò D. Thomas. Quòd Chriſtus Dominus opponit ſuam aquam aquæ corporali: nam qui bibit ex aqua elementari, iterum ſitiet; quia huiuſmodi aqua non habet cauſam perpetuam, ſed deficientem; ſitis nanque eſt appetitus frigidi, & humidi; vnde cum datur exigentia vtriuſque, fit ſitis in nobis. At verò aqua ſpiritualis, cùm habeat cauſam indeficientem, ſcilicet Spiritum ſanctum, ſitiat in æternum. Cùm autem res ſpiritualis, licèt tollat deſiderium aliarum rerum, deſiderium ſui ipſius magis accendat, vt ſemper ad maiorem perfectionem tendat: inde fit, quòd qui habent hanc aquam ſpiritualem, non ſitiant in æternum, cùm aqua ipſa non deficiat, de quo loquitur hîc Chriſtus: ſitiunt tamen eius maiorem perfectionem, & augmentum, de quo eſt ſermo in Sapientia. Tertiò Maldonatus ita explicat. In Eccleſiaſtico, *Qui bibunt me, adhuc ſitient*; quo in loco *ſitire* idem eſt ac *amare*, & *concupiſcere*; quia quo magis ſapientiam diuinam guſtamus, eo magis illius amor creſcit. Hoc autem loco non ſitire, eſt, non indigere; quia Spiritus ſanctus ſemel in nobis habitus ſemper perſeuerat, niſi per peccatum à nobis eiiciatur.

D. Thom.

*Sitis vnde proueniat.*

Maldonat.

145. Quartò breuiter ita rem explico, Qui deguſtauerit aquam diuini Spiritus, non ſitiet in æternum; quia iam per gratiam habet in ſe ſemen, & radicem gloriæ, per quam noſter appetitus in æternum ſatiatur. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, Pſalm. 16. num. 15. Tamen qui bibunt me, adhuc ſitient; nempe poſſeſſionem, & fruitionem ipſius gloriæ, ac viſionem Dei, in cuius amore in immenſum deſiderant creſcere. Ita ait D. Bernardin. *tom.* 2. *ſerm.* 46. *art.* 2. *cap.* 5. Explicans citatum locum Eccleſiaſtici, inquiens: Si iuſti edunt, quomodo eſuriunt? & ſi bibunt quomodo ſitiunt? ait S. Pater: *Quomodo amantes te ſic reficis, vt magis eſuriant? niſi quia tu cibus es ſimul, & eſuries? ideo qui te deguſtauerit, te prorſus eſurire neceſſe eſt; ad hoc enim cibus, vt eſurire facias.* Qui Deum deguſtat per gratiam, Deum eſurit, & non eſurit; non eſurit, quia per gratiæ participationem Deum tenet, cuius ſupernaturalibus bonis maximè recreatur; & Deum eſurit, quia appetit eius claram viſionem, & fruitionem, cuius ſemen iam in ſe habet per gratiam. Ait Paulus ad Hebræos 4. num. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Meritò inquirit ibi D. Thomas, cur Apoſtolus maluit dicere thronum gratiæ, quàm thronum gloriæ, cùm thronus maieſtatem, & gloriam dicat, & ad eam declarandam Reges vti conſueſcant?

*Explicatur difficultas ex propria ſententia.* Pſalm. 16.

*Gratia ſemen gloriæ.*

Bernard.

Hebr. 4. D. Thom.



facilis

*Per gratiam inuenitur requies gloriæ.* Lyran.

facilis eſt ſolutio ex ſententia Theologorum, quòd cùm gratia ſit ſemen gloriæ, qui accedit ad gratiam, iam virtute, ac in radice accedit ad gloriam. Et ita ait Lyranus: Accedamus ad thronum gratiæ, vt requiem inueniamus, quia per gratiam inuenitur requies ſempiternæ gloriæ.

## QVÆSTIO XXII.

### *Quare hæc aqua Chriſti extinguat ſitim in æternum, cùm Angelus dederit potum Eliæ ſolùm ad quadraginta dies?*

146. 3.Reg.19. APPARET Angelus Eliæ deferens panem, & vas aquæ; & ait illi: *Surge comede. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit; & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus; & quadraginta noctibus*, 3.Reg.19.n.8. Cur aqua conceſſa à Chriſto tollit ſitim in æternum; & miniſtrata ab Angelo ſolùm per quadraginta dies recreat Prophetam, ac eius ſitim extinguit? Ratio litteralis manifeſta; quia hæc aqua Chriſti eſt ſpiritualis, quæ nunquam, quantum eſt ex parte ſua, deficit; aqua verò Angeli materialis, quæ miraculosè præſtitit illum effectum, ne ſitiret Elias per quadraginta dies; vt ibi latè explicat Abulenſis. (Abulenſ.) Ratio verò moralis. Aqua, quam Chriſtus præbet, recreat hominem, ne in æternum ſitiat, eſt enim aqua, ac donum è manu Domini deueniens, quod extinguit, ac ſedat ſitim. At aqua diſtributa manu miniſtri, etiam Angeli, in opportuniori occaſione deficit, & non tollit ſitim, itaut neceſſe ſit, quòd homo eſuriat, & ſitiat. Et ita ait S. Optatus lib.4. contra Parmenionem, *Aquam, quam ego do, qui biberit, non ſitiet in æternum. Non dixit; quam dederint, qui ſe ſanctos putant, ſed ſe daturum dixit.* Nam ſolùm aqua, quam Dominus dat, poterit ſatiare in æternum, non verò quam miniſter præbet.

*Quæ Dominus dat, ſatiãt, non, quæ miniſter diſtribuit.* Optatus.

147. Cùm populus itineraretur per deſertum, volens Dominus cæleſti manna eum alere, ait Moyſi: *Ecce ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies*, Exod.16. num.4. (Exod.16.) de quo agens Pſalmiſta ait: *Pluit illis manna ad manducandum; & panem cæli dedit eis*, Pſalm.77. num.24. (Pſalm 77. Sapient.16.) & Sapientia ait: *Paratum panem de cælo præſtitiſti illis*, Sapient.16.num.20. Meritò dubitabis, cùm multa mirabilia facta ſint in Ægypto per manum Moyſis, ac eius virgam; Aquæ verſæ ſunt in ſanguinem. diffuſæ in aëre tenebræ, ranæ ebulliuerunt in aquis, grando cecidit è nubibus, vt patet ex *cap.* 7. *Exod.* &c. Mare per manum Moyſis diuiſum eſt, & iterum per manum Moyſis reuerſæ ſunt aquæ, *Exod.*14. *num.*27. quæ operuerunt Ægyptios, dum manus Moyſis extenſæ eleuantur, vincitur Amalech ab Iſraëlitis. Si tot portenta perpetrantur in Ægypto per manum Moyſis, cur etiam, quando manna è cælo cadit, ibi non interuenerunt manus Moyſis? Potentiores ne erant ad tot plagas infligendas in Ægypto, quàm vt famelicis cibum darent? Minimè; diuina virtus interuentu Moyſis vtrunque poterat perpetrare; tamen ipſe Deus de cælo pluit, & præſtat manna. In quo ad noſtram moralem eruditionem magnum myſterium voluit declarare. Per manum Moyſis vexetur plagis Ægyptus, aquis obruatur Pharao cum ſuo exercitu, ac vincatur Amalech: at dum Manna ſupremi Regis donum è cælo cadit, ipſe dominus det, & pluat; nulla ibi ſit manus miniſtri diſtribuentis, vt nullus eſuriat, ſed omnibus ſuperabundet. Et ita præcepit Deus, vt vnuſquiſque ſibi colligeret; non verò per diſtribuentium manus haberet. Pro qua re optimè ait Caſſiodorus lib. 12. variar. 11. (Caſſiodor.) *Dona Regum nulla debent pollutione fuſcari; ſed ſicut ab ipſo exeunt copioſa, ita debent, ad ciues peruenire: mutant enim quanlibet largitatem miniſtrorum manus: & ſicut fontis puritas per limoſa corrumpitur; ſic affluentia boni Regis auaris diſtributionibus immutatur.*

*Manus miniſtri ad vexãdum; manus Domini ad benefaciendum.*

*Beneficia, vt omnibus abũdent per manus Domini diſtribuãtur.*

*Ioannis* 4.*n.*14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Tolet. ex Græco.* | Immo potius aqua, quam ego dabo. |
| *D. Cyrill. Alex. lib.2.cap.*85. | Fiet ei fons aquæ. |
| *Syriacus.* | Fons aquarum ſaliẽtium in vitam æternam. |
| *Vatablus.* | Euadet in eo fons aquæ. |
| *D. Athanaſ. lib. de Incarnat.* | Efficietur in ipſo fons aquæ ſcaturientis. |
| *D. Hieron. in c.14.Zachar.* | Fiet in eo fons aquæ viuentis, & ſalientis. |

### *EXPOSITIO.*

PROMISERAT Dominus mulieri aquam viuam; ſuperiori verſu explicauit excellentiam naturæ ſuæ aquæ, quæ tollit ſitim in æternum. 148.
Declarat modò *viuam*, quòd iſta aqua fiet in bibente fons aquæ ſalientis, ſeu viuentis, vt legit D. Hieronymus. (Hieron.) Ait Dominus: *Sed aqua, quam ego dabo.* Illa particula *ſed*, legitur ex Græco per modum exaggerationis, & augmenti, *imò potiùs*, Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, ſcilicet ex gratia diuina Spiritus ſancti, ipſe Spiritus ſanctus, vt explicant D. Chryſoſtomus *homil.* 31. D. Ambroſius, D. Cyrillus ſtatim citandi. D. Thomas, Albertus Magnus, qui per Chriſtum datur credentibus fit fons aquæ producentis eos in vitam æternam. Et hic eſt legitimus ſenſus. D. Ambroſius *lib.*1. *de Spiritu ſancto cap.*19. refert, quòd aliqui Patrem ipſum interpretantur, qui eſt fons, à quo omnium noſtrûm vita Criſtus procedit. Alios refert, qui dixerunt, hunc fontem eſſe ipſum Filium, à quo emanat noſtra vita, quæ eſt Spiritus ſanctus. Et in hac explicatione ſunt D. Athanaſius *lib. de Incarnat. Chriſti*, D. Paulinus *Epiſtol.*3. *ad Auguſt.* alios refert, qui per fontem intellexerunt Spiritum ſanctum, quam interpretationem ipſe Ambroſius ſequitur *cap.* 20. S. Sophronius *orat. in Natali Domini*, per hunc fontem ſalientem intelligit B. Virginem Mariam, quæ ſua interceſſione ſuos deuotos producit in vitam æternam. D. Paſchaſius *lib. de corpore & ſanguine Domini cap.* 1. ſacram Euchariſtiam interpretatur, quæ nobis dat vitam æternam. Hæc aqua, vt ipſe explicat, & illa, quæ miſcetur in calice, & conuertitur in vinum, & poſtea tranſit in ſanguinem Chriſti. Et ſubdit S. Pater. *Nec dubium, quia ſub hoc myſterio illam bibamus aquam, de qua Dominus: Qui biberit aquam, inquit, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: propterea non inconuenienter, etiam ob hoc, ibidem aqua conſecratur, non quòd aqua permaneat, ſed vertatur in ſanguinem.* D. Hieronymus *in cap.* 14. *Zachar.* per fontem ſacram doctrinam interpretatur, quæ nos ducit ad cæleſtia. Tandem Rupertus *lib.*4. *in Ioan.* fontem hunc de Baptiſmo explicat, qui nos ducit in vitam æternam.

Chryſoſt. Ambroſ. Cyrillus. D. Thom. Albert. Mag. *Quid ſignificet fons hoc loco.* Ambroſ. Athanaſ. Paulinus. Sophronius.



*Fons. B. Virgo ducens ſuos deuotos in vitam æternam.* Paſchaſ. *Fons Euchariſtia ducens ad vitam æternam.* Hieron. Rupert.

149. *Spiritus ſanctus duci in vitam æternam.* *Salientis in vitam æternam.* Tanta eſt efficacia Spiritus ſancti, vt per ſua dona, ac ſupernaturales habitus hominem eleuet, ac ducat in vitam æternam. Et dicitur *ſalientis*, non cadentis; quia hæc gratia Spiritus ſancti ſemper ad ſuperna tendit, ac aſcendit, ſempérque in Deum fertur, vt explicat D. Bonauentura. (Bonauent.) Dicitur *fons ſalientis*, quia, vt interpretantur D. Thomas, Caietanus, (D Thom. Caietan.) aqua diuini Spiritus nunquam ſiſtit, ſed ſemper noua opera prodire facit. Vel fons aquæ ſcaturientis, quia cæleſtis gratia, quantum eſt ex parte ſui, nunquam deficit, ſed ſemper pleno amne fluit, vt dicam *quæſt. ſequenti*, ex Theophylacto, D. Cyrillus *lib.*2.*cap.*25. (Cyrill.) per fontem interpretatur Spiritum ſanctum, à quo deuenit aqua ſcaturiens cæleſtis doctrinæ.

## QVÆSTIO XXIII.

### *Quare Spiritus diuinus dicatur in nobis fons, & non mare, vel ſtagnum aquarum?*

150. EX ſuperiori expoſitione fit manifeſtum, quòd per fontem hoc loco intelligitur Spiritus ſanctus, ſiquidem ab ipſo fluunt omnia bona ſupernaturalia in nos. Ratio verò litteralis, ob quam à Chriſto Domino hîc appellatur fons, ea eſt; quia Dominus ex fonte illo materiali, ad quem ſedebat, ſumpſit metaphoram ad fontem ſupernaturalem; ſiquidem ex aqua illa materiali ad aquam ſpiritualem vitæ æternæ habuit exordium ſermonis. Alias verò rationes morales ad noſtram eruditionem inquirimus.

151. Ambroſ. Reſpondet primò D. Ambroſius lib. de Filij diuinitate cap.6. *Dominus*, ait, *fons aquæ viuæ appellatur, quia ex eo ſitientia corda cæleſtis aquæ gratia irrigantur.* Animam noſtram, cùm ſit terra arida, vt ait Pſalmiſta 142. num.6. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*; ipſe diuinus Spiritus ſuo cæleſti rore irrigat, ac diuinæ aquæ gratia fœcundat. Secundo Hugo. *Fiet in eo fons continuè fundens, quia ſemper manat, nec eſt otioſa.* Non ſtagnum aquarum, ſed fons; ſtagnum enim aliquando ſiſtit in aquis; at verò fons ſemper eſt manans, & dans aquas: ita Spiritus ſanctus in anima, quàm fœcundat, ſemper noua dona, ac bona communicat. Et ait pulchrè Theophylactus hîc: *Fons fit aquæ, quæ in dies magis, ac magis multiplicatur.* Diuinus Spiritus in anima per illuſtriores actus eam ſemper ad nouum augmentum promouet.

*Gratia cæleſtis irrigat corda noſtra arida.* Pſalm. 142. Hugo. *Gratia ſemper ad nouũ augmentum nos producit.* Theophyl.

Tertiò D. Cyrillus Alexandrin. lib.2. cap.85. 152. Cyrill.
*Qui biberit, inquit Chriſtus, ex aqua, quam ego præbeo, non modò nunquam ſitiet, ſed illum in ſe ipſo fontem continebit.* Aqua, quam Chriſtus dat, non fit in nobis riuulus aquæ; vel aliqualis portio aquæ, ſed fons; animæ enim, quam Chriſtus fœcundat, non partita, aut diuiſa ſunt dona, ſed totus illapſus ſe illi communicat, ac totum Deum fontem aquæ viuæ in ſe anima continebit, cuius dona plena, ac conſummata vndique ſunt. Quartò idem D. Cyrillus citato loco: (Cyrill.) *Aquam, ait, rurſus gratiam Spiritus appellauit, quam qui adeptus eſt, diuinæ ſcientiæ ſcaturientem fontem ſi adeptus eſt, vt facile poſſit ad potum verbi cæleſtis etiam cæteros hortari, quales olim erant Prophetæ, atque Apoſtoli.* Diuinus Spiritus fit in nobis fons, non puteus; nam puteus ſibi ſoli continet aquas, & neſcit alteri dare: at fons ſibi ſoli aquas non retinet, ſed per aliorum prata diffundit, eorum campos irrigans. Ita diuinus Spiritus animam impingueſcit, vt cæleſtia dona intellectus, ſcientiæ, ac aliorum bonorum ibi minimè claudantur, ſed cæleſti vena doctrinæ in alios diffundantur, eos docendo, illuminando, ac ad æternam vitam perducendo. Vide *lib.*1. *cap.*5. *num.*14. *& ibidem num.*106.

*Deus, non partita, ſed perfecta dat dona.*

*Qui diuina dona habet, omnibus cõmunicat.*

Quintò Ruricus Epiſcopus Lemouicenſis lib. 153. Ruricus.
2. Epiſtol.33. *Hanc aquam*, ait, *ſi quis fidelis, non guſtu tantùm ſummo tenus ore libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetens conuiua ſorbuerit; protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet, & hoc incipiet eructare, quod biberit.* Valde mirabile eſt, quòd hic fons emittat aquas ſuas in vitam æternam, hoc eſt, in cæleſtia. Cur hæc aqua non cadat in cor, vt ipſum irriget, ſed ad cælum feratur? Mare aquas ſuas per terræ meatus transfundit; at hæc aqua eſt fons totus ſalientis in cælum. Ait Iacobus in ſua Canonica cap. 1. (Iacob.1.) num.17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt.* Cùm ergo gratia ſancti Spiritus, qui, inter ſua dona, animi gratitudinem communicat, è cælo dilabatur; pia anima, illam accipiens, inde impulſus diuinæ gratiæ, tanquam aqua è fonte, ſalit ſurſum, vt ipſa tota in laudem ſui datoris erumpat, ac ipſi pro tot donis acceptis gratias referat. Diuina gratia non fit in nobis mare, ſed fons; nam aqua maris per occultas venas deorſum tendit: at fons totus ad ſuperna conſcendit, vt in laudem ſui Creatoris totus ſe explicet, & ipſum quærat, vt ibi requieſcat. *Protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet, & hoc incipiet eructare, quod biberit.* In hanc etiam ſententiam tendit Rupertus lib.4. in Ioan. (Rupert.) *Aqua hæc à quocunque, ait, bibita fuerit, ad matrem ſuam æternæ diuinitatis abyſſum reſilit, illuc, inquam, reſilit, vnde venit, pariterque bibentis animam, etiamſi in infernum deſcendit, ſaliendo in vitam æternam ſuſtollit.* Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 256. & 257.

*Iuſtus omnia bona ac epta in laudem Dei refert.*

Sextò D. Gregorius Nyſſenus lib. de Oratio- 154. Nyſſen.
ne Dominica. *Aquam, ait, ad aſpergendum, non ex alienis riuulis, ſed in nobis ipſis ſcaturientem Deus largitur, ſiue oculorum quis fontem dicat, ſiue puram cordis conſcientiam.* Cæleſtis ros veniens à gratia, ac auxilio Dei fit in nobiſmetipſis,

*Lachrymæ mũdant conſcientiam, & ducunt in vitã æternam.*

ac in noſtris præcordiis fons aquæ viuæ pœnitentiæ, ac lachrymarum ad mundandam conſcientiam, ad purificandam animam. Et ita ipſæ guttæ lachymarum ab oculis cadentes fiunt in nobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Vide ſuprà *hoc cap. num.61. & 91. & lib.2. cap.5. num.55.*

155. Septimò. Dominus hîc promittit, quod gratia Spiritus ſancti in nobis fiet fons: *Fons ſalientis in vitam æternam.* Et Ioan.7. num.38. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Eleganter vtrunque locum explicat D. Cæſarius Arelaten. *homil.* 34. ait: *Ad iſtum ergo fontem feliciter currit, quicunque ad Eccleſiam feliciter venit. Sed ſicut de fonte terreno, & corporali fluuio non poteſt aliquis bibere, ſi ſe noluerit inclinare: ita & de viuo fonte Chriſto, & ſancti Spiritus fluuio nemo aquam viuam haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit, propter illud, quod ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Non ait Dominus, quòd fit in nobis aqua in nubibus veniens, ſed fons, vel fluuius, quia de hoc fonte, & fluuio nemo poteſt bibere erecto capite, ſed ſummiſſo corpore; nec enim cœleſtibus donis fruitur, qui ſuperbè ſe erigit, ſed qui humiliter ſe inclinat.

Ioan.7. Cæſarius.

*Si adeſt humilitas, cæleſtibus bonis fruimur.*

156. Cùm Daniel vidiſſet Gabrielem Angelum, de quo ait Propheta cap.8.num.17. *Venit, & ſtetit iuxtà vbi ego ſtabam: cumque veniſſet, pauens corrui in faciem meam; & ait ad me: Intellige fili hominis.* Frequenter legis, Danielem viſione Angelorum frui: immo etiam ipſum Dominum in throno ſedentem meruiſſe aſpicere, *cap.7.num.9.* Frequenter inuenies, Danielem cum Angelis habuiſſe ſermonem. Nunquam tamen reperies, quòd Daniel nomine *filij hominis* appelletur, niſi hoc loco. Quid in hoc euentu enituit in Propheta, vt nomine filij hominis dignus habitus fuerit; quo ipſemet Filius Dei, dum inter nos eſt conuerſatus, paſſim vocitatur filius hominis. Vnde ergo Daniel tantum nomen eſt aſſecutus? Conſidera, quod ipſe ait: *Pauens corrui in faciem meam*; cùm Propheta ob ſuam humilitatem ſe indignum iudicauerit tanta viſione, ac allocutione; & ſe inclinans demiſerit in terram: ideo in tantum exaltatus eſt, vt nomine filij hominis nobilitetur. Vnde ait Hildebertus Epiſtol. 71. *Inclinatio humilitatis, aſcenſio eſt beatitudinis.*

Daniel.8.

*Per humilitatem ſubleuamur ad magna.*

Hildebert.

157. Diſcumbebat Petrus cum cæteris Apoſtolis ſuper ripam maris Galilææ, quibus ſe Dominus manifeſtauit: *Et nemo diſcumbentium audebat interrogare: Tu qui es?* Ioan.21. num.12. Et ibi Petrum Pontificem ſuæ Eccleſiæ creat, & ait illi: *Paſce oues meas*, ibidem num. 17. Sed quæro: Cur Petrus ad tantam dignitatem non euehitur, dum Dominum agnoſcens ſe miſit in mare, *ibidem num.7.* Vel quando in Cœnaculo magno, & nobiliſſimè ſtrato ſedebat ad menſam Domini, *Luc. 22. num.12.* ſed diſcumbens in ripa ad tantam extollitur dignitatem? Ipſe habitus inclinationis, ac humilitatis maximè attrahit Deum, vt Petrus Pontificatum ſibi promiſſum tunc mereatur accipere, & infulæ culmen tunc ei detur. D. Baſilius Seleucus orat. 28. *Quanto quis factum comprimit, tanto gratiam attrahit: & modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis.*

Ioan.21.

Baſil.Seleuc.

*Ioannis 4. n.15.* Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Dicit ei mulier illa: Domine mi, da mihi ex his aquis, ne rurſus ſitiam; nec veniam huc hauſtum.

*Vatablus.* Da mihi iſtam aquam, ne veniam huc ad hauriendum.

## *EXPOSITIO.*

158. QVANQVAM Ieſus diceret ea, quæ non poterant intelligi corporaliter, vtpote quòd in bibente fieret fons aquæ ſalientis in vitam æternam; mulier tamen, non ſolùm muliebris, vt ait Caietanus, ſed & craſſi ingenij, de corporea aqua intellexit. Vel quia, cùm mulier ſolùm cogitaret de aqua materiali, ideo ad illam cuncta dicta retulit: de elementari enim aqua totum ſermonem mulier intellexit, vt docent D.Cyrillus, D.Auguſtinus. At D.Chryſoſtomus, & Theophylactus, aliquid ſupra ſenſum mulierem concipere, aſſerunt. Etquia Chriſtus dixerat: Mulier, ſi petiſſes, dediſſem tibi aquam viuam; ideo mulier vtilitate aquæ commota, ac adducta, vt aduertit Origenes, aquam petit. Et hoc ob duplex commodum, vt ait Carthuſianus. Primò, vt à pœna ſitis ſit libera, *vt non ſitiam.* Secundò, vt à labore hauriendi eripiatur: *Ne veniam huc haurire.* Vnde ait D. Auguſtinus tract.15. *Ad laborem indigentia cogebat, & laborem infirmitas accuſabat. Vtinam audiret: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth.11. num.20. *Hoc enim dicebat Ieſus, ſed illa nondum intelligebat.* Tamen Chriſto reuerenter alloquitur; appellat eum Dominum. Et iam Chriſti aquam, vt notant Theophylactus, D. Bonauentura, præfert aquis Iacob; *Non veniam huc haurire.* Et quanuis mulier tunc non intelligeret myſterium, iam ex ſermone Chriſti incipiebat, temporalia omnia deſpicere.

Caietan.

*De eo, quod homo agit, exiſtimat, alios tractare.*

Cyrill. Auguſt. Chryſoſt. Theophyl.

Origen. Carthuſ.

Auguſt.

Matth.11.

Theophyl. Bonauent.

## QVÆSTIO XXIV.

### *Quare, cùm Chriſtus Dominus proponat ſuam admirabilem aquam Samaritanæ, ac Nicodemo, illa eam petat, hic verò minimè.*

159. MAGNA encomia dixit hîc Chriſtus Samaritanæ de ſua aqua, quòd eſſet aqua viua, quòd extingueret ſitim, ac quòd in bibente fieret *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Multa etiam præclara dixit Dominus Nicodemo de ſua aqua: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Ioan.3. num.5. Quòd latè explicauimus ſuprà *cap.3.* Et tamen vidimus hoc loco, quòd Samaritana petat aquam: *Da mihi hanc aquam*; & Nicodemus longas ponat quæſtiones: *Quomodo poſſunt hæc fieri? Nunquid poteſt homo in ventrem matris ſuæ iterum introire, & renaſci?*



Ioan.3.

160. D. Chryſoſtomus *homil.* 31. Theophylactus hoc attribuunt inſpirationi, ac donis Spiritus ſancti, quibus citiſſimè mulier fuit illuſtrata. Ita ait Chryſoſtomus; *Credidit continuò mulier longè Nicodemo ſapientior; nec ſapientior ſolùm, ſed & fortior. Ille huiuſmodi pluribus auditis neminem aduocauit, neque ſibi confidit: hæc Apoſtolico officio functa eſt, omnibus audita annuntians, & populum extra ciuitatem ad Chriſtum aduocans, ac trahens vniuerſum. Ille, quomodo poſſunt hæc fieri, inquit; neque manifeſtum Spiritus exemplum à Chriſto adductum accepit: mulier verò parumper hæſitauit; mox non expectata confirmatione, ad eius ſermonem tanquam certum accipiendum, properat; dicente enim Chriſto: fiet in eo fons aquæ ſalientis, ſtatim ſubdit: Da mihi hanc aquam.* Nicodemus longum ſermonem habuit cum Chriſto, & confirmatione eius doctrinæ audita: *Spiritus, vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis, quò vadat*, Ioan.3. num.8. adhuc eius mens non quieſcit, ſed inquirit: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Mulier, quanuis in principio aliquantulum hæſitauerit; tamen iam aliquantulum irradiata ab Spiritu ſancto, abſque aliqua confirmatione, eius ſermoni acquieſcit, & petit aquam. Petebat tamen aquam corporalem, vt dixi in expoſitione, nondum enim perfectè erat illuminata, ſed ex ſermone Chriſti aliquantulum iam profecerat.

Chryſoſt. Theophyl.

*Ex donis gratiæ venit, quòd homo credat & cupiat ſermonem Chriſti.*

Ioan.3.

161. Secundò. Habent colloquium cum Chriſto Nicodemus, & Samaritana; hæc citius capit ſermonem Chriſti, quàm magiſter Iſraëlis Nicodemus. D.Chryſoſtomus *homil.27.in Ioan.* ait: *Venit lux in mundum. Verùm Nicodemus multitudinis gloria mulcebatur; quamobrem debitam fiduciam habere non poterat.* Muliercula, & Doctor, ac Princeps Iudæorum ad Chriſtum accedunt: mulier poſt pauca dictis Chriſti conſentit: Cathedraticus Iſraëlis poſt multa adhuc cæcus hæſitat: num fœmina ſapientior, ac acutior doctore? Vnde ergo illa citiùs capit ſermonem? Erat fœmina humilitate demiſſa; Princeps verò Iudæorum faſtu, ac mundiali gloria plenus: & humilitas ſemper prompta ad audiendum, perſpicax ad intelligendum; ſuperbia verò, ac mundialis faſtus ſemper cæcutiens, & clauſos habens oculos, vt ſub apertis radiis claram lucem non valeat intueri.

Chryſoſt.

*Humilitas perſpicax ad intelligendū.*

*Superbia in manifeſtis cæcutit.*

162. Tertiò. Vnuſquiſque ſubſiſtit in ſuo fine, ac intentione. Nicodemus venerat ad Dominum, vt ab eo inſtrueretur; & ideo dixit: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter.* Samaritana ad fontem ibat, vt aquam hauriret; ideo mulieri oblata aqua eam petit; Nicodemus inſtat ſcire, & ait: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Quartò. Nec Nicodemus, nec Samaritana intelligebat aquam de qua Chriſtus loquebatur: ille venerat ad Dominum, vt de cæleſti doctrina inſtrueretur; ideò vt prudens, ac auidus ſalutis inſtat ſcire, quænam erat aqua illa, quæ promittebatur, vt cognita eius natura, eam peteret. At Samaritana, vt muliebris, ac facilis ingenij petit aquam, quam nondum perfectè intelligebat, attracta illius vtilitate. Prudens enim non mouetur, nec appetit, niſi ea, quæ intelligit, & penetrat.

*Vnuſquiſque reſpondet proportionatè ad ſuum intentum.*

*Priùs intelligit prudens, quàm petat.*

Quintò. Vtrique tam fœminæ, quàm principi, multæ excellentiæ de aqua Chriſti propoſitæ fuerunt; quod daret vitam, aperiret regnum cælorum: vterque pro tunc materialiter, ac corporaliter rem accipit: mulier petit aquam; Nicodemus verò ſcientiam, & intelligentiam ipſius aquæ: *Quomomodo poſſunt hæc fieri?* Nam omnia illa præclara dicta à Chriſto de aqua, adhuc ille in carne detentus corporaliter intelligebat; & inter illa temporalia, quæ ei videbantur, nihil aliud petit, & deſiderat, niſi ſcientiam, & intelligentiam: hanc enim inter huius mundi diuitias pretioſiorem exiſtimabat. Ait ſerpens mulieri: *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum*, Geneſ. 3. num.5. Cur non promiſit ſerpens, quòd in quocunque die comederint, erunt ſicut immortales potentes, vel amplum imperium, & regnum poſſidentes? Agnoſcebat aſtutus inimicus, ſcientiam ſuper omnes diuitias ab homine æſtimari, & nil magis eius appetitum allicere, ac blandiri poſſe, quàm ſcientiam, ac rerum cognitionem. D.Thomas Opuſcul.2.c.183. *Vt in tranſgreſſionem præcepti faciliùs inclinaret diabolus, illa promiſit, quæ homo naturaliter appetit; ſcilicet vitationem ignorantiæ, dicens: Aperientur oculi veſtri, & perfectionem ſcientiæ, cùm dixit: Scientes bonum, & malum, homo enim ex parte intellectus naturaliter fugit ignorantiam, & ſcientiam appetit.* 163.

*Scientia ſuper omnia bona temporalia æſtimatur ab homine.*

Geneſ.3.

D.Thom.

*Ioannis 4. n.16.* Dicit ei Ieſus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

*VERSIO.*

*Syriacus.* Abi, voca virum tuum.

## *EXPOSITIO.*

MIRA prudentia, ac modeſtia iam meus Ieſus accedit ad infirmitatem mulieris ſanandam, vt obſeruant Ammonius, ac Chryſoſtomus. Poterat enim Dominus, ſtatim in principio ſermonis omnem ſeriem ſuæ turpitudinis, & vitæ mulieri aperire, ac enarrare: noluit tamen; ſed poſt longum ſermonem, opportunas occaſiones captans, vt diceret ea, per quæ mulier emendaretur. Nam proloquium dictum occaſione poſtulante peculiarem habet leporem, vim, & energiam. Nec mulieri ſtatim in faciem obiicit ſua ſcelera, ſed cæleſtis medicus anſam quærit, vt ipſa ſuum peccatum fateatur; & quæ cum tot viris luxuriando, legi, ac Deo inobediens erat, per obedientiam ipſi Deo præſtitam, primò reformetur. Et ideo ei ait: *Vade, & veni huc.* Et quæ tot obſcœnis luxuriæ fœdata, ac coinquinata inueniebatur, valde improportionata erat ad munditiem ſpiritualium donorum. Ad radicem, ac originem ipſius morbi iam 164.

Ammonius. Chryſoſt.

*Dicta in occaſione habēt leporem.*

*Obedientia primus gradus ad emendationem.*

*Luxuria improportionata ad ſpiritualia.*

iam cæleſtis medicus ſe conuertit ac amouet manum, & ait illi : *Voca virum tuum.* Bene, & optimè ſciebat Dominus, quòd illa non habebat virum proprium, ſed tantùm adulterum; per hoc tamen eam vult introducere ad fatendum ſuum peccatum : *Non habeo virum*, ac ad ſuum miſerrimum ſtatum conſiderandum : nemo enim emendari poteſt, niſi ad ſe conuertat oculos, & ſui miſerrimam conditionem agnoſcat. Et dum Chriſtus ei ait : *Voca virum tuum*, Lyranus, & Carthuſianus hoc referunt ad virum putatiuum communi opinione vulgi; ei non dixit : Voca tuum amatorem, tuum concubinarium, vt re vera erat; ſed *voca virum tuum*; nec enim in caſtiſſimo, ac mundiſſimo Ieſu ore capiebat nomen, luxuriæ notam ſonans, neque etiam vt eo audito mulier verecundaretur in vultu.

*Propria cognitio ad emendari nē neceſſaria.*

Lyran.
Carthuſ.

## QVÆSTIO XXV.

### *Quare, dum mulier petit aquam, ei præcipitur à Domino, vocare virum ſuum?*

165. PETIT mulier aquam, *Domine, da mihi hanc aquam*; mandat ei Dominus : *Voca virum tuum.* Optimè ſciebat Dominus, quòd nullum habebat legitimum virum, ſed tantùm turpem amicum. Cur ergo ei dicit : *Voca virum?* An volebat, adeſſe illud turpitudinis mancipium? Reſpondent primò Euthymius, D. Gaudentius *tractat. de Paral.* Simon Caſſianus. Quòd ſi perſpicaci mente Chriſti facta, & dicta ſcrutamur, quòd Dominus ita agebat cum muliere, vt paulatim illam erudiret; tum, vt ipſa aliquid de viro ſuo reſpondente, occaſionem captaret Dominus de anteactæ vitæ turpitudine illam obiurgandi, ac per conſequens ſe detegendi eſſe Prophetam, & Meſſiam promiſſum in lege, *& ita mulier præſtaret fidem dictis*, vt ait Caſſianus, *quæ ſupra cognitionem cæterorum hominum vulgabantur.* Vt alicuius dicta auſculteris, neceſſe eſt vt magnam opinionem de eo concipias. Tum etiam, vt, muliere de viro ſuo reſpondente, inde vitia eius patefierent, & nihil occultum in ea maneret, ſed omnia latibula prodirent, vt ita mulier traheretur ad cognitionem, ac confeſſionem ſuorum delictorum, vt ab eis mundaretur, vt dixi in expoſitione, & aquam viuam, quam petebat, reciperet. Et ita ait D. Gaudentius citatus. *Iam Dominus Samaritanæ illius mulieris vitia occulta prodiderat, & confeſſam ſpirituali fonte mundauerat.*

Euthym.
Gaudent.
Caſſian.

Caſſian.
*Vt alicuius dicta audias, neceſſe eſt vt de eo opinionem habeas.*

*Per confeſſionem mundatur conſcientia.*
Gaudent.

166. Secundò D. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap.87.* & D. Auguſtinus *tract. 15. in Ioan.* Quòd, cùm mollis, ac tardus ſit intellectus mulieris; docilior autem natura virorum, atque callidior; hac de cauſa, arbitror (ait Cyrillus) virum vocare ſuum, mulieri iubetur. vt per eum præpararetur, ac inſtrueretur ad admirabilem doctrinam. Ita obſeruat D. Auguſtinus, D. Paulum conſtituiſſe, vt per viros ſuos mulieres docerentur, 1.*Corinth.* 14. *num.* 13. At ratio non videtur multum efficax; aderat enim Chriſtus Dominus, qui erat optimus Magiſter docens, & illuminans. Deinde cur ad illam inſtructionem eligitur ille potius adulter, quàm alius probus vir?

Cyrillus.
Auguſt.

*Mulieres per viros ſuos doceantur.*

1.Cor.14.

167. Tertiò D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* ad ſenſum moralem recurrit, quem ſequuntur Euſebius Emiſſenus *homil. de hoc Euangelio.* Beda, Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, per virum intelligunt intellectum. Nam, cùm mulier eſſet in errore, ei dicitur : *Voca virum tuum*; hoc eſt, intellectum, per quem regi, & dirigi debes, vt intelligas, quæ dico ſpiritualiter, & non ſentias carnaliter. *Et veni huc*; id eſt, adeſto præſens, & propè per cognitionem ſpiritualem, quæ abſens eſt, & remota, dum præſentis veritatis non intelligis vocem.

Auguſt.
Emiſſenus.
Beda.
Albert.Mag.
D.Thom.
Bonauent.
Hugo.

*Homo dirigatur per intellectum, & rationem.*

168. Quartò D. Chryſoſtomus *homil.* 31. ita explicat. *Vade, inquit Chriſtus, voca virum tuum. De dono ſermo habebatur, & gratia humanam excedente naturam, inſtabat mulier, & eam efflagitabat. Dicit Ieſus : Vade, voca virum tuum : quaſi opus eſſet, cum eo communicare.* Similiter Euthymius, Theophylactus, Maldonatus. Magnum exemplum, ac documentum præſtitit Dominus maritatis fœminis. Doni auida, illud petebat mulier; largiendi verò multo magis Dominus erat ſtudioſus : tamen donum diſtulit dare, quoad vſque eius vir veniat opus erat, conceſſum donum cum marito communicare. Nil enim vtile recipiat mulier, cuius conſors eius particeps non ſit; cùm omnia in coniugatis debeant eſſe communia. Vel etiam in noſtram eruditionem. Diſpoſuit Dei Sapientia, vt abſente, & inſcio marito nil mulier recipiat. Veniat ergo vir eius, & ſit præſens, vt mulier donum deſideratum impetret à Chriſto; & vir ſciat, vnde mulier donum accipit, & ita etiam ipſi marito communicetur.

Chryſoſt.

Euthym.
Theoph.
Maldonat.
*Omnia bona communicet mulier cum viro.*

*Vir ſciat, vnde vxor dona accipit : & ipſa nil recipiat eo abſente, & inſcio.*

169. Quintò idem Chryſoſtomus homil. de Samarit.6. tom. *Si conſortem habes copulæ, fiat & conſors fidei, nec ſpiritualium horum ſola donorum gratiam accipias.* Ardenter ſitibunda inſtabat mulier pro cæleſti aqua; tamen Dominus donandi cupidus cunctatur, & mulierem remittit in ciuitatem. *Vade voca virum*, quæ iam ingenium Domini præſentiens, ac adorans, tendens in ciuitatem, ciues vocat, & trahit ad Dominum. Nec enim vni ſoli conſueuit diuina manus benefacere, ſed extenſa pluribus ſua bona largitur, ac concedit.

Chryſoſt.

*Cæleſtia dona, non vni ſoli, ſed pluribus communicantur.*

170. Sextò. Olim in exordio mundi Diabolus ſerpens antiquus per mulierem mortiferum venenum effudit in virum, ac ipſum ſeduxit : veniens Dominus in mundum omnia reſtaurans, vt virum reformaret, ac adduceret ad vitam, per mulierem vult trahere. Ex quo conſidera, quantum diſtat res ſub Deo, ac ſub Diabolo. Per mulierem ex Dei voce vir vocatur ad ſalutem: Diaboli verò ſuaſione per mulierem vir demergitur in perditionem. Sed in hac mea conſideratione expende illud, quòd, vt mulier alliceret virum ad peccati ruinam, abſque alicuius mandato ipſa, *vt comedit, deditque viro ſuo*, Geneſ. 3. num. 6. At vt Samaritana maritum ſuum ad ſalutem pertrahat, ei mandatur à Domino : *Voca virum tuum.* Eua dabat pomum ad mortem, & ruinam; Samaritana verò inuitabat ad vitam; & adeò propenſi ſumus in malum, & deſides ad bonum, vt ad ruinam, ac præcipitium, nullius exigatur mandatum, ſed per noſmetipſos tendamus; attamen ad directionem, & ſalutem, adeò

*Quantum diſtat res ſub Deo, & Diabolo.*

Gen.3.

*Ad malum veloces, ad bonum deſides.*

torpeſcit



torpeſcit animus, vt niſi mandato impellamur, nunquam eamus.

171. Paſſim inuenies in Scriptura, Iſraël idola, ac Deos alienos inuocantem, *Iudic.* 10. *numero* 13. & 3. *Regum cap.* 18. *num.* 26. & *Oſeæ* 7. *n.* 11. Et tamen ipſi populo multis miſeriis, ac calamitatibus oppreſſo, dicitur à Domino per Ieremiam 3. num. 4. *Amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Sed ſi populus adeò frequens erat, vt pro ſua voluntate Deos alienos quæreret, ac inuocaret, in quibus erat perditio, ac ruina; vt tamen ad verum Deum reuertatur, ac opportunum remedium impetret, neceſſe eſt, ei mandari : *Inuoca me.* Iſraël ex proprio impetu ad præcipitium ruebat, vt tamen ad vitam ſe erigat, & remedium exquirat, opus eſt, multis propoſitis beneficiis, ei mandari, vt Deum inuocet. D. Paſchaſius lib. 1. in Matthæum : *Qui ad Idola ibat, vt ad Deum veniat, ei dicitur : Inuoca me.*

Ierem. 3.

Paſchaſ.

172. Aiunt impij Sapient. 5. num. 7. *Ambulauimus vias difficiles*, & tanta celeritate, ac concitato curſu per has vias gradiuntur, vt dicat Pſalmiſta 13. numero 3. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Tamen, vt ad cælum tendant, in idque ferantur, ait cæleſtis prædicator Ioannes: *Appropinquauit iam regnum cælorum*, Matth. 3. n. 2. Nouus ſanè dicendi modus. Homo debet quærere, & ſeſe appropinquare ad regnum cælorum. At è contra Ioannes ait : *Appropinquauit regnum cælorum.* Quanuis enim homo ſit velociſſimus ad ambulandas vias difficiles; tamen adeò iners, & piger eſt ad cæleſtia quærenda, vt quin cælum ipſum ſe inclinet, & ad nos veniat, nunquam ſe homo ſit moturus, & conſcenſurus ad illud. Gloſſa, *Appropinquauit regnum cælorum, quia niſi appropinquaret, nemo redire poſſet.* Homo cæleſtem patriam vehementer deſiderat; ad illam tamen adeò torpeſcit, vt ad in cælum ingrediendum, neceſſe ſit, quòd ipſummet ſe approximet, & ad nos veniat. Vide *cap.* 3. *n.* 125. & *l.* 3. *c.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 12.

Sapient. 5.

Pſalm.13.

Matth. 3.

*Homo torpeſcit, vt in cælis conſcēdat.*
Gloſſa.

*Ioannis* 4. *n.* 17. Reſpondit mulier; & dixit : Non habeo virum

*VERSIO.*

*Syriacus.* Non habeo maritum.

## *EXPOSITIO.*

173. MVLIER verum dixit, vt ſtatim aſſeruit Chriſtus Dominus, *Bene dixiſti*; muliebri tamen fraude verum profert; vt obſeruat Salmeiron, & falſa intentione; eo quòd putabat, ſe excuſatam à vocando viro : mulier enim nimis curioſa, & cupida accipiendi donum promiſſum, negat, ſe habere virum, ne dum abiret, & virum vocaret dilationem pateretur. Albertus Magnus inquit, quòd ita mulier reſpondet ſuum crimen palliando. Nam, vt ait Gloſſa, virum non habebat, vtebatur tamen quodam non legitimo. D. Chyſoſtomus *homil. de Samarit.* exiſtimat, quòd ipſa confeſſa fuerit ſuum crimen. Ita ait : *Cœpit deinceps ſua peccata aperire mulier, cœpit deinceps confiteri, ac dicere : Non habeo virum; iam enim in ſcortationis, & luxuriæ profundo demerſa ſum, & virum non habeo.* In eadem etiam ſententia eſt Rupertus *lib.* 4. *in Ionn.* Et eleganter ponderat, quòd Samaritana vidit ſe concluſam, & ait : *Mulier, quæ nec virgo, nec vidua erat non timet repulſam, agnoſcens ſuam indignitatem, confeſſa eſt, dicens:* Non habeo virum. Qui ſuum dilectum agnoſcit, non erubeſcit confiteri,

Salmeiron.
*Mulier nimis curioſa accipiendi donū.*

Albert.Mag.

Gloſſa.

Chryſoſt.



Rupert.

*Qui ſuum agnoſcit delictū confiteri, nō erubeſcit.*

*Ioannis* 4. *n.* 18. Dixit ei Ieſus : Bene dixiſti; quia non habeo virum : quinque enim viros habuiſti, & nunc, quem habes, non eſt tuus vir : hoc verè dixiſti.

*VERSIONES.*

*Arias.* Pulchrè dixiſti : Quia non habeo virum.

*Syriacus.* Bene dixiſti : Non habeo maritū; quinque enim maritos habuiſti, & iſte, quem nunc habes, non eſt tuus maritus: hoc verum dixiſti.

*Heracleon apud Orig. tom.* 13. Sex viros habuiſti.

## *EXPOSITIO.*

174. IAM meus Ieſus ſe incipit manifeſtare mulieri, aperiendo illi ea, quæ humana notitia erant ignota. Et bis Dominus laudat mulierem? *Bene dixiſti*; *hoc verè dixiſti*; vt meliùs, & fortiùs correptionem ſuſcipiat. Et Dominus, ſemel eam laudare non contentus, bis hoc repetit; quia mulier, quæ diſertè ſuum peccatum abſque falſitatis permixtione fatetur, omni eſt laudatione proſequenda, cùm mulieris ingenium ſit valde procliue, vt propria delicta fuco falſitatis obtegat. *Quinque viros habuiſti*, illegitimos, & iniqua coniunctione, vt ſtatim explicabo ſequenti quæſtione. *Et nunc, quem habes, non eſt tuus vir*; fornicaria copulatione illi adhærebat mulier; & ei Dominus ſuum peccatum modeſtiſſimè dicit, non contumelioſè, non culpam exaggerans, neque ait: Iniquè, & petulanter egiſti; ſed ſimpliciter tantùm illius peccatum detegit; nam adulterij occulti propalatio, imperfectæ fœminæ ſatis erat magna correctio, vt ita mulier diſponeretur ad pœnitentiam, ad ſuumque confitendum delictum. Ex quo ait Simon Caſſianus *lib.* 11. *cap.* 1. Diſcant Confeſſores, non rigoroſis verbis, ſed ſuauibus ſuadere pœnitentem ſuum peccatum confiteri. *Hoc verè dixiſti.* Nam quanuis ipſa adhuc non eſſet confeſſa ſuum peccatum, vt eſt probabilius, ei tamen Dominus ait: *Verè dixiſti*; quia, vt inquit Albertus Magnus, *Nemo eſt in toto malus, nec aliquis eſt in toto corruptus.*

*Dominus laudat mulierē, vt fortiùs correctionem ſuſcipiat.*
*Mulier quæ ſuum peccatum non occultat, omni proſequenda laude.*

*Culpa dicenda, verùm nō exaggerāda.*

Caſſian.

Albert.Mag.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO XXVI.

### *An viri, quos habuit Samaritana, legitimi extiterint?*

175. Origen.

REFERT Origenes *tom.* 13. Heraclionem, qui legebat: *Sex viros habuiſti*, ſed cum noſtra vulgata legendum eſt, *quinque viros*; vt legunt ipſe Origenes, & omnes codices, tam Latini, quàm Græci. Sed tota difficultas eſt in hac materia: An huiuſmodi quinque viri fuerint legitimi, an adulterini?

175. *Quinque viri legitimi.* Auguſt. Hilar. Athanaſ. Beda. Rupert. Caſſian. Beaulxam. Tolet. Barradas.

Communis ſententia Patrum, ac Recentiorum tenet illos quinque viros fuiſſe legitimos; & illum, quem de præſenti habebat, eſſe fornicarium, Ita D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* D. Hilarius *de Trinit.* D. Athanaſius *quæſt.* 58. *ad Antiochum.* Beda, Rupertus, Simon Caſſianus *lib.* 11. *cap.* 1. Recentiores Beaulxames, Toletus, Barradas. Et hoc intentant colligere ex textu; dicitur enim: *Quinque viros habuiſti, & nunc, quem habes, non eſt tuus vir.* Quinque viros habuiſti, qui verè erant viri, ſeu mariti; hoc enim propriè ſignificat nomen *viri*; nunc autem quem habes, non tuus vir, quia fornicarius eſt. Et inquiunt citati Doctores, quòd illi quinque viri permittebantur vni mulieri ex lege Samaritanorum; & illi quinque viri in hac occaſione erant mortui, vt tradūt D. Athanaſius *citatus* & D. Chryſoſtomus *homil. de Samarit.* & cum illo, quem de præſenti habebat mulier, ſcortabatur. (Athanaſ. Chryſoſt.)

177. *Quinque viri illegitimi.* Irenæus. Chryſoſt. Albert. Mag. Maldonat.

Secunda ſententia, & meo iudicio probabilior eſt, illos quinque viros, & illum, quem de facto habebat, fuiſſe illegitimos, & fornicarios. Ita docent D. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 19. D. Chryſoſtomus *in Pſalm.* 13. Albertus Magnus citans Chryſoſtomum, Maldonatus. Et probatur; quia Chriſtus patefecit Samaritanæ ea, quæ erant occulta, & abſcondita, & ita ipſa ſuis conciuibus ait: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Ex quo rectè colligit Caietanus, quòd Chriſtus indicauit ei omnia, quæ egit ab adoleſcentia ſua; inter quæ numerandum eſt, quòd quinque viros habuiſſet; de hoc enim facit expreſſam mentionem Euangeliſta; & ſi hoc erat publicum, & manifeſtum, Chriſtus non dixit mulieri ſua abſcondita ab adoleſcentia; nec ipſa miraretur, quòd ille eſſet Propheta: ac proinde, vt ego exiſtimo, ita mulier fornicabatur cum illis quinque viris, vt eſſet quid abſconditum, & nullus ſciret; & cum illo, quem habebat de præſenti, ſcortabatur mulier, quamuis in opinione vulgi reputaretur vir ſuus, vt ſuprà dixi ex Lyrano, & aliis. Vnde optimè Albertus Magnus accommodat illud Ierem. 3. num. 2. *Fornicata es cum amatoribus multis.* (Caietan. Albert. Mag. Ierem. 3.)

178. Rupert.

Rupertus *lib.* 4. *in Ioan.* per hos quinque viros intelligit quinque ſenſus, quibus congregatio Gentium luxuriabatur, & tunc copulata erat viro non ſuo, ſcilicet Diabolo. Communiter tamen Patres, D. Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* Beda, D. Bonauentura, Hugo, intelligunt moraliter quinque ſenſus, quorum delectationi mulier ſe tradiderat. *Et nunc, quem habes*; ſcilicet errorem, quem ſequeris: & in quem cadit homo ex præcedentibus peccatis, *non eſt tuus vir*; quando enim ucccedit intellectus, qui regit, & gubernat animam, tunc ſuccedit legitimus vir. Ait Sapiens Prouerb. 1. num. 22. *Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum.* Loquitur Sapiens cum dilectoribus mundi, quos paruulos, ſeu imperitos appellat, vt habet textus Hebraicus: *Vſquequo imperiti diligitis infantiam?* hoc eſt, vt explicat Hugo, & Lyranus, bona delectabilia, quia tanquam infantes intellectu carentes bona delectabilia ſenſuum functione percipiunt. Ad quos clamat diuina Sapientia: *Conuertimini ad correptionem meam*, ad meam doctrinam. *En proferam vobis ſpiritum meum*, id eſt, vt ibi explicat Salazar, mentem meam, animi mei ſenſum vobis exponam, vt cum vera cognitione intelligatis, quæ vtilia ſunt. Vnde ait S. Nilus in Aſcetico: *Quandiu ludis puerilibus delectamur, nondum virilem ſenſum accipimus: quandiu in agendo erimus infantibus imbecilliores? ab illis ſaltem diſcamus, ad præſtantiora contendere*, & ſubdit, *ad verum intellectum conſcendere.*

(Auguſt. Beda. Bonauent. Hugo. *Senſuū error, & deceptio, per intellectū eſt emendandus.* Prou. 1. Hugo. Lyran. Salazar. S. Nilus.)

## QVÆSTIO XXVII.

### *Quanta prudentia Chriſtus Dominus Samaritanam reprehendat?*

REPREHENDIT Dominus hîc Samaritanam: *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Qui etiā frequenter obiurgabat Phariſæos, & Scribas; vocabat enim eos hypocritas, ſepulchra dealbata, genimina viperarum, generationem peſſimam, & adulteram; & cùm tam rigidè Dominus in Phariſæos inueheretur, exiſtimat Chryſoſtomus citandus, quòd duriùs Dominus hîc mulierculam tractauerit, quàm ipſos Phariſæos. Sed vnde tanta acerbitas, & aſperitas in huius mulieris reprehenſione, cùm eius tantùm delicta, ac adulteria abſque vlla exaggeratione ei Dominus explicauerit, vt dixi in expoſitione? D. Chryſoſtomus homil. 31. *Grauius*, ait, *quàm illos, Dominus reprehendit; hoc enim vnius peccatum erat, illud commune pluribus; neque ita communibus, vt propriis obiectis criminibus offendimur.* Peccata, quæ ſuggillantur in fœmina, illli erant peculiaria, illique ſoli dicebantur: *& nunc, quem habes, non eſt tuus vir*; & multo magis non pungit, ac rubore afficit, dum in particulari reprehenſio infligitur, quàm illa, quæ in communem multitudinem fertur; nam aliquod in calamitate leuamen ex ipſa ſimultate hauritur. 179.

(Chryſoſt. *Grauius pungit reprehenſio in peculiari, quàm quæ in communi datur. Ex ſocietate leuamen in calamitate.*)

180. Dominus Tamen mira manſuetudine, prudentia, ac lenitate mulierem reprehendit, vt eam ad pœnitentiam inuitet, vt docent, ipſemet Chryſoſtomus *homil. de Samarit.* D. Auguſt. *tract.* 15. *in Ioan.* Euſebius *homil. de hoc Euangelio.* Rupertus, Beda, Albertus Magnus, D. Thomas; & alij. Imò, vt ipſa reprehenſio mulieri fieret ſuauis, bis eam laudauit: *Bene dixiſti; verum dixiſti*, quo artificio vſus eſt Paulus, vt ſuos Corinthios ad vera doctrinam adduceret. Ait illis 1. Corinth. 11. num. 22. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum; aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos, in hoc non laudo.*

(Chryſoſt. Auguſt. Euſebius. Rupert. Beda. Albert. Mag. D. Thom. *Vt fortius reprehenſio capiatur, ante illā laus præmittatur.* 1. Cor. 11.)



Hoc eſt, vt explicat S. Remigius, D. Thomas, & alij, in aliis rebus laudo vos; at verò in hoc, quòd Eccleſiam Dei deſpicabilem facitis, ac veſtram obdurationem in pauperes oſtenditis, non laudo vos. Sed quomodo diuinus Paulus eos laudat, vt meritò addubitet D. Thomas, cùm peccator non ſit laudandus, vt probat ex *Pſalm.* 9. iuxta Hebr. 10. numero 3. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur: exacerbauit Dominum peccator.* Et Iſai. 3. numero 12. *Popule meus, qui te laudant, ipſi te decipiunt.* Bonus Doctor Gentium priùs eos laudat, vt ipſo blandiori verbo, vt ait Theophylactus, eorum animos reconciliaret, vt mitiùs reprehenſionem caperent. Vnde eleganter loquitur D. Chryſoſtomus ibi homil. 27. *Quod ſi quis eo maximè miretur, quòd cùm perterrere vehementiùs poſt tantorum peccatorum reprehenſionem, & tangere debuiſſet, ipſe contrarium faciat: remiſſiùs enim loquitur, & dat vt reſpirent, cùm medicus ſit optimus, viciſſim vulneribus ſectionem inducit.* Expende illud verbum, *dat, vt reſpirent*; quia non ſemper in reprehenſione inſtandum.

(Remigius. D. Thom. Pſalm. 9. Iſai. 3. Theophyl. Chryſoſt.)

181. In huius rei argumentum expende cap. 2. & 3. Apocalypſeos. Vbi ſeptem laudantur Epiſcopi Eccleſiarum Angeli; & ſtatim de nonnullis ipſorum defectibus arguuntur. Deus Epiſcopum Epheſinum reprehendens ab eius laudibus ſumit exordium: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & non potes ſuſtinere malos*, Apocal. 2. n. 2. Et ſtatim ad eius reprehenſionem deuenitur: *Sed habeo aduersùs te pauca*, ait, *quia charitatem tuam reliquiſti*, ibidem numero 4. Et iterum ad eius laudes dirigitur ſermo: *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*, ibidem numero 6. Sed ad quid vna reprehenſio tantis laudibus circunuallatur, niſi vt faciliùs audiatur, & ſuauior fiat in animo delinquentis? Rupertus ibi: *Notanda diſpoſitio ſermonis*, ait, *quàm artificioſa ſit. Priuſquam emitteret auſteritatem reprehenſionis, quæ laudanda erant, collaudauit. Et pòſt vbi corripuit, ac minas intentauit, rurſus, quod laudandum erat, laudauit. Ita reprehenſionis amaritudinem, ne nimis offenderet, atque exterreret, collaudationis dulcedine circunliniuit.*

(Apoc. 2. Rupert. *Reprehenſio aliquando eſt laude temulcenda.*)

*Ioannis* 4. *n.* 19. Dicit ei mulier: Domine, video, quia Propheta es tu.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Domine mi, video te eſſe Prophetam. |
| *D. Chryſoſtom. hom.* 31. | Videris mihi Propheta eſſe. |
| *Aliqui ex Græco.* | Contemplor te eſſe Prophetam. |

## *EXPOSITIO.*

182. QVANTVM diſtat hæc prudens mulier, dum reprehenditur à Phariſæorum peſſimo ingenio, vt pulchrè expendit D. Chryſoſtomus homil. 31. *Verum*, ait, *Iudæi reprehenſi moleſtè ferunt; & dicente Ieſu: Quid me quæritis interficere? non ſolùm non admirantur,* (Chryſoſt.)



*quemadmodum mulier, ſed maledicunt ei, & conuiuantur, dicentes: Dæmonium habes; quis te quærit interficere.* Ioan. 7. num. 20. *Atque ex aliis ſignis illum cognoſcere poterant. Samaritana hoc duntaxat acceperat, & non modo nil maledicit, ſed admiratur, & ſtupet, & Prophetam autumat.* Dum Samaritana ſe videt redargutam, non excandeſcit, non contumelioſe reſpondet; ſicut Phariſæi, qui correpti à Chriſto ira exardeſcebant: quorum veſtigia, proh dolor! tenemus qui ſi vno verbo admoniti, ſtatim totis viribus in corripientem, vt notat Hugo, inſurgere volumus. Eccleſiaſt. 21. num. 7. *Qui odit correctionem, veſtigium eſt peccatoris.* At mulier æquo animo paſſa eſt reprehenſionem, & quamuis ſua à Chriſto audierit delicta, ei reuerenter alloquitur: *Domine.* Iam tertiò eum Dominum appellat: *Domine, neque in quo haurias*, num. 11. *Domine, da mihi hanc aquam*, num. 15. Et nunc tertiò. Aliter verò fatuæ illæ virgines bis dicunt: *Domine, Domine, aperi nobis*, Matth. 25. num. 11. & deeſt tertium *Domine*; quia, vt ſuo loco dicam ex D. Gregorio, & Hilario, fide, & ſpe dicunt bis: *Domine, Domine*; & quia non habuerunt charitatem, non valuerunt tertiò dicere, *Domine.* Et ideo audierunt: *Neſcio vos.* At Samaritana fide credidit Prophetam, & Meſſiam; ſpe ſperauit aquam viuam; charitate cucurrit ad ciuitatem, & omnes traxit ad Chriſtum. Et ideo meruit ingredi ad nuptias Agni.

(*Prudens mulier reprehēſione non iraſcitur.* Hugo. Eccl. 21. Matth. 25. Gregor. Hilar. *Charitas neceſſaria, vt ad ſalutem ingrediaris.*)

183. *Video, quia Propheta es tu*, non ſolùm ait: Propheta es tu; ſed *video*, hoc eſt, ex effectu, & opere cognoſco, te eſſe Prophetam; nempe ex ſecretorum reuelatione, quia mea abſcondita reuelaſti, quæ ſolus Propheta agnoſcere poteſt. Et dum dicit *Prophetam*, vt obſeruant Rupertus, Hugo, fatetur eum inſpectorem ſuæ conſcientiæ; & ſimul vno verbo confeſſa eſt mulier Chriſti dignitatem, & ſuam iniquitatem in adulterando. Imò D. Chryſoſtom. *homil. de Samaritana*, vult, quòd, dum Prophetam dicit, Meſſiam intelligit, de quo ſcripſit Moyſes Deuteron. 18. num. 15. *Prophetam de gente tua ſuſcitabit Dominus*, &c. Et cùm Meſſiam eum agnoſcat, ait Chryſoſtomus citatus, *nil ſæculare, nec diuitias petit ſed tantùm ait, ab occultis meis munda me.* Sed mulier adhuc in hac occaſione non cognoſcebat, Chriſtum eſſe Meſſiam, vt patebit ex dicendis infrà num. 223. De hac tamen muliere inquit D. Hieronymus epiſtol. ad Ruſticum: *Quid Samaritana vilius? non ſolùm ipſa credidit, & poſt ſex viros vnum inuenit Dominum.* Felix mulier, quæ licèt in quinque viris, & in ſexto, quem habebat, errauerit; tamen tot lapſibus non deſperat, nec frangitur animus, ſed adhuc ſolicitat de ſua ſalute, conſtanti pectore ſtat, & ideo inuenit Dominum authorem vitæ

(Rupert. Hugo. Chryſoſt. Deuter. 18. Chryſoſt. Hieron. *Nulla ruina, nec peccatis eſt deſperandum.*)

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Quare ex verbis Chriſti mulier intellexit, ipſum eſſe Prophetam?*

184. PROPHETA, vt docent D. Chryſoſtomus, D. Thomas, & Albertus Magnus *hîc*, dicitur, qui abſentia, & incognita annunciat. Quod explicans Suarius *tom. de fide, diſp.* 8. (Chryſoſt. D. Thom. Albert. Mag. Suarius.)

*Quid ſit Prophetia.*

Rupert. Carthuſ. Hugo.

*ſect.* 3 *num.* 2. ait : Prophetia propriè eſt quædam cognitio ex diuina reuelatione indita, qua res occultiſſimæ alicui manifeſtantur, vt aliis annuntiet. Vnde Rupertus, Carthuſianus, Hugo, & alij docent, prophetiam annnuntiare vel futura, vel præterita, vel præſentia abſcondita. Vnde, cùm Chriſtus Dominus dixerit mulieri id, quod erat occultum, de quinque viris, quos habuit, & id, quod erat occultum, de viro, quem de præſenti habebat, vt dixi *quæſt.* 26.*n.* 177. qui reputabatur vir ſuus, & non erat; rectè ergo mulier intellexit, & intulit, Chriſtum eſſe Prophetam. Ad alias rationes morales deueniamus.

185. Primò reſpondeo, quòd, cùm Chriſtus Dominus dixerit Samaritanæ, quòd quinque viris fuerit coniuncta, & hunc, quem habes, non eſt tuus vir, ex eo intulit mulier, *Propheta es tu*; ſed quomodo hæc fit conſequentia ? Nam quòd illa tot viris fuerit copulata, res erat ex ſe, ac ex natura ſua, humana induſtria cognoſcibilis, ac multorum oculis patens: cùm ergo Dominus denuntiauerit illa, quæ humana intelligentia facilè deprehendi poterat, quomodo mulier eum Prophetam appellat ? Totus diſcurſus verus eſt, & quòd tot viros habuerit, res erat non effugiens humanum captum: tamen Samaritana ita cautè, & circunſpectè degebat, vt ad ſua delicta deprehendenda, veluti quodammodo prophetiæ donum exigeretur. Valde peſſimum, quòd tot peccatis ſe homines commiſceant; tamen cur non ita cautè fiant, ne aliis offendicula præparentur ? De quo maximè arguitur populus Iſraëliticus ab Iſaia 52. *num.* 5. & refertur à Paulo ad Rom. 2. n. 24. *Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes*, ſeu, vt legit D. Cyrillus, *Nomen meum per vos malè audit in gentibus.* Vbi Dominus conqueritur de ſcandalo, quod cum peccatis ſuis dabant Iſraëlitæ; & inde multas in nomen Dei gentes diffundebant blaſphemias.

*In peccatis ne demus ſcandalum, ſed cautè fiant.*

Iſai. 52. Rom. 2.

Cyrill.

186. Secundò. Si verò dicas, quòd peccata Samaritanæ erant notoria in ciuitate, & quòd multis non erant abſcondita, ſed manifeſta, vt ſæpe contingit in ſimili caſu, præcipuè in muliere, quæ habebat cupiditatem, quam refrænare non poterat, vt de ea refert D. Athanaſius *quæſt.* 58. *ad Antioch.* Quomodo ergo ex eo, quod Chriſtus ei dixerit, quinque viris fuiſſe copulatam, & nunc cum alio, qui vir ſuus non erat, inde Chriſtum Dominum aperta voce Prophetam profitetur ? Samaritana agnouit, Chriſtum eſſe alienigenam: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis*; & in tanta æſtimatione appretiauit ſuos conciues, vt apud ſe eſſe fixum, & determinatum, quod ex ciuitate nullus exiret, qui alienis ſuorum patriciorum delicta euulgaret, ac aperiret. Cùm Dauid accepiſſet mortem Saulis, & Ionathæ, in multas lachrymas prorumpens ait ſuis: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in campis Aſcalonis*, 2. Reg. 1. n. 20. Vbi Caietanus aduertit, quòd deteſtatur annuntiationem in plateis Philiſthinorum. Sed quomodo Dauid prohibet, quòd res tam publica annuntietur, & eorum annuntiationem deteſtatur? Nam, cùm Dauid ſuos milites, tanquam bonos clientes, & regni nutritios æſtimauerit, pro certo habuit, quòd Regis, ac Principis humiliationem alienis non publicarent.

Abulenſ.

*Conciuium delicta alienis ne publicentur.*

2. Reg. 1.

Caietan.

187. Tertiò. Cùm Dominus diſcumberet ad menſam, venit Magdalena, & lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur eos. *Videns Phariſæus ait intra ſe : Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*, Luc. 7. num. 39. At Samaritana ex Chriſti colloquio infert, eſſe Prophetam. Cur Phariſæus negat Chriſto prophetiæ donum, qnod in ipſo cognoſcit mulier Samariæ ? Phariſæus falſo iudicio ſibi perſuaſit, Chriſtum Dominum peccatricis delicta diſſimulaſſe, & non corripuiſſe : ait Samaritana vidit, quòd Dominus ipſam reprehendebat de ſuis iniquè factis : *Et hunc, quem habes, non eſt tuus vir*; ideo illa Prophetam eum eſſe, indubitanter aſſeuerat. Tunc enim maximè innoteſcit, aliquem eſſe Prophetam, Magiſtrum, ac doctorem, quando aliorum delicta corripit, & arguit. *Iam non eſt Propheta*, lamentabantur Iſraëlitæ, *& nos non cognoſcet ampliùs*, Pſalm. 73. n. 11. Hoc eſt, vt explicat Genebrardus, iam ſumus ſine Prophetis, qui nos paſcant verbo Dei, & doceant.

Luc. 7.

*Tunc aliquis ſe oſtendit Prophetam, & doctorem, cùm aliorum delicta reprehendit.*

Pſalm. 73.

Genebrard.

288. Quartò. Ex eo, quòd Chriſtus Dominus dicat Samaritanæ ſua peccata, quomodo ipſa colligit, quòd ſit Propheta ? Nam Diabolus illa bene agnoſcebat, cùm eſſent adulteria, & actus externi præteriti, vel præſentes, quos Diabolus agnoſcit. Verum eſt, quòd huiuſmodi actus externi, ordinariè loquendo, non effugiunt intellectum Diaboli, quanuis eos edicere non ſoleat, præcipuè ad vtilitatem alicuius. Qui verò huiuſmodi delicta annuntiat, vt alios poſſit ad meliorem viam reducere, hic, ſe eſſe Prophetam, & virum Dei, demonſtrat.

*Diabolus intentus occultare delicta, vir Dei corrigens vt emendet.*

189. Cùm Naas Ammonites vehementi obſidione premeret vrbem Iabes Galaad, poſtulantibus ciuitatis habitatoribus fœdus, & amicitiam, ait Naas : *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrûm oculos dextros*, 1. Reg. 11. num. 11. E contra verò bonus Angelus felle piſcis mandauit adoleſcentulo ſocio ſuo, linire oculos ſenioris Tobiæ, qui ſtatim viſum recepit, *Tob.* 11. *n.* 13. Sed cur Naas totis viribus intentat eruere oculos dextros; Angelus verò eos reſtituit ? Naas adumbrat Diabolum, qui oculum dextrum, ſcilicet intellectum, ac intelligentiam delictorum à nobis vult eruere, ac repellere, vt explicant D. Gregorius, Beda, D. Nilus *in Aſcetico*, Petrus Damianus *lib.* 4. *Epiſtol.* 5. vt ita homo totus cæcus in ſuis operibus permaneat. At bonus Angelius felle, ac amaritudine reprehenſionis, vt innuit Gloſſa, oculos aperit, cæcitatem excludit, vt noſtra antea facta in memoriam reducat, vt homo inde ad verâm lucem Dei aſcendat. Vnde ait S. Etherius lib. 1. contra Elipandum. *Prorſus à noſtra eſt repellendus Diabolus amicitia, quia, dum tenebrarum, in quibus ſemper eſt, caligines inſerit, conſentientibus ſibi lumen extinguit.* Et poſt pauca ſubdit : *Sequamur & ſanctos Angelos, qui Angeli lucis ſunt, vt nos doceant, & illuminent.*

1. Reg. 11.

Gregor. Beda. Nilus. Damianus.

Gloſſa.

Etherius.

*Ioannis* 4. *n.* 20. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis : Quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Eſſe locum, vbi oporteat adorare.

*Vatablus.*



*Vatablus.* Hieroſolymis eſſe locum, vbi oporteat adorare.

## *EXPOSITIO.*

190. MVLIER, vt ait Theophylactus, quæ paulo antè ſolicita, erat, ne ſiti vltrà vexaretur, iam de dogmatibus rogat. Vnde ait D. Thomas : Admiranda eſt mulieris diligentia; quia mulieres, vtpote curioſæ, & infructuoſæ, non ſolùm infructuoſæ, ſed & ocioſæ : ſed hæc mulier non de futuris, quanuis eſſet cum Propheta, non de mundanis eum interrogat; ſed ſolùm de his, quæ ad Religionem pertinent. Vnde maximè eam laudat Chryſoſtomus homil. 31. *Quod cùm opinaretur Prophetam, non amplius terrena interrogat, non bonam corporis valetudinem, non pecunias, non opes, ſed doctrinam.* Proſequitur mulier ſuam orationem : *Patres noſtri*, ſcilicet Samaritanorum, & Iudæorum Abraham, Iſaac, & Iacob. Ita explicant Ammonius, Origenes, D. Auguſtinus, D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Rupertus. Et, cùm eſſet Samaritana, hos vocat Patres, iam dixi ſuprà numero 130. *In monte hoc adorauerunt.* Digito oſtendebat montem Garizim proximum ciuitati Sichem, vt teſtatur Ioſephus *lib.* 5. *antiq. cap.* 9. ita vt è vertice illius colloqui poſſit cum ciuibus illius oppidi, *Iudic.* 9. *n.* 7.

Theophyl.

D. Thom.

*Mulier curioſa, & ſolicita de futuris.*

Chryſoſt.

Ammon. Origen. Auguſt. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Beda. Rupert. Ioſeph.

191. *Et vos dicitis, Ieroſolymis eſſe locum, vbi oporteat adorare.* Vos ſcilicet Iudæi, vultis, ac contenditis, quòd tantùm in Ieruſalem in monte Sion, vbi eſt templum, licita ſit adoratio. Mulier autem hîc per orationem intelligit ſacrificia, & oblationes, vt rectè obſeruarunt Ammonius, Simon Caſſianus *lib.* 11. *cap.* 2. Albertus Magnus, Carthuſianus, Lyranus, & alij. Nam adorare, puras manus leuando in cælum, in omni loco licitum erat. Et ita orarunt Daniel, Ezechiel, tres pueri in fornace, & alij multi. Sacrificare autem, ſolùm erat licitum in Ieruſalem in templo, vt dicam *quæſt. ſequenti.* Et ita mulier per orationem intelligit oblationes. Niſi velis dicere, quòd Samaritana, mulieris ingenium ſecuta, loquitur ampliando, & augendo ſermonem; ita vt pro oblatione ponat adorationem, quod eſt multo quid latius.

Ammon. Caſſian. Albert. Mag. Euthym. Lyranus.

*Mulieris ingeniũ augere ſermonem.*

---

## QVÆSTIO XXIX.

### *De controuerſia inter Iudæos, & Samaritanos de loco adorationis, & ſacrificij?*

192. SAMARIA in monte Garizim erat templum ædificatum perſimile Ieroſolymitano ædificio. Cuius extructionis cauſa fuit, quòd, cùm Alexander Magnus, deuicto Dario Perſarum Rege Syriam eſſet potitus, contigit, vt quidam Manaſſes frater, & collega Iaddi Pontificis Iudæorum, vxorem duceret filiam Sanaballetis genere Cuthæi, qui conſtitutus erat à Dario præfectus prouinciæ Samariæ. Cùm autem Pontifex, & ſeniores Iudæorum id ægrè ferrent, altari Ieroſolymitano prohibebant Manaſſem, niſi alienigenam vxorem Lege vetitam dimitteret. Sanaballetes promiſit Manaſſi genero ſuo, ſe illi, non ſolùm Sacerdotium, ſed & Pontificatum paraturum, & totius ſuæ prouinciæ eum Principem facturum, modò filiam ſuam in vxorem retineret. Et in huius pollicitationis fidem, ei ædificauit templum Ieroſolymitano ſimile in monte Garizim, qui imminet Samariæ, reliquis montibus celſior. Et paulo pòſt accedente conſenſu Alexandri Magni Manaſſes illius templi conſtitutus eſt Pontifex. Ita referunt Ioſephus *lib.* 11. *antiq. cap.* 7. & 8. Tornellius anno mundi 3721. num. 2. Salian. *tom.* 6. eodem anno mundi. Et ita illud templum ſchiſmaticum ædificatum eſt aduersùs Ieroſolymitanum.

*Ex quo principio templũ illud fuit ædificatum in monte Garizim.*

Ioſeph. Tornellius, Salian.

193. Cùm autem in Deuteron. eſſet præceptum à Domino cap. 12. n. 13. *Caue, ne auferas holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in eo, quem elegerit Dominus*; dicebant Samaritani, vt notat Franciſcus Lucas, locum electum à Domino eſſe templum Garizitanum. Quod ex eo probabant, vt notant D. Chryſoſtomus *homil.* 31. Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, quia Iacob veniens è Meſopotamia eo in loco erexit altare, *& ibi inuocauit fortiſſimum Deum Iſraël*, Gen. 33. num. 20. Et ex hoc monte datæ fuerunt benedictiones obſeruantibus legem *Deuteron.* 27. *n.* 12. Quòd autem aliqui ſcribunt, Abraham in illo monte filium ſuum immolaſſe, non videtur verum, hic enim fuit mons Moria, *Gen.* 22. qui, vt multi putant, eſt mons Caluariæ. Et hæc dicebant Samaritani pro ſacrificando in illo monte, quia ſolos quinque libros Moyſis recipiebant.

Deuter. 12.

Franc. Lucas

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Gen. 33.

194. Omnium eſt ſententia, quòd in templo Ieroſolymitano eſſet ſacrificandum. 2. *Paralip.* 7. *n.* 12. ait Deus Salomoni : *Audiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij.* Sapien. 9. n. 8. *Dixiſti, me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio.* Pſal. 131. n. 7. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Et hoc patet ex aliis innumeris locis. Iacob autem ſacrificauit eo in loco, quia nondum lex de templo Ieroſolymitano erat data.

2. Paral. 7.

Sapient. 9.

Pſal. 131.

195. Photius *in Catena Græca* pungit Iudæos, & Samaritanos circa hanc controuerſiam, ex eo quòd quilibet eorum contendebant, vt tantùm in eorum terra, & templo Deus adoraretur. Concludens ita ait : *Quaſi ſemel tota ibidem incomprehenſa illa, & ineffabilis natura, in vnum quodammodo compacta, & circunſcripta foret. Quamobrem tanquam omnino rudes hac in re, atque imperiti, voce Prophetarum reprehenſi ſunt, dicente Domino : Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum*, Iſai. 66. num. 1. Magnus Pater arguit inſipientes Iudæos & Samaritanos, exiſtimantes, quòd ſuprema Dei maieſtas, in illo ſuo templo concluderetur. Immò, vt ait Sà, quaſi alibi nemo poſſet placere Deo. Cùm enim Deus ſit immenſus, & infinitus, à nullo loco circunſcribitur, nec continetur. Quod multis probant Theologi *ad* 1. *part. quæſt.* 3. *art.* 1. Et pereleganti ponderatione probat D. Hieronym. ad citatum Iſaiæ locum. *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Ex illo loco ipſius Iſaiæ cap. 40. num. 12. *Cælos palmo ponderauit, appendit tribus digitis molem terræ.* Sed quis vnquam ſuam ſedem continet manu, vel digito, ſed potiùs continetur ab ea. Hæc ita ſunt dicta, ne quis arbitraretur, Dei magnitudinem cælo, vel terra

Photius.

Iſai. 66.

Sà.

*Dei præſentia nullo loco circumſcribitur.*

S. Thom.

Iſai. 40.

Hieron. metiendam. D. Hieronymus : *Per hæc*, ait, *oſtenditur Deus & forinſecus, & intrinſecus, & infuſus, & circunfuſus: dum & ſolio ambiente non concluditur, & pugillo concludit, ac palmo.*

## Qvæstio XXX.

### *Qua ſerie ſermonis mulier hanc de adoratione quæſtionem hîc Chriſto proponat?*

196. DIXERAT mulier antecedenti verſu: *Propheta es tu* ; & ſtatim ſubdit immediatè: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt* ; quæ verba non videntur multum inter ſe cohærere, ſed potiùs eſſe diſparata. Quiſnam ſit nexus, & qualis in his verbis dependentia, inueſtigandum eſt ? & quomodo conueniant, & inter ſe connectantur ?

197. Rupert. Prima ſolutio, & legitima quæſtionis traditur à Ruperto *lib. 4. in Ioan.* Quaſi diceret mulier : A diebus multis non eſt viſus Propheta in Iſrël, loquere nobis ex ore Domini ; da nobis te conſulentibus reſponſum iuſtitiæ in ſermone Domini. Ecce vetus, longumque certamen : vos Iudæi non coütimini nobis Samaritanis ; quia non adoramus in Ieroſolymis : dicitis enim, quia tantùm ibi adorare oportet. Patrum noſtrorum repugnat authoritas ; nam illi in monte hoc adorauerunt. Tu ergo, cùm ſis Propheta, da reſolutionem, tolle quæſtionem. Mulier vtpote curioſa, & iam ſolicita de ſua ſalute, vbi inuenit optimum Magiſtrum, & Prophetam, ſtatim quæſtionem à longo tempore agitatam proponit, vt ex eius ore, tanquam è ſermone Dei, reſolutio pateat. Et in hoc mulier maximè laudanda, quæ voluit inſtrui ab optimo Magiſtro, ac inſigni Propheta, vt ei iam videbatur.

*A bono magiſtro interroganda veritas.*

198. Cyriil. Secundò reſpondet D. Cyrillus lib. 2. cap. 90. *Quanuis*, ait, *Chriſtum Prophetam putauerit mulier, quia tamen Iudæum ex habitu eſſe videbat, Samaritanorum adorandi more gloriatur, & Iudæorum arrogantiam deſpicit.* Quanuis mulier Chriſtum agnoſceret Prophetam, adhuc tamen purum hominem exiſtimabat ex Iudæorum genere, qui maximè gloriabantur, quòd apud eos eſſet templum Domini. Ideo Samaritana ad deprimendam Iudæorum arrogantiam, adducit quæſtionem de adoratione, & quòd Patres in eo monte, qui erat apud Samaritanos, adorauerint.

*Superborum iactantia reprimenda.*

199. Tolet. Tertiò Toletus *in comment.* Chriſtus Dominus obiurgauerat mulierem, quòd petulanter cum ſex viris eſſet commixta ; & cùm Chriſtum agnoſceret Prophetam, deflectit ſermonem ad celebrem inter eos quæſtionem, in quo loco ſit adorandum ; vt colloquium de ſua incontinentia inceptum interrumperet, propoſitis hiſce, quæ ad Prophetam ſibi pertinere viſa ſunt. Sæpe enim contingit, vt quando aliquid minus gratum, aut pudorem afferens audimus, aliquam valde diuerſam ingerimus quæſtionem, de qua dum excitatur ſermo, ea, quæ erant auribus moleſta, omittimus.

*Minus grata in ſermone interrumpimus quæſtione diuerſa.*

100. Sherlogius. Quartò. Paulus Sherlogius *in cap. 1. Cantic. verſ. 6. inueſtig. 8. ſect. 6. n. 68.* Dominus ſuggillauerat mulierem de libidinoſa voluptate : *Quinque viros habuiſti, & hunc, quem habes, non eſt tuus vir* ; mulier ad hæc reſpondet : *Propheta es tu, Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.* In quibus verbis ſubterfugium ſuæ culpæ, ac incontinentiæ quærit. Nam illud templum, apud eos introductum, eo quòd Patres in eo loco adorauerunt, ſchiſmaticum, ac ſacrilegum erat. Ac proinde ait mulier, cùm ſis Propheta, optimè cognoſcis, templum hoc eſſe irreligioſum, & quòd ſub erronea ſecta, ac deprauatis magiſtris non diſcatur probitas morum, ſed colluuies luxuriæ, ac vitiorum, ea enim eſt impiarum conditio ſectarum, vt ad omnem ſcelerum licentiam inuitent, ad omnem meram voluptatem alliciant.

*Sub falſa ſecta non niſi luxuria, & vitia.*

Quintò Simon Caſſianus lib. 11. cap. 2. *Huic* 201. Caſſian.
*mulieri*, ait, *iam pius erat affectus, iam de cultu veræ religionis inquirebat, & in bonis moribus ſubitò facta eſt, ac omnibus poſteris honeſtam conuerſandi, & loquendi tradit formam ; cum viro Religioſo de Religione, cum ſancto de ſanctitate, cum honeſto de honeſtate, cum ſapiente de diſciplina, & doctrina, cum bono de bonitate tractandum ſit.* Valde præpotens bona conuerſatio, & ſocietas. Mulier, quæ huc uſque voluptatibus, ac luxurioſis verbis erat dedita, vbi cum Chriſto iniit ſocietatem, ac habet ſermonem, iam ſubitò tota mutata eſt, & cùm pro affectu, nil iam cum ſancto, ac Religioſo, niſi de ſanctitate, ac Religione loquitur.

*Societas ſanctorum valde vtilis.*

Impium decretum exiit à Pharaone, vt omnes 202. Exod. 1.
pueri Hebræorum interficerentur : *Timuerunt obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti ; ſed conſeruabant mares*, Exod. 1. n. 17. Mulieres hæ erant idololatræ ; quomodo ergo timent Deum, quem non agnoſcunt ; nunquam voluntas fertur in incognitum: vident Regis imperium, & paruifaciunt, ob timorem illius, quem non agnoſcunt ? Huiuſmodi mulieres, quæ obſtetricandi fruebantur ſcientia, colloquium, ac amicitiam ex ſuo officio cum Hebræis frequenter habebant, quæ mirabilia ſuis parentibus facta ſæpe narrabant, & qaanto Deus ſupplicio iniurias eis inflictas vindicaret. Ex quo obſtetrices ita profecerunt, vt timerent Deum, quem ignorabant, & ita ſæuiſſimum ſcelus aufugerent. Lyranus; *Informatæ fuerunt obſtetrices per mulieres Hebræas oſtendentes eis offenſam Dei.* Lyran.

*Societas bonorum malis etiam vtilis.*

Infeliciſſimus proditor ille Iudas, *fur erat, &* 203.
*loculos habebat*, Ioan. 12. n. 6. Et cùm multas rapinas, ac latrocinia perpetraſſet, nunquam aliquid reſtituit dominis ſuis, ſed in ipſis alienis periucundabatur bonis, maximéque delectabatur. Tandem iniquus Dominum vendidit; & poſtea, *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens : Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, Matth. 27. n. 3. Sed vnde tibi, famoſus latro, reſtitutio, qui nunquam aliena reddidiſti ? Vnde tibi pœnitentia, qui in bonis alienis maximè delectabaris ablatis? Vnde de huiuſmodi reſtitutione, ac pœnitentia maximè admiratur Origenes lib. 2. contra Celſum. *Quid, ſi auarus ille Iudas, furari ſolitus, reſtituit triginta argenteos, ſatis apparet, diſciplinam Chriſti efficacem in eo fuiſſe ad mouendam pœnitentiam.* Pecunia illa, qua Dominus eſt venditus, ad ipſum dicebat quendam reſpectum, ac relationem ; ac proinde, vt dicens reſpectum ad Dominum coniuncta cum nequiſſimo Iuda latrone, potuit in eo generare quendam bonum motum reſtituendi, ac pœnitendi, licèt imperfectè. Vnde ait D. Maximus hom. de Iuda traditore. *Vide quanta vis dominicæ ſit pecuniæ.*

Ioan. 12. Matth. 27. Origen. Maximus

*Nequiſſimo valde præpotens coniunctio ad bonū.*

Qvæstio



## Qvæstio XXXI.

### *Quanto in populum ſuum amore, ac propenſione quæſtionem mulier proponat?*

204. COGNOSCENS mulier, Chriſtum eſſe Prophetam, ſtudio ſciendi veritatem, proponit ei quæſtionem maximè agitatam inter Iudæos, & Samaritanos, circa locum, in quo erat adorandum, vt Chriſtus Dominus daret reſolutionem, vt dixi *ſuperiori quæſt.* ex Ruperto. Et valde mirum, quantum in ipſa muliere, quæ affectabat ſcire verum, appareat propenſio, ac inclinatio in populum ſuum. Ait enim : *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quòd in Ieruſalem oportet adorare.* Suorum conciuium opinionem patrocinatur authoritate Patrum, ſcilicet Iacob, qui in illo monte adorauerunt. At pro opinione Iudæorum, cùm eſſent manifeſta, & aperta Scripturæ teſtimonia, nullum commemorat, ſed tantùm ait : *Vos dicitis, quia in Ieruſalem*, vt explicat Maldonatus, vos dicitis ſine vllo fundamento, ſine vlla ratione. Et iam dum integerrimè quærit, amor, & propenſio in vnam partem ſigna præbet.

*Et iam dum quis integerrimè quærit, amor, & propenſio in vnā partem declaratur.* Maldonat.

205. Ex alio fundamento hunc amorem in populum ſuum ponderat Rupertus *lib. 4. in Ioan.* Ait enim mulier : *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt*, ſcilicet Iacob, qui in illo monte adorauit Deum fortiſſimum Iſraël. Et non commemorat, quomodo Ieroboam, & decem Tribus, quæ cum eo receſſerant à Iuda, ac domo Dauid, vitulos aureos fecerunt, & in eo loco adorauerunt. *Has*, Rupert. inquit Rupertus, *cauſas ita mulier in propoſita quæſtione reticuit. At illa propriæ culpæ maculas ſatis humiliter confeſſa fuerat. Non ergo vitio, ſed laudi potiùs illi eſt, quòd communem gentis ſuæ ignominiam ſatis omnibus notam prædicare non properauit.* Præclarum mulieris ingenium maximè ſtuduit, defectus, ac errores ſuæ gentis tegere, & operire, & ideo tantùm meminit adorationis, quæ illô in loco Deo dedicabatur : at turpiſſimum vitulorum cultum ſilentio premit. Hoc iam hauſerat de ingenio Ieſu, qui diſcipulos miſit in ciuitatem, dum cum hac muliere agitur, ne fœminæ alienigenæ defectus agnoſcerent. Vide ſuprà *quæſt.* 14. *n.* 100.

*Iuſti ſuos defectus manifeſtant, alienos occultāt.*

206. Immo maximè preme illa verba : *Illa propriæ culpæ maculas confeſſa.* O fœmina laude omni proſequenda, quæ celeriter, & animosè proprias culpas profitetur ; ac tota dedita eſt, vt ſuæ gentis errores magno ſilentio inuolueret, atque tegeret. Multi multa dicunt, quare Moyſes in libris Geneſ. de Angelorum peccato nullam facit mentionem, cùm primorum parentum delictum diſertiſſimè enarret. Quod iam notauit Alcuinus in Geneſ. *Vides peccatum Angeli tacitum, hominis autem patefactum.* Sed cur illud ſilentio præteritur ; hoc verò apertis verbis deſcribitur ? Delictum Angelorum alienum erat crimen : at culpa primorum parentum extitit cauſa, ob quam peccatum originale diffuſum eſt in genus humanum, ex quo filij iræ naſcimur multis miſeriis adſtricti. Ideo ſanctus Moyſes, quod alienum erat crimen, prætermittit ; quod verò proprium, dicebat ; defectum, maculam, ac inquinamentum ſatis latè ſcribit.

Alcuinus.

*Cur Angelorum peccatū non ſcribitur.*

*Ioannis 4. n. 21.* **Dicit ei Ieſus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem.**

### *VERSIONES.*

*D. Chryſoſt. homil. de Sama.* Mulier crede mihi dicenti.
*Pagnin. Tertull. lib. de Tri. c. 6.* Quòd veniet hora.
*D. Chryſ. Ora. 2. aduer. Iudæos.* Crede mihi mulier, quòd venturum eſt tempus.

## *EXPOSITIO.*

RESPONDET Dominus mulieri, & non ad quæſtionem, quam propoſuerat, in quo loco eſſet adorandum. Quod eleganter ponderat D. Chryſoſtomus homil. de Samarit. tom. 6. *Noluit*, ait, *interrogationi reſpondere, vt neque retineretur, neque aſperiorem redderet mulierem : nihil aliud illi propoſitum, niſi vt mulierem veneretur, & ad ſaluiis viam traduceret, propterea nihil aſperius apud eam prolocutus eſt : nam, ſi dixiſſet, Ieroſolymis locum eſſe, vbi adorare oporteret, ipſam exaſperaſſet.* Idem ferè Hugo : Sæpe ex vna reſolutione quæſtionis nouæ quæſtiones pullulant, & ipſa reſolutione pars vna offenditur : cùm autem veritas eſſet, quòd non in illo loco, ſed in Ieroſolymis eſſet adorandum, ne hoc audito mulier exaſperaretur, ideo Dominus pro nunc indeciſam relinquit quæſtionem; nec enim ſemper reſoluenda eſt, nec ſemper dicenda omnia : & ad altiora mulierem promouet. 207. Chryſoſt. Hugo.

*Nec omnis quæſtio ſemper reſoluenda, nec omnis veritas dicenda.*

*Mulier*, ait Ieſus, communi nomine ſexus, & 208.
non proprio eam appellat, cùm optimè illud ſciret ; nam appellatio proprij nominis nota familiaritatis eſt, vt dicam *quæſt. 35. in fine*, quam, vt optimus Magiſter, cum muliere declinandam docet. *Crede mihi.* Poſtulat Dominus fidem, ſine qua, vt notant D. Chryſoſtomus *homil.* 32. Simon Caſſianus *lib. 11. cap.* 2. diuina myſteria intelligi & percipi nequeunt. Et quanuis Dominus dixerat mulieri : *Vade, voca virum tuum* ; vt ei daret aquam viuam, *numero* 16. tamen abſque præſentia mariti corporalis, ei aquam viuam dat; quia iam mulier, vt inquiunt D. Auguſtinus, Beda, vocauerat virum ſuum, ſcilicet intellectum, quo credebat, & aſſentiebatur dictis Chriſti : *Venit hora.* Aliqui cum Maldonato legunt de præſenti ; tamen Tertullianus *citatus*, Pagninus, D. Hieronymus *in cap. 51. Iſai. num.* 23. Caietanus, Toletus de futuro legunt, *veniet* ; & in hoc prædicit Dominus noſtrum tempus legis gratiæ, vt explicant Ammonius, D. Cyrillus. Vnde minus probabiliter, Euthymius, Salmeiron ad tempus excidij Ieroſolymitani referunt ; quia tunc templum deſtructum fuit. Sed Chriſtus Dominus loquitur de lege gratiæ, in qua totus ille

Chryſoſt. Caſſian. Auguſt. Beda. Maldonat. Tertull. Pagnin. Hieron. Gaietan. Tolet. Ammonius, Cyrill. Euthym. Salmeiron.

*Sine fide non intelliguntur myſteria.*

P 4 cultus

cultus Iudaicus, qui erat in templo illo, ceſſauit, & abolitus, ac extinctus eſt. Et hanc extinctionem Moſaicæ legis prædicit Dominus in hoc loco, vt notant Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, prout ait: *Neque in monte hoc, neque Ieroſolymis adorabitis*; ſed in lege gratiæ in omni loco adoratur Deus. Malach. 1. num. 11. *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus.* Et per hoc innuit Dominus rationem, quare non reſpondeat quæſtioni propoſitæ de adoratione Ieroſolymis, quia iam illa quæſtio erat ſuperuacanea, & inutilis, cùm iam adeſſet tempus, vt lex Moſaica ceſſaret. *Adorabitis Patrem.* dum Patrem dicit, vt ait D. Cyrillus, ad Filium erigit conſiderationem, quia ſimul cum Patre Filius, & Spiritus ſanctus adoratur; & ideo non dixit, adorabimus, ſed *adorabitis*, vt ponderat D. Ambroſius lib. de fide cap. 3. *Non dixit*, ait, *adorabimus, quod vtique dixiſſet, ſi conſortium noſtri ſubiret obſequij.*

Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Hugo. Malach. 1. Cyrill. Ambroſ.

*Ioannis 4. n. 22.* Vos adoratis, quod neſcitis: nos adoramus, quod ſcimus; quia ſalus ex Iudæis eſt.

*VERSIONES.*

*Arias.* Vos adoratis, quod non noſtis.

*Arabicus.* Quem neſcitis.

*Syriacus.* Quia vita ex Iudæis eſt.

## *EXPOSITIO.*

209. POSTQVAM Dominus mulierem erexit ad altiora, iam aliquantulum reſpondet quæſtioni propoſitæ, & Iudæos Samaritanis antepọnit. *Vos*, Samaritani, *adoratis, quod neſcitis*; quia licèt verum Deum adorarent, multas falſas opiniones, & errores, circa Deum habebant. Vnde rectè dicuntur, neſcire Deum. Sicut licèt Turcæ verum Deum adorent, quia tamen multa falſa permiſcent, rectè dicuntur, Deum ignorare. Et licèt Samaritani, vt notant Albertus Magnus, D. Bonauentura, Rupertus, Hugo, Caietanus, Ianſenius, verum Deum Iſraël reciperent, ſimul Idola, & falſos Deos adorabant; & ideo dicuntur, neſcire Deum; quia Deus in ſubſtantia, & natura vnus eſt. Aliter etiam explicant Tertullianus *lib. de Trinitat. cap. 6.* D. Chryſoſtomus *homil. 32.* Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, Hugo, qui ait: Vos Samaritani ex ipſo modo adorandi oſtenditis, vos neſcire Deum: quia putabant, eum eſſe localem, & particularem Deum, & in illo monte tantùm exaudire, & non in alio loco; hæc enim omnia repugnant diuinæ naturæ, cùm nullo loco circunſcribatur; ideo dicatur: *Vos adoratis, quod neſcitis.*

Albert. Mag. Bonauent. Rupert. Hugo. Caietan. Ianſenius. Tertullian. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. D. Thom. Hugo.

210. *Nos adoramus, quod ſcimus.* Loquitur Chriſtus de ſe, ſecundùm humanam naturam, prout homo erat ex genere Iudæorum. Et ait: *Nos*, ſcilicet Iudæi, *adoramus, quod ſcimus*, quoniam Iudæi veram de Deo cognitionem habebant. Vnde eleganter notat Ammonius: *Semetipſum, vt homo, inter adoratores collocat, cùm vnà cum Deo Patre, & à nobis, & à ſanctis Angelis adoretur.* Mira humilitas Chriſti Domini, qui de ſe non commemorat, quòd ſit Deus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto adoratur à nobis, & à ſanctis Angelis, ſed quòd ſit homo nobiſcum adorans Patrem. *Quia ſalus ex Iudæis eſt.* Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem.* Origenes, Ammonius, D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, D. Thomas, Rupertus, D. Bonauentura. Salus, id eſt, Saluator mundi Chriſtus Ieſus, qui eſt noſtra ſalus, & vita, ſeu, vt explicant citati, Ammonius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius. Salus, id eſt, Chriſtus verus Deus, & homo dans, ac communicans ſui cognitionem. *Quia ſalus.* illa particula, *Quia* reddit cauſam, ob quam Deus populo Iudaico dederit maiorem ſui cognitionem: quia maximè conueniebat, vt ille populus, ex quo Dei Filius ſumpturus erat carnem, maiorem Dei cognitionem haberet, vt conſiderata Dei magnitudine, maximè veneraretur, ac gratificaretur ineffabile Incarnationis myſterium, vt rectè ponderat D. Maccarius ſenior *homil. 38.* Vbi enim maior eſt cognitio doni, ibi eſt & maior obligatio.

Ammonius. *Chriſtus de ſe humilia prædicat, & abſcondit magna.* Tertul. Origen. Ammonius. Cyrill. Chryſoſt. D. Thom. Rupert. Bonauent. Ammon. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. *Vbi maior cognitio beneficij, ibi maior obligatio.* Maccarius.

*Ioannis 4. n. 23.* Sed venit hora, & nunc eſt, quãdo veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

*VERSIONES.*

*D. Chryſoſt. homil. 32.* Veniet hora.

*Multi ex Græco.* Adorabunt Patrem in ſpiritu, & integritate.

*Theophylactus, Pagninus, Vatablus.* Adorabunt Patrem ſpiritu, & veritate; nam & Pater tales quærit ipſius adoratores.

*Syriacus.* Etenim Pater tales adoratores poſcit.

## *EXPOSITIO.*

211. SVPERIORI verſu, vt patet ex eius expoſitione, & rectè notat Euthymius, *cùm Iudæos Samaritanis præpoſuiſſet Dominus, rurſus nunc Iudæis præponit Chriſtianos, vt ſuſpicione careat prælatio, & non appereat Iudæis gratificari tanquam Iudæus.* Et incipit explicare illam adorationem, quam prædixerat futuram in lege gratiæ. *Venit hora, & nunc eſt.* Superiori verſu annuntiauit, quòd illud feliciſſimum tempus adueniret; non tamen enodauit, an eſſet in proximo, vel in longinquo: modò verò paulatim ducens mulierem ad altiora, explicat, quòd illud tempus, non ſolùm eſt in propinquo, ſed quòd iam de præſenti actualiter eſt; quia lex gratiæ incepit ab aduentu Chriſti, ac eius manifeſtatione. Illud verbum, *Venit hora*, de præſenti lege, vt clariùs explicant ſubſequentia

Euthym. *Lex gratiæ incepit ab aduentu Chriſti.*



tia verba, *& nunc eſt.* Et Dominus de præſenti loquitur, vt magis accendat, ac excitet mulieris appetitum: fortius enim mouent præſentia, quàm futura. Et nota, quòd ipſum tempus legis gratiæ, prout nobis datur, & communicatur à Chriſto, dicitur hora, *Venit hora*; prout verò eſt in noſtra poteſtate ad merendum, ac obſequia Deo præſtanda, dicitur tempus: *Dum tempus habemus, operemur bonum*, ad Galat. 6. num. 10. *Ecce nunc tempus acceptabile*, 2. Corinth. 6. num. 2. Tempus autem, non ſolùm horas, dies, ſed menſes, & annos includit. Deus enim beneficia, quæ nobis largitur, in pauca reputat; noſtra verò obſequia in multum appretiat.

*Fortius mouent præſentia, quàm futura.* Galat. 6. 2. Cor. 6. *Deus ſua beneficia in paucum, noſtrum obſequiũ in multum appretiat.*

212. *Viri adoratores.* Veri, id eſt, proprij adoratores quicunque ſint, vt ait Rupertus, *Vbi non eſt Iudæus, neque Græcus, immò magis ad rem, vbi non eſt Iudæus, neque Samaritanus. Adorabunt Patrem*, hoc eſt, vera adoratione colent Deum *in ſpiritu, & veritate.* Opponit Dominus adorationem Chriſtianorum adorationi Samaritanorum, ac Iudæorum: nam populus Samarienſis, ac Iudaicus, cùm totus eſſet deprauatus, Deum non adorabat corde, & ſpiritu: *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me: cor autem eorum longè eſt à me*, Iſai. 29. num. 13. At veri adoratores adorabunt ſpiritu, & corde, *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo*, Pſalm. 9. num. 2. Non eſt vera adoratio ſine interno cordis affectu, vt ponderat Origenes hîc. *Qui totus*, ait, *in figuris, corporiſque rebus defixus eſt, quas cùm aſſequi magnopere videtur, in figura, & non in veritate, Deum veneratur, ob eam cauſam verus adorator, & cultor dici non poteſt.* Nota verba, *Qui totus.* Textus, *Et veritate.* Samaritani non adorabant in veritate, quia erroneam de Deo cognitionem habebant. Et Iudæi non adorabant veritate, ſed vmbris, & figuris ipſius legis. At veri adoratores Chriſtiani adorant Patrem vera cognitione Ieſu Chriſti, & vera carne, & ſanguine ipſius in Sacramento Altaris, ac veris Sacramentis, quæ per typos, & figuras legis veteris adumbrabantur. *Nam Pater tales quærit, qui adorent eum.* hoc eſt, vt explicat D. Cyrillus *lib. 2. cap. 93.* tales adoratores ſunt gratiſſimi Patris, qui ipſum adorant ſpiritu, ac corde, & vera cognitione, ac carne, & ſanguine Ieſu Chriſti.

Rupert. Iſai. 29. Pſalm. 9. *Non datur vera adoratio ſine cordis affectu.* Origen. Cyril.

---

## QVÆSTIO XXXII.

### *Quare dicatur, quòd adoratio debeat eſſe in ſpiritu, & veritate?*

213. QVID ſit, adorare in ſpiritu, & veritate, quantum mens noſtra capit, iam explicaui in expoſitione. Aliorum placita referam, vt eligas, quod probabilius iudicaueris. Illud tamen admoneo contra Hæreticos noſtri temporis, quòd adoratio in ſpiritu non excludit adorationem externam, ſed potiùs eam amplectitur. Nam adoratio interna mentis eſt veluti anima adorationis externæ, quæ per actiones corporis exercetur. Tota enim Scriptura clamat, quòd Deus ſit colendus, ac adorandus confeſſione, pſalmis, vocibus, ac aliis multis operationibus externis; nam ipſimet Apoſtoli Petrus, & Paulus, non ſola mente peregerunt orationem, ſed etiam adhibuerunt ſonum vocis, genuum flexionem, manuum eleuationem, & capitis detectionem, *Actor. 9. num. 40. & 16. num. 25. & 1. Corinth. 11. num. 4. & Epheſ. 3. num. 14. & 1. Timoth. 2. num. 8.* Ad rationes quæſtionis deueniamus.

*Exploditur Hæreticorum error.*

214. Reſpondent primò Origenes *lib. 1. in Periarchon.* Hilarius *lib. 2. de Trinitat.* D. Chryſoſtomus *homil. 32.* D. Cyrillus *lib. 2. cap. 93.* Theophylactus, D. Thomas, qui ita ait, *Veri adoratores adorabunt in ſpiritu, hoc eſt, non cæremoniis carnalibus, & veritate, hoc eſt, non figura.* Ita ille. Veri adoratores Deum colent, ac adorabunt in ſpiritu, ſcilicet ex animo, & corde ſine ſacrificiis carnalibus Iudæorum, & Samaritanorum; & in veritate abſque vmbris, & typis Moſaicæ legis, quæ omnia erant figuræ futurorum, & indicabant myſteria, quæ modò in nobis in lege gratiæ complentur.

Origen. Hilarius. Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. D. Thom.

215. Secundò Toletus *in Comment.* Quòd veri adoratores adorabunt *in veritate*, hoc eſt, non in figuris, & vmbris, vt Deum colebant Iudæi; & *in ſpiritu*, id eſt, in Spiritus ſancti gratia, fide, charitate, & actibus, ac operationibus ex his procedentibus. Tertiò Hugo. *In ſpiritu*, hoc eſt, in corde, & non ore tantùm. Quia nihil valet ſtrepitus labiorum, vbi mutum eſt cor. *Et in veritate.* hoc eſt, non fictè. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugient fictum*, Sapient. 1. num. 5. Vel quartò idem Hugo. *In ſpiritu*, id eſt, ſpiritualiter, qui ſpiritualia à Deo petunt. Et eſt contra illos, qui orant Deum carnalia petentes tantùm, vt filij Zebedæi, qui pro cathedris petebant. *Et veritate*, id eſt, verè, & perſeueranter. Contra illos, qui ad tempus perſeuerant, & ſtatim deficiunt. Quintò idem Hugo, & Caietanus: *In ſpiritu*, hoc eſt, in voluntate, *& in veritate*, id eſt, in intellectu; quia omnes noſtræ potentiæ debent eſſe in Deum defixæ.

Tolet. Hugo. Sapient. 1. Hugo. *Reprobantur petentes temporalia. Et qui non ſemper perſeuerant.* Hugo. Caietan. *Noſtræ potentiæ in Deum defixæ.*

216. Sextò D. Athanaſius *Epiſtol. ad Serapionem.* D. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto.* Magnus D. Antonius Abbas *Epiſtol. 3.* D. Ambroſius *lib. 3. de Spiritu ſancto. cap. 22.* Rupertus *lib. 4. in Ioan. In ſpiritu*, id eſt, in Spiritu ſancto; *in veritate*, id eſt, eſt, in Filio, quia vnum in tribus perſonis Deum adorant. Septimò Origenes, Ammonius. *In ſpiritu*; hoc eſt, in virtutibus animi; *& in veritate*, hoc eſt, in corporis mortificatione. Octauo. Sedulius lib. 2. Paſc. cap. 5. *In ſpiritu*, id eſt, in ipſa virtute interna animi; *in veritate*, pro ipſamet veritate, & conformitate ad rem explicat. Et ait *Magnificè verò poſtquam dicit, in ſpiritu, adiecit, & veritate: quoniam ritum Dei gerentes veritas ſequitur, alienum fallacia comitatur.* Nullus enim eſt verus adorator ſine affectu ad veritatem, quæ maximè debet in ſuis operationibus elucere.

Athanaſ. Baſil. Anton. Abb. Ambroſ. Rupert. Origen. Ammon. Sedulius. *Ad veram adorationem veritatis affectus.*

217. Nonò. S. Athanaſius *quæſt. 59. ad Antiochum*, ſi opus eſt illius, ita ait: *Quinam ſunt illi veri adoratores, qui neque in hoc monte, neque Ieroſolymis, ſed in ſpiritu adorant Deum, & in veritate? Reſponſio: Iſti ſunt; qui in deſertis montibus, & qui in ſpeluncis, & cauernis terræ habitant, qui circa congregationem Eccleſiæ per opera bona Dei ſpiritu illuminati, in ſpiritu, & veritate adorant Deum.* Quanquam in vrbibus, ac hominum frequentiis reperiantur veri Dei adoratores, tamen ex mente Athanaſij *citato loco*, illa eſt præcipua, ac nobiliſſima pars Chriſtianæ Religionis, in qua illuſtriſſimi

Athanaſ. *Eremi locus ad cultũ Dei maximè proportionatus.*

illuſtriſſimi viri ſpretis mundi illecebris, amplexantes vitam eremiticam, per deſerta, & ſpeluncas venerationi, ac cultui Dei integrè ſe committunt. Vnde pulchrè ait Philo *lib. de vita contemplatiua*, loquens de viris colentibus eremiticam vitam, *Perpetuam*, inquit, *habent Dei memoriam, vt ne in ſomniis quidem aliud eis obuerſetur, quàm imagines diuinarum pulchritudinum: & ſunt in his, qui ſomniando produnt præclaras ſacræ Philoſophiæ ſententias.* Ita Eremitæ vnicè vacant Deo, vt ſiue vigilando, ſiue dormiendo, ſiue ſomniando, ſiue operando, nihil aliud curent, quàm Dei cultum, & venerationem.

Philo.

Cùm maximè tota Ægyptus premeretur tonitruis, ac grandine, poſtulat Pharao à Moyſe, vt plagæ imponatur terminus, vtque ceſſet; qui petitioni Regis annuens ait: *Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit*, Exod. 9. numero 29. Sed cur Moyſes non expandit manus in media vrbe coram Pharaone, ac aulicis ſuis? Vt ita maximè omnibus innoteſcat, quanta ſit vis, ac potentia eius? hoc tamen renuit Moyſes in ciuitate, ſed ad campos, ac ad deſertum remittit, atque reſeruat? Extenſio manuum ad Dominum, venerationis, ac orationis eſt ſignum; & ita habet Chaldaica. *Extendam manus meas in oratione ad Dominum.* Magna prudentia, huiuſmodi preces, ac Religionis cultum, non in hominum tumultu, ſed in deſerto, tanquam commodiori loco præſtat Moyſes, vt ibi magis liber à terrenis perturbationibus Deo vacaret. Vnde ait D. Auguſtinus tract. 17. in Ioan. *Difficile eſt, in turba videre Chriſtum: ſolitudo quædam neceſſaria eſt menti noſtræ. Quadam ſolitudine intentionis videtur Deus. Turba ſtrepitum habet; viſio iſta ſecretum deſiderat.* Moyſes Exod. 3. num. 1. *Cùm minaſſet gregem ad interiora deſerti, apparuit ei Dominus.* Si enim ad deſertum cogitationum terrenarum confugimus, ſtatim nobis aderit, & apparebit Dominus. Vide *lib. 3. cap. 1. quæſt.* 14. *num.* 44.

Exod. 9.
Chaldaica. *Locus deſertus aptus orationi.*
Auguſt.
*Solitudo apta ad Deum videndum.*
Exoxd. 3.

*Ioannis* 4. *n.* 24. Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Spiritus enim eſt Deus. |
| *Hebraicus.* | Spiritus eſt Deus: proinde eos, qui adorant eum. |
| *D. Chryſoſt. homil. 32. Vatablus, Arias.* | Et adoratores eius ſpiritu, & veritate oportet adorare. |

## *EXPOSITIO.*

219. REDDIT Dominus rationem ſuperioris ſententiæ, cur Pater huiuſmodi adoratores in ſpiritu, & veritate quærit, Quod explicatiùs habet Syriacus; Spiritus enim eſt Deus. Illa particula *enim*, denotat cauſam. Adoratio nanque conformis eſſe debet adorato, & cum eo proportionari. Vnde ait D. Thomas, vt dicitur Eccleſiaſti. 13. n. 19. *Omne animal diligit ſibi ſimile: ergo Deus in tantum diligit nos, in quantum ei aſſimilamur: ſed non aſſimilamur ei, ſecundum carnalia, quia eſt incorporeus; ſed ſecundùm ſpiritualia*, &c. Ideo adoratio debet eſſe in ſpiritu, & veritate. Similiter Theophylactus, Euthymius, Carthuſianus, Rupertus, Caietanus. Illa adoratio eſt in ſpiritu, quæ procedit à virtutibus animi, ſcilicet Fide, Spe, Charitate, ac reliquis; & quando huiuſmodi internæ informant, ac concomitantur actiones externas. *Spiritus eſt Deus.* Marinus Victorius Africanus *lib. 3. contra Arrium*, & Phœbadius Epiſcopus contra Arrianos, aduertunt, quòd hîc ponitur *Deus*, ſeu *Pater* pro tota Trinitate. Iſta propoſitio, *Spiritus eſt Deus*, ita conſtruenda eſt: Deus eſt ſpiritus: itaut Deus ſit ſubiectum, & non prædicatum. Et dicitur Deus, cùm huc vſque Patrem vocauerit, vt denotetur, quòd ille, qui eſt Pater, eſt verus Deus. *Et eos, qui adorant eum.* Particula illa *Et*, ex Hebræo idem valet, ac *proinde*, ſeu *ergo*. Adoratores eius, *in ſpiritu* cum affectu cordis, ac virtutibus internis; *& veritate*, hoc eſt, cum vera cognitione Dei, & non cum figuris, & vmbris, vt ſatis explicaui ſuperiori quæſt. *Oportet adorare*, vt adoratio decenter, ac congruenter fiat proportionata naturæ illius, qui adoratur. Vnde infert D. Auguſtinus *Epiſtol. 6.* Quòd ſi ex eo, quòd Deus ſit ſpiritus, oportet, vt adoratio ſit in ſpiritu. *Si adorare, quanto magis videre?*

Syriacus.
Eccli. 13.
S. Thom.
*Adoratio debet eſſe proportionata adorato.*
Theophy.
Euthym.
Carthuſ.
Rupert.
Caietan.
Victorius.
Phœbadius.
Auguſt.

---

## QVÆSTIO XXXIII.

### *Quare Deus dicatur hîc Spiritus, & non Veritas ex contextu ſermonis, vel ignis, vt in veteri Teſtamento?*

220. DVPLICEM hîc excito quæſtionem: Cur Deus hîc dicatur Spiritus; & non Veritas, vel ignis? Et quantum ad primam. Contextus ſermonis eſt, quòd adoratio debeat fieri in Spiritu, & veritate; & ad hoc hîc ſubditur ratio; Spiritus enim eſt Deus. Ergo, ſi ex eo quòd Deus eſt ſpiritus, ſequitur quòd ſit adorandus in ſpiritu; cùm ſit veritas, ſequitur etiam, quòd in veritate ſit adorandus. Ac proinde cur non dicitur, Deus eſt veritas, ſicut dicitur, Deus eſt ſpiritus? Rectè reſpondet Albertus Magnus, quòd Dominus mulieri Samaritanæ demonſtrauit, Deum eſſe adorandum in ſpiritu, quia Deus eſt ſpiritus, vt refutaret errorem Samaritanorum, qui reputabant, Deum eſſe localem, & corporeum. Non autem hîc exprimitur, quòd Deus ſit veritas, ſed ſubintelligitur, tanquam valde omnibus notum, itaut nullus ſit, qui neget, Deum eſſe veracem. O præclarum veritatis encomium! quamuis enim Hæretici, multas perfectiones Deo denegare, non vereantur; nullus tamen auſus eſt, ingenitam ei veritatem inficiari. Secundò ad hanc quæſtionem reſpondet Toletus *in Commeut.* Chriſtum voluiſſe probare adorationem in ſpiritu: nam adoratio in veritate non indiget probatione; ſi enim in adoratione eſt falſitas, adoratio mala eſt, ac proinde Deo

*Quæſtio prima.*
Albert. Mag.
*Veritas ita Deo propria, vt eam ei negare, Hæreticus nullus audeat.*
Toletus.



Deo diſconueniens, eique maximè diſplicet.

221. Quæſtiuncula ſecunda eſt, quòd paſſim in veteri Teſtamento Deus ignis appellatur: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, Deuteron. 4. num. 24. Si ergo Deus in lege veteri dicitur ignis, cur hîc in lege gratiæ dicitur ſpiritus? Ratio litteralis eſt manifeſta ex dictis in expoſitione. Dicitur hîc *ſpiritus*, vt probetur, adorationem debere eſſe in ſpiritu, & proportionari cum adorato, vt ibi dixi. Eleganter Tertullianus *lib. de Trinitat. cap. 7. in fine*, ſoluit quæſtionem. *In veteri Teſtamento*, ait, *ideo Deus ignis dicitur, vt peccatori populo metus incutiatur, dum iudex oſtenditur. Et in nouo Teſtamento ſpiritus eſſe profertur, vt refector, & creator in delictis ſuis mortuorum per hanc bonitatem collatæ credentibus indulgentiæ comprobetur.* In veteri teſtamento ignis Deus erat conſumens delinquentes, ac flagrans in ira ad vindictam. At in noua lege ſpiritus eſt, vitali habitu gratiæ, ac auxiliorum dans vitam mortuis in ſuis delictis, & reſuſcitans eos ad ſalutem, ac inſpirans in eorum facies deperditam imaginem Dei, & omnia ſua miſericordia recreans. Et ſi in lege gratiæ diuinus Spiritus in Actis Apoſtolorum 2. *num.* 1. apparuit ſub forma ignis, non erat conſumens, & cuncta eradicans, vt olim; ſed illuminans, & tribuens chariſmatum dona, vt ponderat D. Hieronymus *in cap. 65. Iſaiæ num.* 15.

*Quæſtio ſecunda.*
Deut 4.
Tertull.
*Deus ante Incarnationẽ ſeuerus; poſt verò totus benignus.*
Hieron.

222. Totus ignifer Deus olim erat; cùm Moyſem ad liberandum Iſraël legatum mittit, in igne apparet, *Exod. 3. num.* 2. Dans legem in monte Sinay in igne deſcendit, *Exod.* 19. *num.* 19. Turpiter luxuriantur Sodomitæ, ignis ſuper eos venit de cælo, *Geneſ.* 19. *num.* 24. Delinquunt filij Aaronis offerentes alienum ignem, ab igne deuorantur, *Numer.* 3. *nnm.* 4. Obmurmurat populus contra Moyſem, ignis accenſus eſt à Domino, *Numer.* 11. *num.* 1. & aliis multis locis. Cùm tamen Chriſtum Ieſum Samaritani nollent recipere, zelo accenſi Iacobus, & Ioannes dixerunt: *Domine vis, dicamus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos?* Luc. 9. num. 54. Et hæc dicebant filij Zebedæi, vt notant Theophylactus, Euthymius, D. Bonauentura, commoti exemplo Eliæ, qui in duces impij Regis, ipſum iniurioſè tractantes, ignem excitauit deſcendere de cælo, 4. *Reg.* 1. *num.* 10. At petitioni Apoſtolorum, non ſolùm non annuit Dominus, ſed potiùs *conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare*, ibidem num. 56. Si hactenus Dominus totus erat in igne ad perdendos homines, cur reprehendit Apoſtolos intentantes ignem mittere in ſacrilegos, ac inhoſpitales Samaritanos: *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis?* Olim ante Incarnationem totus Deus erat in igne deuorante. At poſtquam factus eſt homo, iam non eſt ignis, omnia conſumens, ſed ſalutaris pluuia, ros, ac ſtillicidia omnia recreans, & fœcundans. *Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, Pſalm. 71. num. 6. Titus Boſtrenſis ad locum Lucæ. *Id*, ait, *arguit, noui Teſtamenti gratia nec dum fuiſſe imbutos, ſed veteris conſuetudinis imperfectioni obſtrictos adhuc hæſiſſe. Dicebant hoc enim, in Eliam, qui bis quinquaginta viros vnà cum ducibus illorum igne abſumpſerat, mentis oculum coniicientes.*

Luc 9.
Theophyl.
Euthym.
Bonauent.
*Deus igneus ante Incarnationem, at poſt totus beneuolus.*
Pſalm. 71.
Boſtrenſis.

*Ioannis* 4. *n.* 25. Dicit ei mulier: Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus; cùm ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Hugo.* | Noui, quia Meſſias venit. |
| *Syriacus.* | Scio, Meſchicho eſſe venturum, & quum venerit, ille docebit nos omnia. |
| *Pagnin. Caiet.* | Scio, quòd Meſſias venit, |
| *Multi ex Græco.* | Scio, quòd Meſſias in propinquo eſt. |

## *EXPOSITIO.*

223. Franc. Lucas.

GRAVES ſunt authores, qui dicant, quòd Chriſti reſponſio ingrata fuerit mulieri, & quòd illa eam iniquo animo pertulerit: ſiquidem Dominus in ſua reprehenſione Iudæos prætulit Samaritanis: *Vos adoratis, quod neſcitis: nos adoramus, quod ſcimus; quia ſalus ex Iudæis eſt.* Ideo inquiunt: Cùm Chriſti doctrina diſpliceret mulieri, ſolutionem ad tempus Meſſiæ refert: nunquam mens acquieſcit dictis, quæ ei videntur inuiſa. Vel, vt ait Caietanus, Samaritana recuſabat inſtrui à Propheta Iudæo; & ideo ſe remittit ad tempus Meſſiæ. Eſt tamen ſimpliciter dicendum, quòd mulier ſagittata doctrinæ Chriſti ſublimitate; & fortaſſe, quia non capiebat, quid eſſet, adorare in ſpiritu: ideo exactam explicationem, & confirmationem eorum, quæ dicebantur à Chriſto, ad tempus Meſſiæ reiicit, quem ſciebat futurum communem magiſtrum. Et ait mulier: *Scio quia Meſſias venit*; ſciebant enim Samaritani, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 32. aduentum Meſſiæ ex libris Moyſis, quos recipiebant. Ex quo prophetia Iacob. Geneſ. 49. n. 10. *Non auferetur ſceptrum*, &c. Ex prophetia Moyſis, Deuteron. 18. n. 15. *Quia*, id eſt, quod, vt legunt Pagninus, & Caietanus, *Meſſias venit*, Syriacus, Chryſoſtomus *homil.* 32. Meſſiam venturum, ſeu, vt communiter ex Græco legunt Recentiores: Scio, quòd Meſſias iam aduentat ac in propinquo eſt, breuiter nobis aderit. Notum enim erat apud omnes, tum ex ipſa prophetia Iacob; tum ex multis aliis, quòd illud erat tempus determinatum aduentus Meſſiæ. Et rumor, ac fama ex teſtimonio Baptiſtæ iam totam impleuerat regionem. Et mulier ad hoc tempus retulit verba, quæ Chriſtus dixerat: *Venit hora, & nunc eſt.* Textus, *Qui dicitur Chriſtus.* Interpretatio eſt nominis, poſita ab Euangeliſta. Nam *Meſſias* nomen eſt Hebraicum, ſignificat Græcè Chriſtum; Græcè enim ſcripſit Ioannes: Latinè verò denotat vnctum. *Et cùm ille venerit, annuntiabit nobis*, ſeu, vt habet Syriacus, *docebit nos omnia*; nempe in quo loco ſit adorandum; & quid ſit adoratio in ſpiritu. Et quia mulier tota erat auida ſuæ ſalutis, meruit audire à Chriſto, quæ ſequuntur.

*Mens nunquam acquieſcit dictis inuiſis.*
Caietan.
Chryſoſt.
Gen. 49.
Deuter. 18.
Syriac.
Chryſoſt.
Græc.
*Notum erat tempus aduentus Meſſiæ.*
*Quid ſignificet Chriſtus.*
Syriac.

Ioannis

*Ioannis* 4.*n*.26. Dicit ei Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum.

*VERSIO.*

*Arias.* Ego ſum loquens tibi.

## *EXPOSITIO.*

224. EXPERTVS Dominus mulieris docilitatem, ac ardens deſiderium cognoſcendæ veritatis, & annuntiationis Meſſiæ, ſe illi manifeſtat, & dicit: *Ego ſum, qui loquor tecum.* Non ſtatim à principio ſermonis ſe Dominus illi reuelat, ex duplici cauſa vt notat D. Chryſoſtomus *homil.* 32. (Chryſoſt.) Primò, vt arrogantiæ vitaret ſuſpicionem: nam ſi ſtatim in limine ſermonis diceret mulieri, quòd ipſe erat Meſſias, fortaſſe daretur mulieri occaſio irridendi, & ſui iactator videretur. (*Iactantia nota fugienda.*) Sed Dominus magno conſilio gradatim inducit mulierem ad fidem, & longum cum ea inſerit ſermonem primò, vt mulier quid magnum concipiat de eo, quòd eſſet Propheta, & vir valde præpotens, & poſtea cùm occaſio defert, ac ſermo incidit de Meſſia, cuius præſentiæ mulier ſe maximè auidam declarat, tunc Dominus opportunam nactus occaſionem ſe manifeſtat. (*In occaſione dicendum, ac loquendum.*) Ex hoc loco monet D. Cyrillus, (Cyril.) vt magiſter, ac prædicatores ſe auditoribus accommodent, ne ea tradant, quæ eorum tranſcendunt intellectum, ſed gradatim procedant. Per bellè ponderat D. Chryſoſtomus, (Chryſoſt.) quòd Dominus differens cum Nicodemo attulit ſerpentem ex Scriptura *Ioan.* 3.*num.* 14. Et Nathanaël traditur teſtimonio Prophetarum. *Ioan.* 1.*num.* 45. Erant enim viri, & in Scriptura verſati. Ac Samaritana, vt rudis mulier allicitur pollicitatione aquæ: *Si tu petiſſes, dediſſem tibi.* Cuilibet ſe accommodat Dominus. (*Cuilibet ſe accommodat Dominus.*)

---

## QVÆSTIO XXXIV.

### *Quare Dominus, ſe eſſe Meſſiam, apertè manifeſtat Samaritanæ, non verò Iudæis interrogantibus?*

225. (*Ratio dubitandi.*) QVANVIS mulier vehemens deſiderium Meſſiæ oſtenderit, non tamen quæſiuit à Chriſto, An ipſe eſſet Meſſias? Et tamen Dominus apertis verbis profitetur, ſe ipſum eſſe. At cum interrogaretur à Iudæis, An eſſet Meſſias? non ſe perſpicuis verbis declarauit. *Circundederunt eum Iudæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm,* Ioan. 10. num. 24. (Ioan. 10.) Et tamen Dominus non reſpondet apertè: Ego ſum, qui loquor vobiſcum: vt Samaritanæ. Immo ipſum eſſe Chriſtum, prohibuit ſuis Apoſtolis, prædicare. Matth. 16. num. 20. (Matth. 16.) *Tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus.*

226. (Chryſoſt.) Ad hanc quæſtionem reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 32. *Fidelior*, ait, *Samaritana erat Iudæis, qui, non diſcendi, ſed arguendi cauſa rogabant: nam ſi diſcere voluiſſent, verborum, Scripturarumque, & miraculorum ſufficiens eis fuiſſet doctrina. Samaritana ſimplici, & integra mente petiit, vt ex ſequentibus facile poteſt intelligi. Audiuit eum, & credidit, & alios ad credendum traxit.* Similiter reſpondent Ammonius, Origenes, Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura. (Ammon. Origen. Euthym. Theophy. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent.) Iudæis non reſpondet Dominus apertè, ſe ipſum eſſe Meſſiam, quia malitioſè quærebant, vt haberent anſam eum calumniandi; & facile id ex operibus, miraculis, ac doctrina Chriſti poterant deprehendere. At hæc mulier, nec miracula, nec opera viderat, nec Chriſtum mirabiliter prædicantem audierat, ſed tantùm ſimplici affectu Meſſiam deſiderabat, ideo ſe illi reuelat. Dominus, quia quod ſuperba aſtutia non obtinet, facile humilis ſimplicitas apprehendit: (*Quod ſuperba aſtutia nõ obtinet, apprehẽdit humilis ſimplicitas.*) *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis,* Matth. 11. num. 25. (Matth. 11.) Et hæc eſt germana ratio.

227. (Caietan.) Secundò Caietanus. Iudæis, ait, diſtulit Dominus, palàm dicere, ſe eſſe Meſſiam; & tamen nunc ſponte Samaritanæ dicit, ſe eſſe Meſſiam. Et ratio eſt, quia hæc manifeſtatio non erat periculoſa ad præueniendum paſſionem eius, & vt non ſolùm Iudæos, ſed etiam primitias Gentilium dignas efficeret manifeſtatione tanti myſterij ore proprio. Hæc Caietanus. In quibus duplicem inculcat rationem. Non dicit Dominus manifeſtè Iudæis, ſe eſſe Meſſiam, ne daretur occaſio, vt ipſum ante tempus apprehenderent. Deinde in hac muliere figurabatur Gentilitas, (*Gentilitas honoratur à Chriſto.*) quam Dominus voluit honorare, ſe illi proprio ore, eſſe Meſſiam, & Regem declarando, ac manifeſtando.

228. (Rupert.) Tertiò. Rupertus lib. 4. in Ioan. *Ecce*, ait, *quomodo Chriſtus Samaritanæ alienigenæ ſemetipſum credidit, quem Iudæis non crediderat. Et oſtendit illi honorandum nominis ſui theſaurum, quod in patria ſua, ſcilicet Iudæa, nec dum prodiderat; ne, mox quod futurum erat, pretioſam nominis einſdem margaritam porci conculcarent, & hoc ſanctum canina rabie blaſphemantes corroderent.* Non in Iudæa patria ſua perſpicuis verbis profitetur Dominus, ſe eſſe Meſſiam; ſed hoc in terra aliena aperit: (*Honoratur Dominus ab alienigenis potius, quàm à compatriotis.*) *Ego ſum*; quia potius ab alienigenis, quàm à compatriotis Dominus erat honorandus. Deinde non Iudæis, ſed Gentibus, quæ in hac muliere deſignabantur, ait: *Ego ſum*, ſcilicet Meſſias, quia ſuperbi Iudæi in ſua obcæcatione permanentes noluerunt aperire aures, vt audirent: (*Reprobantur Iudæi, Gentilitas eligitur.*) *Ego ſum.* Et ideo hoc reuelat Dominus humili Gentilitati, quæ ob ſuam ignorantiam non poterant oculos eleuare. De Iſraëlitis ait Dominus per Oſeam c. 1. n. 9. (Oſeæ 1.) *Voca nomen eius: Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter.* Iſraël ob ſuam incredulitatem promeruit, vt iam non dicatur populus Dei; & ita à Deo abiectus eſt, vt ab ipſo dicatur: *Non populus meus.* At ad Gentes conuerſus Dominus ſtatim ait: *Et erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filij Dei viuentis.* Ad populum Gentium eſt ſermo, qui cùm non eſſet populus Dei, ab ipſo peculiariter aſſumptus eſt in ſuum populum, ex quo filij Dei procreati ſunt.

*Ioannis* 4. *n.* 27. Et continuò venerunt diſcipuli eius, & mirabantur, quòd cum muliere



muliere loquebatur: nemo tamen dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum ea?

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Eoque loquente venerũt diſcipuli eius, & mirati ſunt, eum cum muliere loqui.

*Vatablus.* Et interim venerunt diſcipuli eius; nemo tamen dixit: Quid quæris? aut cur loqueris cum ea?

*Arias.* Et ſuper hoc venerunt.

*D. Cyprian. lib. de ſing. Cler.* Inter hæc venerunt.

*Græcus.* In hoc, ſeu cùm hæc dicerentur.

## *EXPOSITIO.*

229. DVM Dominus cum muliere loqueretur, venerunt diſcipuli, quorum præſentia finis impoſitus eſt collocutioni inter Dominum, & mulierem, vt vult D. Cyrillus *lib.* 2.*cap.* 96. (Cyrill. Chryſoſt.) Potiùs tamen cum D. Chryſoſtomo *homil.* 32. dicendum eſt, quòd venerunt diſcipuli, *Cùm iam nihil amplius ad dicendum relinqueretur.* Maximè curauit diuina prouidentia, vt diſcipuli priùs abeſſent, vt mulier commodiùs, minorique cum verecundia inſtrueretur. Poſtea verò, cùm iam fidei ſcintilla, vt ait D. Cyrillus, (Cyrill.) eſſet emiſſa in cor eius, venerunt diſcipuli. Primò, vt Chriſti virtutem agnoſcerent, & de muliere conuerſa gauderent. Tertiò, vt eorum diligentia patefieret: (*Diligentia diſcipulorũ.*) *Continuò venerunt*, hoc eſt, dum Dominus loqueretur cum muliere. Albertus Magnus (Albert. Mag.) aliter explicat: venerunt continuò, id eſt, cùm diligentia, ac feſtinatione, tanquam boni miniſtri volentes Domino miniſtrare, & compatientes, quòd Dominus eſſet quaſſatus via. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles*, Prouerb. 22. num. 29. (Prouerb. 22)

230. (Auguſt.) Sequitur ſecundò admiratio diſcipulorum: *Et mirabantur.* Vnde eleganter ait D. Auguſtinus tract. 15. *Bonum mirabantur, non malum ſuſpicabantur.* Nullus enim diſcipulorum malum ſuſpicatur de ipſa locutione, vt præter Auguſtinum notant Beda, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, & alij. (Beda. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Hugo.) Omnes tamen mirabantur. Cuius rei cauſa ponitur, quòd *cum muliere loqueretur*, erat enim præter conſuetudinem Domini, loqui cum muliere extranea: *Nemo tamen dixit*; vt ſolent, qui admirantur, rei cauſas quærere. *Quid quæris, aut quid loqueris.* Ecce reuerentia diſcipulorum in magiſtrum: (*Subditus, ac diſcipulus reueretur facta magiſtri, & non examinat.*) omnes illius facta reuerentur; nullus tamen audet, ea examinare, aut temerè interrogare.



---

## QVÆSTIO XXXV.

### *Quare mirantur diſcipuli, quòd Dominus loqueretur cum muliere?*

231. (Chryſoſt.) AD hanc quæſtionem reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 32. *Mirabantur*, ait, *diſcipuli facilitatem, & incredibilem Chriſti humilitatem, quòd tam clarus, & tanti nominis, pauperem, & Samaritanam mulierem benignè alloqui non dedignaretur.* Ammonius. (Ammonius.) *Quòd cùm alienigena, eaque paupercula Samaritana loqueretur, admirabantur: norant enim, eum, quidquid agebat, occulta quadam cognitione, atque pietate peragere.* Origenes, D. Cyrillus *lib.* 2.*cap.* 97. Euthymius, Theophylactus, Leontius. (Origen. Cyrill. Euthym. Theoph. Leontius.) Expende verbum, *Quòd tam clarus pauperem mulierem alloqui non dedignaretur.* Nouerant diſcipuli, quòd Dominus in factis ſuis alta ratione mouebatur; & non poterant apprehendere cauſam, ob quam tantus Dominus, & tam magnus cum inope muliere adeò benignè loqueretur. (*Mundi conditio cũ pauperibus ſuperbè, ac cõtemptibiliter agere.*) Et huius admirationis cauſa inde fortaſſe oriebatur, quòd tunc diſcipuli erant incipientes in ſchola Chriſti, imperfecti, & adhuc noſtræ humanæ conditionis ingenium ſapiebant: quòd maximè ſolent cum pauperculis ſuperbè, ac contemptibiliter agere, & loqui. At Dominus dat exemplum, egenos amicabiliter tractare. *Congregationi pauperum affabilem te facito* Eccleſiaſt. 4. n. 7. (Eccli. 4.)

232. (Beda. Albert. Mag.) Secundò. Beda, Albertus Magnus, *Non mirabantur*, inquit, *quòd cum muliere loquebatur, cum quibus loqui conſueuerat; ſed quòd cum alienigena: ignorantes myſterium Eccleſiæ, de Gentibus futuræ.* Similiter D. Thomas, D. Bonauentura, (D. Thom. Bonauent.) & fauent verba Ammonij ſuprà relata. Notum erat diſcipulis, Iudæos Samaritanis non coüti; ſicut & mulier admirata eſt, quòd Chriſtus, cùm eſſet Iudæus, à muliere Samaritana potum petiiſſet, ſiquidem Iudæi non conuerſabantur cum Samaritanis: ſic & diſcipuli potuerunt etiam in admirationem rapi, quòd Dominus cum alienigena loqueretur.

233. Tertiò, & mihi vera ſententia. Mirabantur diſcipuli, quòd Dominus cum muliere loqueretur ſolus cum ſola; quanuis loco publico, remotis tamen arbitris: (*Familiaritas cum muliere fugienda.*) non quia aliquid ſiniſtrum de Domino cogitarent; ſed quia alienum erat à Chriſti conſuetudine, cum mulieribus loqui; præſertim cum illis, quæ ſibi ſanguine non erant coniunctæ, nec hactenus ita Chriſtum cum mulieribus extraneis viderant loquentem. Hanc ſententiam inculcat D. Cyprianus *lib. de ſingularitate Cler.* (Cyprian.) Eam tradunt Caietanus, Hugo, Maldonatus, Barradas, Beaulxames, & alij. (Caiet. Hugo, Maldon. Barradas. Beaulxam.) Et hæc ſententia cæteris eſt præferenda. Nam dicitur in textu: *Mirabantur diſcipuli, quòd cum muliere loqueretur.* Ergo ratio admirationis erat, non quòd haberet ſermonem cum paupercula, vel cum Samaritana, ſed cum muliere. Vnde ait Caietanus: (Caietan.) *Nulla alia redditur ratio huius admirationis, niſi locutio Chriſti cum muliere. Et dixit hoc Euangeliſta ad ſignificandum, inſolitam fuiſſe locutionem Chriſti cum muliere.*

234. Tam vehementer Dominus declinabat conſortium fœminarum, non propter ſe, quia in ipſum nõ poterat cadere peccatum; ſed vt bonus

Q magiſter

magiſter ſuo exemplo nos informaret, vt earum familiaritatem maximè euitemus, ac fugiamus. Ananias cum ſua vxore vendidit agrum, & reſeruans ſibi medietatem pretij, vt vult Lyranus, aliam partem detulit ad pedes Apoſtolorum. In eum grauiter inuehitur Petrus. & ait illi: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum; mentiri te Spiritui ſancto?* Actor. 5. num. 3. Et cùm efficaciam verborum ferre non poſſet, cecidit, ac expirauit. Poſtea venit vxor eius Saphira, & ait ei Petrus. *Dic mihi, mulier, ſi tanti agrum ve ıdidiſti*, ibidem num. 8. Meritò addubitat Lor nus, *ibi*, cur Apoſtolus tacet nomen proprium Saphiræ. *Dic mihi mulier*; qui alloquens virum propriam illius appellationem expreſſerat? Ait ipſe: *Cauènda eſt omnis cum muliere familiaritas.* Qui enim nobis chari ſunt, ac familiares, proprio nomine nominamus. Sic dictum eſt Moyſi Exod. 3,. n. 12. *Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.* Et illud Chriſti Ioann. 10. num. 3. *Proprias oues vocat nominatim.* Iſai. 49. num. 1. *Dominus ab vtero vocauit me, & recordatus eſt nominis mei.* Et Chriſtus ſuprà n. 21. Samaritanam non appellat proprio nomine, ſed communi vocabulo ſexus: *Crede mihi, mulier*, vt ibi in expoſitione notaui. Princeps ergo Apoſtolorum appellat virum nomine proprio, non verò mulierem, vt indicaret, quantum illius familiaritatem declinabat, quòd etiam in nomine fugiebat.

Actor. 5. Lorin. Exod. 33. Ioan. 10. Iſai. 49. *Cum muliere nulla familiaritas.*

235. August. Multus eſt D. Auguſtinus *ſerm. 250. de tempore*, vt nobis perſuadeat, fugere omnem familiaritatem, tam publicam, quàm ſecretam fœminarum, ſiue ancillarum, ſiue quarumcunque vicinarum. Ait enim: *Quia quanto earum vilior conditio, tanto facilior ruina eſt. De familiaritate earum Salomon nos admonet, dicens: Nunquid alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta eius non ardebunt? Aut ambulabit quis ſuper prunas, & non comburentur plantæ eius?* Prouerb. 6. num. 2. Vbi mulierem cum igne, aut pruna comparat, & vt talis à nobis fugienda.

Prouerb. 6.

---

## Qvæstio XXXVI.

### *Quare diſcipuli non interrogant à Domino, quid ageret, & loqueretur cum muliere.*

236. Mvlta ſæpe diſcipuli à Chriſto interrogarunt, vt quis eſſet maior in regno cœlorum, *Matth. 18. num.* 1. Et Petrus de Ioanne interrogat: *Domine, hic autem quid?* Ioann. 21. num. 22. Et ipſe Ioannes in cœna inquirit: *Domine, quis eſt, qui tradet te?* ibid. num. 20. In hac autem occaſione ita cautè ſe habent, vt nullus audeat eum interrogare de ſermone cum muliere.

Ioan. 21.

237. Chryſoſt. Albert. Mag. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus *homil. 32.* Albertus Magnus, quòd hic euentus contigit in principio prædicationis Chriſti, antequam Petrus, & Ioannes, vt ait citatus Albertus, auſum quærendi apud ipſum accepiſſent. At poſtea familiaritate, & dilectione freti fiduciam concipiunt Dominum interrogandi, Vndè ait Hugo quòd & Ioannes poſt longum tempus hoc fecit; & in ipſo fine, quando iam multum confidebat de amore Chriſti. Secundò D. Bonauentura. Erant eruditi ſeruare ordinem diſcipulorum; & exemplum inferioribus datur; non inueſtigare facta vel dicta ſuperiorum; ſed eorum diſpoſitiones, ac operationes ſilentio reuereri, ac venerari. Tertiò Gloſſa aliam reddit rationem, quòd non ſunt auſi quærere, ne ab eo reprehenderentur, ſi incautè interrogarent,

*Familiaritas dat auſū ad interroganda ſecreta.* Hugo. Bonau. *Facta ſuperiorū à ſubdito non perſcrutanda.* Gloſſ.

238. Chryſoſt. Theoph. Quartò D. Chryſoſtomus citatus, Theophylactus. *Quoniam illic res ſua agebatur, ideo neceſſariò percontati ſunt; hæc autem res nihil ad eos pertinebat.* In locis citatis in principio quæſtionis quærunt diſcipuli, quia res ſua agebatur: hîc verò nihil ſcrutantur, quia negotium alienum erat. Hoc facto reprehendendi ſunt nimis curioſi, qui res, quæ ad ſe nihil attinent, totis viribus inquirunt, ac ſcire procurant. Et hoc exemplo vtitur D. Baſilius *Regularium fuſius diſputat. c. 48.* contra eos, qui maximè ſcrutantur, quæ ad ſe non pertinent.

*Quilibet non agat de his, quæ ad ſe nō pertinent.* Baſilius.

239. Antequam Chriſtus Dominus abiret in cælum, dixerunt ei diſcipuli eius: *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Quibus ille ait: *Non eſt veſtrum, noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, Actor, 1. num. 6. & 7. Sed quomodo, dum Apoſtoli quærunt de reſtitutione regni Iſraël; non ſolùm Chriſtus eis non reſpondet ad id, quod quærebant, ſed veluti per modum reprehenſionis ait: *Non eſt veſtrum, noſſe tempora?* Cur cum eis non loquitur de regno Iſraël; multo enim maiora arcana eis reuelauit in cœna? Apoſtolis dictum erat à Chriſto: *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei*, Matth. 13. num. 11. Marc. 4. num. 11. Et Apoſtoli hoc loco erant ſoliciti de reſtitutione temporalis regni Iſraël, vt tradunt OEcumenius. Iuſtin. *quæſt.* 112. Irenæus *lib. 5. cap.* 34. Beda, Gloſſa, & alij multi. Ideo Dominus ad quæſitum non reſpondet. Immò eorum nimiam curioſitatem carpit, dum ait: *Non eſt veſtrum, noſſe tempora*; vtpote reſilientes à proprio negotio, quod erat, agere de regno Dei, qui tranſirent ad tractandum de regno temporali, quod ad eos non attinebat. Et ideo D. Baſilius *in regulis moralibus, regul. 9. cap. 2.* vtitur hoc exemplo contra inueſtigantes, quæ ad ſe non pertinent. Lyranus ibi: *Quaſi dicat Dominus: Non pertinet ad vos, hoc ſcire, & quærere; ſed illud, quod ſequitur, ad vos pertinet, cùm ſubditur: Sed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos.* Non reſpondet ad regnum temporale, ſed eorum mentes eleuat ad regnum ſpirituale, ac virtutem Spiritus ſancti, quod erat negotium ad illos ſpectans; cætera verò, cùm ad eos non attinerent, omittenda.

Actor. 1. Matth. 13. OEcumen. Iuſtin. Irenæus. Beda. Gloſſa. Baſil. Lyran.

*Ioannis 4. n. 28.* Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus.

*VERSIONES.*

*Franciſcus Lucas ex Græco.* Reliquit vas aquale.

*Syriacus.* Profecta eſt in vrbem.

*D. Auguſtinus tract. 15.* Cucurrit ad ciuitatem.

*EXPO*



## *EXPOSITIO.*

240. Auguſt. Mvlier hæc, ait D. Auguſtinus tract. 15. in Ioannem. *Audito: Ego ſum, qui loquor tecum: & recepto in cor Chriſto Domino, quid faceret, niſi in hydriam dimitteret, & euangelizare concurreret.* Magna vis, ac efficacia verbi diuini: nam mulier, quæ antea nec potum aquæ volebat dare, iam propter Chriſtum relinquit hydriam, vt citiùs, ac expeditiùs, vt notat Albertus Magnus, curreret in ciuitatem, & Chriſtum annuntiaret. Et maximè notandum, quòd vbi Chriſtus dixit mulieri, quòd ipſe erat Meſſias: *Ego ſum, qui loquor tecum*, mulier nil reſpondet, ſtupefacta admiratione tanti myſterij, ac præſentia rei maximè deſideratæ. Nec oſtendit fidem ſuam verbis, ſed operibus, dum propter Chriſtum relinquit hydriam, currit in ciuitatem, & Chriſtum omnibus prædicat. *Abiit in ciuitatem*, cum feſtinatione, vt clariùs explicat Diuus Auguſtinus cucurrit, tendit in ciuitatem, ex qua venerat; mulier, cui toties venire ad fontem, ob aquam hauriendam, graue fuerat, iam redire ad ciuitatem; & iterum ad fontem reuerti, vbi Chriſtus manſerat, leue putat. Dei charitate omnia ſuauia, ac facilia fiunt. *Abiit in ciuitatem*, vt ſuos conciues tanti boni participes faceret; nec enim, vt ait D. Cyrillus *lib. 2. cap. 99.* tanquam ſeruus ille nequam obruit talentum ſuum: nec, vt ait Simon Caſſianus *lib. 11. c. 2.* inuentum theſaurum abſcondit in agro, ſed populo ſuo indicat. Charitas pretioſa inuenta aliis communicat. *Et dicit illis hominibus.* Præ gaudio omnes conuocat mulier Apoſtolico munere functa, ſeu ſicut Apoſtola, vt inquiunt Origenes, D. Chryſoſtomus *homil. 33.* Theophylactus, Chriſtum annuntiat. In quo facto etiam eam Euangeliſtam appellat.

Albert. Mag. *Fides, non verbis, ſed operibus declaranda.* Auguſt. *Charitas omnia facit ſuauia.* Cyrill. Caſſian. Origen. Chryſoſt. Theoph.

---

## Qvæstio XXXVII.

### *Quare mulier, dum tendit in ciuitatem, hydriam relinquat.*

241. Ratio huius rei germana. Ne ipſa hydria, priùs in domum portans, detineretur, vt tantum bonum ſuis conciuibus annuntiaret; ne etiam ipſa mora Chriſtus inuentus in itinere elaberetur: & ideo relinquit hydriam, vt expeditiùs iret, ac rediret ad Dominum. Et fortè etiam hydriam relinquit in vſum Chriſti, & diſcipulorum, viderat enim eos aſportantes cibos è ciuitate veniſſe, & ideo ad potum relinquit hydriam. Aliæ huius rei rationes morales ſunt inueſtigandæ.

242. Cyrill. Albert. Mag. Reſpondent primò D. Cyrillus *lib. 2. cap. 99.* Albertus Magnus, quòd hydria eſt vas aquarum, ſignificans voluptates, ac cupiditatem terrenæ poſſeſſionis, quæ ſunt frigidæ conſolationis, & tanquam aqua elabuntur, & tanquam è puteo, è profundo tenebrarum hauriuntur. Vt autem ſequamur Chriſtum, hæc hydria eſt omittenda. Eccleſiaſt. 12. num. 6. *Conteratur hydria ſuper fontem.* Secundò, Euthymius, Rupertus *lib. 4. in Ioan.* Beda, D. Thomas, per hydriam intelligunt bona temporalia, frequenter in Scriptura per aquas ſignificata; de quibus omnibus, etiam quæ præ manibus habentur, obliuiſcitur homo, vbi primum perfectè ad Deum conuertitur. Ad Philip. 3. num. 8. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Tertiò Hugo, D. Bonauentura. Hydria ſignificat temporalem ſolicitudinem, ac curam, quam debet Prædicator relinquere, vt Chriſtum annuntiet. 2. Timoth. 2. num. 4. *Nemo militans Deo implicet ſe ſæcularibus negotiis.*

*Qui ſequitur Chriſtum, cupiditates relinquit.* Eccli. 12. Euthym. Rupert. Beda. D. Thom. Philip. 3. Hugo. Bonauent. 2. Timoth. 2.



243. Quartò. Duæ mulieres portantes hydrias ſuas, & venientes ad fontem, inter ſe ſunt conferendæ, ſcilicet Rebecca, & Samaritana; vtraque cum ſua hydria; vtraque loquitur cum viro ignoto, Samaritana cum Chriſto. Rebecca cum ſeruo Abrahami; & vtraque cucurrit ad ciuitatem, vt aduentum viri annuntiaret. Cum hac tamen differentia, quòd Samaritana ignoto Chriſto relinquit hydriam. At Rebecca, cùm dediſſet potum Eleazaro, ac ſuis camelis, & cognouiſſet, eſſe ſeruum auunculi ſui, *Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris ſuæ*, Geneſ. 24. num. 28. Et non dicitur, quòd reliquerit hydriam. Imò potiùs quantum colligitur ex textu, eam ſecum aſportauit. Sed cur Samaritana relinquit hydriam; non verò Rebecca? Quænam huius diſcriminis cauſa? Rebecca inuenit hominem ſeruum Abrahæ, & ideo adhuc retinet ſuam hydriam ad hauriendam aquam, vt eam ſibi, domuique ſuæ poſſit ſuppeditare. At Samaritana Chriſti præſentiam aſſecuta eſt, & ideo hydriam abiicit, ac omne bonum temporale contemnit, ſciens, in vno Chriſto Ieſu omnia bona ſibi abundanter habere. Origenes hoc loco, *Hydriam*, ait, *apud eum, qui melior eſt, præſtantior eſt, deponit, cùm aquam accepiſſet, quæ iam in ea principium aquæ ſalientis in vitam extitit. Quomodo enim hac aqua non accepta, benignè Chriſtum ciuibus ſuis prædicaſſet, niſi particeps facta eſſet aquæ perpetuò ſalutaris? Rebecca autem, quæ etiam humeris hydriam ſuſtinebat, antequam finem dicendi faceret puer Abraham, proficiſcebatur, quæ quoniam non eodem modo hauriebat, quo Samaritana, ad fontem deſcendit, impletque hydriam.* Vide *lib. 3. c. 5. n. 44.*

Geneſ. 24. *In Chriſto Ieſu nobis omnia bona.* Origen.

244. Auguſt. Quintò D. Auguſtinus tract. 15. in Ioan. *Proiecit ergo hydriam ſuam Samaritana*, inquit, *quæ iam non vſui, ſed oneri fuit; auida quippe deſiderabat aqua illa ſatiari.* Venerat mulier ad fontem, vt aſportaret aquam naturalem, in qua iucundabatur, ac recreabatur; at antequam illam hauriat, hydriam relinquit, quia poſtquam nacta eſt Chriſtum, ita vileſcebat mundus in oculis eius, vt iam aqua illa naturalis non eſſet ei in vſum, nec in leuamen, ſed potiùs in onus, & laborem. Expende etiam illa verba: *Auida quippe deſiderabat, aqua illa ſatiari.* Samaritana vehementi flagrabat cupiditate aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam, quam Chriſtus ei promiſerat. Vt ergo aqua illa ei perſeueranter abundaret, ac poſſet potiri, abiicit hydriam: nec enim bonis cœleſtibus cumulatè repletur animus, ſi adhuc bonis temporalibus inhæret. Abiiciantur ergo hæc mundana, vt mens tota donis ſpiritualibus impinguetur. Vide *lib. 1. c. 10. num. 38.*

*Bona mundi ſunt animæ in Deum cōuerſæ, non in vſum, ſed in onus.* *Vt habeas cœleſtia, relinque temporalia.*

245. Maximus. Sextò D. Maximus homil. 1. de eleemoſynis. *Samaritana*, ait, *relinquens aquæ vaſculum, ad ciuitatem non refert hydriam, ſed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, ſed plena re-*

Q 2 *uertitur*

*uertitur ſanctitate;& quæ hydriæ vaſculum amiſerat, Chriſti plenitudinem reportabat; in nullo ciuitati ſuæ inferens detrimentum, etenim ſi aquam ciuibus non intulit, tamen fontem ſalutis inuexit.* Mulier venerat ad fontem, vt aquam elementarem aſportaret in ciuitatem; at vbi nacta eſt, aquam Chriſti viuam ſalientem in vitam æternam, hydriam relinquit: nam aqua naturalis, in qua bona temporalia adumbrantur, poterat contineri, & coarctari in anguſto illo vaſculo; at ſalutarem aquam, ac Chriſti plenitudinem, quam modò deferebat, tam anguſtus locus minimè capiebat. Imò tantum donum mulier ipſa in ſe retinere non valens, ad ciuitatem cucurrit, vt de plenitudine Chriſti omnes adimpleantur.

*Bona mundi anguſta. Dei largiſſima.*

246. Pondera duplex oleum, Virginum, & Elizæi. Virgines fatuæ habent parua vaſcula in manibus; & tamen in eis deficit oleum, *Matth.* 25. *n.* 3. Eliſæus, vt benefaceret mulieri, iuſſit ei: *Vade, pete ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua, non pauca*, 4. Reg. 4. n. 4. Quæ cùm haberet mulier, ita creſcit oleum, vt ſuperabundaret, & deficerent vaſa. Sed cur in illis virginibus, dum vnaquæque habet vnum vaſculum, ibi deficit oleum; at vidua Eliſæi, cùm multa, & ampla haberet vaſa, minimè oleum deficit, ſed potiùs cumulatiſſimè illo omnia replentur? Hæc eſt differentia, quòd in virginibus erat oleum mundi; at in vidua illa oleum Dei. Bona mundi ita ſunt defectibilia, vt in paruis receptaculis, non ſolùm contineantur, verùm etiam ibi minuantur, ac extinguantur. Dona autem Dei ita ſunt ampla, ac largiſſima, vt excedant noſtram capacitatem, ac in anguſtiis humani animi minimè coarctari poſſint, ſed inde in alios maximè diffunduntur, ac redundant. Hugo Victorinus lib. 1. miſcellan. c. 51. *Habet*, inquit, *oleum Deus, habet oleum & mundus: ad oleum Dei vaſa deficiunt; oleum mundi in vaſis deficit: oleum Dei dulcedo æternorum; oleum mundi delectatio præſentium: illa ſufficit, iſta deficit.* Vide *lib.* 1. *c.* 1. *n.* 160. *& c.* 5. *n.* 95.

4. Reg. 4.

*Bona mundi deficiunt; bona Dei ſuperabundant.*

Hugo.

## Qvæstio XXXVIII.

### *Quare vexillum, ac primatum prædicationis Euangelicæ committatur mulieri Samaritanæ?*

247. Origen. Chryſoſt. Theophyl. IN fine expoſitionis dixi ex Origene, Chryſoſt. Theophyl. quòd, dum mulier relicta hydria ad ciuitatem cucurrit, Chriſtum annuntiat, ac multos ad eius cognitionem, & fidem traxit, infrà *n.* 39. Apoſtolorum, ac Euangeliſtarum munus adimpleuit. Ex quo meritò poterit quis maximè admirari, cur præconium diuini Verbi non committitur primò Chriſti diſcipulis, diu cum ipſo conuerſantibus, quàm muliérculæ, quæ paulo antea erat peccatrix, & malæ notæ? Nónne Apoſtolatus, ac Euangeliſtæ munus eſt ſupremum faſtigium Chriſtianæ Reipublicæ? Cur ergo tantæ rei vexillum non datur diſcipulis Chriſtum concomitantibus, ſed huic fœminæ Samaritanæ; nam ante hanc hiſtoriam, non inuenies in Euangelico textu Chriſti diſcipulos publicè per ciuitates, & plateas ipſum prædicantes? Quare ergo primatus Apoſtolicæ prædicationis, inter eos, qui vocati ſunt à Chriſto, huic mulierculæ conceditur? & in re ſanè difficillima, nempe in prædicatione inter conciues, & naturales?

*Ratio difficultatis.*

248. Chryſoſt. Primò reſpondeo ex Chryſoſtomo homil. 35. *Mulier hæc*, ait, *ſponte ſua relinquit hydriam, & ſuperna præueniente gratia Apoſtolico munere fungitur.* Theophylactus. *In tantum accenſum eſt cor mulieris dictis dominicis, vt & aquam relinqueret, & fit Apoſtola, ordinata à fide, quæ cor eius occupauerat; docetque, & attrahit totam ciuitatem.* Similiter Origenes *hîc*. O magna, & præclara diuinæ gratiæ miracula! Mulier natura debilis, ingenio inconſtans, libidine impudica, inſignis in luxuria, deliciis enutrita; ita diuina gratia præueniente dolet, & conuertitur, vt Apoſtolicæ prædicationis ſit anteſignana, fortitudine, & conſtantia armata ad debellandas dæmonis poteſtates. Nullus ergo, quanuis ſe abiectiſſimum peccatorem videat, deſperet, ſe diuina gratia ad ſupremum Chriſtianiſmi apicem poſſe euehi. Secundò. Pondera verba Chryſoſtomi, *ſponte ſua*: Apoſtoli, vt arduitatem Euangelicæ prædicationis aggrediantur, exhortatione, ac imperio Domini opus habent, *Matt.* 10. *n.* 5. *Luc.* 9. *n.* 2. At hæc mulier ita diuina gratia erat diſpoſita, vt nullo ſtimulo, nulla iuſſione indigeret; ſed vt Chriſtum agnouit, animoſa omnia obſtacula rumpit, ad ciuitatem currit, Dominum Ieſum annuntiat. Et qui ſpontè, ac ſine iuſſione obſequia præſtat, multo fauore, ac benignitate dignus eſt.

Theophyl.

Origen. *Diuinæ gratiæ prodigia.*

*Qui ſine imperio obſequia præſtat, multis dignus.*

249. Ambroſ. Tertiò D. Ambroſius ſerm. 132. *Sanctificata per fidem Chriſti mulier domum rediit; quæ poſtea quàm eſt fonte abluta Saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis aſſumit, & viua aqua abſtergens maculas ſuas, ad euangelizandum non conſcientia peccati retrahitur, ſed fidei calore compellitur. Nihil enim ſe dicit feciſſe prauitatis, dum fit nuntia veritatis, & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat caſtitatem. Hæc enim virtus Chriſti eſt Domini, vt quamuis peccator, qui eius vnda ſe lauerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit antea quod fecerit.* Vltima verba conſidera. Præclarum Chriſti documentum. Eccleſiarum paſtores inſtruantur, vt crimina ſubditi pœnitentis, ac iam conuerſi, quæ lachrymis ſunt abluta; ita è memoria excidant, ac obliuione deleantur, & cum ipſo pœnitente ita fiducialiter agatur, ac ſi nunquam fuiſſet ſordibus inquinatus; ne præteriti delicti recordatio ſemper mentem Prælati pulſet, ſed ita à memoria euellantur, vt ob crimina pœnitentia deleta alij ei non anteponantur. *Hæc enim virtus Chriſti eſt Domini, vt quanuis peccator*, &c.

*Ob pœnitentiam Samaritana Apoſtolis anteponitur.*

*Emendata crimina excidant à mẽte Prælati.*

250. Quartò. Conſidera hiſtoriam Euangelicam, & inuenies, quòd hæc mulier fuit prima, quæ ſuum peccatum dicere, & confiteri non erubuit. Ad Chriſtum Dominum humiliter fatur, dicens: *Non habeo virum*, ſuprà *verſ.* 17. vbi ſua peccata confitetur, vt *ibi* ex D. Chryſoſtomo conſideraui. Et viris ciuitatis audenter dixit: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Non erubuit ſecreta ſua pandere, vt ibi ait Theophylactus. Cum ergo hæc mulier fuerit prima, quæ peccata ſua pœnitenter confeſſa eſt; conuenientiſſimum fuit, vt eſſet prima in honore, dignitatiſque decore.

*Qui primus eſt in confeſſione, ſit etiã in honore primus.*

Theophyl.

251. Poſtquam primi parentes deliquerunt, venit Dominus eos de ſuis delictis redarguens; & in iniungendo ſupplicio multo mitiori modo ſe habet cum Eua, quàm cum Adamo, vt ponderat

*Qui confitetur, magnum impetrat honorem.*





Ambroſ. D. Ambroſius citandus. Sed quod mihi eſt maximæ admirationis, quòd, dum Dominus, vt iudex, ſententiam fert, inter ipſas pœnas promulgatas, præcipuas laudes, ac nobilitates fœminei generis aperit. Dixit enim ad ſerpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*, Gen. 3. n. 15. Trophæa B. Virginis quæ in ſua conceptione ſerpentis caput conculcauit, hîc euulgátur. Mirabar ſanè, cur potius victoria, & gloriæ fœminei ſexus, quàm maſculini hîc decantantur? Quare potius mulierum conditio, quàm virorum natura laudibus celebratur? Mulier extitit prima, quæ culpam ſuam confeſſa eſt; nam licet Adamus priùs ſe de ligno comediſſe, publicarit, *ibid. n.* 12. tamen Eua, ſe eſſe deceptam, atque defectum commiſiſſe, *ibid. n.* 13. prima proteſtatur, vt notant Ambroſius *citandus*. Franciſcus de Mendoça *lib.* 1. *Reg. c.* 7. *verſ.* 6. *annot.* 25. *num.* 11. Conuenientiſſimum ergo fuit, vt muliebris natura, quæ prima extit in culpa ſua confitenda, prima aſſumeretur, vt eius encomia, ac ſtemmata celebrarentur, & leniori modo cum ea ageretur in pœna infligenda. D. Ambroſius lib. de paradiſ. c. 14. *Veniabilis culpa, quam ſequitur profeſſio delictorum, ideo non deſperata mulier, quæ non reticuit Deo, ſed magis confeſſa peccatum eſt.* Et poſtea ſubiungit: *Dominus ait: Dic iniquitates tuas, vt iuſtificeris; ergo, quia Eua ipſa confeſſa delictum eſt, mitior ſequitur, & profutura ſententia, quæ condemnaret errorem, & veniam non negaret.*

Geneſ. 3.

Ambroſ. Mendoça.

Ambroſ.

*Ioannis* 4. *n.* 29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: Nunquid ipſe eſt Chriſtus?

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Venite, videte virum, qui dixit mihi quidquid feci: Num ipſe eſt Meſchicho?

*Vatablus.* An ſit ille Chriſtus?

### *EXPOSITIO.*

252. Cyril. Auguſt. VALDE artificioſè loquitur mulier, vt ponderat D. Cyrill. *lib.* 2. *cap.* 100. &, *Pedetentim egit*, ait D. Auguſtinus tract. 15. *ne illi iraſcantur, & indignarentur, & perſequerentur.* Bona Chriſti diſcipula. Quemadmodum Dominus eam ſenſim ad fidem traxit: ita etiam ea paulatim ſuos conciues ad fidem perduxit. Et quodlibet mulieris verbum, ait Chryſoſtomus *homil.* 32. valde pretioſum eſt. Ait illis: *Venite*; hoc eſt, mecum. Non dixit, Ite; ſed, *Venite*; quia ſi eos excitabat, vt ad Chriſtum pergerent, ipſa etiam volebat iter arripere, ac ſe ipſam eis ducem viæ offerebat ad Chriſtum. Aliter explicat Albertus Magnus: Venite exeundo à vobiſmetipſis. Ierem. 51. num. 50. *Venite, nolite ſtare: recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendet ſuper cor veſtrum.* Omnes vocat mulier; nam, vt ait Simon Caſſianus *lib.* 11. *c.* 2. Qui vnum diligit, in eius amicitiam omnes trahit. *Et videte*; in Syriaco, ac Græco non eſt coniunctio *&*. Non ait: *Venite*, audite me, ſed *videte*. Non ad ſe, ait D. Thomas, ſed ad Chriſtum vocat homines. In quo dat exemplum Prædicatoribus: *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Chriſtum*, 2. Cor. 4. n. 5. Non enim ait, vt aduotarunt Chryſoſtomus, Leontius: Credite mihi, Meſſiam iam veniſſe; ego vidi. Sed ait, *Videte*; quod idem valet hîc, ac experimini, iudicate; certa enim erat, quòd ſi de illo ſacratiſſimo fonte guſtarent, ſtatim eius dulcedine inebriarentur, vt ipſimet contigit. *Circunſpice Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem*, Baruch 4. n. 36. Prudenter mulier à facilioribus cœpit; & ideo non dixit, Credite: ſed *videte*, vt obſeruat Hugo, quod erat quid leuius, & perſuaſibilius.

Chryſoſt.

*Prædicator faciat, quod prædicat.*

Albert. Mag. Ierem. 51.

D. Thom. 2. Cor. 4.

*Prædicator non ſeipſum prædicat, ſed Chriſtum.*

Chryſoſt. Leontius.

Baruch. 4. *A facilioribus incipiendum.*

Hugo.

253. *Hominem*. Non dixit: Videte Prophetam, aut Chriſtum, ſed *hominem*, cum ſupra hominem eſſe crederet, vt aduertunt Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda. Adeò mulier iam erat humilis, vt non auderet tantum authoritatis ſibi arrogare, vt propter eius dicta crederent homines, Chriſtum adeſſe; & eos fidem tanti myſterij ſua teſtificatione conſequi, ſe iudicat indignam. Et maximum ei videbatur, eum inueniſſe, qui ab omnibus expectabatur. Ideo, obſeruat Euthymius, alios iudices vocat: *Venite, videte. Qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Iam mulier experimento probat, eum eſſe ſupra hominem, ac habere ſcientiam Dei; quia, cùm eſſet extraneus, mea occultiſſima, quæ feci, ipſe dixit, & enarrauit. Et quanuis Euangeliſta hæc ſcribat in generali, tamen Toletus *in Comment.* exiſtimat, quòd mulier in particulari narrauit, quæ erant dicta à Chriſto de quinque viris, & de eo, quem nunc habebat. O magna charitas mulieris, vt ait Chryſoſtomus homil. de Samarit. *Mala mea publico, vt Chriſtus adoretur, qui peccatores non auerſatur.* Non veretur mulier, ſuos defectus dicere, vt virtus Chriſti agnoſcatur. *Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Iam mulier ad altiora aſcendit; de homine ad Prophetam, de Propheta ad Meſſiam. Et cùm mulier nihil dubitaret, per modum interrogationis loquitur, vt faciliùs eos alliciat: nam ſi ipſa aſſertiuè diceret, quòd ille erat Chriſtus, vt imperita mulier iudicaretur. Sed excitat eos, vt Ieſum videant, & audiant, & tunc iudicium ferant; confidebat enim certiſſimè, quod plus in eo inuenirent, quàm ipſa dicebat.

Origen. Chryſoſt. Theoph.

Euthym.

Tolet.

Chryſoſt.

*Iuſtus honori ſuo non parcet, vt nomen Chriſti celebret.*

## Qvæstio XXXIX.

### *Quomodo mulier dicat de ſe, quòd Chriſtus dixerit ei omnia, quæcunque fecit?*

254. CHRISTVS dixit mulieri, quòd ipſa habuiſſet quinque viros; & illum, cum quo erat coniuncta, non eſſe virum ſuum, ſuprà *n.* 18. Mulier veniens ad ciuitatem annuntiat ſuis ciuibus, quòd Chriſtus ei dixiſſet omnia, quæcunque fecit; cùm tamen multa alia geſta eſſent à muliere, præter coniunctionem cum illis ſex viris. Quo ergo ſenſu aſſerit, omnia ſua ſibi eſſe dicta à Chriſto?

155. Chryſoſt. Albert.Mag. D.Chryſoſt.*homil.*3 2.Albertus Magnus aiunt, quòd mulier hæc dixit, non tantum conſiderans dictum, quantum virtutem dicentis:nam ex illis, quæ dicta erant, fecit coniecturam, quòd omnia alia,ab ea perpetrata,à Chriſto dici poterant. Secundò. Maldon: Tolet. Maldonatus, & Toletus inquiunt, quòd hi ſunt modi communes loquendi hyperbolici. Hugo. Tertiò Hugo aliter intelligit. Dixit omnia, quæ feci cum illis quinque viris,& cum eo,quem nũc habeo; cum quibus vixerat maiorem partem ſuæ vitæ.Quartò.Chriſtus dixit mulieri ea,quæ erant maiora crimina, ac commiſſa in vita ſua; nempe quinque maritis fuiſſe nuptam,& nunc cum alieno fornicari: & ideo ob grauitatem rerum,aſſerit, omnia ſibi fuiſſe dicta.

256. Ad moralem explicationem veniamus. Et primò, Chriſtus ſolùm habuit ſermonem cum muliere de ſex viris, quibus amatoriè copulata eſt. Albert.Mag. Et tamen mulier multa alia crimina, vt notat Albertus Magnus, & multas alias res fuerat perpetrata.Quomodo ait,quòd Chriſtus ei dixerit omnia? In his, quæ Chriſtus locutus eſt mulieri de viris ſex,ei aperuit,vbi ipſa amorem ſuum, ſuamque affectionem repoſuerat. *Vbi amor tuus, ibi omnia tua.* Meritò ergo ait Samaritana,quòd ei dixit omnia: quia vbi eſt amor tuus,ibi omnia tua clauduntur,ac continentur.

257. Secundò. Multa alia erant mulieris crimina,& multa alia peccata erant ab ea commiſſa, & tamen, dum Chriſtus ei explicat, quòd cùm ſex viris fuerit fornicata, teſtatur, quòd dixerit ei omnia, quæcunque fecit. *In luxuriæ crimine omnia alia peccata continentur.* Optima ratione aſſertum eſt: Chriſtus mulieri dixit luxuriæ facinus, quo petulanter vixerat;& in ipſo laſciuiæ ſcelere omnia alia crimina,veneficia,iræ,rapinæ, periuria, & alia ſimilia dicuntur. Scortationis nefas omnes aliæ nequitiæ inſeparabiliter concomitantur. Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus homilia de Samaritan. *Vnum tantùm ei dixit ſcortationis peccatum Chriſtus, & illa relicta hydria cucurrit ad vrbem, dicens: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.*

258. Scribens Moyſes hominum nequitiam, quando Deus miſit diluuium in genus humanum, ait: Geneſ.6. *Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta eſſet ad malum omni tempore,* Geneſ.6.num.5.Septuaginta: Septuag. *Videns Deus,quia multiplicatæ ſunt malitiæ hominum ſuper terram, & vnuſquiſque cogitat in corde ſuo ſuper maligna.* Si attentè legas Scripturam, inuenies peccatum, quod tunc graſſabatur in genus humanum, eſſe impudicitiam, vt ibimet explicatur num.2. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus,quas elegerant.* Si peccatum erat luxuriæ,quomodo dicitur,quòd multiplicata eſt malitia;quòd multæ ſunt malitiæ? cùm impudicitia, vna malitia videatur? Nunquid diuinus hiſtoriographus deſcribendo exaggerat hominum peccata? *Luxuria ſecum trahit omne vitiũ.* Minimè, ſed recta ratione factum eſt. Nam, cùm peccatum eſſet impudicitiæ, multæ ibi malitiæ claudebantur: nam luxurians appetitus omne vitium,ac malum ſecum trahit ac defert. Chryſoſt. D.Chryſoſtomus homilia 22. in Geneſ. *Et hoc malo opere,* ait, *quaſi ex fonte quodam,multa etiam alia ſuboriebantur peccata; & ideo dicit, malitiæ hominum: nam vbi ſcortatio, & luxuria, & tanta intemperantia, veriſimile eſt ibi & ebrietatem, & crapulam; magnam iniuſtitiam,& auaritiam, & innumerabilia naſci mala.*

*Ioannis* 4.*n.*30. Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Itaque exierunt ex vrbe quidam, veneruntque ad eum. |

## *EXPOSITIO.*

MAXIME laudanda eſt hæc mulier:nam, vt ait Chryſoſt. plus videtur feciſſe, quàm Andreas, & Philippus. 259. Idem. Andreas vnum ad Chriſtum adduxit Simonem Petrum. Philippus verò alterum, nempe Nathanaëlem,*Ioan.*1.*n.*41.At hæc,vt ait Salmeiron,cùm eſſet mulier,& Gentilis,ac meretrix, integram vrbem conuertit.*Exierunt ergo.*Illa particula,*ergo*,illationis eſt,& denotat ſuperiorem ſententiam eſſe cauſam ſubſequentis; ac proinde quòd propter verba mulieris exierunt, & veniebant, forſitan curioſitate commoti, vt viderent hominem. *Curioſitate multoties ineſcantur homines ad ſalutem.* propter quem mulier reliquit hydriam; & qui ei dixit omnia,quæcumque fecit.De quo multa magna euangelizabantur à muliere.Et ait Euangeliſta, *Veniebant*, vt eſt in noſtra Vulgata, potius, quàm *venerunt*,vt denotaret, quòd dum hæc agebantur,& illi erant in itinere, & rogabant Dominum diſcipuli, vt manducaret.

*Veniebant ad eum.* Valde præpotens eſt bonum exemplum:ſicut enim mulier ob Chriſtum,ad puteum relicta hydria, cucurrit ad ciuitatem, vt Dominum euãgelizaret;ita etiam ciues, cùm per mulierem audirent Chriſti annuntiationem, relicta ciuitate, Dominum quærentes, Chriſto Ieſu occurrunt. 260. *Exemplum multum efficax.* In hoc etiam magnum habemus documentũ,vt notant Albert.Magn.S.Thom. quòd ſi ad Chriſtum ire volumus, oportet nos exire de ciuitate,id eſt,amorem carnalis cupiditatis deponere. Albert.Mag. D.Thom. *Vt Chriſtum ſequamur, exeundum à mundo.* Ierem.48. Hebr.13. Cyrill. Ierem.48.n.28. *Relinquite ciuitates, & habitate in petra.*Et Paulus ad Hebr.13.*n.*13.ait:*Exeamus ad eum extra caſtra* D.Cyril. *lib.*2.*c.*101. ait, quòd durities Iudæorum à Samaritana facilitate in credendo arguitur: Ezech.16. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit,* Ezech.16.n.51. Samaritani præfigurabant Gentiles, qui magna promptitudine Chriſtum receperunt.

*Ioannis* 4.*n.*31. Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi manduca.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et interea efflagitabant ab eo diſcipuli eius, dicentes ei: Magiſter noſter comede. |
| *Hugo.* | Interrogauerunt eum diſcipuli,dicentes:Rabbi. |
| *Multi ex Græco.* | Interea precabantur, ſeu exhortabantur eum diſcipuli, dicentes. |





## *EXPOSITIO.*

261. INTEREA, dum mulier abiit in ciuitatem, ciueſque ad Ieſum exierant.*Rogabant eum.* Deprecabantur diſcipuli Dominum,vt comederet ex cibo,quem eius iuſſu emptum attulerant ex ciuitate. Nam, vt notant probati authores,& ex recta coniectura deducitur, cibum appoſitum Ieſus non ſumebat, ſed quaſi in aliam rem, quæ ſibi magis curæ erat, defixus hærebat meditabundus. Cyrill. Ex quo perbellè ait D.Cyrillus lib.2.cap.102. *Nam, cùm citò venturos ad ſalutem Samaritanos non ignoraret; ſic inde pendet. Vt quamuis ex itinere fatigatus eſſet, nullam tamen corporis haberet rationem: ita exemplo ſui, ſaluti hominum potius, quàm proprio corpori ſtudere, paſtoribus Eccleſiæ perſuadet.* *Chriſtus ſaluti noſtræ potius, quàm ſuo commodo intentus.* Hugo. Sequitur textus, *Rogabant eum,* ſeu, vt legit Hugo, *Interrogabant eum,* vt ipſemet explicat, quærentes conſenſum à reſpondente, quare non comedebant; & ita ex amore in Magiſtrum rogabant eum, vt comederet. Sed noſtra lectio vulgata tenenda eſt.

---

### QVÆSTIO XL.

### *Quare diſcipuli rogabant Chriſtum, vt comederet,*

262. CVM cibi eſſent appoſiti, & Dominus veluti in aliam rem defixus nollet manducare,rogabant eum diſcipuli, vt comederet. Et hoc ex triplici motiuo. Primò ex amore in Magiſtrum; ſecundò ex propria vtilitate; tertiò ex peculiari obligatione.

263. Chryſoſt. Primò ob amorem in Magiſtrum: quia erat ieiunus, laſſatus ex itinere, & hora meridiana. Chryſoſtomus homil. 33. *Hoc non improbitate quadam,* ait, *ſed amore, & ſtudio in Magiſtrum dicebant, cùm itinere, & æſtu fatigatum viderent.* Theoph. Euthym. Similiter Theophylactus, Euthymius. Secundò. Impensè inſtabant diſcipuli, vt Chriſtus ederet; quia etiam ſibi conſulere volebant, cùm fame laborarent; non enim ſolebant cibos ſumere, niſi Dominus priùs menſam benedicens prægustaret appoſita; aliter ipſi, ob ſuam modeſtiam non præſumebant comedere. *Diſcipuli famulentur Magiſtro.* Albert.Mag. Tertiò. Rogabant eum ex ſua obligatione; quia, vt ait Albertus Magnus, debet diſcipulus Magiſtro in corporalibus miniſtrare; & hic honor Magiſterio debetur, 1.Cor.9. 1.Corinth.9. num.11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Pſalm.80. Beda. Pſalm. 80. num. 2. *Sumite pſalmum, & date tympanum.* Beda relatus in Gloſſa. *Hoc eſt; accipite ſpiritualia, & date carnalia; Pſalmus enim, quia de ſuperioribus eſt, pertinet ad ſpiritualia; tympanum verò, quia de ſicco corio fit, ſignificat carnalia. Et eſt dicere: Si auidi eſtis in ſpiritualibus ſuſcipiendis, deuoti ſitis in carnalibus erogandis.* Dignus eſt mercenarius mercede ſua; & qui in negotio ſpirituali laborat, debet alimoniam in ſui ſuſtentationem recipere.

*Ioannis* 4.*n.*32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ipſe verò dixit eis:Eſt mihi cibus, vt comedam. |
| *Vatablus.* | Ego cibum habeo comedendum. |
| *Arias.* | Quem vos non noſtis. |

## *EXPOSITIO.*

SVBIVNGIT Dominus cauſam, ob quam rogantibus Apoſtolis non comedat. 264. Et non negat, quin eſuriat, quin ſit fatigatus, ſed innuit,alium eſſe cibum,qui ei multo iucundior, ac delectabilior eſt, nempe ſalus hominum, vt ipſe explicat *verſu* 34. Et per hoc declarat, quàm vehementer deſideret conuerſionem Gentium: *Chriſtus pluris æſtimabat noſtram ſalutem, quàm ſuum commodum.* nam, quamuis Dominus eſſet ieiunus, & fatigatus ex itinere, hora meridiana,& appetitus naturalis ex ſua naturali inclinatione propendat in cibum; tamen multo vehementius erat deſiderium ad noſtram ſaluationem, quàm ipſa appetentia ad cibum. *Bonus Prælatus ſaluti ſubditorum poſtponat omne proprium commodum.* Ammonius. Et in hoc maximè docet ſuos diſcipulos, vt ait Ammonius in Catena Græca. *Tanquam Magiſtros orbis terrarum aſſuefacit, corporalem cibum Dei voluntati, hominúmque ſaluti poſtponere.* Ad quod nos docet ſuo exemplo ſeruus Abrahami,*Gen.*24.*num.*33.Nam, Geneſ.24. cùm ei eſſet appoſitus cibus, ait: *Non comedam, donec loquar cunctos ſermones meos.* 1.Reg.16. Et 1. *Reg.*16. *num.* 11. Samuel ait Iſai, quod vt exequeretur Domini mandatum,vocaret ad ſe Dauidem: *Nec enim diſcumbemus, priuſquam huc ille veniat.* Et *Tobiæ* 7. *num.* 10. cùm cibi apponerentur coram iuniore Tobia in domo Raguelis, ait: Tobiæ 7. *Hîc ego hodie non manducabo, neque bibam, niſi priùs petitionem meam confirmes.*

265. Albert.Mag. Hugo. Vtitur Dominus hîc metaphora cibi,vt obſeruant Albertus Magnus, Hugo. Eſt enim tropus locutionis, eo quod cibus tranſit in naturam comedentis, & fit in ſpeciem corporis nutriti.Et ſic vnus ſpiritus cum Deo efficiuntur conuerſi, non natura, ſed charitatis copula. Et dum Dominus diſcipulis ait, ſe habere cibum ad manducandum,videtur eis ſignificare; vt ipſi manducarent; nam ille alium excellentiorem habebat. *Quem vos neſcitis.* Huiuſmodi cibus vobis eſt incognitus; neſciebant enim, inſtare Samaritanorum conuerſionem ad fidem, vt ponderat Cyril. D. Cyrillus *lib.*2. *cap.*3. Et hoc erat cibus Chriſti, Tobiæ 12. Tobiæ 12.num.19. *Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.*

*Ioannis* 4.*n.*33. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare?

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Dicunt diſcipuli inter ſe: Num quis attulit ei quid edendum? |

*Vatablus.* Num quis attulit ei, quod ederet?

## *EXPOSITIO.*

266. Chryſoſt. Cyrill. Auguſt. Rupert. Euthym. Theophyl. D.Thom. Chryſoſt.

DE cibo, de quo Chriſtus loquebatur, nullus diſcipulorum intellexit; omnes tamen cibum corporalem cogitabant, ſicut & mulier aquam materialem eſſe, ſibi perſuadebat, vt obſeruant Chryſoſtomus, Cyrillus, Auguſtinus, Rupertus, Euthymius, Theophylactus, S.Thomas. Et cùm diſcipuli eſſent cupidi, & ambigerent, qualiſnam eſſet ille cibus? & quis eum attulerit? nullus tamen quærit à Magiſtro, ſed ſolùm inter ſe loquũtur. Quod obſeruat Chryſoſtomus homil. 33. *Solitum tamen*, ait, *Magiſtro honorem tribuunt; & mutuis inuicem ſermonibus differentes, eum percontari non audent.* Sed ſolùm adinuicem loquebantur diſcipuli. Num aliquis, vtpote mulier illa Samaritana, vel aliquis pertranſiens videns hominem famelicum, ei cibum dedit? ſeu, vt affirmat Origenes, ſibi perſuabebant, Angelum cibum miniſtraſſe, vt contigit Eliæ 3. *Reg.* 19. *num.* 6. Vel, vt interpretatur Leontius, putabant, illi eueniſſe, quod contigit Danieli in lacu leonum, cui Habacuc pòrtauit prandium ſuis meſſoribus præparatum, *Daniel* 14. *num.* 33.

Origen. 3.Reg.19. Leontius. Daniel.14.

*Ioannis* 4. *n.* 34. Dixit ei Ieſus: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.

### *VERSIONES.*

*Theophylactus.* Meus cibus eſt vt faciam, quod vult is, qui miſit me.

*Vatablus.* Vt exequear voluntatem eius, qui miſit me.

*D. Ambr. lib. de Noë, & Arca c.* 25. *& lib de Elia, & ieiunio cap.* 3. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, qui eſt in cælis.

*Arias.* Voluntatem mittẽtis me.

*Græcus.* Et vt perficiam opus eius.

*Tertull. lib. adu. Praxeam cap.* 21 *& Nouatian. Epiſt. de cibis Iudaicis.* Et vt conſummem opus eius.

## *EXPOSITIO.*

267. DVM diſcipuli non intelligentes verba Domini, inter ſe præ modeſtia ſecretè quærant, quid ſignificent? quis attulerit cibos? Dominus eis occurrit, ait D. Auguſtinus: *Audiuit cogitationes eorum, & iam inſtruit, vt magiſter, non per circuitum, ſicut illam mulierem.* Cum Samaritana loquens, non exponit, de qua aqua loqueretur. At verò cum diſcipulis: *Quibus datum eſt, noſſe myſterium regni Dei*, Matth. 13. num. 11. *Omni velamine*, ait Cyrillus lib. 2. cap. 105. *orationis reiecto, rem eis apertiſſimè dicit.* ait eis Dominus: *Meus cibus*, hoc eſt, mea eſca. Seu, vt ait Hugo, mea refectio, mea delectatio, quam ego habere dico, ratione cuius hic veſter cibus oblatus vileſcit: *Vt faciam voluntatem eius*, hoc eſt, vt clariùs legit Vatablus, *Exequar voluntatem mei Patris, qui miſit me.* Voluntas autem Dei eſt hominum ſalus. *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri*, 1. Timoth. 2. num. 4. *Vt perficiam opus eius.* Ex Græco loquendum eſt cum copulatiua, *Et vt perficiam opus eius.* Origenes, Caietanus, hoc referunt ad opus creationis, quod per Chriſtum gratiæ perfectionem comparauit. Sed cum communi ſententia Chryſoſtomi, Cyrilli, Euthymij, Theophylacti, Bedæ, Alberti Magni, S. Thomæ, referendum eſt ad noſtram redemptionem. Et hæc duo, facere voluntatem eius, & perficere opus eius, idem valent; tamen addit perficere opus eius ad hoc vt explicet, quæ eſt voluntas patris. *Perficiam opus eius*, hoc eſt, negotium mihi iniunctum, ac commiſſum exequar, & conſummem. Euthymius: *Voluntas Patris*, ait, *qui ipſum miſerat, opus illius Chriſto iniunctum, ſalus eſt hominum.* Hoc enim opus commiſſum Chriſto, & ſalus, & redemptio generis humani. Ioan. 3. num. 17. *Miſit Deus filium ſuum in mundum, vt ſaluetur mundus per ipſum.* Et 17. num. 4. *Opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam.* Et perficere hoc negotium noſtræ ſalutis, & ſuæ mortis, dicit ſuum cibum: *Labores manuum tuarum manducabis*, Pſalm. 127. num. 2. Hoc autem opus multis modis Chriſtus perfecit. Exemplo, prædicatione, doctrina, morte, ac paſſione, & merito ſuo. Et quia inſtabat iam tempus, vt Samaritani adducerentur ad ſalutem, ac cognitionem veritatis, ideo hæc loco ſibi eſſe corporalis alimoniæ ſignificat; non quòd cibus corporis ei non eſſet neceſſarius, prout homo erat, ſed quòd bono noſtro ſpirituali, tanquam ſit quid gratius, maximè paſcitur, ac delectatur.

August. Matth.13. Cyrillus. Hugo. Vatabl. 1.Tim.2. Græcus. Origen. Caietan. Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Theoph. Beda. Albert.Mag. D.Thom. Euthym. Ioan.3. Ioan.12. Pſalm.127.

---

## QVÆSTIO XLI.

### *Quare Chriſtus Dominus negotium noſtræ ſalutis appellet ſuum cibum?*

EX noſtra expoſitione liquet, quòd Chriſtus Dominus, exequi, & adimplere voluntatem Patris circa noſtram ſalutem, ita ſibi periucundum, ac delectabile dicit, vt hoc cibum ſuum, & eſcam ſuam appellet. Quod dedit anſam Doctoribus varie ratiocinandi in hac materia. 268.

Primò Rupertus lib. 4. in Ioan. *Hoc dicto*, ait, *Chriſtus indicat, quàm ſpontanea obedientia Deo Patri deſeruiat in operando noſtram ſalutem; & quòd magis delectetur in hac obedientia, quàm aliquis eſuriens, dum oblatis cibis dicitur ei: Manduca.* Chriſtus, dum voluntatem Patris exequitur, ſe per omnia illi obediens gerit; & multo periucundius eſt ei, obedire Patri, quàm homini fameſcenti cibus oblatus. Secundò Philo Carpathius explicans illud Cantic. 5. num. 1. *Deſcendat* 269. Rupert.

*Obedientia Chriſti erga Patrem ei valde periucunda.* Carpathius. Cant.5.

dat



*dat frater meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Ait ille. *Ad quos, & quales fructus edendos inuitetur ſponſus à ſponſa, ipſe per ſe declarat in Euangelio, cùm dicit: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius. qui miſit me: hoc eſt, vt quamplurimos ad me conuertam, meoſque diſcipulos faciam, & amicos, omnes in me credentes: quorum bona opera, tanquam fructus ſuauiſſimos virtutis, ſponſus edit, hiſque maximè lætatur.* Chriſtus agens de noſtra conuerſione, ac nos diſcipulos ſuos faciens, ita in his nouis plantationibus, ac earum bonis operibus delectatur, & paſcitur, tanquam in ſuauiſſimis fructibus, omni condimento ſaporis repletis.

*Bona noſtra opera Chriſtum delectant.*

270. Ambroſ. Tertiò. D. Ambroſius lib. de Noë, & arca cap. 25. *Non enim*, ait, *carnem manducabat, hoc eſt, terrenum aliquod cogitabat, qui dixit: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei: ſtudium hominibus virtutis inſpirans, & cupiditatem diuinæ cogitationis infundens.* Expende vltima verba. Chriſtus voluntatem Patris appellat ſuam eſcam, vt nos inſtruat, contemnere terrena, & deſiderare cæleſtia, ac ſtudium virtutis habere: in quibus eſt vera refectio mentis, & animæ. Quartò idem D. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio cap. 3. *Meus cibus eſt*, ait, *vt faciam voluntatem Patris. Hic cibus Angelorum eſt, vt diuino famulentur imperio.* Nullus cibus ita iucundus, ac gratus eſt homini, quàm Angelis, ac Iuſtis Deo famulari, ac obſequium præſtare. Et ita ait explicans noſtrum locum D. Bernardus ſerm. 3. in Ramis Palmar. *Qui enim cibus æquè confirmat, & corroborat hominem. Quid ita in omni neceſſitate confortat, & ſuſtentat, vt diuinæ voluntatis executio?*

*Noſter cibus deſiderare cæleſtia.* Ambroſ. *Famulari Deo, cibus Iuſtorum.* Bernard.

271. Etherius. Quintò Etherius *lib.* 1. *ad Elipandum*, Ait Chriſtus, *& perficiam opus eius. Opus eius*, inquit, *eſt, ex multis granis vnum panem, id eſt, ex multis animabus vnam animam in vna charitate, in vna fide, & in vna ſpe facere.* Ita Deo placet vnio in charitate inter homines, vt hanc facere, ſit peculiare opus Dei. Et quia Samaritani erant vniendi cum Apoſtolis in fide, ideo ſignificat, quòd cibus à ſe edendus, ſit, hanc vnionem perficere, & conſummare. Sextò Drogo Hoſtienſis ſerm. 1. de Paſſione. *Meus cibus eſt*, ait, *vt faciam voluntatem Patris mei: & voluntas Patris eſt, vt calicem bibam. Ergo in Cruce manducauit, & bibit, & ebriatus eſt, & dormiuit.* Tam eximiè ſua morte, ac paſſione, & cruce oblectatur Dominus, vt, facere voluntatem Patris, qua ad mortem properabat, ſuum cibum, ac refectionem dulciſſimam appellet.

*Deliciæ Chriſti, facere vnionem inter fideles.* Drogo. *Mors, ac paſſio Chriſti cibus eius ſuauiſſimus.*

272. Baſil. Seleuc. Septimò Baſilius Seleucus Orat. 6. in Dauidem. *Animæ pabulum*, ait, *veritatis eſt cognitio, creatoris intelligentia, diuinarum rerum narratione repleri. Ac circa huiuſmodi alimoniam otium impendere, cùm Dominus homines doceret, clamabat: Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Fidelis animæ cibus, ac refectio, veritatis cognitio, & Dei contemplatio: nam ſicut corpus creſcit, ac augeſcit corporali eſca, ita cæleſti doctrina anima paſcitur, & nutritur. Et ideo dum Chriſtus parat, hoc cæleſte pabulum hominibus dare, ſuum cibum dicit, cùm noſtram refectionem, ac commodum ſuum reputet.

*Cæleſtis doctrina animæ cibus.*

273. Chryſoſt. Octauò D. Chryſoſtomus homil. 33. *Hominum*, inquit, *ſalutem hoc in loco cibum appellat, vt quanta ſalutis noſtræ cura, & deſiderio teneatur, oſtendat. Sicut enim nos cibum, ita Chriſtus humani generis ſalutem deſiderat.* D. Cyrillus Alexandrin. lib. 2. cap. 105. *Hinc diſcimus, quanta ſit erga homines Dei charitas; quaſi enim cibum ſuum putat perditorum hominum conuerſionem.* Sicut homo famelicus eſurit, & appetit cibum; ita Chriſtus Dominus ob ſuam charitatem eſurit, & appetit noſtram ſalutem, vt ſuum cibum; & pœnitudine, ac conuerſione peccatorum reficitur, & paſcitur, tanquam ſuauiſſimo pabulo.

Cyrill. *Chriſtus eſurit noſtram ſalutem.*

Cùm Matthæus vocatur à Chriſto, ait Lucas 5. num. 29. *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua; & erat turba multa publicanorum.* Matthæus, qui erat publicanus, cuius ſors valde inter ignobiles reputabatur, parat Domino magnum conuiuium in domo ſua. Et tamen cùm Ieſus *Ingreditur domum cuiuſdam principis manducare panem*, Luc. 14. num. 1. Cùm hic eſſet princeps, & valde præpotens, planum eſt, quòd Dominum multa magnificentia, ac maieſtate exciperet. Et tamen eius conuiuium non dicitur magnum, vt conuiuium Leui. In domo principis erat ante Dominum menſa, in qua cibi apponebantur. At Matthæus, non ſolùm corporali cibo recreabat Dominum, ſed ſua, ac multorum publicanorum, qui aderant, conuerſione, ac pœnitentia, Et nullum maius, ac amplius conuiuium Chriſto Domino, quàm noſtra ſpiritualis vita, & ſalus. Beda in cap. 9. Matth. *Porrò ſi altiore intellectu, quæ geſta ſunt, indagare cupimus, non tantùm in domo ſua terreſtri conuiuium Domino corporale exhibuit Matthæus; ſed multo gratius illi conuiuium in domo pectoris ſui per fidem, ac dilectionem parauit, ipſo atteſtante, qui ait, Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*

274. Luc.5. Luc.14. *Noſtra ſalus cibus Chriſto iucundiſſimus,* Beda.

*Ioannis* 4. *n.* 35. Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Nónne dicitis: Poſt quatuor menſes venit meſſis? Ecce dico vobis: Attollite oculos veſtros, & ſpectate terras, quippe quæ albeſcant, & iam peruenerint ad meſſem.

*Vatablus.* Cùm meſſis aduenerit, ecce dico vobis: Attollite oculos veſtros, & contemplamini regiones.

*Euthymius.* Et meſſis veniet.

*Maldo*

*Maldonat.* *ex Græco.* Videte campos.

## *EXPOSITIO.*

275. DOMINVS paulatim erigit mentes ſuorum diſcipulorum ad altiora. Primò explicauit, quòd cibus ſuus ſit, facere voluntatem Patris; & opus ad quod miſſus eſt. Iam nunc verò aperit, eſſe tempus, & hora huic operi incumbendi. Et vtitur metaphora ſumpta à ſegete; & meſſe: nam ſata agricolarum intuebantur diſcipuli, cùm eſſent in campo extra vrbem *Nónne vos dicitis*: vulgare, & in confeſſo eſt apud vos, *quòd adhuc quatuor menſes ſunt.* Phraſis Herbraica; idem valet, poſt quatuor menſes erit meſſis. Ioan. 3. n. 4. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur*; id eſt, poſt quadraginta dies Niniue ſubuertetur. Et loquitur Dominus de meſſi materiali, vt obſeruant Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus; Euthymius, Beda, & alij. Ac ſi dicat: Apud vos eſt vulgare, quòd abhinc vſque ad tempus meſſis reſtant quatuor menſes. Vel vulgare erat prouerbium apud Hebræos, vt alij volunt, quòd à tempore ſementis vſque ad meſſem quatuor menſes interiacebant. *Leuate oculos veſtros.* Si illa ſunt apud meſſem materialem, quæ abeſt quatuor menſibus; tamen meſſis ſpiritualis iam eſt, & venit tempus eius. *Leuate oculos veſtros*, mentis, & corporis, vt vult Chryſoſtomus. *Et videte regiones*, ſcilicet campos, *quia albæ ſunt,* hoc eſt, maturæ, & proportionatæ ad meſſem. Oſtendebat Dominus ſuis diſcipulis, vt ait Chryſoſtomus, multitudinem Samaritanorum, quæ ad ipſum confluebat, quorum corda iam erant diſpoſita, & proportionata ad fidem recipiendam. Theophylactus. *Attollite oculos veſtros ſpirituales vel ſenſibiles, & ſpectate multitudinem Samaritanorum, & animas eorum ad fidem alacres, & promptas, quæ quaſi regiones albæ opus habent meſſoribus, ad ſalutem præparatæ.* Et ita eſt explicanda illa vltima particula in textu: *Quia albæ ſunt iam ad meſſem.* Quia iam hæ ſegetes ſpirituales diſpoſitæ ſunt, vt à meſſoribus falce demetantur. Et ita enucleat Dominus, qualis ſit cibus ſuus, quale opus commiſſum à Patre; vt huic meſſi ſpirituali incumbat, ac de ſalute hominum agat.

Ioan. 3. — Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym. Beda. — Chryſoſt. — Theoph.

276. Caietanus, hæc verba vult referre, non ſolùm ad Samaritanos, ſed ad omnes nationes; quia iam in proximo erat, vt ad meſſem prædicationis Euangelicæ deuenirent. Et ita dicitur in plurali, *regiones.* Tamen communis ſententia Patrum, Chtyſoſtomi, Cyrilli, Theophylacti, Ruperti, Alberti Magni, S. Thomæ, ad Samaritanos refert, quorum conuerſio erat in propinquo, & quorum turmas venientes per campos Dominus oculis diſcipulorum oſtendebat.

Caietan. — Chryſoſt. Cyrillus. Theophyl. Rupert. Albert. Mag. D. Thom.

277. Ex verbis huius textus colligunt communiter authores tempus, in quo hæc hiſtoria cum muliere Samaritana contigit, quatuor eſſe menſes ante meſſem, & tunc menſe Ianuario hæc geſta ſunt: nam meſſis triticea fiebat in Iudæa ad finem menſis Aprilis. Ita Albertus Magnus. At Abulenſis 1. *Reg.* 12. *quæſt.* 15. ait, fieri tritici meſſem ad finem Aprilis, vel ad initium Maij. Et Genebrardus in Calendario Hebræorum. Meſſem fieri menſe Maij contendunt ſimiliter Rupertus, Caietanus, Toletus *annot.* 25. & lij. Et hæc hiſtoria contigit menſe Februario: Meſſis enim in illis regionibus incidebat inter Paſcha, & Pentecoſtem, vt obſeruat hîc Origenes. Et clarè patet ex Scriptura; nam primitiæ frugum ſeptem hebdomadibus poſt Paſcha iubentur offerri, *Exod.* 34. *num.* 22. *Leuit.* 23. *num.* 15.

*Quo tempore hæc hiſtoria accidit.* — Albert. Mag. Abulenſ. Genebrard. — Rupert. Caietan. Tolet. — Origen.

---

## QVÆSTIO XLII.

### *Quare Dominus hîc loquatur cum diſcipulis per metaphoram à regionibus albeſcentibus?*

278. APERTIS verbis poterat Dominus ſuos docere, ac illuminare, vt eleuantes oculos viderent multitudinem Samaritanorum, quæ iam erat præparata, & diſpoſita ad fidem. Tamen allegoria, ac ſimilitudine vtitur Ad quod reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 33. *Quid ſibi hæ volunt tranſlationes? Qua nam hoc gratia; neque enim temerè Spiritus ſanctus ita inſtituit? Duabus rationibus. Primum, vt ſignificantiùs loqueretur, & magis ante oculos poneret; mens enim familiarium rerum imagine concepta magis ſuſcitatur, & tanquam in pictura rem ipſam magis amplectitur.* Ad magis ſuam ſententiam declarandam; & vt altiùs in diſcipulorum mentibus imprimeretur; ideo in exemplo, tanquam in pictura, Dominus rem ipſam ponit. Secundò pergit ipſe Chryſoſtomus. *Vt iucundior narratio eſſet, & diutiùs animo immoraretur.* Vt ſententia Domini alta mente remaneret defixa in diſcipulorum mentibus, figuris vtitur ipſe Saluator; quòd erat magna elegantia apud Palæſtinos. Nam ſermo mirificè ornatus ſua iucunditate, ac delectabilitate magnam vim habet ad perſuadendum. Eſther cùm ingrederetur ad loquendum cum Aſſuero pro ſuo populo, orabat ad Dominum, *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis.* Eſther 14. num. 13. Carthuſianus: *Sermonem ornatum, ac audienti beneplacentem.* Sed cur potius cum regionibus albis comparat, quàm cum alia re?

Chryſoſt. *Magiſter ſuã ſententiam explicet.* — Chryſoſt. *Sermo ornatus iucundus.* — Eſther 14. — Carthuſ.

279. Reſpondet primò idem Chryſoſtomus: *Iam venientium Samaritanorum turbam videbant, quorum feruorem, & promptiſſimam voluntatem albas regiones appellat: ſicut enim ſpicæ flauentes meſſem indicant, & iam manus poſtulant; ita illi properabant ad ſalutem.* Metaphora erat optima, præcipuè cùm ſegetes eſſent ante oculos: ſicut enim maturæ fruges requirunt, vt falce demetantur, vt ita horrea congregentur; ſic animæ præparatæ ad fidem, falcem doctrinæ exoptant, vt à ſuis erroribus euellantur, ac ad Eccleſiam transferantur. Apocal. 14. num. 18. *Mitte falcem acutam, & vindemia botros terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ eius.* Secundò. Hac analogia indicat Dominus, prædicationem, & doctrinam diffundere tempore opportuno, & accommodato. Opportunitatem debet Prædicator inueſtigare, vt fructum faciat.

Chryſoſt. — Apoc. 14. — *Opportuno tempore prædicandum.*

280. Tertiò D. Baſilius *Orat. de vera Virgin.* ait: *Virginitas enim vitam noſtram de corruptione ad ſanctitatis gloriam colligit. Nam priores illi homines ex paucis ſeminibus, fœderatis nuptiis orbem terrarum humanitatis fruge impleuerunt: hæc autem ſata iam toto orbe per voluptatem connubij, grana intra cælorum horrea congregat. Hanc nempe ſatorum in caſtimoniæ gloriam tranſlationem ſignificans Dominus dicebat: Leuate oculos veſtros, videte regiones, quia iam albæ ſunt ad meſſem.* Qui ad Chriſtum currebant, vt in cæleſtia horrea intrarent, dicuntur regiones albicare candore, ac amore caſtitatis: nam huius virtutis ſtudio cæli horrea aperiuntur, & homines maximè aptantur ad illius ingreſſum, & fit congregatio meſſis Chriſti ex puriſſimis electis.

Baſil. — *Charitas dat ingreſſum ad vitam æternam.*



281. De Chriſto ait anima ſancta, *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*, Cantic. 5. num. 10. Seu, *ſuper decem millia*, vt habent Septuaginta. Et ex tot millibus electus? Quia candidus virginitate, vt explicat D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinian.* Caſſiodorus, Iuſtus Orgelitanus, Petrus Damianus *lib.* 3. *Epiſtol.* 18. Hugo Victorinus *Inſtitut. Monaſt. ſerm.* 48. Seu, vt habet D. Anſelmus: *Dealbatus multa virtute*, ac proinde electus ex vniuerſis. Ait anima ſancta de ſe: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cantic. 2. num. 4. Sed cur ad tantam felicitatem, ac affluentiam donorum introducitur? Dixerat paulo antè ſponſus de ea: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, num. 2. Vbi per *lilium* puritas, ac virginitas animæ laudatur, vt teſtantur D. Ambroſius *lib. de Virgin.* D. Bernardus *ſerm.* 48. Cùm ergo in ſponſa ponatur ſignum caſtitatis, ac puritatis, nil aliud ſequitur, niſi introductio, ac ingreſſus in cellam vinariam ſupremi Regis. D. Gregorius Nyſſenus homil. 4. *Celebratur hoc loco anima, quæ pura, ac illibata perſeuerat.*

Cant. 5. — Septuaginta. Hieron. Caſſiod. Orgelit. Damian. Hugo. Anſelm. — Cant. 2. — Ambroſ. Bernard. — Nyſſen.

*Ioannis* 4. *n.* 36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui ſeminat: ſimul gaudeat, & qui metit.

## *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Porrò is, qui metit, mercedem accipit, cogitque fructus in vitam æternam: ſatórque, ac meſſor pariter gaudebunt. |
| *Arias.* | Et ſeminans ſimul gaudeat, & metens. |
| *Hebraicus apud Vatablum.* | Mercedem accipit, nam congregat fructus. |

## *EXPOSITIO.*

282. MESSORES ſuos ſpe præmij ad metendum Dominus excitat, & prouocat. *Qui metit*, ad horreum Eccleſiæ Dei congregando: *Mercedem accipit*, non gratis, & ſine præmio laborat; ſed ſuum præmium habet. Et ait: *accipit*; de præſenti; & non, accipiet, de futuro; quia præſentia maximè mouent: & quia Prædicatoribus, ac Chriſti meſſoribus, non ſolùm datur præmium in alio ſæculo; ſed etiam in hoc, dum multa dona à Deo accipiunt. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem*, 1. Corinth. 3. num. 14. *Et congregat fructum in vitam æternam.* Meſſores Chriſti ſuum præmium non congregant in horreum temporale, vt ait Euthymius; ſed in æternam vitam, quæ ſemper durat. Dubitatur hîc, an merces, & fructus diuerſa ſignificent? vel idem dicant? Rupertus, cum quo conſentit Origenes, diuerſa eſſe putat. Merces enim, ait Rupertus, eſt illa, quæ in hoc ſæculo debetur operariis Euangelicis. de quibus dictum eſt: *Dignus eſt operarius mercede ſua*, Matth. 10. num. 10. Fructus verò eſt ille, qui datur in vita æterna ipſis meſſoribus. Alij verò, cum quibus eſt Franciſcus Lucas, dicunt, mercedem eſſe præmium, quod in cælo datur operariis Euangelicis; fructus verò eſſe homines ad Chriſtum adductos opere prædicantium, qui in vitam æternam Chriſto congregantur. Tamen dicendum exiſtimo cum D. Chryſoſtomo, Cyrillo, Euthymio, Alberto Magno, Hugone, mercedem, & fructum idem ſignificare. Et præmium, quod ſolet dari meſſoribus, vtroque modo appellatur. Et explicat Dominus, quod ſuis meſſoribus danda ſit retributio, & hæc in æternum duratura.

*Præſentia magis mouẽt.* — 1. Cor. 3. — Euthym. — Rupert. Origen. — Matth. 10. — Franc. Luc. — Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Albert. Mag. Hugo.

283. *Vt & qui ſeminat.* Hoc loco *vt*, dicit conſequentiam. Ac ſi diceret: Ex quo ſequitur, quòd gaudium ſit commune, tam ſeminantibus, quàm meſſoribus. Per *ſeminatores* intelligunt omnes Patres veteris Teſtamenti. Per *Meſſores* verò Chriſti diſcipulos, ac Prædicatores legis gratiæ. Qui omnes maximè lætantur fructu cæleſtium donorum in vitam æternam. Ex quo rectè notant Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, quòd innuitur hîc quoddam diſcrimen inter meſſem materialem, & ſpiritualem: nam in meſſe materiali, non ſemper commune eſt gaudium ſeminanti, & metenti; quia ſæpe contingit, quòd ille, qui ſeminauit, mortuus ſit tempore meſſis, at in Chriſti area omnibus commune eſt gaudium, quia licèt ſator multo iam tempore mortuus ſit corpore, tamen vt meſſor mercedem accipit in vita æterna.

Chryſoſt. Euthym. Theoph.

*Ioannis* 4. *n.* 37. In hoc enim eſt verbum verum: quia alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit.

## *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | In hoc enim ſermo ille verus eſt. |
| *Vatablus.* | Quod alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit: |
| *Arias.* | Quia alius eſt ſeminans, & alius metens. |

## *EXPOSITIO.*

284. IN hoc, id eſt, in hac ratione, & in hoc euentu, *eſt verum* commune illud prouerbium, & dictum apud Hebræos, vt obſeruant Chryſoſtomus, Euthymius, Rupert. Beda. *Alius eſt, qui ſeminat, & alius eſt, qui metit.*

Chryſoſt. Euthym. Rupert. Beda.

*metit*. Hoc dicto ſignificari intendebant, alium laboraſſe, & alium laboris fructum percepiſſe, vt notat citatus Chryſoſtomus. Et hoc prouerbium verum eſſe in Patribus veteris Teſtamenti, & diſcipulis ſuis, ait Chriſtus. Nam illi antiqui Patres ſeminarunt; at diſcipuli ex eorum labore fructum percepere. quod ſequenti verſu explicat Chriſtus. Tamen Patriarchis nulla facta eſt iniuria, cùm ipſi habuerint ſuum præmium in vitam æternam.

*Ioannis 4.n.38.* Ego miſi vos metere, quod non laboraſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.

*VERSIO.*

*Syriacus.* Ego miſi vos ad id metendum, in quo non laboraſtis: alij ſiquidem laborauerunt.

## *EXPOSITIO.*

285. HORTATVR Dominus ſuos Apoſtolos, vt alacriter inſtent in negotio prædicationis Euangelicæ, tum ob mercedem, quæ eis eſt præparata in vita æterna, vt dixerat ſuprà *verſu 36.* tum ob facilitatem negotij, cùm per Prophetas, ac Patres antiquos iam ſeminatum ſit triticum diuinæ cognitionis, ac animorum cultura præparata, & diſpoſita; ad quorum meſſem Chriſtus mittit ſuos diſcipulos. *Ego miſi vos.* De præterito eſt locutio; iam enim Chriſtus miſerat ſuos diſcipulos metere in Iudæa, vbi multos baptizauerat. hoc cap.4.num.2. *In meſſe*, ait Chryſoſtomus, *minus laboris eſt, plus voluptatis.* Textus: *Quod non laboraſtis*; hoc eſt veſtro labore non ſeminaſtis. *Alij laborauerunt*, ſcilicet Patriarchæ, & Prophetæ ſeminando verbum Dei, docendo, & hominum corda præparando. *Et vos in labores eorum introiſtis*, colligendo fructum fidei ſeminatæ ab eis, & vtendo eorum verbis pro veritatis confirmatione, vt ait Albertus Magnus, & ante eum Irenæus *lib. 4. cap. 40.* D. Gregorius *lib. 9. Moral. cap. 16.* Notanter obſeruat Theophylactus, ex his verbis inferri, eundem eſſe Deum, & authorem veteris Teſtamenti, & noui: ſiquidem meſſis, incepta per Prophetas, ab Apoſtolis, ac diſcipulis Domini metenda, ac colligenda eſt.

Chryſoſt.
Albert.Mag. Irenæus. Gregor. Theoph.

---

## QVÆSTIO XLIII.

*Quare, cùm Apoſtoli ſint multos labores perpeſſi in prædicatione Euangelica, dicat tamen Dominus, quòd eos mittit ad metendum, quod non laborauerunt?*

286. *Ratio difficultatis.* SI noſtra mente perpendamus labores, quos Apoſtoli paſſi ſunt in diſſeminanda prædicatione per orbem, videntur multò atrociores, & grauiores, quàm Patriarcharum ærumnæ. Nulla lingua dicere ſufficit tot perſecutiones, tot exilia, tot flagella, tantum famis, tantum ſitis, tot rotas, flammas, neces, & tandem tot tormentorum genera, quæ Apoſtoli pro prædicanda fide conculcarunt: nil enim maius Patres antiqui potuerunt perferre. Quomodo ergo dicuntur Apoſtoli, eorum comparatione, non laboraſſe, ſed in eorum labores introiſſe?

287. Reſpondetur cum D. Auguſtino *ſerm. 42. de Sanctis*, quòd Chriſtus Dominus loquebatur hîc de meſſe facienda in populo Iudaico, & Samaritano, quorum turmas venientes per campos oſtendebat: *Leuate oculos veſtros, & videte*, ſuprà num. 31. Et ibi maximè laborarunt Patriarchæ in plantanda, & ſeminanda fide: Apoſtoli autem electi fuere ad metendum in hoc populo id, quod per Prophetas, ait Auguſtinus, erat iam maturum. At in dilatanda fide per orbem inter Gentes, Apoſtoli fuerunt non ſolùm meſſores, ſed etiam ſeminatores, & ait Auguſtinus, qui multis ſuis laboribus, ac ærumnis plantauerunt fidem, errorum vepres à Gentium cordibus euellendo, ac infidelitatis tenebras diſſipando. Et in hoc ſenſu, vt obſeruant citatus Auguſtinus, & Irenæus *lib.4.cap.41.* ait Paulus 1.*Corinth.15. num.10.* ſe abundantius, quàm omnes laboraſſe, quia deſtinatus eſt ad Gentes, in quibus nulla extabat fidei diſpoſitio. Ita etiam *ibi* D. Anſelmus, D.Thomas, Benedictus Iuſtinianus, & *hîc* Toletus. Ad rationes morales deueniamus.

Auguſt.
*Apoſtoli ſeminatores, & meſſores in Gentibus.*
Auguſt. Irenæus. 1.Cor.15.
Anſelm. D Thom. Iuſtin. Tolet.

288. Reſpondet primò Rupertus lib.4.in Ioan. *Illic*, ait, *credentes, & ſperantes, credendo, & expectando, fidem, & ſpem ſuam in propagationem carnis ſuæ, tanquam in bona gratiæ Dei terra committentes, ſeminauerunt euntes, & flentes, & ſemina ſua mittentes. Et ecce nunc alij metunt, nempe vos Apoſtoli, qui promiſſionum, quæ ad eos factæ ſunt, præſentem habetis effectum.* Quod ſatis clarè totum dixit Hugo. *In meſſe facilitas eſt, & ſecuritas, & iucunditas de præſentia fructus. In ſemine autem multus labor, diuturna expectatio.* Antiqui Patres fidem prædicabant, Chriſtum annuntiantes, qui maximè ab eorum oculis diſtabat, cuius præſentia non valuerunt; & ideo longa expectatione, tanquam ſeminatores vexabantur, At Apoſtoli, quanuis multo maiores, quàm illi, labores pertulerint, tamen dulcedine præmij ac præſentia Chriſti, & appropinquatione regni cæleſtis maximè recreabantur, tanquam meſſores: & ideo dicuntur minus laboraſſe; non quòd minus laborauerint, ſed quòd eorum labores præſens fructus multum facilitauerit, ac minuerit.

Rupert.
Hugo.
*Præſentia præmij facilitat omnem laborem.*

289. Secundò D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap.110. *Apertiùs totam rem ante oculos ponit, vt Prophetarum, atque Apoſtolorum amicus, ne labores illorum à laboribus Apoſtolorum ſeparet; ne totam prædicationis gloriam, qua mundus conuerteretur, Apoſtolis ſolùm attribuit, ſed vtriuſque operam in vnum commiſcens. Ita non dimittit, priſcorum gloriæ inſultari, ſed honorandos illos ſuadet; partim quia labore, partim quia tempore præceſſerunt. Hoc nobis profuturum eſt, ſi vt regulam in ſimilibus rebus obſeruabimus.* Cùm totus mundus prædicatione eſſet trahendus ad fidem, ne dum hoc eorum gloriæ adſcribitur, Prophetarum, ac Patriarcharum labor videretur contemni, ideo Dominus eorum labores aſſocians, ac

Cyrill.



commiſcens docet, quòd Apoſtoli ſuſceperint ſegetem iam præparatam, & naturam multis Prophetarum ſudoribus, vt *ibi* ait D.Cyrillus. Ex quo habemus documentum ad honorandos, ac venerandos eos, qui tempore, ac labore præceſſerunt.

*Qui tempore, & labore præceſſerunt, venerandi ſunt.*

290. Tertiò Origenes *hom. 7. in Exod.* dum expendit illa verba Moyſis Exod. 15.num. 17. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ*; ita loquitur Origenes: *Vide clementis Domini bonitatem, non vult, vt ipſe ſibi faciat habitaculum, te præparatam ducit habitationem, audi Deum dicentem in Euangelio: Alij laborauerunt; vos in labores eorum introiſtis.* Bonus Deus ita ſuos amicos euehit ad regnum cælorum, vt ſemper labores perpeſſi comparatione tanti boni ſemper ſint inferiores. Dum ergo ſuos diſcipulos promouet ad ſupremum culmen dignitatis Apoſtolicæ, ait eis, quòd ingrediantur in labores Prophetarum. Quia quanuis ipſi Apoſtoli multum ſuſtineant, & perpetiantur; tamen habita conſideratione ad tantum principatum, ſemper labores ſunt minores, & inferiores, cùm ad meſſem, iam ab aliis præparatam, admittantur. Adeò bonus eſt Deus, vt ſemper de laboribus ſubtrahat; honores, & præmia abundantiſſimè largiatur, & diffundat.

Exod.15.
Origen.
*Deus de noſtris laboribus ſubtrahit, in præmiis ſuperabundat.*

291. Quartò. Multum laborarunt Prophetæ, & Patriarchæ. Sed ſi rectè expendas, multo maiores fuerunt perſecutiones, ærumnæ, contumeliæ, ac tormentorum genera, quæ perpeſſi ſunt Apoſtoli in meſſe Euangelica. Et tamen hi dicuntur non laboraſſe, ſed in aliorum labores introire. Nam Patriarchæ pertulerunt perſecutiones ſine exemplo Chriſti, pariter cum eis dolores mortis ſuſtinentis; & ideo eorum preſſuræ grauiſſimæ fuerunt. At Apoſtoli ſuos cruciatus ſunt amplexi Chriſto comite, & ſimul ipſo patiente; ac proinde valde ſuauiſſimi, & periucundi fuerunt. Et ideo labores, qui Chriſtum comitem non habent, valde duriſſimi, & rigidi ſunt. Qui verò tanto Domini exemplo nos circundant, præ iucunditate, ac dulcedine minimè labores videntur.

*Labores comite Chriſto ſuaues, & leues.*

292. Tota eſt ſponſa in laudibus domum ſuam extollendo, vt ad eam inuitet ſponſum: *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina*, Cantic.1.num. 16. Et tamen ſtatim reſpondens ſponſus ait: *Ego flos cãpi, & lilium conuallium*, Cant.2.num.1. Vbi Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos, ac iuſtos aduocat ad campum laboris, ac ad culturam, & conuerſionem animarum, vt authores ſunt Origenes *homil. 3. ex tribus.* D. Gregorius Nyſſenus *hom. 4.* Sed qualiter, & quibus adhortationibus Dominus ſuos prouocat ad huiuſmodi culturam? Ait, *Ego flos campi.* nam cùm ipſe ſe oſtendat in hoc campo labori, atque huic culturæ deditum, certus erat, quòd iuſtorum animæ labores minimè recuſarent, ſed pro nihilo reputarent. D. Bernardus ſerm. 47. in Cantic. *Nec putat*, ait, *cæleſtis ſponſus, quidquam perſuaſibilius fore illi ad ineundum certamen, quàm ſi ſe ipſum certantis aut exemplum proponat, aut præmium.* Et paulo antè dixerat. *Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum poſt victoriam tuæ coronas præſentia maieſtatis, ſiue quia pugnantem te ſpecto; ſiue quia te ſpecto, non ſolùm coronantem, ſed etiam coronam: in vtroque mirabiliter tibi me illicis: vterque funis vehementiſſimus ad trahendum.* Vide *lib. 2. cap. 7. q. 5. num. 22. & 23.*

Cant.1. Cant.2.
Origen. Nyſſen.
*Chriſti exẽplo labores reddit ſuaues.*
Bernard.



*Ioannis 4.n.39.* Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ex illa autem vrbe multi crediderunt in eum Schamaritani propter ſermonem mulieris illius, quæ teſtata fuerat.

*Vatablus, Theophylactus.* Propter ſermonem mulieris teſtificantis, dixiſſe eum ipſi omnia, quæcunque feciſſet.

## *EXPOSITIO.*

293. POST habitum colloquium Chriſti cum diſcipulis, ad hiſtoriam mulieris redit Euangeliſta. *Multi crediderunt in eum*, antequam è ciuitate exiſſent, & ad Chriſtum veniſſent, vt obſeruant D. Auguſtinus, Beda, Cyrillus, Albertus Magnus, crediderunt Chriſtum magnum eſſe Prophetam, & verum eſſe Meſſiam; non ſolùm crediderunt dictis mulieris, ſed etiam crediderunt in Chriſtum; hoc enim dicit Euangeliſta: *Crediderunt in eum. Propter verbum mulieris*; conſtanter affirmantis: *Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Maximè laudanda eſt horum hominum promptitudo in credendo, antequam ad Chriſtum accederent, Quod totum prouenit ex efficacia ſplendoris, ac gratiæ Chriſti Domini, qui, vt ſol, antequam ad noſtrum Horizontem aſcendat, iam incipit mundum illuminare.

Auguſt. Beda. Cyrill. Albert.Mag.

---

## QVÆSTIO XLIV.

*Quare ad vnius mulierculæ vocem multi Samaritani credunt, Chriſtum eſſe Filium Dei?*

294. SAMARITANI, antequam exirent ab vrbe, crediderunt, Chriſtum Dominum eſſe verum Filium Dei, & verum Meſſiam. In quo videbitur alicui, quod imprudenter egerint, dum credunt tanta myſteria, quæ humanum captum excedunt, propter teſtimonium vnius fœminæ, & quidem meretricis. Ad hoc facile reſpondetur, quòd totum prouenit ex gratia Dei, quæ ob ſummam Saluatoris miſericordiam horum hominum corda mouit, & traxit ad fidem. Deinde vt Apoſtoli viderent, iam maturam meſſem, ac præparatã in his hominibus, ſicut eis Dominus prædixerat. Secundò ait Franc. Lucas: Ex hoc licet cõiecturare, quantũ apud veros, ſimplices, & bonos viguerit ſpes, & deſiderium promiſſi Meſſiæ.

Franc.Lucas.

R Siquidem

Siquidem ad vnius mulieris vocem crediderunt. Promptè nobis perſuademus, adeſſe ea, quæ vehementer deſideramus.

295. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 33. *Conſiderabant*, ait, *quod nequaquam mulier gratanter eum admirata eſſet, qui eius delicta redarguerat, niſi magnus quis eſſet, & excellens.* Credunt Samaritani, adeſſe Chriſtum, ob teſtimonium mulieris: *Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Magno pondere iudicij ratiocinati ſunt in hoc negotio; nam mulier teſtificabatur quòd ei Chriſtus dixiſſet, quot, & quantis viris ſcorticaſſet, & crimina eius, luxuriamque reprehendiſſet. Et tamen videbant mulierem valde propenſam eſſe in Chriſtum, & totam ſe in eius laudes diffundere. Inde coniecturati ſunt, Chriſtum magnum eſſe Prophetam, ac verum Meſſiam, qui animum mulieris beneuolè attrahebat, non blanditiis, ſed aſperis verbis: nam gratiam conciliare obiurgationibus, ac nuda veritate ex dono Dei eſt, ac ſupra humanam conditionem.

*Ex dono Dei eſt, gratiam cōciliare nuda veritate.*

296. Theophyl. Quartò Theophylactus. *Propter ſermonem mulieris multi Samaritani credunt, vtpote prudenter apud ſe iudicantes, quòd vitam ſuam mulier non vulgaſſet ad hoc, vt gratificaretur alteri, niſi magnus quis eſſet, & ſuper multos, qui ab illa prædicabatur.* Sapienter ſanè Samaritani ex teſtimonio mulieris ducuntur in notitiam excellentiæ, ac maieſtatis Chriſti, apud ſe firmiſſimè ſtatuentes, quòd tam admirabile opus, in quo mulier non erubeſcebat, occulta ſua crimina euulgare; cùm valde ingenitum ſit vnicuique noſtrûm, ea abſcondere; hoc non ex gratia captanda alicui, ſed ex mero impulſu Dei prouenire poſſe, neceſſum erat; qui ſolus ſua potentia ad tantam virtutis magnitudinem commouebat mulieris animum, cùm ab ipſo tantùm omnia noſtra magnalia in via ſalutis deſcendant.

*Magna virtutis opera à ſolo Deo.*

297. Celada. Quintò. Aliter hunc locum exponit P. Didacus Celada *in Iudith cap.* 8. §. 38. *num.* 413. Quòd, cùm homines valde propenſi ſint ad credendum, veros eſſe alienos defectus, ita Samaritani ratiocinati ſunt apud ſe; dum hæc fœmina ait, quòd Chriſtus dixerit ei omnia, quæcunque fecit, ſua crimina, adulteria, & luxurias. Aut hæc vera ſunt, aut falſa: ſi falſa ſunt, mulier huiuſmodi delicta non commiſit, & ab eis eſt aliena. At ſi vera ſunt, cùm ſint valde occulta, itaut nobis conciuibus ſuis eſſent ignota; & tamen Chriſtus alienigena ea reuelauit; neceſſariò fatendum, huiuſmodi hominem diuino nutu ea agnouiſſe. Ergo, cùm homines valde procliues ſint ad credenda vera eſſe aliena peccata, ne dicant, mulierem eſſe puram, & immunem à tot, ac tantis criminibus, facile conueniunt, vt ſibi perſuadeant, ac fateantur, Chriſtum eſſe verum Prophetam, aut Deum, qui occulta noſcit.

*Valde propēſi ſint homines ad credenda aliena peccata.*

*Ioannis* 4. *n.* 40. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Cumque veniſſent ad eū illi Samaritani, efflagitauerunt ab eo, vt apud ipſos maneret. Et manſit apud eos biduum.

*Euthymius.* Samaritani orabant illum, vt maneret apud ſe.

## *EXPOSITIO.*

CVM ex vrbe Sichar fide, ac deuotione veniſſent Samaritani ad Chriſtum, charitate, ac vera permanentia rogant ab eo, vt apud eos maneret. Non ſolùm officij, & humanitatis cauſa hoc petunt, verùm etiam, quòd ſibi valde vtile, & ſalutare fore ducerent, Meſſiam apud ſe retinere. *Rogauerunt eum ibi manere*, non per paucos dies, ſed vt ſemper, aut ſaltem longo tempore ibi commoraretur, vt obſeruat Chryſoſt. hom. 34. *Et manſit apud eos.* Valde mirum, quòd Samaritanis ſe credit Ieſus. De Iudæis dicitur Ioann. 2. n. 23. *Multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis.* Cur Ieſus ſe credit Samaritanis, & non Iudæis? Rupertus lib. 4. in Ioann. *Quia non propter ſigna, quæ nulla viderant, ſed propter id, quod dictum eſt* (ſcilicet verbum mulieris) *crediderunt Samaritani in eum. Cùm introiſſet ciuitatem, & in templo docuiſſet, multi crediderunt in eum ob ſigna, quæ faciebat, non tamen Ieſus credebat ſe ipſum illis.* A Iudæis declinat Ieſus; ad Samaritanos ſe recipit, & ſe illis credit: quia Iudæi venerant ad Dominum compulſi ob magna ſigna, & miracula, quæ viderant; at Samaritani, vt Chriſtum ſequerentur vnius mulieris voce mouentur, & ideo multum apud Dominum promerentur. 298.

Chryſoſt. Ioan. 2.

*Multum promeretur, qui teſtimonio paruo ſequitur Chriſtū.*

*Duos dies*, ſcilicet continuos, docendo, & prædicando; manet Dominus apud Samaritanos biduo, hoc eſt, ait D. Auguſtinus, Beda, dat eis duo præcepta charitatis. Vel huiuſmodi biduum ſignificat duas cognitiones, vt ait Albertus Magnus, cognitionem ſui in legis littera, quam mulier accepit ab eo; & cognitionem ſui in veritatis præſentia, ad quam Chriſtus per legem induxit mulierem. Hos autem duos dies ibi manſit, vt ait ipſe Albertus, quia Dominus ſemper ſatisfacit orationi ſuorum. Plures tamen non eſt commoratus, ne Iudæis daretur anſa calumniandi, quod, cùm ipſis eſſet promiſſus, ad alienigenas tranſiret. 299.

Auguſt. Beda. Albert. Mag.

*Etiam friuola calumniæ occaſio euitanda.*

*Ioannis* 4. *n.* 41. Et multo plures crediderunt in eum, propter ſermonem eius.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et plurimi crediderunt.

*Aliqui ex Græc.* Propter doctrinam eius.

## *EXPOSITIO.*

VISO Chriſto, & audita efficacia verborum eius, multo plures crediderunt in eum, quàm antea propter verbum mulieris. Non explicat Euangeliſta, quæ verba fuerint hæc, vt aduertit Theophylactus. Veriſimile tamen 300.



men eſt, quæſtionem de loco orationis, quæ cum muliere fuerat agitata, iterum à ciuibus fuiſſe propoſitam. Et ea occaſione multa de lege, de cultu Dei, ac aduentu ſui ipſius diſſeruit Dominus, quæ omnia apertis Scripturæ locis demonſtrauit. Et quanuis huiuſmodi verba ab Euangeliſta non enarrentur; tamen quantæ efficaciæ fuerint, ex effectu ſatis declaratur. An Dominus ibi aliquod miraculum fecerit, Euangeliſta non explicat. D. Chryſoſtomus *homil.* 34. Theophylactus tenent, nullum ibi feciſſe miraculum; nam ſi ibi eſſet factum, Euangeliſta vtique expreſſiſſet, dicens, quòd crediderunt propter miraculum, ſicut ait, credidiſſe propter ſermonem.

Chryſoſt. Theoph.

*Ioannis* 4. *n.* 42. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ac dicebant mulieri illi: Non amplius propter ſermones tuos credimus in eum; nos enim audiuimus, & ſcimus, hūc eſſe veriſſimè Meſchicho illum ſeruatorem orbis.

*Vatablus.* Iam non propter tuam narrationem.

*Theophylactus.* Iam non propter tuam orationem.

*Euthymius.* Iam non propter verba tua.

*Aliqui ex Græco.* Iam non propter tuam loquacitatem.

*Græci ferè omnes, Euthym. Theophyl.* Eſt verè Saluator mundi Chriſtus.

## *EXPOSITIO.*

31. VERBA hæc non ſunt omnium Samaritanorum, ſed tantùm illorum, qui ob teſtimonium mulieris ad Chriſtum venerunt. Et ipſi dicebant: *Quia iam non propter tuam loquelam*, hoc eſt, quòd iam non propter tuam narrationem, orationem, ſermonem, hæc enim omnia ſignificat verbum Græcum, *Credimus*, ſcilicet eſſe Meſſiam. Non enim hæc dicunt quaſi contemnentes teſtimonium mulieris, quo ad Chriſtum acceſſerunt; ſed vt ea, quæ à Chriſto audierant, extollant ſuper teſtimonium mulieris. *Ipſi enim audiuimus*, ſcilicet ex ore eius, quòd ipſe ſit verus Meſſias, & Saluator mundi, & ideo non indigemus iam tuo teſtimonio, quòd ipſe dixerit tibi, quòd erat Chriſtus. *Et ſcimus*; non aliquali cognitione, & friuola ad hoc perſuaſi ſumus, ſed hoc ſcimus certiſſima fidei cognitione multis Scripturæ locis demonſtrata, & corroborata. *Quia hic eſt verè Saluator*, hoc eſt, quia hic eſt Ieſus promiſſus Patribus. Et dicitur verè Saluator, ait Chryſoſtomus: *Venerunt multi, vt ſaluos facerent, & Prophetæ, & Angeli; ſed hic verè Saluator eſt, inquiunt, qui veram ſalutem elargitur, non breui, ſed perpetuò duraturam.* Similiter Theophyl. Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura. Ieſus dicitur verus Saluator per comparationem ad Angelos, & Prophetas: quia ſi iſti, vt Moyſes, Ioſue, verbi gratia, populum liberarunt; huiuſmodi libertas erat à ſeruitute hominum, ac pro breui tempore: Ieſus autem liberat in æternum à ſeruitute peccati. Et dicitur Saluator mundi, non populi Iudaici, ſed omnium Gentium, ac communis omnium Saluator. In Græco additur Chriſtus, quod Latinè non legitur: tamen Saluator mundi periphraſis eſt Chriſtus.

*Tuus ogiſter noeſt contēndus.*

Chryſoſt.

Theoph. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent.



# CAP. VI.

## *Sanatur filius Reguli.*

*Ioannis* 4. *n.* 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

*VERSIONES.*

*D. Auguſtinus tract.* 16. Pergit iterum in Galilæam.

*Syriacus.* Et erat in Capharnacum ſeruus regius quidam, cuius filius ægrotabat.

*D. Hieronymus in Iſai.* 65. *verſ.* 1. Quidam de aula Regis, ſeu Palatinus.

*Nonnus.* Vir regius, regens exercitum.

*Vatablus, Pag. Euthymius, Theophylact.* Et erat quidam regius.

## *EXPOSITIO.*

EX regione Samariæ itinere duorum dierum, vt patet ex hoc *capite quarto numero* 43. venit Dominus in Galilæam, quæ ſita erat iuxta Nazareth Aquilonem verſùs. Et ita illa particula, *ergo*, ait Toletus, quod dicit illationem; tanquam ſit ſenſus: Qui propriam patriam reliquit, nec ad eam diuertere voluit, venit in Cana, quæ erat proxima Nazareth. Locus enim ad diuertendum non erat accommodatior; tum ob propinquitatem; tum quia notus erat ex miraculo amicis, ac conſanguineis ibi commorantibus. O magna clementia, & bonitas Ieſu! 1.

Tolet.

*Dominus occaſione quærit, vt nobis benefaciat.*

Relinquit propriam patriam, amicos, ac conciues ſuos,& venit in Cana Galilææ, vt Regulo de ſalute filij indigéti ſubueniat.*Vbi fecit aquam vinum.* Hoc notat Euangeliſta, vt hæc Cana ab altera diſtinguatur, quæ erat longiùs. Vel, vt ait Theophylactus, *Vt iterum creſcat laus Samaritanorum. Nam & Galilæi quidem, inquit, ſuſceperunt eum propter ſigna, quæ facta ſunt Ieroſolymis, & apud ſe: Samaritani autem ob ſolius mulieris teſtimonium.* Nam Euangeliſta hîc aduertit *n.* 45. quòd Galilæi benignè receperunt Chriſtum ob ſigna, quæ viderant eum facere Ieroſolymis in die feſto.

Theoph.

2. *Et erat quidam Regulus*; hoc eſt, miniſter regius,ſeu de genere regio. *Eius proprium nomen tacetur*, ait Anſelmus, *quia non erat dignus audire,Noui te ex nomine*, Exod. 33. num. 12. Regulus enim habebat fidem imperfectam;& ideo non erat dignus, qui ſcriberetur nomine proprio, quod eſt magna amicitiæ nota, vt dixi ſuperiori cap.5.num.234.*Cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Syriacus, vt patet ex verſionibus, iungit *Capharnaum* cum ſermo Regis, tanquam quòd ibi officium ſuum ageret. Alij cum,*infirmabatur*, quòd ibi eſſet ægrotus. Quare autem Dominus non adiuit immediatè Capharnaum?Reſpondet D.Bonauentura ex Chryſoſtomo, *Quòd illuc ideo non adiuit, vt non manus ſumeret iudicium, ſcilicet non credas ei: & quia illic non eſt potitus honore.* Sed de hoc ſtatim.

Anſelm. Exod. 33. *Reguli nomē non exprimitur quia fidē imperfectam habebat.* Syriacus. Bonauent. Chryſoſt.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Dominus redit in Cana Galilææ?*

3. VENIT Dominus in Cana vno anno ferè poſtquam edidit miraculum in nuptiis conuertendo aquam in vinum. Huius repetiti aduentus cauſas inquirimus.Reſpondent primò D.Auguſt.*tract.*16.Beda, & alij, quia per primum miraculum pauci in Chriſtum crediderant,nempe diſcipuli eius;cùm verò nunc plurimi adeſſent,ideò Dominus iterum venit, vt multos lucrifaceret.

Auguſt. Beda.

4. Secundò D. Chryſoſtomus homil. 34. *Quòd in Cana Galilææ venerit, dicit; quānam gratia ſubticet. In Galilæam propter Iudæorum inuidiam conceſſit. In Cana vero quam ob rem? Primum vocatus; at nunc arbitror, vt præſentia ſua ſuperioris miraculi fidem confirmaret; & ſpontaneo acceſſu magis alliceret, cum relicta patria eos potiores ducere videretur.* Repetit Dominus Cana, vt confirmaret, ac corroboraret in fide eos, qui ex primo miraculo crediderant. Nouellæ plantationes ſunt fouendæ,vt creſcant,& proficiant. Deinde vt eos homines vehementiùs ſibi attraheret, ac conciliaret, cùm relicta patria ad eos accederet: magna enim nobis infertur obligatio,ſi propter nos amici,cognati,ac connaturales contemnantur: *Magis eos alliceret,cùm relicta patria,eos potiores ducere videretur.*

Chryſoſt. *Reteuter conuerſi fouendi.* *Maximè obligari, propter te amicis contemptis.*

5. Tertio Theophylactus, D. Bonauentura. Venit in Galilæam, quia ibi bene exceptus erat ab illis hominibus. Et ibi ex primo miraculo, vt ait D.Bonauentura, potitus eſt honore. D. Thomas. Noluit Dominus ire in locum,vbi non honorabatur. In Nazareth patria ſua compatricij erant infeſti, & eum contemnebant, vt ipſe Dominus declarauit hoc *cap.* 4. *num.* 44. Venit ergo in Cana Galilææ vbi bene excipiebatur; quia vrbanitas, ac honorifica tractatio allicit animum ad ſe, & Dominus honorat honorantes ſe.

Theophyl. Bonauent. D.Thom. *Honorifica tractatio allicit animū.*

6. Quartò D.Antonius Olyſipon.*Domin.*21.*poſt Trinit.*Venit Dominus à Iudæa in Galilæam, in quo maximè ſignificabatur, quomodo è cœleſti patria ad nos venit. *Iudæa*, ait D. Antonius; *confeſſio, Galilæa rota, vel volubilitas interpretatur. Ieſus ergo a Iudæa in Galilæam venit,cùm de vita æterna, in qua eſt confeſſio angelicæ laudis, ad noſtræ volubilitatis rotam deſcendit.* Super hoc Ezech. 10.num. 2. *Quòd ille,qui ſedebat, dixit ad virum,qui indutus erat lineis: Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis.* In hoc viro ſignificabatur Chriſtus Dominus, qui mira puritate ad nos venit habens manus plenas prunis ignei amoris.

Ant.Olyſip. *Deus ex laude angelica venit ad rotam huius mundi.* Ezech.10. *In Chriſto igneus amor.*

7. Quintò. Narrat Euangeliſta, quòd Dominus relicta patria ſua Nazareth, immo & Iudæa, cùm ipſe eſſet in Bethleem natus, venit in Cana Galilææ, quæ erat terra aliena, & extranea. Et ibi valde notanter aduertit Euangeliſta, quòd Dominus edidit primum miraculum in nuptiis; & etiam ibi ſecundum mirabile de ſanitate filij Reguli perpetratur. Sed cur prima Chriſti mirabilia, non in patricio ſolo, ſed in alieno ſunt edita? Magna ſanè myſteria in hoc latent; quibus nos docet veritatis Magiſter, quòd quandiu in propriis laribus continebatur, ſuæ infinitæ virtutis per miracula ſpecimen non dedit, niſi poſtquam ad alienum locum ſe recepit, nempe ad Galilæam, quæ tranſmigratio interpretatur, vt notant Rupertus,Beda, D.Antonius, D.Thomas, & Bonauentura. Vt his inſtruamur, quòd ſi magnæ virtutis documenta edere affectamus, patriæ terga vertamus; & dum à propriis tranſmigramus, in multa,& præclara facinora, etiam tranſmigrabit animi virtus.

Rupert. Beda. Anton. D. Thom. Bonauent. *Qui magna operari deſiderat, patriā relinquat.*

8. Sextò. Primum ſignum edidit Dominus in Cana Galilææ, dum conuertit aquam in vinum. In quo figura ſacræ Euchariſtiæ præceſſit, vt ex ſanctis Patribus dixi hoc *lib.cap.*1.*quæſt.*10.*n.*78. Ibi etiam in Cana ſecundum edidit mirabile, & fuit primum, in quo donat vitam, & ſanitatem hominibus. Sed cur in eodem loco hæc duo prima miracula operantur? Cur non alius locus ad primam hominis ſanitatem eligitur; niſi ille,qui figura Euchariſtica primò nobilitatus eſt? Vt ex his diſcamus,quòd tota vita,& ſalus hominis ex vmbra ſacræ Euchariſtiæ dimanat. Nec enim alibi homo poterat vitam recuperare, ſanitatem impetrare, niſi vbi viuifici myſterij vmbra, ac figura demonſtrata,ac data eſt à Chriſto.

*Per Euchariſtiam nobis communicatur ſalus, & vita.*

9. Septimò D.Cyrillus lib. 2.cap. 115. *Libentius*, ait,*cum gratis hominibus, & cum iis, qui beneficiorum ſenſum aliquem capiunt, Chriſtus conuerſatur, maioraque largiri paratus.* In Cana Galilææ ſe confert Dominus,quia illius ciues ex primo miraculo, ibi facto in nuptiis, maximè aſtricti,ac grati erga Chriſtum Dominum ſe ſe exhibuerunt, recognoſcentes magnitudinem beneficij: *Qui beneficiorum ſenſum aliquem capiunt*;illis enim beneficia ſunt largienda,qui illorum naturam æſtimare,ac appretiari valent,ſe maximè gratos, ac aſtrictos erga benefactorem declarantes.

Cyrill. *Gratitudo Dei præſentium, ac beneficia premeretur.*





10. Cùm peccatum graſſaretur per genus humanum,emiſſum eſt à Deo diluuium, vt omnis caro ſubmergeretur. Tamen,cùm Noë eſſet iuſtus coram Domino *Gen.6.num.* 8.ei mandatur ædificare arcam,in qua ipſe,& vxor eius,ac tres filij cum ſuis vxoribus,id eſt,*octo animæ*, 1.Petri 3.num.10. *ſaluæ factæ ſunt.* Poſtea verò cùm imminutæ eſſent aquæ diluuij, egreſſus Noë ab arca erexit altare, obtulit holocauſta, *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines*,Gen.8. num. 20. Sed quæro: Cur antequam Noë ingrederetur in arcam, octo animæ ob ipſum liberantur; poſtea verò, cùm exiit, omnes generationes futuræ ei conceduntur immunes ab aquis diluuij? Cur ergo hîc tantum promeruit?Antequam Noë clauderetur in arca,deſcribitur iuſtus: *Noë vir iuſtus*; poſtea verò relinquens arcam, ad terram deueniens, monumenta ſuæ virtutis erga Deum declarauit. Quandiu ergo iuſtus ſcribitur, octo animæ ſaluæ,ac liberæ ei conceduntur: at quandiu gratus declaratur, ita attraxit diuinam bonitatem,vt cunctæ hominum generationes, per omne tempus futuræ, immunes ab vniuerſali ſubmerſione donentur. Quòd enim terra vltrà diluuio non ſit opprimenda, meritis, ac virtuti Noë debetur.D.Chryſoſtomus homil.26.in Geneſ. *Solitam*, ait, *præ ſe tulit gratitudinem, factáque gratiarum actione, etiam tunc maioribus beneficiis diuina gratia ipſum cumulauit; mos enim diuinæ miſericordiæ eſt, vt ſi nos tenuia quædam, & vilia obtulerimus, multa nos liberalitate remuneret.*

1.Petri.3. Gen.8. *Gratitudo maximè attrahit diuinam bonitatem.* Chryſoſt.

11. Ait Regius Vates Pſalm.49.num. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter,quo oſtendam ſalutare Dei.* Valde quid magnum, ac maximè deſideratum nobis pollicetur Propheta,nobis ſcilicet oſtendere viam, per quam poſſimus videre Dei ſalutare,nempe Chriſtum Dominum. ac eius præſentia frui. Sed hæc via tam ſalutaris demonſtrabitur in pœnitentia, mortificatione, humilitate.Et quanuis hæ virtutes multum conducant ad hunc finem;nullam illarum hîc commemorat Pſaltes,ſed tantùm ait: *Sacrificium laudis honorificabit me*,hoc eſt,animi gratitudo, qua dona à Deo accepta recognoſcimus, hæc maximè nos euehit, vt præſens Dei ſalutare habere poſſimus. D.Auguſtinus. *In ſacrificio laudis*, ait, *via eſt,qua oſtendam illi ſalutare Dei. Quod eſt ſalutare Dei? Chriſtus Ieſus.*

Pſalm.49. *Gratitudo facit nos videre Deum.* Auguſt.

## QVÆSTIO II.

### *Quare Dominus primò iuit in Cana Galilææ vocatus ad nuptias;nunc verò quin inuitaretur?*

12. DVPLICITER Dominus venit in Cana Galilææ,vt notat D.Thomas. Primò inuitatus ad nuptias *Ioan.* 2. *n.* 2. de quo latè *cap.*1.Secundò accedit in hac occaſione ad Cana, quin vocaretur. Ad quam quæſtionem.

D.Thom.

13. Reſpondet primò Euthymius. *In Cana venit*, ait, *primùm quidem vocatus ad nuptias; nunc verò vt fidem, quæ ex facto prius miraculo acceſſerat, ſua præſentia confirmaret: imò potiùs eos attraheret,veniens non vocatus, ac patriæ ſuæ eos præponens.* Venit Dominus in Cana ab illis hominibus non inuitatus, dono ſuæ præſentiæ eos afficiens, ac condecorans, vt ita ei eſſent maximè aſtricti, ac religati; nam quanquam beneficium ſemper animum maximè alliciat;tunc tamen efficaciùs mouet,cùm abſque precibus, & petitione noſtra conceditur: *Immo potiùs eos attraheret veniens non vocatus.* Ideo Dominus in Cana non rogatus deſcendit, vt ita eos ſibi maximè conciliaret,ac deuinciret. Vide *lib.*3.*cap.*2.*num.*3.

Euthym. *Beneficium abſque precibus maximè deuincit.*

14. Secundò expende ſuprà citata verba: *Nunc verò vt fidem, quæ ex facto miraculo acceſſerat, ſua præſentia confirmaret.* Nunquam diuina bonitas in ſuis donis ponit modum, & quibus ſemel benefecit, eos ſemper ad maiora, ac conſummationem promouet, niſi ex noſtra parte apponatur impedimentum. Venit Dominus nunc in Cana, vt ſui fidem, & cognitionem, quam in primo aduentu dederat illis hominibus, corroboraret, perficeret, ac conſummaret. Magnifica enim magnus ſi beneficia ſemel largitur,non retrahit, ſed ſemper affectat conſeruare, nec ad augmentum euehere. Et ita Dominus, quia in primo aduentu vocatus venerat, nunc accedit non inuitatus; nam ex primo beneficio, ac dono veluti pigneratus, ac obligatus eſt ad maiora,ac excellentiora largienda. Vide ſuprà *cap.* 1 *num.* 73.& 107. & *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. 17. & 18.& *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 48. & multis aliis in locis.

*Beneficium datum conſeruandum.* *Deus ex vno beneficio obligatur ad aliud.*

15. Tertiò. Vocatus venit Dominus ad nuptias,in quibus magna myſteria ſunt peracta;tamen quia nuptiæ erant, vbi feſtiuitatis, & lætitiæ ſigna dabantur,meus Ieſus non niſi vocatus venit. At verò, quia in hoc ſecundo aduentu pergebat in Cana, vt prædicaret, & doceret, ac cum hominibus, imperfectam fidem habentibus, vtpote Regulo, & aliis ſimilibus diſputaret, quod eſt magnus labor; tamen illud erat opus ſibi commiſſum à Patre *Ioan.*4.*num.* 34.ideo non vocatus deſcendit in Cana. Semper Ieſus valde difficilis ad loca, vbi ſigna leuaminis, ac quietis ſe exhibent; maximè verò propenſus ad ea,vbi labores, ac moleſtiæ pro noſtra ſalute apparent.

*Ieſus valde propenſus ad moleſtias.*

16. Quartò. Dominus venit ad nuptias iure conſanguinitatis,vel amicitiæ, vt dixi *cap.* 1. *num.* 2. At in hac occaſione tendit in Cana, vt doceret, ac prædicaret,quòd erat munus ſibi à Patre commiſſum. Vbi ergo ratio amicitiæ,ac cognationis naturalis viſitur,neceſſarium eſt, Dominum vocari,ac inuitari; cùm autem obligatio officij ſibi iniuncti expoſtulat, abſque alicuius rogatu ipſe ſe confert,& pergit ad locum, omnem cognationem, ac amicitiam rationi ſui muneris poſtponens: multo enim potentior officij obligatio. quàm ſanguinis,& amicitiæ amor.

*Obligatio officij potētior, quàm ſāguinis,ac amicitiæ amor.*

17. Cùm Iacob veniſſet è domo patris ſui in terram Orientalem iuxta puteum, qui magno lapide claudebatur, venit Rachel cum ouibus patris ſui, *Quam cùm vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam,oueſque Laban auunculi ſui,amouitque lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege oſculatus eſt eam*,Gen. 29. n. 10. Illud mihi ingerit difficultatem,quòd, cùm Iacob agnouiſſet Rachelem conſobrinam ſuam, in cuius oculis amore captus eſt,cum ea primò non loquitur, nec ei dat pacis ſignum, & poſtea gregibus aquā præbet; ſed è contra factum eſſe vidimus: priùs

Geneſ.29.

limpha potat gregem, & deinde Racheli notam amicitiæ exhibet: *adaquato grege oſculatus eſt eam.* Hoc quod erat, beneuolentiæ ſignum conferre, ad conſanguinitatem, ac amicitiam ſpectabat: at amouere lapidem putei, adaquare gregem, ex propria paſtoralis muneris obligatione proueniebat: Iacob autem, vt optimi Prælati formam gerens, vt inquiunt Chryſoſtomus, Beda, Hugo, prius adimplet ea, quæ ratio proprij muneris exigebat, quàm id, quod conſanguinitas, amor, ac vrbanitas exoptabant.

*Potius obligationi officij, quã amori ſanguinis deferendum.*

Chryſoſt. Beda. Hugo.

18. Matth. 21. Rogante matre petunt duo filij Zebedæi dexteram in regno Dei, vt vnus ad eam ſedeat: *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo*, Matth. 20. num. 20 Quod tamen eis denegatur à Chriſto Domino, *Neſcitis quid petatis.* Poſt Reſurrectionem verò, cùm Apoſtoli laborarent in captura piſcium, & nihil comprehenderent, ait eis Dominus: *Mittite in dexteram nauigij rete*, Ioan. 21. num. 6. Per hanc dexteram, vt interpretantur D. Auguſtinus, Beda, Albertus Magnus, D. Thomas, intelligitur illa, in qua Beati ſedent in regno Dei. Sed quomodo dextera paulo antè negatur filiis Zebedæi, & modò eis conceditur? Quando enim petebant dexteram iure conſanguinitatis, tunc eis denegatur; at verò quando ratio officij iniuncti illam exquirit, ac deſiderat, illis conceditur, ac impertitur. D. Bonauentura, *Per rete*, ait, *doctrina Euangelicæ prædicationis ſignatur. Et iſtud rete debet mitti in dexteram nauigij, vt homines capiantur, & ducantur ad æternam gloriam, vt ſedeant à dextris Dei.* Potius enim deferendum obligationi officij, quàm ſanguini. Vide *lib. 2. c. 5. n. 21.*

Ioan. 21. Auguſt. Beda. Albert. Mag. D. Thom.

Bonauent.

*Potius deferendum obligationi officij quàm ſanguini.*

## Qvæstio III.

### *Quinam eſſet iſte Regulus?*

19. Circa hunc hominem tria inquiro. Primò, cuius nationis eſſet, Gentilis, an Iudæus? Secundò, qua dignitate inſignitus? Tertiò, an ſit idem, ac centurio. quæ breuiter reſoluo.

20. Ad primum Origenes, D. Hieronym, *in cap. 65. Iſai.* D. Anſelmus, Lyranus, Titelmanus; Gentilem fuiſſe, ſibi perſuadent. At Iudæum extitiſſe, exiſtimat Magiſter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, Toletus, Maldonatus. Et Franciſcus Lucas teſtatur, extra dubium eſſe debere, Iudæum fuiſſe. Caietanus eum proſelytam appellat. Et quanuis res ſit dubia, tamen veriſimilius mihi eſt, ex Iudæorum natione eſſe, hoc enim indicant verba Saluatoris ei dicta: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* nam hæc verba videntur Iudæorum duritiem exprobrare, atque arguere.

Origen. Hieron. Anſelm. Lyran. Titelman. Magiſter. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Tolet. Franc. Lucas Caietan.

21. Ad ſecundum circa eius dignitatem. Nomen *Regulus*, quo noſtra vulgata vtitur, ſignificat Regem paruum. Citatus verò D. Hieronymus ex radice Græca tranſtulit *Palatinum*, ſeu de aula Regis. Alij autem poſuerunt quendam regium. Et ita ex ſuo nomine, ac veritate hiſtoriæ colligenda eſt veritas.

*Quæ dignitas Reguli.* Hieron.

22. Baron. Baronius anno 31. Chriſti Domini exiſtimat, quòd iſte fuerit Dominus cuiuſdam ciuitatis; ac loci in Galilæa, in qua erat prouincia Decapoleos dicta: *in qua extabant decem ciuitates, inter quas vna annumerabatur Capharnaum. Et de illis agens Plinius teſtatur, in qualibet è decem illis ciuitatibus fuiſſe ſingulas Tetrarchias regnorum inſtar, & in regna ſolere conferri. Hæc cùm ille dicat, in eam ſententiam magis adducor, vt iſte ſic Regulus dicatur, quòd eius loci Dominus eſſet.* Ita Baronius, qui totus nititur authoritate Plinij. Sed Plinius *lib. 5. cap. 18.* inter vrbes decem Decapoleos, quas ibi ſuis nominibus expreſſis numerat, non ponit Capharnaum, vt legenti eſt manifeſtum. Deinde Plinius, vt rectè obſeruat Barradas *hic*, non ait, in ſingulis vrbibus Decapoleos fuiſſe ſingulas Tetrarchias; vt dicit Baronius; ſed Plinius ait: *Intercurſant, cinguntque has vrbes Tetrarchiæ, regnorum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur.* Itaque Tetrarchia in illîs vrbibus non erat dominatus vnius loci tantùm, cùm ſingulæ Tetrarchiæ inſtar eſſent regnorum. Et illæ decem vrbes Decapoleos ſpectabant ad Tetrarchas, in quas diuiſum erat regnum; de quibus Lucas facit mentionem *cap. 3. num. 1.* Deinde Plinius in illis decem vrbibus numerat Trachonitidem, quæ pertinebat ad Philippum, & Abilam, cui præerat Lyſanias, vt patet ex eodem Luca *citato loco.*

Barradas.

Plinius.

23. D. Chryſoſtomus *homil. 34.* Leontius, Theophylactus, Euthymius, hũc Regulum, exiſtimant, vocari regium, aut quia ex Regis genere erat; aut quia miniſter Regis. Vatablus *in ſcholiis*, Lyranus, Carthuſianus, & etiam fauet D. Hieronymus *in Iſai. cap. 65. num. 1.* affirmant fuiſſe quendam Cæſaris miniſtrum, cui cuſtodia Galilææ deputata erat, & in vrbe Capharnaum habuiſſe ſuam ſedem. Cùm ergo Galilæa ſpectaſſet ad Tetrarchiam Herodis, & in ea eſſet præcipua ciuitas Capharnaum, hæc erat ſub ditione Herodis. Hic autem homo dicitur regius, vel quia conſtitutus erat miniſter ab ipſo Herode, vel Cæſare, & ibi certum munus exercebat. Euangeliſta autem notat conditionem viri, quia, vt ait Imperfectus homil. 22. in Matth. *Illum dignitas ſubleuabat regalis*; & in huiuſmodi perſona illuſtrius fuit miraculum.

Chryſoſt. Leontius. Theophyl. Euthym. Vatabl. Lyranus. Carthuſ. Hieron.

Imperfeć.

24. In ſenſu verò morali Simon Caſſianus *lib. 5. cap. 18.* ait, quòd Regulus quidem intellectus rationalis eſt cunctorum ratione vtentium; qui regere debet amorem, tanquàm filium imperitum; & ab eo remouere lædentia, & ſibi vtilia prouidere. Ac proinde Regulus eſt intellectus, qui regere debet voluntatem, & ab ea remouere ea, quibus infirmari poteſt. Vel etiã moraliter, Regulus vt dicitur ab Euangeliſta, nomen eſt, vt notat Carthuſianus infrà *verſ. 52.* officij, ſeu dignitatis, non perſonæ. Et ſub nomine officij Euangeliſta eum nominat, quia ſuum munus ita ei erat defixum in mente, vt quodammodo de perſona obliuiſceretur.

*Intellectus voluntatem gubernet.*

Carthuſ. *Recordandũ potius de perſona, quàm de officio.*

25. Ad tertium Chryſoſtomus *hom. 34.* refert, nonnullos fuiſſe opinatos, eundem eſſe hunc Regulum, ac Centurionem, de quo *Matth. c. 8. num. 6.* facit mentionem. Sed valde diuerſi ſunt, vt tibi patebit, ſi vnum cum altero conferas. Nam vnus dicitur Regulus, alter Centurio: vnus poſtulat pro filio, alter pro ſeruo, vt aduertit Lucas *cap. 7. num. 2.* Regulus poſtulabat, vt deſcenderet in domum, Centurio verò, *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Et multa alia conſiderabis, in quibus diuerſificantur. Vide Chryſoſtomum.

Chryſoſt. *Regulus à Centurione diſtinctus.*





## Qvæstio IV.

### *Quare iſte deprecans pro filij ſanitate, non dicatur Rex, ſed Regulus?*

26. Ratio germana, & litteralis huius quæſtionis patet ex ſuperiori quæſtione: quia hic homo non erat Rex, ſed regius quidam miniſter, vt multi tranſtulerunt, & patet ex verſionibus. Tamen ad abundantiorem doctrinam in ſenſu morali quæſtio excitatur à Patribus, quorum morales rationes hîc ſunt inueſtigandæ.

27. Albert. Mag. Reſpondet primò Albertus Magnus, quòd dicitur Regulus propter quatuor; quorum primum eſt, Poteſtatis diminutio; quia ſub alio regnabat. Et ita ait Centurio de ſe: *Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*, Matth. 8. num. 8. Secundum. Regni paruitas, & arctitudo; quia non niſi vno oppido præerat. Prouerb. 14. num. 28. *In multitudine populi dignitas Regis.* Tertium. Regiminis indiſcretio; quia ſcientiam regnandi non habebat. Eccleſiaſt. 10. num. 16. *Væ tibi, terra, cuius Rex puer eſt; & cuius principes manè comedunt ad ebrietatem ſectandam.* Quartum autem. Ad continendum regimen inualetudo. Eccleſiaſt. 7. num. 6. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitatem: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.*

Matth. 8.

Prou. 14. *Qui prudentiam non habet, Rex non eſt.* Eccleſ. 10.

Eccleſiaſt. 7.

28. Euſeb. Emiſſ. Secundò. Euſebius Emiſſenus homil. in Domin. 21. poſt Pentecoſtem. *Ideo*, ait, *non Rex, ſed Regulus dicitur, quia nondum perfectè credebat.* Similiter Gloſſa Interlinealis ait: *Regulus, id eſt, paruus regno, vel fide.* Solus enim ille, qui fide perfecta credit, & operatur; Rex, & dominus dicitur. Tertiò. D. Anſelmus in explicatione huius Euangelij: *Homo*, ait, *in eo, quod amiſit, Rex eſſe deſiit: in eo autem, quod præ cæteris animalibus ſibi relictum eſt, quaſi regulus viſitauit. Idcirco nomen iſtius Spiritui ſancto viluerat, quia peccator erat, quia infirmus, quia regulus.* Latè ponderat *ibi* S. Pater, quòd homo creatus eſt à Deo in paradiſo Rex, Dei enim miſeratione omnia ſubiecta ſunt ſub pedibus eius, *Pſalm. 8. num. 8.* Quia tamen peccando perdidit ſuum principatum, ideo nomen eius viluerat Spiritui ſancto, vt non Rex, ſed Regulus diceretur, cùm dignitatem ſibi datam non voluerit conſeruare, & retinere, ſed imperfectè viuendo illam amiſerat, & ob ſuam imperfectionem non dicitur, fuit Regulus; vel, Ecce regulus acceſſit; vt dicitur Matth. 9. num. 18. *Ecce princeps vnus acceſſit.* & iterum *num. 20. & 32.* Sed: *Erat quidam regulus.* D. Anſelmus. *Per hoc, quod dicitur, Erat, quod imperfectæ ſignificationis verbum eſt, quod ſic ex parte iam præteriit, vt ex parte videatur, adhuc non præteriiſſe; eſſentia hominis indicatur, quæ iam ex parte tranſierat mortua, & ex parte ægrotabat, vt penè nihil eſſet homo.*

*Gloſſa Interlineal.* *Fides Reges facit.* Anſelm.

*Homo cum eſſet Rex, peccando perdidit ſuũ principatum.*

Matth. 9.

Anſelm.

29. Quartò. Iſte Cæſarianus, Regulus appellatur, quia regales miniſtri ſæpè ita ſuperbè, ac inſolenter ſe habent, ac ſi reges eſſent, & ſub nullo maiori imperio ſubiicerentur. Sæpe enim aulici, ac miniſtri ita volunt in principem dominari, vt eum ad ſuum nutum, ac voluntatem velint inclinare, & attrahere: ſunt enim multi, qui dum dicunt verbis, ſe Regi famulari, ipſi tamen affectant, vt in effectu princeps eorum voluntati ac beneplacito obſequatur.

*Aulicus familiaris, vt Rex imperat.*

30. Compone inter ſe duo decreta Regis Perſarum. Cùm à Dario Imperatore conſtitutus eſt Daniel ſuper Satrapas regni, à quibus eſt accuſatus, quòd Regis edictum non ſeruaſſet, ſiquidem contra regale mandatum, Deo cæli orabat. Et ideo vehementer inſtabant aulici, vt Daniel interficeretur. Quod cùm videret Rex, poſuit cor ſuum pro Daniele. quòd intelligentes viri illi dixerunt Regi: *Scito Rex, quod lex Medorum, atque Perſarum eſt, vt omne decretum, quod conſtituerit Rex, non liceat immutari*, Daniel. 6. num. 15. Quod idem eſt, ac ſi diceret, ait Gloſſa, Hugo, *Noli fruſtra laborare. Quod conſtituiſti, non poteſt immutari. Lex vniuerſalis falli non poteſt.* Perſuaſu iniqui Aman exiit decretum à Rege Aſſuero, vt omnes Iudæi vna die interficerentur, *Eſther 3. num. 14.* Poſtea verò rogatu Reginæ Eſther, Rex reuocat, ac irritat edictum de morte Iudæorum, & eis omnibus vitam concedit, *Eſther 8. à num. 10.* quod decretum feſtiuè, ac lætanter ab omnibus fuit exceptum. Sed quæro: Darius, & Aſſuerus vterque Rex Perſarum, ac Medorum erat, quomodo ergo regni principes Darium Regem adurgent, ei obiicientes, ſe non poſſe reuocare regale decretum: at verò cum Aſſuero, dum retrahit imperiale mandatum, nullus aduerſatur, ſed omnes plaudentes conſentiunt? Quid hoc? Tota Regis poteſtas eſt ad beneplacitum aulicorum. Quòd Darius non infringeret regale mandatum, maximè decens, ac vtile Satrapis, ac regni Principibus erat, cùm ſuper eos Daniel eſſet conſtitutus: at quòd Aſſuerus legem ſuam abrogaret, ac irritaret, vt ita Iudæi viuerent, in magnam conuenientiam, ac commoditatem Principum cedebat, ſiquidem Iudæi eis ſeruiebant, à quibus multas commoditates, ac tributa Magnates colligebant, *Eſther 3. num. 9.* Dum ergo vulnus, ac abrogatio legis vtilitati aulicorum deſeruit, plena eſt Regis poteſtas, nullus eſt, qui contradicat. At verò, ſi legis obſeruatio principibus proſit, omnes pro eius authoritate, ac vigore pugnant, verba faciunt, atque loquuntur, aiuntque: *Omne decretum, quod conſtituerit Rex, non licet immutari.* Vnde Xiphilinus *lib. 6.* dixit, quòd voluntas familiaris imperium ſit Regis. Et D. Iſidorus Peluſiota *lib. 1. Epiſt. 36.* loquens cum Antiocho ſpadone aulico familiariſſimo Imperatoris, qui multum amicitia, ac gratia apud ipſum pollebat: *Non modò*, ait, *Imperatoris miniſter eſt, ſed ipſum etiam arbitratu tuo, ac libito moderaris.* Ac ſi diceret: Cùm ſis miniſter Imperatoris, illius Imperator es. Vide *lib. 3. cap. 1. num. 30.*

Daniel. 6.

Gloſſa. Hugo.

*Aulici ad ſuum nutum, ac cõmodum trahunt Regem.*

Xiphilin.

Peluſiota. *Miniſtri Regis, ſe habent vt Reges.*

## Qvæstio V.

### *Quare cùm iſte homo duplici nomine ſit inſignitus, cùm de filij infirmitate agitur, Regulus dicatur?*

31. Dvplici nomine hic homo nuncupatur. *Regulus* hoc in loco; & poſtea dicitur *pater*, infrà: *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus*, &c. At

verò modò inquiro : Quare , cùm deſcribitur Rex,ſtatim infirmitas filij adiungitur, & dicitur: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Quid infirmitas cum regali dignitate? Multum per omnem modum. Nulla eſt tam ſuperexcellens dignitas, quæ ſibi non habeat annexam miſeriam, ac deiectionem. Et ita , vt deſcribitur Regulus, ſtatim,vt indiuiduus comes, adiungitur infirmitas,ac laborum preſſura.

*Omnis mundana celſitudo annexam habet humilitatem , & deiectionem.*

32. Geneſ.21. Ait Deus Abrahamo : *In Iſaac vocabitur tibi ſemen , ſed & filium ancillæ faciam in gentem magnam* , Geneſ. 21. num. 13. Dum Deus dicit : Iſmaëlem faciam in gentem magnam;numeroſam illius prolem denotat ; nam ex ipſo , vt notat Abulenſis, duodecim duces,ac Reges immediatè nati ſunt , qui fuerunt filij eius. Sed cur propria ſua appellatione non nominatur ? ſed filius ancillæ dicitur , ac ſi eius nomen eſſet ignotum? Quia,cùm Iſmaël futurus eſſet valde magnus,vtpote pater , tot Regum , ac gentium , ſtatim ſecum annexam , ac copulatam habuit deiectionem , & humilitatem , vt filius ancillæ nominaretur,ac diceretur. Et ideo, dum eius magnalia à Deo publicantur, proprium nomen omittitur,& tanquam ei propria appenſa abiectio filius ancillæ profertur.

*Abulenſ.* — *Mundi dignitas annexam habet humilitatem.*

33. Gen.29. Cùm Iacob ſibi in vxorem copulaſſet Liam, & Rachel ; ait ſacer textùs Geneſ.29. num.31. *Dominus aperuit vuluam eius* , ſcilicet Liæ, *ſterili ſorore permanente.* Valde mirabile, quòd pulchra Rachel, & maximè dilecta permaneret infœcunda ; & Lia, quæ lippis erat oculis, dono fœcunditatis gaudeat, Sacerdotes, Reges, ac principes pepererit. ſcilicet Iudam, & Leui, inſtà *num.* 34. *&* 35. Cur Deus familiari ſuo Iacob non concedit , vt dilectiſſima ſua Rachel ſterilitatis dote præfulgeat, ac tot tantiſque filiis nobilitetur ? O magnum Dei conſilium ! Rachel pulchra facie, venuſto aſpectu,& quæ viri amore maximè eminebat , infœcunditatis obiectione deprimitur; Lia verò,quæ tot, tantiſque filiis erat nobilitata, lippis oculis , ac arrugata facie deformatur. Fixa ſtat ſententia , quòd nulla eſt tam ſublimis celſitudo , quæ ſuam deiectionem , ac miſeriam non patiatur. D. Chryſoſtomus. *Vide omnipotentis*, ait , *Dei ſapientiam , quoniam illa quidem pulchritudine ſua conciliarat ſibi gratiam viri , qua altera priuata fuit , odio haberi viſa eſt : hanc idoneam facit partui , illam verò inutilem ; ambo hæc ſua miſericordia diſpenſans.*

*Chryſoſt.*

---

## Q V Æ S T I O VI.

### *Quare filius Reguli infirmabatur Capharnaum?*

34. RATIO huius rei litteralis eſt manifeſta , quia Regulus Capharnaum habebat ſuum domicilium , ac ſuam familiam ; & ideo ibi eius filius detinebatur infirmus. Tamen ſenſum moralem huius rei inueſtigamus, cur potius hîc, quàm alio loco infirmabatur ?

25. Ant. Vlyſſip. D. Antonius Vlyſſiponenſis *ſerm.* 21. *poſt Trinit.* ait : *Filius Reguli , anima eſt cuiuſlibet fidelis Chriſti , qui dum in ſuo ordine viuit , incolumis exiſtit : ſed cùm in Capharnaum moratur , ad mortem infirmatur. Capharnaum interpretatur ager pinguedinis , vel villa conſolationis.* Simon Caſſianus *lib.* 5. *cap.* 18. ait : *Huius filius infirmabatur Capharnaum. Amor eius ægrotauerat in pinguedine mundi ; ager quippe pinguedinis Capharnaum interpretatur. In abundantia temporalium rerum habita, vel quæſita infirmatur hominum amor, qui,dum habet abundè , quod habendum eſt temperatè , ipſa intemperie eſt ægrotus.* Bonorum affluentia maximè infirmatur animus , vt deuiet, ac torpeſcat in via rectitudinis,ac iuſtitiæ,& ab ipſa affluentia, tanquam à radice omnia mala naſcuntur.

*Caſſian.* — *Diuitiis infirmatur animus in via virtutis,*

36. Pſalm.72. Pſalm. 72. num. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Seu,vt habet Complutenſis, & Regia : *Proceſſerunt à pinguedine oculi eorum.* Chaldaica : *Mutata eſt ob pinguedinem ſimilitudo vultuum eorum.* Cùm animus incraſſatur bonis , vt explicant D.Hieronymus,D.Auguſtinus, ex ipſa abundantia pullulat omnis iniquitas, malitia, & licentia , vt per ſuperbiam oculi cuncta deſpiciant,& omnia concupiſcant;itaut homo impinguatus veluti in facie appareat alter, ac antea viſebatur. *Tranſierunt in affectum cordis.* Ex Hebræo : *Tranſierunt cogitationes cordis.* Quod explicat D.Auguſtinus:Tranſierunt proprias metas, ac terminos humanæ naturæ. D. Hieronymus: Tranſierunt à voluntate Dei ad faciendam propriam voluntatem. Caſſiodorus : Tranſierunt à rectis ſemitis veritatis ad viam iniquitatis.

*Complutent. Chaldaica. Hieron. Auguſt.* — *A bonis temporalibus iniquitas omnis.* — *Hebræus. Auguſt. Hieron. Caſſiodor.*

37. Iob 15. Iob 15. num.26. *Contra omnipotentem roboratus eſt : cucurrit aduersùs eum erecto collo , & pingui ceruice armatus eſt.* Ecce homo vilis creatura contra Deum armatur , & per ſuperbiam ſuam aduersùs ipſum ſe erigit. Quod ſatis eleganter explicat phraſis . *Erecto collo* ; per quod maximè arrogantia, ac inſolentia denotatur. Sed vnde ad tantam dementiam venit vilis creatura , vt præſumat arma aduersùs Deum ſumere ? *Pingui ceruice armatus eſt.* Seu , vt habent Septuaginta; *Cucurrit contra eum iniuria in craſſitudine dorſi ſcuti ſui.* Nota , quòd pro diuitiis ponitur ſcutum. Cùm animus exuberatur rebus temporalibus , ipſam opulentiam , ac diuitias , tanquam ſcuta arripit;& tunc inſanus per ſuam elationem præſumit ſe erigere , & belligerare contra ſuum creatorem. D. Gregorius Magnus lib. 12. Moral. cap. 22. *Pinguis ceruix* , ait , *eſt opulenta ſuperbia affluentibus rebus , quaſi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus pingui ceruice contra Deum armatur , quia rebus temporalibus tumens , contra præcepta veritatis , quaſi de magnitudine carnis erigitur.*

*Diuitiis animatur homo cõtra Deum.* — *Septuaginta.* — *Greg. Mag.*

*Ioannis* 4. *n.* 47. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus aduenirct à Iudæa in Galilæam , abiit ad eum , & rogabat eum , vt deſcenderet, & ſanaret filium eius; incipiebat enim mori.

### *V E R S I O N E S.*

*Syriacus.* Profectus eſt ad eum : petiitque ab eo , vt deſcenderet , & ſanaret filium ſuum : propè enim erat , vt moreretur.

*D. Auguſt. tractat.* 16. Rogare cœpit, vt deſcenderet.

*Theophylactus,* Siquidem is animam agebat.

*Euthymius.* Erat enim iam : iamque moriturus.

*Franciſc. Lucas.* Futurus erat mori.



### *E X P O S I T I O.*

38. IS Regulus exiſtens Capharnaum, cùm audiſſet Chriſti famam,tum ex miraculo facto in Cana in nuptiis ; tum ex multis aliis ſignis editis in Ieruſalem in die feſto Paſchatis , vt de eiectione vendentium, ac aliis:ideò cùm ex tot , tantiſque præcedentibus ſignis nominis Ieſu fama excreſceret, aduentum eius audit. Vel ideo dicitur,audiſſe aduentum Chriſti nunc , non verò quando primò acceſſit ad nuptias;quia neceſſitas, qua Regulus laborabat , homines facit maximè diligentes in perſcrutandis his, à quibus poſſunt habere auxilium. Et quia ipſa neceſſitas homines ad Deum maximè trahit. *Quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam.* Quantum torpeſcit homo, vt Deum quærat! Non abiit Regulus,vt pro filij ſanitate deprecaretur,in Iudæam , quæ longiùs diſtabat, ſed in Galilæam,quæ in propinquo erat:niſi enim Ieſus nobis occurrat,nunquam homo ibit, & ſe mouebit ad illum. Vide ſuprà cap.5 .num. 170. 171. & 172. *Quòd adueniret in Galilæam.* Ex approximatione,ac aduentu Ieſu ; ait D. Thomas , concipimus ſpem de ſanatione à peccatis.

*Neceſſitas facit homines diligentes.* — *D.Thom.*

39. Nactus Regulus bonam occaſionem ex appropinquatione Ieſu , *Abiit ad eum* ; nempe ex Capharnaum , quæ interpretatur *pinguedo terræ*, proficiſcitur in Galilæam , hoc eſt , in pinguedinem cæli , ſeu Eccleſiæ , vt ait Simon Caſſianus *lib.* 5. *cap.* 18. Vbi erat pinguis panis Chriſti præbens delicias Regibus, *Gen.* 49. *num.* 20. vt ibi ſanitatem filij inueniret. Qui vult ſanari , conualeſcere, vires recuperare, relinquat pinguedinem bonorum terræ , & tranſeat ad pinguedinem cæli. *Abiit ad eum.* Neceſſitas nos trahit ad Deum, & qui eum in proſperitate contempſere , in anguſtia accedunt ad illum. Sic Nabuchodonoſor *Daniel.* 4. *num.* 31. Sic Antiochus , & Heliodorus , *Machab.* 3. *num.* 35. *& cap.* 9. *num.* 13. *Rogabat eum.* Ad orationem confugiendum,vt à Deo bona impetremus. *Vt deſcenderet* ; ſcilicet ſecum. Et vtitur hoc verbo;quia Cana, vbi Chriſtus aderat , eminentiori ſitu erat poſita , quàm Capharnaum. Et hoc dicebat Regulus ob ſuam imperfectam fidem , quia non ſibi perſuadebat, Dominum poſſe ſanare abſentem. Quòd latiùs explicabo quæſt. 8. *Vt ſanaret filium eius* . Ecce pro quo rogabat Regulus , nempe pro filio valde infirmo. *Incipiebat enim mori* , hoc eſt , iam proximus erat morti , itaut ſecundùm naturæ curſum nulla eſſet ſpes vitæ , iam enim erat in extremis animam agens. Moraliter etiam hæc accipe. Cùm mors ſit in inſtanti , dicitur , quòd filius incipiebat mori , quia à natiuitate homo incipit mori , & accelerato curſu tendit ad mortem.

*Caſſian.* — *Ab Eucharistia ſanitas.* — *Neceſſitas ad Deum trahit homines.* — *Homo à natiuitate incipit mori.*

---

## Q V Æ S T I O VII.

### *Quare,cùm Dominus immediatè diſceſſerit à Samaria in Galilæam,dicatur tamen , quòd ex Iudæa aduenerit ?*

CLARE patet ex textu *Ioan.* 4. *num.* 43. 40.
quòd Dominus immediatè ex Samaria diſceſſit in Galilæam. Et ratio litteralis eſt manifeſta. Ex eodem *cap.* 4. *num.* 3. *&* 4. dicitur : *Ieſus reliquit Iudæam , & abijt iterum in Galilæam ; oportebat eum tranſire per Samariam.* Et ideo vulgariter dicebatur , quòd ex Iudæa adueniret in Galilæam , ſiquidem ex Iudæa , in qua commorabatur , profectus eſt in Galilæam , per Samariam , vtpote in medio interiacentem , vt dixi ſuperiori cap. pertranſiuit. Et ita fiebat mentio de loco , à quo primò diſceſſit, non verò de loco per quem tranſiuit , vt eſt ſatis frequens in ſimilibus locutionibus. Moraliter tamen rem inueſtigemus.

*Ioan.4.*

Et quæro : Quare ex eo, quòd Ieſus tranſierit 41.
per Samariam , & locutus fuerit cum muliere Samaritana , Iudæi eum Samaritanum appellarent *Ioan.* 8. *num.* 48. Galilæi verò , quamuis proximè ex Samaria venerit , cum non Samaritanum appellent, neque dicant , quòd ex Samaria venerit , ſed ex Iudæa ? Iudæi , vtpote maligni, Chriſtum appellant Samaritanum , ac quòd in Samariam abiret , obiiciunt , ne multum gratulentur aduentum filij Dei , quia cùm eſſet miſſus ad oues, *quæ perierant de domo Iſraël*, Matth. 15. num. 24. diſcederet in Samariam. At Galilæi, quamuis Dominus immediatè ex Samaria diſcederet , dicunt,quòd aduenerit ex Iudæa,ad quam miſſus erat , & in qua natus fuerat , vt ita maiori vinculo Domino adſtringerentur , quòd relicta patria ſua ad eos abiret. Multum interiacet inter probatos viros , & iniquos : nam probati ea ſolùm memoria tenent , atque dicunt , ex quibus ſe maximè obligatos vident , vt ita gratiſſimi erga ſuum benefactorem ſe exhibeant. At iniqui ſemper accepta beneficia minuunt,& vituperant, ne multas ſuo benefactori gratias referant. Et ideo Galilæi dictitabant , quòd Dominus relicta Iudæa ad eos accederet , vt ita ei ſemetipſos maximè aſtrictos publicarent. Iudæi autem ingratiſſimi ex eo,quòd Dominus pertranſiret per Samariam, eum Samaritanum nominant, ne ſe maximè obligatos ſuæ ſanctiſſimæ viſitationi fateantur , vtque eum ſua malignitate deprauata poſſent calumniare.

*Matth.15.* — *Gratus ſolùm conſiderat accepta beneficio.* — *Ingratus beneficium minuere intendit,ne ſe obligatum fateatur.*

Vehementer Ionathas diligebat Dauidem, & 42.
multa de eo bona locutus eſt ad patrem ſuum Saul , vt mitigaret odium animi eius. Dicebat Ionathas : *Ne pecces Rex in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi , & opera eius bona ſunt tibi valde. Et poſuit animam ſuam in manu ſua , & percuſſit Philiſthæum , & fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraël* , 1. Reg. 19. num. 5. Econtrà verò Saul. *Iratus aduerſum Ionatham dixit ei : Nunquid ignoro , quia diligis filium Iſai in confuſionem tuam , & in confuſionem ignominioſa matris tuæ ? Omnibus enim diebus , quibus filius Iſai vixerit ſuper terram , non ſtabilieris tu, neque* regnum

*1.Reg.19.* — *1.Reg.20.*

*regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis eſt*, 1.Reg.20. num. 30. Valde diuerſimodè ſe habent hîc filius, & pater. Nam Ionathas totus rapitur in conſiderationem, quòd multa bona opera à Dauide fuerunt exhibita in Regem, totamque rempublicam; & quomodo omnes è manu Philiſthæi liberauit. At Sauli è contra nihil aliud in mentem veniebat, quàm damna, quæ Dauide ſuperſtite ſibi filiiſque ſuis contingere poterant, vt regnum amitterent, quod ſuſpicabatur ad Dauidem tranſiturum. Ionathas, vt vir probitate, ac gratitudine valde inſignis, minimè de paterna hæreditate ſolicitus, nihil aliud in mente fixum tenebat, niſi accepta à Dauide beneficia. At Saul omni malitia, ingratitudinéque repletus propriis commodis conſulens, ad obſequia à Dauide exhibita minimè attendebat, ſed tantùm conſiderabat, ne ob eius virtutes præclaras regnum ad ipſum transferretur; & ideo adoleſcentis mortem omni machinabatur conatu. D. Chryſoſtomus homil. 1. de Saule, & Dauide. *Dauid*, ait, *prudens in omnibus vijs ſuis, & Dominus erat cum eo, & Ionathas filius Saul diligebat Dauid vehementer; cumque vbique vinceret, nec vſquam fruſtraretur ſucceſſu, crudelem illum nihil horum flexit, ſed ad hæc omnia cæcus conatus eſt, illum è medio tollere.*

*Vir gratus ſolùm beneficia conſiderat, ingratus proprias commoditates.*

Chryſoſt.

43. Poſtquam Elias verbo ſuo clauſerat cœlum, conuocat Regem, ac totum Iſraël ad montem Carmeli, vbi occidit Prophetas Baal, & poſt ſiccitatem, ac famem trium annorum pluuiam à Deo impetrat, 3.*Reg.*18.*num.*45. Reuerſus autem Achab in domum, *Nuntiauit Iezabel omnia, quæ fecerat Elias, & quomodo occidiſſet vniuerſos Prophetas gladio*. 3. Reg.19. num. 1. Mihi eſt mirabile valde, quomodo iniquus Rex vxori Iezabeli Prophetarum necem refert, & diſertis verbis non commemorat ingens beneficium, ſcilicet poſt tam longam famem pluuiam datam, quod fuit quid valde mirabile, & in toto populo per omnium ora celebre. Torniellus anno mundi 3124.*num.*3. D. Gregorius *lib.*19. *Moral. cap.*5. & de hoc ait D. Iacobus in ſua Canonica cap. 5. num. 18. *Et rurſum orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.* Et S. Ambroſius *ſerm.* 32. ait, *Elias reſerauit cælum, terram orationibus fœcundauit.* Cur ergo Achab non ita expreſsè pluuiam mirabiliter datam, ſed cædem Prophetarum narrat? Abulenſis quæſt. 1. *Ex malitia narrauit hæc Achab, quia quanquam vidiſſet miracula Dei per Eliam, tamen non omnino redibat ad cultum eius, & dolebat de morte Sacerdotum Baal, & placuit ei, quòd Iezabel vellet occidere Eliam, vnde conſentit, quòd loqueretur ei verba dura.* Populus gratus ſolum habebat ante oculos magnum beneficium ab Elia impetratum, vt ei pro accepta fertilitate maximè gratificaretur. At nequiſſimus Achab de communi beneficio oblitus, ea ſpecioſis verbis refert Iezabeli, quæ poſſent illius iram accendere, odium excitare, & deprauatam voluntatem in Prophetam mouere. Quod totum illius ingratitudini adſcribit Chryſoſtomus *homil. de decollatione Baptiſtæ*, & Carthuſianus *in cap.* 19. ait: *Ex quo patet obſtinatio, & ingratitudo ipſius.*

3.Reg.19. Torniellus. Gregor. Iacob.3. Ambroſ. Abulenſ.

*Gratus beneficij recordatur; ingratus huius oblitus ſolum odioſa curat.*

Chryſoſt. Carthuſ.

## Qvæstio VIII.

### *Quare Regulus rogabat, vt Dominus deſcenderet in domum ſuam?*

44. EX imperfecta fide rogabat Regulus, vt Dominus deſcenderet, & ſanaret filium eius. Et hæc imperfectio, præcipuè ex triplici defectu videtur prouenire. Et primus defectus, ait D.Thomas ex D. Chryſoſtomo, fuit, quòd dubitabat, vtrùm Chriſtus ſanare poſſet filium eius? nam ſi pro certo hoc crediſſet, non expectaſſet aduentum Chriſti ad terram ſuam, ſed ipſe potiùs iuiſſet in Iudæam. Modò verò quaſi deſperatus de ſalute filij nolens negligere, quidquid circa hoc facere poſſet, abiit ad eum, more parentum. Tamen cùm Regulus habuerit fidem imperfectam, intelligendum eſt, quòd dubitauit, cum D. Gregorio *homil.* 28. *in Euangelia*, nempe quòd fuerit anceps, an Dominus abſentem potuerit ſanare: nam, vt ait Albertus Magnus, appropinquando infirmo putabat, eum plus poſſe.

*Triplex in Regulo fidei defectus.* D.Thom. Chryſoſt. Albert.Mag.

45. Secundus defectus maximè faciens ad hanc quæſtionem, vt tradunt D. Auguſtinus, D. Gregorius *citatus*, Albertus Magnus, Beda, D. Thomas, Rupertus, Hugo. Quia licèt Regulus crederet, Chriſtum eſſe verum hominem, & ſanctum, qui multa mirabilia poterat operari: non tamen credebat, eum eſſe Deum; aliàs credidiſſet, eum poſſe ſanare abſentem, cùm Deus vbique ſit præſens. Ierem.23.num.24. *Cælum, & terram ego impleo*; & ita non rogaret eum, quòd deſcenderet in domum ſuam, ſed quòd mandaret tantùm. Tertius defectus patebit ex infrà dicendis. *Deſcende, priuſquam moriatur filius meus*; quia non credebat, quòd ſi contingeret, filium mori, potens eſſet, eum ſuſcitare, vt ponderat Theophylactus, de quo *ibi*; & ideo fides Reguli erat imperfecta, & non integra, vt ex Chryſoſtomo dicam *quæſt. ſequenti*.

Auguſt. Gregor. Albert.Mag. Beda. D.Thom. Rupert. Hugo. Ierem.3. Theophyl.

46. Secunda ratio. Ingenita nobilitas viri, vt de genere regio, ac magna diuitiarum opulentia animum dabant Regulo, vt confidenter peteret, vt Chriſtus ſecum deſcenderet, & abiret in domum ſuam. Tertia ratio. Ingens filij amor, quem iam penè animam agere videbat, audacem faciebat hominem, vt deſcenſum Domini in domum ſuam deprecaretur. Ex vehementi amore, audacia, & confidentia prodiit, ad acceleratè affectanda, & procuranda ea, quibus illa, quæ appetimus, obtinere valeamus. Amor rumpit moras, audaciamque miniſtrat.

*Nobilitas, ac opulentia dant confidentiam ad multa.*

*Amor temporalis aud..., & moræ impatiens.*

47. Venit Ieſus ad ſepulchrum, vt Lazarum reſuſcitaret, vt ait circunſtantibus: *Tollite lapidem*, Ioan.11.num.30. Venit Iacob in Meſopotamiam iuxta puteum, qui magno lapide claudebatur, ad quem mouendum pro ſua magnitudine, & pondere, omnes loci paſtores expectabantur, vt aduertunt Pererius, Cornelius, & alij *ad cap.* 29. *Geneſ. num.*7. vt ita adaquarent ſuos greges. Cùm Iacob vidiſſet Rachel venientem, ne eadem expectatione detineretur, *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur*, Geneſ.29.num.7. Præclarè Origenes *in cap.* 11. *Ioan.* quæſtionem excitat inter Ieſum, & Iacob. *Quare*, ait, *hoc quidem loco Ieſus ipſe lapidem à ſpelunca non amouerit, ſed dixerit: Tollite lapidem; Geneſis autem Iacob ſaxum à putei oſtio detulerit?* Valde mirum, quòd Ieſus, qui habet potentiam infinitam, qui ſuo nutu diſponit omnia, præcipiat, vt à miniſtris lapis auferatur; & tamen Iacob ſuper proprias vires lapidem, ad cuius motum multi homines deſiderabantur, depellere audeat, in aliumque transferat locum; Multum diſtat, quando animus gubernatur conſilio, vel quando impetu proprij appetitus rapitur. Ieſus magna ſapientia, & alta prudentia diſponebat omnia, & ideo ſcit expectare, proportionatas moras ſuſtinere, vt ſaxum à miniſtris dimoueatur, vt miraculum fiat euidentius, & ipſi lapidis ablatores, ſint teſtes locupletiſſimi. At Iacob vehementi Rachelis inflammabatur amore: temporalis autem affectus valde præceps moras pati neſcit, & multa ſupra proprias vires aggredi non recuſat, ſed quæque difficilia audet præſumere, multum de ſuis viribus confidens. Abulenſis ibi, *Hoc fecit*, ait, *amore conſobrinæ ſuæ, cui complacere volebat.*

Ioan.11. Pererius. Cornelius. Gen.29. Origen.



*Prudentia ſuſtinet moras, quas amor pati nõ poteſt.*

Abulenſ.

*Ioannis 4. n.49.* Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Dixit Ieſchua: Niſi ſigna, & miracula videritis. |
| *Vatablus.* | Nequaquam credideritis. |
| *Franc. Lucas ex Græco.* | Nequaquam credatis. |
| *Alij apud ipſum ex Gr. de fut.* | Non credetis. |

48. CVm ſuam imperfectam fidem oſtenderit Regulus, vt dixi ſuperiori quæſtione & iterum dicam quæſtione ſequenti, reſpondit Dominus eum increpando, & arguendo, quia non integrè, & perfectè credebat, Dominum poſſe ſanare infirmum diſtantem. Et ait: *Niſi ſigna, & prodigia.* Quod verò inter hæc ſit diſcrimen, Ammonius *in Catena Græca*. Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, Bonauentura, quòd quanuis vtraque eueniant præter naturam; tamen ſignum eſt illud, quod licèt aliquando miraculosè fiat, attamen vi naturæ poteſt contingere, vt ægrotos ſanaret. Prodigium autem id dicitur, quod ita eſt præter naturam, vt nunquam naturalibus viribus fieri valeat, vt mortuum ſuſcitare, aperire oculos cæci à natiuitate. Et ita ait Albertus Magnus; quòd prodigium dicitur id, quod non eſt auditum, & idem eſt, ac procul à digito. Tamen hoc diſcrimen non eſt ſemper verum, quia prodigia ſæpe ſigna vocantur, vt de admirabili partu B. Virginis dicitur Iſai.7.num. 14. *Ecce Dominus dabit vobis ſignum.* Et ideo Origenes *hîc* ait, prodigium dici illud, quod excedit humanam conditionem, & eſt præter opinionem; ſignum autem illud appellari, quod aliquid ſignificat, & denotat.

Ammonius. Theophyl. Euthym. D.Thom. Bonauent.

*Quid ſit ſignum. Quid prodigium.*

Albert.Mag. Iſai.7. Origen.

49. *Videritis, non creditis.* Aliqui in futuro legunt, *non credetis.* Sed rectiùs legendum eſt cum noſtra Vulgata de præſenti. Et hæc dicit Dominus, vt rectè obſeruant Theophylactus, Caietanus, arguendo incredulitatem Iudæorum ob Samaritanos, qui abſque ſignis & prodigiis crediderunt ſermone Domini tantùm, *Ioan.*4.*num.*42. Et pungit Dominus *hîc* perpetuum Iudæorum vitium, vt ſigna peterent, & quærerent, 1. Corinth.1. num.22. *Innoua ſigna, & immuta mirabilia*, Eccleſiaſti. 36. num.6. Quaſi Iudæorum durities vellet, quòd Dominus eſſet in perpetuo fluxu ſignorum: ſiquidem iam multa mirabilia erat operatus, tum in ipſa Cana in nuptiis, tum in templo Ieroſolymitano; & tamen adhuc, vt crederet, deſiderabat ſigna. Et quanuis Dominus haberet ſermonem cum Regulo, pluraliter loquitur: *Videritis, non credetis*, vt ait Rupertus *lib.* 4. *in Ioan.* quia cum omnibus hominibus gentis ſuæ loquebatur. Deinde, quia ſuauior eſt reprehenſio: quæ in communi fertur, quàm quæ ad particulare dirigitur. Vide ſuprà *in hoc lib.* 4. *cap.*3.*quæſt.*12.*totam.*

Theophyl. Caietan. 1.Cor.1. Eccli 36. Rupert.

*Reprehenſio in communi ſuauior.*

## Qvæstio IX.

### *Quare Regulus reprehendatur à Domino?*

50. COnvenivnt omnes Patres, & expoſitores, quòd hæc: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis*; dixerit Chriſtus Regulo per modum obiurgationis; & quòd ad perfectè credendum ſigna requirebantur, cùm ipſe Regulus eſſet inducendus ad fidem per ſigna, vt notant Albertus Magnus, & Toletus annot. 27. *Si non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, Ioan. 15. num. 24. Ergo non videtur dignus reprehenſione Regulus, ſi ad credendum miracula petit. Ad quæſtionem igitur

Albert.Mag. Tertul. Ioan.51.

51. Reſpondet primò D. Auguſtinus tractat. 16. *Arguit*, ait, *hominem Chriſtus in fide tepidum, aut omnino nullius fidei: ſed tentare cupientem de ſanitate filij ſui, qualis eſſet Chriſtus, & quis eſſet, & quantum poſſet.* Exiſtimat S.Pater, quòd ideo Regulus reprehenditur, quòd venerit ad Chriſtum, animo tentandi eum, ſine vlla fide, vel ea valde remiſſa, & tepida. Probabilius mihi eſt, hominem acceſſiſſe, non intentione tentandi, ſed deſiderio procurandi filio ſanitatem.

Auguſt.

*Regulus an venerit animo tentandi.*

52. Secundò, eſt germana ſolutio, reſpondent D.Chryſoſtomus *homil.*34. D.Gregorius Magnus *homil.*28.*in Euang.* Theophylactus, Beda, Albertus Magnus, & alij communiter, quòd Regulus acceſſit fide imperfecta. Et ita ait Chryſoſtomus; *Licèt crediderit, non tamen firmiter, neque integrè.* Quòd ergo habuerit aliquam fidem, ex eo oſtenditur, quòd venerit ad Chriſtum deprecans pro ſalute filij. Quòd verò fuerit imperfecta, eo conuincitur, quia credidit, eum non poſſe ſanare abſentem; & ideo rogabat, vt deſcenderet. Deinde fortaſſe, quia Regulus erat in ea diſpoſitione, quòd ſi Dominus faceret miraculum, crederet; ſi verò ſanitatẽ filio non donaret, aſſenſum fidei non præberet. Ea de cauſa eum Dominus arguit, & reprehendit; quia, cùm tam ſtupendum opus in Cana editum fuerit in nuptiis, & tanta in templo Ieroſolymitano mirabilia facta in

Chryſoſt. Greg.Mag. Theophyl. Theoph. Beda. Albert.Mag. Chryſoſt.

*Regulus imperfectus in fide.*

in feſto Paſchali, in quo neceſſum erat ipſum Regulum adeſſe, adhuc tamen homo erat anceps: ergo meritò reprehenſione dignus, præcipuè, vt notat Chryſoſtomus *citatus*, cùm iſte Regulus eſſet Capharnaum, vbi multa ſigna Dominus edidit. Et ita dictum fuit à Nazaræis. *Quanta audimus facta in Capharnaum, fac, & tu in patria tua*, Luc. 4. num. 23. Et ex his patet ſolutio ad argumentum.

Chryſoſt. Luc. 4.

53. Tertiò, vt docent D. Chryſoſtomus, Hugo, ſi Regulus erat firmus in fide, non debebat dubitare de poteſtate Domini, ſed id proferre quod alius pater de turba pro ſalute filij deprecans dixit: *Adiuua, Domine, incredulitatem meam*, Mar. 9. num. 23. Sed proh dolor! Dynaſtas, & principes, vulgares homines fide, ac virtute præcedunt. Quartò. Valde mirum, quòd dum à Regulo ſigna deſiderantur, reprehenditur; & tamen Abraham ſignum petiit *Geneſ.* 15. *num.* 8. Gedeon *Iudic.* 6. *num.* 17. & iſti non arguuntur; quare Regulus ita obiurgatur? Regulus requirebat ſigna ex ſua dubitatione; at verò Abraham, & Gedeon petebant ex gaudio, & admiratione, & vt magis conſolarentur. Alias rationes huius rei, vide *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 26. *à num.* 62.

Chryſoſt. Hugo. Marc. 9. *Inferiores nobilioribus præſtant in fide.*

54. Quintò idem Chryſoſtomus loco citato: *Arguit eum*, ait, *vt magis in fide confirmaret.* Multi de Domini diuinitate dubitarunt, & tamen à Domino particulariter non ſunt reprehenſi, quemadmodum hic Regulus arguitur. Intendebat Saluator, vt iſte proficeret, ac melior fieret, & ideo obiurgatur: nam frequenter reprehenſio ex amore procedit, & eſt valde vtilis; ea enim homo ſe colligit, ſtatum, ac conditionem ſuam conſiderat, & in vita, ac moribus reformatur. Sextò idem Chryſoſtomus: *Eum reprehendit*, ait, *& arguit Dominus, oſtendens ſigna maximè animæ gratia fieri.* Increpat Dominus hominis intentionem. Regulus præter filij ſanitatem nihil quærebat, nec cogitabat. Negat Chriſtus, à ſe fieri miracula, præcipuè ob eam cauſam, vt infirmi à morbo curentur: ſed vt, qui miracula viderint, in ipſum credant, vt verum Deum, ac Meſſiam, & ita ſalutem conſequantur. Et iraſcitur Dominus in Regulum ex eo, quod præſumat, opera eius referri ad temporalem corporis ſanitatem, nihil cogitando de ſalute animæ, quæ ſola à nobis æſtimanda eſt, & procuranda; cùm opera Domini ad noſtram animæ ſalutem ordinarentur. Et fortaſſe, vt notat Balthazar Corderius *in Catena in Lucam*, circa hunc textum, ideo Dominus indignatur in Regulum, quòd, cùm eius filius ægrotaret anima, & corpore, ipſe totus erat ſolicitus de ſalute corporis.

Chryſoſt. *Reprehenſio ſæpe datur ex amore.* Chryſoſt. *Opera ordinanda, non ad corporis, ſed animæ ſalutem.* Corderius.

55. Quintò D. Auguſtinus lib. 4. de conſenſu Euang. cap. 10. *Dixit Dominus Regulo*, ait, *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis: vſque adeò ſuper omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, vt nec ipſa miracula, quæ quanuis diuinitus de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus quæri velit.* Quanuis congruum videri poſſet, quòd Dominus appretiaret, ac æſtimaret, vt homines ad diuina ſigna currerent; tamen ipſe indignatur, quòd huiuſmodi mirabilia appetantur; nam quanuis ſint opera Dei, eius potentia edita, cùm tamen de mutabilitate corporum fiant, ac huiuſmodi mutationem importent, ab eis Dominus noſtram vult auertere mentem, & eleuare ad ea, quæ æterna ſunt, ac permanentia; non patitur enim, vt noſter animus, ad inconſtantia, labentiaque temporalia feratur, ſed vt tendat ad ea, quæ fixa ſunt, atque perpetua. Sextò, vt docet Euthymius, & dixi in expoſitione ex Theophylacto. Hæc dixit Dominus deprimendo Iudæos cum Samaritanis collatos; nam illi, quanuis reputarentur extranei à genere Iudæorum, tamen abſque ſignis, & prodigiis, ſolo ſermone Domini credidere; & magnus eſt dolor, quod extranei in amore, ac beneuolentia conciues, ac naturales præcedant.

Auguſt. *Temporalia à nobis declinanda.* *Inconſtantia, ac labentia fugienda.* Euthym. Theoph.

56. Septimò. Multi è populo Iudæorum dubitarunt circa Domini maieſtatem, & excellentiam; & nullum Dominus in particulari ita ſeuerè reprehendit, vt diceret: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* Cur ergo Regulus ita rigidè pungitur? Dubitabat hic Regulus, vt docent D. Gregorius, Beda, Albertus Magnus, & alij, an Dominus poſſet homini abſenti dare ſalutem; præſumebat enim, quòd virtus Domini præſentibus terminaretur. Hanc exſtimationem Dominus Rex regum ægrè fert, & grauiter reprehendit. Princeps enim, & Regi maximè aduerſatur, quòd virtus ſua tota ſit, vt præſentibus medelam poſſit afferre, itaut abſentibus non valeat opitulari. Prouidentia principis non debet in angulo terminari, ſed ita ſit benefica cum iis, qui è propinquo ſunt, atque cum illis, qui à longè diſtant.

Gregor. Beda. Albert. Mag. *Reges ditionis ſuæ omnia ſciant & videant.*

57. Loquens cum Regibus D. Gregorius Nazianzenus ait orat. 27. *Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt diademate paruo, atque exiguo panno retentus. Superiora ſolius Dei ſunt, inferiora autem veſtra etiam ſunt. Subditis veſtris Deos vos præbete.* Valde mirabilis, & ponderoſa eſt ſententia Patris per omnia verba: *Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus*; non ait ſub pedibus, ſed manui ſubiectus; quæ autem in manu ſunt, ante oculos ſunt poſita. Ita totum regnum, & imperium ante conſpectum Regis verſetur. *Diademate paruo, atque exiguo panno retentus.* Adeò totus principatus, & dominatus Regi præſens eſſe debet, ac ſi eſſet breui corona cinctus, ac circundatus, & paruo panniculo, ac exigua parte veſtis inuolutus, vt pauper ibi eleemoſynam accipit, ac amplexatur: *Subditis veſtris Deos vos præbete.* Quid dicis, Magne Pater? Quòd homunculus ſe habeat tanquam Deus. Intellige acumen Nazianzeni. Vult enim, vt princeps ita de ſuis ſubditis, ſiue abſentibus, ſiue præſentibus ſit ſolicitus, vt, quantum patitur humana conditio, intendat Dei prouidentiam imitari, vt omnibus ſuis memoria, cogitatione, ac bona gubernatione ſit vbique præſens; ita ait: *Subditis veſtris Deos vos præbete.*

Nazianz. *Rex ſubditos tam præſentes, quàm abſentes ſciat, & cognoſcat.*

58. De magno Ioſeph ait Eccleſiaſt. cap. 49. num. 17. *Neque vt Ioſeph, qui natus eſt homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi: & oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt.* Magnis encomiis prudentia, ac prouidentia, regimen, ac caſtitas Ioſeph in Scriptura celebratur, numquam tamen tot laudibus extollitur, vt hoc in loco; hîc dicitur princeps, rector, ac ſtabilimentum. Quare hîc potius dicitur princeps, quàm alio in loco, dum totam Ægyptum gubernat, & omnibus ſuppeditat frumentum? Dicitur enim hîc: *Oſſa ipſius poſt mortem prophetauerunt.* hoc eſt, vt aduertit Hugo, ex Magiſtro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ,

Eccli. 49. Hugo.





quòd cùm Iſraëlitæ de Ægypto eſſent egreſſuri, ſecum tulerunt oſſa Ioſeph, *Exod.* 13. *n.* 19. quæ prophetauerunt, ac dederunt indicia de difficultate itineris, & quomodo huiuſmodi difficultates ſuperandæ erant, atque vincendæ. Meritò ergo hîc potius nomen principis potitur, quàm dum tenet clauum totius Ægypti; tunc enim ſolùm iis, qui ſe eius conſpectui dabant, alimoniam præbebat. At poſt mortem omnibus præſtat documenta, tam præſentibus, quàm poſtea futuris; docet enim, quomodo itinerando obſtacula ſunt rumpenda ab his, qui exeunt ab Ægypto, & ab his, qui in itinere naſcuntur per ſpatium quadraginta annorum: & tunc potius nomen principis obtinet, dum præſentibus, & abſentibus conſulit, quàm dum ſolùm his, qui ad eum confluunt, prouidit.

*Ille dicitur verè princeps, qui abſentibus prouidet.*

*Ioannis* 4. *n.* 49. Dicit ad eum Regulus: Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Dixit ei ſeruus ille regius: Domine mi, deſcende priuſquam mortuus ſit puer. |
| *Vatablus.* | Dicit ei Regius: Domine. |
| *Arias.* | Deſcende antè mori puerum meum. |
| *Græcus, & Pagninus.* | Antequam moriatur puerulus meus. |

*EXPOSITIO.*

59. DE ſuæ fidei imperfectione reprehenditur Regulus; & tamen hæc parum conſiderat filij dolore affectus, vt ait D. Chryſoſt. homil. 34. *Non multum tunc Chriſti verbis attendit, ſed in ſolius filij cura verſabatur. Poſtmodum ea reputaturus, & inde multum vtilitatis conſecuturus.* Qui fortè de ſua dignitate multum præſumebat, præ amore filij ſolicitus, nil curat de reprehenſione, niſi vt eius ſanitatem valeat impetrare. Et interrumpens Chriſti ſermonem amore rerum temporalium, ne morandi cauſam necteret, ait: *Domine*, honoris nomine eum compellat, vt hoc modo eum ad petitionem ſuam magis alliciat. *Deſcende*, hoc eſt, propera abire in domum meam. Et ait: *Deſcende*; quia à Cana, quæ in cliui montis ſita erat, deſcendendum erat in Capharnaum, vt notat Brochard. 1. p. cap. 6. §. 1. *Priuſquam moriatur*; reliquerat enim filium in domo iam penè animam agentem. *Filius meus*: puerulus meus mihi amantiſſimus. Tres defectus hîc in Regulo apparent, debilitas fidei, ignorantia, ac humana præſumptio. Defectus fidei multiplex eſt. Exiſtimabat, quòd Dominus non poterat abſentem ſanare. Deinde quòd ſi puer moreretur ante Domini aduentum, ab eo iterum reſuſcitari non poſſe. Ignorantia hominis exiſtimabat, quòd auxilium Domini poſſet eſſe ſerum, & extra tempus proportionatum, cùm ſemper Dei virtus ſis opportuna, & valde efficax. Tertiò. Præſumptio humana petit à Dei benignitate miraculum, quod eſt ſupra naturam; vult tamen, vt fiat iuxta ſuum beneplacitum, ac modum ſuæ naturæ, vt Dominus deſcendat, & det ſalutem filio, vt etiam Naaman affectabat 4. Reg. 5. n. 11. *Putabam*, ait, *quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & ſanaret me.* Pro filio ab aliis legitur *puerulus*; qui enim infirmabatur Capharnaum, hoc eſt, in abundantia rerum temporalium, puerulus, & paruulus erat.

Chryſoſt. *Dolor multa cogitare ſæpe non ſinit.* *Nomine honorifico allicitur homo.* Brochard. *Humana præſumptio ad modum ſuæ voluntatis vult miracula fieri.* 4. Reg. 5.



*Ioannis* 4. *n.* 50. Dicit ei Ieſus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Ex Hebræo.* | Vade, filius tuus ſanus eſt. |
| *Syriacus.* | Et credidit vir ille ſermoni. |

*EXPOSITIO.*

VALDE inſipienter dixerat Regulus, quòd Dominus deſcenderet, antequam filius eius obiret, vt vidimus ſuperiori verſu; tamen Dominus huiuſmodi inſipientiæ non attendens miſeretur, & puero dat ſanitatem. Quod ponderat D. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 119. *Non imperitiam*, ait, *in omnibus noſtram Chriſtus reſpicit, ſed vt Deus, etiam peccatoribus auxilium affert.* Et de hac inſipientia hîc eum Dominus non reprehendit, ſicut antea fecerat ad primam Reguli petitionem: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis*, num. 48. exemplum dans Prælatis, quia non ſemper reprehenſionibus eſt inſtandum. Et quem Dominus reprehenſione non ſanauit, beneficio, ac dono ſanitatis conuertit, ac traxit. 60.

*Benignus pater non attendit ad imperitiam filij.* Cyrill. *Non ſemper reprehenſionibus inſtandum.*

*Dicit ei Ieſus: Vade*, hoc eſt, abi tu in domum tuam, non eſt neceſſe, vt ego tecum deſcendam. 61. Duo petierat Regulus, vt ait Caietanus, vt Dominus deſcenderet, & vt ſanaret filium. Primum negat Dominus, dicendo: *Vade.* Et ſanè magna prudentia; quia ſi Dominus deſcenderet, fides Reguli maneret infirma; nam ſi ipſe crederet, quòd Dominus ſanabat filium; non tamen crederet, quòd habebat virtutem ad ſanandum abſentem. Secundum, quod Regulus petierat, concedit Chriſtus, dicendo: *Filius tuus viuit*; non ait, viuet, ſed *viuit*, de præſenti. Et eſt phraſis Hebraica, & ſignificat ſanum eſſe. Hoc verbo Dominus ſanauit puerum in Capharnaum. Et ſanum eſſe, dixit Regulo, cùm omnia agnoſcat per ſuam ſcientiam. Sedulius lib. 3. Paſchali cap. 2. *His verbis*, ait D. Cyrillus lib. 2. cap. 120. *duos Saluator curauit; nam & Reguli animum ad fidem induxit, & corporis morbo adoleſcentem eripuit.*

Caietan. *Deus donat de præſenti.* Sedul. Cyrill.

*Credidit homo ſermoni*, credidit, verum eſſe ſermonem Ieſu, & filium eſſe ſanum. 62. Carthuſianus rectè ait: *Iam meritò Regulus appellatur homo, ſcilicet vtens ratione, ac rationabiliter agens, dum credit Chriſto, & voci eius obedit.* Imò inquiunt Gloſſa, & Hugo, quòd *Dominus ſermone ſanat Regulum, & ſic meruit ille ſanitatem filio.* Et idem ferè Euſebius *hom. de hoc Euang.* Tamen exiſtimo, quòd priùs, vel ſaltem ſimul fuit ſanitas pueri, & fides Reguli: quia in illo inſtanti, in quo

Carthuſ. Gloſſa. Hugo. Euſebius. *Quæ fides Reguli.*

Dominus dixit: *Filius tuus viuit*, puer ſanatus eſt. Niſi velis, aliquam prioritatem naturæ conſiderare. *Credidit homo.* Quòd fuerit perfecta fide, tenent Ammon. D. Cyrillus, Carthuſ. Euſebius proximè citatus. Et hæc eſt probabilis ſententia. Nam, licèt poſtea percontaretur ſeruos de hora ſanitatis, non prouenit ex defectu fidei, ſed vt fidem ſuam confirmaret. Et, vt ait Maldonat. ſibi ipſi gratularetur, quòd crediderit. Tamen D. Auguſt. D. Chryſoſt. Theophyl. D. Thom. Albertus Magnus, Hugo docent, quòd credidit hic ſermoni Ieſu adhuc imperfecta fide, & ideo à ſeruis interrogauit de hora ſanitatis, ſcire volens, vtrùm caſu, vel ab ipſo Ieſu facta fuerit ſanitas.

Ammonius. Cyrill. Carthuſ. Euſeb. Maldonat. Auguſt. Chryſoſt. Theophyl. D. Thom. Albert. Mag. Hugo.

63. *Et ibat.* Iuſſus eſt diſcedere, ſtatim ibat; non aliquid fatur. nam perfecta obedientia nil reſpondens iter arripit. Ait Hugo, quòd *ibat confidens, quòd ſanatus eſſet filius; libenter enim credit homo, cùm ſibi dicitur, quod cupit.* Simon Caſſianus ait lib. 5. cap. 18. *Ibat planè gaudentior de fide, quàm de libertate prolis.*

Idem. *Homo facile credit, quod optat.* Caſſian.

## Qvæstio X.

### *Quare Dominus non deſcendit in domum Reguli petentis, & tamen vadit ad domum Centurionis non rogantis?*

64. Dominvs rogatur à Regulo, vt tendat in domum ſuam; ad eam tamen accedere noluit: à Centurione autem rogatus, vt det ſanitatem ſeruo, in domumque ſuam ne deſcendat: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum,* Matth. 8. n. 8. & 9. tamen ad eius domum ſe confert, in eamque Dominus ingreditur.

Matth. 8.

65. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 34. *Cur autem,* ait, *Centurioni, ſe iturum vltro pollicitus eſt; Regulo autem ne rogatus quidem? Quoniam in illo fides perfecta erat, ideo ſe iturum dixit, vt viri fidem cognoſceremus: at Regulus adhuc imperfectus erat, propterea Chriſtum omni ſtudio impellebat, vt deſcenderet, neque adhuc norat, abſentem quoque curandi habere poteſtatem.* Centurio iam firmus ac confirmatus erat in fide, quòd crederet, Dominum abſenti ſalutem dare poſſe, & ideo ad eius fidem, & deuotionem exercendam, Dominus ire promiſit. Regulus verò adhuc imperfectus erat, nondum nouerat manifeſtè, quòd abſens Chriſtus curare poterat; & non accedit, vt ſuam imperfectionem cognoſcat, & ſciat, Chriſtum abſque ſua præſentia ſanare poſſe, & ita ipſe proficiat in fide. Et hæc eſt germana ratio.

Chryſoſt. *Fides Centurionis perfecta, Reguli autē imperfecta.*

66. Secundò iiſdem Chryſoſtomi verbis inhærendo: *Vt viri fidem cognoſceremus;* ire vult in domum Centurionis, vt eximia eius fides fieret omnibus manifeſta. Dixit enim ipſe: *Domne, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus,* Matth. 8. numero 8. Quam fidem Dominus maximè honorauit, dicens: *Amen dico vobis: Non inueni tantam fidem in Iſraël,* ibid. num. 11. Semper enim Dominus quærit occaſiones condecorandi, ac nobilitandi ſuos; vt idem ipſe Centurio in maiores actus fidei, & deuotionis proficeret. Ad domum autem Reguli non deſcendit, vt ait D. Thomas, vt ipſe ſuam imperfectionem cognoſcat, qua detinebatur cogitans, Dominum non poſſe ſanare abſentem, vt ita ſui confuſione percepta, fidei, imperfectionem deponat, ac in ea ſit expolitus? nam ſicut virtus, dum laudatur, creſcit, ita ignorantia, ac imperfectio, dum cognoſcitur, ac deprimitur, deponitur, ac emendatur.

Idem. Matth. 8. *Deus quærit occaſiones nobilitādi ſuos.* *Virtus laudata creſcit, malitia confuſa emendatur.*

67. Tertiò. Dominus non rogatus vadit in domum Centurionis, & rogatus non deſcendit in domum Reguli: vt ſit manifeſtum nobis quòd Deus multoties non annuit noſtris rogationibus, nouit enim, quod nobis eſt vtilius, & id concedit; ad preces Reguli, vt deſcenderet, non attendit, vt ipſe deponat ſuam ignorantiam, & creſcat in fide; poſtulatis Centurionis non acquieſcit, vt ipſe exerceatur in fide, & in nouos actus meritorios prorumpat.

*Deus poſtulata non concedit ob noſtram vtilitatem.*

68. Quartò D. Gregor. Magnus hom. 28. in Euang. *Reguli filio,* ait, *per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe: Centurionis ſeruo non dedignatur occurrere. Quid eſt hoc, niſi quòd ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores, & diuitias veneramur? Redemptor verò noſter, vt oſtenderet, quia quæ alta ſunt hominum, deſpicienda ſunt: & quæ deſpecta ſunt hominum, deſpicienda non ſunt: ad filium Reguli ire noluit, ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit.* Maximè obliuiſcitur homo creatoris ſui, & mundana conſiderat, & reſpicit; non enim attendimus in homine, quòd ad Dei imaginem ſit creatus, nec quòd opus ſit Dei, ſed eius dignitates nobilitatem, ac diuitias. Dominus autem vt ſuperbiam noſtram comprimat, non vult ire ad filium Reguli, quem dignitas, nobilitas, ac diuitiæ extollebant; ſed ad ſeruum Centurionis, in quo quòd homo ſit, & imago Dei tantum relucebat; & ita nos docet, quòd homini ſit benefaciendum, non propter terrenam dignitatem, ſed ob imaginem ſui creatoris, quam portat; & ita ob humilem aliquam conditionem homo non eſt deſpiciendus. Imperfectus hom. 22. *Illic, cùm rogaretur, noluit ire, ne fortè perſonam Reguli videretur aſpicere: hic autem non rogatus promiſit ire, ne videatur, humilitatem ſerui contemnere. Illum ergo contempſit, quem dignitas ſubleuabat regalis: iſtum autem honorauit, quem conditio humiliabat ſeruilis.*

Gregor. *In homine non dignitas, & opulentia, ſed Dei imago eſt veneranda.* *Homo ob vilem ſeruitutis conditionem non eſt deſpiciendus.* Imperfect.

69. Quintò D. Auguſt. tract. 16. *Videte,* ait, *diſtinctionem. Regulus iſte Dominum ad domum ſuam deſcendere cupiebat. Ille Centurio indignum ſe eſſe dicebat. Hîc ceſſum eſt elationi, illic conceſſum eſt humilitati.* Regulus ſuperbia inflatus, diuitiis, ac nobilitate, imperioſè dicebat: *Deſcende, antequam moriatur filius meus.* At Centurio magna humilitate ſe indignum fatebatur, vt Dominus in domum ſuam veniret, & quòd ſuperbiæ, ac elationi denegatur, humilitas, ac ſubmiſſio obtinet, & impetrat. Idem ferè Rupertus *lib. 4. in Ioan.* Quòd Dominus ſuperbos contemnit, humiles exaltat. Vide *lib. 2. cap. 2. n. 52.*

Auguſt. *Humiles exaltantur, ſuperbi deprimuntur.* Rupert.

70. Sextò Barradas aliam dat hîc rationem, quòd Centurio cùm eſſet cum Chriſto in Capharnaum, petebat ab eo ſalutem ſeruo, qui in domo ſua erat in eadem vrbe. At verò Regulus petebat, vt Chriſtus ex Cana in Capharnaum iret, longumque conficeret iter. Ideo Chriſtus in domum Centurionis, quæ propinqua erat, venire voluit; ex Cana autem in Capharnaum tunc ire noluit.

Barradas.

71. Septimò. Deus omnibus dat affluenter, & maiora, quàm petimus ab eo. Vnde vtique plura conferre voluit. Petit Centurio tantùm verbum:

*Dat Deus plus, quàm petitur à nobis.*



*ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* At Chriſtus non modò verbum non negat, ſed & deſcenſurum ſe eſſe pollicetur. Petit Regulus, vt deſcendat, & vbi ad domum ſuam peruenerit, filium ſuum curet; (& hanc abundantiam diuinæ miſericordiæ hîc ponderat Abbas Chremenſis *collat. 13. de poteſtate Chriſti, cap. 16.* dum abſque cunctatione, & dilatione dat ſanitatem ægroto) plus præſtat Dominus; nam quamis videatur negare deſcenſum, tamen abſque mora, quæ in ipſo itinere requirebatur, filium in inſtanti ſanitati reſtituit. Vide *lib. 1. cap. 4. num. 41.*

Abb. Crem.

72. Octauò. Maximè inter ſe repugnant merita, & hominis præſumptio, itaut ſimul in vna ſede minimè reperiantur, ſed mutuo ſe expellant, & excludantur. Regulus de ſua nobilitate, ac diuitiis fauſta præſumptione multum confidens meritis carebat; ideoque non voluit in domum ſuam Chriſtum recipere. At Centurio abiectiſſimum ſe reputans, de ſe valde humiliter ſentiebat, multis tamen meritis præclarus erat, & ideo dignus inuentus, qui Dominum Ieſum in domum ſuam deſcendentem reciperet hoſpitio.

*Altæ cogitationes, ac merita non ſimul compatiuntur.*

73. De Thamar, cùm ad tempus pariendi perueniret, ait ſacer textus Geneſ. 38. num. 29. *Inſtante autem partu appuruerunt gemini in vtero, atque in ipſa effuſione infantium, vnus quidem protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens: Iſte egredietur prior; illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter.* Valde mirum ſanè, quòd Zaram, qui iam iter inuaſerat, manum porrexerat, qui iudicio aſtantium iam primus iudicabatur, manum contrahat; & prior egrediatur alter, ſcilicet Phares, qui nullum exeundi ſignum dederat, ac primas obtineat, & primogenituræ dignitatem poſſideat! Vnde talis euentus? Ex alto Dei conſilio totum factum, vt Zaram, qui animo magnos conceperat auſus, cùm expers futurus eſſet meritorum, expoliaretur dignitate. At Phares, qui nec exeundi, nec audaciæ dederat ſignum, cùm condignus haberetur, vtpote ex cuius genere Chriſtus naſciturus, primum vendicat locum, & honore maiorum nobilitatur. Lyppoman. *Non qui,* inquit, *coccineo filo primogenitus habebatur, ſed qui tardior erat, prior euaſit.* Expende verba, *qui tardior erat.* Huc etiam tendit communis ſententia Patrum. Genadij *in Catena Græca.* Diodori, Rabbani, Iſidori, Ruperti, dum per Zaram intelligunt Iudæos, qui multum de ſe præſumebant, & primum locum vendicabant. Per Phares autem populum Gentilem, qui nouiſſimus erat, & abiectus, ac nihil de ſe confidebat, qui Chriſti gratia illuminatus, meritis, dignitate, ac principatu maximè inſignitus fulget, ac nitet. Carthuſianus: *Imperante,* ait, *Deo id accidit, quòd de Phares Chriſtus fuerat naſciturus. Item ad deſignandum, quòd in Chriſto primi ſunt facti nouiſſimi, & nouiſſimi primi; quia Iudæi, qui erant primi, facti ſunt excæcati; & Gentiles ſunt in Chriſto illuminati.*

Geneſ. 38. *Præſumptio non datur cum meritis, ac dignitate.* Lyppoman. Gennadius. Diodor. Raban. Iſidorus. Rupert. Carthuſ.

74. Ex Dei benignitate eligitur Saul ad clauum regni Iſraël, cùm tamen Deus ei mandaret: *Vade, percute Amalech; & demolire vniuerſa eius, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, paruulum, atque lactantem, bouem, & ouem,* 1. Reg. 15. numero 3. tamen Saul non impleuit mandatum Domini, ſed pepercit Agag, & optimis gregibus armentorum, & multis ſpoliis onuſtus reuertitur in domum ſuam. Statim ex Dei mandato Samuel eum arguit, eique annuntiat, eſſe abiectum à Deo, ne ſit Rex ſuper Iſraël, *ibid. num. 26.* Sed, bone Deus, cur hominem, quem paucis annis elapſis elegiſti ad tantum culmen honoris, ita proiicis à facie tua, & à regno? hoc enim poterit inconſtantiæ notari ab Ethnicis, qui tuam infallibilem ſcientiam non agnoſcunt? Saul aſſumitur ad regnum, dum parum, ac humiliter de ſe ſentiebat. Et ita ipſe dixit Samueli, cùm ſermonem regni indicaret: *Nunquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſraël, & cognatio mea inter omnes familias?* 1. Reg. 9. numero 21. Et ita etiam ei dixit Samuel: *Cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es,* 1. Reg. 15. numero 18. Igitur à regno abiicitur, dum pluſquam ſibi eſt datum, arrogabat, ac contra Dei mandatum, quæ erant Amalech, arripiebat. Firma eſt ſententia, quòd altæ cogitationes contrario ordine verſantur cum meritis, ac dignitate. Quando enim Saul humiliter de ſe iudicabat, ad ſupremum regni faſtigium euehitur. At verò cùm inſolenter in animo ſuo ſuo extollitur, vt rapiat ea, quæ ad ſe non pertinent, à regni culmine cadit, & meritum regnum, ac purpuram perdit. Pulchrè Angelomus ad proximum citatum locum. *Nónne cum paruulus eſſes,* ait. *Ac ſi diceretur; cùm tu te paruulum conſpiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia verò tu te magnum conſpicis, à me paruulus æſtimaris.*

1. Reg. 15. 1. Reg. 9. 1. Reg. 15. *Altæ cogitationes cōtrariantur meritis, & dignitati.* Angelom.



## Qvæstio XI.

### *Quare Dominus mandauerit Regulo, vt vaderet?*

75. Ait Dominus Regulo: *Vade, filius tuus viuit.* Nónne ſufficiebat dicere: Filius tuus viuit? Ad quid iubet, eum ire? Rationem litteralem dixi in expoſitione ex Caietano. Quia Regulus petebat, vt Dominus deſcenderet cum eo, & ſanaret filium ſuum; dum Dominus mandat eum vadere, negat ſe velle ire cum eo, quia non eſt neceſſarium, vt ipſe virtutem Domini ita agnoſcat, vt dixi; nam eius filius viuit, & ſanitati eſt reſtitutus. Alias rationes morales proſequamur.

Caietan.

76. Reſpondet primò Theophylactus: *Vide,* ait, *quid dicat ad illum Dominus: Vade, filius tuus viuit: hoc eſt, ne ſis immobilis ad bonum, ſed vade, & inacceſſibilem motionem oſtende ad bonum, tunc enim filius tuus viuet. Si autem quieueris non ambulans, morietur planè mens tua, eo quòd ad bonum te non promoueris.* Similiter D. Anſelm. D. Ant. Vlyſſipon. Iubet Dominus, eum ire; hoc eſt, ab imperfecta fide ad bonam, & conſummatam fidem; in via enim virtutis nulla meta eſt conſtituenda, ſed ſemper vltrà progrediendum: nam, vt ait D. Thomas, hîc oportet, nos proficiendo ire; quia qui ſtat, exponit ſe periculo, vt vitam gratiæ conſeruare non poſſit. *In via enim Dei non proficere, eſt deficere.* Et ita obedientiam Reguli notat Carthuſianus. *Ibat,* ait, *non ſolùm greſſibus corporis, ſed etiam mentis profectu proficiſcens, videlicet ab imperfecta fide ad perfectam* Vide *lib. 3. cap. 1. n. 66.*

Theophyl. Anſelm. Ant. Vlyſip. *In via virtutis ſemper eſt proficiendum.* Carthuſ.

77. Secundò Rupertus lib. 4. in Ioan. *Vade, filius tuus*

Rupert.

*tuus viuit*; ait ipſe : *Hoc vnum,idemque dictum,& vera prophetia eſt, & imperium vitæ : conſtat verò, quia de minori miraculi huius parte, id eſt, de prophetiæ veritate,ſancti Prophetæ ſecundùm legitimam probationem magni habiti ſunt. Igitur meritò generationi malæ, & adulteræ improperatur : quia ſepulchra Prophetarum honorabant, quos patres illorum occiderant, & Dominum Prophetarum verbis blaſphemis inhonorabant.* In hoc Chriſti dicto, *filius tuus viuit*, verum imperium ineſt, quo vt Dominus ſalutem puero dedit;& vera etiam prophetia eſt, dum patri abſentis filij ſalutem annuntiat. At olim Prophetæ ſolùm verbis oracula dabant, futura prædicebant ; & tamen in populo magno habebantur honore : meritò ergo Iudæus eſt obiurgandus, qui, cùm veneraretur Prophetas ob ea, quæ annutiabant, contemnat Dominum Prophetarum, qui non ſolùm abdita oracula dabat,ſed etiam mira faciebat, quod eſt multo quid maius.

*Arguitur Iudæorum malitia.*

78. Tertiò. Bonus Dominus ſicut miſeretur pater filiorum, ſic ipſe miſeretur noſtri:Dominus priùs Regulum aſperè increpauerat : *Niſi ſigna,& prodigia videritis, non creditis.* Nunc verò ſummè conſolatur, dicens : *Vade, filius tuus viuit.* Tanquam ſi dicat:Poſtulas, vt ego deſcendam tecum; *Vade*,quia me ire iam non neceſſarium,cùm ego filium tuum mea virtute ſanauerim. Ex hoc diſce,ſperare à Deo miſericordiam, etiamſi tibi videatur iratus;ira enim Dei ſemper miſcetur miſericordia.Pſalm.88.num.31. *Si dereliquerint filij eius legem meam*,&c. *Viſitabo in virga iniquitates eorum,& in verberibus peccata eorum. Veruntamen miſericordiam meam non diſpergam ab eo.* Hoc fuſè docet Origenes *hom. 15. in Ezechiel*, & Chryſoſtomus [illegible] *17.in Gen.*

*Ira Dei miſericordia eſt permixta.* — Pſalm.88. — Origen. Chryſoſt.

79. Qua[illegible]r Regulo à Domino : *Vade* ; & ſtatim [illegible] *ibat* ; vt ita hominis obedientia fiat o[illegible]us manifeſta, & patens ; vt inde agnoſceremus rationem, ob quam ille, qui imperfectè crediderat,filij ſanitatem voluit impetrare.Cùm enim eſſet præparatus animo ad obediendum, Dominum attraxit,vt ſuæ petitioni annueret. Obedientia valde efficax ad multa conſequenda. Naaman vt obtineat ſanitatem, quam optabat, ei mandatur : *Vade,lauare ſepties in Iordane,& recipiet ſanitatem caro tua*,4.Reg.5.n.10. Ad quid mandatur ad Iordanem, niſi vt per obedientiam exercitam obtineat id, quod deſiderat? Abulenſis quæſt.9. *Hoc fecit*, ait, *Eliſæus ad probandam obedientiam Naaman.*

*Obedientiā omnia impetrat.* — 4.Reg.5. — Abulenſ.

80. Quintò.Dicitur ei : *Vade*, hoc eſt,vt iam dixi, ab imperfecta fide ad perfectam, & conſummatam.Ne ſtes,ſed ita ait D. Anſelmus, *Ibat proficiens in fide, & moribus.* Et tunc vade currendo viam mandatorum Dei.In huius rei confirmationem eleganter ponderat D. Antonius Vlyſſiponenſis *Domin.21.poſt Trinit.* quod dicitur in textu : *Credidit homo ſermoni,quem dixit ei Ieſus, & ibat* ; ait tunc noſter Vlyſſiponenſis. *Nota, quòd priùs dicitur : Credidit, & poſtea ibat; quia prius eſt, corde credere, & pòſt ire opere.* Vnde Ezechiel.1.num.13. *Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium:ſplendor ignis,& de igne fulgur egrediens. In ſplendore ignis fides, quæ illuminat, deſignatur. De hoc igne fulgur egreditur boni operis : & ſic animalia, id eſt, Sancti, erunt in contemplatione, & reuertentur ad actionem.* Bona opera debent concomitari fidem. De Regulo priùs dicitur,quòd credidit,& poſtea quòd ibat profectu bonorum operum.

Anſelmus. — Ant.Vlyſſip. — Ezech.1.

81. Cùm Philippus, & Eunuchus incederent per viam, Eunuchus edoctus Philippi doctrina, illuminatus eſt à Spiritu ſancto, & ait : *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*, Actor. 8. numero 37. Et ſtatim baptizatus à Philippo; ſubdit Scriptura : *Eunuchus ibat autem per viam ſuam gaudens*, ibidem num. 39. Seu, vt legitur ex Græco, *Pergebat per viam ſuam.* Valde notandum, quòd poſtquam dicitur, quòd credidit, ſtatim dicitur, quòd ibat, ſeu pergebat proficiendo per bona opera, & ſanctas actiones in via Dei ; & hoc cum gaudio, ac lætitia animi. S. Diadochus Epiſcopus Photices lib. de perfectione ſpirituali. cap. 21. *Qui Deum*, ait, *amat, & legitimè credit, idem opera fidei ſanctè perficit ; qui verò tantùm credit, & non amat, idem neque fidem ipſam, quam habet, videtur habere. Leui enim mente credit, in quo pondus gloriæ charitatis non operatur.*

Actor.8. — Græcus. *Qui verè credit per opera proficit.* — Diadoch.

82. Cùm Cornelius Centurio eſſet illuſtrátus à Deo,dicitur ei ab Angelo, *Mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere*, Actor.10. num. 5. Mihi verò graue eſt dubium, cur dicitur Cornelio, vt ad ſe aduocet Petrum? Cur ipſe non tendit in Ioppen, & eum quærit? Hoc enim magis videtur conueniens naturæ charitatis,ac debitæ vrbanitatis. Cornelius iam erat illuminatus à Spiritu ſancto ; ad domum ſuam inuitat, ac trahit Petrum, vt ſimul cum ipſo plures baptizentur, & omnia ſua Petro offerat ad eleemoſynas, ac obligatus tantis beneficiis ibi tandem templum, & Eccleſiam Deo dedicet, vt teſtatur D. Hieronymus *Epiſtol. ad Paulam.* Ipſa fides viri debuit exire in opera charitatis ad proximos, & in actus religionis, ac deuotionis in Deum. Eleganter Photinus Presbyter lib. 1. de domo Dei : *Fides*,ait,*non eſt otioſa,neque ſolitaria, indiuidua comes ei iungitur bonæ operationis inſtantia : nam cùm per fidem quis cognita incipit amare, conſequenter exercet operando, quod amat.* Fides enim non eſt ſolitaria, ſed multis bonis operibus comitata incedit. Cuius rei rationem pulchrè aſſignat D.Leo ſerm.5.de Collectis eleemoſynis. *Sicut*,ait,*in fide eſt operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo.*

Actor.10. — *Fides non eſt otioſa,nec ſolitaria ſine operibus.* — Hieron. — Photinus. — Leo.

## Qvæstio XII.

### *Quare Chriſtus non dicit Regulo : Do ſanitatem filio tuo; ſed ait:* Filius tuus viuit?

83. CVm iam filius Reguli eſſet deſperata vita,& proximus morti, ait Dominus parenti pro filio deprecanti : *Filius tuus viuit* ; non tamen in verbis patenter exprimit,eum eſſe ſanum,& à quo beneficium acceperit. Quæ duo hîc breuiter ſunt reſoluenda.

84. Ad primum reſpondet Caietanus. *Minus dicit, quàm ſignificat ; nam dicit, viuit : & ſignificat, ſanus eſt.* Hæc eſt Dei benignitas, quæ plus dat donis, quàm profert verbis. Plus denotat, ſanum eſſe, quàm viuere. Qui in extremo periculo

Caietan.



verſatur,dicitur viuere ; qui ab illo liber eſt, ſanus nuncupatur.Et tamen Dominus non ait, filius tuus ſanus eſt,ſed *viuit.* Ægroto maius beneficium erat collatum, quàm quod verbis ſignificaretur.Secundò Hugo ad verſum 51. ait : *Quòd dicitur filius eius viuere,& non ſanatus eſt, cùm hoc verum eſſet,ſed quia viueret ; magnitudo enim morbi innuitur per hoc,quòd quaſi de morte eſſet reſuſcitatus.* Tertiò. Quia dum dicitur, filius tuus viuit; denotatur,viuere integra,& perfecta ſanitate, dona enim Dei ſunt abſoluta,& conſummata. Vide ſuprà *cap.5.n.15.*

*Deus plus dat donis, quàm dicit verbis.* — Hugo. — *Dona Dei perfecta.*

85. Ad ſecundum reſpondet Heraclion, vt refert Origenes hîc. *Interpretatus eſt, dicta fuiſſe à Saluatore propter modeſtiam, quoniam non dixit : Volo; neque oſtenderit,ſe ipſum præſtitiſſe illi vitam.* Non ait Dominus:Ego do vitam,& ſanitatem filio tuo; ſed ob modeſtiam per tertiam perſonam loquitur, *Viuit filius tuus*, vt nobis præbeat documentum gloriolam,ac iactantiam euitare. Quod ponderauit D. Bernardus ſerm. 2. de Epiphania.*Chriſtus*, ait,*ſe ipſum abſcondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt gloria Patris? Vtique timebat, ſed non ſibi,nobis timebat ab illa,quibus nouerat eſſe timendum ; nobis cauebat,nos inſtruebat.*

Heraclion. — *Non Chriſtus ob modeſtiam occultabat potentiam ſuam.* — Bernard.

86. Poſt Reſurrectionem apparens Chriſtus ſuis diſcipulis, ait : *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis ; & quorum retinueritis,retenta ſunt*,Ioan.20.num.22.Nullum donum maius potuit dari diſcipulis à Chriſto, quàm Spiritus ſanctus,ac poteſtas ad remittenda peccata. Cur ergo non exprimitur, à quo tantum donum accipiatur? Cur non ait : Ego do vobis Spiritum ſanctum? Albertus Magnus. *Modeſtiæ cauſa non dixit, quòd ab ipſo Spiritus ſanctus eis detur ; ſed tantùm ait : Accipite Spiritum ſanctum.* Et tamen Paulus Actor. 20. num. 24. *Miniſterium verbi quòd accepi à Domino Ieſu.* Et Dauid ait, *Pſalm.23.num.5.* de viro iuſto : *Hic accipiet benedictionem à Domino.* Hi vt maximè grati recognoſcentes beneficium fatentur, à Domino accepiſſe, vt inde in gratiarum actionem prorumpant. Ieſus autem,vt valde modeſtus, non diuulgat expreſſis verbis, quòd ab ipſo accipiatur, ſed bonis ſuis cœleſtibus nos ditat,& exornat.

*Gratus beneficium recognoſcit, quãuis Chriſtus non dicat,eſſe ſuum.* — Albert.Mag. — Actor.20. — Pſalm.23.

77. Ait Chriſtus Dominus,Mat.5.n.34.*Ego dico vobis:non iurare omnino,neque per cælum,quia thronus Dei eſt ; neque per Ieroſolymam,quia ciuitas eſt magni Regis.* Ieroſolyma ciuitas erat magni Regis Chriſti Ieſu, & eius triumphis dedicata; cur ergo non ait:Nolite iurare per Ieroſolymam, quæ ciuitas mea? Frequenter principes ciuitates ſuas appellant : ſic appellata eſt Sion ciuitas Dauid, 2. *Paralip.11.n.5.& 7.* Meus Ieſus ſemper in omnibus fugit id, quod ſonare poteſt iactantiam, & modeſtiam verborum amplectitur.Et ideo apertè non dicit ciuitatem ſuam, ſed verborum circulo præ humilitate maieſtatem ſuam occultat. Sedulius lib.1.Paſchali cap.11.*Neque*,ait, *per Ieroſolymam,quia ciuitas Regis magni eſt.Tanquam ſi diceret, mea ; qui apertiùs diſſimulauit exprimere humilitate ſermonis.*Vide ſuprà *cap. 3. numero 259. & 260.*

Matth.5. — *Chriſtus præ modeſtia, quæ ſua ſunt magnitudinis nõ dicit.* — Sedulius.



## Qvæstio XIII.

### *Quare Naaman iraſcitur ad mandatum Eliſæi ; Regulus verò promptè, ac modeſtè obedit dictis Chriſti?*

88. CELEBRIS eſt hiſtoria, quòd Naaman è Syria patria ſua profectus venerit in terram Iſraël, vt de lepra ſanaretur ab Eliſæo ; qui cùm appropinquaſſet ad domum eius, miſit ei Propheta:*Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua.* Quod cùm Syrus audiſſet,iratus recedebat,dicens:*Putabam,quòd egrederetur ad me,& ſtans inuocaret nomen Dei ſui,& tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me*, 4.Reg.5.n.11. Iſte Regulus acceſſit ad Chriſtum deprecans, vt deſcenderet in domum ſuam,intendens,quòd Dominus appropinquaſſet ægroto, & eum manu ſua tangeret,& ita ſanaretur. Ei tamen dicitur à Domino:*Vade,filius tuus viuit.* Compone vtrunque dictum,*Vade*,tam Naaman,quàm Regulo. Quare ergo Syrius excandeſcit in Prophetam,dum ei dicitur : *Vade*;ex eo,quòd aliter accidit,ac ipſe exiſtimabat ; nam ſibi perſuaſerat,quòd Eliſæus exiret ad eum, & manu propria tangeret carnem ſuam:at Regulus,quanuis etiam aliter eueniret,ac ipſe cogitabat,& Dominus cum eo non deſcenderit, nec appropinquaret ægroto, nec imponeret manum ſuam ſuper eum,& ei dicatur,*Vade* ; nullam iram concipit,ſed cum modeſtia, ac obediendo lætus abibat?

4.Reg.5. — *Ratio difficultatis.*

89. Reſpondeo primò ex his, quæ docent Lyranus,Carthuſianus, Caiet. *ad lo[illegible]tatum Regum.* Quòd Naaman iratus e[illegible]d per modum miſſum à Propheta, v[illegible] ſepties in Iordane,ſe curari non ſperabat, cùm fluuij Syriæ eſſent ita boni, vel meliores, quàm Iordanis; nec tamen ad illam ſanitatem efficiendam habebant aliquam virtutem. At Regulus *credidit ſermoni, quem dixit illi Ieſus* ; & certiſſimè ſibi perſuaſit, filium ſuum habere vitam ; & ideo lætus,ac obediens ibat. Quia facile homo obedientiam, ac fidem præſtat ei, à quo credit, ſe bonum accipere; ſicut ſæpe grauiter iraſcitur in eum, à quo id quod deſiderat, non impetrat.

Lyranus. — Carthuſ. — Caietan. — *Homo facile obedit ei à quo bonum accipit.*

90. Secundò Carthuſianus, *Iraſcebatur Naaman*, ait, *quia commiſſio, ſeu iuſſio illa Eliſæi videbatur ſibi omnino irrationalis eſſe. Reſpexit enim ad naturalem vim aquæ,non ad omnipotentiam Dei, quæ nondum ſibi innotuit.* Syrius conſiderabat naturalem vim aquarum, & ideo dicebat, quòd præſtantiores erant aquæ fluuiorum patriæ ſuæ. At Regulus, vt pote iam diuina fide illuſtratus, *credidit ſermoni, quem dixit illi Ieſus* ; & totum illud negotium prouenire à Dei omnipotentia, certò exiſtimabat. Qui mira Dei opera,ac eius magnalia appendit per vim naturalem,facile labitur:qui verò ea conſiderat ſecundùm infinitam Dei omnipotentiam,ac virtutem,facile recognoſcit,firmiter credit,ac ſubmiſsè veneratur.

Carthuſ. — *Qui ſupernaturalia per rationem naturalem appendit, errat: qui per Dei potentiam, veneratur.*

91. Tertiò Abulenſis ad citatum *cap. 5. Reg.q.10.* ait : *Iratus fuit Naaman, quia Eliſæus non dignatus fuerat exire ad eum:nam dato, quòd non poſſet eum ſanare, ſaltem debebat exire ad loquendum ei.* Syrius ille, cùm ſibi perſuaderet, vt latiùs explicat ipſe Abulenſis *citatus*, quòd non obtinebat

Abulenſ.

S 3 ſanita

*Homo ad nihil aliud attendit, quàm ad id, quod optat.*

ſanitatem ab Eliſæo, volebat ſaltem, quòd ſeruata vrbanitatis lege ad eum exiret, & cum eo loqueretur. Et ideo, quia Propheta non fecit, iratus eſt. At Regulus, cùm impetraſſet filio ſanitatem, nil amplius de ſua petitione cogitauit. Quanuis enim homo ſit valde ſolicitus de reuerentia ſibi debita, tamen ſi deſiderata conſequitur, facilè ea, quæ vrbanitatis ſunt, contemnit.

92. Quartò. Naaman ab Eliſæo promittebatur ſanitas: *Vade, lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua*; filio verò Reguli actualiter ſanitas conferebatur, *filius tuus viuit*. Naaman promittebatur ſanitas iniuncto opere, nempe lotione ſeptima in Iordane; at filio Reguli concedebatur vita abſque annexione alicuius operis exhibiti. Et multo efficaciùs mouet, ac attrahit animum donum grauitò conceſſum, quàm illud, quod iniuncto opere pollicetur. Et cùm hæc nota ſint, promiſſionibus Eliſæi non quieſcebat Naaman; at beneficio obtento à Chriſto maximè exultat, & lætatur Regulus. Hæc moraliter ſunt dicta.

*Valde gratum donū datum nullo opere iniūcto.*

93. Quintò. Ratio germana, & litteralis. Verbum Chriſti, cùm eſſet Dei verbum, valde efficax erat ad penetrandum, ac mouendum cor hominis; & ideo eo audito dicitur, *Credidit homo ſermoni, quem dixerat Ieſus*. Fide percepta lætus, ac firmus ibat homo. At verbum Eliſæi, cùm eſſet verbum hominis, non erat tam præpotens ad mouendum humanum cor; & ideo eo audito mens Naaman non erat illuminata, ſed totus dubitans homo inhærebat. Multo efficacius verbum Dei, quàm verbum hominis attrahit, ac excitat.

*Verbum Dei multo efficacius, quàm verbum hominis.*

94. Dicit Philippus Nathanaëli: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth*. Quod audiens Nathanaël dixit: [illegible] *Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Et cùm a[illegible]t, & loqueretur cum Chriſto, ait: *Rabbi, [illegible] Dei, tu es Rex Iſraël*, Ioan. 1. n. 49. Quare dum Nathanaël audit Philippum, dubitat; at dum accedit ad Chriſtum, firmiter credit? Immo, vt rectè ponderat Toletus, *Mira profectò confeſſio! Plura, & maiora prædicat, quàm à Philippo audierat. Philippus filium Ioſeph; at hic filium Dei: Philippus à Nazareth; at hic Regem Iſraël confitetur.* Cor noſtrum aliter mouet verbum Dei, aliter verbum hominis. Dictis Philippi non plenè acquieſcit, nec omnem dubitationem excludit Nathanaël, at vbi acceſſit ad Chriſtum, & eum audit, plura firmiter cred[illegible], & profitetur, quàm ſibi fuerant dicta: quis enim poterit dubitare, quòd ea, quæ ſunt Dei, habeant multo maiorem efficaciam, quàm ea, quæ ſunt hominis.

Ioan. 1.

Tolet.

95. Dante Deo legem Moyſi in monte Sinai, vox eius ſonabat per quadraginta dies; & narrans hanc hiſtoriam textus ait tandem Exod. 31. n. 18. *Deditque Dominus Moyſi, completis huiuſmodi ſermonibus in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas ſcriptas digito Dei.* Et immediatè ſequitur cap. 32. numero 1. *Videns autem populus, quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduersùs Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos.* Nota diligenter, quòd dum vox Dei reſonabat, & lex tradebatur, populus non ſurrexit aduersùs Aaron Deos petens, ſed poſtquam ſermo Dei finitus fuit, tunc conueniunt ad Aaron, & pro idolo inſtant. Qui cum magna parte filiorum Leui intendebat diuertere populum ab iniquo ſtudio, ac peruerſa auiditate; quia ideo ab eis petiit ornamenta aurea, an fortè illorum amore retardaretur populus; vt ita veriſimiliter colligitur ex textu cum Hugone, & Abulenſi *q. 33. & de filiis Leui, q. 35.* Sed quare vox Dei de longè ſonans per tot dies valet refrænare iniquam populi cupiditatem, ne idolum peterent; & tamen vbi primum ipſa vox Dei finiuit, nec Aaron, nec filij Leui furentem populi impetum cohibere poſſunt? Multò ſanè potentior ſpiritus Dei, quàm ſpiritus hominis. Si vox Dei ſonat, nullum malum prodire, ac pullulare audet; at ſi ipſum diuinum eloquium conticeat, millia vitiorum genera irrepunt, ac inuadunt cor hominis. D. Ambroſ. epiſt. 56. *Cùm Moyſes*, ait, *in monte Sinai acciperet legem, populus erat cùm Aaron Sacerdote; & quanuis frequenter ad culpam lubricus; tamen quandiu lex dabatur, ſacrilegio erraſſe, non proditur. Verùm vbi diuinum conticuit oraculum, peccatum irrepſit, vt peterent ſibi fieri Deos.* Vide infrà *quæſt. 17. numero 125.*

Exod. 31.

Exod. 32.

Hugo. Abulenſ.

*Vox Dei valde efficax ad diſſipandum omne malum: quod hominis induſtria diuertere non valet.*

*Ioannis 4. n. 51.* Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrunt ei, & nuntiauerunt, dicentes: Quia filius eius viueret.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Cùm autem deſcenderet, obuiam facti ſunt ei ſerui ipſius.

*Vatabl. Arias.* Et renuntiauerunt dicentes: Puer tuus viuit.

## *EXPOSITIO.*

96. IAM *autem eo deſcendente*, ſcilicet è Cana in Capharnaum domum ſuam. Et dicitur deſcendente eo; quia ita regio ſita erat, vt aduertit Simon Caſſianus, & iam ſæpiùs dictum eſt, *Serui occurrunt ei.* Syriacus legit cum additamento, *Serui ipſius.* Erat homo celebris magna familia, ac multis famulis, quorum aliqui eum ſunt comitati; alij verò domi remanſerunt. *Occurrunt ei*, lætum ferentes nuntium de ſanitate filij, & ne vlteriùs eſſet ſolicitus de quærendo remedio, infirmo. *Filius eius viueret.* Vtuntur eodem verbo, quo locutus fuerat Chriſtus, per quod ſignificant, puerum eſſe ſanum. D. Antonius Vlyſſiponenſis *ſerm. 21. poſt Trinit.* moraliter. Deſcendente homine à monte ſuperbiæ in vallem humilitatis, occurrunt ei ſerui, ſcilicet quinque ſenſus, & dicunt ei, quòd anima eius viuat; ſeu, vt explicat D. Thomas, quòd filius Reguli, ſcilicet filius rationis, viuit.

Caſſian.

Syriac.

Ant. Vlyſip

D. Thom.

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare ſerui occurrunt domino ſuo Regulo in itinere?*

97. VBI primùm puer, Chriſti virtute, ſanatus eſt, aliqui boni ſerui profecti ſunt ad parentem, ſcilicet Regulum, ferentes feliciſſimum



nuntium de ſalute filij; & ideo in itinere ſunt illi obuiam. Sed quare ita proficiſcuntur, rationem inquirimus.

98. Caſſian. Reſpondet primò Simon Caſſianus *lib. 5. cap. 18.* Occurrunt ſerui, quia filius eius viueret. *Serui ſoliciti circa filij languorem, patriſque dolorem, nuntiant filij conualeſcentiam, vt patris triſtitia mitigetur. Optima ſeruorum conditio, cùm dominorum ſatagunt remouere dolorem.* Similiter Carthuſianus. Obuiam ſe dant famuli domino ſuo, lætum ferentes nuntium, vt eius triſtitiam audita filij ſanitate delinirent. Victoria adepta, deuicto Abſalon, cucurrit Achimaas, vt aduerſarium exercitum debellatum indicaret Dauidi domino ſuo Regi, cuius cor anxiebatur de aduentu belli, 2. *Reg.* 18. *num.* 23.

*Bonus ſeruus ſolicitus, vt à domino ſuo remoueat dolorem.*

Carthuſ.

99. Cyrill. Alex. Secundò D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 120. *Serui autem*, ait, *occurrerunt, velocitatem, & vim verborum Chriſti annuntiantes, Domino ſic diſponente, vt ab euentu rerum Reguli fides confirmaretur.* Magna Dei clementia, & bonitas, vt accedentes ad ſe omni adminiculo foueat, eiſque opituletur, vt ad maiora promoueantur. Acceſſerat Regulus ad Chriſtum, & adhuc integrè non credebat, occurrunt ſerui valetudinem filij annuntiantes, vt eius fides perficiatur, & firmiter credat, & agnoſcat virtutem, & potentiam Chriſti.

*Qui accedūt ad Chriſtum, ab ipſo promouentur ad bonum.*

100. Hugo. Tertiò Hugo. *Videbant ſerui, puerum ſubitò conualuiſſe, & ſciebant, patrem ob hoc ad Ieſum iuiſſe: arguebant, ex virtute Chriſti ſanatum eſſe, eo quòd naturalis ſanitas non fiat ſubitò; & præcipuè in eo, qui laborat in extremis.* Chryſoſtomus etiam fauet homil. 34. *Non enim per ſucceſſionem, & diuturnitatem conualetudinis, vt aſſolet, liberatus eſt, ſed repentè; ne naturalis valetudo, ſed Chriſti operatio videretur.* Similiter Theophylactus. Cùm ſerui viderent puerum ſubitò conualuiſſe, non naturali vi, ſed Chriſti virtute factum, intellexerunt. Ideo pergunt ad patrem, vt ei gratularentur, quòd ad Chriſtum acceſſerat, & iuerat, vt eius filius viueret.

Chryſoſt.

Theophyl.

*Serui agnoſcunt, pueri ſanitatem ex virtute Chriſti proueniſſe.*

101. Quartò. Quare, dum puer ſubitò ſanatus eſt, ſtatim abſque dilatione ſerui tendunt ad patrem, eius filij vitam annuntiantes? Cur non timent id, quod ſæpe in grauiſſimis morbis contigit? nam aliquando videtur, per aliquam breuem moram ægrotum vires recuperaſſe, à morbo euaſiſſe, qui iterum infirmum maiori impetu aggrediens ipſum ſuffocat. Cur ergo per aliquod tempus non morantur, vt exitu rei valetudo comprobetur? Intellexerunt famuli, vt dixi ex Hugone, Chryſoſtomo, Theophylacto, ſanitatem pueri proueniſſe ex virtute Chriſti, & ideo eam eſſe fixam, & permanentem, vt certiſſimum crediderunt. Non enim illa valetudo proueniebat ex induſtria hominis puri, cuius ſanitas multis dilationibus implicatur, & citò mutatur, ac euaneſcit, ſed deſcendebat è manu Dei, cuius dona veniunt ſine cunctatione, & moleſtia, & diu conſiſtunt, ac permanent.

*Donum, quod eſt à Deo, eſt permanens, nec habet dilationes, vt bona mundi.*

102. Chryſoſt. Quintò. D. Chryſoſtomus homil. 34. *Quæ res nam*, ait, *ſeruos excitauit. Serui autem fortaſſis, non vt nuntiaturi tantùm, ſed vt ſuperfluum Chriſti aduentum, obuiam ierant.* Similiter docent Origenes, D. Thomas, Carthuſianus, & alij. Cùm ſerui agnoſcerent, quòd Regulus ad Chriſtum perrexerat, vt ſecum deſcenderet in domum ſuam, vt filius ſanaretur, qui iam ex affluentia Chriſti ſanitatem receperat, ideo ſerui celerato curſu tendunt ad dominum ſuum, ne Chriſtus abſque neceſſitate itineraret; ſuperflua enim maximè euitanda.

Origen. S. Thom. Carthuſ.

*Superflua euitanda.*

Multus eſt Canonicus Scriptor in prima orbis creatione narranda; & inter cætera ponderat, quòd quando Deus creauit flores, arbores, & plantas, Geneſ. 2. n. 6. *Non dum pluerat ſuper terram.* Sed quare, vt terra abundantiori aluo germinaret ligna pomifera, cæleſti imbre non fœcundatur, ac irrigatur? Pondera diligenter, quòd florum ornamenta, ac arbores producta ſunt à terra tertio die, poſtquam ab ipſa diuiſæ ſunt aquæ, quibus antea operiebatur. Præclarè ergo optimus gubernator, vt inter mundi incunabula nos doceret ſuperflua effugere, non diſpoſuit, vt pluuia è cælo deſcenderet, cùm aquaria humiditas ad virgutula producenda adhuc vigeret in terra. Catena Græca: *Præterea*, ait, *terra ſine hominis cultura, ſine imbriferis nubibus germinauit ad opificis voluntatem, vt quæ à recenti aquarum ſeparatione ſatis adhuc humoris, & vliginis in ſe contineret.* Vide *lib. 3. cap. 3. n. 70.* 103.

Geneſ. 2.

*Deus ſuo exemplo nos docet, ſuperflua fugere.*

Catena Græca.

*Ioannis 4. n. 52.* Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et ſciſcitatus eſt ab eis, quónam tempore ſanitati re[illegible]us fuiſſet.

*Theophylactus.* In qua vegetiùs ſe habuiſſet.

*Multi ex Græco.* Leuiùs ſe habuiſſet.

## *EXPOSITIO.*

CONVENIVNT ſerui ad dominum ſuum cum nuntiis de ſalute filij. *Interrogabat ergo horam ab eis.* Illa particula, *ergo*, conſequentiam denotat ex his, quæ Regulus accepit. Interrogabat horam, ſcilicet momentum, ac articulum horæ, vt ex collatione temporis cognoſceret, non caſu, nec mutatione naturali, ſed virtute Chriſti ſalutem puero eueniſſe. Et ideo quærit, in qua hora ſe meliùs habuiſſet filius, an eſſet eodem tempore, quo Chriſtus dixerat: Vade, filius tuus viuit. *Et dixerunt ei: heri hora ſeptima.* Hora ſeptima eſt prima hora poſt meridiem; ſiquidem Iudæi in duodecim horas diuidebant diem, & in totidem æquales noctem. Et ex hoc conſtat, vt notat Euthymius, quòd Cana Galilææ diſtabat à Capharnaum iter vnius diei. Nam poſt finitum colloquium Chriſti hora prima poſt meridiem diſceſſit Regulus è Cana, & pernoctauit in aliquo loco in itinere. Et ſimiliter accidit ſeruis diſcedentibus è Capharnaum. Et ita ferè in medio itineris ſeſe obuiauerunt. *Reliquit eum febris.* Ecce, vt ait Caietanus, exprimitur genus ægritudinis, quæ erat vehemens, ac mortifera febris. 104.

*Iudæi in duodecim horas diuidebant dies.*

Euthym.

## Qvæstio XV.

### *Quare Regulus interroget de hora, qua filius reſtitutus eſt ſanitati?*

105. Ammon. *An ex defectu fidei Regulus interrogauerit?* GRaves ſunt authores, vt Ammonius, & alij, vt dixi in expoſitione, qui dicunt, quòd Regulus ſciſcitatur de hora ſanitatis pueri, non ex defectu fidei, ſed vt magis fidem ſuam confirmet. Nam ad confirmanda ea, quæ credimus, rationes etiam adducimus, vt notant hîc Beaulxames, Maldonatus, & alij. Tamen quòd nondum Regulus perfectè, ac conſummatè crediderat, dixi *ibi* ex D. Chryſoſtomo, Auguſtino, S. Thoma, & aliis. Et ideo ſciſcitatur hîc de hora, in qua puer recuperauerat ſanitatem, vt cognoſcat, an caſu, vel virtute Chriſti eam obtinuerit. Et hæc eſt ratio germana, & litteralis. Ad alias morales accedamus.

Beaulxam. Maldonat. Chryſoſt. Auguſt. D. Thom.

106. Carthuſ. Secundò Carthuſianus poſt ſuperiorem rationem datam, aliam etiam aſſignat. *Idcirco*, ait, *fortè horam quæſiuit vt & alios, præſertim domeſticos ſuos, ſolidaret in fide.* Bene nouerat Regulus horam, in qua puer ſanatus erat, nempe illa, in qua Ieſus ei dixit: *Vade filius tuus viuit.* Tamen quærit temporis articulum à ſeruis ſuis, vt inde ſumat occaſionem, ac motiuum eos docendi, ac inſtruendi in virtute, potentia, ac excellentia Chriſti Domini. Perfecta charitas aſtutè diſſimulat neſcire, vt alij doceantur.

*Perfecta charitas ſe neſcire diſſimulat, vt alij doceantur.*

107. Tertiò. Dixerat Dominus Regulo: *Vade, filius tuus viuit.* Anceps erat Regulus, an Dominus prædixiſſet ſanitatem pueri, an effeciſſet, vt notat Franciſcus Lucas. Deinde, an ſalus veniſſet virtute Chriſti, vel caſu. Sciſcitatur ergo horam ſanitatis, ad amorem tanti beneficij deprehendendum, ac cognoſcendum, vt illi ſe maximè aſtrictum fateatur. Gratus animus totis viribus, ac affectu intendit, recognoſcere eum, à quo beneficium accepit, vt ſe illi deuictum proteſtetur; & vt nunquam eius memoria ex animo excidat. Ingratus verò nil maiori conatu appetit, quàm dona obnubilare, manum multa largientem non recipere, vt nulli obligatum ſe profiteatur. Vide *lib. 3. cap. 2. num. 13.*

Franc. Lucas. *Animus gratus authorem beneficiorum recognoſcere cupit.*

108. Quartò. Accepit pater gratiſſima, ac valdè optata nuntia de filij ſalute, & tamen in feſtiuitatis, ac iucunditatis ſigna non prorumpit, vt ſæpe contingit; nec pro felici nuntio munera largitur, vt in ſimilibus fieri ſolet, ſed totus intentus eſt in dignoſcenda hora, qua ſe meliùs habuerit. Vita pueri, quanuis parenti optatiſſima, quid temporale erat: at quòd ipſe cognoſceret horam, in qua integras vires filius recuperauerat, multum conducebat ad perfectam ſuæ fidei conſummationem, vtque ſerui eius, Chriſti potentiam, ac virtutem agnoſcentes, inter fideles, ac credentes numerarentur. Cùm ergo homo diſcederet, ex Chriſti colloquio iam habebat odorem, vt pro diuinis humana contemneret, & caduca. Et ideo iam non tantùm ferebatur in ſtudium temporalis vitæ dilectiſſimi filij, quantum ad ea, quæ conducebant ad fidem, ac ſpiritualem vitam animæ tam ſuæ, quàm aliorum.

*Pro æternis donis temporalia contemnenda.*

109. Iob 1. Multis Iob vexabatur calamitatibus; dicebat tamen: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum*, Iob 1. num. 21. Ex aſtutia verò Diaboli mulier ſibi adhærens eum inſtigabat, vt Dominum malediceret; ad quàm Iob ſic fatur: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala autem quare non ſuſcipiamus*, Iob 2. num. 10. Valde mirandum ſanè, quòd tam rigidè, ac ſeuerè Iob in ſuam inuehatur vxorem? cur eius amicabili non tangitur affectu? Nónne Adamus, vt vxori blandiret, prolapſus eſt? Iob ergo, ſi dictis vxoris non acquieſcit, cur ſaltem amicabiliter cum ea non agit, ſed ſeuerè ſtultam appellat? Ait Iob? *Si bona ſuſcepimus de manu Dei.* Cùm patientiſſimus Patriarcha mentem attolleret ad Deum, ac oculos ad diuinam defigeret bonitatem, ſtatim terrena omnia, etiam ſibi dilectiſſima paruipendet, ac contemnit. Ex cuius inconſideratione Adamus ſerpentis eſt laqueis deprehenſus. Origenes lib. 2. in Iob: *Sic*, ait, *Iob ipſe reſpexit eam, qui ante ad Deum reſpiciebat, qui primum Dominum contemplabatur, qui dudum ad æternam incorruptionem ſynceriter intendebat. Ipſe ergo, ſcilicet Adamus, reſpexit ad vxorem, ad inſidias, ad muſcipulam, ad ſubuerſionem, ad ruinam.*

Iob. 2. *Qui ad Deũ reſpicit, omnia temporalia contemnit.* Origen.

110. *Quæ habitas in hortis: amici auſcultant: fac me audire vocem tuam. Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ſeruorum ſuper montes aromatum*, Cantic. 8. num. 13. & 14. Septuaginta legunt: *Qui habitas in hortis.* Et ita ait Philo Carpathius: *Qui habitas in hortis, amici ſunt attendentes.* Et iuxta hanc lectionem, hæc ſunt verba ſponſæ ad Chriſtum Dominum in hortis commorantem, à quo æterna beatitudine vocem eius audire ſponſa petit, Quæ voti compos facta, vt notant Ludouicus de Soto Mayor, Ghiſlerius *ibi expoſit.* 2. ſtatim exclamat: *Fuge, dilecte mi, ſuper montes aromatum.* Valde ſcitu dignum, quòd cùm ſponſus detineatur inter pomaria iucundiſſima, multa arborum diſtinctione conſita, magnáque florum varietate depicta; anima ſancta expoſcit; vt ſponſus ſuus dilectiſſimus abeat, & fugiat ſuper montes; quare? Per hortos terrenæ dulcedines ſignificabantur; per montes verò cæli, ac æternæ felicitates, vt tradunt D. Ambroſius *lib. de bono mortis cap.* 5. Caſſiodorus, Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, Aponius, Beda, Anſelmus, D. Bernardus *ſerm. 9. in Pſalm. Qui habitat.* Vbi primum ergo Anima ſancta ſui ſponſi fruitur voce, de æterna beatitudine loquente, iam non patitur, dilectum ſuum in terrenis hortis commorari, ſed ipſos faſtidiens, ac contemnens, vehementer auida appetit, vt ſuus dilectus ad cæleſtia tendat, vtque ipſa ſimul cum eo feratur ad ea. Et montes aromatum vocat, quia, cùm iam cæleſtium odore tenetur, ei omnia vileſcebant terrena. Honorius Auguſtodienſis in Cantica: *Fuge, dilecte mi*, ait, *quòd eſt dicere: Recede de loco iſto, & reuertere ad Libanum, qui eſt mons aromatum, vbi eſt regale palatium, in quod me duc tecum. Et ſicut hinnulus velociter currit de æſtu in vmbram, ita velociter perduc me in regiam aulam. Orat, vt eam aliquando de valle lachrymarum ducat in montem cælorum, in cæleſte palatium, vbi ab hoſtibus ſegregata, cum amicis ſuis exultet in perenni gloria.*

Cantic. 8. Septuaginta. Carpathius. Soto Mayor. Ghiſlerius. Ambroſ. Caſſiodor. Carpathius. Orgelitan. Aponius. Beda. Anſelm. Bernard. Auguſtod.

Qvæstio



## Qvæstio XVI.

### *Quare hora ſeptima ſanetur puer?*

111. *Ratio litteralis.* RAtio litteralis patet ex textu verſu ſequenti: *Cognouit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit.* Hora ſeptima erat, quando Regulo dixit Ieſus: *Filius tuus viuit*; & ideo in illa hora ſanatus eſt. Sed quia omnia alto Dei conſilio fiunt, ideo iterum redit quæſtio, quare diuina Sapientia diſpoſuit, quòd huiuſmodi ſanitas hora ſeptima contingeret? quod myſtica expoſitione eſt explicandum.

112. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Hugo. Reſpondent primò, Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, & alij, quòd per horam ſeptimam, in qua puer à febre dimittitur, ſignificantur ſeptem dona Spiritus ſancti, per quæ fit in nobis omnis ſalus, ac remiſſio peccatorum. *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata*, Ioan. 20. numero 22. Per Spiritum ſanctum etiam, ait D. Thomas, cauſatur ſpiritualis vita in anima. Ioan. 6. numero 64. *Spiritus eſt, qui viuificat.* Secundò ait D. Thomas. Per horam ſeptimam ſignatur tempus quieti conueniens: nam Dominus ſeptimo die requieuit ab vniuerſo opere, quod patrarat. In quo ſignificatur, quòd vita ſpiritualis hominis in quiete ſpirituali conſiſtit. Iſai. 30. num. 15. *Hæc dixit Dominus Deus, ſi quieſcatis, ſalui eritis.* Maximè enim conducit ad ſalutem, quieſcere à negotiis, ac perturbatione mundana, qua maximè æſtuat, ac agitatur iniquus. Iſai, 57. numero 20. *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.* Vel dic, quòd in die, in qua Deus requieſcit, vacat etiam homo à labore febris, ac preſſuræ; quia ſiue Deus operetur, ſiue quieſcat, totum eſt commodum noſtrum.

*Per Spiritum ſanctum omnis noſtra ſalus, & vita.* Ioan. 20. Ioan. 6. D. Thom. Iſai. 30. *Quies valde conueniens ad ſalutem* Iſai. 57. *Omnis Dei operatio in noſtrum commodum.*

113. Ammonius. Tertiò Ammonius in Catena Græca: *Primum quidem credebat*, ait, *ſed poſtea re ipſa factum comperit, quod futurum crediderat. Plurimum nanque fides valet, cùm effectorem, ac conſummatorem ſui habeat Deum.* Eadem hora ſeptima, qua credidit, fructum ſuæ fidei eſt conſecutus. Vna, die credidit, & altera agnouit puerum ſanum. Qui enim accedit ad Deum, ac credit, ſtatim ſuæ fidei fructu gaudet, & exultat.

*Vbi homo ad Deum accedit, ſtatim fructu ſuæ fidei gaudet.*

114. Albert. Mag. Quartò. Albertus Magnus. *Hora ſeptima*, ait, *febris eum reliquit, eadem ſcilicet hora, qua febris genus humanum apprehendit, hoc enim factum eſt poſt meridiem*, Geneſ. 3. num. 8. Valde proportionatè confert Deus remedium ad infirmitatem. Et quia genus humanum lethali febre ægrotauit poſt meridiem, Deus vt optimus medicus confert ſanitatem puero in figuram totius generis hamani, eadem hora, qua ægrotauerat.

Geneſ. 3. *Per eandem viã infirmitas, & remedium.*

115. Carthuſ. Ioſuë 11. Cùm audiretur in terra Canaan, quòd aduenifſet Iſraël, congregati ſunt Reges terræ illius, qui, vt refert Carthuſianus, erant viginti quatuor Reges. Ait Deus Ioſuë cap. 11. num. 6. *Ne timeas eos, cras enim hac eadem hora tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu tuo.* Sed cur cras eadem illa hora erant tradendi eius inimici? Ob tantam multitudinem congregatam erat totus Iſraël valde timidus, & magna formidine concutiebatur: illa eadem hora, in qua timor de hoſtibus eos inuaſerat, dat Dominus gaudium de victoria conſecuta, vt in illo diei articulo, in quo in aliquibus poterat irrepere diffidentia, certiſſima ſpe ſolidarentur.

*Vbi timor, ibi gaudium.*

Cùm Samaria propter Aſſyriorum obſidionem fame maxima premeretur, itaut mulieres comederent filios ſuos, quod cùm accepiſſet Rex, furore actus promiſit, ſe Eliſæum interfecturum 4. *Reg. 6. num.* 31. Quod cùm audiſſet ſanctus Dei Propheta, dixit Eliſæus ducibus Regis: *Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ*, 4. Reg. 7. n. 1. Dum Propheta ait: *In tempore hoc cras*, id eſt, in hac eadem hora cras, vt communiter tenent expoſitores. Sed cur tanta abundantia promittitur à Propheta die ſequenti illa eadem hora, & non in alio temporis ſpatio? Vt omnibus nota ſit Dei beneuolentia, quia populus pro tunc maxima fame laborabat, & Rex ita erat febre phreneticus, vt Prophetam vellet occidere, tunc in ipſa eadem hora panditur Dei benignitas dans leuamen, ac medicinam, in omnes ſuam miſericordiam diffundens. Abulenſis: *Oppreſſerat*, ait, *Deus Samaritas fame magna, & finita fuerat in hoc, quòd duæ mulieres comederunt filium vnius: ideo Deus volebat iam auertere iram ſuam, & dare abundantiam; & pronuntiauit hoc Eliſæus: In tempore hoc, ſcilicet, in hora iſta.* 116.

4. Reg. 7. *Vbi neceſſitas vrget, ibi Dei auxilium.* Abulenſ.

*Ioannis 4. n. 53.* Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit; & credidit ipſe, & domus eius tota.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et cognouit pater eius, id contigiſſe ea ipſa hora, qua dixerat ei Ieſchua.

*Vatablus.* Intellexit ergo pater, illam eſſe horam, qua dixiſſet ſibi Ieſus.

## *EXPOSITIO.*

PAter, vt notat Rupertus lib. 4. in Ioan. *diligenti memoria tenebat ex induſtria notatam horam, qua ei dixit Ieſus: Filius tuus viuit.* Et ideo collatione temporis facta ex his, quæ audiuit à ſuis ſeruis; nam illa particula, *ergo*, illationem denotat, intellexit, filium ſuum eſſe reſtitutum ſanitati eo temporis articulo, quo Dominus dixit: *Filius viuit. Et credidit ipſe*, ſcilicet, à Chriſto abſente puerum ſuum fuiſſe ſanatum. Ac credidit, Chriſtum verum eſſe Deum, & Meſſiam. Et qui antea crediderat, vt eſt mihi probabilius, imperfectè, nunc credidit integrè, & conſummatè. Si verò dicas cum Ammonio, quòd ipſe antea perfectè crediderat; tunc dic, quòd hic habuit fidei augmentum, vt hoc loco explicat Maldonatus. Vnde ait Beda in Catena: *Datur intelligi, in fide gradus eſſe, ſicut & in aliis virtutibus, quibus eſt initium,* 117.

Rupert. Ammonius. Maldonat. Beda.

*initium, incrementum, & perfectio. Huius ergo fides initium habuit, cùm filij ſalutem petiit; incrementum, dum credidit ſermoni Domini, dicentis : Filius tuus viuit. Deinde perfectionem obtinuit nuntiantibus ſeruis.*

118. *Paterfamilias ſit ſolicitus de fide ſuorum.* 1.Tim.3.

*Et domus eius tota*; hoc eſt, vxor, filij, famuli, & ancillæ. Bonus paterfamilias, qui totam ſuam domum ad fidem adduxit. Ad quod maximè hortatur Paulus præpoſitos domorum 1. Timoth. 5. num. 8. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Et ita illa mulier Lydia poſtquam ipſa baptizata eſt, totam ſuam familiam baptizari fecit, *Actor.* 16. *num.* 15. Similiter & cuſtos carceris *ibidem numero.* 33. Et Archiſynagogus *Actor.* 18. *num.* 8.

119. *Exemplum dominorum præpotens.* D. Thom.

Ex quo tria ad noſtram eruditionem conſideranda ſunt. Primò, quàm potens ſit exemplum; vbi primum dominus credidit, ſtatim famuli credunt. Vnde ait hîc D. Thomas, ſecundùm conditionem dominorum ſiue bonam, ſiue malam, ſerui diſponuntur, iuxta illud Eccleſiaſti. 10. numero 2. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſter eius.* Secundò. Plus nobis largitur, quàm petimus, ac optamus. Regulus rogabat pro corporali filij ſalute; & Dominus ei concedit, non ſolùm eius vitam temporalem, ſed etiam ſpiritualem tam filij, quàm totius familiæ. Tertiò. Vide altum Dei conſilium. Videbatur magnum ſupplicium, quòd filius Reguli tam grauiter premeretur morbo; & tamen hoc magnum beneficium eſt conceſſum, vt inde ipſe, ac filius, & tota familia in Chriſti cognitionem venirent, ac firma, perfectâque fide in eum crederent.

Eccl. 10. *Deus plus, quàm petimus, largitur.* *Id, quod videtur ſupplicium, aliquãdo eſt Dei miſericordia.*

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare ad ſolum ſermonem Domini multi Samaritani crediderunt in Chriſtum; ad iſtud autem miraculum ſola domus Reguli?*

120. *Ratio difficultatis.*

EX hoc *cap.* 4. *Ioan. n.* 39. patet, quòd audito tantùm ſermone Domini, multi Samaritanorum crediderunt in Chriſtum; viſo autem hîc, & cognito tanto miraculo, ſolùm domus iſta credidit. Quare ergo tam pauci, inſpecto tam mirabili opere de ſanitate huius pueri, reducuntur ad fidem? Hoc dubium valde ſpatioſè proponit Auguſtinus *tract.* 16.

121. Auguſt.

Reſpondet primò citatus Auguſtinus. *Ad ſolum ſermonem*, ait, *crediderunt plures Samaritani : ad illud miraculum ſola illa domus credidit, vbi factum eſt. Quid igitur fratres? Quid nobis commendat Dominus? Tunc Galilæa Iudææ patria erat Domini, quia ibi nutritus eſt.* Latè proſequitur S. Pater hoc explicando. Semper extranei propenſiores in Dominum, quàm patricij, vt ipſemet Saluator dixit hoc cap. 4. Ioan. numero 44. *Ipſe Ieſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet.* In Samaria erat Dominus alienigena, in Galilæa patricius : ideo Samaritani audito Domini ſermone abſque vlla oſtenſione miraculi credunt in Dominum; at Galilæi patricij, nam Capharnaum ſub prouincia Galilææ erat, cognito tanto miraculo non adducuntur ad fidem, niſi vna tantùm familia. Quod confirmat Auguſtinus, quia Centurio cùm eſſet Gentilis, & extraneus, multo præſtantior fuit in fide Regulo, nato ex Galilæa.

*Nemo in patricio, ſed in alieno territorio bene acceptus.* Ioan. 4. Auguſt.

122. Remigius.

Secundò D. Remigius in cap. 15. Epiſtolæ ad Roman. *Per hoc enim*, ait, *quòd viſo miraculo ſanitatis in filio illius, perpauci crediderunt, pater videlicet illius cum ſuis, ſignabatur, quòd paucitas Iudæorum creditura eſſet in Deum.* In Samaritanis deſignabantur Gentiles; in Galilæis verò Iudæi : & quia è Gentium numero multi erant in Chriſtum credituri, iam in figura populorum Samaritani quamplurimi Chriſti fidem receperunt : & quia ex Iudæis pauci, ac rari Saluatoris fidem ſunt amplexati, ideo viſo tanto miraculo, vna tantùm domus conuertitur. Iam perpauci Iudæi conuerſi ſunt ad Chriſtum, vt dicantur reliquiæ, vt notant D. Hieronymus, D. Cyrillus. Iſai. 10. n. 21. *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem.* Ierem. 6. n. 9. *Vſque ad racemum colligent, quaſi in vinea, reliquias Iſraël.* Et Paulus, *Rom.* 9. 27. ait: *Iſaias* 10. n. 22. *clamat : Si fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ erunt.* Vnde dicebat Deus per Michæam 7. n. 1. *Factus ſum ſicut qui colligit racemos in Autumno.*

*Perpauci Iudæi ad Chriſtum conuerſi.* Hieron. Cyrill. Iſai. 10. Ierem. 6. Rom. 9. Michæ. 7.

123. Franc. Lucas.

Tertiò Franciſcus Lucas hoc loco exiſtimat, Centurionem illum Capharnai præſidiarium, de quo alij Euangeliſtæ (cui cum hoc Regulo, ibidem habitante, familiaritatem interceſſiſſe, haud dubium eſſe poteſt) ex hoc miraculo à Regulo relato hauſiſſe fidem illam eximiam dominico ore tempore laudatam, qua poſcens ſanitatem ſerui ſui paraclytici, dixit : *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*, Matth. 8. num. 8. Hoc ipſe ait. Tamen Euangeliſta tantùm dicit, quòd domus eius credidit, & de nullo alio facit mentionem. Si tamen hanc velis tenere ſententiam, dic, quòd quando miraculum factum eſt, tunc tantùm domus eius credidit; poſtea verò ſucceſſu temporis ex relatis à Regulo alij crediderunt. Et non eſt parua Reguli laus, quod tantum habuerit diſcipulum.

Matth. 2. *Centurio diſcipulus Reguli.*

124.

Quartò. Dicam quod ſentio, Samaritani crediderunt, audito, & percepto verbo ex ore Ieſu, vt narrat Euangeliſta *Ioan.* 4. *num.* 41. quòd homines exierunt de ciuitate, & venerunt ad eum. *Et multo plures*, ait, *crediderunt in eum propter ſermonem eius, & mulieri dicebant : Iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audiuimus.* At Capharnaitæ in hac occaſione hoc miraculum factum non audierunt ex ſacratiſſimo Domini ore; nam ipſe modò erat in Cana Galilææ, vt patet ex principio huius hiſtoriæ *num.* 46. ſed intellexerunt illud ex his, quæ Regulus publicabat: *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus : Filius tuus viuit.* Verba autem ab ore Chriſti prolata multam, & miram habent efficaciam ad trahendum. Et ita ait noſter Ioannes 4. num. 39. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, & multo plures crediderunt in eum, propter ſermonem eius.*

*Verba ab ore Chriſti prolata magnã habent efficaciam.* Ioan. 4.

125.

Cùm iam diuina prædicatio ab ore Chriſti inciperet ſe diffundere in orbem, exclamant ſpiritus immundi : *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene!*



Marc. 1.

*venisti perdere nos*, Marc. 1. n. 24. Cuius rei communis ſententia eſt, quòd Chriſtus Dominus prædicans diuina virtute vehementer afflixiſſet Diabolum, qui ideo timebat prædam ſuam à tanto concionatore ſibi eripi. Nónne antea cæleſtis vox illa prædicauerat diuinus Baptiſta? Nónne antea tot Prophetæ, eximij diuini verbi præcones exiere in orbem, & nunquam Diabolus ſic exclamauit? Quare modò ſic anxiatur? Aderat nunc verbum ore Chriſti tonans, quod quanuis ſemper fuerit valde efficax, tamen cùm ab ipſamet Domini perſona profertur vehementer præpotens, ideoque Diabolus magno nunc tremore concutitur, ne totum ſuum negotium perdat. Victor Antiochenus de clamore Diaboli loquens, *Quorſum*, ait, *hæc pertinent? huc vtique. Nullum nobis amplius locum reliquum facis: nam & impietatem è medio tollis, & errorem proſcribis, & Dei notitiam mortalium pectoribus inſeris.* Vide ſuprà *quæſt.* 13. *num.* 93. 94. & 95.

*Quanta ſit in verbo ex ore Ieſu efficacia.* Vict. Antioc.

*Ioannis* 4. *n.* 54. Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cùm veniſſet à Iudæis in Galilæam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Hoc ſignum ſecundum rurſus edidit Ieſchua.

*Arabicus.* Hoc etiam ſecundum ſignum.

### *EXPOSITIO.*

126. NOTAT Euangeliſta, quòd hoc fuit ſecundum ſignum, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed reſpectiuè, quando venit à Iudæa in Galilæam. Nam poſtquam edidit illud primum ſignum de conuerſione aquæ in vinum in Cana *Ioan.* 2. *num.* 11. multa alia fecit Ieroſolymis, cùm eſſet dies feſtus, eodem *cap.* 2. *num.* 22. Tamen ex his, quæ Dominus fecit in Galilæa, vt notant Chryſoſtomus. Euthymius, hoc extitit ſecundum ſignum. Aduertit autem Euangeliſta, hoc fuiſſe ſecundum ſignum, vt conſiderant Chryſoſtomus, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, vt denotetur per hoc, quòd Galilæi deteriores erant Samaritanis, quorum multi nullo ſigno viſo, ſed tantùm verbo Domini audito, crediderunt : ex Galilæis autem, duobus iam viſis ſignis, non credidit, niſi Regulus & domus eius tota. Vel fortaſſe, vt vult Toletus, Euangeliſta adiunxit, hoc fuiſſe ſecundum ſignum, vt ſignificaret, hanc hiſtoriam eſſe geſtam ante omnia miracula, quæ cæteri Euangeliſtæ facta eſſe in Galilæa deſcribunt.

Chryſoſt. Euthym. Chryſoſt. Theophyl. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Tolet.

## CAP. VII.

### *Piſcatur Petrus in Geneſareth.*

*Lucæ* 5. *n.* 1. Factum eſt autem, cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Factum eſt autem, cùm coacta eſſet ad eum turba ad audiendum ſermonem Dei, vt ipſe ſtaret iuxta littus maris Geneſar.

*Euthymius, Theophylact.* Cùm turba immineret ei, vt audiret ſermonem eius.

*Arias.* Factum eſt autem in eo turbam ſuperiacere ei, ad audiendum verbum Dei, & ipſe erat ſtans.

*Vatablus.* Cùm turba incumberet ei.

### *EXPOSITIO.*

1. FACTVM *eſt*, hoc eſt, in illis diebus; nam aliqua, quæ Euangeliſta narrat *cap.* 4. vt ingreſſus in domum Simonis, & ſanatio ſocrus illius, contigerunt poſt hoc miraculum piſcationis. Nam ſacris Euangeliſtis tantùm propoſitum fuit, res geſtas Chriſti ſummatim, ac veriſſimè narrare, & deſcribere, non ſeruato dierum ordine. Et ideo quæ in idem ferè tempus inciderunt, liberè permiſcent. *Cùm turba irrueret in eum*; magna enim turba concurrebat ad eum audiendum, itaut veluti comprimerent eum; nam quilibet ad illum appropinquare volebat, vt notat D. Bonauentura. Deuter. 33. num. 3. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Hi autem, qui veniebant, vt ait Hugo, quidam concurrebant, vt miracula noua viderent, tanquam curioſi; alij, vt ſanarentur, hi prouidi; alij, vt obſeruarent, hi inuidi. *Ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.* Lacus eſt, per quem Iordanis influit, de quo dicam infrà *cap.* 8. *numero* 1. vide ibi. Dicitur mare *Geneſareth* à quadam ciuitate nomine *Genereth*, quæ erat in littore huius maris à parte occidentali, quæ poſtea, vt multi volunt, dicta eſt Tiberias. Vel dicitur Geneſareth, vt docent Beda, D. Bonauentura, S. Antonius Vlyſſipon. *ſerm. in Dom.* 5. *poſt Trinit.* Simon Caſſianus *lib.* 9. *cap.* 15. Zacharias Epiſcopus, Hugo, quòd Geneſar Græco vocabulo dicitur quaſi generans ſibi auram, à proprietate illius lacus, quia criſpantibus aquis de ſe frequentes excitat auras, illaque aquarum fluentia auram quandam generare videbatur. Verùm neque *Geneſareth* Græcum eſt, ſed compoſitum ex גן *hortus*, & סר *princeps*. Ideo in bibl. nomin. interpretatione, *Geneſar*, & *Geneſareth* vertitur *hortus principis*. fuit enim amœniſſimus tractus : de quo vide Egeſippum *lib.* 3. 26. Quod autem attinet ad finem *th*, ת Hebræum, flexionis causâ adiectum. Iuxta aquas docet,

*Euangeliſtæ temporis ordinem non ſeruant.* Bonauent. Deuter. 33. Beda. Bonauent. Ant. Vlyſſip. Caſſian. Zacharias. Hugo. *Tũ Geneſareth etymon.*

docet, & prædicat Chriſtus, vt inde denotetur, quòd ad aquas ſapientiæ inuitat.

---

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm hæc hiſtoria eadem ſit, ac illa, quam Marcus, & Matthæus narrant?*

2. Matth.4. Marc.1.

MATTHÆVS, *cap.4.n.*18. & Marcus *cap.* 1. *num.*16. vt dicam *cap.*8. narrant vocationem Apoſtolorum Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioãnis; & eandem vocationem videtur Lucas hîc intexere; nam hîc deſcribit, quomodo Petrus, & filij Zebedæi ſecuti ſunt Dominum. In hac re triplex eſt ſententia.

*Triplex ſententia.*

3. Abulenſ. Ianſenius.

Prima affirmat, eſſe vnam, eandémque hiſtoriam, quam Matthæus, & Marcus narrant, atque hanc, quam hîc Lucas ſcribit. Ita Abulenſis *in cap.* 4. *Matthæi quæſt.* 97. Ianſenius *in ſua concordia*, & alij Recentiores. Secunda ſententia tenet, diſtinctas eſſe res geſtas commemoratas ab Euangeliſtis: ita tamen, vt primo loco acciderit id, quod Matthæus, & Marcus narrant; ſecundo verò loco id, quod Lucas refert de piſcatione piſcium. In hac ſententia videtur eſſe D. Gregorius *homil.* 5. *in Euang.* prout ait; quòd *ad vnius iuſſionis vocem Petrus, & Andreas, relictis retibus ſecuti ſunt Redemptorem: nulla hunc facere miracula viderant.* Ergo ante vocationem Petri non præceſſit miraculum piſcationis. In hac ſententia videtur eſſe Euthymius; & multis eam defendit Toletus *annot.* 15.

Gregor. Euthym. Tolet.

4. Auguſt. Beda. Lyranus. Albert.Mag. D.Thom. Hugo. Euſeb. Gall. Beaulxam. Maldonat.

Tertia ſententia tenet, hiſtorias Matthæi, & Lucæ eſſe diſtinctas; hoc tamen factum, à Luca narratum, prius accidiſſe, quàm vocationem, à Matthæo deſcriptam. Ita expreſsè D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euangeliſtar. cap.* 17. Beda *hîc.* Lyranus *hîc, & in cap.* 4. *Matth.* ad illa verba: *Ambulans Ieſus*; & *ibi* Albertus Magnus, D. Thomas, Hugo, Euſebius Gallicanus *homil.* 5. *poſt Pentecoſt.* Beaulxames, Maldonatus, & alij.

5. *Hiſtoria diuerſa.*

Primò mihi certum eſt, hiſtorias narratas à Matthæo, & Luca eſſe diſtinctas. In hoc conueniunt authores ſecundæ, ac tertiæ ſententiæ. Multis declaratur. Apud Matthæum, & Marcum vocantur Apoſtoli bini, & bini: nam ibi expreſsè dicitur: *Vocauit eos*, vt notat D. Auguſtinus. Apud Lucam nulla vocatio exprimitur, Apud Matthæum, & Marcum vocantur Petrus, & Andreas; apud Lucam nulla Andreæ fit mentio. Apud Matthæum, & Marcum Petrus, & Andreas vocantur mittentes retia, Iacobus, & Ioannes reficientes retia: at apud Lucam, cùm per totam noctem nil ceperint, iam omnes à ſpe capiendi piſces deſiſtebant, & lauebant retia. Apud Matthæum, & Marcum, cùm Petrus, & Andreas eſſet occupati retia iacientes, eis dicitur à Chriſto: *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum*; at verò apud Lucam, cùm Petrus de piſcatione admiratus ante faciem Chriſti procideret, ei dicitur à Domino: *Ex hoc iam homines eris capiens.* Et alia poſſunt diſcrimina multa conſiderari.

6. *Hiſtoria Lucæ prior.*

In ſecundo verò huius difficultatis puncto maius eſt dubium, quænam ex his hiſtoriis fuerit prior? Magis tamen propendo in ſententiam Auguſtini, quòd narrata à Luca prius contigerint, quàm deſcripta à Matthæo, & Marco. Nam apud Lucam dicitur Petro: *Ex hoc iam homines eris capiens*; vt perbellè docet D. Auguſtinus *citatus*, ibi prædicitur Petro id, quod futurum erat, apud Matthæum, & Marcum præceptiuè à Domino vocantur, vt ipſum ſequerentur, vt fiant hominum piſcatores. Et ita hiſtoria Euangelica eſt ordinanda: Chriſtus prædicare incepit; vt narrat Matthæus 4. *num.* 14. & cùm turba irrueret in eum, vt hoc loco commemorat Lucas, ad audiendum verbum Dei, ipſe aſcendit in nauiculam Petri, quem iam vt familiarem nouerat, vt nobis proponitur *Ioan.* 1. *num.* 40. Poſt piſcationem autem concomitantur, ac ſequuntur Chriſtum per aliquod temporis ſpatium, poſt quod ad piſcationem rediere. Elapſis aliquibus diebus ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ vocat Petrum, & Andream, Iacobum, & Ioannem, & ait illis: *Venite poſt me*, &c. Et cùm Apoſtoli ad principatum Eccleſiæ eligerentur, eos non ſubitò trahit, ſed hac piſcium piſcatione priùs præparare, ac diſponere voluit. Moueor primò in hanc ſententiam propter authoritatem Auguſtini, qui rem hanc diſputat ex inſtituto. Secundò. Iuxta modum loquendi ſanctorum Patrum, ac Doctorum, vt videbimus *capite ſequenti*, Apoſtoli poſtquam ad ſuam ſcholam à Domino ſunt vocati, ei indiuidualiter adhæſerunt: ergo videtur difficile, quòd per vnam integram noctem ab eo, eiuſque ſacratiſſimo colloquio eſſent propter piſcationem ſeparati, & de die in miniſterio ſæculari lauantes retia occuparentur. Et confirmatur. Quia adoleſcens ille, cui dixit Chriſtus, *Sequere me*, Luc. 9. num. 59. poſtulat à Domino: *Permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum. Dixit ei Ieſus: Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Si ergo Dominus ad officium pietatis erga patrem facultatem adoleſcentulo negat; quomodo concedendum erit, quòd Apoſtoli, qui ad miniſterium Euangelicum perfectiſſimè vocabantur, ab eo nocte, dieque ob piſcationem ſeparari permitterentur? Si verò Apoſtoli poſt Reſurrectionem piſcantur *Ioan.* 21. *num.* 3. ex eo hoc accidit, quia iam abſens Dominus erat, illique in littore per eam noctem iuxta mare Tiberiadis aderant, ac adeò ex occaſione data tunc in eo miniſterio ſe occupare voluerunt.

*Magna paulatim diſponenda.* *Apoſtoli indiuidualiter Chriſto adhæſerunt.* Luc. 9.

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare turbæ irruebant in Chriſtum?*

7. RATIO difficultatis eſt, quia reuerentia Domini poſtulat, vt nullus ad eum auderet accedere. Et ita quando Moyſes ad loquendum cum Domino in montem iubetur aſcendere, ei mandatur, vt ſolus aſcendat, ſenes ſtent procul, & nullus de populo appropinquet, *Exod.* 24. *n.* 1. & 2. Et tamen turba hoc loco ad Dominum non ſolùm accedebat, verùm etiam irruebat in eum, hoc eſt, veluti ipſum vrgebat, ac comprimebat, vt ab eo audiret verbum Dei. Ratio huius rei genuina, vt ait D. Bonauentura; quia ignorantes appropinquare volebant propter doctrinam, ſiue ſcientiam: infirmi propter ſanitatem recuperandam. *Omnis turba*



*turba quærerebat eum tangere, quia virtus de illo exhibat, & ſanabat omnes*, Luc. 6. num. 19. Ad rationes morales veniamus.

Luc 6.

8. Ambroſ.

Reſpondet primò D. Ambroſ. ſerm. 62. *Quantorum mirabilium operator ſit Dominus Ieſus Chriſtus, intelligere poſſumus ex hac Euangelica lectione, quæ deſcribit tanta per eum beneficia in populum fuiſſe collocata, vt prouocatæ hominum turbæ ad audiendum illum magis irruerent, quàm rogarent, & medicinam ſalutis non ſperarent per humilitatis gratiam, ſed per importunitatis iniuriam, itaut irruentes, ſicut ait Euangelium, turbas à Domino Ieſu non deſertum ſepararet, non Synagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis parceret. Hæc eſt enim conſuetudo infirmantium, vt dum ſperant ſuis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non tempore, non pudore; ſed quanto plus medetur ille, qui ſanat, tanto amplius ille opportunus eſt, qui laborat.* Cucurrebat turba ad Dominum, ſalutis, ac remedij auida, quod intentabat impetrare, non ſolùm per ſupplicationem, verùm etiam per importunitatem. *Non per humilitatis gratiam, ſed per importunitatis iniuriam.* Nam ob importunitatem petentium Dominus multa concedit *Luc.* 11. *num.* 8. Et ait S. Pater: *per importunitatis iniuriam*; quia, cùm Deus ſit clementiſſimus Pater, noſtras orationes velociſſimè audit: *Aures eius in preces eorum*, Pſalm. 33. numero 16. Tamen ob noſtrum meritum augendum aliquando diſſimulat audire, & per importunitatem noſtris petitionibus annuit. Ille verò, qui infirmitate laborat, nullo tempore, nec pudore coërcetur: *ſed quanto plus medetur ille, qui ſanat, tanto amplius ille opportunus eſt, qui laborat.* Turbæ diuino afflatu concitatæ ad eum appropinquabant, & ex ipſamet ſua neceſſitate concipiebat animum, vt irruerent in eum; nil enim opportunius diuino Medico, quàm infirmus ille, qui laborat, vt ei influentiam ſuæ cœleſtis medicinæ impertiatur, vt ita ſanetur, & viuat. Clamabat Chananæa pro filiæ ſanitate. Diſcipuli verò Dominum rogant, dicentes: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*, Matth. 15. num. 25. Quod Dominus non fecit, immò permiſit, eam clamare quouſque filiam eius ſanauit. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Diſcipuli dicebant: Dimitte eam: ob tædium tanti clamoris*; qui tamen Domino erat periucundus, vt ei benefaceret.

*Ob petentium importunitatem Deus multa concedit.* Pſalm. 33. *Ille, qui laborat, Deo miſerãti opportunus valde.* Matth. 15. Paſchaſ.

9. Carthuſ.

Secundò Carthuſianus. *Cum magno feruore*, ait, *veniebant ad Chriſtum, habebat pretioſum ſermonem, & delectabilem aſpectum; & ita refertur in reuelationibus ſanctæ Brigittæ, quod ei reuelatum eſt, quod quicunque afflictus, ac mœſtus Chriſti vultum aſpiciebat, ſtatim leuamen, ac conſolationem ſentiebat; & ita triſtes, ac mœſti conſueuerunt dicere: Eamus ad filium Mariæ, vt ex eius conſolemur aſpectu.* Tanto impetu populi omnes confluebant ad eum, & maxima auiditate ferebantur, vt eius audirent ſermonem. Nil vtilius, quàm audire Dei verbum. Deinde cùm ipſe eſſet ſpecioſus præ filiis hominum, ex eius præſentia omnes leuamen, ac conſolationem accipiebant.

*Chriſti vultus, ac verba triſtibus lætitiam dabant.*

10. Bonauent. Iſai. 55.

Tertiò D. Bonauentura, *Vehementi deſiderio*, inquit, *mouebantur, ideò irruebant, conſiderantes magis Domini bonitatem, quàm maieſtatem, Vnde dicit quidam expoſitor: Magni meriti eſt, apud Deum, deſiderium verbi Dei, quod ipſam quoque irreuerentiam turbæ irruentis in eum excuſat. Vnde Dominus ad hoc præcipuè inuitabat.* Iſai. 55. num. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Ioan. 7. num. 37. *Stabat Ieſus, & clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me.* Tanto conatu turbæ concurrebant ad Chriſtum, attendebant potius ad eius benignitatem, ac beneficentiam, vt à ſuis miſeriis ſubleuarentur, quàm ad reuerentiam, & venerationem Domino Deo debitam. Hanc eorum cogitationem Chriſtus Dominus miſericordia ſua non contemnebat; imò potiùs eorum irreuerentiam excuſabat, dum omnes ad ſe inuitans aduocabat. Ita pia ſua miſericordia conſulit bono noſtro, vt potius velit, nos eius beneficiis frui, quam ſui debitam reuerentiam, ac venerationem. Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 58. 71. & 240.

Ioann. 7. *Turba potius ad ſuum cõmodũ, quàm ad alterius reuerentiam attendunt.*

11. Caſſian.

Quartò Simon Caſſianus lib. 9. cap. 15. *Sed nec debet in moribus exhibendi honoris, & reuerentiæ cenſura ſeruari ad capiendas diuinas theorias. Et vbi tributio eſt diuinorum, ille vrbanior, qui anticipat. Et deferri nemini acceptum eſt tribuenti, cui ille gratior eſt, qui in maiori auiditate anticipat.* Irreuerentia turbæ, quod irrueret in Dominum, excuſanda eſt, & potiùs vrbanitate adiuuanda; quia vbi cœleſtia dona tribuuntur, ac communicantur, ille eſt vrbanior, qui præuenit, & anteoccupat: præcipuè cùm ipſa anteoccupatio ſit periucunda largienti, qui maximè exoptat ſua bona communicare.

*Vbi cœleſtia dona communicantur, ille vrbanior, qui preuenit.*

12. Caſſian.

Quintò. Turbæ irruunt in Chriſtum, & tamen Centurio, cùm pro ſanitate pueri rogaret, & Dominus in domum ſuam ire vellet, dicebat: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*, Matth. 8. numero 8. Valde mirum, quòd turbæ irruunt in Ieſum, & veluti inter ſe vrgent. Centurio tamen ob magnam reuerentiam, cùm maximè præſentia Chriſti æſtuaret, Dominum, ne in domum ſuam iret, auertebat. In multis Centurio eminentior turbis, fide, virtute, nobilitate, ac generis ſplendore; & quanto quis magis his pollet, tanto ſtudioſior in honorifico officio exhibendo. Quanta verò honorificentia nobilis homo cum Domino loqueretur, notat D. Auguſtinus ſerm. 64. de diuerſis. *Sic Centurio*, ait, *interiùs præſentem corde tenebat, cuius à ſuo tecto præſentiam honorificè reuocabat.* Quanto quis maiorem de Deo cognitionem habet, tanto ei maiorem præſtat reuerentiam, & venerationem. Sic Moyſes poſtquam cum Deo alloquitur; ait: *Non ſum, Domine, eloquens ab heri, & nudiuſtertius ex quo cœpiſti loqui cum ſeruo tuo*, Exod. 4. num. 10. Sic Abrahamus poſtquam cum Domino fatur, ſe eſſe puluerem, & cinerem, fatetur, *Geneſ.* 18. *numero* 27. Sic ex omnibus, qui erant in naui, ait ſolus Petrus infrà: *Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum.* Diuinorum iam ille habebat maiorem cognitionem.

Matth. 8. *Nobilis valde propenſus ad reuerentiam.* Auguſt. *Quanto quis de Deo magis cognoſcit, ei maiorem habet reuerentiam.* Exod. 4.

13. Exod. 20.

Sextò. Loco Exodi citato in principio *q.* 24. *num.* 2. totus populus timore profundebatur, itaut diceret Moyſi: *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, Exod. 20. num. 18. At verò hoc loco tantum animum concipiunt turbæ, vt in Ieſum irruere audeant. Illic in Sina apparebat Deus in maieſtate magna, itaut à facie Domini mons fumaret, & cœperunt audiri tonitrua, & micare

ſulgura, *Exod. 19. num. 16.* At verò hîc in littore maris erat Deus factus homo in lenitate, & manſuetudine. Et ſic maieſtas deterrebat, itaut populus fugeret, ne audiret vocem Domini; humanitatis verò forma in manſuetudine dabat confidentiam, & animum, vt ad Dominum appropinquarent, & etiam quodammodo manibus tenerent. Antea non poterat homo vocem Domini in maieſtate audire, nec faciem eius coruſcantem videre: poſtea verò, *Habitauit in nobis*; ſeu, vt habet Græcus, *in tabernaculo nobiſcum.* Vnde hæc differentia? Vide quod præmiſit Euangeliſta: *Verbum caro factum eſt*, Ioann. 1. num. 14.

*Maieſtas effundit timorem; manſuetudo dat animum.*

Ioann. 1.

14. Magna conſideratione dignum, quòd iter faciens Iacob in Meſopotaniam vidit in ſomnis ſcalam, per quam aſcendebant, & deſcendebant Angeli, in cuius ſummitate Dominus erat innixus; cumque euigilaſſet à ſomno, *Pauenſque: Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte*, Geneſ. 28. numero 18. Chaldaicus: *Timuit, & ait.* Poſtea verò, cùm reuertitur ad Patrem, fiunt ei obuiam Angeli Dei, & minimè timet, *Geneſ. 32. numero 11.* Imò per totam noctem manibus, ac amplexu cum ipſomet Deo luctatur, vt volunt D. Chryſoſtomus, Cyrillus Alexand. Thomas Anglicus, & alij. *Ecce vir luctabatur cum eo*, Geneſ. 32. numero 24. Et tamen minimè timet, ideoque ei datur nomen Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti; cur ergo, dum Dominum videt in ſcala in ſomnis, timore concutitur; minimè verò, cùm ipſum amplexu, ac lacertis tenet? In ſcala manifeſtabatur Deus in ſua cæli maieſtate, Angelorum circundatus famulatu: at in lucta ſub lineamentis formæ humanæ ſe exhibebat. Et ita vbi dicitur, *luctabatur*, alij legunt, *pulueriZabatur.* Fulgor autem, ac ſplendor maieſtatis terrorem, ac pauorem ingerebat; lenitas verò, & teneritudo humanitatis vires, ac animum dabat, ad credendum Dominum, eumque manibus, ac amplexu tenendum. D. Alredus citatus à Tilm. *Ad certamen prouocatus homo non timet, ſed amplexu cum Deo luctatur.*

Geneſ. 28.
Chaldaic.
Chryſoſt.
Cyrill. Alex.
Theo. Angl.
Geneſ. 32.

*Si maieſtas deterret, benignitas dat confidentiam.*

Alred.

15. Quæſtionem eleganter excitat D. Chryſologus *ſerm. 147.* Cur ante Verbi incarnationem totus mundus idolis erat repletus, & omnes gentes idolorum cultui vacabant: at poſtquam Deus factus eſt homo, omnes ad cultum vnius Dei conuocantur? Olim Deus ita erat abſconditus, vt dicat Ioannes 1. numero 18. *Deum nemo vidit vnquam.* At poſtquam Deus carnem induit: *Vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ*, 1. Ioannes 1. numero 1. Cùm Deus in exordio ita eſſet abſconditus, illa inacceſſibilis maieſtas terrificabat creaturam, vt ad Deum non auderet accedere, ac adeò idola in creaturis quærebat. At poſtquam inter nos apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, & contrectabilis factus eſt hominibus, omnium corda ad ſe conciliauit, & quos terror altitudinis maieſtatis terrificabat, vt inde diſpergerentur, humanitas, & benignitas Chriſti Saluatoris coadunauit, atque ad vnius veri Dei cognitionem conuocauit. Chryſologus citatus: *Deum, ait, quia videre non poterat creatura, ferebatur ſeruitute dura, triſte exhibebat obſequium pro inuiſibili maieſtate, obſederat pauor omnia, timor ſoluerat vniuerſa. Sic nimius pauor amorem dominantis extruſit; Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit: fecit, omnes Creatorem fugere, colere creaturas. Amare non poteſt, qui ſatis timet*, Et poſtea ſubdit. *Sciens ergo Deus, viſendi ſe deſiderio cruciari, laſſarique mortales, vnde ſe viſibilem faceret, hoc elegit, quod eſſet & terrenis magnum, & non minimum ſupremis.*

Chryſolog.
Ioan. 1.
Ioan. 1.

*Terror maieſtatis diſpergit, benignitas coadunat.*

Chryſolog.

---

## QVÆSTIO III.

### *Quare dicatur, quòd Dominus ſtabat ſecus ſtagnum, & non, in ſtagno?*

16. RATIO litteralis eſt manifeſta; quia Dominus venerat deambulando per terram; & iuxta fluenta aquarum ſtetit. Moraliter ſoluitur quæſtio multipliciter. Et reſpondent primò Gloſſa, & Beda, *Stagnum præſens ſæculum deſignat, Dominus autem iam, non in ſtagno, quaſi iam non in carne paſſibili, ſed ſecus ſtagnum, quia in ea carne, in qua paſſus eſt, ſtabilitatem perpetuæ quietis adiit.* Similiter Haymon. Mare mortalem, ac caducam iſtam vitam deſignat, quia ſicut mare in fluctuatione eſt, ita hæc præſens vita ſemper in alternatione eſſe videtur. Littus autem, ſeu ſtatio ſignificat immortalitatis gloriæ permanentiam; quia Dominus poſt ſuam Reſurrectionem habuit fixam ſuæ æternæ quietis permanentiam. Secundò idem Beda, vt refert Hugo: *Stagnum ſignificat legem, extra quam iam Dominus erat, quia legalia iam ceſſare incipiebant.*

Gloſſa.
Beda.
Haymon.

*Chriſtus poſt Reſurrectionem habet ſtabilē quietem.*

Beda.
Hugo.

17. Tertiò, & perbellè D. Antonius Vlyſſipon. in Dom. poſt Trinit. *Stagnum*, ait, *lacus qui non fluit; ſed aqua ibi ſtat, præſens ſæculum ſignificat, in quo ſunt ebullitiones, quæ generant auram mundanæ laudis, breuiter tranſeuntem*, Pſalm. 9. num. 8. *Et ſicut in ſtagno aquæ coërcentur, vt non fluant; ſic in mundo libido peccantium reſtringitur, vt non quantum velint in deliciis delectentur. Vnde* Luc. 15. num. 16. *filius prodigus cupit implere ventrem de ſiliquis porcorum, & nemo illi dabat. Per ſiliquas porcorum diuerſas cogitationes intelligimus, quibus maligni ſpiritus tanquam porci incraſſantur, quæ aliquando cupienti non dantur: frequenter enim homo plus peccat, quàm Diabolus ſuggerat; præuenit enim homo frequenter Diabolum. Vnde* Ezechiel. 16. num. 27. *Dabo te in manus odientium Palæſtinorum, qui erubeſcunt in via tua ſcelerata. Grandis pudor, quòd Diabolus erubeſcit de peccato hominis, quod ei non ſuggerit; & homo non erubeſcit. Stabat ergo ſecus ſtagnum, ſcilicet hoc ſæculum, vt ſæculi amatoribus verbum Dei prædicaret. Secus ſtagnum ſtetit, quia in ſæculo exiſtens ſæculi gloriam non quæſiuit.* Ita ille, & ſatis pulchrè. Non dicitur, quòd Dominus ſtetit iuxta mare, vel fluuium, ſed ſtagnum, quod ita dicitur, quaſi ſtans ibi aqua; & mundum ſignificat; nam ſicut in ſtagno aqua coërcetur, & clauditur, ita effrænata, & licentioſa peccandi libido multorum hominum ipſamet mundi diſpoſitione, ac ordinatione reſtringitur, & refrænatur; nam multoties indomitus appetitus plus vult luxuriare, quā Diabolus ſuppeditat. Prodigus cupiebat ſaturare ventrem de ſiliquis, quæ ſunt turpes cogitationes mundanæ; & tamen Diabolus non miniſtrabat. Secus ſtagnum, id eſt, hoc ſæculum, ſtabat Dominus, quia mundi gloriam non quæſiuit, ſed contempſit.

Ant. Vlyſſip.

*Homo plus peccat frequenter, quàm Diabolus ſuggerat.*

*Sæpe Diabolus erubeſcit de peccato; & homo nō erubeſcit.*



18. Quartò Cardinalis Hugo alludens ad proprietatem illius ſtagni, quod fluentibus aquis auram quandam generabat, vt notaui in expoſitione. *Stagnum Geneſareth*, ait, *ſignificat diuitiarum terrenarum abundantiam, quæ auras inanis gloriæ, & ſuperbiæ, & rixæ, atque diſcordiæ ex ſe generat*, 1. Timoth. 6. num. 17. *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.* Gloſſa ibi: *Vermis diuitiarum ſuperbia.* Et rectè, ait Hugo, Hebræi iſtam congregationem aquarum vocant maria, quia non eſt in eis, niſi amaritudo, vt ait D. Gregorius. Nam ſæculi diuitiæ cum labore acquiruntur, Eccleſiaſt. 4. num. 8. *Laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitiis.* Cum timore poſſidentur, Iob 15. num. 21. *Sonitus terroris ſemper in auribus eius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias meditatur.* Item diuitiæ cum dolore deſeruntur. Eccleſiaſt. 5. n. 12. *Eſt alia infirmitas peſſima, diuitiæ congregatæ in malum domini ſui: pereunt enim in afflictione peſſima.* Non ergo in hoc ſtagno, ſed ſecus debet ſtare Prædicator, ſicut Ieſus. Vnde ait Gregorius, qui carnalibus actibus adhuc incumbit, vitam aliorum ſpiritualiter inſtituere, neceſſe eſt erubeſcat. Pſalm. 1. num. 2. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Non, in decurſu aquarum. Hæc Hugo.

Hugo.

*Diuitiæ magnos labores ſecū habent.*

1. Timoth. 6.
Gloſſa.
Hugo.
Gregor.
Eccli. 4.
Iob 15.
Eccli. 5.

*Prædicator à vitiis huius ſæculi ſit alienus.*

19. Prædicator in vita, & moribus debet eſſe ſeparatus à vitiis popularibus. Ait Deus Iſai. 40. n. 9. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem.* Sed cur primò ei mandatur, aſcendere in montem, deinde prædicatione extollere vocem ſuam? Qui enim prædicaturus eſt, prius aſcendat excelſum virtutum cacumen, vt diuiſus, & ſeparatus ſit, ab his, qui in depreſſo vitiorum valle degunt, & viuunt. Ita etiam in ſacrificio ex Dei mandato accipiebat Sacerdos pectuſculum, ac armum ſeparatum ab omni alia parte. D. Gregorius part. 2. Paſtoralis, cap. 3. *Hinc per Prophetam dicitur: Super montem excelſum aſcende tu, &c. Vt videlicet, qui cœleſti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur: tantoque faciliùs ſubditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat. Hinc diuina lege armum Sacerdos dextrum in ſacrificio accepit, & ſeparatum, vt non ſolùm ſit eius operatio vtilis, ſed etiam ſingularis*, Exod. 29. num. 27.

Iſai. 40.

*Prædicator ſit in vita ſeparatus à populo.*

Gregor.
Exod. 29.

*Lucæ 5. num. 2.* Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et vidit duas naues ſtantes ſuper crepidinem maris: & piſcatores, qui deſcenderant ex iis, eluebantque retia ſua. |
| *Euthymius.* | Vidit iuxta lacum. |
| *Arias.* | Vidit duo nauigia ſtantia. |
| *Vatablus.* | Et abluebant retia. |



### *EXPOSITIO.*

20. DOMINVS oculis ſuæ miſericordiæ vidit duas naues, vnam Petri, & Andreæ; alteram filiorum Zebedæi; & vidit is has duas nauiculas, licèt in ſe humiles, ad magna tamen myſteria deſtinauit. Eccleſiaſt. 3. n. 21. *Magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Per has duas naues Haymon: Hericus intelligunt duos populos, Gentilem, & Iudaicum. Et bene dicitur, quòd Dominus vidit, vt ait Beda, qui in vtroque populo agnoſcit, qui ſunt eius. Et vt verus Dominus vidit, vt omnium bono conſuleret: nam inde turbas docuit, & naues vacuas piſcibus repleuit; & piſcatores illuminauit, vt eum ſequerentur. Hugo verò per has duas naues intelligit duas vias eundi ad Deum, ſcilicet innocentiam, & pœnitentiam. Et qui in vna iſtarum non fuerit ingreſſus, peribit in mari. *Secus ſtagnum*, iuxta ſtagnum, ſeu ad littus ſtagni.

Eccli. 3.
Haymon.
Hericus.
Beda.

*Dum Dominus vidit, omnium bono conſulit.*

Hugo.

21. *Piſcatores deſcenderant.* Egreſſi à nauibus piſcatores deſcenderant. *Et lauabant retia.* A retinendo dicta ſunt retia, quæ piſcatores abluebant à limo, ac ſordibus, quas in miniſterio nocturno contraxerant, vt emundata complicarent ad aliud opportunius tempus, quia pro tunc experientia noctis ſpes capiendi piſces nulla ſupererat. D. Antonius Vlyſſipon. *in Dom. 5. poſt Trinit.* moraliter hoc explicat. *Notandum, ait, ab vtraque naue, pœnitentium ſcilicet, & carnalium, piſcatores deſcendere. Pœnitentes autem deſcendunt ab eo, quod ſunt per gratiam, ad illud, quod ſunt per naturam; de gradu ſcilicet excelſioris vitæ conſiderationem fragilitatis propriæ. Carnales à tumore ſuperbiæ deſcendunt ad cinerem pœnitentiæ.* Et bene poſt deſcenſum ſequitur lotio, qui enim deſcendit ex ſua ſuperbia, ac inani gloria ad propriæ vilitatis conſiderationem, mundat, & lauat peccatum. Iob. 5. num. 24. *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis.*

Ant. Vlyſſip.

*Qui ſe conſiderat lauat peccatum.*

Iob 5.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quare piſcatores lauabant retia?*

22. RATIO litteralis eſt, quia per piſcationem nocturnam in cœnoſa aqua fœdata ſunt retia, & ideo ad ſui emundationem abluebant. Myſticas rationes inquiro.

*Ratio litteralis.*

23. Reſpondet primò Beda. *Piſcatores ſunt Eccleſiæ Doctores, qui nos rete fidei comprehenſos, de profundo ad lumen elatos, quaſi piſces littori, ſic terræ viuentium aduehunt. Sed hæc retia modò laxantur in capturam, modò lota plicantur, quia non omne tempus eſt habile doctrinæ, ſed nunc exercenda lingua doctoris, nunc ſuimet cura gerenda. Rete* eſt fidei doctrina, quæ modo extenditur in capturam, modò lota plicatur; quia Prædicator aliquando debet à prædicatione ceſſare, & ſuimet gerere curam. Secundò Haymon, *Poſt officium, ait, piſcationis lauant retia piſcatores, quando Prædicatores ſanctæ Eccleſiæ poſt expletam prædicationem*

Beda.

*Prædicator non ſemper prædicationi inſtet.*

Haymon.

*Prædicator defectus ſuos deplorare debet.* Prouerb. 25.

*dicationem lachrymis abluunt, quod in prædicatione, aut fortè iactantiam, aut negligentiam deliquerunt,* Prouerb. 25. num. 5. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.*

24\. Gloſſa. *Prædicator in ſe adimpleat, quæ docet.* Caſſian.

Tertiò Gloſſa. Lauabant retia, vt ea plicarent; ita ait: *Lota retia plicat doctor, qui intermiſſo prædicationis officio, quod alios docuit, ipſe implere ſatagit.* Retia lauantur, ac plicantur, vt domi cuſtodiantur à piſcatore. Tunc prædicator rete doctrinæ lauat, ac plicat, quando in ſe cuſtodit quod docuit. Quartò Simon Caſſian. lib. 9. c. 15. *In cœnoſam aquæ partem retia miſerant, quæ ablui oportebat. Nihil quidem in operibus hominum mundum, & purum, niſi quod à ſola virtute procedit. Attamen in agendo difficile eſt, omnem habere munditiem, vt ille, qui operatur, non ex aliqua parte turpetur, quamuis virtute nemo malè vtatur. Meritò lauantur retia: expedit quidem, expurgare operationes noſtras ab his, quæ maculare ſolent.* Lauare retia eſt, actiones noſtras purificare, & emundare à peccatorum maculis. Et illi eliguntur à Chriſto ad officium Apoſtolicum, & ad Eccleſiæ principatum, qui ſuos defectus agnoſcere ſciunt, & auxiliante Dei gratia manus applicant ad eorum ſordes abſtergendas.

*Ille eligitur ad magna, qui defectus ſuos mundare agnoſcit.*

25\. Hugo. *Sua peccata prædicator deploret.*

Quintò Hugo. Lauare retia, eſt abluere maculas peccatorum contractas in piſcatione, hoc eſt, prædicatione. Lotio autem iſta, ait Cardinalis, debet eſſe à tribus, ſcilicet à quæſtu temporali, ab inani gloria, & à verbo adulationis, 1. ad Theſſalon. 2. num. 5. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis; neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque in vobis, neque in aliis.*

1\. Theſſal. 2.

26\. Euſeb. Gall. Sextò Euſebius Gallicanus homil. in Dom. 5. poſt Pentecoſt. *Piſcatores autem*, ait, *vtriuſque populi doctores, ac rectores intelliguntur. Retia autem lauare, eſt, ſuæ prædicationis ſententias exponere, & dilucidare.* Rete ſacram doctrinam deſignat, quam Prædicator maximè debet declarare, ac aperire: nam ſicut quando rete, vel linteum abluitur, maximè manifeſtatur, ac propalatur; ita doctor proferat ſuam doctrinam, vt ab omnibus percipiatur, ac in conſpectu omnium oculorum verſetur. Non quærat angulos, vel latebras, non peregrinum, & abditum leporem; ſed omnia dilucidè, clarè, & patenter diſſerat.

*Prædicator in doctrina ſua claritatem affectet, vt ab omnibus intelligatur.*

27\. Apoc. 1. Videt Ioannes *Apoc. 1. num.* 15. Chriſtum Dominum, & de ipſo ait: *Vox illius tanquam vox aquarum multarum, & de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat.* Per vocem *aquarum multarum* intelligunt euangelicam prædicationem, quæ ad multos populos pertranſiuit, Gloſſa, Aretas, Primaſius, D. Ambroſius, Ambroſius Anſbertus, Hugo, & alij. Sed illud eſt mirabile, quòd cùm haberet gladium in ore, dicatur vox illius, vt vox aquarum. Si aliquid ore retinetur, vox impeditur, raucè profertur, & minimè ſonat. Deinde cur vox Prædicatoris comparatur aquæ? Cur non potiùs auiculæ ſuauiter, vel cymbalo ſonanti; ſed aquæ? Quæ huius rei ſimilitudo? Vox Prædicatoris, ſua doctrina eſt, vt gladius, & vt aquæ multæ; nam eius efficacia viua eſſe debet, & penetrans ad animam; & hoc ita dilucidè, & clarè, vt aqua pura, & cryſtallina, vt omnes illam guſtare, de eaque bibere poſſint. Andreas Cæſareæ Epiſcopus, *Haud iniuria*, ait, *vox illius aquarum multitudini aſſimilatur; nam vna, eademque illius, & ſpiritus vox eſt: at ſpiritus vi fit, vt aquæ viuæ torrentes è fidelium ventre fluant; claréque per terrarum orbem perſonent.* Expende vltima verba.

Gloſſa. Aretas. Primaſ. Ambroſ. Anſbertus. Hugo.

*Prædicatoris doctrina ſit clara, vt aqua.* Andr. Cæſar.

28\. Apoc. 1. Hugo. Et ſubdit Ioannes citato loco num. 16. *Et facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.* Quid ſignificat *Sol in virtute ſua?* Hugo: Sol in virtute ſua, id eſt, in meridie, vbi non obtenebratur nubium caligine. Sed quare, dũ Chriſtus Dominus introducitur, ac proponitur, vt vniuerſalis magiſter, ac doctor, dicitur, quòd facies eius reſplendeat vt Sol meridianus, qui nubium obuolucris non obſcureſcit? Per faciem, & præſentiam intelligitur ſæpe colloquium, & doctrina: *Eloquia Domini, eloquia caſta*, Pſalm. 11. num. 7. Alij vertunt, *Eloquia vnius faciei.* Facies eius ſicut Sol in meridiano, quia ſermocinatio, ac Prædicatoris verba, vt Sol meridianus, clara, ac manifeſta eſſe debent; ne inuoluantur fuco, nec retortis obſerentur ambagibus, ſed cunctis potentia ſint, atque perſpicua. Ambroſius Anſbertus. *Quid autem per faciem*, ait, *niſi manifeſtam Redemptoris in carne præſentiam, qua loquebatur hominibus facie ad faciem, intelligere debemus; quæ ſcilicet rectè per Solem deſignatur.*

Pſalm. 11.

Anſbert.

29\. *Prædicator criticus deplorandus.* Vnde maximè dolendum, quòd multi doctores in dictis obſcuritatem affectent, à via communi ad inuios tramites declinent, & ſegetes linquant, vt ſpinarum flores quærant. Quos eleganter pungit Nicolaus S. Bernardi Notarius in epiſtol. 1. *Illis*, ait, *verborum venationes voluntariè relinquo qui per locutionum ſiluas libenter deambulant, & rhetoricos modulos quaſi florentes ramuſculos decerpere gloriantur. Iſti enim ſunt, qui eloquia Domini, eloquia caſta, quaſi tribuloſa quæque refugiunt, & ab aſperitate ſegetum abhorrentes ſpinarum floribus inhiant, inanitate vtique pleni, non veritate.* Quod iterum confirmo expoſit. ſeq. ex D. Auguſtino, & D. Gregorio.

Nicolaus.

*Lucæ 5. n. 3.* Aſcendens autem vnam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum: & ſedens docebat de nauicula turbas.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Vna autem earum erat Schemeorum Kipho, quumque deſcendiſſet Ieſchua, ſedit in ea, & dixit, vt proueherent eam paululum ab arida in aquas, ſedebatque, ac docebat turbam è naui.

*Vatablus.* Ingreſſus autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, vt à terra nauim ageret paululum, & ſedens docebat.

*Theophylactus.* Rogauit eum, vt à terra abduceret puſillum.





*EXPOSITIO.*

30\. Tolet. CVM turba irrueret in Ieſum, ne ab ipſa vrgente è littore in ſtagnum proturbaretur, vt ait Tolet. *Aſcendit in vnam nauim. Nauis Petri* Eccleſiam ſignificat, vt docent Gloſſa, Beda, Haymon, Hugo. Et rectè dicitur *vna*, quia vna tantùm eſt fides in ea; & quia omnium, qui ſunt in Eccleſia, eſt cor vnum, & anima vna. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, Actor. 4. num. 32. *Quæ erat Simonis.* Æqualiter, vt mihi eſt veriſimile, nauis erat Petri, & Andreæ, qui eius frater, & ſenior erat; tamen quia Petrus actione exercitatior, ac induſtrior erat, ideo vulgariter dominus, ac gubernator nauis reputabatur. Nam gubernaculum, ac regimen illi eſt adſcribendum, qui actione, & induſtria pollet. Vel nauis dicitur Petri ob myſterium, quia ipſe erat præficiendus Eccleſiæ Dei, quæ in naui præfigurabatur. *Rogauit eum, à terra reducere.* Non imperiosè coëgit, ſed placidis verbis rogauit, vt à terra, hoc eſt, à littore, ad aquas nauem deducerent. *Puſillum*, vt commodè ab exiſtentibus in littore audiretur concio. Et moraliter docemur, vt ait Interlinealis, D. Bonauentura, S. Antonius Vlyſſipon. quòd Prædicator ſit ſegregatus à terrenis, ac, vt ait Simon Caſſianus, quòd mercedem terrenam non quærat. Deinde quòd in tradenda doctrina, ac gubernanda naui priùs à leuioribus, ac puſillioribus incipiendum; poſtea ad altiora, & profundiora prouehendum. Et ita dicebat Paulus 1. Corinth. 3. num. 2. *Tanquam paruulis lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis.* Vnde per præſentem textum monet D. Gregorius *lib.* 17. *moral. cap.* 14. Prædicatores vt ſermonem ſuum ducant in puſillum, & non ad profundiora euolent, quæ à turbis non percipiantur. Ita ait S. Pater. *Per nauim Petri quid aliud, quàm commiſſa Petro Eccleſia deſignatur? De qua vt turbis confluentibus Dominus prædicet, eam à terra paululum reduci iubet: quam nec in altum duci, & tamen à terra præcipit remoueri; profectò ſignificans, Prædicatores ſuos rudibus debere populis, nec alta nimis de cœleſtibus, nec tamen terrea prædicare. Nam plerunque ſi auditorum cor verbi immenſitate corrumpitur, lingua docentium indiſcretionis pœna mulctatur.* Similiter D. Auguſtinus *lib.* 2. *quæſt. Euangelicar. quæſt.* 2. Prædicator paulatim in doctrina ſua procedat.

Gloſſ. Beda. Haymon. Hugo.

Actor. 4.

*Illius eſt regimen, qui induſtria pollet.*

Interlin. Bonauent. Ant. Vlyſip. Caſſian.

1\. Cor. 3.

Gregor.

*Prædicator ſe accommodet audientium imbecillitati.*

31\. *Et ſedens docebat de nauicula.* Poſtquam Simon imperata Chriſti fecit, Dominus ſedet in nauicula, & de ea docet turbas. Priùs ſedet, & poſtea docet, vt manifeſtaretur, quòd non veluti tranſitoriè, ſed ſumma cura, ac conatu doceat. D. Bonauentura notat moraliter, quòd hîc introducitur Dominus, vt ſtans, vt videns, vt aſcendens, & vt ſedens. Veri enim Prædicatoris eſt, ſtare per rectitudinem intentionis. Ezech. 2. n. 1. *Sta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.* Eſt, *videre* per certitudinem diſcretionis, Prouerb. num. 23. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Eſt, *aſcendere* per exercitium perfectæ actionis. Iſai. 40. n. 9. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion.* Eſt, *ſedere* per otium contemplationis. Threnor. 3. num. 28. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe.*

Bonauent.

Ezech. 2.

Prouerb. 27.

Iſai. 40.

Thren. 3.



## QVÆSTIO V.

*Quare Chriſtus aſcendit in nauiculam?*

RATIO germana eſt. Turba magna confluebat in littore ad ſermonem; ne ergo ab irruente populo Dominus nimis vrgeretur, aut ne impelli poſſet in lacum, nauim conſcendit, vt ab ea importunitatis iniuriam propulſaret. D. Ambroſ. ſerm. 62. *Ergo*, ait, *cùm Dominus Ieſus ab irruentibus turbis ſemotus in terra eſſe non poſſet, aſpiciens in mari duas nauiculas, vnam nauim Petri omni feſtinatione conſcendit, vt importunitatis iniuriam aquarum natura depelleret: quia turbam Doctoris reuerentia minimè coërcebat.* Cùm turba conflueret ad Chriſtum ob ſanitatem, ac ſuam vtilitatem, minimè attendebat ad tanti Doctoris reuerentiam. 32.

Ambroſ.

Secundò idem D. Ambroſius citato loco. *Sed videamus*, ait, *quæ ſit iſta nauicula Simonis Petri, quam adducendam de duabus magis opportunam Dominus iudicauit; quæ & tutum Saluatorem præſtet ab iniuria, & credulitatis hominibus largiatur eloquia. Inueniemus enim, iam Dominum nauigaſſe in alia naui, & grauibus iniuriis laceſſitum. Nauigauit enim cum Moyſe in mari Rubro, quando populum Iſraël per vndarum fluenta tranſuexit; ſed grauibus eſt affectus iniuriis, ſicut ipſe ait in Euangelio ad Iudæos: Si crederetis Moyſi, & mihi crederetis*, Ioan. 5. num. 46. *Iniuria autem Saluatoris, eſt incredulitas Synagogæ. Ergo Petri nauem elegit; Moyſis deſerit: hoc eſt, ſpernit Synagogam perfidam, fidelem aſſumit Eccleſiam.* Duæ erant nauiculæ in portu; vna Simonis, altera Zebedæi: hæc Zebedæi nauis Synagogam deſignat: in qua Deus olim per mare Rubrum nauigauit. Et quia Synagoga Iudæorum multis iniuriis, ac obdurationibus laceſſierat Dominum; meritò hæc nauis vacua contemnitur, & derelinquitur. Ac fidelis nauicula Petri, ſcilicet Eccleſia, eligitur, vt multis ſit donis repleta. Qui enim, vt Synagoga, pro beneficiis datis iniurias rependit, & ſoluit, meritò deſeritur, ac repellitur; & digniſſimè alius eligitur, qui donis repleri promereatur. Pergit citatus Ambroſius. *Ex his ergo duabus nauiculis vna relinquitur ad terram inanis, & vacua; altera producitur in altum onuſta, vel plena. Vacua enim Synagoga relinquitur in littore; onuſta autem Eccleſia in altum aſſumitur. Synagoga, inquam, remanet ad terras, quaſi terrenis inhærens; Eccleſia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cælorum profunda diſcutiens.* Et ideo Iudæi quid terrenum dixerunt de Domino: *Hic eſt filius fabri Ieſeph*, Luc. 4. num. 22. Petrus verò quid altum, & profundum ait ad Dominum: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, Matth. 16. num. 16. 33.

Idem.

*Ingratus deſerendus.*

*Synagoga quid terrenum, Eccleſia quid diuinũ ſapit.*

Luc. 4.

Matth. 16.

Tertiò Gloſſa Interlinealis. *Qui magna fecit in terra, tranſit ad mare, vt & ibi faciat, & Dominus maris, & terræ appareat.* Cùm Saluator miracula, & mirabilia multa eſſet operatus in terra, tranſit ad mare, vt & ibi faciat, vt non ſolùm terra, verùm etiam mare tantis operibus nobilitetur, ac Dominus maris, & terræ appareat. Dominatus enim, & principatus per dona, ac beneficia oſtenditur, ac declaratur. 34.

Interlin. *Dominus omnes nobilitet, omnibuſque benefaciat.*

35. Caſſian.

Quartò Simon Caſſian. lib.9.cap.15. *Aſcendit in nauiculam*,ait; *magis vexari vndis huius ſæculi elegit Chriſtus, quàm quieſcere in terrenis delectationibus in ſocietate malorum. Et ſic formam omnibus ſequentibus dedit, vt potius eligant, de tribulationibus, & tentationibus tolerandis auditores inſtruere, quàm terrenarum rerum ſoliditatem aſſignare labentibus.* Relinquit Dominus terram, in qua erat in magna apud omnes veneratione, & reuerentia; & ad mare confugit, vbi tempeſtates ſæuiunt,pericula imminent, docens nos, quòd potius eſt eligendum, inter furentes maris tempeſtates, quàm inter huius ſæculi, ac terræ fauores, & blanditias degere. Pergit ipſe Caſſian. *Sedet in nauicula in mari lata, quoniam ipſe quieſcit, vbi nemo quieſcere poteſt. Et imperium habet in viſibilibus, & in inuiſibilibus vndis, nulla ſibi moleſtia,niſi quando pati voluit.*

*Potius viuendum inter maris tempeſtates, quàm inter ſæculi fauores.*

36. Theophyl. Quintò Theophylactus. *Vrgente turba*, ait, *in nauim ingreditur, vt vel à naue doceat in littore ſtantes, omnibus è regione comparentibus, & nullo à tergo veniente.* Similiter Euthymius. *Docebat de naui*, inquit, *ne in eum docentem irruerent, videretque omnes coram facie ſtantes.* Ingreditur in nauim,de eaque docet,ne à tergo ſit aliquis,omneſque auditores ſuos in conſpectu oculorum poſitos habeat. Hoc enim maximè ſit curæ Prælato, magiſtro, ac doctori, vt eius ſubditi ante oculos obuerſentur, vt eorum facta,ac operationes conſiderare,ac appendere valeat.

Euthym.

*Prælatus, ac doctor ſubditos ante oculos habeat.*

37. Hugo. Sextò Hugo per hanc nauim intelligit crucem. Nauis Simonis,ait, eſt Crux Domini: nam ſicut naui tranſitur de vna ripa maris ad alteram; ita Cruce de miſeria mundi ad gaudia cæli. Sapient. 14. num. 5. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare, per ratem liberati ſunt.* Alias conſiderationes inter nauem, & Crucem apponit ipſe Cardinalis. Et de hac naui docuit Dominus turbas, quaſi de cathedra magiſtrali. Septimò Caietanus. Sedens docebat de nauicula. Nullus locus,ait, ineptus ad docendum,quæ Dei ſunt, cenſetur; modò in Synagoga,modò in monte, modò in campo, modò de naui ſecus ſtagnum prædicat Ieſus..

*Nauis, Crux.* Sapient. 14.

Caietan. *In omni loco prædicãdum.*

38. Octauò. Facilè poterat Chriſtus Dominus in littore ſtare, ac ſua diuina Omnipotentia turbas cohibere, ac reprimere, ne in ipſum irruerent, eumque opprimerent; tamen miraculis non vtitur, ſed more hominum nauim conſcendit, remedium humanum quærens. Nam de nauicula prædicans bene ab in littore exiſtentibus audiebatur;&facile, quidquid erat inconueniens, declinabatur,abſque eo quod extraordinarius concurſus aliquis ad turbas reprimendas applicaretur. Sicut etiam diuina vi nauem, cùm poſſet, impellere noluit, ſed Petrum rogat., vt hoc præſtet; quando enim communi medio res fieri poteſt,ad miraculum non eſt recurrendum.

*Non recurrẽdum ad miraculũ, dum viribus noſtris res fieri valet.*

39. Cùm populus iter agens per deſertum ſiti tribus diebus fatigaretur,in Maraque veniſſet, ac bibere non poſſet aquas ibi defluentes, eo quòd amaræ eſſent: clamauit Moyſes ad Dominum, *qui oſtendit ei lignum, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt*, Exod. 15. num. 25. Cur clamanti Moyſi oſtendit Dominus lignum ad depellendam aquarum acerbitatem? Nónne in manu Moyſis erat virga, quæ magnum habebat dominium ſuper aquas; nam ipſas conuertit in ſanguinem; è cælo multitudinem pluuiæ adduxit, flumina repleuit ranis; & tandem mare in duas partes diuiſit? Quare ergo non adhibetur virga,ſed oſtenditur lignum,vt aquæ dulceſcant? Illud lignum vim habebat, vt notat Caietanus, Lyppomanus, & alij,vt ſua iniectione aquæ eſſent ſapori proportionatæ, atque ſuaues. Et ita pro eo,quod dicitur, *Oſtendit ei lignum*; alij ex Hebræo legunt:Docuit eum de ligno,hoc eſt, de virtute ligni, vt explicat Lyppomanus. Vt aquæ conuertantur in ſanguinem,mare diuidatur, &c. admirabilis diuinæ omnipotentiæ exigitur operatio: at vt aquæ dulceſcant, medium naturale abundans eſt. Adhibeatur ergo virga ad ea, quæ ſuperant limites naturæ; nam illa, ad quæ ipſa extendi poteſt, vi eius operantur. Ianſen. *Quorſum Dominus ei certum aliquod lignum oſtendiſſet,vel arborem, niſi illud naturalem ex natura ſua virtutem inditam habuiſſet? nam alioqui virga eius, quæ reliqua operabatur miracula,ad miraculi operationem ſuffeciſſet.*

Exod. 15.

Caietan. Lyppom.

*Quod per naturale mediũ fieri poteſt, miraculosè non eſt operandum.*

Ianſen.

40. 3.Reg.17.

Cùm ob hominum peccata deficeret pluuia, mandauit Deus parenti Eliæ: *Recede hinc, & vade contra Orientem; & abſcondere in torrente Carith, & ibi de torrente bibes, coruiſque præcepi,vt paſcant te ibi*, 3. Reg. 17. num. 3. Iuſſerat Deus,vt obſeruat Abulenſis,vt Propheta in ſpelunca abſconderetur, ne à quærentibus inueniretur; aliter ſi non lateret, à prætereuntibus reperiretur. Cur tantus Propheta in tanto ponitur diſcrimine, vt ei neceſſarium ſit,in cauernoſo, ac obſcuro degere antro? Cur non tendit ad antra deſerti? Et ſicut corui, immo Angeli, vt eſt aliquorum opinio,& videre eſt apud Abulenſem *quæſt.*15.ſub coruorum ſpecie, panes, & carnes deferebant,aquam etiam poterant aſportare: & qui in vno famulabant, in altero minimè deficerent, ſi iuſſi eſſent. Panes, & carnes difficile inueniebantur, ideo miraculosè diuina prouidentia Prophetæ miniſtrabantur. At aqua,quam promptè, & expeditè de torrente bibere poterat, per miraculum non defertur, verùm induſtria ſua haurit ipſe, atque bibit. Fauet Abulenſis quæſt. 14. *Toto tempore, quo manſit apud torrentem Carith, Deus mittebat ei bis quotidie panem, & carnes, ſed cogebatur bibere de torrente, & ob hoc miſerat Deus eum ad torrentem, vt biberet ibi de aqua eius.*

Abulenſ. Idem. Idem.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dominus non imperat Petro, ſed rogat eum?*

41. Haymon.

RESPONDET primò Haymon. *Ideo rogauit, quia adhuc non erat eius diſcipulus.* Modò rogat Dominus Petrum,quia adhuc non erat eius diſcipulus:at verò poſtquam in eius ſcholam eſt ingreſſus, eiuſque collegio aſſociatus, multa ei imponit præcepta, & mandata,in noſtrum documentum; quia ſi ius habes, vt tibi ſubdito, ac obligato poſſis imperare; minimè verò ei, qui tui inferior non eſt, nec tibi adſtrictus. Ait Chriſtus Petro Ioannis 21. numero 18. *Amen, amen dico tibi, cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cùm autem ſenueris, alius cinget te, & ducet,quò tu non vis.* Id eſt, cùm eſſes iuuenis,

*Nemo præcipiat ſibi non ſubdito.*

Ioann. 21.



antequam ad meum Apoſtolatum venires, tuæ obſecutus es voluntati; at, cùm iam ſenueris,& perfectè meus ſis Apoſtolus, mea præcepta te cingunt,vt pro me vitam tuam exponas.

42. Carthuſ. Secundò Carthuſianus. *Ex hoc oſtenditur maxima Chriſti Domini manſuetudo, & pietas, quòd Petrum pro tam parua re tam modeſtè, humiliterque rogauit, cui præcipere habuit, docens prælatos vt proniores ſint ad monendum, quàm ad præcipiendum, magiſque cupiant diligi, quàm timeri.* Similiter loquitur D. Bonauentura. *Non tyrannicè opprimendo, ſed humiliter ſupplicando; vnde rogauit eum.* Diſcant, diſcant Prælati, ſubditos non compellere rigido, & auſtero præcepto, ſed ſuaui, lenique prece: plus ſæpe mitis exoratio vincit, quàm rigoroſa imperatio. Vnde Angelus Epiſcopo Laodiceæ ait: *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum*, Apocal.3.n.18.Non ait: Impero tibi, ſed ſuadeo. Vnde eleganter ait Chryſoſtomus homil.56. in Matth. *Sicut, qui vim affert, plerunque auertit; ſic qui liberos audientes conſtituit, multo magis attrahit: potentior enim eſt oratio mitis, quàm violenta.* Vnde aſperos Prælatos obiurgat Dominus per Ezechielem 34. num.4. *Cum auſteritate imperabatis,& cum potentia.*

Bonauent.

*Prælati non rigorosè præcipiant, ſed potiùs ſubditos moneant.*

Apoc.3. Chryſoſt. Ezech.34.

43. Tertiò. Non arripit Dominus nauim, non ſuo nutu impellit,ſed rogat eum. Opus noſtrum voluntarium optat, vtpote ei maximè gratum ideo non imperat,ſed rogat, vt Petrus liberè, ex ſuáque voluntate det petenti, vt inde magnum, & excellens habeat meritum. Quod rectè docet D.Ambroſius *ſerm.3. de Sanctis*, in feſto S.Baſilij: *Acceptius voluntarium obſequium eſſe ſolet, quàm coactum, & ſeruitium plus placet, non quod imperio exigitur,ſed quod ſponte defertur.*

*Obſequium voluntarium maximè gratum.*

Ambroſ.

44. Seneca. Bonauent. Quartò, vt ait Seneca, & refert hîc D. Bonauentura. *Generoſus, ait, eſt animus hominis, & facilius ducitur, quàm trahitur.* Homo, cùm ſit valde generoſus, potius ducitur, & inclinatur ſuaui, vrbanoque modo, quàm rigido, auſteróque præcepto violenter trahitur. Et ideo non imperat, ſed maiori manſuetudine, ac vrbanitate rogat. Multum per omnem modum præpotens eſt in ſubditos vrbanitatis forma. Quod ab ipſo Deo omnium exemplari diſcamus exemplum: De illo ait Sapient.12. num. 18. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas; & cum magna reuerentia diſponis omnia.*

*Vrbanitas, & reuerentia valde præpotens ad trahendum.*

Sapient.12.

---

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Dominus modò rogat Petrum, vt reducat nauim puſillum à terra? non poſtea verò, vt ducat in altum?*

45. MODO Chriſtus Dominus hîc rogat Petrum,& poſt pauca ſequent.num.ei imperat: *Duc in altum, & laxate retia veſtra.* Quid eſt, quod modò rogat, & ſtatim imperat, vt nauem ducat in altum? Reſpondeo primò. Quando Chriſtus eſt ingreſſus in nauim, & rogat Petrum, vt reducat puſillum à terra, adhuc Petrus eum concionantem non audierat, nec cor eius diuinis Chriſti verbis incaluerat; & ideo tunc rogat. At poſtquam Petrus eum prædicantem audiuit, diuinaque eius verba percepit,iam tunc ignito illo ſermone cor eius ardens erat, ad obediendum paratum; & tunc imperat, ac mandat: *Duc in altum.* Nec enim præcepta omnia omnibus ſunt tradenda, ſed teneri, aut prouectioris vnius cuiuſlibet attemperandum; accommodandumque conditioni: nam quòd prouectiores poſſunt obire, incipientes præſtare non valent. Scribens Apoſtolus *ad Theſſalon.* 1. *cap.4.num.*1. ait: *Rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu.* Et 2.cap.2.num.1. *Rogamus vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu.* Cur tantis precibus Apoſtolus ſe exhibet erga eos, vt in prima Epiſtola, ſicuti notant D.Ambroſius, Theodoretus, duplicet rogationis verba: & tamen ad Timotheum ſcribens multa imponit præcepta: *Te ipſum cuſtodi*, 1.Timoth.5.num.22. Et *cap.6. num.*20. concludens ait: *O Timothee, depoſitum cuſtodi.* Vbi per depoſitum præcepta à ſe data intelligit Apoſtolus, vt explicat OEcumenius, cur cum illis tot rogationibus agitur; itaut etiam duplicentur, at cum ſancto Epiſcopo multa dantur mandata? Timotheus, cùm iam eſſet magna ſanctitate prouectus, capax erat ad omnia illa mandata ſuſtinenda. At Theſſalonicenſes,apud quos, vt docent D.Hieronymus *Epiſtol.*151. D.Auguſtinus *lib.* 20. *de Ciuitate cap.*19. percrebuerant quæſtiones, imminere iam mundi curſum, expectandum iam diem Iudicij, ſuaui,mitiorique rogationis modo fuerunt inducendi,vt in doctrina data ſtarent, ne aliquis eos ſeduceret.

*Auditor verbi Dei capax ad recipienda præcepta.*

1.Theſſal.4. 2.Theſſal.2.

Ambroſ. Theodor.

1. Tim.5. & 7.

OEcumen.

Hieron. Auguſt.

Secundò, & moraliter. Vt Petrus reduceret nauim puſillum à terra, non imperat Chriſtus, ſed rogat; aliter verò, vt ducat in altum ad laxanda retia, & capiendos piſces. Reducere nauim puſillum à terra, in obſequium Chriſti erat, ne ab irruente turba comprimeretur; at vehere nauim in altum, in vtilitatem Petri cedebat, vt eam piſcibus repleret. Ideo quæ pro tunc ad Chriſti ſpectabant obſequium, vrbano modo, ac rogationibus exigenda fuere: quæ verò ad vtilitatem piſcatorum referebantur, ab ipſiſque erant præſtanda, quocunque modo dicere, fuit abundans. Itinerantur Tobias iunior, & Angelus Raphaël. At diligenter nota, quòd Raphaël adoleſcenti ſemper imperatiuo modo loquitur. Nam cùm piſcis euaderet eum, ait ei Angelus: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piſcem, & cor eius; & fel & iecur repone tibi*, Tob.6. num.4. Et infrà de Sara ait num. 12. *Pete eam à patre ſuo.* Et propter Dæmonium ait: *Cùm acceperis, tu continens eſto ab ea.* Similiter *cap.*11. *num.*4. ait ei Raphaël: *Tolle tecum ex felle piſcis, gratias agens Deo accede ad patrem tuum, & oſculare eum, ſtatimque lini ſuper oculos eius ex felle piſcis*, &c. At cùm Tobias vellet, vt Raphaël abiret, in Rages ciuitatem ad recipiendam pecuniam à Gabelo ait ei: *Azaria frater*, ita vocabatur, *peto, vt auſcultes verba mea: Obſecro, vt aſſumas animalia, & vadas ad Gabelum*, Tob.9. à num. 1. Cur Raphaël fatur iuueni per modum imperatiui; Tobias verò iuuenis cum Angelo, petendo, & obſecrando humiliter, vt notat Caietanus, cùm vterque ſocij in itinere eſſent? Quæ dicebat Raphaël, in adoleſcentis cedebant vtilitatem; quæ autem Tobias à Raphaële volebat, non ad ipſius Angeli, ſed ad ſuum commodum attinebant: ideo 46.

*Quando quis dicit vtilitatem ſuam petit, ad alterius verò imparat.*

Tob.6. Tob.11. Tob.9. Caietan.

ergo promptè Angelus imperatiuè loquitur; Tobias verò humiliter petit, ac ſuppliciter rogat.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Chriſtus non rogauit Petrum pro ingreſſu in nauim, ſed pro reductione puſillum à terra?*

47. DOMINVS è littore videns nauiculam, ingreditur in illam, quin aliquid innuat, vel Petrum roget; poſtea verò à Petro petit, vt puſillum à terra nauim ſemoueat. Quare hoc? Reſpondeo primò, quòd vt Dominus ingrederetur in nauim, nullius indigebat ope; vt verò tantiſper reduceretur à terra, promptè, & commodè fieri non poterat, niſi interuentu nauis gubernatoris; nam Dominus, vt iam dixi, ſua diuina vi nauem impellere noluit: ideo Petrum pro reductione rogat, omnia enim, quoad fieri poteſt, communi via, ſuauitérque ſemper diſponit.

*Deus omnia ſuaui modo diſponit.*

48. Tolet. Secundò reſpondet Toletus *annot.* 3. quòd ingreſſus in nauim, cuiuſdam imminentis neceſſitatis erat, irruebat enim in eum turba, vt docet D. Ambroſius citatus *quæſt.* 5. *in principio num.* 32. Feſtinatio erga neceſſaria locum non dedit precibus. Ingreſſo autem Domino in nauim iam tanta neceſſitas non vrgebat. Et ideo pro reductione rogat Petrum, licèt antea pro ingreſſu, ob inſtantem neceſſitatem non rogauerit: nam neceſſitas, vt ait Silius 7. *Moras extrema recuſat.* Et, vt ait Petrus Cellenſis lib. 1. Epiſt. 18. *Neceſſitas nullis reprimitur legibus.*

Ambroſ. — *Neceſſitas nõ ſuffert moras.* — Silius. — Petr. Cellen.

49. Vrgente fame pergit Elias in Sareptam ad mulierem viduam; à qua petit parum panis, & aquæ; quæ cùm reſponderet, quòd tantùm in domo ſua habebat pugillum farinæ, vt faceret ſibi, & filio ſuo, vt comedamus, & moriamur; ad illam ait Elias: *Vade, & fac, ſicut dixiſti. Veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulum, & affer: tibi autem, & filio tuo facies poſtea*, 3. Reg. 17. num. 13. In hac obſecratione tantus Propheta videtur excedere leges vrbanitatis, & charitatis. Qui vrbane petit, non priùs ſibi poſtulat prouideri, quàm proprio rei domino, & filiis eius. Quomodo ergo ait Propheta mulieri; Vade, de tua farina fac panem, ſicut dixiſti, *veruntamen mihi primum; tibi autem, & filio tuo facies poſtea.* Deinde charitas æqualitate fertur ad omnes, & non magis ſibi vult, quàm aliis. Quomodo ergo ait: Fac mihi primum. & poſtea tibi, & filio tuo. Abulenſis *quæſt.* 28. ex Lyrano: *Elias tunc erat famelicus nimis, & magis neceſſarius erat ſibi cibus, quàm mulieri, & filio.* Graui fame preſſus Elias, cùm tanta vrgeret neceſſitas, nullis legibus reprimebatur; ideo confidenter cum charitate, ac vrbanitate à muliere poſtulat, ſibi primum afferri, & poſtea ipſi, & filio ſuo.

*Neceſſitas nullam habet legem.* — 3. Reg. 17. — Abulenſ.

50. Vt filij Iacob poſſent ſibi alimenta comparare, neceſſariò Beniamin adducendus erat in Ægyptum ad Ioſeph. Et pro eo ſecum aſportando grauiter inſtat Ruben apud patrem; *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero eum tibi*, Geneſ. 42. num. 37. Et tamen non annuit pater. Accedit Iudas: confidenter exorat, vt puer pergat, ne alimoniæ penuria conſumantur omnes; aitque, *Mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſſimus viuere, ne moriamur nos, & paruuli noſtri*, Geneſ. 43. num. 8. Quibus auditis pater acquieſcit, & puer curæ eius, ac tutelæ committitur. Mirum ſanè: nam bonus ſenex facilè eximium Ruben in fratres amorem intelligere poterat; ipſe enim maximè laborauit, vt Ioſeph à nece, ac venditione eriperet, cuius author extitit Iudas. Cur ergò, non Ruben, ſed Iudæ, puer committitur? Quamuis apud patrem eſſet fixum, ne puer diſcederet, extremam tamen Iudas neceſſitatem propoſuit: vt poſſimus viuere, ne moriamur nos, & paruuli noſtri; & cùm Iacob adeò vrgentem intellectam haberet neceſſitatem, per omnem legem ſibi tranſigendum eſſe putauit. Hamerus ait: *In prouerbij locum abijt, neceſſitatem legem non habere: & fieri videmus, quæ in animo nunquam habeamus, vt faceremus, illa tamen neceſſitate ſubacti, & inuiti vt faciamus. Conſtituerat quidem Iacob filium ſuum Beniamin, quem à chariſſima ſibi vxore ſuſtulerat, domi apud ſe tenere, neque cum reliquis filiis in Ægyptum mittere; ſed conſtantem, & tenacem virum Iacob fregit neceſſitas.*

Geneſ. 42. — Gen. 43. — *Neceſſitas omne propoſitum mutat.* — Hamerus.

*Lucæ 5. n. 4.* Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem. Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Dixit ipſi Schemeoun: Ducite in profundum; & proiicite retia veſtra ad piſcandum.

*Vatablus.* Age nauim in altum; & laxate retia veſtra.

*Franc. Lucas.* Prouehe nauim; & expanſa dimittite retia.

## *EXPOSITIO.*

51. QVID Chriſtus Dominus locutus fuerit in ſua concione ſacer Euangeliſta non explicat. Tamen prima Chriſti prædicatio, vt teſtatur Matth. 4. num. 17. *Cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Hæc enim erat ſumma omnium Chriſti prædicationum. Vnde notat Franciſcus Lucas, quòd quando de doctrina Chriſti fit mentio, ad hanc concionem, tanquam ad ſtatum totius doctrinæ Chriſti reſpiciendum eſt. *Vt ceſſauit autem loqui.* Suæ admirabili doctrinæ coniunxit opera, quæ magnam vim, & efficaciam ad perſuadendum habent: vt quos verbis non mouerat, miraculo obſtupeſcerent. Infrà enim dicitur, quòd ſtupor circundederat omnes. Hoc notauit D. Cyrillus citatus à Cordero. *Poſt ſufficientem igitur doctrinam, ait, cùm oporteret etiam, opus aliquod diuinum iſtis verbis adiungere in vtilitatem proſpectantium, iuſſit*

Matth. 4. — *Chriſti prædicatio, agere pœnitentiam.* — Franc. Lucas. — Cyrill.



*iuſſit Petro, paululum à terra ſoluere, ac laxare in capturam rete.* Et nota quòd Chriſtus priùs prædicat, & poſtea agit de piſcatione piſcium. Diuinus Magiſter priùs agit de ſpirituali cibo, & poſtea de corporali, vt nos diſcamus, noſtram prius ad ſpiritualia dirigere operationem, & de his, quæ ad corporis victum requiruntur, ſecundo loco tractare.

*Prius agendum de ſpiritualibus, & poſtea de corporalibus.*

52. *Dixit ad Simonem*, vt ad Dominum, ac gubernatorem nauis: *Duc in altum*, id eſt, in profundum. Simon venerat ex alto mari nil piſcium prendens. Ad eundem locum, iubet Chriſtus, remeare, vt iubentis diuinitas, ac virtus oſtendatur; & ideo eundem locum, præcipit, repetere, vt apprehenſa tanta multitudine, piſcium, non hoc caſu factum, ſed miraculosè diſpoſitum credatur. *Laxate retia veſtra.* Loquitur Dominus Simoni, ac ſociis, vt expanſa retia laxent ad capiendos piſces. Et in eo, quod ait, laxate, emphaſim habet, quaſi dicat: Quàm maximè poteſtis, extendite retia, tantum enim trahetis piſcium, quanta retis capacitas erit.

*Miraculi manifeſtatio.*

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Petro dicitur, quòd ducat nauim in altum?*

54. *Ratio difficultatis.* RATIO difficultatis eſt: quia diuina virtute fieri poterat, vt laxantes retia iuxta littus magnam piſcium multitudinem caperent. Cur ergo mandatur Petro, vt ducat in altum? Sine dubio myſterium latet, quod iuxta mentem ſanctorum Patrum eſt inquirendum.

54. Maldonat. Reſpondeo primò iuxta ea, quæ dixi in expoſitione proximè; quæ mihi eſt ratio litteralis, vt etiam tradit Maldonatus. Venerat Petrus ex alto mari ad littus irrita piſcatione, cùm per totam noctem laboraſſet. Ad eundem locum, iubet Chriſtus, remeare, vt ita miraculi magnitudo videatur, & altum Dei conſilium, cùm ex loco paulo antea piſcibus vacuo tam magna eorum multitudo capiatur, dum in verbo Dei iacitur rete. Vt ita ſit omnibus apertum, nos fruſtrà ſine Chriſto laborare, & omnia humana ſtudia ſine diuina gratia irrita eſſe. Et ideo Chriſti virtus vtrunque fecit, vt Petrus antea nil caperet, & poſtea tantam piſcium multitudinem apprehenderet, vt ita miraculi magnitudo, ac neceſſitas diuinæ gratiæ patefieret.

*Sine Chriſto fruſtrà laboramus.*

55. Bonauent. Secundò reſpondet D. Bonauentura, & probabiliter in ſenſu litterali: *Duc in altum*, id eſt, in profundum mare, vbi ſcilicet eſt multitudo piſcium, ſicut diuinitatis oculis aſpiciebat. Eccleſ. 23. num. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi.* Non iuxta littus, ſed ad altitudinem maris, iubet Dominus ducere nauim, & laxare retia; quia non propè ripas, ſed in profundo maris copioſa piſcium multitudo ſolet natare. Et ad eum locum, imperat remigare, in quo videbat piſces ingenti cœtu conglomerari. Nam vnaquæque res eo in loco eſt quærenda, in quo conueniri poteſt, vt dicam inferiori cap. *num.* 64. & 65. Hæc probabiliter ſunt dicta. Tamen ad maiorem euidentiam miraculi exiſtimo cum Maldonato, quòd nauis ad eum locum reducta eſt, vbi Petrus per totam noctem laborans nihil inuenerat. Ad ſenſus morales veniamus.

Eccleſ. 23. — *Res ſuo in loco quærenda.*

Tertiò D. Ambroſius ſerm. 42. in 5. Dom. poſt Pentecoſt. *Eccleſia in altitudinem reuocatur, tanquam cælorum profunda Sacramenta diſcutiens, in illam ſcilicet altitudinem, de qua Apoſtolus ait: O altitudo diuitiarum, propterea dicitur Petro: Duc in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum generationis diuinæ. Quid tam profundum, quàm quod ait Petrus ad Dominum: Tu es Chriſtus filius Dei viui?* Matth. 16. & latè proſequitur. Et ſimiliter docet *lib.* 4. *in Luc.* hoc loco. Et cum eodem ſenſu locum enucleant Etherius, & Beatus *lib.* 1. *ad Elipandum.* Magna, & ingens eſt altitudo myſteriorum fidei, & arcanorum ſacræ Scripturæ, quæ in Synagoga latuerant. Et ita Iudæi appellabant Chriſtum fabri filium, *Marc.* 6. *num.* 3. Petro autem, vt gubernatori nauis Eccleſiæ Chriſti dicitur: Duc in altum; hoc eſt, vt cum diuina illuminatione aperiat altitudinem myſteriorum fidei. Et ita ei dicitur: *Non caro, & ſanguis reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* 56. Ambroſ.

Matth. 16. — Etherius. — Beatus. — Marc. 6. — *Myſteria fidei in Eccleſia reuelantur.*

Quartò idem D. Ambroſius *lib.* 3. *de Virginib. prope finem*, ait: *Nec enim vilis eſt nauis, quæ ducitur in altum, h. e. ab incredulis ſeparatur.* Et poſt pauca ſubdit: *Duc in altum, quia antea in arena erat, quando in Synagoga erat. Alta non erat aqua Iudææ. Denique Samaritana & puteum altum putabat, dicens: Puteus altus eſt*, Ioan. 4. *Vnde mihi dare habes aquam viuam. Non ergo ducere in altum poterat, quando cum Iudæis credebat, qui etiam de puteo aquam haurire non poterant. Ideo dicitur Petro: Duc in altum; hoc eſt, duc in Chriſtum. Altus enim eſt Chriſtus, de quo dicitur: Et tu Propheta Altiſſimi vocaberis*, Luc. 1. *Duc ergo ad Chriſtum, & bene altum, in quo eſt altitudo diuitiarum*, Roman. 1. Mandatur Petro, vt ducat nauim in altum, hoc eſt; vt ſeparetur ab incredulis, & infidelibus: & tunc poteſt tendere in altum, hoc eſt, ad Chriſtum, qui altus eſt in ſua diuinitate, & in quo eſt altitudo diuitiarum. Nam quandiu Petrus erat in Synagoga, erat in arena, & alta ei erat aqua Chriſti, nec, in quo hauriret, habebat. Vt autem ſeparetur ab ipſa Iudæorum arena, iam tendit in altum, hoc eſt, ad Chriſtum, ab ipſoque illuminatur. 57. Ambroſ.

Quintò idem Ambroſius citato loco de Virginib. *Duc in altum*, ait; *antea non ducebat in altum Petrus, quando piſcabatur in ſtagno. Et ſi mare erat, altum non erat. Altum mare Scriptura neſcit. Quid ergo ſit altum, accipe. Aqua alta conſilium in corde viri. Altum cor viri eſt, vbi nihil vadoſum eſt. Duc ergo in altum diſputationis tuæ fideique remigium; duc in cor viri.* Altum, & profundum eſt cor hominis. Et antequam Petrus iuberetur à Chriſto, licèt piſcaretur in ſtagno, ſuam tamen nauim, ac documenta ad profundum, hoc eſt, ad cor hominis, non ducebat. At poſtquam Chriſtus ei imperat: Duc in altum; iam ſua doctrina ad altum, ac profundum, nempe cor hominis tranſire mandatur. Vt ex hoc diſcant Prædicatores, verba ſua, ac documenta Apoſtolica non tantùm diffundere in auribus populorum, ſed etiam in eorum corda ea ingerere, 58. Ambroſ.

*Prædicator inſinuet doctrinam in corda auditorum.*

ingerere, & inſinuare, vt diuini amoris igne exardeſcant.

59. Sextò D. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Euangelicar. quæſt. 2. *Dominus*, ait, *aſcendens in nauiculam Petri rogat, à terra reducere puſillum: ſignificat, priùs in proximis regionibus Euangelium prædicandum eſſe; vt quod dicit iterum Petro: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam, ad remotiores gentes, quibus poſtea prædicatum pertineat.* Sicut Iſaias 57. num. 19. *Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longè eſt, & qui propè, dixit Dominus, & ſanaui eum.* Priùs dicitur Petro, quòd reducat puſillum nauim à terra; & poſtea: Duc in altum. Priùs Euangelium ſeminandum erat in propinquis nationibus, deinde ad remotiores deueniendum: quanuis enim dona, ac beneficia debeant in omnes diffundi; priùs tamen communicanda his, qui è propinquo ſunt; & poſtea in remotiores conferenda. Vide ſuprà *cap. 3. num. 2. & cap. 5. num. 20.*

Iſai. 57.

*Dona priùs in propinquiores conferenda, & poſtea ad remotiores.*

60. Caſſian. Septimò Simon Caſſianus lib. 9. cap. 15. *Sed cur petitur altitudo maris*, ait, *cùm ab Apoſtolo prohibeatur altum ſapere, cùm dicit: Noli altum ſapere, ſed time*, Roman. 11. num. 20. *Sed nec hoc altum petere, ſuadebatur à Chriſto, ſed altum maris pro futuro myſterio, altum ſcilicet fidei, cæterarumque virtutum. Altum, ſcilicet profundum intelligentiæ Scripturarum, in quibus, velut in figuris, profunda, & reuelanda myſteria latitabant.* Chriſtus iubet in altum tendere, Apoſtolus verò prohibet, altum ſapere: magna diſtat intercapedine vtrunque altum. Apoſtolus vetat, altum ſuperbiæ, ac vitiorum ſapere; nam dum homo huic altitudini ſe committit, naufragatur, & perit. Chriſtus autem imperat, altum petere virtutum, ac intelligentiæ Scripturarum, in quibus ſalus piſcatur, & vita.

*Altitudo ſuperbiæ fugienda; virtutum altitudo proſequenda.*

61. Octauò. In altum tendere, iubet Chriſtus. Et tam de ipſo, in eius perſona, vt eſt communis ſententia Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Nazianzeni, incogniti, & aliorum, ait Propheta Pſalm. 68. num. 3. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Si ipſe in altitudine maris ſubmergitur à tempeſtate, cur altitudinem maris iubet nos petere? Ipſe in laboribus huius vitæ temporalis, ac in procelloſa tempeſtate preſſurarum, ac dolorum ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis, propter nos ſubuerſionem paſſus eſt, dum ibi mortuus, & ſepultus eſt; vt nos in maris huius vitæ altitudine ſecuri, ac tranquilli eſſemus, & nullas minantium, ac ſæuientium laborum furias timeremus. Ipſe in mari ſuæ paſſionis tempeſtatem, & ſubmerſionem perpeſſus eſt, vt nauis Eccleſiæ in ipſo mari naufragium non timeat, ſed magnis piſcibus, hoc eſt, illuſtribus viris repleatur; & ſecura, ac immunis ab omni ærumna incedat. Huic cogitationi fauet D. Auguſtinus in cit. Pſalm. *Venit*, ſcilicet Chriſtus, *in altitudinem maris, in qua altitudine nos depreſſi eramus, in qua altitudine nos naufragium paſſi eramus. Venit illuc ipſe, & tempeſtas demerſit illum: quia fluctus ibi paſſus eſt ipſos homines, tempeſtates, & voces dicentium: Crucifige, crucifige.*

Hieron. Auguſt. Chyſoſt. Nazianz. Incogn. Pſalm. 68.

*Chriſtus mortuus, vt nos viuamus*

Auguſt.

62. Threnor 3. Venit Chriſtus in aquas, veniunt & homines. De Chriſto Domino dicitur Threnorum 3. num. 53. *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me; inundauerunt aquæ ſuper caput meum, & dixi: Perij.* Quid apertius de paſſione Chriſti, ait D. Paſchaſius, *Poſuerunt lapidem ſuper me*, quando poſitum eſt corpus in ſepulchro. *Inundauerunt aquæ* tribulationum, dolorum, plagarum, ac mortis, & crucis, itaut diceret: *Perij*, quando in cruce, vt explicat Hugo, clamauit: *Conſummatum eſt.* Quid verò de hominibus dicat diuina Sapientia 14. num. 5. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeunt mare, per ratem liberati ſunt.* Hoc mare eſt pelagus huius ſæculi multorum dolorum, ac tribulationum, per quod tranſeunt homines per nauim liberati. Chriſtus Dominus in hoc mari dixit: Perij; & tamen homines liberantur. Si lignum, ſi nauis illa eſt Crux Chriſti, vt multis ibi explicat Robertus Holkot, Lorinus, & alij, nonne Chriſtus Dominus illam habebat, & tamen moritur? Chriſtus ob ſuam clementiam ſanctiſſimo ſanguine ſuo, pretioſaque morte Crucem ditare voluit, vt nos hoc in mari ſæculi huius per eam ab omni preſſura, irruenteque malo liberi eſſemus. Cardinalis Hugo. *Nauis, qua mare tranſitur, crux eſt, cuius auxilio fluctus ſæculi tranſeunt fideles. Et hanc nauim magna cupiditate plurimum acquirendi populum excogitauit filius Dei: propter quod & populus fidelium dicitur gens ſancta, & populus acquiſitionis* 1. Petri 2. num. 9. ſcilicet per ſanguinem ſuum.

Paſchaſ.

Hugo.

Sapient. 4.

Robertus. Lorin.

*Chriſtus paſſus eſt in mari paſſionis: vt nos eſſemus liberati.*

Hugo.

1. Petri 2.

Diligenter mecum expende, quod antequam Deus fieret homo, homines non deambulabant ſuper aquas, ſed per ſiccum tranſibant. Sic ad ingreſſum Iſraël mare diuiditur, & Iſraël tranſit per ſiccum, *Exod. 14. num. 2.* Sic per arentem alueum tranſit Iſraël Iordanem, *Ioſue 3. num. 19.* Sic vt eundem fluuium valeat tranſuadare Eliſæus, diuiſæ ſunt aquæ huc, atque illuc, & tranſit, ſcilicet per ſiccum, vt ibi explicat Abulenſis 4. *Reg. 2. num. 14.* At poſtquam Deus factus homo ad nos deſcendit, & deambulat ſuper fluctus, Petrus etiam ſemel, & iterum *Matth. 14. num. 29. & Ioan. 21. num. 7.* Et ſanctiſſimi Patres mei Carmelitæ Angelus, & Albertus, multique alij viri illuſtres ſuper aquas incedunt. Quid eſt, quòd antequam Chriſtus mare ingrederetur, nullius hominum planta tingebatur aqua; at poſtquam ipſe ſuper aquas incedit, adſunt iam & viri, qui ſuper eas deambulent? Mare denotat hoc ſæculum maximè agitatum tumeſcentibus fluctibus calamitatum, preſſurarum, ac tentationum; & antequam Chriſtus hoc procelloſum pelagus conculcaret, cunctis erat in horrore, ac timore: at poſtquam Dominus ſuis pedibus illud contriuit, nobis iter liquidum præbuit, vt ſuper marinos vortices tentationum, ac laborum fiducialiter incedamus, ac deambulemus. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Mare*, ait, *illi calcabile ſe præbuit, iuxta debitum naturæ, quaſi Domino, & Petro, ſecundùm iubentis imperium ad modum ſeruiens. In hoc Chriſtus inſinuat, quòd ipſe ſit ſolus, qui omnes elationes præſentis ſæculi, & omnes fluctus ſua virtute calcat, & comprimit; ideo debuit in Petro monſtrari, in vno, ac ſingulari quid in omnibus agit, qui ſuum requirunt auxilium, dum præſens vertitur ſæculum, quia in hoc ſæculo, tanquam in aliquo mari poſiti ſumus, in quo vtique quotidie ſpiritualium nequitiarum turbines ſuſtinemus.* Antequam adeſſet, ſæuiebat mare tentationum; at poſtquam ille aduenit, ſua diuina virtute conculcauit, ac refrænauit, vt iam ſuper illud incedere, nobis non ſit timendum.

63.

Abulenſ.

*Poſtquam Chriſtus ingreſſus eſt in mare tribulationum, nos ibi ſecuri ambulamus.*

Paſchaſ.

Qvæstio



## Qvæstio X.

### *Quare Chriſtus iubet, laxare retia, & hoc vult miraculum edere?*

64. Euthym. Recte Reſpondet primò Euthymius. *Sciens*, ait, *quod tota nocte nihil ceperant, adhortatur, vt nunc laxarent retia, quo cognita firmiùs eius potentia, maiorem de eo fidem conciperent: relictáque deinceps capturæ magnitudine, continuè eum ſequerentur.* Vt de eo maiorem fidem concipiant, & firmiùs ei adhæreant, ſuam beneficentiam in nos elargiri vult per copioſam multitudinem piſcium captã. Nil magis animos allicit, ac attrahit, quàm donorum communicatio. Et laxare retia iubet, quia noſtram cooperationem requirit, vt eius bona percipiamus, iiſque ditemur.

*Beneficia animos attrahunt.*

65. Chryſoſt. Secundò D. Chryſoſtomus citatus à D. Thoma in Catena: *Condeſcendens*, ait, *hominibus, ſicut Magos per ſydus vocauit; ſic & piſcatores per piſcatoriam artem.* Similiter Theophylactus. Deus noſtro ingenio ſe accommodat, & vnumquemque trahit ſua inclinatione, cùm ſuauiter omnia diſponat. Et ideo ſicut Magos, in Aſtrologia peritos, ad ſe vocat per ſtellam; ita piſcatores per artem piſcatoriam allicit. De quo multa *cap. 5. num. 225.* & cap. inferiori dicam. In huius rei confirmationem eleganter ait Brixianus: *Et quia aſſuetus es piſcationi*, ſcilicet ô Petre, *ne tibi graue ſit, nouam artem ediſcere, piſcabere quidem adhuc, ſed pro piſcibus homines capies.* Deus ſuaui modo homines ad ſe trahit ac beneficia confert, ideoque ne graue ſit nouam artem ediſcere, ex piſcatoribus piſcium facit hominum piſcatores.

Theophyl. *Deus vnumquemque ſua inclinatione trahit.*

Brixianus.

66. Ambroſ. Tertiò. D. Ambroſius lib. 4. in Luc. *Quæ ſunt autem*, ait, *Apoſtolorum, quæ laxari iubentur, retia, niſi verborum complexiones, & quaſi quidam orationis ſinus, & diſputationum receſſus, qui eos, quos ceperint, non amittant? Et bene Apoſtolica inſtrumenta, piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſeruant; & de profundo ad lumen extrahunt; & fluctuante de infernis ad ſuperna perducunt.* Quos ad Apoſtolicam dignitatem deſtinabat, iubet laxare retia, vt in eis Apoſtolica inſtrumenta deſignarentur; nam retia eam habent linearum diſpoſitionem, vt captos piſces non amittant, ne eos perimant, ſed conſeruent, & ex fundo maris ad limen producant. Ita viri Apoſtolici talem obſeruent diſpoſitionem, vt ſuos ſubditos non amittant, ne eos terrore, ac pauore ſuffocare videantur; ſed ita moderatè ſe habeant, vt eos conſeruent, & ex peccatorum baratro ad lumen fidei, & virtutis transferant.

*Apoſtolici viri ſuos ſubditos conſeruent, ne pereant, ſed ad vitam producant.*

67. Hugo. Quartò Hugo. Iubet, laxate retia in capturam piſcium, ſcilicet hominum, multi enim laxant rigorem Scripturæ, non in capturam, ſed in deceptionem. Vel ſi in capturam laxant retia, id eſt, explicant ſcripturas, hoc faciunt, non in capturam piſcium, id eſt, hominum, ſed ranarum, id eſt, diuitiarum, vel dignitatum. De quibus dicit Iſaias 59. num. 5. *Telas araneæ texuerunt.* Oſe. 8. num. 6. *In aranearum telas erit vitulus Samariæ.*

*Prædicator prædicet ad homines capiendos, non dignitates.*

Iſai. 59. Oſe. 8.

Quintò. Dum Dominus eligit Petrum, ac Andream, & filios Zebedæi, laxis retibus miraculum operatur, vt eis declaret ſuam potentiam, cui vniuerſæ creaturæ ſubiacent, vt efficaciùs, relicto vitæ genere, in quo à pueritia verſabantur, attraheret ad ſequendum ſe, & ad vacandum vni ſoli Deo colendo, ac ad laborandum in Euangelio diuulgando, iacta omni cura alendi corporis in Deum.

*Potentia Domini maximè allicit.*

Sextò Theophylactus. *Poſtquam autem*, ait, *turbam è naui docuit, dominum nauis non relinquit irremuneratum, ſed bifariam ei benefacit, quia & multitudinem piſcium ei donauit, & diſcipulum ſuum fecit.* Adeò magnificus eſt Dominus, vt pro vno obſequio duplex largiatur beneficium. Petrus Dominum in ſua nauicula receperat, & pro hoc ei vnum datur temporale beneficium, nempe magna piſcium multitudo; & aliud ſpirituale, & valde excellens, vt eſſet Apoſtolus, ac totius Eccleſiæ caput. Multis enim donis repletur ille, qui Dominum, ac ſuos hoſpitio recepit. Quod nobis comprobat exemplo ſuo Parens Elias, qui in domo viduæ exceptus, eius farinam multiplicat, & oleum; aliudque deinde beneficium addidit illuſtre, vt mortuum filium ad vitam reuocaret, in quo noſtra reſurrectio præfiguratur. 3. *Reg. 17. num. 15.* & 22. Eliſæus Sunamitidi ſterili, apud quam hoſpitabatur, filium impetrat à Deo, eumque mortuum reſuſcitat, 4. *Reg. 4. num. 36.* Vnde eleganter D. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 5. *Eliſæus quoque, defuncti pignoris reſuſcitatione donata, ſoluit hoſpitij penſionem.*

68. Theophyl.

*Deus pro vno obſequio duplex dat beneficium.*

Ambroſ.

Ait Lucas 8. num. 41. *Ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe Princeps Synagogæ erat, & ad pedes Ieſu rogans eum, vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei annorum duodecim, & hæc moriebatur.* Acceſſit Princeps ad Dominum, & pro ſanitate filiæ rogabat; quia diuini Verbi Incarnationem, ac Chriſti diuinitatem credebat, vt docent Chriſtianus Druthmarus, Haymon, & alij. Sed ſi homo, Chriſtum Deum eſſe, agnoſcebat, quare poſtulat, vt in domum ſuam deſcendat? cùm Deus ſit vbique, & vbique operari potens? Immò ex facto miraculo, cum Reguli filio, quem Dominus abſentem, ac diſtantem ſanauit, *Ioan. 4. num. 50.* vt latè explicaui *cap. 6.* poterat hic Princeps, Chriſti virtutem inueſtigare, & callere. Ad quid ergo poſtulat deſcenſum in domum ſuam? Magna certè fuit hominis virtus, eximia acies ingenij. Voluit Chriſtum in habitaculo ſuo excipere, vt ipſa hoſpitalitate quodammodo, vt ita loquar, obligaret ad beneficium concedendum. Pro certo habebat Iairus, quòd Chriſtus Dominus hoſpitem irremuneratum non relinqueret: nam ſi Eliſæus obiecta hoſpitij memoria impellitur ad reſuſcitandum viduæ filium, quanto magis Chriſtus ipſa hoſpitalitate teneretur ad vitam ſpiritualem, & temporalem dandam puellæ. Druthmarus, *Idcirco*, ait, *princeps venit, & ad pedes corruit, & cum Magiſtro ad domum reuerti volebat; ſicut mulier Sunamitis, quæ non dimiſit Eliſæum quouſque ad filium mortuum perueniret.*

69. Luc. 8.

Druthmar. Haymon.

*Apud quem Chriſtus hoſpitatur, vacuus non relinquitur.*

Druthmar.

Qvæstio

## QVÆSTIO XI.

### *Quare ſoli Petro dicitur:* Duc in altum; *& non tantùm illi, ſed etiam ſociis mandatur* : laxate retia veſtra?

70. Carthuſ.

RESPONDET primò rectè Carthuſianus. *Petro dicitur : Duc in altum ; quia ab eo ſolo fieri quiuit ; pluraliter adiungit : laxate retia ; quia hoc à pluribus fieri aptiùs potuit* Cùm Simon eſſet nauis rector, & gubernator, ei dicitur : Duc in altum ; ad laxanda verò retia, non vnius tantùm opera, ſed multorum exigebatur. Secundò myſticè idem Carthuſianus aliam rationem aſſignat. *Per Petrum perfectiores ſignantur, ad quos præcipuè pertinet, in altum ducere, ſcilicet profunda ſcrutari myſteria. Per adiutores Petri ſignantur inferiores Prælati, ad quos retia ſpectat laxare, ſcilicet connexa ordinare, verba ad aliorum conuerſionem extendere.* Similiter Hugo. *Duc in altum, per quod ſignificatur, quòd ſicut ſoli Petro præcipitur, vt ducat nauim in altum ; ita ſolis excellentioribus præcipitur, vt prædicent profunda myſteriorum.*

*Solùm perfectiores in altum myſteriorum tendere poſſunt.* Hugo.

71. Tolet. *Gubernator Eccleſiæ Petrus.*

Tertiò Toletus *annot.6.* Quia, ait, ducere nauim ad regimen ſpectat : ſignificabatur autem ſolus Simon totius Eccleſiæ rector futurus; retia verò laxare, miniſterij eſt, quod ad multos ſpectat. Vnde in Eccleſia vnum caput eſt ; multi autem verbi Prædicatores.

72. *Quilibet miniſtrorũ ſtet in ſuo ordine.*

Quartò. Miniſtrorum vnuſquiſque ſtet in ordine ſuo. Petrus erat nauis gubernator ; ad ipſum ſpectabat, eam ducere, & dirigere ; ideo ei dicitur : Duc in altum. Alij verò erant ſocij, & coadiutores; & hac de cauſa eis mandatur, vt ſuum in laxandis retibus obſequium præſtent, cùm vnus tantùm ea extenſa proiicere non valeat. Nil magis in Republica neceſſarium, quàm vt munia ſint inpermiſta, neque in eis confuſio incidat : nam confuſione gignitur perturbatio, qua totum ruit, & nil ſecurum permanet. Eleganter dixit Victor Vticenſis Epiſcopus lib.3. de perſecutione VVandalica. *Diſcant principes, & regna, ſeruare ordinem à ſummo Deo, omnium exemplari, cui aſſiſtunt millia millium, & centena millia, & quilibet ſtat in ſuo gradu.* Et dum Lucifer hanc ordinationem perturbare auſus eſt, à cælo exploditur, vt integer ſeruetur ordo.

Victor.

73. Circa bella mundo imminentia, multa Danieli reuelantur, quæ cùm eum maximè conturbarent, ait ipſe 8.num.16. *Audiui vocem viri inter Vlai, & clamauit, & ait : Gabriel fac intelligere iſtum viſionem.* Vir ille, qui clamauit ad Gabrielem, vt viſionis intelligentiam daret Danieli, erat Michaël, vt docent Interlinealis, D. Thomas, Lyranus, Benedictus Pereira *ibi*, & alij. Sed cur Michaël, cùm eſſet Princeps Synagogæ, non explicat Danieli illam viſionem ? Cur clamat ad Gabrielem, vt hoc præſtet ? Gabriel conſtitutus erat, vt Danielem immediatè inſtrueret, eique myſteria explicaret. Et ita ipſemet Gabriel, vt rectè obſeruat Theodoretus, dixit : *Veni autem, vt docerem te, quæ ventura ſunt*, Daniel. 10. num. 14. At eſſe in adiutorium, ad Michaëlem ſpectabat. *Et ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*, ibidem num. 13. Peroptimè ergo Michaël non docet per ſe ipſum immediatè Danielem, ſed clamat vt Gabriel hoc munus adimpleat, & ſtet in ſuo munere commiſſo, explicans immediatè arcana Prophetæ. Et ipſe Michaël obſeruat id, quod ſibi incumbit, conferre ſcilicet adiutorium, quod præſtat clamans ad Gabrielem, quòd faciat intelligere viſionem, quod muneris Gabrielis erat. D. Thomas, *Michaël*, ait, *intelligentiam ei*, ſcilicet Danieli, *dari præcipit, dum dicitur : Gabriel fac intelligere, quia viſio hæc de regnorum certaminibus, & regnorum ſucceſſibus erat ; ideo Gabriel, præpoſitus prælij huic officio mancipatur ; nam Gabriel fortitudo Dei interpretatur.*

Interlin. D.Thom. Lyran. Bened.Perei. Theodor. Daniel.10.

*Miniſter functiones ſuas faciat, in eiſque ne impediatur ab alio.* D.Thom.

*Lucæ 5. n. 5.* Reſpondens Simon dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete.

### *VERSIONES.*

*Ex Hebr. Chaldæ. & Syro Franc. Lucas.* Præfectus, ſiue Princeps noſter, per totam noctem.

*Syriacus.* Rabbi, tota nocte fatigati ſumus, nihílque cepimus : tamen iuxta ſermonem tuum proiicio rete.

*Vatablus, Theophylactus.* Per totam noctem laborando nihil cepimus; tuo tamen iuſſu laxabo rete.

*Euthymius.* Ad verbum tuum laxabo rete.

*D. Anaſt. Sinait. lib.6. in Hex.* Propter verbum tuum laxabo rete.

### *EXPOSITIO.*

74. AD Chriſti mandatum reſpondet Petrus magna diuinæ Omnipotentiæ cognitione, & rerum temporalium intelligentia, eximia fide, obedientia, ac prudentia. *Præceptor.* Ecce cognitio diuinæ Omnipotentiæ. Non ſolùm, vt ait D. Bonauentura, vocat eum doctorem, ſed etiam præceptorem, credens, eum non ſolùm habere ſcientiam ad docendum, ſed etiam potentiam ad faciendum. Et rectè Petrus tali nomine Chriſtum appellat, vt etiam in nomine cohæreret cum Propheta ; quia Iſaias 55. num. 4. *Ecce teſtem populi dedi eum, ducem, ac præceptorem.* Et 30. num. 20. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Et ille ſimpliciter eſt verus Magiſter, qui cum doctrina habet potentiam ad faciendum. Franciſcus Lucas ex Hebræo, Chaldæo, & Syro, quod pro Præceptore legitur Præfectus rei, & perſonis, quia Chriſtus Dominus erat datus præfectus ad docendum. *Per totam noctem laborantes.* Cognitio rerum temporalium, in

Bonauent. Iſai.55. Iſai.30. *Multum conducit, quòd cum ſcientia detur poteſtas.* Franc.Lucas.



quibus nihil aliud eſt, niſi labor diurnus, & nocturnus abſque vlla requie. Ierem. 16. num. 13. *Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte.* Et addidit Petrus, *Nihil cepimus.* Qui enim mundo ſeruiunt ſine Deo, vacui, & ſine vlla mercede ſunt. Myſticè. Per hanc noctem, per quam totam Petrus, & ſocij laborarunt. D. Ambr. *l. 3. de virginib.* Theophylact. Haymon, & S. Macarius apud Corderium, intelligunt *tempus ante aduentum Chriſti, in quo*, vt ait D. Macarius, *nox erat per vniuerſam vitam, & ignoratio Dei, quo tempore Prophetæ multum laborantes ſermone ſuo flectere non potuerunt, ſed nec Gentilium, qui omnes parui piſces erant, ac fugiebant. Quando verò Sol iuſtitiæ illucebat, tunc Apoſtolicum rete laxatum fuit, hoc eſt, ſermones Apoſtolorum, & magnam hominum prædam adepti ſunt.* Textus : *In verbo tuo laxabo rete.* hoc eſt, iuxta verbum tuum, ſeu tuam iuſſionem, proiiciam expanſum rete. In quo reſplendet maxima fides, ſpes, obedientia, prudentia, humilitas Petri, & alia multa præclara, vt explico ſequenti quæſtione.

Ierem.16. *In rebus mũdanis labor ſine mercede.* Ambroſ. Theophyl. Haymon. Macarius. *Tempus ante Chriſti aduentum, nox, in qua nil capiebatur.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quàm alta, & præclara dixerit Petrus in hac vna voce :* In verbo tuo laxabo rete?

75. Bonauent.

PRIMO. Petrus eximiam fidem oſtendit. Ait D. Bonauent. quòd Petrus, dum dicit: *In verbo tuo laxabo rete, confortatus eſt fide pleniſſimè.* Et hic primò accepit illam magnam promiſſionem. *Ex hoc iam homines eris capiens.* Sed in quo fuit hæc pleniſſima fides, quæ tantum promeruit ? Petrus erat valde peritus arte piſcatoria, & optimè exploratum habebat, quòd per noctem facilius piſces capiuntur, quàm per diem ; nam noctu minus vident inſidias. Deinde noctu natant ſuper aquam ; die verò ad ima tranſeunt. Et cùm per noctem Petrus in lacu, ſeu ſtagno illo nec vnum prendiderit piſcem ; tamen plus fidei tribuit verbo Chriſti, quàm naturali experientiæ, & rationi, credens, quòd multos per diem piſces eſſet capturus. Et fides, quæ credit ſupra rationem, & experientiam naturalem, pleniſſima eſt, multumque promerens. Ex quo coniice, quanta ſit noſtra fides, qua verè, & realiter credimus Chriſtũ in Euchariſtia, & nullã ibi eſſe ſubſtantiã panis, cùm ſenſus de accidentibus notis iudicent; tamen animoſa fides eos ſubiugat, & ibi nihil aliud eſſe credit, niſi corpus, & ſanguinem Chriſti.

*Magna fides, quæ credit contra experientiam naturalem.* *Maximè reſplendet fides in Euchariſtia.*

76. Idem. Secundò Petri ſpes, quæ ideo perfecta, vt ait D. Bonauent. quia habuit confidentiam, non in ſuis meritis, ſed in verbo Dei : idóque copioſam piſcium apprehendit multitudinem; nam qui in Deo fiduciam ſuam ponit, confidenter ſperat, & impetrat. Ita explicat hunc locum D. Paſchaſius lib. 3. in lamentat. Threnor. 3. n. 20. littera zain. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo.* Ait D. Paſchaſius, poſtquam proponit noſtrum textum : *In verbo tuo laxabo rete*; ait: *Sic nimirum & ſponſa Chriſti retro multis querelarum vocibus afflicta, & fletibus, mox vt percepit verbi vocem : Duc te, conualuit contra ſpem, & ad ſpem rediit: memoriaque illius ſempiternæ vitæ recreata, propterea, inquit, ſperabo.* Quanuis ſponſa in paupertate, afflictioneque ſua nimis eſſet laborans, vt tamen recoluit in corde ſuo diuinum illud verbum, *Duc te*, ſtatim confidenter ſperat.

*Qui ſpem habet in Deo, magna conſequitur.* Paſchaſ. Thren.3.



77. Tertiò magna Petri obedientia enituit. Nam vbi primum ei dictum fuit à Domino, *Laxate retia veſtra*; ſine vlla cunctatione, & magna promptitudine mandata exequitur, vt clariùs habet Syriacus, *Proiicio rete.* Quartò magna Petri declaratur prudentia. Ait, *in verbo tuo*, non in verbo meo, vt rectè obſeruant D. Anton. Vlyſſipon. *Dom. 5. poſt Trinit.* Hugo, & alij; quia quidquid à nobis eſt faciendum, vt felicem habeat exitum, non in noſtro, ſed in Chriſti nomine fiat. Ad Coloſ. 3. n. 17. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti.*

Syriac. *In nomine Chriſti operandum.* Ant. Vlyſip. Hugo. Coloſ.3.

78. Ambroſ. Quintò. Eximia humilitas Petri. D. Ambroſ. in lib. 4. in Luc. *O non vacua præſumptio! ô humilitas fructuoſa! Qui nihil antè ceperant, magnam in verbo Domini concludunt piſcium multitudinem. Non hoc humanæ facundiæ opus, ſed ſupernæ vocationis eſt munus.* Ita Ambroſius. Petri humilitas, qua cognoſcit, ſe labore ſuo nihil prendidiſſe, Dei tamen verbo multum confidit habere. Diſcant Prædicatores à Petro, quòd ſi viderint, ſua voce peccatores perterreri, plurimoſque corrigi, & magnam populorum turbam ad ſuas conciones confluere, nihil autument ſibi tribuere, ſed totum Deo referant, à quo eſt omne bonum. Et ita ait D. Ant, Vlyſſip. citatus : *In verbo Chriſti laxat rete, qui nihil ſibi, ſed totum illi tribuit.* Ne putet quis de Deo aliqua digna dicere, cùm omne humanum colloquium illi ſit impar. Eleganter D. Gregorius Magnus lib. 20. moral. cap. 20. *Penè omne quippe*, inquit, *quod de Deo dicitur, eo ipſo iam indignum eſt, quo potuit dici : nam cuius laudi non ſufficit obſtupeſcens conſcientia, quando ſufficiet loquens lingua ?*

Ant. Vlyſſip. *Omnia, quæ in laudem Dei dicuntur, parua ſunt.* Gregor.

79. Ambroſ. Sextò. Dies elucens Petro. Idem D. Ambroſ. citatus. *Et ego, Domine, ſcio*, ait, *quia nox mihi eſt, quando non imperas ; nemo adhuc nomen ſuum dedit, adhuc per noctem laboro.* Quandiu Dei verbum aberat, per noctem Petrus laborauerat; quia vbi Dei mandatum omnia illuminans non adeſt, nox, & caligo eſt : at vbi Dei verbum, ac mandatum illuceſcit, errorum, ac ignorantiæ tenebræ diſſipantur; & in luce ambulantes multum virtutum omnium capimus, & recipimus fructum. D. Petrus Chryſologus ſerm. 15. *Verbum, in quo Petrus, cùm laxat retia, piſcium multitudinem cepit, ſine quo ignorantiæ noctem pertulit, & nullum fructum peruigil piſcator inuenit.*

*Quidquid ſine Dei mandato fit, in nocte fit.* Chryſolog.

80. Macar. Septimò. Magna felicitas Petri. D. Macar. apud Corderium. *Cùm non ſit facile*, ait, *aliquem reperire, qui ex tentationibus melior euadat ; niſi nocturna præda Petro fuiſſet elapſa, non vtique diurnam adeptus eſſet : niſi Paulus ſenſibiliter fuiſſet excæcatus, ſpiritualiter non videret : niſi blaſphemiæ Stephanus calumniam ſuſtinuiſſet, non vtique cælis ipſis apertis Dominum conſpexiſſet.* Sæpe ex aliqua bonorum iactura magnum emolumentum reportatur. Quòd Petrus per totam noctem nihil prendidiſſet, in magnam ei cedit vtilitatem; nam verbo Domini multam piſcium copioſam multitudinem die cepit; & quod maius eſt, tanto miraculo Chriſti virtutem agnoſcit. Vnde ad eius pedes prouolutus ſe peccatorem profitetur.

*Sæpè ex aliqua bonorum iactura lucrum reportatur.*

81. Cyrill. Octauò Petri diuitiæ ex Dei præſentia. D. Cyrillus, *Illi verò dicebant, ſe tota quidem nocte laboraſſe,*

*raſſe, cepiſſe autem nihil; veruntamen in nomine Chriſti laxabant rete, & confeſtim refertum habebant præda.* Laborauerat per totam noctem cum ſociis, Petrus, nec vnum prendidit piſcem: at vbi in nauicula ſua Chriſtum habet, in verboque eius proiicit rete, copioſa ſtatim capitur multitudo, itaut duæ naues repleantur. Qui enim Deum ſecum habet, omnia ad ſe trahit, omnia ad ſe conuocat.

*Qui Deum habet, omnia ad ſe trahit.*

3.Reg.6.

*Habitauit Arca Domini in domo Obededom, & benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius*, 2.Reg.6.n.12. Habitabat Deus in Arca, ideo ad eius præſentiam omnes a domum Obededom felicitates conuolant. Caiet. *Benedixit Obededom, & domum eius: hoc eſt, multiplicauit naturalibus diuitiis, puta filiorum eius, & animalium ſuorum proſperiſque ſucceſſibus.*

Caiet.

82.

Luc 2.

*Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, Luc 2.n.1. Et vnde promeruit Imperator Romanus tale habere edictum, vt ſub ſuo nutu orbis totus deſcriberetur? Latum, amplumque Aſſyrus, Medus, & Græcus in toto orbe habuere imperium; nunquam tamen eis tanta gloria obtigit; nunquam tale promulgatum eſt edictum, vt omnes ſub vno principe ſcribantur. Sed quid mirum, quòd hæc Romano Imperio contingat felicitas, quando Dei filius inter eius conciues, numeratur, & ſcribitur: ideoque fuit conueniens, vt felicitates aſpirarent, omneſque confluerent homines, vbi Chriſtus aderat. Rem eleganter meditatur Paulus Oroſius lib.6.cap.22.ad finem. *Romano Imperio Chriſtus ſtatim adſcriptus, vt natus eſt. Hæc eſt prima illa clariſſima profeſſio, quæ Cæſarem omnium principem, Romanoſque rerum dominos ſignauit. Quod nunquam penitus ab orbe condito in hunc modum, nec Babylonio quidem, vel Macedo conceſſum fuit. Nec dubium, quin omnium cogitationi pateat, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus hanc vrbem nutu ſuo auctam, defenſamque in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potiſſimum voluit, cùm venit, eſſe dicendus vtique ciuis Romanus, cenſus profeſſione Romani.*

*Cum Chriſto veniunt omnia.*

Oroſius.

*Lucæ 5.num.6.* Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt multos admodum piſces, itaut diſrumperetur rete eorum.

*Arias.* Et facientes hoc.

## *EXPOSITIO.*

83.

*Dona Dei breuiſſimo tempore dantur.*

POST auditam concionem, ac ex Dei mandato laxatis retibus, breuiſſimo tempore Petrus, & eius ſocij ingentem piſcium multitudinem capiunt. Hæc ſunt Dei dona, quæ cumulatè, & ſine mora conferuntur. Per quod innuebatur, ex reti, ſeu ex prædicatione Euangelica, ad quam erant mittendi, magnos fructus, magnamque mercedem eſſe percepturos, vt ita animoſiores in laboribus perferendis fierent. Quod eleganter ponderauit D. Cyrill. Alexandr. apud Corderium; & poſt eum Titus Boſtrenſis. *Veruntamen*, ait Cyrillus, *in nomine Chriſti laxabant rete, & confeſtim refertum habent præda, vt per rem tam euidentem, & tanquam ex typo, imagineque miraculi facti, certum illis, exploratumque fieret, laborem eorum mercede non cariturum, nec infructuoſam fore diligentiam, quam erant adhibituri in myſtico reti euangelico explicando, ſed in eo omnes omnium Gentium greges concluſuros eſſe.*

*Spes præmij animoſiores reddidit.*

Cyrill. Boſtrenſ.

82.

*Et rumpebatur rete eorum.* Rete grauatum, ac repletum multis piſcibus incipiebat rumpi; veruntamen non eſt ruptum. D. Bonauentura ait: *Attende, quòd Dominus eodem miraculo, quo potuit piſces in retia congregare, potuit & retia conſeruare, ſicut fecit.* Ioan.vlt.n.6. *cùm dicitur, quòd cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete* Et S. Pater confugit ad ſpiritualem ſenſum D.Gregorij, de quo *quæſt. ſeq.* Tamen hoc permiſſum eſt hîc ad maiorem miraculi euidentiam, quòd perantiquum rete tanta piſcium multitudine, cùm inciperet diſrumpi, non eſt ruptum. Multa enim hîc ad miraculi euidentiam exigebantur adminicula, cùm homines eſſent incipientes; poſt Reſurrectionem verò iam prouectiores erant, ideoque ad cognitionem virtutis, ac potentiæ Chriſti pauciora neceſſaria. Beda ſpiritualiter hoc conſiderat. *Rumpitur rete*, ait, *ſed non labitur piſcis, quia ſuos Dominus inter perſequentium ſcandala ſeruat.* Per *piſces* inter retia ſignificantur fideles, qui ſunt gregis dominici, quos inter rupturas, ac ſcandala perſequentium Dominus cuſtodit, ac ſeruat: *Nemo rapiet eos de manu mea.*

Bonauent. Ioan.vlt.

*Incipientes multis adiuuandi.*

Beda.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare hæc nauis ſereno tempore nauigat, & retia mittit in vtranque partem?*

85.

DVo ſub hoc titulo inquiro. Et primò: cur hæc nauicula hîc modo vela dat inſpirantibus ventis; & tamen, cùm Dominus nauigaret cum ſuis diſcipulis, *Matth.8.n.24.* dicitur: *Ecce motus magnus factus eſt in mari, itaut nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat, & diſcipuli eius ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.* Cur hîc ſerenitas, illic tempeſtas? D. Ambroſ.ſerm. 42. *Videamus*, ait, *quæ cauſa eſt, quòd vna, eademque nauicula, hîc in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempeſtate diſcipulis metum mortis inducit, præſertim cùm ibi etiam cum cæteris Apoſtolis Simon Petrus eſſet. Hæc autem eſt cauſa periculi. Erat ibi Simon Petrus, ſed erat pariter proditor Iudas; quanuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen perfidia eam conturbabat. Tranquillitas eſt, vbi ſolus Petrus nauigat; tempeſtas, vbi Iudas adiungitur. Licèt Petrus firmus eſſet ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris.* Vbi Iudas abeſt, felicitas, ac ſerenitas adeſt; at vbi ipſe proditor reperitur, omnis iniquitas, ac perturbatio prodit: quanuis enim Petrus, ſuis eſſet meritis maximè fundatus, nulla tamen eſt tanta virtus, quæ tantis non perturbetur proditoris criminibus. Secundò. *Matth.* 8. Erant Petrus, & Andreas in ſchola Chriſti iam magis prouecti, ideoque eorum virtus fuit laboribus, ac tempeſtate

Matth.8.

Ambroſ.

*Iuſtus ex mala ſocietate conturbatur.*

*Incipientes benignè fouendi.*



probanda; at verò hîc incipientes, ac proinde benignè fouendi. Vide ſuprà *cap.3.n.39.* & hîc ſuprà *num.84.*

86.

Secundò quæro: quare in piſcatione, quæ facta eſt à Petro poſt Reſurrectionem, mandauit Dominus retia mittere in dexteram nauigij, *Ioannes 21.num.6.* at hac in piſcatione, vbique, & indiſtinctè, iubet Dominus, proiicere retia? Ad quod reſpondet D.Gregorius hom.24. in Euang. *Bis*, ait, *in ſancto Euangelio legimus, quia Dominus iuſſit, vt ad piſcandum retia mitterentur, ante paſſionem videlicet, & poſt Reſurrectionem. Sed priuſquam Redemptor noſter pateretur, & reſurgeret, mitti quidem rete ad piſcandum iubet, ſed vtrùm in dexteram, an in ſiniſtram mitti debuiſſet, non iubet. Quis verò neſciat, bonos dextera, & malos ſiniſtra figurari? Illa ergo piſcatio, in qua ſpecialiter, in quam partem rete mitti debeat, non iubetur, præſentem Eccleſiam deſignat, quæ bonos ſimul, & malos colligit, nec eligit, quos trahat, quia & quos eligere poſſit, ignorat. Hæc autem piſcatio poſt Domini Reſurrectionem facta, in ſolam dexteram miſſa eſt, quia ad videndam claritatis gloriam ſola Electorum Eccleſia pertingit, quæ de ſiniſtro opere nihil habebit.* Hæc eleganter etiam docet D. Auguſtinus *octoginta trium quæſtionum quæſt.81. & ſerm. 4. de diuerſis.* Haymon & alij. Hæc piſcatio ante Reſurrectionem in dexteram, & ſiniſtram nauigij partem fertur, præſentem enim militantem deſignat Eccleſiam, in quam boni, & mali ingrediuntur, qui per dexteram, & læuam ſignificantur: illa verò quæ poſt Reſurrectionem eſt, triumphantem Eccleſiam denotat, in qua ſunt boni, & electi per dexteram ſignificati, qui claritatis gloria perfruentes, de ſiniſtro opere nihil habent.

Gregor.

Auguſt.

Haymon.

*In hac vita labor, in altera requies.*

87.

Rupert.

Rupertus verò *lib.4.in Ioan.* myſticè hoc etiam explicat eleganter. Et ſic ait: *Non vtique dixit: Mittite in dexteram nauigij rete; cùm adhuc eſſet in mediis fluctibus paſſionis, & mortis, non dixit, inquam, Mittite in dexteram, ſed tantummodo, laxate retia veſtra. At nunc*, ſcilicet poſt Reſurrectionem, *in littore ſtans, & vndoſam turbidi ſæculi omnino ſupergreſſus iacturam, Mittite, inquit, non vbique, ſed in dexteram.* Cùm Dominus inter preſſuras mortis, & paſſionis verſaretur, abſolutè laxare retia iubet, quia ibi ſiniſtra includebatur, quæ labores deſignat: at poſt deuictam mortem iubet, retia extendere ad dexteram, quæ Reſurrectionis gloriam denotabat, in qua nihil eſt de ſiniſtro, ac preſſura, & moleſtia mundi huius, ſed totum iucunditate, ac lætitia plenum, itaut ipſemet Saluator ſe ipſo elegantior, ac pulchrior appareat reſurgens.

*Magna eſt Reſurrectionis gloria, & lætitia.*

88.

2.Cor.5.

*Chriſtus in Reſurrectione præ gloria ſe ipſo pulchrior.*

Ait Paulus Corinth.2.cap.2.num.16. *Etſi cognouimus, ſecundùm carnem, Chriſtum, ſed nunc iam non cognouimus.* Sed quando Chriſtus non cognoſcitur? Quando prodiit ex mortuis reſurgens triumphator. Sed idem, qui mortuus eſt reſurrexit; quomodo ergo ait Paulus, quòd eum non cognoſcit? Quia licèt Chriſtus Dominus totus ſit pulcher, ac ſpecioſus forma præ filiis hominum; immortalitatis tamen, ac claritatis ſtola ita periucundus apparet, vt ſe ipſo pulchrior appareat. Quod eleganter meditatur D. Leo Papa ſerm.1.de Reſurrect. *Non diſſonat*, ait, *dilectiſſimi ab hac fide Magiſter Gentium Paulus, cùm dicit: Etſi cognouimus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nouimus. Reſurrectio enim Domini, non finis carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt: qualitas tranſiit, non natura deficit. Et meritò dicitur caro Chriſti in eo ſtatu, in quo fuerat nota, neſciri: quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit infirmum.*

Leo.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare in hac piſcatione rumpebatur rete, non verò in illa, quæ facta eſt poſt Reſurrectionem.*

89.

QVÆSTIO præſens eſt: quare in hac piſcatione rumpebatur rete, non verò quando poſt Reſurrectionem Petrus, aliique Apoſtoli piſcantur etam ex mandato Domini, qui ſtabat in littore, & Euangeliſta notat *Ioan.21.n.11.* quòd non ſit ſciſſum rete; Reſpondet Rupert. *lib. 4. in Ioan.* poſt Reſurrectionem, *Non valebant, ait Euangeliſta, trahere illud præ multitudine piſcium; non tamen dixit, quia rumpebatur rete, aut mergabatur nauicula eorum. Quid ergo hîc, niſi illam piſcationem hominum deſignare voluit, qua ad dexteram conſtituentur omnes electi. ſecluſis ad ſiniſtram omnibus reprobis, qui tanquam piſces mali rete præſentis Eccleſiæ rumpunt ſeditionibus; quod maximè fecerunt hæretici, & ſchiſmatici. Reſurrexerat enim, & in littore tutiſſimo ſtabat, quippe qui reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Et idcirco rectè ſolos præfigurabat illos, quos ſecum ſuſcitat, ſecumque ad dexteram Patris conſidere vellet in cœleſtibus.* Ferè ſimiliter D.Gregorius *hom. 24. in Euang.* In piſcatione poſt Reſurrectionem non rumpebatur rete, quia ille feliciſſimus reſurrectionis ſtatus in Chriſto valde ſecurus eſt, & alienus ab omni moleſtia; & ideo Dominus ſtabat in littore. At in hac piſcatione ante Reſurrectionem dicitur, quòd rumpebatur rete, ſed non eſt ruptum; quia hæretici, ac ſchiſmatici, vt mali piſces, morſibus errorum ſuorum hoc Eccleſiaſticum rete rumpere intendunt, ſed fruſtrà laborant, cùm eius ſoliditas firmiſſima ſit in Chriſto. Et ita dicitur *verſ.ſeq.* quòd nauiculæ penè ſubmergebantur, ſed non ſunt ſubmerſæ, cùm ſuum à Deo munimen habeant, atque tutamen.

Rupert.

Grego.

*Hæretici impugnant Eccleſiam, ſed ipſa firma ſtat.*

90.

Eccl.1.

*Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat*, Eccleſiaſt.1.n.4. Generationes hæ adumbrant hæreſes, quæ contra Eccleſiam exoriuntur, & parum durant; nam vna deficiente, alia pullulat, & perſeuerat: at verò Eccleſia Chriſti, terra viuentium, firmiſſimè ſtat. S. Martialis epiſt.1.ad Burdigal.cap.11. *Et inimicus*, ait, *qui nunc à cordibus veſtris proiectus eſt, venturus eſt, vt ſuperſeminet populo Dei grana errorum: ſed firma Eccleſia Dei, & Chriſti, nec cadere, nec diſrumpi poterit vnquam.*

*Hæreſes deficiunt, & Eccleſia in æternum durat.*

S.Martial.

91.

Iſai.33.

Ait Iſaias 33.n.20. *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: quia ibi ſolummodo magnificus eſt Dominus Deus noſter, locus fluuiorum riui altiſſimi, & patentes; non tranſibit per eum nauis remigum: neque triremis magna tranſgredietur eum.* Deſcribit Propheta Eccleſiam militantem, vt docent-

Hieron. Cyrill. D.Thom. Hugo. Pinto. Cornel.

D. Hieronymus, D. Cyrillus, D. Thomas, Hugo, Pinto, Cornelius, cuius firmitas tanta eſt aduerſùs hæreſes, vt eius tabernaculum nulla vi concuti, ac labefactari poſſit; nec eius claui, ac paxilli vi aliqua commouebuntur; nullaque hæreticorum nauis, ſiue magna, ſiue parua, omnibus ſuorum errorum remigiis eam poterit expugnare, neque tranſgredi. Et dicitur, *triremis magna*, quæ, vt ait Gloſſa Interlinealis, & D. Thomas, nauis eſt trium ſedilium. Per quam intelligo infidelitatem, quæ tres habet ſpecies, ſcilicet Paganiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim: quia horum peſtifera dogmata vi ſua argumentorum falſa Eccleſiæ Chriſti nullo modo nocere, aut præiudicare valent. D. Hieronymus per hanc triremem magnam, intelligit Diabolum. Et ait: *Vide Eccleſiam Chriſti, & tabernaculum, quod nequaquam tranferri poterit, nec mouebuntur claui eius in ſempiternum: & omnes funiculi eius firmi erunt, itaut Dominus habitet in eo, qui locus eſt omnium fluuiorum, per quos nullus aduerſæ partis poterit nauigare: neque triremis magna, quæ interpretatur Diabolus, eum tranſgredi poterit; quia Dominus ipſe eſt iudex, & Princeps, & Rex, & illo protegente, nullius metuimus inſidias.*

Interlin. D.Thom. *Falſa hæreticorum argumenta non impugnant Eccleſiam.* Hieron.

*Lucæ 5. num. 7.* Et annuerunt ſociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos: & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, itaut penè mergerentur.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et innuerunt ſociis ſuis, qui erant in alia nauicula, vt venirent ſibi opem laturi. |
| *Franc. Lucas.* | Vt opitularentur ipſis. |
| *Arias.* | Et annuerunt ſociis, qui erant in alio nauigio, vt venientes ſimul caperent. |

## *EXPOSITIO.*

92. CVm tanta eſſet piſcium multitudo, vt non poſſent extrahere retia, ſocios vocant. Magna Dei miſericordia, quæ ſocios ad auxilium præparauit, vt eleganter ponderat D. Ambroſius lib. 3. de Virginib. ad finem. *Et bene accidit*, ait, *quia nos laboraturos Dominus ſciebat, & auxilium de ſociis miniſtrauit.* Et alto Dei conſilio vocant ſocios, vt miraculi magnitudo eſſet omnibus nota; & quilibet inſtruatur, quòd vnuſquiſque ſibi non ſufficit, ſed alteriùs indiget ope. *Annuerunt ſociis*; nutibus aduocarunt. Titus Boſtrenſis, Theophylactus, D. Bonauentura docent, quòd ideo ſignis vocarunt, quia ſtupore, ac metu loqui non poterant. Sed cum hoc pugnat, quia Petrus, qui erat etiam ſtupens, vt dicitur *verſ. ſeq.* dixit ad Ieſũ, *Exi à me Domine*, Deinde, quia ſtupor non apprehendit eos, quando rete ſub aqua erat, ſed quando eſt extractum, tantamque piſcium multitudinem viderunt. Vocant ergo ſocios ſignis, quia diſtantia loci voces audire impediebat.

Ambroſ. *Deus in laboribus ſocios nobis ad leuamen præſtat.* Boſtrenſ. Theophyl. Bonauent.

39. *Et venerunt.* Multum intereſt, quòd tuos in neceſſitate habeas, qui ad tuum iuuamen vocati adueniant. Hos ſocios moraliter interpretantur Titus Boſtrenſis, & Theophylactus. *Deſignat hoc myſticè*, ait Boſtrenſis, *multos fuiſſe, & eſſe, olimque futuros, quibus hic piſcandi labor cum Apoſtolis communis eſſet. Inter quos primas facilè tenent, qui ſacrorum Euangeliorum volumina conſcripſerunt. Secundùm hoc autem cæteri paſtores, & doctores, populorumque duces, & candidi dogmatum veritatis intorpretes.* Similiter D. Bonauent. & alij. *Et impleuerunt ambas nauiculas.* Vnius retis prouentu ambæ implentur nauiculæ. Præſignabatur Petrus iam bonus paſtor, & miniſter Eccleſiæ, cuius reti, non ſolùm ſua nauis, ſed & aliorum, piſcium multitudine replentur. *Itaut penè mergerentur.* Multitudine piſcium proximæ erant ſubmerſioni. Quanuis enim naues periclitarentur, non tamen ſubmerſæ ſunt. D. Auguſt. *lib. 3. quæſt. Euang. q. 2.* per hoc piſces myſticè intelligit hominum carnalium multitudinem in hac Eccleſia militante, quorum prauis moribus, diruptione pacis, penè ſubmergi videatur, ſed aſſiſtente Chriſto ſemper incolumis perſeuerat.

Boſtrenſ. Theophyl. *Interpretes Scripturæ laborant cum Apoſtolis.* Bonauent. *Bonus prælatus ſuam, & alias naues bonis replet.* Auguſt.

*Lucæ 5. num. 8.* Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Procidit ante pedes ipſius Ieſchua, & dixit ei: Peto à te, Domine mi, vt diſcedas à me, quippe qui homo peccator ſim. |
| *Euthymius.* | Accidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, Domine, quia vir peccator ſum. |

## *EXPOSITIO.*

94. Euthym. PETRVS, vt ait Euthymius, *intellexit, quòd præceptum Domini admirando modo operatum erat.* nam dum ei obtemperauit, laxando retia, tam copioſam piſcium multitudinem cepit in loco in quo per totam noctem laborando, ne vnum erat piſcatum. Et etiam, vt vult Toletus, conſiderando imminens periculum ſubmerſionis hæc dicebat, & *Procidit*, ſeu *accidit ad genua Ieſu.* Cùm omnes vidiſſent miraculum, ſolus tamen Petrus procumbit ad pedes Ieſu ob feruentem amorem, ac charitatem in eum, obque eximiam rerum ſupernaturalium cognitionem. Deinde, quia cùm Petrus eſſet dominus nauis, & fortaſſe ſenior cunctis, qui aderant, ac proinde vt caput, magis obligatum ſe agnoſcit, & pro omnibus gratias exhibet. D. Bonauentura ait: *Hoc fecit Petrus quaſi inuitans alios ad faciendum ſimiliter*, ſuo exemplo. Et huc vſque dicitur Simon: Ingreſſus

Tolet. *Ingens Petri amor.* Bonauent.



*Prælatus exemplo præcedat.* Hugo. *Obedientia fidē præcedat.*

ſus in nauim Simonis, dixit ad Simonem: at verò hîc addidit Euangeliſta, Petrus: quod dicit magnam celſitudinem, ac fundamentum Eccleſiæ; quia hic iam humilitate ſua, ac virtute modo incipiebat magno, ſibi, imponendo, nomini Petri correſpondere. Et bene notat Hugo, quòd non dicitur Petrus Simon, ſed priùs Simon, id eſt, obediens; & poſtea additur Petrus, quòd dicit ordinem ad fidei confeſſionem, & cognitionem ſupernaturalium quia obedientia debet præcedere fidem, & agnitionem mirabilium.

95. *Exi à me, quia homo peccator ſum.* Fatetur Petrus ſe peccatorem, & ex oppoſitio Chriſtum Ieſum virum ſanctiſſimum, & Deo multum acceptum; ac proinde ſuam vilitatem agnoſcens indignum ſe iudicat, qui Chriſti conſortio perfruatur; & ideo ob humilitatem poſtulat, vt ab eo diſcedat, ne aliquid mali patiatur. *Domine.* Vſque modò præceptorem dixerat *n. 5.* iam verò maiorem de eo opinionem concipiens Dominum vocat. Quando eum concionantem audiuit, præceptorem appellat; cùm verò beneficia largientem recognoſcit, Dominum dicit. Magna Petri modeſtia, qui quanuis ſuam nauim, rete, ac operam adhibuiſſet, nil tamen laudis ſibi arrogat, ſed totum felicem ſucceſſum, ac piſcationis prouentum Chriſto, qui iuſſerat adſcribit.

*Beneficia, quemque eſſe dominũ, declarant.*

---

## QVÆSTIO XV.

### *Quare Petrus precetur, Dominum à ſe recedere?*

96. ALIQVA in Petri facto, & verbis videtur contradictio. De verbis hîc modò agimus; poſtea verò de facto *quæſt. ſeq.* Ait Petrus: *Exi à me, quia peccator ſum. Si te peccatorem conſideras*, ait D. Gregorius citatus à D. Bonauent. *oportet, vt à te Dominum non expellas.* Vnde ait D. Auguſtinus, ab eodem citatus, & etiam ab Hugone Cardinali. *Vt piſcator loquitur Petrus, Deum, ac Dominum ſalutis ſecum habebat, & dicebat: Exi à me; ac ſi infirmus Medico, curare volenti, diceret: Recede à me, quia ægroto.* Quo ergo motiuo Petrus vir prudens hæc dixerit, quæro?

Gregor. Auguſt.

97. Reſpondeo primò, & germanè. Cùm Perus optimè exploratam haberet eximiam Chriſti Domini ſanctitatem, ac virtutem, tum ex colloquio apud ripas Iordanis. *Ioan. 1. n. 41.* tum ex concione modò audita, exque miraculoſa piſcatione; & aliunde ſe cognoſceret peccatorem, ac reatibus obnoxium, reputabat ſe indigniſſimum, qui tam ſanctiſſimum in ſua nauicula reciperet virum, vt ſociumque haberet; & ideo timebat, ne ob ſuam indignitatem aliquid mali pateretur, eique à Deo infligeretur ſupplicium, ac in pelago in ipſa penè nauium ſubmerſione omnino periret. Sic dixit vidua Sareptana, cùm parentem Eliam hoſpitio reciperet, filiumque ſuum mortuum videret: *Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum*, 3. Reg. 17. n. 18. Ac ſi diceret: Iniquitates meæ inde grauantur, quia ſum auſa virum tam ſanctum hoſpitio excipere. Sic viri Gerazenorum viſis miraculis Chriſti, *Rogabant eum, vt tranſiret à finibus eorum*, Matth. 8. num. 34. Sic & Iſraëlitæ in deſerto dicebant ad Moſem, Exod. 20. n. 19. *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, & moriamur.* Hanc ſententiam docet Euthym. *Magna illius reuerentia*, ait, *ſuique correptione repreſſus, indignum ſe eſſe ducebat, eius itaque deuitabat præſentiam, timens, ne quando periclitaretur, eo quòd talis talem auſus fuiſſet ſuſcipere.*

*Quilibet, cũ viro iuſto habitare, timeat.* 3. Reg. 17. Matth. 8. Exod. 20. Euthym.



98. Naziant. Hanc ſententiam multis confirmat D. Gregor. Nazianz. orat. 39. *Quocirca*, ait, *ſe quemque prius purgare oportet, atque ita demum cum puro conſuetudinem habere; ne alioqui nobis idem, quod Iſraëli, accidat, vultus Moſaici gloriam non ferenti, ac propterea velamen opus habenti: aut eodem, quo Manue, modo afficiamur, ac dicamus: Perimus, mulier, Deum vidimus*, Iudic. 13. n. 22. *cùm videlicet Dei ſpecies ipſi obiecta eſſet. Aut Petri inſtar Ieſum à nauicula ſubmoueamus, vtpote tali aduentu indigni: aut oculorum ſenſu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cùm priuſquam à perſecutionibus expurgatus eſſet, colloquium cum eo, quem perſequebatur, miſcuiſſet.* Paulus cùm loquitur Chriſto, & rapitur in cælum, oculorum lumine priuatur, & ipſis apertis nihil videbat, *Actor. 9. num. 8.* At Ioannes cùm in ſpiritu in cælum aſcendit *Apoc. 4. num. 2.* oculorum acie non ſpoliatur. Imò ibi videt, & loquitur. Quia Paulus tunc non erat à ſuis perſecutionibus expurgatus; at Ioannes igne Spiritus ſancti maximè erat ab omni inquinamento purificatus. Ex his omnibus coniice, quòd ſi tanta puritas requiritur ad colloquium cum puro, & ad eum in nauicula recipiendum, itaut hoc maximè Petrus formidaret; quanta ſanctitas, ac mundities erit neceſſaria, vt Chriſtum in ore, ac intra te ipſum in ſacra Euchariſtia recipias. Vide ſuprà *cap. 20. quæſt. 7.*

*Vt Deum videas, purificare.*

99. Chryſolog. Secundò D. Petrus Chryſolog. ſerm. 174. *Petrus*, ait, *dominicæ virtutis timore turbatus, Chriſtum, vt à ſe diſcederet, ſupplicabat. Diſcede, inquit, à me, quia homo peccator ſum. Hoc dicebat, quia quidquid erat amoris, & fidei, pondus pauoris extinxerat; ſic timor, niſi amore fuerit temperatus, quanuis deuotam, ſeruitutem efficit contumacem.* Totus eſt S. Pater, vt à viris perfectis exſufflet nimirum timorem, quia ſi timor eſt in magno exceſſu, reprimit fidem, & amorem, & contumacem affectum generabit, non accedendi ad Deum; & ideo timor permiſcenduseſt, ac amore temperandus, & timor reuerentiam miniſtret, amor verò confidentiam tribuat. Tertiò D. Bonauent. *Ideo hoc dicebat Petrus, quia videbat potentiam, non percipiebat clementiam: quia dicitur* Matth. 9. num. 14. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Petrus hæc dicebat, potentiam Domini, & maieſtatem conſiderans, non verò miſericordiam & benignitatem, qua peccatores ad ſe vocabat.

*Timor amore permiſcēdus.* Bonauent. Matth. 9. *Conſiderãda Dei maieſtas & clemẽtia.*

100. Chryſoſt. Quartò D. Chryſoſtomus homil. 3. in Matth. *Petrus ait: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum: & propterea factus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nihil enim ſic eſt amicum Deo, quàm ſi quis ſe minimis annumeret; hoc eſt enim caput totius Philoſophiæ, atque faſtigium.* Inter omnes, qui aderant in nauigio, Petrus profert admirabile humilitatis ſignum, proſternendo ſe ad genua Ieſu, & ſe peccatorem, eius præſentia indignum, profitendo; quia ſuper omnes Petrus caput erat conſtituendus: & quanto quis ſe humiliat, tanto magis ſublimatur. Quod eleganter confirmat Chryſoſtomus *citatus.* Quòd cùm Dauid prodiret in bellum, non eſt

*Qui ſe humiliat, exaltatur.*

paſſus, vt Arca Domini circunferretur cum illo à Sacerdotibus, 2. *Reg.* 15.*num.* 25. cuius præſentia ſe eximabat indignum. Quod tamen permiſit miſit Saul, vt legitur 1. *Reg.* 14. *num.* 18. Et ideo Dauid ob ſuam humilitatem ſublimatus eſt ſuper cæteros Reges, vt Deus de fructu ventris eius poneret ſuper ſedem ſuam. Vide Chryſoſtomum *cit.* de hac re latè.

101. Ambroſ. Quintò D. Ambroſius lib. 3. de Virginib. *Non confuſus eſt Petrus, dicere: Exi à me, Domine; quia peccator ſum ego: vir enim ſapiens, & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſterium diſciplinæ, nihil vtilius ſibi eſſe proſpexit, quàm ne ſecunditatis operis extolleretur euentu; & ideo: Exi, inquit, à me, Domine. Non rogat, vt deſeratur, ſed ne inſletur.* *Vana gloria declinanda, ac fugienda.* Cùm Petrus tot in ſe collata beneficia videret, in Chriſti amicitiam eſſe receptum, eum in ſua nauicula recepiſſe, ac eius dono tantam piſcium extraxiſſe multitudinem; ne tam ſecundis rebus ſuper ſe extolleretur, poſtulat, vt ab illo diſcedat. nam, vt ſubdit 2. Cor. 2. D. Ambroſius, *Illecebroſa iactantia eſt, quam Paulus veretur*, 2. Corinth. 2. num. 7. *Ne magnitudo* Ant. Vlyſſip. *reuelationum extollat me.* Sextò D. Antonius Vlyſſipon. ſerm. in Dom. 5. poſt Trinitatem. *Vbi nunc*, ait, *qui ex impenſo ſibi beneficio timet aggra-* *Ob multa beneficia Petrus timet.* *uari, vt timuit Petrus: Exi à me, quia peccator ſum?* Cùm Apoſtolus agnoſceret, ex Dei præſentia tanta benficia in eum diffluere; & præ ſua tenuitate, cùm ſe peccatorem videret, ea ſuppor- S. Thereſia. tare non poſſet, poſtulat, vt à ſe diſcederet. Sic ſancta Thereſia *exclamans à Domino petebat, beneficiis in ſe diuinis modum imponi.*

102. Carthuſ. Septimò Carthuſianus. *Ex magnitudine miraculoſi effectus maieſtatem cauſæ penſauit, & quanto Petrus Chriſti virtutem, excellentiamque magis attendit, eo propriam culpam, ac prauitatem* *Quanto quis de Deo magis cognoſcit, magis timet.* *euidentiùs intellexit, atque humiliùs faſſus eſt.* Cùm multi eſſent in nauicula, ſolus Petrus timet, & procumbit ad genua Ieſu. In ipſo plenior erat cognitio fidei, & ſupernaturalium myſteriorum; & ex Dei cognitione timor eius creuit. Conque- Ierem. 2. ritur Deus per Ieremiam 2. n. 15. *Non eſſe timorem mei apud te*, & tamen cùm felices animas deſ- Iſai. 33. cribit Iſaias, ait cap. 33. num. 16. *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longè. Cor tuum meditabitur timorem.* Iſraël non habet Dei timorem; & tamen ſublimes illi ſpiritus, dum eum in ſua vident elegantia, & pulchritudine, pauent, & timent; quia Deum videbant, & perfectiſſima ipſius cognitione potiti erant, Cyrill. Alex. ideo timore replentur. D. Cyrillus, Alexandrin. *Qui Regem accipitis*, inquit, *cum gloria videbitis Chriſtum. Hinc etiam ſolemus meditari timorem Domini, vt in ea ſimus, & ſimul cum aliis Sanctis chariſmatis per Chriſtum repleti, eum gloria, & laude extollamus.*

103. Iſai. 11. Ait Iſaias 11. num. 2. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus; ſpiritus conſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domi-* *Vbi Dei cognitio, ibi & timor.* *ni.* Quæro, quem adimplet ſpiritus timoris Domini? Eum, qui inſipientiam, & ignorantiam Dei habet? Minimè; ſed eum, qui eſt plenus ſapientia, ſcientia, & intellectu. Vbi enim huiuſmodi dona dantur, ibi reſidet timor. Guilhelmus Pariſienſis *lib. de moribus tract. de timore.* & Guilhelm. introducitur loquens ipſemet timor. *Dicitur ab Iſaia*, ait, *requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus; & ita de aliis. Deinde dictum eſt: Replebit eum ſpiritus timoris Domini: nec mirum, cùm ego plenitudo ſapientiæ ſim, cùm ſit ipſe Dei theſaurus. Quid ergo decuit magis implere illum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Expende verba, quia in illo ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, decuit eum implere timorem.

---

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Petrus, dum petit, quòd Chriſtus ab ipſo exeat, ad illum accedat?*

CONTRADICTIO videtur in facto. Poſtulat Petrus, vt Chriſtus ab ipſo exeat; & tamen dum hæc precatur, ad ipſum accedit, vt clariùs legunt Euthymius, Theophylactus, Arias, & alij. Si rogas, Petre, vt Dominus exeat à te, ab illo recede, & ad ipſum non appropies. 104. *Ratio dubitandi.* Euthym. Theophyl. Arias.

Reſpondet primò D. Ambroſius citatus à D. Thoma in ſua Catena. *Admirabatur Petrus dona diuina, & quo plus metuerat, præſumebat magis.* Petrus Deum timet; poſtulat, vt exeat ab eo, & ad illum accedit: nam perfectus timor quandam piam dat confidentiam in virtutis negotio, vt Deum habeas; timore enim perfecto, vt filiali non tabeſcit animus, nec deficiunt vires, ſed potiùs animantur, vt Deum perquirant, mandata eius adimplendo. *Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis*, Pſalm. 111. num. 1. Qui in Dei mandatis volat, ad eum volitat; nam, vt ait D. Remigius, *finis legis Chriſtus, & qui per legem ambulat, ad Chriſtum venit.* 105. Ambroſ. *Timor perfectus dat confidentiam.* Pſalm. 111. Remig.

Secundò, D. Antonius Vlyſſiponenſ. ſerm. in Dom. 5. poſt Trinit. *In hoc duo notantur*, ait, *Timor de peccatis: Exi à me, quia homo peccator ſum. Spes de miſericordia: Ad genua Ieſu procidit.* Vigebat in Petro timor, & ſpes. Ex timore non audebat aſſiſtere cum Domino, cùm eius celſitudinem videret, & ſuam vilitatem agnoſceret. At Domini benignitas, quam multis experiebatur Petrus, dabat ſpem miſericordiæ, & ideo, vt eam impetret, genu flexo accedit ad Chriſtum. Viuendum nobis eſt inter ſpem, & timorem Domini. 106. Ant. Vlyſſip. *Viuendum inter timorẽ, & ſpem.*

*Dominus Deus noſter ignis conſumens eſt*, Deuter. 4. num. 24. Et tamen dicitur, *Oleum effuſum*, Cantic. 1. num. 2. Quare hæc? Ignis, vt peccator ad ipſum accedere timeat, ne pereat, & fluat, ſicut cera à facie ignis. Oleum effuſum, miſericordiam, ſalutem, ac medicamen promittens. Et ideo lamentabatur Propheta, quòd plaga non erat fota oleo, *Iſai.* 1. *num.* 6. vt vitæ ſpem homo de tanta miſericordia habeat. Diuus Bernardus ſerm. 6. in Cantic. *Anima ſecum referat impreſſa diuina veſtigia; ipſa ſunt timor, & ſpes: ille iudicij, iſta miſericordiæ repræſentans imaginem. Meritò beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius*, Pſalm. 146. Et ſerm. de verbis Apocal. 1. de Natiuit. Mariæ. *Quid ni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic ipſe pereat à facie Dei.* 107. Deuter. 4. Cantic. 1. Bernard. Pſalm 146. *Homo Dei præſentiam reuereatur, & timeat.*

108. Præcepit Deus Iſraëlitis, quòd ita comederent



Exod. 12. rent agnum paſchalem: *Caput cum pedibus vorabitis*, Exod. 12. num. 9. Sed quare coniungitur caput cum pedibus? caput diuinitatem dicit, pedes humanitatem, vt ex multis locis ſacræ Scri- *In Deo conſideranda maieſtas, & humanitas.* pturæ notum eſt. Iubet ergo Deus in ſui cognitione, hæc conſideratione guſtare, ac intelligentia percipere, diuinitatem nempe, & humanitatem eius; quia ſi fulgor diuinitatis nos terreat, Bernard. benignitas humanitatis nos miſericordia corroboret. D. Bernardus ſerm. 6. in Cantica. *Rectè Apoſtolo*, ait, *viſum eſt, caput Chriſti referre ad Deitatem; puto & nobis non incongruè videri, pedes ad hominem pertinere: quorum alterum miſericordiam, alterum iudicium nominamus. Nota ſunt vobis duo iſta vocabula de pleriſque Scripturæ locis. Quia verò miſericordiæ pedem, Deus in carne, cui ſe vniuit, aſſumpſerit, docet Epiſtola ad Hebræos, tentatum perhibens per omnia Chriſtum pro ſimilitudine abſque peccato, vt miſericors fieret. Quid illum alterum, qui iudicium nuncupatus eſt, non ne ad hominem æquè aſſumptum; & ipſum pertinere ipſe Deus homo apertè ſignificat, vbi datam ſibi perhibet à Patre poteſtatem, iudicium facere, quia filius hominis eſt.*

109. Tertiò. Petrum maximè adurgebant amor, & timor Dei. Timor ex propria fragilitate proueniens eum ſuadebat, vt à Domino recederet: at *Inter timorem, & amorem ambulandum.* verò amor eum impellebat, vt Chriſti conſortium quæreret, ac ad ipſum tenderet. Inter timorem, & amorem Dei eſt ambulandum. Ait Moyſes ad populum: *Et nunc Iſraël, quid Domi-* Deuter. 10. *nus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius*, Deuteron. 10. n. 12. Nil aliud Deus vult ab Iſraël, niſi vt timeat, & diligat. Timeat, & reuerentiam exhibeat. Dili- Zeno. gat, vt nihil aliud quærat, niſi ipſum, à quo omnem gratiam, & miſericordiam habeat. D. Zeno Veronen. ſerm. de timore. *Videtis hunc timorem nobis neceſſarium, qui in Dei amore conſiſtit, qui voluptate ſua ſe parit, diuinæ legis agnitione conſtruit decorem: ſine fine ſtudeat timere, ne quid, præter Deum, quem diligit, timeat.*

*Lucæ* 5. *n.* 9. Stupor enim circundederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Etenim pauor inuaſabat eum, & omnes, qui cum eo erant, propter capturam illam piſcium, quam comprehenderant.

*Vatablus.* Stupor comprehenderat eum,

*Arias.* Stupor occupauerat eum.

## *EXPOSITIO.*

110. QVANVIS humilitas Petri maximè eſſet laudanda, qua deprecatus eſt, vt Dominus à ſe exiret; tamen Euangeliſta apponit rationem, quare illa dixit: quia niſi eſſet vehementi ſtupore occupatus, fortaſſe illa non proferret, vt notat Toletus. Et dicitur, *Stupor circundederat*; quia totus homo erat pauore repletus. Duæ autem huius ſtuporis cauſæ tanguntur, vt ait Hugo. Prima ex conſideratione propriæ fragilitatis, *Exi à me.* Secunda ex beneficentia Domini in captura piſcium; quia in eo loco, in quo antea nec vnum habuerat, modò tantam multitudinem extrahit. Et hæc ſtuporis cauſa tenuit etiam ſocios Petri. Et fuit tam euidens miraculum, vt non vnus, vel alter mirarentur, ſed omnes. Tolet. Hugo.

*Lucæ* 5. *n.* 10. Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere; ex hoc iam homines eris capiens.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Ne timeas; poſthac piſcaturus es homines ad vitam.

*Arabicus.* Et nunc eris piſcator, qui piſcaberis homines.

*Tertull. lib.* 4. *aduer. Marc. cap.* 9. Ne time, abhinc homines eris capiens.

*D. Ambr. lib.* 5. *Hexaëm. c.* 6. *& lib.* 6. *c.* 8. Eris homines viuificans.

*Caietanus.* Ex hoc nunc eris homines viuos capiens.

## *EXPOSITIO.*

111. PAVOR tantæ rei non ſolùm inuaſit Petrum, & eos, qui cum ipſo erant in ſua naui, ſed etiam eos, qui erant in alia, verbi gratia; filios Zebedæi Iacobum, & Ioannem. Et, vt Bonauent. ait D. Bonauentura, ſicut fuerunt ſocij in ſtupore, ac exercitio piſcationis; ita & in dignitate vo- Matth. 4. cationis *Matth.* 4. *num.* 19. vt dicam *capite inferiori.* Apocal. 1. num. 9. *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione. & regno.* 2. Corinth. 1. numero 7. *Scientes, quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationum.* *Socius in labore ſit, & in felicitate.* Apoc. 1. 2. Cor. 1. Sequitur textus: *Ait ad Simonem.* Petrus, ſe humiliando, Dominum non expellebat, ſed potiùs attrahebat; & ideo Dominus eum confortat animando, ab illoque timorem excludendo. Et ait, *Noli timere*; id eſt, ne timeas aliquid mali, vel ſubmerſionem ex mea præſentia; non enim veni, vt te timore terrerem, ſed vt multis donis cumu- Bonauent. larem. Et excludit Dominus ab eo, vt ait D. Bonauentura, timorem puſillanimitatis, qui opponitur confidentiæ, non verò timorem reuerentiæ, & illum excludit timorem, vt, quæ ſequuntur, attentiùs audiat.

112. *Ex hoc*, id eſt, ab hoc nunc, ex hoc tempore, ſeu ex hoc euentu, *eris homines capiens.* Verbum, *capiens*, valde grauidum eſt ſenſibus, ideoque à

 pleriſque

pleriſque variè legitur, vt patet ex verſionibus. Tamen accommodatiſſimè legendum eſt cum Syriaco, *Eris homines ad vitam capiens.* nam in piſcatione naturali, piſcis, dum piſcatur, moritur; at in hac ſpirituali piſcatione, non ad mortem, ſed ad vitam ex hac mundi aqua extrahitur homo. Et dicitur Petro, *Eris homines capiens,* vt notat D. Bonauentura, non aurum, non dignitates, ſed homines. 2. Corinth. 12. n. 14. *Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Ad Philipp. 4. n. 17. *Non quæro datum, ſed fructum abundantem in ratione veſtra.* Et dum hæc verba dicuntur Petro, vt notat D. Auguſtinus, ſuprà citatus, Beda, D. Bonauentura, Hugo, & alij, ac dixi *quæſt.* 1. nondum in Apoſtolatum eligitur; ſed prædicatur, quòd poſtea ſit eligendus. Quare Deus ad hoc munus Euangelicum vocauit piſcatores? ſatis explicabitur inferiori capite.

Syriac. Bonauent. 2. Cor. 12. Ad Philip. 4. Auguſt. Beda. Bonauent. Hugo. *Prædicator, non aurum, ſed animas quærat.*

## Qvæstio XVII.

### *An oratio Petri fuerit exaudita?*

113. Deprecatvs eſt Petrus: *Exi à me, quia homo peccator ſum,* & tamen Dominus non receſſit ab eo; ac proinde eius petitioni non annuit Chriſtus. Reſpondet primò Toletus, & ad litteram, *annot.* 14. Si petitionem in ſe ipſa conſideremus, non eſſe exauditam; petebat enim à Chriſto, vt ab eo exiret; quod tamen Dominus non fecit. Si tamen finis, & intentio petitionis attendatur, maximè exauditus eſt Petrus. Deprecabatur, Chriſtum à ſe exire, ea intentione, ne quid mali ob ſuam indignitatem præſentia Domini pateretur. Et hoc maximè impetrauit: nihil enim detrimenti eſt paſſus, nec ſubmerſione oppreſſus; ſed cum Chriſto magna ſecuritate eſt munitus, & multis donis exaltatus.

Tolet. *Finis orationis exauditio.*

114. Secundò Gloſſa, Beda, Hugo, *Non recedit Ieſus,* ait, *quanuis Petrus dixiſſet: Exi à me Domine; ſed Dominus ab eo non recedit, ſed ad littus producit, id eſt, ad ſoliditatem fidei.* Sæpe Dominus noſtris petitionibus non annuit ob noſtrum bonum. A Petro, deprecante ſeparationem, non recedit Dominus, ſed ad ſoliditatem fidei producit, ad hoc vt mereatur tantum per fidei confeſſionem, vt caput totius Eccleſiæ conſtituatur.

Gloſſa. Beda. Hugo.

115. Tertiò D. Auguſtinus lib. 2. quæſtionum Euangelicar. quæſt. 2. *Sic,* inquit, *non enim receſſit ab eis Dominus, ſed eos ſubductis nauibus ad littus produxit, ſignificans in bonis, & ſpiritualibus viris non eſſe oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quo quaſi ſecurius, tranquilliuſque viuant, munus Eccleſiaſticum deſerant.* Aderat Petrus, qui ſe peccatorem proteſtabatur, & nauis periclitabatur ſubmergi; & tamen Dominus in tanto periculo, nec deſerit nauem, nec nautas. Doctores, ac Prælatos docens, quòd prætextu ſecurioris, tranquilliorisque vitæ, & incolumitatis non debent munus ſuum, commiſſoſque ſibi deſerere ſubditos, ſed eis in ipſa tempeſtate aſſiſtere, eoſque ad ſalutis perducere portum. Cùm Moyſes videret Ægyptium percutientem, iniuriamque Hebræo facientem, ipſum interfecit, *Exod.* 2. *num.* 11. Quid agis, Moyſes? Nónne tibi notum eſt, quòd ſi Pharao illud agnouerit, tibi neceſſarium erit, fugere ad deſertum, multas ſolicitudines, ac labores quærere? Quare ergo, cùm ſis in ſolio regni, illud contemnis, & tot, tantiſque periculis te exponis? Agebatur iam Moyſes ſpiritu veri Præſulis, & ideo pro tuenda, conſeruandáque ſubditi vita omnem ſolicitudinem, ac laborem nihili ducebat. D. Baſilius homil. 1. in Hexaëmeron. *Moyſes,* ait, *tyrannidis faſtum negligens prorſus ad ſuæ gentis contribules requirit, eorum humilitatem complexus, prælegit, calamitates, ærumnaſque cum Dei populo experiri, quàm vt temporali voluptate perfruitus ſe obnoxium redderet peccato.* Vide ſuprà *cap.* 3. *numero* 248. & *cap.* 5. *num.* 73. & infrà *cap.* 8. *numero* 60.

*Prælatus ſubditos in periculo non deſerat.* *Prælatus pro tuendis ſubditis labores contemnat.* Baſil.

## Qvæstio XVIII.

### *Quare ſoli Petro dicatur:* Eris homines capiens?

Aderant in hoc euentu Andreas, Ioannes, & Iacobus, qui etiam erant homines piſcaturi; & tamen Chriſtus ſolùm loquitur cum Petro, eique ait: *Eris homines capiens.* Cur hæc non dicuntur aliis, qui ſimili piſcationi erant incumbendi? Ad hoc reſpondet primò D. Antonius Vlyſſiponenſis *ſerm. in Dom.* 5. *poſt Trinit.* ſæpe citato. *Hoc ſpecialiter ad ipſum Petrum pertinet; ex hoc, quia fuiſti humilis, vitæ tuæ maculas erubeſcens, confeſſionem verecundia non reprimens, ſed potiùs detecto vulnere remedium quærens, eris homines capiens.* Optimus gradus ad ſublimia, humilitas ac peccatorum confeſſio: & quia inter omnes, qui aderant in naui, Petrus humiliatur, ad genua Chriſti procumbit, peccata ſua cognoſcens confitetur: *Exi à me, quia homo peccator ſum*; ideo ei ſpecialiter dicitur, *Eris homines capiens*; ac ad dignitatem Apoſtolicam eſſe eligendum, ei manifeſtatur. 116.

Ant. Vlyſip. *Confeſſio peccatorum gradus ad magna.*

Secundò Carthuſianus. *Sicut Petrus,* ait, *ſe Chriſto ſingulariter humiliauit, ſic meruit ſingulariter conſolari ab eo, & ait ad eum: Eris homines capiens, ex hoc huius tuæ obedientiæ, ac reuerentiæ mihi exhibitæ ſtuporis, humilitatiſque merito Prædicator, & Apoſtolus efficieris.* Solus Petrus magnum ſuum meritum erga Chriſtum declarauit humiliando ſe, reuerentiam exhibendo, ac prompta obedientia mandatis Domini obſequendo, ideo erga ipſum tam excellens donum declaratur, *Eris homines capiens*; vbi enim meritum ſe prodiit, ibi & honor præmij refulgere decet: & qui meritis eſt coſpicuus, Domini mercede eſt condecorandus. 117.

Carthuſ. *Vbi meritum, ibi præmium.*

Tertiò Beda, Hymon, D. Antonius *citatus.* quod ante omnes docuit D. Auguſtinus *lib.* 1. *de conſenſu Euangeliſtar.* Ideo hoc peculiariter dicitur Petro, quia peculiaris ei promittebatur piſcatio, qua piſcaturus erat homines reti Euangelico, tanquam ſupremus piſcator, ac rector totius nauis Eccleſiaſticæ. Et ideo Dominus magno myſterio nauim Petri ingreditur; iubet ei, in altum ducere eam, laxare retia; & ei peculiariter dicitur, *Eris homines capiens.* Sic etiam ſpecialiter ait Dominus Petro Matth. 17. num. 26. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle,* &c. Aliis ſemel dicitur, *Faciam vos fieri piſcatores hominum,* Matth. 4. n. 19. At verò Petro, tanquam ſupremo Prælato, toties hæc obligatio repetitur, vtpote ei maximè commendata, atque commiſſa. 118.

Beda. Haymon. Ant. Vlyſſip. Auguſt. Matth. 17. Matth. 4.



*Lucæ* 5. *n.* 11. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Et impulerunt illas naues ad terram, omniaque reliquerunt, ac poſt eum abiere.

*Franc. Lucas.* Et ſubductis ex alto, ſeu ſurſum nauibus ad terram.

## *Expositio.*

119. Ponitvr hìc, vt ait Caietanus, miraculi fructus: nam omnes incolumes ſimul cum nauibus, cùm eſſent appulſi ad terram, omnibus relictis, ſcilicet piſcibus, retibus, nauibus, mercenariis, ac ſociis, ſecuti ſunt Chriſtum. Qui Chriſtum perfectè ſequitur, omnia dimittere debet, quæ poſſunt inſeruire, eique occaſiones dare peccati. Deinde ne homo impediatur, ac detineatur ab ipſis rebus. Vnde eleganter ait D. Bernardus ſuper, *Ecce nos reliquimus omnia. Rectè feciſti, Petre, qui currentem ſequi non poteras oneratus, qui exultauit, vt gigas, ad currendam viam.* Et D. Antonius ſæpè citatus, hoc confirmat exemplo parentis Eliæ. *Manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat,* 3. Reg. 8. n. 46. Manus Domini, hoc eſt, gratia Dei facta eſt ſuper Eliam, accinctis lumbis per caſtitatem, currebat per paupertatem. Et ait Euangeliſta, *Secuti ſunt eum.* hoc eſt, ob reuerentiam cum eo iuerunt ad publicanda Dei mirabilia, quanuis poſtea ad piſcationem redierint, vt notant Gloſſa, Bonauentura, Carthuſianus, Hugo, & alij, quouſque vocati ſunt à Domino Matth. 4. *Venite poſt me*; quia tunc immobiliter, ac indiuidualiter cum Domino permanſerunt.

Caietan. Bernard. Ant. Vlyſip. 3. Reg. 8. Gloſſa. Bonauent. Carthuſ. Hugo. Matth. 4.

# CAP. VIII.

## *Vocantur Petrus, & Ardreas.*

*Matth.* 4. *n.* 18. Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare; erant enim piſcatores.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Quumque iter faceret iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, &c. in mare retia proiicientes,

*Vatabl. Pagnin.* Iacientes retia in mare.

*Arias.* Vidit Simonem dictum Petrum, & Andream fratrem eius, mittentes verticulam in mare.

### Alter Textvs.

*Marci* 1. *n.* 16. Et præteriens ſecus mare Galilææ vidit Simonem, & Andream fratrem eius.

## *Expositio.*

Septem adnotat hìc Euangeliſta: tria circa perſonam Chriſti, quatuor circa Apoſtolos. Primò Chriſtum ambulantem. Secundò locum, in quo ambulabat, *iuxta mare.* Tertiò quod ambulando egit. *Vidit.* Quartò, quos vidit, *duos fratres.* Quintò. Eorum nomina, *Simonem, & Andream.* Sextò. Occupationem illorum, *mittentes retia.* Septimò. Conditionem, ac officium eorum; *erant enim piſcatores.* 1.

Primò. *Ambulabat Ieſus,* vt ait Albertus Magnus, *non tam greſſibus corporis, quam irradiatione, & geſtatione ſuæ illuminationis.* Tanquam verus Sol, non in vno loco luce ſua ſiſtebat, ſed per omnia diffundebat. Seu, vt ait Hugo, *Ambulans Prædicatores vocabat ad ambulandum.* Non ſiſtens, ſed verſans per loca, vt ſui exemplo ſuos doceret ad iter agendum. Vel deambulat formam agens meditabundi; non ratione ſui, cui omnia ſunt in promptu, ac præſentia, cùm in ipſo ſint omnes theſauri Sapientiæ Dei; ſed in noſtram eruditionem, ac inſtructionem ob rei grauitatem, quam aggrediebatur, in amicis eligendis, ac Apoſtolis ad tantum munus vocandis, vt nos in ſimilibus præmeditemur. 2.

Albert. Mag. *Chriſtus omnia illuminabat.* Hugo. *Docemur, magna præmeditari.*

Secundò. *Iuxta mare.* Propriè non erat mare, ſed locus aquarum, quem Iordanis defluens, ac incidens in humiliorem locum, efficiebat. Tamen dicitur mare, vt obſeruat D. Hieronymus *in quæſtion. Hebraicis in Geneſim*; more Hebræorum, qui omnem congregationem aquarum mare appellabant. Lacus autem iſte, vt colligitur ex Ioſepho *de bello Iudaico lib.* 3. *cap.* 18. in latitudine continebat pluſquam vnam leucam; longitudine verò leucas tres ſuperabat. Aquæ erant dulces, & abundabant magna multitudine, ac varietate piſcium. Lacus varia habebat nomina ab oppidis, circa quæ defluebat, vt notat D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* Dicebatur lacus, ſeu mare Galilææ, 3.

*Quale eſſet mare Galilææ.* Hieron. Ioſeph. Paſchaſ.

Galilææ,quia in Galilæa erat. AD.Luca. 5.*num.* 1. appellatur ſtagnum Geneſareth, à regione propinqua Geneſar. A Ioanne 6.*num.* 1. dicitur mare Tiberiadis à ciuitate Tiberiades vicina. Tertiò,*vidit*; non fortuitò, & caſu, ſed ex induſtria conquæſitos; nam propter ipſos venit ad mare, & vidit eos, vt aiunt Chryſoſtomus in Imperfecto *homil.* 7. & Hugo, *non ad facies eorum, ſed ad corda reſpiciens: ſicut artifex, ſi viderit gemmas pretioſas non adoratas, eligit illas, non quod ſunt, ſed quod fieri poſſunt.* Et reſpexit eos Dominus oculis miſericordiæ ſuæ. Ac ſicut Sol,vt ait Rupertus *lib. in Matth.* quia quos vidit,illuminat, & non ſinit in tenebris.

Chryſoſt. Hugo. *Deus videt, non ſecundũ faciem, ſed ſecũdum cor.* Robertus.

4. Quartò, etiam quoad Apoſtolos. *Quos vidit.* Duos fratres, ſcilicet Simonem, qui dicitur Petrus,& Andream. *Hi,* ait Theophylactus, *fuerunt diſcipuli Ioannis: viuente autem adhuc Ioanne acceſſerunt ad Chriſtum. Porrò vbi Ioannem viderunt vinctum,reuerſi ſunt ad piſcatoriam; & ſic veniens Chriſtus piſcatur eos.* Quanuis Andreas Petro eſſet natu maior, tamen Petrus præmittitur à Matthæo, aut quia illum Chriſtus prius aſpexit, vt ait Beaulxames; aut quia Matthæus eius gradum ſublimiorem inter Apoſtolos conſiderauit.

Theophyl. *Cur Petrus prior nominatur.* Beaulxam.

5. Quintò. Eorum nomina. *Simonem, & Andream.* Simon, id eſt,obediens, Andreas, fortis, ſeu virilis. D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Ex quo liquet,* ait, *quòd quiſquis ad Chriſti diſciplinam velit tranſire, neceſſe eſt, vt primùm virtutem obedientiæ excolat, ac deinde idem viriliter ad finem vſque fortis viribus perduret.* Vel dic, quòd optimè hi primi eliguntur ad Apoſtolicum apicem. Quia Prælatus, quanuis ſe videat in dignitatis culmine, omnibuſque ſuperior, legi tamen Dei, ac diuinis mandatis obediens eſſe debet, atque in perſiſtendo in huiuſmodi obedientia fortis, & virilis. Addit Matthæus: *Simonem,qui dicitur Petrus;* & tamen poſtea appellatus eſt Petrus à Chriſto, ob admirabilem fidei confeſſionem, *Matth.* 16.*n.*16. Vnde ait D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* quòd hic dictus eſt Petrus per anticipationem. D. Chryſoſtomus verò *homil.* 14. *in Matth.* Quòd antequam Baptiſta incarceraretur, venit Princeps Apoſtolorum ad Chriſtum, qui dixit ei: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus,* Ioan. 1. num. 42. Et ita fuit obediens Chriſto, vt Petrus ſtatim nominaretur. Ita ait Chryſoſtomus. *Facile obedierunt vocanti, ſuaque nomina reliquerunt.* Sed Chriſtus eo loco prædixit nomen, quod poſtea erat habiturus. Sextò. Eorum accuſatio: *Mittentes rete in mare,* hoc eſt,communi opera iacientes. Septimò. Officium, ac conditio illorum: *piſcatores;* de quo multa dicam in quæſtionibus.

Paſchaſ. *Quid ſignificet Simon, & Andreas.* *Prælatus ſit obediens legi Dei.* Matth. 16. Paſchaſ. Chryſoſt. Ioan. 1 Chryſoſt.

---

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm Petrus, & Andreas multipliciter fuerint vocati à Domino? Et agitur de concordia Euangeliſtarum in hac materia.*

6. VARIAS vocationes Petri, & Andreæ videntur ſcribere ſacri Euangeliſtæ. Nam primò Marcus 3.*num.* 13. & Lucas 6.*num.* 13. videntur ſignificare, omnes Apoſtolos ſimul fuiſſe vocatos. Secundò Ioannes 1. *num.* 40. & 41. quòd poſtquam Baptiſta dixit de Chriſto prætereunte, *Ecce Agnus Dei;* & audierunt Baptiſtam duo ex diſcipulis eius, & ſecuti ſunt Dominum Ieſum. Et ait Euangeliſta citatus: *Erat autem Andreas frater Simonis vnus ex duobus, qui audierunt à Ioanne, & ſecuti fuerant eum.* Et Andreas adduxit fratrem ſuum Simonem ad Chriſtum, quem intuitus Dominus, dixit ei: *Tu es Simon filius Iona,tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Matthæus verò, & Marcus hoc loco ſcribunt eos vocatos iuxta mare Galilææ à Chriſto deambulante quatuor. Lucas *cap.* 5. *num.* 1. & 10. narrat Petrum vocatum à Chriſto,non prætereunte,ſed in nauicula Petri concionante poſt captam copioſam piſcium multitudinem.

*Variæ vocationes Petri, & Andreæ.*

7. Quantum ad primum parua eſt quæſtio de deſignatione Apoſtolorum: quia ibi vocati non ſunt, vt Chriſtum ſequerentur, ſed vt Apoſtoli fierent. Et ita ait D. Lucas cit. cap. 6. num. 13. *Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* Ac proinde iam in Chriſti ſocietate erant, & hic Apoſtoli tantùm nominati,& declarati fuere.

Luc. 6.

8. Quoad alias vocationes eſt quæſtio, & aliquantulum difficilis. Sunt, qui putent, ſemel tantùm fuiſſe vocatos Petrum, & Andream, vt refert D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* Et dicunt, quòd huiuſmodi vocatio narratur à Ioanne *cap.* 1. *num.* 40. Et facta fuit poſt teſtimonium Baptiſtæ. Et inquiunt, quòd hîc iterum per recapitulationem ſcribitur.

Paſchaſ.

9. Secundò D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* ex aliorum placito refert, vnam,& eandem eſſe vocationem,quam Matthæus,& Marcus hîc ſcribunt, ac illam,quam Lucas narrat *cap.* 5. Eandem ſententiam ſequitur Abulenſis *hic quæſt.* 96. Ianſenius, & alij. Tertia ſententia eſt,tres fuiſſe vocationes. Ita docet D. Thom. *hîc.* Primò vocati fuerunt ad Chriſti familiaritatem, *Ioan.* 1. *num.* 40. Secundò diſcipulatum, *Luc.* 5. *num.* 10. Tertiò vt totaliter Chriſto adhærerent. Matth. & Marc. *hoc loco.* Et tres fuiſſe Petri vocationes tradunt Beda, Haymon, Albertus Magnus, Carthuſianus, Lyranus, & alij.

Paſchaſ. Abulenſ. Ianſen. S. Thom. Beda. Haymon. Albert. Mag. Carthuſ. Hugo. Lyran.

10. Breuiter dico, quod ſentio. Primò. Vocatio illa, qua Andreas venit ad Chriſtum *Ioan.* 1. *num.* 40. omnino diuerſa eſt ab ea, quam Matthæus hîc proponit. Probatur, quia eo loco Andreas ſecutus eſt Chriſtum ex teſtimonio Baptiſtæ in Iudæa iuxta ripas Iordanis: hæc verò vocatio hîc contigit ſecus mare Galilææ. Illa facta fuit ante incarcerationem Ioannis; hæc poſtquam miſſus eſt in carcerem. In illa Andreas ſecutus eſt Dominum, & manſit apud eum die illo, *Ioan.* 1. *num.* 39. at hic permanenter Domino adhæſit. Immò ille acceſſus ad Chriſtum, de quo Ioannes mentionem facit, propriè non fuit vocatio, vt ait Maldonatus, ſed vocationis præparatio. Nec in ipſo Ioannis textu inuenies, quòd Petrus, & Andreas vocati fuerint à Chriſto vocatione externa ad ſui ſequelam. verbi gratia: Venite poſt me, vel, Sequimini me: aut quòd eis dixerit aliud ſimile verbum. Sed Andreas audiens teſtimonium Ioannis ſecutus eſt Chriſtum cum alio ipſius Ioannis diſcipulo, qui à Chriſto interrogauerunt, vbi habitabat; qui dixit eis: Venite, & videte,

*Vocationes quas Ioannes, & Matthæus ſcribunt, diſtinctæ.* Maldonat.



videte, ſcilicet locum habitationis, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Ioan.* poſtea Andreas ad Chriſtum adduxit fratrem ſuum Simonem Petrum. Et ex hoc loco Apoſtoli intimam cum Chriſto habuerunt familiaritatem. Vnde peroptimè ait Albertus Magnus, quòd hîc Apoſtoli Petrus, & Andreas primò vocati ſunt ad Chriſti familiaritatem teſtimonio Ioannis.

Chryſoſt. Albert. Mag.

11. Secundò tenendum eſt, diſtinctas eſſe hiſtorias, quas Lucas *cap.* 6. & Matthæus *hoc loco* narrant, vt dixi *cap. ſuperiori quæſt.* 1. Nam Lucas eo loco commemorat admirabilem Petri piſcationem, & nullam Andreæ mentionem facit; nec aliquod ponit verbum vocationem exprimens, vt clariùs dixi *loco citato*; ſed ſolùm quòd Petrus ſecutus eſt Dominum.

*Lucæ 5. & Matthæi diſtincta hiſtoria.*

12. Tertiò tenendum, Petrum, & Andream ſemel vocatos fuiſſe à Chriſto vocatione externa ad eum ſequendum. Et eſt hoc loco, quo ſcribunt Matthæus, & Marcus, dum eis dixit: *Venite poſt me. At illi relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Ita docet D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euangeliſtar. cap.* 17. Probatur ex dictis. Deinde, quia præclariſſima duo Apoſtolica lumina, ſi toties dicantur vocati, parum viderentur obſequi Domino vocanti, cùm multos Apoſtolos ad primam Chriſti vocem omnia reliquiſſe, & Dominum fuiſſe ſecutos, legamus, vt ſacer textus narrat de D. Matthæo. Dixi, *vocatione externa*; quia interno impulſu, certum eſt, motos fuiſſe à Spiritu ſancto, dum *Ioan.* 1. *n.* 40. ad Chriſtum accedunt. Siquidem omnis motio, conducens ad vitam æternam, ab ipſo prouenit. Nos autem loquimur de vocatione externa, vt notat Toletus *cap.* 1. *Ioan. annot.* 77. Et hæc ſententia manifeſtè patet ex dictis *cap. ſuperiori quæſt.* 1.

*Petrus, & Andreas ſemel externè vocati ad Dominum ſequendum.* Auguſt. Tolet.

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare Dominus modò vocet Andream, & non antea elegerit, quando ipſum fuerat ſecutus?*

13. EX adducto *cap.* 1. *Ioan. num.* 37. *quæſt. ſuperiori* liquet, quòd cùm Baptiſta de Chriſto præberet teſtimonium: *Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Erat autem Andreas vnus ex duobus, qui ſecuti fuerant eum,* ibidem numero 40. Quæſtio ergo præſens eſt: Cur Andream Dominus tunc ad ſuum Apoſtolatum non eligit, ſed ſolùm ad ſuam familiaritatem, vt dixi *ſuperiori quæſt.* cùm in hoc Matthæi loco eum eſſet electurus? Cur Andreas, valde promptè ad Dominum veniens, ad Apoſtolatum non admittitur, cùm poſtea totus in ſuo negotio occupatus vocandus eſſet?

Ioan. 1. *Ratio difficultatis.*

14. Reſpondeo primò. Ex his, quæ dicam *quæſt. ſequenti*. Chriſtus Dominus, vt optimus noſter magiſter, maximè ſe accommodabat, ac condeſcendebat tempori, & occaſioni: & ad ripas Iordanis, de quo Ioannes agit *cap.* 1. adhuc Dominus non prædicabat, ſed modò in Galilæa incepit publicè diuino verbo inſonare, & docere, vt ſcribit Matthæus hoc *cap.* 4. *numero.* 17. Et tunc teſtes fideliſſimos, ac magnos ad Verbi miniſterium operarios Dominus ad ſe vocat. Vide contextum Matthæi: *Cœpit Ieſus prædicare. Pœnitentiam agite: ambulans iuxta mare Galilææ vidit duos fratres,* &c.

*Accommodandum tẽpori, ac loco.* Matth. 4.

15. Secundò. Magnum exemplum nobis præbet benignitas, & ciuilitas noſtri Saluatoris. Andreas erat Baptiſtæ diſcipulus, qui frequenter ei aſſiſtebat, dum ipſe prædicabat, ac baptizabat; & ex teſtimonio Ioannis venit ad Ieſum. Et quanuis Andreas in hoc ad multo meliorem ſortem tranſiret, Chriſtus eum ad ſe totaliter non attrahit, vt ſibi permanenter adhæreret, ne magiſtrum ſuum Ioannem in miniſterio ſuo deſerere videretur. Sed poſtquam ipſe Ioannes eſt incarceratus, & ceſſauit prædicare, ac baptizare, tunc ad Apoſtolatum Chriſtus ad ſe vocat Andream, vt cum eo immobiliter perſiſtat. Quando Andreas cùm illo alio Ioannis diſcipulo venit ad Chriſtum, atque ad hoſpitium, in quo Dominus habitabat, ait ſacer textus Ioan. 1. numero 39. *Venerunt, & viderunt, vbi maneret,* ſcilicet Chriſtus, *& apud eum manſerunt die illo. Hora autem erat quaſi decima.* Dum dicitur hora decima, intellige ab ortu Solis; nam Iudæi ab ortu Solis vſque ad occaſum per duodecim horas numerabant diem. Sed cur ſacer Euangeliſta aduertit, quòd erat hora decima? Maldonatus. *Reddit rationem,* ait, *quare die illo apud Chriſtum manſiſſent, nec ad Ioannem præceptorem ſuum reuertiſſent; quia inclinata iam in occaſum dies erat, neque ſatis reſtabat tempus, vt redire poſſent.* Dum hora diei ſcribitur, inſinuatur, quòd ideo Domino permittente per eam noctem ibi commorati ſunt, ac à Magiſtro ſuo Ioanne deiuncti, quia tempus locum non dabat, vt ad eum accedere poſſent.

*Amicus curare debet, ne à ſibi miniſtrantibus deſeratur amicus.* Ioan. 1. Maldonat. *Non patitur Dominus, vt Ioannis diſcipuli magiſtrum ſuum deſerant.*

16. Tertiò. Inſcrutabilis eſt Dei ſapientia, & decori noſtro maximè conſulens. Andream ad ſe iuxta fluenta Iordanis properantem, non recipit ad Apoſtolatum, vt dixi *ſuperiori quæſt.* ſed ſimul dum ipſe, & frater eius Petrus in Galilææ littore adſunt, eos ad ſe aduocat, & allicit; immò oculis priùs aſpexit Petrum, vt dixi *in expoſitione.* Decretum erat Dei conſilio, vt Petrus ad ſupremum Chriſtianæ Reipublicæ apicem ſublimaretur. Si ergo Andreas iuxta Iordanis ripas ad Apoſtolatum eſſet admiſſus; & poſtea frater eius iunior vocatione, religione, ac ætate ei anteponeretur, poterat aliquis cogitare, quòd antiquior Andreas aliquantulum deuenuſtabatur: ne ergo huiuſmodi ſuſpicio alicuius veniat in mentem, Andreas velociſſimè ad Chriſtum maturans, ad Apoſtolicum ordinem non admittitur, ſed cum fratre ſuo ſimul recipitur, ne viro antiquitate, ac meritis inſigni recens aliquis præponi videatur.

*Conſulẽdum, ne iunior ſeniori præponi videatur.*

17. Môriturus Iacob ait filiis ſuis: *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis,* Geneſ. 49. numero 1. filios ſuos incipiendo à Ruben per ordinem benedixit. Meritò conſiderat Origenes *homil.* 17. quòd in ſacra Scriptura varius eſt ordo in numerandis his Patriarchis, vt in ingreſſu in Ægyptum *Exod.* 1. *numero* 1. Vel dum numerantur ad bellum, *Numer.* 26. *à num.* 5. Vel dum terra promiſſionis inter eos diſtribuitur, vt patet *Ioſuë à cap.* 13. *& ſequentibus.* In his autem narrationibus, ſecundùm ſuam antiquitatem non deſcribuntur. Tamen hoc loco ſanctus Iacob ordinem ætatis ſeruat, vt notat D. Chryſoſtomus homil. 67. in Geneſ. *Congregatis pueris*

Geneſ. 42. Origen. Chryſoſt.

Ambroſ.

*pueris*, ait, *ſeruato natiuitatis ordine*. D. Ambroſius *lib. de benedictionib. Patriarchar. cap.* 1. *&* alij. Cur ergo Patriarcha primo loco non benedixit dilectiſſimum filium ſuum Ioſeph, qui dignitate inter cæteros eminebat, totius Ægypti gubernator, ac tanquam omnium pater habebatur; ſed penè in vltimo, & vndecimo loco manum patris accipit? Cur ſaltem Iudas, qui regia dignitate erat conſpicuus, à quo Chriſtus Dominus erat naſciturus, primam non vendicat nominationem? Albinus in quæſtionib. in Geneſim. *Ordine ætatis benedictionem habent, ſeruans pater vnicuique ſuum honorem.* Pater moriens prædicebat filiis benedictiones, & fauores cæleſtes, qui eis erant euenturi; & dum hæc publicantur, prærogatiua ætatis vniuſcuiuſque ſeruatur; in illis enim benedictionibus maiora aliquando pronuntiantur adoleſcentiori, quàm ſeniori, verbi gratia, Iudæ, quàm Ruben, & Simeoni; tamen natiuitatis ordo obſeruatur: quia cæleſtia dona ita vni conceduntur, vt aliorum gradum, aut dignitatem, nec minuant, nec extenuent, ſed abſque alicuius præiudicio condecorant, & nobilitant.

*Dignitas vni dăda abſque aliorum præiudicio.* Albinus.

18. Pſalm. 105. Dathan, & Abiron, ait Regius Vates Pſalm. 105. numero 16. *Irritauerunt Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum Domini.* Filij iniquitatis ob principatus ambitionem ſe contra Moyſen, & Aaron erexerunt. Sed cur Aaron apponitur ſanctum Domini, non verò Moyſi? De Moyſe ait Eccleſiaſt. cap. 45. num. 2. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Cur ergo non Moyſes, ſed Aaron dicitur ſanctus? Communis Interpretum ſententia Brunonis, Lyrani, Carthuſiani, Incogniti, Hugonis. Ob Pontificiam dignitatem, qua erat ſanctiſicatus à Domino. Si enim Moyſes, quia dux, ac gubernator populi erat, primo narratur in loco, frater tamen Aaron à dignitate ſua non defraudatur, vt ſanctitatis nomine condecoretur.

Eccli. 45. Bruno. Lyran. Carthuſ. Incognitus. Hugo. *Moyſes honoratur, Aaron tamen non defraudatur.*

19. Ad culmen Apoſtolicum euehitur Petrus, tamen Andreæ ſanctitas æquali gloria, ac beatitudine muneratur. Sine dubio crucis mors cunctis excellentior, ac ſacratior magiſque pretioſa in oculis diuinæ maieſtatis apparet, vt teſtatur Petrus Damianus ſerm. 57. *Inter cuncta ſanè*, ait, *martyrij genera illud nobilius, illud non immeritò indicatur eſſe præcipuum quod in ipſo Redemptore noſtro, capite videlicet Martyrum, cognoſcitur dedicatum.* Et tamen ſi rectè conſideres, inuenies, quòd inter omnes Apoſtolos Petrus, & Andreas hac gloria ſunt ſublimati, vt eis Dominus glorioſam ſuæ mortis ſortem commodauerit; vterque enim in cruce ſpiritum exhalauit: & in hac gloria æquali priuilegio eos Dominus exæquauit. Idem Petrus Damianus citatus. *In illam beatitudinem ſempiternam eos Crux parturiuit æquales; qui enim hìc ſunt filij Ioannis, illic ſunt filij crucis. Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ ſubtraxit, cæleſti Ieruſalem renaſcentes, cum triumphali gloria nouos ciues inuexit.* Sed vnde hi duo fratres pari micant gloria crucis? Quia ſi Petrus narratur primus in Apoſtolicò ordine, ob Pontificiam dignitatem; Andreas ſuæ prioritatis gloria non priuatur, quòd prior ad Domini cognitionem, ac familiaritatem deuenerit, vt dixi *ſuperiori quæſt.* Et ideo vterque ob ſuam prioritatis prærogatiuam crucis maieſtate condecoratur. Idem Damianus. *Andreas quidem in Apoſtolici ſenatus catalogo ſecundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini iuxta Euangelicam fidem primus inuenitur.*

Damianus. *Petrus & Andreas inter cæteros Apoſtolos crucis gloria nobilitantur.*

---

## QVÆSTIO III.

### *Quare Chriſtus à principio ſuæ prædicationis elegit Apoſtolos?*

AIT Matthæus *hoc cap.* 4. *num.* 17. quòd Ieſus cœpit prædicare, & ſtatim *n.* 18. incipit narrare, quomodo Petrum, & Andream, Ioannem, & Iacobum ad ſe vocat ad Apoſtolatum. Cur ergo ſtatim in exordio ſuæ prædicationis Apoſtolos vocat, ac eligit? 20.

Prima, & germana ſolutio eſt, quòd vocati ſunt, vt efficerentur teſtes omnium, quæ Chriſtus geſſerat: vt autem teſtes eſſent, omnia ab exordio prædicationis, ac operationem Chriſti inſpicere debuerant. Quòd autem Chriſtus eos eligebat in teſtes, multis comprobatur. *Actor.* 1. *num.* 8. eis dixit: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria.* Et Luc. 24. num. 48. *Vos autem teſtes eſtis horum.* Et Ioan. 15. n. 36. & 27. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Et ipſimet Apoſtoli ſe intellexerunt eſſe datos in teſtes. Actor. 2. num. 32. cap. 3. num. 25. cap. 5. num. 32. *Nos ſumus teſtes horum verborum* Quia quanuis Chriſtus de ſe dicat: *Ego teſtimonium ab homine non accipio*, Ioan. 5. num. 34. quia, vt rectè explicant Leontius, Theophylactus, non eget alicuius teſtimonio, cùm in ipſo ſit ſumma veritas, & potentia ad miracula operanda, tamen accommodando ſe ad noſtrum captum, teſtimonio vtitur. Sicut vox illa, quæ de cælo intonuit *Ioan.* 12. *num.* 29. dum Pater dixit: *Clarificaui, & iterum clarificabo*; ait Chriſtus: *Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.* Similiter Ioan. 11. num. 42. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me exaudis: ſed propter populum, qui circunſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.*

21. *Apoſtoli electi, vt teſtes myſteriorum Chriſti.* Actor. 1. Luc. 24. Ioan. 15. Actor. 2. Ioan. 5. Leontius. Theophyl. *Chriſtus, ac commodat ſe ad noſtrum modum.* Ioan. 12. Ioan. 11.

Vt ergo eſſent teſtes, Chriſtus ad ſe recipit diſcipulos, ex quibus aliqui iam conuerſabantur cum Domino à tempore, quo Ioannes dedit teſtimonium: *Ecce Agnus Dei*, Ioan. 1. n. 40. Et aliqui potuerunt eſſe teſtes eorum, quæ geſta ſunt in Baptiſmo, vt Andreas, qui erat diſcipulus Ioannis; & etiam Philippus, & Petrus, vt obſeruat Abulenſis *quæſt.* 97. Nam quando vocati ſunt à Domino prima vice, cum Ioanne erant in Iudæa. Ad quod videtur reſpicere Petrus, dum ait, quòd oportebat eligere ex illis viris, qui erant *Congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque ad diem, qua aſſumptus eſt, teſtem Reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*, Actor. 1. n. 21. A principio autem prædicationis eligit Petrum, Andream, Ioannem, & Iacobum: inchoata prædicatione eliguntur alij, vt Matthæus *cap.* 9. *n.* 9. & illi, qui erant à principio vocati, & iam antea conuerſabantur, vt familiares, potuerunt teſtificare, & docere alios de his, quæ ipſi viderant, & audierant. 22.

Ioan. 1. Abulenſ. Actor. 1.

Secundò. Ad quæſtionem reſpondet D. Chryſoſtomus 23.



ſoſt. in Imperfect. homil. 7. *Vocat Apoſtolos*, ait, *vt nihil eos lateat, nec verborum Chriſti, nec operum, vt poſtmodum fiducialitor dicere poſſint: Non poſſumus nos, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*, Actor. 4. n. 20. In exordio ſuæ prædicationis Apoſtolos ad ſe vocat, vt, cùm ipſi viderint à principio, magnam habeant loquendi fiduciam. Et ita dicebat Ioan. 1. cap. 1. n. 1. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, teſtamur, & annunciamus vobis.* Vt Paulus ſuum honorificaret Apoſtolatum, ait, *Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? nónne Chriſtum Dominum vidi?* 1. Cor. 9. n. 1. Arguit Paulus Pſeudoapoſtolos, ac puſillanimes, qui dicebant, Paulum cæteris Apoſtolis eſſe inferiorem; quia Ieſum Chriſtum in carne non viderat. His ait Magiſter gentium, vt notant D. Chryſoſtom. D. Thomas, D. Remigius, Benedict. Iuſt. Ego ſum Apoſtolus, vt cæteri Apoſtoli: Ego libertatem habeo prædicandi meis auditoribus; nam Chriſtum Dominum præſentem intuitus ſum, eumque docentem in cælo audiui, *Actor.* 22. *n.* 18. *&* 2. *Corinth.* 12. *n.* 4. magnam enim in teſtificando habet authoritatem, atque fiduciam, qui dicit ea, quæ vidit, & audiuit à magno, probatoque viro. Et ita Paulus redarguit eos, qui illi Apoſtolicam libertatem inficiabantur, quia Dominum Ieſum in carne non vidit.

Chryſoſt. Actor. 4. *Quæ homo vidit, valde confidenter dicit, & teſtificat.* 1. Ioan. 1. 1. Cor. 9. Chryſoſt. D. Thom. Remigius. Bened. Iuſt.

24. Abulenſ. Tertiò Abulenſ. *q.* 97. vocat Apoſtolos ab exordio prædicationis, ait, propter doctrinam moralem in ipſis Apoſtolis; quia ad compoſitionem morum non ſufficit ſolùm verbalis inſtructio; ſed magis requiritur aſſuefactio cum eo, qui eſt morum magiſter. Et quia Apoſtoli futuri erant doctores orbis terrarum, non ſolùm quantū ad prædicationis doctrinam, verùm etiam in compoſitione morum, & totius vitæ honeſtate; ideo inſtrui debuere per longam conuerſationem cum Chriſto, qui erat regula morum. Et ipſe ſæpe arguebat aliquos eorum defectus, & ordinabat eos, quantum ad aliquas deordinationes morum, quæ in ipſis interdum apparebant, vt arguendo eos de elatione, vel contentione, vel infidelitate, vel ſimilibus, vt patet infrà *Matth.* 16. *n.* 23. *&* 17. *n.* 16. *&* 18. *n.* 2. *Marc. vlt. n.* 14.

*Vt quis in moribus reformetur, paulatim aſſueſieri debet.*

25. Quartò. Voluit Dominus à principio ſuæ prædicationis congregationem aliquam familiarium diſcipulorum ſibi adſciſcere, quos haberet teſtes omnium, quæ faceret, & diceret: frequenter enim amici ſolùm, tibique beneuoli magnalia tua vident, & intelligunt. Vide *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 60. *& lib.* 3. *c.* 3. *n.* 6. *&* 7. Quintò. Maximè conueniens fuit, vt Chriſtus haberet diſcipulos, qui eſſent operarij in verbo Dei: nam Chriſto prædicante Apoſtoli multos baptizabant, *Ioan.* 4. *n.* 1. Et in aliis ſanctis operibus occupabantur, itaut eis aliquando dixiſſet Chriſtus Marc. 6. n. 31. *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant multi, nec ſpatium manducandi habebant.*

Marc. 6.

26. Sextò. Diſcipuli eliguntur à Domino ab exordio prædicationis, vt multis eſſet cōprobata ſanctitas, poteſtas, ac integritas morum Chriſti: nam Iudæi Saluatorem calumniabantur, quòd in Beelzebuth principe Dæmoniorum eiiceret Dæmonia, *Matth.* 12. *n.* 24. *Luc.* 11. *n.* 17. Maximè ergo decuit, vt Chriſtus haberet diſcipulos, eorum filios, qui optimè exploratam habebant integerrimam Chriſti Domini vitam, vt Iudæi ſuiſmet filiis conuincerentur, falſum dicere. Deinde diſcipuli eiiciebant Dæmonia virtute à Chriſto Domino accepta: & tamen Iudæi concedere renuebāt, quòd diſcipuli expellerent Dæmonia in Beelzebuth: ergo conuincebantur, hoc fateri de virtute Chriſti, dum Dæmonia eiiciebat. Quo argumento contra eos vſus eſt Chriſtus Dominus, Luc. 11. num. 17. *Si autem ego in Beelzebuth eiicio Demonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt.* Non ait, vt notat Albert. Magn. *Diſcipuli mei, ſed filij veſtri, cum de eis eſſent nati, vt ipſi ſint teſtes contra eos, & ab illorum veritate conuincerentur, quòd nullis malis artibus vſus eiicio Dæmonia.* Nullum enim poterat eſſe efficacius argumentum; quàm vt à ſuiſmet filiis conuincerentur, ac eorum teſtimonio, Iudæorum malitia pateſieret. Similiter *in Matth.* D. Paſchaſius, D. Thomas, Hugo, & alij.

*Valde efficax argumētum, dum quis a propriis conuincitur.* Albert. Mag. Paſchaſ. D. Thom. Hugo.

27. Iob. 13. Vt Iob ſuos amicos confutaret, & falſam eorum detegeret doctrinam, ait eis: *Secundùm ſcientiam veſtram ego noui. Priùs vos oſtendam fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum*, Iob. 13. n. 2. & 4. Septuag. legunt: *Noui quæ cùm vos ſcitis.* Totus eſt ſanctus Patriarcha, vt falſam ſuorum amicorum diſcooperiat doctrinam, vtque oſtendat, quàm ſiniſtrè de Deo ſentiant. Verùm ad hoc, ad quid ait: *Secundùm ſcientiam veſtram ego noui?* Ad quid ait, ſe eorum ſcientiam tenere, qui per donum Prophetiæ ipſam penetrabat? vt ex D. Greg. S. Odonius lib. 11. in Iob. *Secundùm*, ait, *eorum ſcientiam ſe noſſe, confirmat, qui ſciendo cœleſtia, eorum terrenas cogitationes per Prophetiæ ſpiritum tranſibat.* Intentabat ſanctus Iob, falſa amicorum dogmata compeſcere; & eorum malignitatem, ac deprauatas cogitationes, non per ſupernaturale Prophetiæ donum apprehendere diuulgat, ſed ſecundùm eorum ſcientiam tenere, fatetur: magna enim vis infertur, dum quilibet ex propria ſcientia, ſuis dictis, ac cognitione conuincitur, & ligatur. Ita habet Paraphraſis Bibliæ ante ipſum caput 13. *Iob amicos ſuos ex ipſorum verbis confutans, à Deo arguendos aſſerit.*

Septuag. Gregor. Odonius. Paraphr.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Dominus potius eligit hos Apoſtolos, quàm alios?* 28.

RATIO à priori huius quæſtionis, Altitudo ſapientiæ Dei, diuinum conſilium, cuius ratio eſt inſcrutabilis à nobis, ipſe enim eligit, prout vult. Moraliter verò aliqualis coniectura poterit à nobis inueſtigari, Primo Gloſſa Interlinealis. *Quia vnitatem fraternæ dilectionis probauit.* Cùm Chriſtus ſit maximè amor charitatis, eos vocat, quos concordia copulatos vidit,

*Vnitas, ac cōcordia placet Deo.*

29. Secundò. Petrus & Andreas erant Chriſti familiares, ac maximè beneuolè in eum propenſi; nam iuxta ripas Iordanis, audito Ioannis teſtimonio, Andreas ſecutus eſt Dominum Ieſum *Ioan.* 1. *n.* 39. qui etiam ad eum adduxit fratrem ſuum Simonem Petrum *ibid. n.* 41. Filij autem Zebedæi, Iacobus & Ioannes conſanguinei erant Domini, vt poſtea dicam: & bona indoles, ac voluntas cōſanguineorum, ac familiariū non eſt contemnenda, ſed omni fauore proſequenda, vt ipſi quātūm fieri poſſit, honore, ac dignitate afficiātur, præcipuè quãdo ab aliis ingenio, virtute, ac morib. non ſuperantur, ſed æquantur. Iuſtitiæ lex eſt, vt conſanguineus, ac amicus ad officium non admittatur

*Amici, ac cõſanguinei sũt beneficio proſequendi.*

tur, quando indignus non inuenitur, vel ab aliis virtute multum ſuperatur. At verò ſi moribus æqualis conſiſtit; prudentiæ regula dictat, vt quia cognatus, ac familiaris eſt, non detrimentum, ſed potiùs augmentum ſuſcipiat. Et ideo omni ſtudio eſt inuigilandum, vt huiuſmodi omni beneficio condecorentur, ac extollantur.

30. Ob explicatum ſomnium Daniel conſtituitur à Rege Nabuchodonoſore Princeps ſuper omnes prouincias, & ſuper cunctos magiſtratus, præfectos, & ſapientes, Et ſtatim dicitur: *Daniel poſtulauit à Rege. Et conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago*, Dan. 2. n. 49. Sanctus Propheta, cùm munera publica obtineret, ac eſſet Princeps ſuper prouincias, cur non pro aliis deprecatur, ſed pro amicis, & familiaribus? Nouerat enim eos Daniel eſſe omni merito expolitos, & in nullo aliis inferiores; & ideo maximè affectauit, vt ſui cum ipſo omni honore, ac dignitate nobilitarentur. Theodoretus, *Daniel*, ait, *quæ ſperauerat conſecutus oſtendit erga proximum dilectionem, & participes eorum, quæ acceperat, fecit tribules ſuos.* Cùm Daniel accepiſſet poteſtatem, ſtatim præfecturæ, ac principatus facit participes tribules ſuos.

Daniel. 2.

*Debes procurare, vt tui honore, ac dignitate cõdecorentur.*

Theodor.

31. Cùm Dauid clauum regni teneret, Ioab conſtituit principem militiæ, ac generalem ducem exercitus 2. *Reg.* 8. *num.* 16. *ac* 3. *Reg.* 1. *num.* 19. 1. *Paralip.* 27. *num.* 34. Et tamen, ſi legas catalogum virorum fortium Dauid, inuenies triginta ſeptem Heroas 2. *Reg.* 23. *à num.* 9. qui exercitus profligabant, Leones interficiebant. Imò, quod magis eſt, in hoc illuſtrium catalogo non ſcribitur Ioab. Cur ergo ipſe potius, quàm aliquis ex illis triginta ſeptem præficitur dux militiæ? Ioab virtute bellica, ac pugnandi dexteritate non erat cæteris inferior; & aliàs erat valde benemeritus erga Dauidem: multa enim ei præſtiterat obſequia, vt obſeruat Carthuſianus 3. *Reg, cap.* 2. Imò, vt volunt Hebræi, fuerat eius indiuiduus comes, ac familiaris, dum fugeret à facie Saul; & magni ingenij eſt, contribules ſuos, ac familiares, aliàs benemeritos, omni fauore proſequi, & ſui honoris, ac dignitatis participes facere.

Carthuſ.

*Amici officio ſunt honorandi.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare Dominus vocauerit hos Apoſtolos binos, & fratres.*

32. VOCAT Dominus hîc ad ſe Apoſtolos binos, & fratres: nam eligit Petrum, & Andream fratres; ſimul Iacobum, & Ioannem germanos. Et maximè ponderandum, quòd aliquando viderat Dominus Andream ſine Petro, *Ioannis* . *num.* 40. & tunc eum non vocat, ſed quandò ſimul erat cum Petro. Et ſimiliter valde probabile, quod aliquando viderat ſolum Iacobum, & tunc eum ad ſe non attrahit, ſed quando ſimul aderat cum Ioanne.

33. Reſpondet primò D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 9. *Diſcipuli illi*, ait, *qui primi à Domino vocati ſunt, duo fratres extiterunt; ex quo ſtatim per ipſa initia ſapientiſſimus Saluator illud indicauit, ſe diſcipulos omnes ſuos fraterno amore copulari velle. Quæ cùm ita ſint, nihil charitati anteponendum ducamus, quæ quidem omnia inter ſe deuincit, atque in virili concordia conſeruat.* Vocauit Dominus binos propter eximiam charitatem, qua ſuos connecti voluit: ideo vocauit fratres, vt ait Abulenſis q. 103. *quia ipſa propinquitas ſanguinis auget quendam gradum amoris.* Et quanuis Dominus omnes non vocauerit binos, & fratres; tamen ad id ſignificandum ſufficiebat, quòd eſſent aliqui; & præcipuè illi, qui in exordio ſunt vocati. Vnde ait Chryſoſt. citatus ab ipſo Abulenſi: *Super charitatem fraternitatis Ecclesiæ poſuit fundamenta, vt ex radicibus charitas exuberans, quaſi humor aſcendat in ramis.* Si enim charitas viget in Prælato, in radice; deinde in omnes, tanquam in ramos deriuatur. Et ad hanc vehementem charitatem nobis inſinuandam Dominus non vocauit tres fratres, ſed duos, vt notat Palatius, quia amor minor eſt inter tres, quàm inter duos.

Peluſiot.

*Dominus diligit charitatem.*

Abulenſ.

*Chriſtus maximè vult, vt inter nos ſit charitas.*

Chryſoſt.

Palat.

34. Secundò. Deus olim fundauit Synagogam ſuper vnam fraternitatem, nempe ſuper Moyſem, & Aaron, qui totius populi principes erant. At ſuæ Eccleſię iaciens fundamenta, non vnam tantùm fraternitatem Petri, & Andreæ, ſed etiam aliam germanitatem Iacobi, & Ioannis apponit. Imperfect, hom. 7. *Quoniam*, ait, *abundantior eſt gratia noui teſtamenti, quàm veteris; ideo primum populum ædificauit ſuper vnam fraternitatem; hunc autem ſuper duas.* Adeò Chriſtus Dominus eſt amor charitatis, vt multiplicitatem illius nobis commendet: nam ſi antea in Synagoga vnus erat ſimplex ſpiritus charitatis; nunc verò in lege gratiæ duplex, imò & multò abundantior exigitur, ac requiritur, vt duplicatis charitatis vinculis coarctemur, atque ligemur. Et ita nota, quòd vocat Petrum, & Andream mittētes rete; Iacobum, & Ioannē reficientes: quos enim vocat, non ſolū erāt vniti, ac copulati ſanguine, ſed etiam ſimultate, ac paritate laboris, & intentione operis. Et in hoc maximè laudabiles, quòd cùm eſſent eiuſdem artis opifices, non erant animo deiuncti, ſed maximè amore conglutinati, atque vniti.

Imperfect.

*Lex gratiæ perfectior lege veteri.*

*Magnam charitatem vult Chriſtus in ſuis.*

35. Tertiò Gloſſa Interlinealis ad illa verba: Vidit duos fratres Simonem Petrum, & Andream: *Quia vnitatem fraternæ dilectionis probauit, ſine qua nullus in ordine Prædicatorum admittitur.* Eligit Dominus Apoſtolos, ac Prædicatores, in quibus charitas comprobata demōſtratur: ad docendum enim maximè hæc optatur, vt doctor, ac Prædicator audientium inſipientias poſſit patienter ferre, ac ſuſtinere. Deinde, quia Prædicator debet eſſe maximè addictus ad charitatem inſinuandam in populo. Et ideo eligit diſcipulos fraterna charitate conglutinatos, vt non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo doceant. Euſeb. Gallican. hom. in feſto S. Andreæ. *Sicut*, ait, *ipſi ſecundùm carnem fratres erant, ita & cæteros fide, & dilectione fratres eſſe doceant.* Et ad hoc exemplum charitatis in ſuis Prædicatoribus firmandum, Dominus binos vocat, ait D. Thom. *Vtrunque enim ad charitatem pertinet, quæ conſiſtit in dilectione Dei, & proximi; & ideo binos elegit, binos ad prædicandum miſit.* In modo mittendi, & vocandi, amorem Dei, & proximi inculcauit. Nota proximè citata verba Gloſſæ: *Vnitatem fraternæ dilectionis probauit.* Magnum documentum, quòd Chriſtus, cùm ſit ſapientia Dei, vnitatem probauit ad eligendum, vt nos diſcamus, eos, quos ad dignitates vocamus, magno experimēto probare, & examinare.

Interlin.

*Doctor, ac Prædicator magnam habeat charitatem.*

Gallic.

*Prædicator charitatem doceat ſuo exemplo, & modo incedendi.*

D. Thom.

*Eligendi experientia cõprobandi.*

36. Quartò D. Petrus Chryſologus ſerm. 28. *Quare Chriſtus*, ait, *ad virtutis officium, pauperes ſic elegit: Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, germa-*

Chryſolog.



*nitas combinata, imò congeminata paupertas.* Non ſolùm vnum fratrem pauperem eligit Dominus, ſed duplicem: nam, dum cum Petro adducitur frater eius Andreas etiam pauper, & cum Ioanne Iacobus ſimiliter pauper; abſque dubio in quolibet congeminatur, & duplicatur paupertas. Ita illius amator eſt Dominus, vt non ſolùm vnam, ſed duplicatam, ac multiplicatam in ſuis velit paupertatem.

Chryſolog.

*Ita Chriſtus paupertatem diligit, vt duplicatam velit.*

37. Quintò Albertus Magn. *Duo ſunt, quia quantumcumque ſit aliquis magnæ dignitatis, & poteſtatis, neceſſe eſt, quòd in multis innitatur alteri, & iuuetur ab ipſo.* Prouerb. 18. num. 19. *Frater, qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma: & iudicia eorum, quaſi vectes vrbium.* Petrus futurus totius Eccleſiæ Pontifex, eligitur ad Apoſtolatum ſimul cum fratre ſuo; & Iacobus primus Epiſcopus Ieroſolymitanus cum ſuo fratre; quiſque enim quantumuis emineat poteſtate, debet opere, & conſilio iuuari ab aliis. Ita explicat Carthuſianus citatum locum Prouerbiorum. *Proximi*, ait, *ſe charitatiuè iuuantes conſilio, & effectu, quaſi ciuitas firma, in qua ciues ſe inuicem iuuant, & tuentur contra hoſtes. Hinc Chriſtus miſit diſcipulos ſuos combinatos ad prædicandum.* Expende illa verba, *& iudicia eorum*, hoc eſt, diſcretiones, ac conſilia ex mutua eorum collatione prolata, adeò firma ſunt, ſicut vectes vrbium, quæ muniunt ciuitates.

Albert. Mag.

Prouerb. 18.

*Poteſtas, quanuis magna, debet iuuari ab aliis opere, & conſilio.*

Carthuſ.

*Bonum conſilium cuſtodit, ac firmat ciuitatem.*

38. Sextò. Vocatur Petrus ad Apoſtolatum cum fratre ſuo Andrea. Sed ſi diuina diſpoſitione ſancitum erat, vt ſimul cum alio eligeretur, cur alter ei non aſſignatur, niſi frater ſuus Andreas. Trahatur Petrus, qui conſtituendus erat caput, & Pontifex totius Eccleſiæ; & nullus alius ei comes in vocatione detur, niſi ex ſanguine naturalis frater; vt inde deprehenderet, quòd ipſe eligebatur, vt eſſet illorum caput, qui ab eo tractandi erant, atque habendi, non vt ſerui, aut famuli, ſed vt fratres, ac carne, & ſanguine intimè coniuncti.

*Prælatus ſe habeat vt in ſubditos, non vt in ſeruos.*

39. Ait Deus ad Moyſem: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7. num. 1. At populus Iſraël ita ei committitur, vt ipſe dicat: *Nunquid ego concepi hanc multitudinem, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum?* Numer. 11. num. 12. Septuaginta apud Cornelium. *Sicut portare ſolet nutrix, vel mater*; & *Pſalm.* 76. *num.* 21. dicitur: *Deduxiſti, ſicut oues, populum tuum in manu Moyſi, & Aaron.* Quare ergo Moyſes conſtituitur ſuper Pharaonem tanquam Deus; ſuper Iſraël verò vt mater, nutrix, vel paſtor? Cur ſicut Pharaonis, non etiam Hebræorum Deus conſtituitur? Et augetur difficultas. Quia, iuxta communem ſententiam D. Baſilij, Ruperti, Lyrani, Abulenſis, Lyppomani, Hugonis, Caietani, Ioannis de la Haye, & omnium ferè, dum Moyſi dicitur: *Conſtitui te Deum Pharaonis*, hoc eſt: Tibi committo excellentias, vt inſtar Dei, poſſis ei præcipere, comminari, nocere, & ſubuenire, quod fecit per decem plagas in Ægyptum illatas. Sed hæc eadem Moyſes ipſe præſtitit erga populum, paſſim multa præcipiendo; comminando, ne incideret populus in iram Dei; nocendo, nam poſt adoratum vitulum, filij Leui fecerunt occaſionem magnam *Exod.* 32. *n.* 26. & alia multa. Quòd autem ipſe in multis ſubueniret populo, nihil eſt magis manifeſtum, ita vt ipſe diceret: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo*, Exod. 32. num. 31. Cur ergo dicitur Deus Pharaonis, & non populi Deus? Pharao, ac populus Ægyptius Moyſi committatur, vt inſtar Dei in eos poteſtatem dominatiuam exercere valeat, eoſque tanquam famulos, & ſeruos ſubiugare, atque cum eis, tanquam cum ſeruis agere queat, vt ibi explicat Cornelius à Lapide. At per reſpectum ad Hebræorum populum datus erat Moyſes à Deo vt Præſul; & ideo non dicitur conſtitui ſuper illum, vt Deus, ſed vt mater, nutrix, & paſtor: quia Prælatus per reſpectum ad inferiores non ſe debet conſiderare vt Deus, vt eis dominetur, ac imperet tanquam ſeruis; ſed ſe exhibeat vt mater, nutrix, ac paſtor, qui cum ſuis agit, vt cum filiis, ac ouibus, quos tenerè diligit. In hanc cogitationem eleganter ait D. Bernard. ſerm. 32. in Cant. *Audiant Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, vtilitati raró. Erudimini, qui iudicatis terram: diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos, matres fouendo exhibeatis, producite vbera, pectora lacte pingueſcant.*

Exod. 7.

Numer. 11.

Septuaginta.

Pſalm. 76.

Baſilius. Rupert. Lyran. Abulenſ. Lippom. Hugo. Caiet. Ioan. de la Haye.

Exod. 32.

*Prælatus ſe habeat in ſubditos, non vt in ſeruos, ſed vt in filios.*

Bernard.

40. Loquitur Nathan cum Dauid, numerando ei beneficia à Deo collata: *Ego tuli te de paſcuis, ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populum meum Iſraël*, 2. Reg. 7. num. 8. Sicut ipſe Dauid ait de ſe: *De poſtfœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam*, Pſal. 77. n. 71. Et iterum ipſe Nathan loquens cum Dauid eique dona à Deo data recenſendo ait, *Ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo*, 2. Reg. 12. num. 8. Ex quo mihi ſuboritur dubium? Cur diuinus Spiritus Saulem regnantem appellat dominum. *Domum domini tui*: at verò Dauidem imperantem, ac ſceptrum Iſrael tenentem, non dominum ſed ducem, ſeu paſtorem dicit: *Paſcere Iacob*; ſeu vt alij vertunt: *Vt eſſet paſtor Iacob ſerui ſui?* Nónne æquali poteſtate, ne dicam maiori, Dauid, ac Saul, regnabat? Cur ergo ille dicitur dominus; iſte verò dux, ſeu paſtor? Saul totus iniquus erat ſuperbia, ac elatione repletus: at verò Dauid iuſtus, & rectus ſecundùm cor Domini; ille, vt iniquus, ſe habebat tanquam dominus in ſeruos; iſte autem, vt bonus, & rectus, tanquam paſtor in oues, dux in commilitones. De optimo Principe dixit Ariſtoteles 8. Ethicor. cap. 1. *Cùm ſit bonus Rex, curam ſuorum habet, quo bene ſe habeant, vt paſtor ouium.*

2. Reg. 7.

Pſalm. 77.

2. Reg. 12.

*Rex ſe exhibeat, vt pater, non vt dominus.*

Ariſtot.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dominus ad ſuum Apoſtolatum homines ſimplices, ac pauperes eligit?*

42. IMPII Porphyrius, ac Iulianus Imperator, vt refert Salmeron *tom.* 4. *part.* 1. *tract.* 25. obiiciebant Chriſto, quòd aſciuerit ad ſuum Apoſtolatum, ac conſortium homines ſimplices, & ignorantes, quibus poſſet facile verba dare abſque eo, quod valerent eius viuendi modum apprehendere. Sed iſti falſiſſimi impoſitores, ac blaſphemi, vnde putant, aliquid de Chriſti magnitudine detrahere, inde magis eius diuinitas, ac maieſtas patefit, ac declaratur, vt ſolutiones quæſtionis oſtendunt; pro cuius etiam enucleatione vide *lib.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 5.

Salmeiron.

42. Auguſt. Paſchaſ. Gregor. Baſil.Seleuc. Hieron. Albert.Mag. D.Thom.

Prima, & communis ſolutio ſanctorum Patrum, D. Auguſtini *lib.* 18. *de ciuitate Dei, cap.* 49. D. Paſchaſij *lib.* 3. *in Matth.* D. Gregorij *lib.* 9. *Epiſtolarum Epiſt.* 58. D. Baſilij Seleuci *orat* 30. D. Hieronymi, Alberti Magni, D. Thomæ, & aliorum *hoc loco. Chriſtus,* ait D. Gregorius citatus, *Prædicatores ſuos, quos in mundum miſit, ſine litteris elegit, vt mundum oſtenderet, non ſapientia hominum, ſed ſua ſe virtute conuertere.* Dum enim homines ſimplices viros peritiſſimos conuertunt, & ex ſuis erroribus à pueritia ebibitis ad fidem Chriſti trahunt, euidens eſſet, quòd à ſolo Deo illud fieret; Deus enim per ſuos Prædicatores conuertit Principes ſæculi, ac Romanos, totius orbis dominos: tamen dum tanta res fit per homines ſimplices, & ſine litteris, abſque perſuaſione humanæ ſapientiæ, virtus Dei manifeſtè apparet; vt ait Paulus 1. Corinth. 2. num. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.*

*In Prædicatione Euangelica poteſtas Dei declaratur.*

1. Cor. 2.

43. Baſil.Seleuc.

Secundò D. Baſilius Seleucus cit. orat. 30. *Fas mihi fuit,* ait Dominus, *Regibus vti miniſtris: fas mihi fuit, Rhetorum linguas doctrinæ adminiſtras trahere: potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere; ſed tunc famulantium ſplendor gloriam meam ad ſe raperet. De eius enim exiſtimatione, qui rem gerit, famulorum potentia quiddam detrahit. Vos ergo comperio fidos miraculorum meorum cuſtodes; quibus enim nullum humanum præſidium præſens eſt, apud hos Dei poteſtas retinetur in integro.* Similiter Abulenſis *quæſt.* 104. Deus vult te cognoſci authorem ſuorum mirabilium, & vt ei noſtra bona referantur. Si Dominus elegiſſet potentes, aut ſapientes; & per hos lex Chriſti introduceretur, quis eorum cogitaret, aut ſuperbire poſſet, quòd propter ipſum lex Euangelica ſuſcepta eſſet in mũdo. Ne ergo quis erraret, eligit Dominus pauperes, & illitteratos, vt ſic tolleretur occaſio inaniter gloriandi, quod per potentiam, vel ſapientiam eorum aliquid factum fuerit; ſed vt ita totum negotium ex integro Deo tribueretur. Ita ait Paulus 1. Corinth. 1. num. 27. *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*

Abulenſ.

*Omne bonum Deo tribuendum.*

1. Cor. 1.

44. Tertiò. Chriſtus Dominus nouam Eccleſiam creans, nouam Rempublicam erigens, eligit Dominus homines ſine litteris, ſine diuitiis, ſine nobilitate, in quibus nihil eſſet huius ſæculi, ſed ornatus, ac apparamentum omne è cælo veniret. In miniſtris ſuis nihil mundanum Dominus vult reperiri: adeò alienos à rebus huius ſæculi nos eſſe exoptat. Deinde non bene coniunguntur cæleſtia dona cum terrenis bonis; ſed valde frequenter mutuo ſe excludunt. Quartò. Maximè diſtant mendacium, & veritas: mendacium multo indiget artificio ſapientiæ, potentiæ, & aſtutiæ; at veritas adeò firma, & munita per ſe ſubſiſtit, vt opus non habeat mundanæ ſapientiæ. Cùm autem Apoſtoli vocarentur, vt eſſent Prædicatores veritatis, optimè eliguntur homines ſimplices ſine aſtutia, ac compoſitione verborum. Quintò. Trahebantur ad Apoſtolatum ad Chriſti ſequelam, ac peregrinationem totius orbis; & ad huiuſmodi negotium diuitiæ potius eſſent impedimenta, quàm adiumenta. Sextò, vt ait Salmeiron *citatus.* Iudicaretur Chriſtus perſonarum acceptor, ſi diuites, & ſapientes aſſumpſiſſet, & non pauperes, & ignaros; valde autem deteſtabile eſt vitium acceptionis perſonarum, in Principe, Prælato, ac Rectore.

*Nil mundanum vult Dominus in ſuis miniſtris.*

*Veritas per ſeipſam valde efficax.*

*Mundi bona ſũt ad Chriſtum impedimenta.*

Salmeiron.

45. Auguſt.

Septimò D. Auguſtinus tract. 7. in Ioan. *Volens,* ait, *Dominus, ſuperborum ceruices frangere, non quæſiuit per Oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem.* Deus, cuius ſapientiæ nullus eſt terminus, per infima mundi confundit fortia, aſciuit ſibi in Apoſtolos homines ſimplices, pauperes, & ignobiles, vt contunderet, ac confringeret ſuperbiam potentum, inflationem ſapientium, opulentiam diuitum, vt ita ſua omnipotentia triumpharet, dum per abiectos homines tota ſæculi fortitudo ſubiugatur. Vide *lib.* 2. *cap.* 1. *numero* 5. Deinde vis humilitatis exultaret, quæ mundi ſuperbiam ſua ſubiectione comprimeret, ac proſterneret.

*Humilitas iuſtorum cõprimit ſuperbiam impiorum.*

46. Ierem. 5.

Ieremias 5. *numero* 22. ait: *Poſuit,* ſcilicet Dominus, *arenam terminum mari præceptum ſempiternum, quod non præteribit; & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illum.* Sed cur Dominus intumeſcens maris ſupercilium, frementes fluctus eius, arena comprimit? Cur non potiùs ænea, vel ferrea appoſuit mœnia? Abſque dubio per arenam humilitas Sanctorum deſignatur, quæ quanuis parua, ac minuta videatur, itaut dilectoribus mundi deſpectui habeatur; vim tamen habet tantam, vt mundialium ſuperbiam, ac elationem contundere, ac confringere queat, atque ſpumantes furiâ tyrannos poſſit comminuere, refrænare, ac ſubiugare. Diuus Gregorius lib. 9. moral. cap. 5. *Arenam quippe,* ait, *Dominus mari terminum impoſuit, quia ad frangendum mundi gloriam abiectos, & pauperes elegit. Cuius nimirum maris fluctus intumeſcunt, cùm poteſtates ſæculi ad commotionem perſecutionis exiliunt; ſed tranſire arenam nequeunt, quia deſpectorum miraculis, & humilitate franguntur.*

*Humilitas deuincit ſuperbiam.*

Gregor.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Dominus inter ſuos diſcipulos aliquos etiam peritos elegerit?*

47. CVM ſit quæſtione ſuperiori reſolutum, quòd Deus homines idiotas, & ſine litteris in diſcipulos elegerit, vt de Petro, & Ioanne patet *Actor.* 4. *num.* 13. & de aliis eſt communis ſententia Patrum, vt vidimus. Non erit abs re hîc notare, quòd etiam inter ſuos diſcipulos vocauerit Dominus aliquos viros peritos. Nam Nicodemus fuit vnus ex Chriſti diſcipulis, & tamen non erat vir doctus. Et ita ei dixit Chriſtus: *Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Ioan. 3. num. 10. Sic etiam Nathanael, vir valde doctus in lege, vt communiter notant expoſitores *Ioan.* 1. *à num.* 45. Huius rei rationem inueſtigamus.

*In Chriſti collegio aliqui viri periti.*

Ioan. 3.

48. Abulenſ.

Reſpondet primò Abulenſis *quæſt.* 104. *in fine.* Fuit conueniens, ait, vt Dominus aliquos peritos vocaret, quia ſi ſolùm ſimplices elegiſſet, putaretur, quòd ex ignorantia fuerant decepti ſequendo



ſequendo Chriſtum, quanuis præcipui Prædicatores Euangelij fuerint ſimplices, propter rationes ſuperiùs datas. Vt ergo clauderentur impia ora Porphyrij, & Iuliani detrahentium, eo quòd Dominus elegit ſimplices in Prædicatores, vt retuli ad initium ſuperioris quæſtionis, vocantur aliqui viri periti. Vt tamen Dei potentia declaretur, maiori ex parte Prædicatores Euangelici viri ſimplices deſignantur. Ex quo accipe hoc documentum, quòd poteſtas ita ſit manifeſtanda, vt obloquendi impiis tollatur occaſio.

*Impiis amputãda eſt murmurandi occaſio.*

49. Lorin.

Secundò Lorinus *in Acta Apoſtolorum, cap.* 1. *verſ.* 13. ait: Conueniens fuit, aliquem inter diſcipulos litteratum admitti, ne videretur, ſapientes omnino contemni: ſicut & Paulus poſtea cooptatus eſt, optimè in lege eruditus, *Actor.* 22. *num.* 3. *ad Galat.* 1. *num.* 14. Et aggregatus Eccleſiæ Apollo, eloquens, & potens in Scripturis, *Actor.* 18. *num.* 24.

*Sapientes cõtemnendi minimè ſunt.*

50. Anton.

Tertiò D. Antoninus *part.* 1. *tit.* 6. *part.* 2. ait, *Matthiam fuiſſe in lege eruditiſſimum. Quòd ſi Dominus elegerit Apoſtolos, ſimplices, & illiteratos, ne ſcilicet conuerſio mundi per prædicationem illorum attribueretur humanæ induſtriæ, ſed virtuti diuinæ; voluit tamen ab Apoſtolis aſſumi Matthiam doctum in lege, ad inſinuandum poſteris Rectoribus Eccleſiarum, quòd periti viri, non idiotæ, ſunt ad Clerum, & regimen animarum aſſumendi; ſic enim & Paulum doctiſſimum vocatum de cælo ad Apoſtolatum.* Dum Dominus conuerſaretur nobiſcum, elegit ad Apoſtolatum homines ſine ſcientia, & litteris: tamen cùm poſtea Apoſtoli vellent, vt ex diſcipulis vnus in loco Iudæ poneretur, ſtatuerunt duos Ioſeph, & Matthiam, *Et cecidit ſors ſuper Matthiam,* Actor. 1. num. 23. Et tunc inter Apoſtolos numeratus eſt Matthias, qui erat vir peritiſſimus, ac valde ſcientia eminens, vt teſtatur eius Elogium: *Matthias, in lege Domini doctiſſimus, corpore mundus, animo prudens, in ſoluendis quæſtionibus ſacræ Scripturæ acutus, in conſilio prouidus, in ſermocinatione expeditus.* Refert D. Antoninus citatus à Lorino *Actor.* 1. *verſ.* 26. Sed Dominus eligit ad Apoſtolatum illitteratos; attamen poſtea ab Apoſtolis ſtatuitur vir doctiſſimus ad eorum numerum complendum: Chriſtus, cùm poſſit facere de lapidibus homines, eligit viros ſine litteris, vt virtus Euangelij fieret manifeſta, vtque noſtra conuerſio, non humanæ ſapientiæ, ſed Dei virtuti tribueretur; at dum Apoſtoli eligunt, virum doctiſſimum vocant, vt habeamus documentum, quòd Eccleſiaſticæ dignitates, & prælaturæ non ſunt conferendæ, niſi viris doctis, & peritis.

Actor. 1.

*Elogium S. Matthiæ*

*Ad dignitates, & prælaturas à nobis non ſunt vocandi, niſi ſapientes.*

51. Geneſ. 41.

Poſtquam Ioſeph ſomnium Pharaonis explicauit, ait ei Rex: *Quia Deus oſtendit tibi omnia, quæ locutus es, nunquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam,* Geneſ. 41. num. 39. Cur Rex alienigenam, hominem ignotum, eductum è carcere conſtituit ſuper vniuerſam domum ſuam, & totius regni ei regimen tradit? Ait ei Pharao: *Nunquid ſapientiorem te inuenire potero?* tanquam ſi diceret: Regni regimen prudentiori eſt committendum, & quia te non datur alius præſtantior; ideo te eligo ad ſupremum regni clauum poſt me. Lippomam. *Nemo,* ait, *eſt prudens, & ſapiens, ſicut tu, cui hæc committam, quæ ſapienti conſulis demandari debere.*

*Ad regimen ſapientior eligendus.*

Lippom.



52. Videntes Apoſtoli multitudinem credentium, vt euitarentur querimoniæ, & viduis in quotidiano miniſterio prouideretur, dixerunt diſcipulis: *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Actor. 6. num. 3. Agebatur, vt eligerentur viri, qui haberent præfecturam miniſterij viduarum. Et dum dicunt, hos oportere eſſe plenos Spiritu ſancto, hoc eſt, donis Spiritus ſancti, ex quibus vnum eſt ſapientia; ſuboritur dubium: Si Apoſtoli, dum dicunt viros plenos Spiritu ſancto, intelligunt ſapientia refertos; ad quid iterum additur, *plenos ſapientia?* Ad hoc, vt in illis viris eſſet fortitudo, Dei timor: ſat fuit dicere; viros plenos Spiritu ſancto, cùm illius dona ſint: cur hoc non ſufficit in ſapientia? Adeò exigitur in eo, qui eligitur ad præfecturam, ſapientia, vt non tantùm ſemel, ſed bis eam commendare videretur: & ideo ſapientia ſemel dicitur, implicitè in donis Spiritus ſancti; & iterum expreſsè profertur, plenos ſapientia. D. Chryſoſtomus hom. 14. in Acta. *Eligere autem viros,* ait, *illis permittunt, vt ne videantur ipſi in gratiam quorundam agere; etenim ſapientia multa opus eſt in huiuſmodi diſpenſationibus, Profectò non eſt exiſtimandum, quoniam rationem non reddiderunt.*

Actor. 6.

*In Præſidente valde neceſſaria ſapientia.*

Chryſoſt.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Dominus piſcatores eligat in Apoſtolos.*

53. VALDE myſterioſum, quòd ex tot, tantiſque hominibus, vt ſtatim ſubiiciam ex Tertulliano, piſcatores ad tantum munus eligat Dominus. Ratio à priori, diuina voluntas. Ex ſanctis Patribus aliquas rationes proferamus.

54. Ierem. 16.

Reſpondetur primò. Dominus piſcatores eligit, quia ita vaticinatum erat per Ieremiam Prophetam cap. 16. num. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos.* Quod elegantiſſimè ponderauit Tertullian. lib. 4. contra Marcionem cap. 9. *De tot generibus,* ait, *operum, quid vtique ad piſcaturam reſpexit, vt ab illa in Apoſtolos ſumeret Simonem, & filios Zebedæi? non enim ſimplex factum videri poteſt, de quo argumentum proceſſurum erat: hoc enim dicto intellectum illis ſuggerebat adimpletæ Prophetiæ, ſe eum eſſe, qui per Ieremiam pronuntiauerat: Ecce mittam piſcatores multos. Denique relictis retibus ſecuti ſunt eum, ipſum intelligentes, qui cœperat facere, quod dixerat.* Similiter D. Remigius. Prædixerat Dominus per Prophetam, à ſe mittendos eſſe piſcatores ad ſagenam euangelicam, ideo eos ad ſe vocat, vt ex adimpleta Prophetia cognoſceretur, quod ipſe erat, qui antea locutus fuerat. Deinde, vt videretur, quòd ipſe *incipiebat facere, quod dixerat.* Dominus piſcatores ad piſcandum prædixerat ſe miſſurum, ideo priùs ipſe incipit piſcari Petrum, Andream, & alios. Vt ait Chryſoſtomus homil. 4. in Marcum. *Piſcatur eos Ieſus, vt ipſi piſcentur alios piſcatores. Ipſi primum piſces efficiuntur, vt piſcentur à Chriſto, poſtea alios piſcaturi.*

Tertull.

*Optimè agnoſcitur perſona per ſuam veritatem adimpletam.*

Remig.

*Chriſtus incipit facere, quod docebat*

Chryſoſt.

55. Calixtus. Secundò S. Calixtus Papa ſerm. 2. de ſancto Iacobo. *Hos*, ait, *piſcatores, generis humani reparator, ante nati ſui Incarnationem promiſit per Ieremiam Prophetam, dicens: Ecce ego mittam ad vos piſcatores multos: meritò natus, & vocauit ad ſe, & miſit ad prædicandum animas, quas Pater prælegerat.* Chriſtus Dominus omnibus filiis exemplum præbens, ſui parentis diſpoſitionem implet, & exequitur: & nullos alios vocat præter eos, quos Pater prælegerat, illius in omnibus ordinationem ſecutus. Et nota, quod Pontifex Prædicatores nominat animas: quia Prædicator ita debet eſſe à temporalibus ſegregatus, ac ſi non homo carneus, ſed anima, & ſpiritus eſſet.

*Bonus filius adimplet patris voluntatem.*

*Prædicator totus ſpiritualis.*

56. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſtomus in Imperfecto *hom.* 7. paulo poſt principium, vbi ponderat, quòd Dominus vocat piſcatores mittentes rete, *Futuræ dignitatis*, ait, *gratiam artificij ſui opere prophetantes; vt intelligamus, quia non ſolum illa ſecunda piſcatio ſpiritualis à Deo eis erat donata, ſed etiam illa prima corporalis, Dei prouidentia, in eis fuerat ordinata.* Expende prima verba. Deus, vt optimus rerum gubernator, officiorum diſtributiones ad propenſionem, ac inclinationem noſtram maximè accommodat, itaut hominis inclinatio aliquale ſit futuri muneris præſagium. In Apoſtolis expiſcandi artificium inſinuabat aſſumendos ad cœleſtem hominum piſcationem, & humana diuinam iam deſignabat expiſcatio; ita enim Deus ad noſtram naturam condeſcendit, vt illius congenitum ſtudium, ac continua occupatio, quodammodo Prophetia, indexque ſit futuri officij. *Futuræ dignitatis gratiam, artificij ſui opere prophetantes.* Princeps, ſi optimos miniſtros exoptat, iuxta vniuſcuiuſque ingenium diſtribuat munia.

*Propria hominis inclinatio, aliqualis eſt futuri muneris prophetia.*

57. Euſeb. Gal. Quartò Euſebius Gallicanus homil. de S. Andrea. *Vocat autem Dominus*, ait, *piſcatores, quoniam tales ei erant neceſſarij, qui aquis aſſueti, & piſcandi, & baptizandi eſſent periti. Ideoque non artem mutare, eis præcepit, ſed longè melioris piſcationis, & alterius generis piſcium eos piſcatores fore promittit, dicens: Venite poſt me*, &c. Dominus res maximè ſuauiter diſponit. Vocabat Apoſtolos ad piſcationem diuinam, ad baptizandi in aqua miniſterium; ad hoc munus, non lignorum, vel lapidum artifices, at piſcatores trahit in aquis peritos, mutata in hoc, non arte, ſed materia: vt inde diſcamus, ad vnamquamque rem adſciſcere homines illius artifices, ac peritos, quia, vt eſt commune adagium: *Quilibet in arte ſua.*

*Ad quamlibet rem proprij illius ſũt vocandi artifices.*

58. Quintò. Dominus ad ſuum Apoſtolatum, non venatores, ſed piſcatores adducit. Quænam huius rei ratio? Optima ſanè. Venatores ad certam, determinatamque auiculam, atque prædam feruntur, ac ſuam in eam intendunt collimare ſagittam, inſtrumentumque æneum. At contrà piſcator in incertum iacet rete ad comprehendendos quoſcunque, qui intrauerint, piſces, itaut nec ad hunc, nec ad illum potius piſcem rete determinatè extendatur. Ita doctor, ac Prædicator neminem ſuo debet determinatè ſuggillare ſermone, nec in aliquem dirigere verbum, ſed ſuum extendere rete ad omnes doctrina, monitis, ac documentis capiendos. D. Chryſoſtomus *hom.* 7. *in Imperfecto*, fauet huic cogitationi. *Nam ſicut*, ait, *qui retia iactat in aquam, neſcit, quos piſces comprehenſurus eſt, ſed quos Deus ei transmiſerit, illi intrant in retia: ſic doctor, quando diuini ſermonis retia ſuper populum iactat, neſcit, qui ſunt acceſſuri ad Deum, ſed quoſcunque Deus excitauerit, illi adhærent doctrinæ.*

*Prædicator neminem debet ſuggillare ſermone, ſed ad omnes extẽdere illum.*

Chryſoſt.

59. Sextò. Ad officium piſcatoris maximè ſpectat, omnes ſinus, flexus, ac reflexus maris, fluminum, & lacunarum exploratos, ac indagatos habere; cælum, curſus, ac mutationes Lunæ obſeruare; tempora piſcationi apta non prætermittere; rigidum frigus perferre; magna pericula adire; totas noctes, quando alij ſomno incumbunt, operando, ac vigilando pertranſire. Similia ferè obſeruare debent, qui Apoſtolico munere funguntur; tempus opportunum ad prædicandum conſiderare debent, & maris periculis, ac procelloſis tempeſtatibus ſe committere, vt ita Chriſto homines lucrifaciant.

*Multiplex in Prædicatione labor.*

60. Pſalm 106. Agellius. Arnobius. Caſſiod. Brunon. Hugo. Lorin. At Regius Vates Pſalm. 106. num. 23. *Annuntient opera Dei in exultatione, qui deſcendunt mare in nauibus, & facientes operationem in aquis multis; ipſi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo.* Iſti deſcendentes in mare ſunt Prædicatores Apoſtolici, vt exponunt Agellius, Arnobius, Caſſiodorus, Brunonius, Hugo, & alij. Imò à veteribus Rabbinis, vt refert hîc Lorinus, locus exponebatur de Apoſtolis piſcatoribus. Mare eſt mundus, in quem veniunt Prædicatores in naui Eccleſiæ, vel in naui Crucis Chriſti. Illud tamen curioſè notabis: quòd iſti nauigantes non pergunt in pelagus, vt faciant operationem ſuam tranquillo mari, ſed in medio aquarum multarum, hoc eſt, in furioſa aquarum tempeſtate. Et vident opera Dei, non in elatione maris, quando tumeſcentibus fluctibus cælo appropinquare videbantur, ſed quando deſcendunt in abyſſum, ac veluti ad ſubmerſionem tendunt. Vt Prædicatoribus ſit notum, quod prædicandi munus ipſi ſuſcipiunt, vt ſuam faciant operationem in medio multarum aquarum contradictionum, ac perſecutionum. Sed dum Prædicatores quodammodo in abyſſum demergi, à furioſáque tribulationum videntur obrui tempeſtate, ibi Dei opera, & mirabilia vident; nam virtute Dei tyrannos crudeles comprimunt, inimicos refrænant, duros reſoluunt in lachrymas, incontinentes redigunt ad angelicam puritatem, efferatos ad manſuetudinem, ſuperbos ad humilitatem. Brunonius, *Sacerdotes*, ait, *deſcendunt in mare in nauibus, in Eccleſiis, quæ Chriſtum portant, & à fluctibus huius mundi tunduntur; facientes operationem, id eſt, prædicant populis Chriſtianis. Ipſi autem Prædicatores, qui Dei opera ſpirituali intelligentia cognouerunt; in profunda enim caligine per eorum prædicationem lumen veritatis illuxit, vt viderent in tenebris clariſſimis clarè lumen, Deo operante, veriſſimæ Trinitatis.*

*Sciat Prædicator, eſſe officium ſuum ad labores, & perſecutiones ſuſtinendas.*

Brunon.

61. Habacuc 3. Ait Habacuc 3. num. 15. *Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Per equos Prædicatores intelliguntur, per quos Chriſtus vehitur per totum orbem, vt docent, ac rectè explicant verba illa etiam Habacuc 3. numero. 8. *Qui aſcendis ſuper equos tuos.* D. Ambroſ. *lib. de Naboth cap.* 15. ibi D. Hieronymus, Hugo, & alij. Cur ergo Dominus ſuis Prædicatoribus viam fecit, non in terra, ſed in mari? Et ſi in mari, cur non in aqua cryſtallina, vel in lapidibus pretioſis, qui ibi gignuntur; ſed in luto aquarum multarum? Vt ſciat prædicator, ſibi committi munus prædicationis, non vt requieſcat, & exultet in terra, ſed vt in mari contradictionis tribula-

Ambroſ. Hieron. Hugo.



tiones, ac diuerſitates patiatur. Et hoc, non in auro, ſed in luto aquarum: quia Prædicator non debet attendere ad aurum, aut lapidem pretioſum acquirendum, nec ad hæc mentem dirigere; ſed ad fæces, ac ſordes animarum, vt eas doctrina purificare, ac emendare valeat. D. Gregorius Magn. lib. 4. moral. cap. 9. *Viam feciſti*, ait, *in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; ac ſi diceret: Aperuiſti iter Prædicatoribus tuis inter doctrinas huius ſæculi, ſordida, & terrena ſapientes:* Similiter ferè D. Remigius *ad locum citatum Habacuc.*

*Prædicatoris munus ad labores ſufferendos, non verò ad aurũ acquirẽdum.*

Greg. Mag.

Remigius.

## Qvæstio IX.

### *Quare iuxta mare Dominus Apoſtolos vocet?*

62. Euſeb. Gall. ATTRAHIT Dominus ad ſe hos Apoſtolos, non in domo, non in platea, ſed ambulans iuxta mare, tunc vocat eos. Euſebius Gallicanus *homil. de S. Andrea*, reſpondet primò. *Ecce primos*, ait, *diſcipulos ſuos de mari Dominus vocat, quoniam multos alios per eos de huius mundi fluctuoſa amaritudine ad fidem vocare diſpoſuerat: vt, quia de mari à Domino vocantur, ipſi quoque periclitantium animas de mundi huius naufragio, & de vitiorum inſurgentibus procellis liberare diſcant.* Vocabat Dominus Petrum, & Andream, Iacobum, & Ioannem, vt eſſent Apoſtoli, ac Principes orbis terrarum, & iuxta mare eos ad ſe aſciſcitur, vt ex ſuo elationis modo compati aliis diſcerent: nam ſicut ipſi à Domino vocantur de mari, vbi homines naufragantur; ita & ipſi animas, quas aquis maris vitiorum, ac peccatorum obrutas viderent naufragari, non contemnerent, ſed manùm eis porrigentes ſalutari pabulo viuificarent: & hoc pacto ex propria miſeria, ac periculo, aliorum ærumnis opitulari, ac propitiari inſtruerentur.

*Diſcat miſeriis compati, qui ab ærumnis ad felicitatem vocatur.*

63. Palat. Secundò reſpondet Palatius. Nota, ait, quantum eſt, oculis res contueri? Ambulans, & circumiens, & circunſpiciens mare, maris miſeriis tangitur. Pelagus ærumnas, ac miſerias denotat, & ſignificat. *Magna eſt velut mare contritio tua*, Threnor. 2. num. 13. exemplum dans, quòd Prælati oculis ſuis ſuos debent luſtrare, vt eorum videant afflictiones, quas niſi vidiſſent, nec credere potuiſſent, nec ad eas agnoſcendas perſuadi valerent.

Thren. 2. *Maxime mouetur Prælatus oculis ſuis ſubditorum miſerias videns.*

64. Tertiò. Ad mare tendit Dominus, & iuxta illud ambulans Petrum vocat, & Andream. Quærebat Dominus ad Apoſtolatum ſuum piſcatores ſuo muneri incumbentes; ideo opportunè ad littus maris pergit, vt ibi tanquam in proprio loco eos inueniat, & ad ſe trahat; docens nos, quòd, vt apti eligantur miniſtri, in ſede, in qua reſident, ſunt perſcrutandi: viri bellatores ex exercitu, non ex Religione trahendi; Prædicatores euangelici, & viri reformati, non ex exercitu, ſed ex Religione, ac ex Eccleſia aſciſcendi; viri apprimè docti, non exludentium cœtu, ſed ex cathedris, ſcholiſque peroptandi.

*Miniſtri apti ex proprio loco trahendi.*

65. Alta indagine illam Tyri nauem conſidera. Et relinquo, quòd ad illius ſtructuram multæ orbis partes confluxere. Conſidero tamen, quòd eius nautæ erant ex omni ferè natione, quæ ſub cælo eſt, vt dicitur. Ezechiel. 27. num. 9. *Omnes naues maris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.* Habitatores Sidonis, & Aradij, illius remiges extitere; ſapientes Tyrij gubernatores. Senes Giblij, dederunt nautas ad miniſterium. Perſæ, & Lydij erant in exercitu bellatores; filij Aradij ſuper muros, Pygmæi in turribus; Carthaginenſes negotiatores; Græci, & filij Thubal, & Moſoch, inſtitutores. Sed ad quid ex tot, & tam diuerſis nationibus nauis impletur? Nónne vbi multæ ſunt diuerſæ nationes, ibi rixæ, & bella? Conſule expoſitores Hieronymum, Theodoretum, Lyranum, Hugonem, Carthuſianum, Cornelium, & inuenies, quòd vnaquæque gens eminebat in munere, ad quod vocatur. Sidonis, & Aradij habitatores, tanquam inſularum, valde peritiſſimi remiges. Sapientes Tyri aſſueti gubernaculo. Senes Giblij, vtpote maritimi, aſſueti nauigationi, dederunt nautas. Perſæ tanquam milites fortiſſimi Regis Cyri, erant in exercitu ad bellandum. Lydij tempore illo famoſiſſimi pugnatores ad prælia, filij Aradij ad ſagittandum promptiſſimi, erant ſuper muros, ſicut & Pygmæi; Carthaginenſes valde verſatiſſimi in mercatura. Totum regimen ciuitatis, ac nauis non committitur vni, vel alteri populo, ſed vniuerſæ nationi, prout vnaquæque in ſua arte pollebat, & ita ad munerum diſtributionem vocatur.

Ezech. 27.

Hieron. Theodor. Lyran. Hugo. Carthuſ. Cornelius.

*Munia publica iuxta miniſtrorum capacitatem diſtribuenda.*

66. 1. Reg. 13. De electione Dauidis ait Samuel Sauli 1. Regum 13. num. 14. *Quæſiuit Dominus virum iuxta cor ſuum.* Nemo quærit id, quod in promptu, ad manumque habet, ſed quod ei in longinquum diſtat: atqui Deo omnia ſunt præſentia, & manifeſta: quomodo ergo dicitur, quod ipſe quæſierit? D. Gregorius Magnus ad citatum locum Reg. *Quærere enim ſolemus, quæ aut præſentia non cognoſcimus, aut abſentia non videmus. Deus autem, cui nihil eſt abſens, nihil latens, non dicitur quæſiiſſe virum, vt abſentem, aut abſconditum; ſed quæſiiſſe dicitur, vt omnis, qui ad ſanctæ Eccleſiæ culmen eligitur, diſcutiendus ab hominibus eſſe doceatur.* Quæſiuit Dominus virum, non propter ſe, cùm ipſi manifeſta ſint omnia, ſed vt nos inſtruamur, viros ad dignitates quærere, in quibus meritum fulgeat, & virtus. Caietanus. *Dicit: Quæſiuit; quia ad ſimilitudinem quærentis, inter tot Iſraëlitas elegit Dauidem, tanquam virum ſecundùm cor ſuum.* Seu ſecundùm ſuum beneplacitum, vt explicat Abulenſis, à quo eſt omne bonum noſtrum. Et quia quærebat ad regendum ſuum populum, tanquam oues, à grege vocauit paſtorem.

Greg. Magn.

*Miniſter quærendus eſt aptus ad officium.*

Caietan.

Abulenſ.

## Qvæstio V.

### *Quare Dominus hos vocet Apoſtolos, non extrahentes, ſed mittentes rete?*

67. MAGNO myſterio ponderandum eſt, quòd non deſpicit Dominus homines in vili munere laborantes, nempe in arte piſcatoria: imò inde eos vocat. Et maximè placent ex proprio officio occupati, ac ſuum munus adimplentes. Non vocat ad Apoſtolatũ otioſos, ſicut erant illi, quibus in foro dicitur: *Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Matth. 20. num. 7. Et vocantur ad vineam. Vide infrà *num.* 76. At ad ſummam Apoſtolicam

*Occupati in proprio officio ad magna apti.*

Matth. 20.

 digni

dignitatem eliguntur homines, non in alieno, ſed in proprio munere occupati. Et non dicitur. quòd vidit mittentem ſolum Petrum, ſed Petrum, & Andream; vt intelligat ſuperior, quòd non ſolus ipſe rete prædicationis in mare mittere poteſt, nec ſolus ipſe munus ſuum adimplere valet, ſed miniſtrantium eget ſubſidio. Quæſtio præſens eſt, quò cùm æqualiter occupati videantur Apoſtoli, rete mittentes, ac trahentes, cur non vocat trahentes, ſed mittentes.

*Rex, & Prælatus indiget ſubſidio miniſtrorum.*

68. Chryſoſt. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 4. in Marc. *Refert*, ait; *Euangelium, quod retia mitterentur: tamen non dicit: quòd aliquid ceperint. Igitur ante paſſionem dicitur, quòd licèt miſerint retia; tamen non ſcribitur, quòd prendiderint: poſt paſſionem verò mittunt rete, & prendunt: & tantum prendunt, vt retia rumpantur*, Ioan. 21. num. 6. Vidit Dominus ſuos diſcipulos mittentes rete, & non trahentes piſcibus plenum, hoc enim reſeruatur, & fit poſt Chriſti paſſionem: quia tunc Apoſtoli animarum conuerſione Eccleſiæ ſagenam impleuere, per totum orbem ſeminantes Chriſti verbum, ex omnibus mundi partibus homines ad fidem adduxere. Hic autem totus fructus à Chriſti ſanguine, ac paſſione prouenit.

*Ioan. 21.*

*Euangelica prædicatio ſuã à Chriſti ſanguine efficaciam habet.*

69. Paſchaſ. Secundò D. Paſcha. lib. 3. in Matth. *In iſtis*, ait, *quippe duobus, quos primum Chriſtus ad fidem vocat, figura omnium eorum eſt, qui de profunditate rerum carnalium retia mittentes, quotidie reuocantur. Retia igitur ſua mittentes in mare, ſimul omnes ſuis occupantur, negotiis, dum vnuſquiſque ſagenam concupiſcentiarum poſt vana ſæculi lucra, velut auidus piſcator, laxat. Nemo iam abſque ſæculi quæſtu immunis, & concupiſcentiarum retibus alienus viuit.* Retia concupiſcentiam mundi denotant, quibus homo illaqueatus implicatur. Apoſtoli vocantur, non dum retia extrahunt, ſed dum in mare proiiciunt, & laxant: nemo enim ad magna, & præclara dignus eſt, quando concupiſcibilium retia ad ſe trahit, ac reuocat, vt illa amplexetur, ac luxurioſè viuat, ſed quando huiuſmodi retia à ſe dimittit, ac è manibus in abyſſum proiicit, vt vltrà non appareant.

*Qui concupiſcētias abiiciunt, & contemnunt, ad magna apti.*

70. D. Thom. Tertiò D. Thomas ex Chryſoſtomo. *Captauit Dominus*, ait, *iſtam horam, vt daretur exemplum, quòd nunquam debemus amittere ſeruitium Dei propter occupationes.* Maior eſt piſcatoribus occupatio, maiuſque negotium, dum retia in mare iaciunt, ac quando extrahunt. Vt ergo denotaretur, quod, vocante Deo, omnis occupatio, ſiue illius adſit finis, ſiue principium, remittenda ſit, ac ableganda; ideo mittentes retia vocantur. Nulla adeò vehemens eſſe poteſt occupatio, quæ pulſante Deo, hominem detineat, quin vocem eius audiat, & promoueatur ad illam.

*Vocante Deo, nulla eſt, quæ hominem detineat, occupatio.*

71. Palatius. Quartò. Palatius. Non vocat extrahentes rete, ait; aut concludentes piſces, aut vendentes, quod expiſcauerant: nihil tale; quia prædicatoris munus non eſt extrahere homines à mala ſua conuerſatione; nec eſt, multos ad fidem ex infidelitate reuocare; nec eſt, pro piſcatura præbendas, ac dona percipere: eſt, ſtudio, labore, recta conuerſatione verba, velut rete in populum conii cere? Deus dat incrementum, 1. Cor. 3. num. 6. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Et ſicut non deſperat piſcator, non prendens, quod optat; ita nec deſperet Prædicator. Hæc inſinuat D. Chryſoſtomus *in Imperfecto homil. 7. citatus quæſt. 8. in 6. ratione.*

*Non debet Prædicator præbenda quærere.*

*1. Cor. 3.*

*Chryſoſt.*

72. Quintò. Quando piſcator rete laxat in mare, tunc totus labor inchoatur; debet enim tunc adſtare, vigilare, ac obſeruare, vt cùm plenum piſcibus fuerit rete, è mari educat: at cùm ipſum capiendi piſces extrahitur inſtrumentum, tunc adeſt laboris finis, imminet quies, vt iam ſuæ piſcationis fruatur emolumento. Non aduocat Deus ad ſe Petrum, & Andream extrahentes rete, ſed mittentes, ei enim plus placent homines, dum ad laborem tendunt, quàm dum ad quietem properant.

*Deo plus placent homines labori inſtantes, quàm quieſcentes.*

73. Sextò. Piſcator, cùm retia iacit in mare, eſt piſcibus carens; aliter verò cùm educit, illis iam replet vaſa ſua: & multo magis Deo eſt homo periucundus, ſi temporalibus huius maris bonis vacuus appareat, quàm ſi illis refertus, ac onuſtus conſiſtat. Et ideo, cùm extendunt rete, Petrus, & Andreas vocantur; non verò quando complicantes ad littus reducunt. Sola enim ea gens ad ſortem Dei venit, ac in illa numeratur, quæ à terrenis bonis eſt exuta.

*Exuti à bonis terrenis, à Deo vocantur ad magna.*

74. Exod. 1. Rex Ægyptius videns, quòd populus Iſraël nimium excreſceret, ait ad ſuos. *Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur; & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terra*, Exod. 1. num. 10. Cùm populus nimium multiplicaretur, non timet Rex barbarus, quòd ſuum regnum poſſideat, ipſeque expellatur ab illo. Et cur hoc timore non tangitur? Nónne ait Pharao: *Addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis*; qui enim aliquod regnum expugnat, illud diripit, poſſidet, ac ibi quieſcens conſiſtit. Cur ergo ſolùm timet, quòd populus egrediatur de terra? Cùm ille eſſet populus Dei electus, ac in ſortem, & in cognitionem eius vocatus, non irrepſit timor, quòd expugnata terra populus illam poſſideret, ac obtineret, ſed quòd ab illa egrederetur, ac exiret. Ingenioſè Rupertus ibi. *Non addit*, ait, *expugnatis nobis obtineat terram, ſed egrediatur de terra. Hoc ſibi perſuadeant principes tenebrarum, mundi huius rectores, quod Chriſtiani hoc ſolum emolumenti habent in poſſeſſionibus terrenis, quòd illas deſpiciamus, expugnatiſque nobis, egrediamur de terra, quia cælum nos expectat.*

*Electus à Deo bona tēporalia dimittit.*

*Rupert.*

75. Nec enim ad cæleſtes fauores, ac benedictiones vocantur, qui terrenis indulgent, ſed qui omnino alienantur ab illis. In primo orbis molimine creauit Deus piſces maris, & aues cæli, & ſtatim diuina iniungitur benedictio; *Benedixitque eis Deus, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: aueſque multiplicentur*, Gen. 1. num. 22. Et ſtatim ſequitur *num.* 24. quòd Deus quoque creauerit animalia terreſtria, iumenta, beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas; & tamen pro tunc cæleſtis benedictio eis non impertitur. Quare aues cæli, & piſces maris Dei benedictione fruuntur; illa tamen priuantur animalia, quæ terra producit? Per animalia terreſtria homines terrenis rebus implicati deſignantur: meritò ergo aues, quæ per cæli ambitum volitant; & piſces maris, qui à terrenis ſunt ſegregati, ad cæleſtem benedictionem vocantur; à qua excluduntur, qui terrenis rebus ſunt dediti, vtpore indigni, qui ad tantum beneficium admittantur. Theophylactus Antiochen. ad Aureolum lib. 2. *Sexto die*, ait, *cùm Deus conderet quadrupedia, beſtias, & reptilia terreſtria, reticet benedictionem, eamque reſeruat homini, quem ſexto die creare conſtituerat; cæterùm quadrupedia, & beſtiæ quædam pulchrè nobis depingunt homines quoſdam, qui Deum ignorant, impia patrant, terrena ſapiunt.*

*Gen. 1.*

*Qui bonis terrenis caret à Deo benedicitur.*

*Theophyl.*



*Matth. 4. n. 19.* Et ait illis: Venite poſt me; faciam vos fieri piſcatores hominum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus, Chryſoſtomus.* | Venite poſt me, faciam vos eſſe piſcatores hominum. |
| *S. Calixt. Pap. ſermon. 2. de S. Iac. Vatabl.* | Dicit illis: Sequimini me, & faciam vos piſcatores. |
| *Franc. Lucas.* | Faciam, vt fiatis, ſeu ſitis piſcatores. |

ALTER TEXTVS.

*Marci 1. n. 17.* Cohæret cum Matthæo.

## *EXPOSITIO.*

76. VOCAT Ieſus Petrum, & Andream, & ait illis: *Venite poſt me.* Quanquam enim duo hi Apoſtoli frequenter adeſſent Ieſu docenti, & cum eo eſſent conuerſati *Ioan. 1. à num.* 37. & ſignificat Petrus *Actor.* 21. Tamen hîc modo illis ait Ieſus: *Venite poſt me*, hoc eſt, relicto hoc viuendi modo, atque hac arte, ſequimini me; meum inſtitutum viuendi amplexate; corpore, & animo mihi indiuidualiter adhæremini, vt ait D. Anſelmus: *Non tam pedibus, quàm affectu mutationis.* Quoſdam contentus eſt Ieſus habere in grege, & Eccleſia ſua, vt Regulum cum filia ſua, *Ioan. 4. num.* 53. multoſque alios; nec vrget, vt relictis parentibus, ac omnibus ſuis ipſum imitentur, ac pedibus ſequantur: hoc verò exigit ab iis, quos vocat ad maiora, & ad Apoſtolicum munus, cuius perfectio omnia mundi renuntiare exoptat, & requirit. Ait illis: *Venite poſt me*; ipſe ducatum præſtat, vt & nos ſequamur. *Faciam vos fieri piſcatores*; ac ſi dicat: Faciam vos aptos, & idoneos ad huiuſmodi miniſterium. Eleganter D. Anſelmus. *Benè dicit: Faciam vos fieri; aliter enim homo fruſtrà laborat, niſi Deus faciat, & perficiat: ita tamen facit, vt liberum arbitrium non pereat.*

*Ioan. 1.*

*Actor. 21.*

*Anſelm.*

*Qui bona dimittunt, ad magna apti.*

*Anſelm.*

77. *Piſcatores hominum*; nempe ad homines capiendos; vt ſicut ipſe erat hominum expiſcator, ita & ipſi fierent. Vnde pulchrè ait S. Thomas ex Diuo Dionyſio: *Nihil dignius in officio hominum, quàm Dei cooperatorem fieri.* Magna nobilitas Apoſtolorum, in piſcatione, ac animarum conuerſatione eſſe Chriſto Domino cooperatores. Ait Abdias cap. 1. num. 21. *Ecce aſcendent Saluatores*; quod pro magna excellentia de Apoſtolis dicitur; vt ibi ponderat D. Hieronymus. Piſcatores hominum dicit, ait Cardinalis Hugo, non præbendarum, non rerum temporalium 2. Corinth. 12. num. 14. *Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Iſai. 13. num. 17. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.*

*D. Thom.*

*Magna hominis dignitas, quòd ſit in noſtra ſalute cooperator.*

*Abdias 1.*

*Hieron.*

*Hugo.*

*2. Cor. 12.*

*Iſai. 13.*

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Dominus vocat ſuos Apoſtolos ſub metaphora piſcaturæ?*

77. MVLTIPLICI modo, vt eſt planum, poterat Chriſtus ſuos attrahere. Primò. Vocando eos, vt ipſum ſequerentur, non explicando munus iniungendum, ſicut cum Matthæo vidimus factum, *cap. 9. n. 9.* Luc. 5. *num.* 27. ei tantùm dixit: *Sequere me.* Vel poterat Dominus dicere: Venite poſt me, faciam vos Prædicatores, Doctores, principes Gentium. Nihil horum dixit, ſed piſcatores. Cur ergo ſub hac metaphora trahuntur, inquirimus? Et vide ſuprà *quæſt.* 8.

*Luc. 5.*

79. Prima huius rei ſolutio eſt. Quia ſæpe Chriſtus Dominus à rebus temporalibus, quas tempus, & locus dabant, ſermonem tranſtulit ad ſpirituales, vt à terrenis ad cæleſtia mentem hominis attolleret: & quia ipſi erant occupati in arte expiſcandi; ideo ſub metaphora piſcatoris vocat.

*Chriſtus ex præſentium occaſione ad ſpiritualia aſſumebat ſermonem.*

80. Secundò. Homines ſunt ſicut piſces: & ſicut trahuntur reti piſces à piſcatore; ita etiam homines à Prædicatore, vt notat Chryſoſtomus *in Imperfecto homil. 7.* Trahuntur reti intexto ſacra doctrina, varietate ſententiarum, ac parabolarum; narrationibus diuinis ſacræ Scripturæ, promiſſionibus beatitudinis, ac admirabilibus operibus virtutum. Deinde ad piſces expiſcandos in hamo apponitur edulium, vt ita piſces capiantur; ita ſimiliter in hac diuina Chriſti ſagena. Quod pulchrè meditatus eſt D. Chryſologus ſerm. 28. *Venite*, ait, *& faciam vos piſcatores hominum, vt vitalis eſcæ iactu, vt hamo cæleſtis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tolleret ſempiternam.* Cùm hamus Euangelicæ prædicationis præparatur, vt homines capiat, ſtatim illi apponitur viuifica ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſca, vt dulcedine, ac efficacia tanti cibi homines trahantur in vitam æternam. Tandem tertiò. Quia ſicut piſces de mari capiuntur, & emittuntur foras; ita Prædicatores verbi Dei educunt homines de amaritudinibus iniquitatum huius ſæculi.

*Chryſoſt.*

*Chryſolog.*

*Dulcedine ſacræ Euchariſtiæ homines trahuntur ad Eccleſiam.*

81. Quòd verò homines piſcibus ſimiles ſint, Habacuc 1. num. 14. *Et facies homines quaſi piſces maris.* Et Chriſtiani vocabantur olim piſces, tum à Chriſto Domino, qui à veteribus Græcè piſcis appellabatur, de qua re extat carmen Erythrææ Sybillæ. Vide Tertullianum *lib. de Baptiſmo.* Auguſtinum *lib. 18. cap. 23.* D. Proſperum *lib. de promiſſionibus, & prædictionibus, part. 2. cap. 39.* Tum etiam Chriſtiani dicebantur piſces, quia in aquis naſcuntur, cùm baptizantur, & aquis viuunt lachrymarum in ſecundo confeſſionis Baptiſmo in quo vitiorum ſordes poſt primum contractas eluunt. Deinde homines in mari iſtius mundi ſunt ſicut piſces, frigidi ſine calore charitatis, muti ſine voce diuinæ laudis, deſtituti manibus, ac pedibus bonorum operum, mutuoque ſe deuorantes,

*Habacuc 1.*

*Homines piſcibus ſimiles.*

*Tertul.*

*Auguſt.*

*Proſper.*

*Chriſtiani in aquis baptiſmi, & pœnitentiæ naſcũtur, & viuunt.*

Iſai. 9.

uorantes, iuxta illud Iſaiæ 9. num. 20. *Vorabit Manaſſes Ephraim, & Ephaim Manaſſen.* Immò eleganter ait D. Chryſoſtomus homil. 7. in Imperfecto. *Homines ſunt ſicut piſces, fortiores deuorantes infirmiores.* Et de natura piſcium ait D. Baſilius homil. 7. in Exaëmeron. *Propria piſcium eſt ſors, propriaque natura, ſeparata, peculiariſque pro moribus, victuque vita. Ideo neque miteſcit animalium natalium quicquam, neque ſeſe tractandum vnquam manibus vllis, mulcendumque præbet.* Et *homil.* 8. inquit: *Cognouit bos poſſidentem, & aſinus præſepe domini ſui. Piſcis autem non agnouit ſuum vnquam altorem.* Cùm autem piſcium ſit ferina, & ingrata natura, meritò homines piſces dicuntur, eiſque comparantur.

Chryſoſt. *Homines fortiores deuorant debiliores.*

Baſil. *Homo valde ingratus nullis beneficiis miteſcit.*

82. Dices. Non videtur rectè à Domino comparari Prædicatores Euangelicos piſcatoribus; & homines, qui conuertuntur, piſcibus maris. Nam, dum piſcator piſcem extrahit ab aqua, è vita traducit ad mortem; at Prædicator peccatorem conuerſum è morte euehit ad vitam, ad ſalutem. Ergo qua ratione vocatio noſtra capturæ piſcium comparatur? Hoc dubium excitat D. Iuſtinus *in quæſtionibus Gentium quæſt.* 40. Origenes *homil.* 12. in illud cap. 16. Ieremiæ: *Ecce ego mitto piſcatores multos.* qui ita ſoluunt præſentem difficultatem. Quia ſicut piſcis ab aquis eductus à piſcatore, ſtatim moritur, vt manducetur, incorporetur in homine; ita etiam ille, qui Prædicatoris verbo capitur, & à mundialibus aquis exiliit, ac expeditur, debet ſtatim ſæculo mori, vt valeat incorporari Chriſto Ieſu, in quo viuens, vitam ſpiritualem, & immortalem habeat. Ad Coloſſ. 3. num. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto Ieſu.*

Iuſtinian. Origen.

*Chriſtiani vt Chriſto incorporentur, ſæculo moriantur.*

Ad Coloſ. 3.

83. Chryſolog. Tertiò ad quæſtionem noſtram elegantiſſimè reſpondet D. Chryſologus ſerm. 28. *Piſcatores piſcium fiunt hominum piſcatores, de labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus; Omnia, quæ de vſu veniunt, non fatigant; virtus exercitio perſeuerat. Hinc eſt, quòd Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exercere voluit, vt indefeſſos redderet in diuinis. Voluit Deus eis manere fortitudinem, de exercitio præſtare virtutem: & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare.* Multa, & ſatis eruditè, ac eleganter nobis inculcat S. Pater. Primò, quòd Deus elegit in Apoſtolos piſcatores, non homines delicatos, in deliciis enutritos, ſed laboribus obduratos: *De labore tranſeunt ad laborem; quæ de vſu veniunt, non fatigant.* Gelu, ac frigu aſſuetos eligit; tales enim erant aptiſſimi ad peragrandum orbem, ne ærumnis perpeſſis in prædicatione Euangelica fatigarentur, ac deficerent. Secundò. Vocat eos non ad regnum, non ad principatum, ſed ad labores, ad piſcationem: *Quia labor meditatus neſcit laſſeſcere.* nam labor ſi antea præuidetur, cùm venit, vires non obruit, nec animus deficit. Tertiò. Non ad otium, non ad vacaturam vocat, ſed ad labores piſcaturæ: *Virtus exercitio perſeuerat; & voluit Deus exercitio præſtare virtutem.* Labores maximè vtiles, vt homo Dei non obliuiſcatur, ſed in virtute perſeueret, totuſque in eius obſequio ſit defixus.

*Ad labores, non delicati, ſed obdurati homines eliguntur.*

*Labor præuiſus melius toleratur.*

*Labor conducit, vt Dei recordetur homo.*

84. Quartò. Non ait Petro: Veni; faciam te petram, fundamentum Eccleſiæ, dabo tibi claues regni cælorum; ſed faciam piſcatorem hominum: *Captores piſcium fiunt hominum piſcatores:* Vt manifeſtum ſit, quòd qui ad Prælationes Eccleſiaſticas vocantur, non tantùm ad dignitates, ſed ad labores, ac preſſuras trahuntur. Quintò. Non ait, faciam vos fundamenta Eccleſiæ, principes orbis, quod erat magna dignitas, ac excellentia, eis ab ipſo Domino conferenda; ſed tantùm ait, *piſcatores hominum*; quod multos labores, ac preſſuras ſecum inuoluebat. Chriſtus potius recordatur, & ante oculos habet labores, quos pro ipſo patimur, quàm dignitates, & honores, quibus nos cumulatè ditat, & honorat.

*Chriſtus recordatur potius de meritis noſtris, quàm de iis, quæ ipſe donat.*

Sextò. Ex piſcatoribus piſcium fiunt hominum piſcatores; *De labore tranſeunt ad laborem; & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare.* Clariùs D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Faciam vos piſcatores hominum.* ſubdit: *Immutatur enim intentionis negotium, non piſcationis officium.* Non exigitur ab eis nouum opus, ſed vt etiam in piſcatione ſe exerceant, & vt laborem, quem pro hominum famulatu, tenui lucro expectato, ſuſtinebant, pro Dei obſequio ſupportent, ad ingens, & illuſtre premium obtinendum. O quantum ſæpe erit virtutis, ac meritorum incrementum, ſi laborum mutetur ſcopus, vt ærumnas, quas homines pro mundi vanitate patiuntur, pro Dei gloria forti animo amplectantur & tolerent! 85.

Paſchaſ.

*Laborẽ quem pro mundo ſuſtines, ſi pro Deo patiaris, multum mereberis.*

Venit Paulus Corinthum, & manſit apud quoſdam Iudæos, *Et quia eiuſdem artis erat, manebat apud eos, & operabatur (erant autem ſcenofactoriæ artis*, Actor. 18. num. 3. Valde mirum ſanè, quòd Doctor gentium totus datus prædicationi, ac conuerſioni animarum, occuparetur in fabrilibus operibus, in conficiendis nempe tabernaculis (talis enim erat ars illa, vt volunt Gloſſa Interlinealis, Carthuſianus, Hugo, Caietanus, & alij:) & Paulus in huiuſmodi opere ſe exercebat, vel ad victum comparandum, vt ait Chryſoſtomus; vel ad eleemoſynas faciendas, vt docent Auguſtinus *in Epiſtol. ad Galat.* Lorinus. Sed quare magne Paule, ad quotidianum cibum manum admoues ad fabrilia? Nónne ipſe poterat hoſpitari apud aliquem nobiliſſimum virum, qui ſine vllis laborum expenſis panem apponeret? Nónne Paulus, qui multa edebat miracula, & magna poteſtate ſuper elementa ignem, & aquam eminebat, & ideo alio modo poterat ſibi multa obtinere ad maiores eleemoſynas faciendas, quàm quotidianus labor ſuus ferebat, ac dabat? Communis Doctor Gentium in omnibus docet nos: & quanuis ſemper magna, & mirabilia exhibeat ingens Pauli charitas, in hoc tamen euentu contenta eſt, quòd in illa tabernaculorum confectione mutaretur finis, & ſcopus operis, ita vt illudmet opus, quod ſæculi homines pro hominum famulatu obibant, ipſe in obſequium Dei manibus præſtaret; neque hac in occaſione maiores eleemoſynas vult elargiri, quàm illo ſuo manuum labore acquiſitas, quo ſimili pro temporalibus opifices alij hominibus ſeruiebant. 86.

Actor. 18.

Interlin. Carthuſ. Hugo. Caietan. Chryſoſt. Auguſt. Lorin.

*Quæ pro mũdo ſuffert mundanus, pro Deo exhibe.*

Immò in iiſdem ferè ſimilibus laboribus magna diſcretio inuenitur: nam ſi pro Deo eos toleras, magnum impetras bonum; ſi autem pro mundo, in multa damna, ac mala incides. *Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt,* Pſal. 80. num. 7. De populo Iſraëlitico eſt ſermo, vt docet D. Auguſtinus, Brunonius, Incognitus, Genebrardus, & alij, quando in Ægypto 87.

Pſalm. 80. Auguſt. Bruno. Incogn. Genebrard.



Ægypto ſeruiebat, & lateres conficiebat; & in huiuſmodi corbibus paleas, & lutum aſportabat ad miniſterium. Premebantur autem Iſraëlitæ in Ægyptò tali labore, vt tradit Ioſephus *lib.* 1. *contra Appionem*, ob diuerſitatem cultus; & quia Iſraëlitæ renuebant idololatrare, & Diis Ægyptiorum ſacrificare. Tamen in tam vehementi oppreſſione, ait Pſalmiſta in perſona Dei: *In tribulatione innocaſti me, & liberaui te, & exaudiui te.* At verò poſtea Pompeius Romanus, vt Ieroſolymitanum templum deuaſtaret, Iudæos ipſos compellebat, vt cophinis terra refertis templi foſſas replerent, vt teſtatur Ægeſippus lib. 1. de excidio Ieroſolymitano cap. 16. *Ad templi autem irruptionem, quoniam pertinaciter reſiſtebatur, Iudæos Magnus parauit ſocios, ſimul vt ſuis manibus Iudæi foſſas replerent impio miniſterio, & turpi obſequio ſeruierunt manus eorum in cophino.*

Ægeſippus.

88. Nunc verò Iudæos inter ſe confer, miniſtrantes in corbibus ſub Pompeio, & ſub Ægypto pro cultu Dei, ne idololatria illaqueentur: dum in cophinis ſeruiunt Pompeio, in captiuitatem, deuaſtationem, ac miſerrimum interitum incidunt: dum verò in iiſdem cophinis laborant, ne idololatria coinquinentur, vitam, libertatem, ac opulentiſſimam terram conſequuntur. Et ita in eodem cophino, cùm ſeruiunt homini, mortem; cum verò pro Dei cultu famulantur, vitam, ac ſalutem negotiantur, & obtinent. Syneſius *lib. de regno*, ait, *Si noſtri milites vexationes, calamitates, ac incommoda, quæ pro Imperatore patiuntur in bello, pro Deo haberent, non illis temporalis, ſed æterna volitaret corona.*

Syneſius.

*Matth. 4. n. 22.* Illi autem continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Illi autem confeſtim retia ſua dimittentes poſt eum iuere. |
| *Pagninus.* | Statim cum relinquiſſent retia. |
| *Vatablus.* | At illi relictis illico retibus. |

*EXPOSITIO.*

89. QVATVOR valde præclara notat Euangeliſta in Apoſtolis, Obedientiam, expeditionem, perfectionem, charitatem. *Illi autem continuò.* Ecce obedientia. Ad Chriſti vocem, quæ quandam vim habebat diuinam, ſine vlla cunctatione ſequuntur, vt dicam *quæſt. ſequenti.* Pſalm. 94. num. 8. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et etiam in illa particula *continuò*, eorum magna fides adnotatur, vt aduertit Chryſoſtomus homil. 4. in Marc. *Vera fides*, ait, *non habet interuallum, ſtatim audit, ſtatim credit, ſtatim ſequitur, ſtatim piſcator efficitur.* Textus, *Relictis retibus.* Ecce velox eorum expeditio. Relinquunt retia, quorum vſu viuebant. *Omnia relinquunt*, vt ait Albertus Magnus, *voluntate nihil ſibi retinentes.* Et retia dimittunt, ait Chryſoſtomus homil. 7. in Imperfecto, *ne magis facerent eis impedimentum laboris, quàm additamentum vtilitatis.* Idem Chryſoſtomus homil. 4. in Marc. *Ego puto*, ait, *quòd in retibus vitia ſæculi reliquerint; neque enim fieri poterat, vt ſequentes Ieſum haberent retia.* Et aduertit Euangeliſta, quòd reliquerint retia; & de naui nulla fit mentio. Retia habebant præ manibus, erant enim *mittentes retia*; & ſub retibus cætera muneris piſcatoris intelligenda veniunt, & etiam ipſa ars piſcatoria. Vel etiam dic, quòd per retia concupiſcentiæ mundi ſignificantur, vt iam dixi ex Chryſoſtomo; & qui huiuſmodi concupiſcentias à ſe dimittit, omnia relinquit. Si verò Apoſtoli aliquando poſtea ad piſcationem redierunt, *Hoc*, vt ait Hugo, *non reſumpſerunt ex cupiditate, ſed ex neceſſitate.*

Pſalm. 94.

Chryſoſt.

Albert. Mag Chryſoſt.

*Qui ſequitur Chriſtum, omnia ſæculi dimittit.*

Hugo.

*Secuti ſunt eum.* Ecce eorum perfectio. Tanquam indiuidui comites Chriſto adhæſerunt, ſub ipſo, vt vero magiſtro, ac Domino viuentes. Tantum bonorum theſaurum in Chriſto deprehenderunt, vt potius elegerint, omnia relinquere, quàm ipſum non ſequi; ſicut duo illi negotiatores, quorum vnus theſaurum in agro abſconditum, alter margaritam pretioſam repererat. Matth. 13. num. 44. & 46. *Secuti ſunt eum.* Ecce eximia eorum charitas. *Secuti ſunt*, nullo propoſito præmio; & ideo dixerunt Matth. 19. num. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Et cùm Chriſtum iam eximia charitate diligerent, non ſolùm abſque præmio ſunt ſecuti, verùm magno propoſito labore, qui eis iam in hominum piſcatione deſignabatur. Chryſoſtomus homil. 7. in Imperfecto. *Manifeſtum eſt*, ait, *quòd non Apoſtolicum cupierunt honorem, ſed quæſtum Apoſtolici operis, & laboris.* Hoc iterum in limine quæſtionis dicam. 90.

*Vt Chriſto adhæreas, omnia dimitte.*

Matth. 13.

Matth. 19. *Verus amor ſequitur, vt laboret.*

Chryſoſt.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Apoſtoli ad vnam Chriſti vocem ſine vlla cunctatione ipſum ſequantur?*

RATIO dubitationis poteſt deſumi ex D. Gregorio *homil.* 5. Ait enim de Petro, & Andrea: *Nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc, quod poſſidere videbantur, obliti ſunt.* Et Abulenſis *quæſt.* 100. ait in Chriſti verbis: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores,* non habetur promiſſio alicuius præmij, ſed magis exhortatio quædam ad laborem. Et tamen, cùm hæc ita ſint, cùm audiunt Chriſti vocem, non cunctantur, ſed ſtatim relictis omnibus Chriſtum ſequuntur, ac illi adhærent. 91.

Gregor.

Abulenſ.

*Non propoſito præmio ſequuntur.*

Ratio huius rei prima, & germana eſt efficacia diuinæ gratiæ, qua Deus eorum voluntates excitauit, inclinauit, ac mouit, vt dimiſſis omnibus ipſum ſequerentur. Prouerb. 21. num. 1. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit eum.* Deinde Chriſtus Dominus non ſolùm per inſpirationem internam eorum corda excitauit, ac mouit; verùm etiam in eius vultu fulgor quidam diuinitatis 92.

*Gratia Dei voluntates inclinat, ac mouet.*

Prou. 21.

*In vultu Chriſti diuinitas reſplendebat.*

ris reſplendebat, qui maximè Apoſtolos,ac quos vocabat, attrahebat, vt docet D. Chryſoſtomus homil. 4. in Marc. D. Hieronymus *in cap. 9. Matth.* Abulenſis citat. *quæſt.* 100. Ad rationes morales veniamus.

93. Reſpondet ſecundò D. Bernardus ſerm. 2. de S. Andrea. *Illi*, ſcilicet Apoſtoli, *continuò nihil dijudicantes, aut hæſitantes, non ſoliciti, vnde viuerent; non conſiderantes, quónam modo rudes homines ſine litteris Prædicatores fieri poſſent; nihil denique interrogantes; ſine mora relictis retibus, & naui ſecuti ſunt eum. Agnoſcite, fratres, quoniam propter vos ſcripta ſunt hæc: vt diſcentes veræ obedientiæ formam caſtigetis corda veſtra in obedientia charitatis.* In exordio naſcentis Eccleſiæ verum obedientiæ exemplar nobis Dominus in ſuis Apoſtolis ſtatim præbet. Nam illi, audita Domini voce, ab omni iudicio abſtinent circa cibum comparandum, ac futurum euentum: nihil hæſitant, nihil interrogant, nihil ſcrutantur, ſed dimiſſis omnibus ipſum ſequuntur, vt nos hanc charitatis obedientiam imitari omnibus viribus intendamus.

94. Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 14. *Perpende verò*, ait, *fidem, & obedientiam vocatorum, ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti (ſcitis autem, quàm auida res ſit piſcatio) cùm illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt. Non dixerunt, reuertemur domum; loquamur propinquis: ſed cuncta illicò relinquentes, fecerunt, quod Eliſæus quoque ſub Elia legitur impleſſe.* 3. Reg. 19. num. 20. *Talem quippe à nobis obedientiam Chriſtus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus: etiam ſi nos aliquid neceſſarium vrgere videatur.* Intenti erant Apoſtoli maximè delectabili, pericundóque operi, eis etiam ad victum neceſſario, nempe piſcationi: vbi primum tamen Chriſti vocem audiunt, non morantur, vt retia extrahant, ſed inchoatum opus relinquunt, ad Chriſtum properant, certiſſimè ſibi ſtatuentes, quòd ſi tantiſper detinerentur, iam tardè venirent, nobiſque dantes documentum, quòd cùm vox maioris inſonuerit, etiam incepta, & non perfecta littera, vt dicitur, ſit ad illius iuſſionem conuolandum. Et aptè vtitur Eliſæi exemplo, qui inchoatum arandi opus intermiſit, vt poſt Eliam curreret, ac ipſum ſequeretur; cùm tamen Elias ipſum aperta, & alta voce non vocaret. *Miſit Elias pallium ſuum ſuper illum, qui ſtatim relictis bobus currit poſt Eliam.* Perfecta, ac conſummata obedientia iuſſionem non exoptat, ſed vt ad obediendum moueatur, qualibet eſt inſinuatione, indicioque contenta.

95. Quartò. Vocauit Dominus quendam iuuenem, & ait illi: *Sequere me.* Ille autem dixit: *Domine, permitte mihi, primum ire, & ſepelire patrem meum*, Luc. 9. num. 59. At Petrus, & Andreas, vbi primum vocem Domini accipiunt, continuò ipſum ſequuntur; nihil de domo, nec de conſanguineis, nec de familia, vt dixi ex Chryſoſtomo, cogitantes, ſed dimiſſis omnibus Chriſto adhærent. Cur ſimilem Dominus huic adoleſcentulo vocem, adeóque efficacem non fecit, ſicut Apoſtolis? Eligebat Dominus Apoſtolos ſuos, vt eius eſſent miniſtri, ideo hanc eis ſtatim ingerit inſpirationem, vt omnia relinquerent, ipſumque indilatè ſequerentur: in ſuis enim Dominus miniſtris ad ſuas functiones obeundas magnam expeditionem, velocitatemque exoptat.

96. *Factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis*, Actor. 2. num. 2. hoc eſt, ſonus editus eſt cuiuſdam venti vehementiſſimi, qui verus ventus erat, vt vult Caietanus, & placet etiam Lorino. Sicut etiam quando Dominus venit ad Eliam in monte Horeb 3. *Reg.* 19. *num.* 11. & 12. Sed cur ventus in miniſterium aſſumitur à diuino Spiritu, dum deſcendit ſuper Apoſtolos? Ventus inter omnia ſenſibilia velociſſimus, nullóque obſtaculo retineri valet, vt ponderat Geminianus *lib.* 1. *de exemplis cap.* 75. Et à Deo id in ſuum miniſterium deſtinatur, quod celerrimum inuenitur, vt volitet, ac ſuperuolitet ſuper omnia, itaut à nullo retardari valeat. Et ideo diuinus Spiritus venit ſuper Apoſtolos in igne, & in concitato venti impetu, vt ait Caietanus. In igne, vt eos ardentes redderet in charitate; in vento verò, vt eos veloces faceret ad currendam viam. Beda: Neque Deus ignis, neque ille ſonitus fuit; ſed per hoc, quod exteriùs exhibuit, expreſſit hoc, quod interiùs geſſit.

Actor. 2. Caietan. Lorin. 3. Reg. 19. Geminian. *Dei miniſtri celerrimi.* Caietan. Beda.

97. Mandauit Dominus diſcipulis ſuis, vt per viam neminem ſalutarent, *Luc.* 10. *num.* 4. Sicut & hoc præcepit Eliſæus ſuo diſcipulo Giezi. 4. *Reg.* 4. *num.* 29. Sed cur eis prohibentur ſalutationes, quæ amicitiæ, ac vrbanitatis ſunt ſigna, & inter omnes nationes maximè laudabiles? Prohibentur huiuſmodi ſalutationes, ne ex iis aliqua oriatur confabulatio, vnde Apoſtoli detineantur. Et quamuis huiuſmodi confabulatio non daretur, tamen ipſa ſalutatio denegatur, ne in itinere ſaltem aliquo breuiſſimo verbo Apoſtoli retardarentur; & ideo ad huiuſmodi morulam amputandam abſque vllo verbo iubentur incedere. D. Ambroſius *ad citatum Lucæ locum.* Poſtquam ait de Giezi: ne confabulatione alicuius obuij reflecteretur à mandato munere; de Apoſtolis ſic loquitur: *Ergo hîc non ſalutationis officium aufertur, ſed obſtaculum impediendæ deuotionis abolletur, vt quando diuina mandantur, pauliſper ſequeſtrentur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram ſæpe trahit offenſam.*

*Dei miniſtri nec breuiſſimè retardentur.* Ambroſ.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quomodo Apoſtoli dimiſſis omnibus, nihil de futuro euentu cogitantes Chriſtum ſequantur?*

98. AVDIVNT Apoſtoli à Chriſto: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Illi verò relictis retibus ſtatim ipſum ſequuntur. In quæſtionem ergo vertimus, quomodo Apoſtoli ita indilatè Chriſtum ſequantur? An cogitauerint, quomodo homines eſſent piſcaturi, quomodo victus comparandus, & quínam ab eis viuendi modus habendus.

*Ratio difficultatis.*

99. Reſpondeo primò, quòd ita Apoſtoli excitati ſunt, atque attracti efficacia, ac dulcedine diuinæ gratiæ, vt nihil circa futurum euentum cogitantes Chriſtum ſequerentur. Hunc dicendi modum tradit D. Bernardus ſuprà datus ſerm. 2. de S. Andrea. *Illi*, ait, ſcilicet Petrus, & Andreas, *continuò, nihil diiudicantes, aut hæſitantes non ſoliciti, vnde viuerent, non conſiderantes, quomodo*

Bernard.

rudes



*rudes homines ſine litteris Prædicatores fieri poſſent, ſine mora relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Idem latè docet D. Baſil. Seleuc. *orat.* 30. Hæc eſt efficacia diuinæ gratiæ, quæ facit nos infallibiliter operari id, quod altitudo ſapientiæ Dei diſponit. Nec eſt mirum, quòd illa Chriſti verba, *faciam vos fieri piſcatores*, non intelligerent, vt notat Salmeiron *tom.* 4. *tract.* 25. ſicut etiam multa alia eius dicta, & parabolas non intelligebant, Matthæus 15. n. 16. *Adhuc vos ſine intellectu eſtis, & non intelligitis*; & cap. 16. n. 8. Marc. 7. n. 18. & 8. n. 17. Luc. 18. num. 34. Ex quo perpende, quanta ſit Chriſti vocantis virtus. Non rogant, quem finem hæc vocatio eſſet habitura, vnde viuendum? nec ſuam ipſorum vtilitatem, tarditatemque expendunt; ſed ad omnia parati, ac prompti obediunt, atque ſequuntur.

Baſil. Seleuc. Salmeiron. Matth. 15. *Sequuntur, cùm finem vocationis, & viuendi ignorarent.*

100. Secundò Abulenſ. *q.* 99. quòd cùm Apoſtoli viderent, Chriſtum feciſſe aliquot miracula, ex hoc crediderunt, quòd ſic etiam poſſet facere eos doctores legis ſine aliqua longa exercitatione in litteris: poterat enim ſubitò dare eis ſufficientem cognitionem ad hoc, quòd prædicarent; quia ex operibus ſuis viderant, eum eſſe Prophetam, vel Prophetis maiorem. Interdum tamen vnus Propheta faciebat alium Prophetam, ſicut Elias vnxit Eliſæum in Prophetam, 3. *Reg.* 19.

Abulenſ. *Poterāt exiſtimare à Deo ſcientiam dandam.*

101. Tertiò D. Baſilius Seleucus *orat.* 30. poſtquam proponit aliquas difficultates, quæ in euangelicæ prædicationis negotio erant interuenturæ; quomodo Reges trahendi; qua methodo ſermonis vtendum; qua lingua loquendum: ait S. Pater: *Nihil tale locuti, nihil meditati; ſed re ipſa hamo verbi Chriſti traiecti ſequebantur loquentem Dominum, & piſcaturæ modum intus ipſi ſecum docebantur, quodque facturi erant, primum opere experiebantur.* Similiter loquitur Chryſoſt. *hom.* 14. *in Matth.* Multæ in piſcatione hominum difficultates in Apoſtolorum mentem ſubire poterant, præcipuè cùm ipſi eſſent homines ſine litteris. Tamen cùm ipſi experirentur, quòd, abſque vlla reſiſtentia, hamo, & efficacia diuini verbi trahebantur; ex ipſa ſua experientia ſunt edocti, quòd ope Chriſti alios facile, & expeditè trahere poſſent. Maximè acquieſcit homo his, quæ ſentit, ac experitur: & cùm ipſi experirentur efficaciam diuini verbi, cui nihil reſiſtere valet; minimè detinentur, ſed dimiſſis omnibus Chriſtū ſequuntur.

Baſil. Seleuc. Chryſoſt. *Ex ſua experientia ſibi homo facile perſuadet.*

102. Quartò. De Apoſtolis Chriſtum ſequentibus loquens Tertull. *lib. de Idololatria, c.* 12. ait: *Nemo eorum, quos Dominus allegit; non habeo, dixit, quo viuam. Fides famem non timet. Scit etiam, famem non minus ſibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit, non reſpicere vitam, quanto magis victum.* Dimittunt retia, quibus victum comparabant. Sed cur non cogitant, quomodo viuēdum, quove medio quotidianus cibus obtinendus? Iuſti amore virtutis famem ſuperant, nullam penuriam timent. Et quid mirum, quòd propter Chriſtum famem contemnant, qui propter ipſum vitam deſpiciunt, & nil reformidant, omni ſe periculo tradere.

Tertull. *Iuſtus famē non timet, deſpicit vitam.*

103. Cùm fame valde premeretur terra, tendit Elias in Sarephtha Sidoniorum, & ibi à muliere vidua petiit buccellam panis. Cui illa ait: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus; & moriamur.* 3. Reg. 17. n. 12. Si ita neceſſitate laborabat mulier, cur extra domum ſuam, ac vrbem non egreditur ad campos, vel ad alia loca ſe confert, in quibus pro ſe, & filio ſuo alimoniam poſſet habere; nam fames illa non erat in toto orbe, ſed ſolùm in terra Iſraël, & in locis illi coniunctis; vt tenet Abulenſis *in cap.* 17. *citatum, q.* 9. Sarephtha autē erat iuxta fines Iſraël, ac proinde forſitan non longè ab illa diſtarent oppida, in quibus ſiccitas, & fames non perdominabatur. Cur ergo ad huiuſmodi loca nō tendit? vel cur ſaltem per campos non vagatur? Mulier hæc, vt ait Abulenſ. *q.* 24. & Caietanus, erat Deo deuota, & ſummum Deum colebat: & cùm mulier eſſet pia, & bene morigerata, famem contemnebat, & propriam vitam deſpiciebat, ne pudicitiam, ac honeſtatem ſuam deuenuſtaret, extra limites ſuæ domus, ac propriæ ciuitatis circunuagando, & ad aliena loca diuertendo. Idem Abulenſis. *Vt comedamus, & moriamur*, ait mulier, *id eſt: Iam non habeo ſpem comedendi aliquid poſt hoc, quia nihil aliud habeo comedendum in domo mea.* Cùm non haberet in domo, extrà quærere recuſabat. Audiant hoc fœminæ, quæ ob victum comparandum luxuria proſternuntur. Audiant & viri, qui ob panem, & cibum multa illicita perpetrantur. Diſcant famem paruipendere, eique minimè cedere.

3. Reg. 17. Abulenſ. Caietan. *Mulier pudica famē contemnebat, ne honeſtatem deuenuſtet.* Abulenſ.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare, cùm Petrus, & Andreas minus dimiſerint, quàm Zachæus; tamen non huic, ſed illis confertur hominum piſcatio.*

104. VOCANTVR Apoſtoli ad Chriſti ſequelam, dimiſſis retibus; & præter gratiam, ac ſupernaturalia dona interiùs collata, eis datur, vt ſint hominum piſcatores, ac principes orbis terrarum, & Eccleſiæ fundamenta. At Zachæus multo maiores facultates propter Deum diſtribuebat, nam, cùm eſſet diues, dimidium bonorum ſuorū dabat pauperibus, *Luc.* 19. *num.* 8. Et tamen minor Petro, & Andrea conſtituitur; nā nec Apoſtolus: nec orbis terrarum creatus eſt princeps,

105. Reſpondeo primò ex D. Greg. Magn. hom. 5. *Multa, fratres,* ait, *relinquitis, ſi deſideriis terrenis renuntiatis. Exteriora etenim noſtra Domino, quamlibet parua, ſufficiunt: cor nanque, & non ſubſtantiam penſat. Nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Nam ſi exteriorem ſubſtantiam perpendamus, ecce ſancti negotiatores noſtri perpetuam Angelorum vitam, datis retibus, & naui, mercati ſunt. Æſtimationem quippe pretij rete, non habes: ſed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes.* Minora bona temporalia Petrus, & Andreas dimittunt, quàm Zachæus: illi tamen à Deo maiores creantur, vtpote Apoſtoli; nam quamuis parua relinquerent, maiori tamen à ſe charitatis impetu, maiorique affectu alienabāt & Deus cordis potius affectum, quàm bonorum temporaliū perpēdit effectum. Paupercula vidua in gazophylacium duo miſit æra minuta; & de illa ait Saluator: *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes, miſit,* Luc. 21. num. 3. ibi

Greg. Magn. *Deus affectū potius, quàm effectum perpendit.* Luc. 21.

Euthym. Euthymius. *Etſi pauper erat poſſeſſionibus, diues tamen animo oſtenditur; ideo Saluator, qui non donum ponderat, ſed voluntatem, plus omnibus miſiſſe dicit.*

106. Fulgent. Secundò D.Fulgentius epiſtola 2. ad Gallam, de conſolatione cap. 17. *Deus non quantitatem,* ait, *contemptæ facultatis, ſed qualitatem voluntatis attendit. Plures diuitias pauperibus pro Chriſto dicitur expendiſſe Zachæus, pro quo viliſſima piſcatoriæ artis inſtrumenta Petrus reliquit Apoſtolus: & tamen non Zachæus diues pauperi Petro, ſed pauper Petrus diuiti Zachæo præponitur: vt diuitibus Chriſti nulla de contemptis diuitiis iactantia naſceretur.* Omne bonum Deo tribuendum, & vana gloriatio maximè nobis fugienda. Poterat Deus diſponere, vt Petrus, & Andreas magnas haberent diuitias, quas propter ipſum relinquerent; tamen ita ordinauit, vt paupercula retia dimitterent, quæ multo erant inferiora iis, quæ Zachæus largiebatur: & tamen, non Zachæus, ſed illi pauperes ad culmen euehuntur Apoſtolicum: ne quis inaniter gloriaretur, quòd à Deo plura acceperit, quia pro ipſo multa tribuerit: & vt hæc iactantiæ anſa amputaretur, pauperes diuiti anteponuntut. *Vt diuitibus Chriſti nulla de contemptis diuitiis iactantia naſceretur.*

*Iactantiæ occaſio reſecanda.*

107. Tertiò. In datis facultatibus Petrus, & Andreas Zachæo minores, atque inferiores extitere: multo tamen maiores ſe exhibuerunt in ſe ipſis tradendis, ac expendendis propter Chriſtum; nam à minimis, quæ habebant, ſe exuunt, Chriſtum ſequuntur, eique indiuidualiter adhærent. At Zachæus adhuc cum ſua ſupellectili retinebat domum, in eáque manſerat. Et quia illi inſigniores ſe præbuere in ſe ipſis dandis pro Deo, qui nos potius, quàm noſtra vult, 2. Corinth. 12. num. 14. *Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos*; ideo apud ipſum maiori gloria nitent, atque fulgent.

2. Cor. 12.

108. *Non timebo, quid faciat mihi homo: in me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi,* Pſalm. 55. num. 11. & 12. Sed cur ita confiſus eſt, vt ea non timeat: quæ homo aduersùs eum poteſt moliri? Cur non times, quòd auferat omnia bona, & nihil tibi retineat, Deo poſſis ſacrificare, & offerre? Optimè ſciebat Propheta, quòd non tam ſua Deus, quàm ſe ipſum volebat, & affectabat; & ideo ait, quòd non timebat mala omnia ab homine inferenda: quia etſi hoſtis omnia ſpolie, tadhuc ad Deo ſacrificandum ſeipſum retinet, quo ipſi nihil gratius, & excellentius. D. Auguſtin. *Quæ vota reddam laudis tibi? Amo Deum meum. Nemo hunc mihi eripit. Et meritò dicitur in illa ſuperiori fiducia: Quid faciat mihi homo. Sæuiat homo: quid eſt ablaturus? Aurum, argentum, pecora. Nunquid auferet vota, quæ in me ſunt, quæ reddam laudis Deo?* Hugo. *Non timebo,* ait, *quid faciat mihi homo exterius, cùm bonum interius mihi non poſſit ſurripere, per quod tibi placeo: quia in me, non extra, ſunt Deus vota tua, illa ſcilicet, quæ deſideras.*

Pſalm. 55. *Nil Deo gratius offertur, quàm noſmetipſi.* Auguſt. Hugo.

109. Cùm Iacob properaret ad patrem ſuum, & fratris timore maximè anxiaretur, omnibus ſuis dimiſſis bonis cum vxoribus, & filiis, manſit ſolus, *Ecce vir luctabatur cum eo*, Geneſ. 32. n. 24. à quo multa bona eſt conſecutus. Dedit ei magnum nomen Iſraël, quia Deum viderit, ac benedixit eum. Sed illud maximè venit inquirendum, cur tot, ac tanta dona non conſequitur, quando omnia ſua terrena bona dimittit, & à ſe ablegat, ab eiſque denudatus remanet ſolus? tunc tamen nihil ei cœleſtis doni impertitur. Cur ergo, quando in lucta, ac complexu cum Deo ſe tradit? Quia quanuis Deo ſit gratum, quòd homo omnia mundi à ſe dimittat, & exuatur ab eis; multo tamen gratius, Deo ſemetipſum dare: & ideo Iacob cœleſtem non comparat benedictionem, quando ſuis omnibus traductis remanet ſolus, ſed quãdo ſe ipſum Deo toto animo, & corpore tradit. Hanc ſententiam patrocinatur D. Ephrem ſerm. de anguſtia animæ. *Domine, cognoſcis cor, ſi penitus exuit mundum, & te perfectè deſiderat; antequam pertingat ad ianuam, aperi eis.*

Gene. 32. *Tunc homo Dei benedictionem habet, quando ei ſe ipſum tradit.* D. Ephrem.

*Matth. 4. n. 21.* Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocauit eos.

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et quum illinc deſcenderet, vidit duos alios fratres, *&c.* reſarcientes retia ſua, & vocauit eos Ieſchua.

*Vatablus.* Et progreſſus illinc vidit alios duos fratres, *&c.* recõcinnãtes retia ſua.

*D. Chryſoſt. homil. 7. in Imperfect.* Componentes retia, & ſimiliter vocauit eos.

*Græcus.* Redintegrantes retia.

*Pagninus.* Sarcientes retia.

ALTER TEXTVS

*Marc. 1. n. 19.* Et progreſſus inde puſillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipſos componentes retia in naui: & ſtatim vocauit eos.

## *EXPOSITIO.*

110. PROGREDIENS Ieſus paululum, vt explicat D. Marcus, à loco, in quo vocauerat Petrum, & Andream, qui ipſum Dominum iam ſequebãtur. Ecce ſumma Dei bonitas. Ipſe nos quærit, aliter homo ad illum non ſe mouebit. *Vidit* oculis ſuæ miſericordiæ, & pietatis. Pſal. 24. n. 16. *Reſpice in me, & miſerere mei.* Idem eſt, quòd ipſe reſpiciat, & miſereatur. Vnde notat Beda, quòd electi à Deo, dicuntur ab ipſo videri; ſicut reprobi, neſciri, & non videri. *Vidit duos fratres.* Deſcribitur habilitas vocandorum, à vinculo fraternitatis, à genere, à nominibus, ab arte, ab actu, à pietate, ab animo ſine ambitione ſincero.

Pſalm. 24. Beda. *Deus, quos vidit, eligit*



111. *Vidit duos fratres.* Ecce vinculum charitatis. Vidit eos concordes maxima charitate fraternali; & cùm eſſent eiuſdem opificij artifices, non erant animo diuerſi, ſed maximè vniti. Vide ſuprà quæſt. 5. num. 34. *Iacobum Zebedæi*; hoc eſt, filium Zebedæi. Zebedæus dotatum, liberalem, ac munificum ſignificat. Et verè fuit homo liberalis, & munificus, qui vtrunque talem, & tantum filium Chriſto donauit. Et dicitur Iacobus Zebedæi à patre ſuo Zebedæo. Vel, vt vult Abulenſis *quæſt.* 110. quia cùm eſſet Ioanne maior, cum hæreditate paterna nomen etiam hæreditabat. Vel, & meliùs, hoc nomen ei imponitur ab Euangeliſta ad differentiam alterius Iacobi; nam in Apoſtolatu duo vocabantur hoc nomine: & ad diſtinctionem vnus dicebatur Iacobus Zebedæi, alter Iacobus Alphæi. Et ita paſſim vocantur in Euangelio, *Matth.* 10. *num.* 3. *Marc.* 3. *num.* 17. *&* 18. *Luc.* 6. *num.* 14. Sic & Simon Petrus, & Simon Zelotes, Luc. 6. num. 15. At Ioannes abſolutè dicitur. Ait Abulenſis citatus. *Inter Apoſtolos Chriſti vnicus erat Ioannes, quia cum nullo habebat coincidentiam.* Et Ioannes inter cæteros in prærogatiuis vnica auis phœnix erat.

*Zebedæus, id eſt munificus, qui tales filios dederit Chriſto.* Abulenſ. *Ioannes vnicus inter Apoſtolos.*

112. *Iacobum, & Ioannem.* Idoneitas à nominibus. Iacobus, id eſt, luctator, ac ſupplantator, *Geneſ.* 25. *num.* 26. Ioannes verò, hoc eſt, gratia; quia ille, vt ait Albertus Magnus, eſt luctator, & ſupplantator contra hoſtem, in quo eſt gratia Dei. *In naui.* Ecce idoneitas ab arte; gubernator enim nauis proportionatur gubernatori Eccleſiæ: & ex piſcatoribus piſcium fecit Deus piſcatores hominum, vt multis eſt explicatum. *Cum Zebedæo patre eorum.* Ecce pietas, quæ eſt beneuolentia in parentes. Theophylactus, *Summa virtus eſt, paſcere patrem ſenem.* 1. Timoth. 5. num. 8. *Si quis autem ſuorum domeſticorum curam non habet, fidem, negauit, & eſt infideli deterior.* Sequitur textus, *Reficientes retia*, hoc eſt, redintegrantes retia, quæ rupta erant ex longo, frequentique vſu. Et vocat Chriſtus, non otioſos, nec ignauos, ſed operi intentos, ac labori deditos, & totos in ſuo officio occupatos. *Et vocauit eos.* Ecce animi ſine ambitione ſinceritas: nullus ſe ingerit, & introducit ad officium, ſed omnes vocantur; & ita Apoſtoli, ac principes orbis terrarum creantur. *Quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit*, Rom. 8. num. 8. Et ait Euangeliſta: *Vocauit eos*, non tamen explicat modum, & formam vocationis, & quibus verbis vocati ſunt; ſicut de Petro, & Andrea. Tamen valde veriſimile eſt, vt docet *hîc* Hugo, quòd iiſdem vocati ſunt verbis: *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum*, vt dicam *quæſt.* 16. *in* 2. *ratione.* Vel in laudem Ioannis moraliter dic, quòd modus vocationis eius non expreſsè narratur, nec vocationis verba exprimuntur; quæ enim inter Chriſtum, & ſuum dilectum Ioannem interueniunt, potius ſilentio venerantur, quàm verbis proferuntur.

Albert. Mag. *Magna pietas, de patre curã habere.* Theoph. 1. Tim. 5. *Qui ſe in dignitatem non ingerit, ſed vocatur, magnus.* Rom. 8. Hugo. *Quæ ſunt Ioannis, ita magna, vt ſilentio venerentur.*



## QVÆSTIO XV.

### *Quare Chriſtus ſimul eodem tempore vocat quatuor fratres.*

113. VOCAVERAT Dominus ad ſe Petrum, & Andream; & inde progreſſus puſillum, vt explicat D. Marcus, attrahit ad ſe Iacobum, & Ioannem. Vocat Dominus ad ſe duplicem fratrum germanitatem, quia ſuper illam in magna charitate, & concordia ſuam voluit fundare Eccleſiam; vt dixi ſuprà *quæſt.* 5. Imò, vt notat Abulenſis *quæſt.* 117. iſti quatuor Apoſtoli erant quaſi ſimul: nam poſt Petrum, & Andream vocatum, progreſſus puſillum ad ſe adducit alios. Volunt etiam multi auctores, quòd hæc vocatio facta eſt in illa piſcatione Petri, de quo *cap. ſuperiori, quæſt.* 1. Vbi Petrus, iubente Chriſto concluſit magnam piſcium multitudinem; & cùm ipſe & Andreas rete trahere non poſſent, rogauerunt Iacobum, & Ioannem, qui erant in alia naui, vt adiuuarent eos, erant enim ſocij in piſcatione, Et ita ait D. Thomas: *Erant enim habitatione ſimul, dilectione concordes, artificio pares, fraternitatis pietate coniuncti.* Et ideo ſimûl vocati ſunt.

Abulenſ. D. Thom.

114. Myſticè verò multipliciter res explicatur. Gloſſa per iſtos quatuor Apoſtolos inelligit quatuor orbis partes, in quibus Euangelium erat prædicandum. Secundò D. Hilarius in his, quatuor Euangeliſtas deſignari vult. Tertiò idem D. Hilarius, S. Remigius, D. Paſchaſius intelligunt quatuor virtutes Cardinales, quibus inſignitus eſſe debet ille, qui ad prædicationis munus aſſumitur. Prudentia refertur ad Petrum, propter diuinam cognitionem. Iuſtitia ad Andream, propter operum virilitatem. Fortitudo ad Iacobum, propter Diaboli ſupplantationem. Temperantia ad Ioannem, propter diuinæ gratiæ effectum. Quartò. Ferè ſimiliter hoc explicatur à veteri quodam auctore. Hac Apoſtolorum quadriga vehimur ad æthera, his quatuor angulis conſtituitur prima Eccleſia. Simeon nos docet, Ieſu vocanti obedire: Andreas, viriliter agere: Iacobus, ſupplantare hoſtem: Ioannes, ad hæc præſtanda, aſſiduè Dei implorare gratiam.

Gloſſa. Hilar. Remig. Paſchaſ. *Prædicator multiplici virtute ſit inſignitus.*

119. Victoria ſolùm per Dei gratiam venit obedientibus eius mandatis, & viriliter in eorum cuſtodia agentibus. Profugus erat Dauid in deſerto; & ne legem Dei violaret, in ſuum inimicum manum mittere noluit, quanuis à ſuis ad hoc maximè prouocatus, 1. *Reg.* 24. *num.* 5. Sed ſolùm ad Dei auxilium confugiebat, dicens: *Turris fortitudinis à facie inimici*, Pſalm. 60. num. 4. At verò Saul multas in eum eſt machinatus inſidias, multaſque aduersùs illum militum copias admouit. Et tamen Dauid viuus, ac victor euaſit: è contra verò Saul victus cecidit. Vnde hoc diſcrimen? Quia Saul multum de ſuis viribus confidebat, & contra Dei legem Dauidem inſectabatur: at verò Dauid diuinis mandatis obtemperans, diuinum pro ſui defenſione implorabat auxilium. D. Chryſoſtomus homil. 46. in Geneſim. *Ille*, ait, *de loco in locum erraticus vagans, nullo indigebat humano auxilio, quia manu ſuperna munitus fuit: iſte verò, cùm eſſet in mediis ciuitatibus, multos habens ſecum ſatellites, & armigeros, aſſiduè timebat, & tremebat,*

*Expoſtulanda Dei gratia ad vincendas tentationes.* Pſalm. 60. Chryſoſt.

*mebat inimicorum inſidias, quia deſtitutus erat, & diuino auxilio priuatus.*

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Chriſtus promiſerit aliquid Petro, & Andreæ; non verò hîc Iacobo, & Ioanni?*

116. CHRISTVS D. vocans Petrum, & Andream, ait illis: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*; in quo magnum eis præmium videtur promittere. Et nil tale dicitur Iacobo, & Ioanni, cùm vocantur.

117. Gregor. Abulenſ. Reſpondeo primò ad quæſtionem cum D. Gregorio *homil.* 5. *in Euangelia.* Abulenſi *quæſt.* 8. Quòd in hac vocatione nil præmij promiſſum eſt Petro, & Andreæ; & ideo poſtea dixit Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia; quid ergo erit nobis*, Matth. 19. num. 27. (Matth. 19.) Chriſtus ei reſpondit: *Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes*, &c. Si Petro in ſua vocatione eſſet præmium promiſſum, ipſe non diceret: *Quid ergo erit nobis?* Et ſi Chriſtus ſequentibus ſe iam aſſignauerat præmium, quaſi denuo non diceret: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim*, &c. Stabilitur hæc ſententia. Quia ſi Chriſtus promiſit aliquid Petro, & Andreæ in ſua vocatione, hoc continetur in illis verbis; *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum*; atqui hîc non promittitur præmium, ſed potiùs iniungitur laborioſum prædicationis, & conuerſionis animarum officium. Et hæc explicatio, atque ſententia mihi vera videtur.

*Ad Chriſti ſequelam nil promiſſum eſt Petro, & Andreæ.*

118. Abulenſ. Secundò reſpondet Abulenſis *citatus*, quòd, ſi concedamus, quòd Chriſtus Dominus aliquid promiſerit Petro, & Andreæ, illud etiam promiſſum fuit Iacobo, & Ioanni: quia valde veriſimile eſt, quòd in ipſa vocatione eis indicaret officium, ad quod aſſumebantur, quod erat ad hominum piſcationem. Euangeliſta tamen hoc ſubticuit; quia valde veriſimile, quòd diceret eis id ipſum, quod dixerat prioribus. Et comprobatur. Quia etiam forma vocationis non exprimitur in ſecundis. nam primis dixit Dominus: *Venite poſt me*; in ſecundis autem ſolùm enarrat Euangeliſta, *Vocauit eos*; modus autem vocationis non exprimitur. Et eſt intelligendum, quòd vocauit eos, ſicut præcedentes: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.*

*Eadem vocationis forma in his quatuor Apoſtolis.*

119. Euthym. Tertiò Euthymius. *Veriſimile eſt autem, audiſſe eos à Petro, & Andrea, promiſiſſe Chriſtum, quòd ſequentes ſe redderet hominum piſcatores.* Tanquam ſi innuat, quòd Chriſtus eis non promiſerit præmium, quia à Petro, & Andrea illud audierant. Sed hæc intelligentia ſupponit, quòd interuenerit aliquod tempus inter vocationem Petri, & Andreæ, ac horum Apoſtolorum, cùm, paruulam morulam interieciſſe, conſtet ex Marco; nam poſt vocationem Petri ait: *Paululum procedens Chriſtus vidit duos fratres, & vocauit eos.*

120. Chryſoſt. Quartò Chryſoſtomus in Catena D. Thomæ. *Non pollicetur eis Dominus præmium; ſicut prioribus, quia multa de ipſo audierant, ſcilicet tanquam familiares, & conſanguinitate coniuncti.* Tanquam ſi dicat Petro, & Andreæ, vt ſequerentur, præmium promitti, neceſſe fuit: Iacobo autem, & Ioanni, vt poſt Chriſtum irent, præmium proponi, non erat neceſſum; hi enim erant cognati, vt notat Abulenſis *citatus*; ac proinde propter cognationem, & affectum, ipſum ſequerentur; præcipuè cùm multa, & magnifica de ipſo iam audiſſent, & eis nota eſſent.

*Sanguine coniuncti facile ſequuntur.*

Quintò moraliter in laudem Ioannis Euangeliſtæ dicam. 121. Vt Petrus, & Andreas poſt Chriſtum venirent, opus erat, vt præmio traherentur; at Ioannes, vt Chriſtum ſequeretur, neceſſarium non erat, inuitari præmio, ſed tantùm leui ſigno ipſum vocare: ille nanque naturali in Chriſtum pondere, affectuque ferebatur amoris. Et ita Petro, vt Chriſtum ſequeretur, à Domino dicitur, *Sequere me*; vt autem Ioannes poſt eum iret, talis iuſſio non deſideratur, ſed abſque illa videt eum Petrus ſequentem *Ioan.* 21. *n.* 20. quod latiùs *ibi* dicam.

*Ioannes naturaliter in Chriſtũ propenſus.*

Sextò D. Chryſoſtomus hom. 14. 122. Chryſoſt. *Vocando autem*, ait, *nihil eis promiſit, ſicut prioribus: obedientia enim eorum, qui præuenerant, viam eis ad credendum præparauerat.* Petrus, & Andreas, vt Chriſtum ſequantur, magno alliciuntur præmio; *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum.* At Iacobo, & Ioanni nil præmij pollicetur. Cur ergo illi innitantur præmio, & non iſti? Petrus, & Andreas primi vocabantur, primique Apoſtolicam illam aggrediebantur viam. Ideo conueniens fuit, vt præmio traherentur ad Chriſtum ſequendum. At Iacobus, & Ioannes præeuntium, ſpontaneè poſt Chriſtum currentium, iam habebant exemplum; ideóque eis non proponitur præmium, ſed loco illius aliorum obiicitur imitatio, quorum veſtigiis, exemploque mouebantur ad Chriſti ſcholam, vtque ei immobiliter adhærerent.

*Aliorũ exemplum nos maximè mouet vt Chriſtum ſequamur.*

*Trahe me poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum*, Cantic. 1. num. 4. 123. Cant. 1. Meritò quæres: Quomodo ſponſa in ſingulari pro ſe poſtulat, vt ipſa trahatur poſt ſponſum; & ſtatim ſuarum ſociarum nomine ſubinfert: Curremus? *Nunquid*, vt ait D. Bernardus ſerm. 21. (Bernard.) *Sponſa indiget trahi; adoleſcentulæ non indigent? O pulchra, ô fœlix, ô beata, ediſſere nobis huius diſtinctionis rationem. Nunquid maiorem charitatem adoleſcentulæ habent, vt ipſæ non indigeant, trahi, ſed ſola ſponſa?* Et, ſi ipſa ſola trahitur, ipſa ſola currat. Quomodo ait, *Curremus?* Apud ſe tanquam certum, determinatumque habebant, quòd ſi ipſa curreret, omnes aliæ exemplo eius concitatæ etiam currerent, eiuſque veſtigia inſequerentur. D. Bernardus citatus. (Idem.) *Non curram*, ait, *ego ſola, etſi ſolam me trahi petierim: current adoleſcentulæ mecum. Curremus pariter, curremus ſimul; ego odore vnguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo, atque hortatu: ac per hoc omnes in odore vnguentorum tuorum curremus.*

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare iſti Apoſtoli vocentur reficientes retia?*

124. Chryſoſt. RESPONDET primò D. Chryſoſtomus homil. 14. *Tanta erat egeſtatis magnitudo*, ait, *vt vetera contexerent; quia emere noua nequibant.*



*quibant. Nec ſanè parua hæc ſunt documenta virtutis, facilè omnem tolerare pauperiem, de iuſtis laboribus viuere, mutua ſibi charitate connecti, ſecum habere inopem patrem, atque eius obſequio laborare.* Et idem habet *in Imperfecto homil.* 7. Idem docent Euthymius, Theophylactus, S. Thomas, Surius *in vita S. Ioannis Euangeliſtæ, menſe Decembri.* Benedictus Pereira *Prolog. in Ioann. diſput.* 2. & alij. (Euthym. Theophyl. D. Thom. Surius. Pereira.) Qui omnes referunt ad ſuam paupertatem, vtque inopem parentem adiuuarent; *& vt illum conſolarentur ſua præſentia*; vt ait idem Chryſoſtomus *proximè citatus in Imperfecto.* (Chryſoſt.) Et tunc vocantur in ipſo opere, non quando piſces vendebant, ſed quando, vt pauperes, retia reficiebant parentemque adiuuabant; quia paupertas, & pietas in parentes Deum maximè attrahit, & allicit. Hæc ſententia eſt multum probabilis.

*Pietas in parentes Deum attrahit.*

125. Abulenſ. Abulenſis tamen *quæſt.* 105. reſpondet, quòd hoc aliter dici poteſt; ac proinde, quòd reficiebant retia, non ob eximiam paupertatem. nam Zebedæus pater Iacobi, & Ioannis omnino pauper non erat, cùm mercenarios ad piſcandum in naui ſecum haberet, vt dicitur *Marc.* 1. *num.* 20. Petrus autem, & Andreas non leguntur, mercenarios ſecum habere; ac proinde pauperiores eſſe videtur. Secundò, quia non eſt neceſſe, quòd accipiatur hîc *reficere*, pro *reparare*, quod ad vetera pertinet; ſed dicitur, quòd reficiebant retia, ſicut faciunt piſcatores, quando ſe præparant ad piſcandum. Et ita habet Marcùs hîc: *Componebant retia*; ſicut & Chryſoſtomus, & alij *hîc* legunt.

*Non erat in Zebedæo extrema paupertas.*

Tertiò pro hac re aduerte, quòd erat communis obſeruatio apud Rabbinos antiquos magni nominis, de lege quadam Iudæis præſcripta, vt addiſcerent manuale officium, quo ſibi victum pararent: & ex primis, ac nobilioribus Rabbinis Ioanna ſutoriam, Iudas piſtoriam, & alij alias huiuſmodi artes exercebant, vt refert Lorinus *in Acta Apoſtolorum, cap.* 18. *verſ.* 3. §. *vel certè.* Et ita Paulus, quanuis vir valde nobilis, manibus ſuis factitabat artem liberalem, ac mechanicam, vt patet ex loco proximè citato. Nam dicebat magiſter eius Gamaliel: *Qui hoc facere prætermitterent, proniores ad peccandum futuros.* Veluti occaſionem dante ipſa otioſitate. Et ita D. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſt.* 470. (Peluſiot.) carpit Theodorum Scholaſticum, quòd *turpem diceret laborem manuum. Eſt id*, ait, *vtile, atque ad tuendam vitam conducit.* Si verò ad Gentium mores confugimus, innumera ſunt exempla, quæ congerit Tiraquellus *in ſua nobilitate.* (Tiraq.)

*Nobiles antiqui fabrilia operabantur.*

*Operibus otioſitas vitanda.*

126. Dicam, quod hac in re mihi probabilius videtur. Iacobus, & Ioannes erant genere nobiles, cùm eſſent Chriſti conſanguinei, vt docent D. Chryſoſtomus, Abulenſis *citati quæſt. ſuperiori*, & D. Thomas *Quodlibeto* 4. *art.* 15. (Chryſoſt. Abulenſ. S. Thom.) Quidquid in contrariũ dicat Benedictus Pereira *Prologom. in Ioann. diſput.* 3. de quo erit ſermo *lib.* 5. Et quanuis eſſent genere nobiles, non repugnat, quòd artem piſcatoriam exercerent, vt patet ex proximè dictis. Deinde, quanuis pauperes, in ſumma paupertate non erant, vt eſt dictum. Et eorum pater Zebedæus in Ieruſalem bonam habebat domum, vt teſtatur Nicephorus Caliſtus *lib.* 2. *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap.* 3. (Nicephor.) In qua domo fuit in cœna ſacra Euchariſtia inſtituta; in eáque Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos venit. Et hæc domus deuenit Ioanni in hæreditate paterna, qui eam vendidit. Hæc omnia citatus Nicephorus. Vendidiſſe autem, eam mihi eſt veriſimile ad eleemoſynas pauperum. Et ita reficiebant retia, hoc eſt, aliquid ruptum conſolidabant, vt accidit etiam in nouis retibus, præcipuè quando aliqua magna piſcatio contigit.

*Iacobus, & Ioannes nobiles, & Chriſti conſanguinei.*

*Domus, in qua ſacra Euchariſtia fuit inſtituta, Ioannis erat.*

127. Abulenſ. Tertiò Abulenſis *quæſt.* 106. quòd Scriptura narrat id de his Apoſtolis, ſicut de Petro, & Andrea, quòd mittebant retia; vt oſtendatur, quod non erant otioſi, quia illi, qui ad diſpenſandum verbum Dei, vel ad aliquod magnum negotium eligitur, non eſt otio indulgendum. Aſſueti enim otioſitati ad prædicationis officium aſſumi non debent, quia eſſet eis valde aſperum, laborioſas officij huius occupationes tolerare. Deinde occupatio reficiendi retia in eis notatur, vt inde declaretur, quòd erant piſcatores; ac proinde valde apti ad officium, ad quod aſſumebantur, vt ſatis eſt declaratum.

*Aſſueti laboribus ad laborioſum prædicationis opus eliguntur.*

128. Chryſoſt. Quartò D. Chryſoſtomus homil. 7. in Imperfecto. *Fortè propter Petrum illi dicti ſunt mittentes retia; iſti autem propter Ioannem componentes; quia Petrus prædicauit tantùm Euangelium, & non compoſuit; Ioannes autem prædicauit Euangelium, & ipſe compoſuit; & non ſolùm compoſuit, ſed etiam omnia Euangeliſtarum retia ipſe compoſuit: nam, cùm omnes humana Chriſti penè ſola compoſuiſſent, iſte commiſcuit eis etiam diuina ipſius, vt nullam relinqueret Spiritus ſancti ſcandali aperturam in eis, vnde piſces egrederentur.* Petrus, & Andreas erant mittentes retia; Ioannes, & Iacobus componẽtes; quod propter Ioannem eſt dictum: nam Petrus miſit prædicationis rete, non tamen Euangelium compoſuit; at Ioannes prædicauit, & compoſuit. Imò omnium aliorum Euangelia ipſe compoſuit, prout in ſuo intexuit ſublimen generationem diuinitatis Chriſti, quo maximè ſolidatur, ac firmatur tota doctrina Euangelica, ne in Chriſtiana ſagena, vlla ſcandali, vel erroris aperiatur ruptura, ſed vt tanto vndique teſtimonio conſolidata eſſet, atque munita.

*Ioannes dicitur à Chryſoſtomo omnium Euangeliſtarum retia compoſuiſſe.*

129. Palat. Quintò Palatius notat, quòd Petrus mittebat rete; Ioannes autem, & Iacobus reficiebant retia ſua. In Petro ſignificatur Romanus Pontifex, in quo reſidet auctoritas prædicandi, & ſanctam doctrinam docendi; cuius fides nunquam deficiet: & ideo non habet, quòd reficiat rete ſuum. Iacobus autem, & Ioannes vicem gerunt minorum Prælatorum, & prout ipſos repræſentant reficere dicuntur retia: quia in inferioribus Prælatis aliquando fides rumpi poteſt; ac morum doctrina impetu magnorum piſcium nonnunquam laceratur.

*Fides in Romano Pontifice nũquam deficiet.*

130. Albert. Mag. Sextò Albertus Magnus. *Retia*, ait, *per metaphoram docent artem Prædicatoris: vt illa reficiatur ſtudiis Scripturarum; & promotione litteratorum virorum.* Hugo Cardinalis. (Hugo.) *Rete*, inquit, *prædicatio, quæ debet refici contemplatione, & ſtudio.* Iacobus, & Ioannes Theologus reficiebant rete, quod prædicationem deſignat; quia prædicatio euangelica reficienda eſt, non vaniloquio, non criticis verbis, non calamiſtro, non retortis, ac prophanis hiſtoriis, non Poëtarum figmentis, non ſalſis, ac iocoſis ludibriis, ſed ex oratione, ac cõtemplatione, meditatione ſacrarum Scripturarum, ſtudio ſanctorũ Patrum, ac illorũ ſententiis, quæ lachrymas, ac compunctionem excitare valeant:

*Prædicator reficiat prædicationem, non vanis hiſtoriis, ſed ſẽtentiis Scripturarum, ac oratione.*

leant:quando enim aliquid diſſutum,aut ſciſſum parte aliqua reſarcitur, non ex abſimili panno, vel tela aſſumitur.Prædicatio, quæ Scripturæ ſacræ documentis, ſanctorumque Patrum meditationibus debet eſſe intexta, non eſt vanis fabellis, prophaniſque hiſtoriis reficienda.

131. Dauid valde obnixè à Deo gratiam poſtulat: *Vt non loquatur os meum opera hominum*, Pſal.16. n.4. Sed cur tantus Propheta huiuſmodi locutiones tantum timet, vt ne verbum de operibus hominum in ore ſuo velit habere? Erat Regius Vates totus deditus contemplationi operum Dei ac meditationi ſacræ Scripturæ;& magnum piaculum reputabat, ſi inter tam profunda myſteria humana colloquia commiſceret. D. Ambroſius ſerm.22. in Pſalm.118. *Non enim*, ait, *mediocre periculum eſt, cùm habeas tanta eloquia Dei, & Dei opera,quæ fecit in Geneſi, fecit in Exodo, fecit in Leuitico, Numeris, Deuteronomio, Ieſu Naue, Iudicum libro,Regum,atque Eſdræ libris;quæ fecit in Euangelio, in Actibus Apoſtolorum; ſi illis prætermiſſis,loquaris,quæ ſæculi ſunt.*

Pſalm.16. *Prophana verba in concione ne dicas.* Ambroſ.

*Matth.4.n.22.* Illi autem ſtatim relictis retibus,& patre, ſecuti ſunt eum.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Illi autem ſtatim reliquerunt nauiculam, & patrem ſuum.

*Pagninus.* Illi autem protinus, cùm reliquiſſent nauim, & patrem ſuum.

*Græcus.* Relicta nauicula, & patre ſuo, poſt eum abierunt.

ALTER TEXTVS.

*Marc.1.n.20.* Et relicto patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenariis,ſecuti ſunt eum.

## *EXPOSITIO.*

132. DESCRIBIT Euangeliſta, qualiter ſe habuere filij Zebedæi ad Chriſti vocationem. In quibus notanda eſt obedientia velox, expedita, ſpiritualis,& perfecta. Obedientia velox;quia *ſtatim*. Eccleſiaſtici 5. numero 8. *Non tardes conuerti ad Dominum; ne differas de die in diem.* Obedientia expedita; quia, *relictis retibus*. Græcè, & Syriacè: *Reliquerunt nauiculam.* Per retia, vel nauiculam intelligitur, quòd reliquerint omnia ſua, & quæ artis piſcatoriæ erant. Spiritualis; quia relicto carnali patre. Marcus verò addidit, *& relictis mercenariis*; nempe piſcatoribus, ad opitulandum mercede conductis. *Secuti ſunt eum.* Ecce perfecta obedientia, Chriſtum ſequi, eique indiuidualiter adhærere. Et vt ait Albertus Magnus, tanquam alter Amaſias Dauidi, ſic locuti ſunt Apoſtoli Chriſto 1. Paralip. 12. numero 18. *Tui ſumus, ô Dauid,& tecum, fili Iſai:* *pax,pax tibi, & pax adiutoribus tuis, te enim adiuuat Deus.*

Eccli.5. Albert.Mag. 1.Par.12.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare relicto patre Iacobus, & Ioannes ſequantur Chriſtum.*

133. RATIO difficultatis eſt;quia Exod.20.n.12. præcipit Dominus: *Honora patrem tuum,& matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Ergo, cùm Zebedæus eſſet ſenex in ætate iam prouecta,videbatur, quòd à filiis derelinquendus non erat, cùm eorum ope ad vitæ miniſterium indigeret. Ad quæſtionem.

Exod.20.

134. Prima, & germana ſolutio. Adeò fuit efficax Chriſti vocatio cum ſuæ diuinæ gratiæ auxiliis, quibus moti ſunt;atque attracti, vt relictis omnibus,parente,naui, ac retibus Chriſtum ſequerentur; Chriſti enim vox cœleſte quoddam habebat incantamentum Spiritu ſancto cooperante vt explicaui *ſuperiori quæſt.* 12. Vnde ait Euthymius, *Horum fidem intuere, qua patrem etiam deſpexerunt. Neceſſe eſt, parentibus quoque præponere Chriſtum.*

*Efficax Dei vox.* Euthym.

135. Ad argumentum factum in principio reſpondeo, quòd parentes non ſunt relinquendi,ſi non habent,vnde aliměta poſſint comparare. Iſte autem Zebedæus,licèt diues non fuerit,tamen, ſecundùm ſuum ſtatum,ſolatia habuit, vnde viuere poſſit,vt notant *hìc* Albertus Magnus,D.Thomas;nam habebat domum in Ieruſalem, vt dixi *ſuprà* ex Nicephoro; deinde habebat nauim, & mercenarios, vt patet ex præſenti textu. Et cùm pater habet alimenta,licitum eſt filio, ipſum relinquere,& Religioně ingredi:vt docent D.Thomas. *Quodlib.3. art.16.* Sylueſter *verb. Religio 2. num.7.* Nauar.*in ſumma cap.14.num.14.* Azor. *lib.12.inſtitut.cap.1.quæſ.8.* Rodrig. *tom.3.q.13. art.5.* Sanchez *in ſumma lib.4.cap.20.num.3.* Et in his,quæ ſunt perfectionis ſtatus,filius non eſt ſubditus ſuis parentibus, vt docent Clauis Regia *lib.7.cap.6.num.9.* Molfeſius *in ſumma de peccatis, tract.1.cap.18.num.94.* Bonacin.*in Decalog.diſput.6.quæſt.vnic.punct.4.num.2.§.tertiò filium.*

Albert.Mag. D.Thom. Sylueſt. Nauar. Azor. Rodrig. Sanch Clauis Reg. Molfeſius. Bonacina.

136. Venio iam ad rationes morales quæſtionis. Secundò D.Chryſoſtomus homil.7.in Imperfecto.*Vide*,ait, *quia Petrus quidem, & Andreas dicuntur reliquiſſe retia:Iacobus autem, & Ioannes patrem, & nauim. Tria ſunt enim generaliter, quæ relinquere debet omnis, qui venit ad Chriſtum: actus carnales, ſubſtantiam mundialem, parentes carnales. Per retia enim piſcationis actus carnales relinquendi ſignificantur: per nauim autem, ſubſtantia; per patrem verò, omnes parentes.* Ferè ſimiliter D.Thomas. Notandum, ait, quòd duo ſuperiores nauem tantùm;iſti autem reliquerunt retia;nauem, & patrem, vt patet ex textu adiuncto Græco,vel Syriaco.In quo ſignificatur, quòd propter Chriſtum debemus omittere terrenas omnes occupationes, per rete ſignificatas 2.Timoth. 2.num.4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Relinquendæ ſunt diuitiæ, vel.poſſeſſiones,per nauim deſignatæ.Matth.19. num.21. *Si vis perfectus eſſe,vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Affectus carnalis relin

Chryſoſt. *Qui venit ad Chriſtũ, ſubſtantiã mundi, carnaleſque relinquat affectus.* D.Thom. 2.Timoth.2. Matth.19.



relinquendus, qui per patrem demonſtratur. Pſalm.44.num.11. *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Ferè ſimiliter Gloſſa interlinealis.

Pſalm.44.

137. Et quia Ioannes omnes carnales relinquit affectus, ideo eius tutelæ creditur puriſſima Virgo. Chriſtus in cruce pendens matri ſuæ dixit: *Mulier: Ecce filius tuus. Deinde diſcipulo: Ecce mater tua*,Ioan.19.num.26. Sed vnde Ioannes tantum meruit, vt ſacratiſſimam Virginem in matrem ſuam acciperet? In ipſo maximè apparet,ac cernitur carnis,& ſanguinis renuntiatio.Nam in Euangelio de nullis aliis expreſsè legitur, & habetur, quòd cum ſuis temporalibus bonis ſimul patrem reliquiſſent, niſi de filiis Zebedæi,vt narrat noſter textus. Et ſacratiſſimi virginei theſauri ille digniſſimè cuſtos exiſtebat, qui alienus erat ab omni carnis, & ſanguinis affectu, nihilque de ſuis nouerat, qui totus ad Dei cognitionem erat intentus. Eleganter D. Ambroſius in exhortatione ad virginitatem. *Ideo*, ait, *illam*, ſcilicet Virginem Mariam, *Dominus de cruce diſcipulo ſuo, dilectiſſimo ſibi; tradidit ſancto Ioanni, qui dixit patri, & matri ſuæ: Non noui vos. Denique vocatus à Chriſto reliquit patrem, Verbum ſecutus. Huic traditur Virgo, qui ſuos neſciat; huic traditur Virgo, qui ſuos non cognouit.* Ex his etiam conſidera, quantum recipit homo pro illis, quæ pro Deo dimittit. Petrus nauim reliquit, cuius loco gubernacula totius Eccleſiæ ſuſcepit; Ioannes patrem,pro quo ſanctiſſimam Virginem Mariam in matrem accepit, quæ,vt ei eſſet mater,data eſt.

Ioan.19. *Virginitas aliena ab affectu carnis, & ſanguinis.* Ambroſ. *Multum accipit homo pro his, quæ propter Deũ relinquit.*

138. Tertiò Theophylactus ait: *Apparet, Zebedæum non credidiſſe, & propterea reliquerunt eum. Vides, quando oportet relinquere patrem? Nempe quando obſtat virtuti, & pietati.* Vna ex rationibus, ob quam tam promptè, expeditéque patrem ſuum reliquerunt, extitit, vt ait citatus Doctor, quia pater in infidelitate permanſit, neque credidit: & pater ac conſanguineus infidelis omnino fugiendus eſt,ac declinandus,ne tanquam peſtis alios inficere,ac necare valeat.

Theophyl. *Pater, ac cõſanguineus infidelis relinquendus.*

139. Dixit Dominus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, Geneſ.12. num.1. Hæc, vt volunt Rabbini, ac etiam D. Auguſtinus, dicta ſunt Abrahamo, antequam eius pater mortuus eſſet. Sed cur iubetur exire de terra illa, & de domo patris ſui? Ad hoc reſpondent D. Cyrillus Alexandrinus *lib.3. contra Iudæos*, & D. Chryſologus citatus à Tilm. *in allegoriis.* quia ibi maximè vigebat infidelitas, & idololatria. Sed inde mihi oritur difficultas:nam ad quamlibet terram Abrahamus ſe conferret, ibi etiam infidelitatis obcæcatio dominabatur, huiuſmodi enim caligine omnis terra repleta erat. Verum eſt, quòd venenoſa peſtis hæc vbique ſerpebat; in ea verò terra, in qua commorabatur Abraham, erant pater Thare, & frater Nachor, ac conſanguinei idololatræ, & infideles: & maximè periculoſum erat, quòd ibi detineretur,& cum eis conuerſaretur; & ideo ab eo loco abire, recedereque iubetur. Abulenſis *ibi quæſt.1.* ex ſententia Rabbinorum. *Thare pater Abrahæ in Aaran ad idololatriam declinauerat cum Nachor filio ſuo: & ideo Deus apparuit Abrahæ, dicens, quòd egrederetur de terra illa.* Vnde ait ad eundem Geneſeos locum Thomas Anglicus. *A propinquis, & domeſticis diuino cultui, & amori contrariis faciliùs homo impeditur, & retrahitur à bono, trahiturque ad malum, quàm ab ignotis,& extraneis.*

Gen.12. Rabbini. Auguſt. Cyrill.Alex. Chryſolog. Tilm. *Valde periculoſum cum infideli conſanguineo verſari.* Abulenſ. Thomas Anglicus.

140. Dei mandato maximè edoctus eſt Abrahamus, vt cognoſceret, quàm nociua ſit, atque mortifera conſanguineorum infidelium ſocietas. Antequam ipſe è viuis diſcederet, cùm multos filios haberet, Geneſ. 25. num. 6. *Filiis concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret ad plagam orientalem.* Nil fortius fraterna concordia; nil iucundius, quàm *fratres habitare in vnum*, Pſalm.132. num.1. Cur ergo bone ſenex,filios tuos inter ſe mutuò ſeparas? Nónne melius erat, vt ſimul in eadem habitarent ciuitate, vt ſe ad inuicem poſſent adiuuare?cur igitur eos diuidis? Præſciebat, concubinarum filios futuros eſſe idololatras; ne ergo eorum ſocietate coinquinarentur filij Iſaac, in quibus,per reuelationem diuinam certus erat, cultum veri Dei eſſe permanſurum, ideo eos inter ſe diuidit. Nam quanuis filij Iſaac cùm Gentibus inanium Deorum adorationi deditis habitarent, non tamen ita ab his fœdo cultu coinquinari valebant, vt ab illis, qui ſanguine erant coniuncti. Abulenſis. *Abraham, ait, Deo reuelante cognouit, quòd cultus Dei ſolis ſucceſſoribus ſuis per Iſaac manſurus erat, ideo diuiſit eos ab Iſaac, ne poſteritas illorum poſteritatem Iſaac à Dei latria diſturbaret.*

Gen.25. Pſalm.132. *Conſanguinei infideles fugiendi.* Abulenſ.

## QVÆSTIO XIX.

### *An Apoſtoli ita reliquerint nauim, & retia, vt poſtea de eis non diſpoſuerint?*

141. RATIO difficultatis eſt. Quia videtur valde irrationale,quòd relinquerent ea, quæ poſſidebant, in littore, vt perirent. Deinde, quia iſti poterant obedire vocationi Chriſti; & poſtea de ſuis bonis diſponere;vt faciunt illi, qui Religionem ingrediuntur. Hanc quæſtionem ſatis latè explicat Abulenſis. *q.111.*

*Ratio difficultatis.* Abulenſ.

142. In hac quæſtione breuiter dico, quòd vbi primum à Domino ſunt vocati,ſtatim ſunt ſine vlla cunctatione, relictis omnibus, ipſum ſecuti. Ita expreſsè ait textus de Petro,& Andrea,Iacobo,& Ioanne. Ita loquuntur ſancti Patres,Chryſoſtomus homil. 14. *Nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt. Non dixerunt: Reuertamur domum, loquamur propinquis: ſed cuncta illico relinquentes.* D. Gregorius homil. 5. in Euangelia. *Ad vnum Domini præceptum, hoc, quod poſſidere videbantur, obliti ſunt.* D. Bernardus, *continuò, nihil diiudicantes, aut hæſitantes, ſine mora,relictis retibus, & naui ſecuti ſunt eum.* Similiter D. Baſilius Seleucus *Orat.*30. Beda, D. Thomas,Albertus Magnus,Caſſianus,& alij.

Chryſoſt. Gregor. Bernard. Baſil. Beda. S.Thom. Albert.Mag. Caſſian.

143. Et probatur: quia Chriſtus Dominus dixit cuidam: *Sequere me*; & ille reſpondit: *Domine, permitte, me primum ire, & ſpelire patrem meum. Dixit autem ei Ieſus: Sine, mortuos ſepelire mortuos ſuos*,Luc.9.num.59.& 60. Ergo,ſi non licuit immorari propter officium valde pium parenti præſtandum; nec etiam licuit propter rerum temporalium diſpoſitionem. Imò quidam dixit Chriſto: *Sequar te, Domine. Sed permitte mihi*

Luc.9. *Si Chriſtus vocat, relinquenda omnia.*



*primum,*

*primum, renuntiare his, quæ domi ſunt.* Ait ad illum Ieſus: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, Luc.9. num. 62. Ergo vocato non licuit, domum redire ad bonorum diſpoſitionem.

Luc.9.

144. Secundò dico. Iacobus, & Ioannes ſecuti ſunt Dominum abſque eo, quòd domum redirent. Nam Marcus ait 1.num. 20. *Relicta naui, & patre cum mercenariis ſecuti ſunt eum.* Ergo non diſpoſuerunt de illis; præcipuè cùm ibi adeſſent pater Zebedæus, & mercenarij, quæ de illis haberent curam.

Marc.1.

145. Tertiò dico. Petrus, & Andreas, vocante Domino, ſtatim ſecuti ſunt eum, de omnibuſque obliti fuere. Adeò magna, & efficax eſt Dei vocatio, vt omnium temporalium obliuionem præſtet. Abulenſis *citat. quæſt.* 111. vult, quòd ita illa dimiſerint, vt ampliùs de eis non diſpoſuerint. Franciſcus Lucas *in cap.4. Matt.n.*20. inquit, quòd retia ita reliquerunt, vt mox fierent hominum præda eorum, qui illa eſſent inuenturi: nauis autem non ita mox aufertur, quin paulò pòſt definire potuerint, cui vellent illam datam. Et fortè tam retia, quàm nauis fuerunt cuſtodita ab aliquo, vel Zebedæo, qui ibi propè erat; & poſtea obiter incedendo potuerunt illam dare alicui conſanguineo, vel pauperi petenti, ſicut infrà *Matt.8.n.*14. dicitur, quòd Chriſtus venit in domum Simonis, vbi ſocrus eius iacebat infirma. Ipſe Petrus iam reliquerat omnia; & tamen domus dicitur illius, in qua eius ſocrus infirmabatur, quia, vt ibi docent Expoſitores cum Maldonato, Petrus ſocrui pauperi ſua reliquit. Et ita patet ſolutio ad rationes dubitandi in principio poſitas.

Abulenſ. Franc.Lucas.

# CAP. IX.

## *Ieſus prædicans in Galilæa.*

*Matth.4.n.*18. Et circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni Dei: & ſanans omnem languorem; & omnem infirmitatem in populo.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et perluſtrabat Ieſchua vniuerſam Galilæa: docebatque in Synagogis eorum, & prædicabat Euangelium regni: atque ſanabat omnem dolorem, omnemque languorem in populo.

*Vatablus.* Et obibat totam Galilæam Ieſus, *&c.* Curanſque omnem morbum, omnemque languorem in populo.

*Græcus apud Cornelium à Lapide.* Sanans omnem morbum iam habituatum, & omnem mollitiem, & languorem.

### ALTER TEXTVS.

*Marci 1. n.*14. Venit Ieſus in Galilæam prædicans Euangelium regni Dei.

### *EXPOSITIO.*

1. Chryſoſt. DIVVS Chryſoſtomus homil. 8. in Imperfecto. *Omnis Rex*, ait, *pugnaturus contra aduerſarium, prius congregat exercitum, & ſic vadit ad pugnam; ſic & Dominus contra Diabolum pugnaturus, priùs congregauit Apoſtolos; & ſic cœpit Euangelium prædicare.* Poſtquam Dominus præclariſſimos vocauit Apoſtolos, ad debellandū aduerſarium procedit, & beneficentiæ ſuæ in populos largitur magnitudinem. In quo tria exercet: Primò, *Circuibat Ieſus totam Galilæam*, non in vno loco commoratur, & detinetur; ſed vt verus Dominus, & Rex, omnem, circuit, & luſtrat. Secundò. *Docens in Synagogis eorum*; hoc eſt, in cœtu, & frequentia populi eorum docebat, vt ait Caietanus, inſtituendo ea, quæ morum, quæ legis, quæ Religionis, quæ iuſtitiæ ſunt. *Et prædicans Euangelium regni*, vt habet Marcus, *Euangelium regni Dei. Euangelium* idem eſt, ac bonum nuntium, vt dixi *lib. 1. in præfatione ante opus.* Publicabat ergo Chriſtus Dominus feliciſſimum, fauſtumque nuntium inſtantis cælorum regni. Tertiò cum ipſa doctrina, ac prædicatione Chriſtus ſuæ virtutis opera coniungebat; dans Prædicatoribus exemplum, quòd ſint maximè ſoliciti, vt honeſtatis opera, verba, ac doctrinæ ſuæ documenta ſequantur. *Sanans omnem languorem*; vt verus Meſſias, ſicut prædictum erat ab Iſaia 61. *n.*1. *Luc.*4. *num.*18. Omnem infirmitatem ſanat, ſeu, vt hîc legitur ex radice Græca, morbum, qui, vt ait Euthymius, *eſt diutina peruerſio habitudinis corporis*; omnes enim morbos, etiam inſanabiles Chriſtus curabat. *Et omnem infirmitatem.* Vt ex radice Græca colligitur, & notant ipſe Euthymius, Caietanus, Franciſcus Lucas, & laſſitudo, ſeu mollities corporis, morbi prænuntia, qua multi tabeſcunt, & languent etſi non decumbant. *In populo*; quicunque è populo laborans, ipſe oblatus ſanitatem obtinebat, ac recipiebat.

Caietan. Marcus. *Verba operibus coniuncta.* Euthym. Caietan. Franc. Luc.

### QVÆSTIO I.

#### *Quare Ieſus prædicando totam Galilæam circuibat?*

2. Abulenſ. RESPONDEO primò ad litteram cum Abulenſi *quæſt.* 114. quòd in hoc oſtenditur ſedulitas, diligentia, & ſtudium Chriſti erga ſalutem generis humani. Chriſtus venit in mundum ad annuntiandam veritatem verbi



Dei, vt ipſe dicit Pilato Ioann.18.num.37. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Cùm autem iſta veritas omnibus eſſet neceſſaria, ideo Chriſtus voluit, omnibus, quibus moraliter poterat, prædicare: & propter hoc quando in aliqua ciuitate rogabatur diutiùs manere, nolebat, ſed dicebat Luc. 4. num.43. *Aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum.*

Ioan.18. Luc.4.

3. Chryſoſt. Secundò D.Chryſoſtomus homil. 8. in Imperfecto. *Circuibat*, ait, *totam Galilæam, ſicut ſtudioſus medicus circuibat grauiter ægrotantes, ſingulis quibuſque paſſionibus adhibens congruas medicinas: quia debiles illi ad medicum venire non poterant.* Infirmi ſuis morbis detenti, ad Dominum venire non poterant; ipſe verò cæleſtis medicus ſe humilians, ad eorum imbecillitatem condeſcendens, ipſos quærebat, vt medelam daret. Tertiò proximè citatus Abulenſis. Quia Chriſtus Dominus in principio ſuæ prædicationis erat incognitus; & propter hoc ad eum audiendum pauci veniebant. Vt ergo in breui omnibus eſſet cognitus per miracula, quæ operabatur, totam Galilæam circuibat, vt ita ad eum audiendum venirent omnes, omneſque ita ad cælorum regnum lucrifaceret.

*Chriſtus nos quærit.* Abulenſ.

4. Paſchaſ. Quartò D.Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Ex quo*, ait, *liquidò perdocet, quàm ſedulum oporteat doctorem eſſe in docendo: quia omnino pigritia Prædicatoribus non expedit; ſed vt circumeant, non partem; ſed totam, cui præeſſe cernuntur, plebem. Neque præoccupentur negotiis ſæculi, ſed doceant præſentium mandatorum doctrinam.* Similiter D.Remigius. *In hoc*, ait, *doctorum vita inſtruitur, vt non ſint pigri, docentur per hoc, quod dicitur: Circuibat Ieſus.* Pigritia maximè eſt deteſtanda à Prædicatore, atque doctore, cùm ex munere ſuo habeat, omnes inſtruere, atque docere. Et propter hanc, quam debent habere, ſedulitatem dicuntur Prædicatores, vt notat Albertus Magnus *hîc*, miſſi. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur*, Roman. 10. num. 15. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum*, Prouerb. 6. num. 3.

Remig. *Doctor pigritiam non habeat, ſed docendo omnia ambulet loca.* Albert. Mag. Rom.10. Prouerb. 6.

5. D.Thom. Quintò D. Thomas. *Quia non erat acceptor perſonarum, terrarum, vel villarum, ſed circuibat totam Galilæam abſque differentia.* Marc. 1. n. 38. *Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt ibi prædicem.* Diſcurrebat Dominus per omnem ciuitatem, ne videretur acceptor perſonarum, vel locorum. Chriſtus erat è ciuitate Nazareth: ſi autem ſolùm ibi prædicaret, quæ erat ciuitas, & patria ſua, videretur fauorabilior illis gentibus, quàm cæteris; & ideo vt communis omnium Magiſter, diſcurrebat per omnem locum prædicans, & docens.

Marc.1. *Doctor non ſit acceptor perſonarum.*

6. *Parua loca maximè indigent doctrina.* Sextò. Circuibat Ieſus totam Galilæam. Perambulabat Dominus per oppidula, & vicos: quia in his locis paruis, & exiguis maior eſt neceſſitas cæleſtis doctrinæ, quàm in magnis locis, & ciuitatibus, vbi ſunt multi, magnique doctores, atque Magiſtri: qui valde frequenter docent, & erudiunt populum. Septimò. Si crudelis, & impius Diabolus circuit quærens, quem deuoret, 1.*Petr.*5.*num.*8. multo magis pius, & miſericors Dominus circuit, & perambulat terram, vt hîc medeatur; Palatius, quærens, quem ſaluet, & viuificet.

Palatius.

7. *Bonus Prælatus viſitet ſuam prouinciam.* Octauò. Circuibat Ieſus totam Galilæam, tanquam bonus, & optimus Prælatus, qui propriis oculis videt, & luſtrat totam ſuam prouinciam, ſanans omnem languorem, & infirmitatem animi, & morum in ſuis ſubditis. Samuel *ibat per ſingulos annos, circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & iudicabat Iſraëlem in ſuperdictis locis*, 1.Reg.7.num. 16. Quo exemplo maximè informantur Prælati, vt per ſemetipſos viſitent ſuos, ac eorum cauſas videant, atque cognoſcāt. Carthuſianus ibi ſedulitatem Samuelis laudat. *Sic omnino*, ait, *veri Epiſcopi, Archidiaconi, Abbates, & cæteri viſitatores, omni tempore opportuno, in iure determinato debent ſubditos ſuos cœnobia, collegia, parochias charitatiuè, & ſtrenuè viſitare, vitia extirpare, collapſa, & deformata totis viribus reformare; bonos confirmare in bonis, & prouocare ad meliora.* Et nota, quòd viſitat Samuel Bethel, id eſt, domum panis; Galgala, id eſt, rotam Maſphath, id eſt, ſpeculam. Quia Prælatus viſitet domum panis, id eſt, Sacrarium, ac Sanctuarium, in quo cæleſtis panis reconditur, & viſitet etiam volubilem rotam rerum ciuitatis, ac diœceſis; & ſit in Maſphath, hoc eſt, maneat in perpetua ſpecula, & vigilia ad ſuos cuſtodiendos in bonis. Vide *cap.2.num.*11.

1.Reg.7. Carthuſ. *Optima viſitandi forma.*

### QVÆSTIO II.

#### *Quare Chriſtus ambulabat per diuerſa loca prædicando, cùm tamen Baptiſta hoc non feciſſet?*

8. EX *cap.3.Matth. & 1.Marci. & 3.Lucæ* conſtat, quòd Ioannes baptizauerit ad ripas Iordanis; nam quanuis *Ioann. 3. num.*23. dicatur; quòd Ioannes erat baptizans in Ænon iuxta Salem; locus non eſt multum diuerſus, neque diſtans, quia, vt notat Diuus Hieronymus *de locis Hebraicis*, ciuitas, ſeu locus Salem iuxta Ieruſalem erat. Quærimus ergo, cur Ieſus prædicans circuit totam Galilæam, & diuerſa loca; & tamen Ioannes commorabatur apud ipſum Iordanem prædicans?

Hieron.

9. Abulenſ. Reſpondet primò Abulenſis *quæſt.* 115. quòd non fuit conueniens Ioanni diſcurrere per varia loca: ſicut fuit conueniens Chriſto: nam diſcurrere per varia loca, repugnabat intentioni Ioannis, ſiquidem ipſe ad hoc miſſus eſt, vt baptizaret in aqua, & ipſum Chriſtum baptizaret, & ab illo baptizaretur, *Matth. 3.num.* 13. & in ipſo baptiſmo Chriſtum Dominum verum eſſe Meſſiam vniuerſo populo digito oſtenderet. Ioan. 1. num. 30. *Ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſraël, propterea ego veni in aqua baptizans.* Et ita factum eſt circunſtante populo, vt ſemel, & iterum Chriſtum Dominum digito oſtenderet, dicens? *Ecce Agnus Dei*, Ioan. 1. num. 29. & 36. Ad iſtam autem oſtenſionem faciendam, oportebat, quòd totus Iudæorum populus, vel eorum magna pars eſſet præſens; ſi autem Ioannes diſcurreret per multa loca, non confluerent ad eum multi populi, ſcientes, quòd Ioannes ad ipſos veniret, & certum eſt; quòd multi magis populi ad ipſum, dum ille permanens in vno loco baptizabat, conuenirent; & ita multo magis publica, & manifeſta facta eſt Chriſti oſtenſio, & deſignatio in tali loco.

Ioan.1. Ioan.1. *Teſtimonium Ioannis de Chriſto valde publicum.*

Secundò

10. Abulenſ. Secundò. Reſpondet idem Abulenſis. Quia ſi Ioannes deberet diſcurrere, hoc maximè eſſet, vt ipſe famam acquireret, & poſtea ad eum omnes confluerent: atqui Ioannes magnam famam, & opinionem habebat apud Iudæos, tum propter ſigna, quæ facta ſunt in eius natiuitate, *Luc.* 1. *num.* 65. tum quia Ioannes magnæ opinionis erat, propter vitam valde auſteram, qualem nullus vnquam ante ipſum habuerat; & propter hoc erat valde notiſſimus apud Iudæos; & non erat ei neceſſarium, diſcurrere per multa loca. Secus autem fuit in Chriſto, quia ipſe nolebat facere aliquam oſtenſionem, propter quam oporteret, totum populum coniunctum eſſe, vt in breui morula eſſet omnibus notus; nec voluit habere tam auſterum modum viuendi, vt Ioannes: & ideo ei erat conueniens diſcurrere per loca diuerſa, vt ſic faciliùs, & magis in breui cognitus eſſet; & ſermo eius perueniret ad omnes. Et ita, cùm Matthæus hîc dicat, quòd Chriſtus diſcurrebat per totam Galilæam, ait ſequenti verſu. *Abijt opinio eius in totam Syriam.* Hæc tamen ratio Abulenſis non eſt multum efficax. Quia efficacior erat ad trahendum puritas, & ſanctitas Chriſti ac miracula, quæ operabatur, quàm prodigia, quæ facta ſunt in Ioannis natiuitate, ac vehemens eius auctoritas.

11. Franc. Lucas. Tertiò. Franciſcus Lucas. Non in vno, aut altero loco hæret Chriſtus, vti Ioannes Baptiſta, expectans, vt fama nominis ipſius excitati conueniant eò, quotquot ſalutis ſunt auidi, ſed ipſe ægros pius medicus adit, & qui venerat quærere, & ſaluum facere, quod perierat, circuit, Ioannes in vno loco permanet; at cæleſtis medicus, qui de cælo venit, vt hominem quæreret, totam deambulat Galilæam, vt hominem perditum ad cælum reuocet.

*Chriſtus nos quærit.*

12. Quartò. Baptiſta venit, *vt teſtimonium perhiberet de Chriſto, vt omnes crederent per illum.* Ioan. 1. num. 7. *Et vt pararet Domino plebem perfectam.* atqui populi, & turbæ erant deuoti, & bene affecti Chriſto Domino, & ipſum ſequebantur; Principes autem Phariſæorum, & Iudæorum maximè aduerſabantur, & contrariabantur Chriſto Domino, itaut ipſi dicerent Ioan. 7. num. 48. *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem.* Ergo maximè conueniens erat, vt Ioannes non circuiret per varia loca, ſed aſſiſteret, & prædicaret prope Ieruſalem, vbi erant principes Iudæorum, & Phariſæorum, vt efficacia ſuæ prædicationis eorum audaciam, & proteruiam contunderet, & confringeret. At Chriſtus, vt pius medicus, & Dominus, circuibat oppidula, quærens turbas, & populos, quos lucrifaceret, & ſaluaret.

*Vbi ſunt veritati contradicentes, ibi prædicandum.* Ioan. 7.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Ieſus prædicet in Synagogis?*

13. *Quid ſignificet Synagoga.* VOx Synagoga, vt ex radice Græca ſonat, idem eſt, ac cogere, ſeu congregare. Et dupliciter ſumitur. Vno modo pro cœtu, ſeu collectione filiorum Iſraël; & ideo vbi in noſtra vulgata eſt, *cœtus filiorum Iſraël*; à Septuaginta Interpretibus ponitur, *Synagoga*, Exod. 12. num. 3. & 19. 49. & Num. 16. num. 2. Altero verò modo, quo Iſraëlitæ conueniebant ad doctrinam, & prædicationes. Et ita Synagoga diſtinguebatur à templo, in quo tantùm licebat ſacrificare; & ex Dei mandato vnicum erat, *Deuteron.* 12. *num.* 13. & 14. & in Ieroſolymis conſtructum extabat: Synagogæ verò Chriſti tempore, & in Ieroſolymis, & valde frequenter per ſingulas ciuitates, & vicos multæ erant.

Exod. 12. Num. 16.

14. Ad quæſtionem ergo primò reſpondent D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, Carthuſianus, Caietanus, & alij, quòd Chriſtus non docebat in angulis, non in occulto, ne ſua doctrina eſſet expoſita calumniæ. Nam qui malum agit, odit lucem, & vult quòd non manifeſtentur opera ſua; & quòd ſua doctrina ſit in abſcondito. Cùm autem Chriſti doctrina eſſet veriſſima, & omni ſanctitate repleta, ideo Chriſtus Dominus Synagogas, hoc eſt loca publica, quærebat, vbi communiter doctores docebant, ad cæleſtem rorem ſuæ doctrinæ diffundendum. Et ita dixit Chriſtus Dominus Ioan. 18. num. 20. *Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil.*

Chryſoſt. Euthym. Theoph. Albert. Mag. Carthuſ. Caietan. Ioan. 18.

15. Remig. Secundò D. Remigius. *Docentur Prædicatores,* ait, *non eſſe acceptores perſonarum, eo quòd diſcurrebat, & circuibat totam Galilæam.* Valde decens fuit, vt Chriſti prædicatio fieret in Synagogis, & locis publicis, vt ita fieret manifeſtum, quòd Chriſtus Dominus veritatem ſuæ doctrinæ volebat omnibus communicare, & non per fauorem quibuſdam in occulto. Tertiò Euthymius, *In Synagogis,* ait, *eorum docebat partim quidem, vt plures traheret, partim verò, ne quis dicere poſſet, quod rudes clanculo docens deciperet, palàm non auſus docere.* In locis publicis, & patentibus docet Dominus, vt ita omnes lucrifaceret. Deinde ne quis ſuſpicaretur, quod ipſe angulos quærebat, ad rudes decipiendos, vt dixi in prima ratione.

*Vera doctrina omnibus communicanda.* Euthym. *Veritas quantum fieri poteſt iuſtificanda.*

16. Theophyl. Quartò Theophylactus, *Vt monſtraret,* inquit, *quòd non ſit contrarius legi, ingreditur in Synagogas Hebræorum.* Quamuis forum, & plateæ eſſent loca publica, non hæc elegit Dominus, ſed Synagogas, vbi de lege, ac eius intelligentia agebatur, vt per hoc eſſet omnibus notum, quòd Chriſti doctrina non erat contraria legi. Quintò Abulenſis *quæſt.* 116. quòd Chriſtus ad concionandum eligebat Synagogas, loca publica, & manifeſta doctorum: quia Chriſti doctrina erat noua; nam non prædicabat id, quod erat in lege Moyſis, ſed alia multum differentia, vt patet in ſermone Domini de Monte. Vnde Iudæi mirabantur, dicentes: *Quænam doctrina hæc noua?* Marc. 1. num. 27. In nouitatibus autem maior eſt cauſa ſuſpicandi, quàm in veteribus, & iam probatis; & ideo Chriſtus Dominus, tam alta conſideratione intendebat, vt in doctrina ſua nulla eſſet occaſio calumniæ.

*Chriſti doctrina non erat contraria legi.* Abulenſ. Marc. 1. *In nouitatibus maior ſuſpicionis cauſa.*

17. Carthuſ. Sextò Carthuſianus. *Iudæorum ſingulæ vrbes habebant Synagogam, in quam conueniebant horis ſtatutis ad laudandum Deum, ad legendum in lege, & Prophetis, ad docendum, orandum, ac ad audiendum ſalubria.* Synagogæ erant loca vſitata, & communia ad concionandum; in his etiam vult Dominus prædicare. Conſueta, & vſitata retinenda, & ab eis minimè declinandum,

*Conſuetudines antiqua obſeruanda.*

Ex



18. Ex mandato Ioſepi ſcyphus quidam eius pretioſus reconditus eſt in ſacco Beniamin. Egredientibus filiis Iacob ex vrbe dixerunt ſerui Ioſeph, comprehendentes eos: *Quare reddidiſtis malum pro bono? Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet,* Geneſ. 44. num. 5. Auguria ſunt illicita, & prohibita, fiunt enim pacto Dæmonis; & apud Ægyptios, & Aſſyrios fiebant per ſcyphum, ſortes, vel aues, vt bene notant *ibi* Benedictus Pereira, & Ioannes de la Haye, in ſuo doctiſſimo libro dicto, *Arbor vitæ.* Nunquid ſanctus Ioſeph talia auguria faciebat? minimè, ſed potiùs ab illis erat maximè alienus. Quomodo ergo dicitur de eo: *In quo augurari ſolet?* Et iterum ipſe Ioſeph de ſe ait: *An ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia,* ibidem num. 16. Varias ſententias Patrum ad hunc locum affert Benedictus Pereira. Ea tamen mihi maximè placet, quòd verbum *augurandi*, hoc loco non ſumitur pro eo, quod eſt ex obſeruatione aliqua diuinare; ſed accipitur hîc pro eo, quod eſt prædicere, ſeu præſagire futura quocunque modo fiat, ſiue Spiritu diuino, ſiue humano; ſiue naturali prudentia, ſiue ſagacitare, qua vt notat *ibi* Cornelius à Lapide, cum illo ſcypho mero pleno explorabat Ioſeph prudentiam, & temperantiam ſuorum amicorum, & hoſpitum. Sed cur Ioſeph, cùm magnam à Deo ſibi datam in ſomniis explicandis ſcientiam, cognitionemque haberet, cur huiuſmodi ſcientiam verbo augurandi exprimit? quod ſignificat præſagire, ſiue ſpiritu humano, ſiue diuino, vnde aliquis de ſcientia Ioſeph ſiniſtra mente quid malum poterat ſuſpicari. Cur nõ ait: An ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei habens reuelationem à Deo? Ab huiuſmodi loquendi modo abſtinuit modeſtiſſimus Ioſeph, & ſuam ſcientiam augurandi verbo declarat; quia huiuſmodi vocabulo apud Ægyptios, & Aſſyrios talis cognitio ab antiquo explicabatur, quam conſuetudinem etiam in modo loquendi voluit Ioſeph retinere, ne perdiſſimilem formam loquendi haberet. Vide ſuprà *cap.* 5. *num.* 65.

Gen. 44. Bened. Perei. Ioan. de la Haye. Bened. Perei. *Antiquis verbis accommodandum.* Cornelius.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare dicatur de Chriſto, quòd erat docens, & prædicans.*

19. PRÆDICABAT Chriſtus Dominus ea, quæ erant vtilia & neceſſaria ad ſalutem, per quæ ſalus æterna conſequitur. Et hoc eſt Euangelium regni Dei, quod prædicabat: nam vt ſæpe dictum eſt, Euangelium idem eſt, ac nuntiare. Annuntiabat feliciſſimum aduentum regni cæleſtis aduenientis. Et ita ipſe exorſus eſt ſuam prædicationem, Matth. 4. num. 17. *Cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Per hæc monentur Prædicatores, vt non doceant fabulas, nec vanam doctrinam. Tamen in hac quæſtione inquirimus: quare dicatur docens, & prædicans, cùm vnum eorum videretur ſufficiens.

Matth. 4.

20. Remigius. Paſchaſ. D. Thom. Reſpondet primò D. Remigius. *Diſtat inter docens, & prædicans. Docens de præſentibus mandatis, prædicans de futuris promiſſis.* Similiter D. Paſchaſius, D. Thomas. Itaque Chriſtus docebat ea, quæ ſpectabant quantum ad præſens; verbi gratia, pœnitentiam, contritionem; & *prædicabat*, idem valet, ac prædicebat, quantum ad futura; dicebat enim multa de vita æterna. Iſai. 48. num. 17. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te in via, qua ambules.* Iſai. 52. num. 7. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem.*

Iſai. 48. Iſai. 52.

21. Chryſoſt. D. Thom. Abulenſ. Secundò reſpondent D. Chryſoſtomus *in Imperfecto homil.* 8. D. Thomas *hîc*, Abulenſis *quæſt.* 119. Dicitur docens, quantum ad naturales iuſtitias, & ſunt, verbi gratia, præcepta Decalogi, quæ ipſa ratio naturalis dictat. Et ita Chriſtus dixit cuidam: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata,* Matth. 19. num. 17. Quod de mandatis Decalogi intelligit Abulenſis *citatus*. Et prædicans, quantum ad ea, quæ excedunt rationem, vt myſteria Trinitatis, & alia huiuſmodi, quæ niſi dicantur, non intelliguntur.

Matth. 19.

22. Chryſoſt. Tertiò idem Chryſoſtomus ait, quòd poteſt dici, quòd *docere*, ſit quantum ad expoſitiones aliquas Scripturæ, quas Chriſtus faciebat, *prædicare* autem, quantum ad bona futura, quæ annuntiabat. De primo patet, quia ſæpe Chriſtus exponebat aliquam Scripturam, quam Iudæi non intelligebant; ſicut fecit *Luc.* 4. *num.* 17. exponendo locum Iſaiæ: *Spiritus Domini ſuper me;* & poſtea ſubdit num. 21. *Hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Per quod denotatur, quod de eo intelligebatur. Quartò citatus Abulenſis, quòd docens, & prædicans, non ponuntur, tanquam diuerſa, ſed vt genus, & ſpecies: quia docere, eſt notificare alteri id, quod ignorat; prædicare autem eſt, docere per modum declarationis ad populum: & ideo vnum ponitur, tanquam determinatiuum alterius: quia Chriſtus notificabat veritatem ignotam, & docendo eam publicè proponebat populo.

Abulenſ.

23. Palatius. Quintò. Videtur, vt etiam obſeruat Palatius, quòd hæc ſit differentia inter docere, & prædicare. Quòd *docere* eſt, illuminare, & inſtruere audientes, etiamſi eorum corda vehementer non inflammet, ac incendat; at *prædicare* eſt, inflammare animos audientium, etiamſi eos vehementer non erudiat. Vtraque planè illuminat, & mouet; ſed Prædicatoris eſt, mouere affectum, ac voluntatem; doctoris eſt, illuſtrare intellectum. Vtrunque Chriſtus egregiè præſtabat, & adimplebat. Et ita dixerunt diſcipuli euntes in Emaus. *Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Luc. 24. num. 32.

Luc. 24.

## QVÆSTIO V.

### *Quid ſit miraculum, & quibus ſignis verum eſſe deprehendatur?*

24. *Quid ſit miraculum.* MIRACVLVM Latinè à mirando dicitur. Definitur cõmuniter, Miraculum opus eſt extraordinarium, & rarum præter legem ordinariam Dei, & ſupra omnem virtutem cauſarum naturalium. Ita deſumitur ex D. Thoma 1. *part. quæſt.* 105. *art.* 7. & 8. & *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 101. & ex D. Auguſtino *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 4. & 5. & *lib.* 26. *contra*

D. Thom. Auguſt.

*Fauſtum*

*Fauſtum cap.* 3. *& ſequentibus* , *& aliis locis.* Ex D.Hieronymo *in cap.*7.*Matthæi.* Hieron.

25. *Quæ requirantur ad miraculum.* Ex quibus duo requiruntur ad naturam miraculi. Primò , vt ſit opus extraordinarium præter legem ordinariam. Vnde creatio animæ rationalis , illius iuſtificatio , ac conſeruatio totius vniuerſi , licèt excedant naturæ vires , & à ſolo Deo fieri poſſint , tamen quia inſolita non ſunt, ſed communia , & vſitata iuxta legem ſtatutam Dei,ideo inter miracula ſtrictè,& preſsè ſumpta, non ſcribuntur. Secundò requiritur ad miraculum , vt ſit ſupra naturam cauſarum naturalium, id eſt , vt nullo concurſu cauſarum naturalium naturali vi prodire poſſit : nam aliquando applicatis cauſis ſecundis,ex occulta,& abdita virtute quidam reſultant effectus,qui nobis mirabiles videntur,vt dum magnes trahit ferrum.

26. Ex hac ratione fit manifeſtum , quòd ſolùm virtute Dei fit miraculum. Ita ait Regius Vates Pſalm.71. num. 18. *Benedictus Dominus Deus Iſraël , qui facit mirabilia ſolus.* Pſalm.76. num. 15. *Magnus es tu , & faciens mirabilia : tu es Deus ſolus* , & multis aliis locis. Et rectè notat D.Thomas *in quæſt. diſput.* quòd Deus miraculum tripliciter operatur , quædam ſuprà naturam , quædam contra , & alia præter naturam. Illa ſunt ſupra naturam, quando illum effectum Deus miraculosè facit , quem natura non poteſt inducere ; vt Incarnatio Verbi, & forma glorioſa corporibus ſuſcitatis communicanda. Illa ſunt contra naturam, quando in natura remanet contraria diſpoſitio ad effectum , quem Deus facit, vt, verbi gratia,quando multi Sancti ambulauerunt ſuper aquas , in quorum corporibus inerat grauitas ; & in aqua ſalua erat mollities ad ſubmergendum omnia corpora grauia. Et quando Daniel erat in lacu coram leonibus fameſcentibus, *Daniel.*6. *num.*14. Illa verò ſunt præter naturam,cùm Deus producit effectum , quem producere natura valet ; ſed illo modo , quo natura producere non poteſt : ſic ranæ productæ ſunt in Ægypto *Exod.*8. Quia licèt aliàs aqua eas producat , non tamen in tam breui tempore, nec in tanta multitudine, cùm talis fuerit earum numerus,vt nunquam antea tantus extiterit.

Pſalm.71. Pſalm.76. D.Thom. *Tripliciter operatur miraculum.*

27. Chriſtus Dominus, vt verus Deus, multa miracula operatus eſt,vt probat præſens textus , ac multa alia loca. Sancti verò multa miracula etiam operati ſunt, virtute diuina à Chriſto ſibi collata, Matth.10. num. 1. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem , & omnem infirmitatem.* Et ideo notandum eſt,quòd Deus, quando operatur miracula, imperio,& poteſtate,vt ſupremus Dominus, vtitur. Chriſtus Dominus, cùm Deus, & homo ſit , aliquando adhibuit preces, vt homo, ſed rarò ; plerunque tamen imperio,& poteſtate ſigna edebat , vt verus Deus. Sancti verò in maiorem exaltationem nominis Dei , precibus ad ipſum Dominum fuſis ſigna operabantur. Matth.10.

28. Quia tamen iniqui homines quædam mira in externa apparentia operantur,quæ miracula non ſunt, vt fecerunt Magi in Ægypto *Exod.*7.*n.*11. & Antichriſtus operabitur,ad Theſſalon.2.cap.2. *Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ in omnibus virtute , & ſignis , & prodigiis mendacibus.* Rectè Apoſtolus appelat prodigia mendacia, quia talia videntur, & non ſunt,quia proueniunt ex applicatione cauſarum naturalium, quarum abditam vim illi agnoſcunt, quod multo magis erit Antichriſto, cùm arte Dæmonis ſit adiuuandus. 2. ad Theſſalon.2.

Et ideo ad vera miracula cognoſcenda quatuor indicia ſunt conſideranda : tria ponit Suarius *de fide diſput.*4. *ſect.*3. *num.*9. Primò diuturnitas , & conſiſtentia effectus ; nam quæ fictè tantùm fiunt , breuiter tranſeunt ; & ideo,vt reſuſcitatio Lazari vera comprobaretur , ipſe per quatuor dies demortuus iacuit. Secundò, vt adſint veri effectus, per quos talis veritas comprobetur , vt videre in cæco , deambulare in claudo. Tertiò attendenda eſt multitudo , & frequentia effectuum cum omnibus ſignis, quæ experimur, & præ manibus habemus , vt in illis inueniantur effectus,qui in tali re dari ſolent ; vt quando miraculosè fit vinum , vt in illo ſit ſapor, color, odor, & alij effectus , qui in illo liquore dantur. Quarto. Ex dictis patet , quod conſiderandum eſt, vt ipſum opus miraculoſum non fiat,vel applicatione cauſarum naturalium , vel mutatione temporis vel aliquo influxu cauſarum ſecundarum , quæ habeant vim ad illum effectum edendum. 29. Suarius. *Signa ad miracula cognoſcenda.*

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Chriſtus miracula faciebat?*

CONVENIVNT omnes Patres , & Doctores *ad* 3.*part.quæſt.*43.*art.*1. quòd Chriſtus Dominus faciebat miracula ad confirmandam ſuam doctrinam. Hoc autem intelligi poteſt de vtilitate , & conuenientia miraculorum ad prædicationem confirmandam. Vel poteſt intelligi quæſtio de neceſſitate ; & hoc, vel in ordine ad potentiam ordinariam , vel abſolutam. De potentia abſoluta nulla poteſt eſſe quæſtio , quia Deus multa , & varia media habet in ſua potentia , per quæ poterat diſponere humanam voluntatem. De lege ordinaria tantùm eſt quæſtio. In qua Abulenſis *hoc loco quæſt.*120. videtur affirmare , huiuſmodi miracula fuiſſe neceſſaria. 30. Abulenſ.

Tenendum eſt primò in hac materia , Chriſti miracula fuiſſe valde apta , & conuenientia media ad perſuadendam , confirmandamque eius doctrinam. In hac concluſione nulla poteſt eſſe dubitatio. Probatur primò ex *Ioan.* 5. *num.* 33. Ait Chriſtus Dominus , *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* Et ſubdit num. 36. *Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne. Opera enim , quæ dedit Pater , vt perficiam ea, illa teſtimonium perhibent de me.* Et cap.10. num.25. *Opera , quæ ego facio in nomine Patris mei , teſtimonium perhibent de me.* Et ibidem num. 38. *Si mihi non vultis credere , operibus credite.* Et Nicodemus Ioan. 3. num.2. *Nemo poteſt hæc ſigna facere,quæ tu facis,niſi fuerit Deus cum eo.* 31. 1.Concluſio. Ioan.5. Ioan.10. Ioan.3.

Et ratione. Quia miracula ſunt opera edita virtute Dei ; & Chriſti doctrina , erat doctrina Dei: atqui proportionatum medium ad confirmandam doctrinam Dei , ſunt opera ipſius Dei: ergo miracula, &c. Et ſtabilitur. Quia , vt docet D. Chryſoſtomus *homil.* 14. *in Matth.* quando fit nouum aliquid, & inopinatum,ac politiæ cuiuſdam introductio,ſigna Deus facere conſueuit, 32. Chryſoſt.





præſtans,pignora quædam ſuæ potentiæ his , qui legem eius accepturi ſunt. Sic igitur , cùm hominem eſſet facturus,priùs mundum creauit vniuerſum ; ac demum facto homini legem in paradiſo dedit. Et ſancto Noë legem impoſiturus, eum mirabiliter à diluuio liberaui. *Gen.* 7.*&* 8. Abrahamo antequam legem Circunciſionis daret, eum per multa ſigna perduxit : inſigni victoria de quinque Regibus, *Geneſ.*14. Et magna plaga impoſita Pharaoni Abrahamum à periculo liberauit, *Geneſ.*12. Antequam legem Iudæis daret in Sina , multa prodigia , & portenta operatus eſt,vt patebit legenti totum Exodum *à capite* 3. Ita hîc quoque,cùm ſublimem quandam viuendi introducturus eſſet diſciplinam, &,quæ nunquam ab illis fuiſſent audita, auctoritatem mandatis ſuis præſtruxit claritate ſignorum.

33. 2.Concluſio. Secundò tenendum eſt, quòd huiuſmodi miracula non fuerunt ſimpliciter neceſſaria , vt Chriſti doctrina reciperetur ; ſed abſque illis prudentiſſimè credi poterat omni fide , tam humana,quàm diuina. Ita Suarius *tom.* 2.*ad* 3.*part. diſput.*31.*ſect.* 1. *Secundò certum.* Probatur. Quia eximia puritas , ſanctitas , ac innocentia Chriſti Domini , in cuius ore nec leue mendacium inuentum eſt , ſed in omnibus ſumma veritas manifeſtabatur , efficaciter ſuadebant, vt eius dictis intellectus acquieſceret. Et confirmatur. Quia certiſſimum eſt,quòd Ioann. Baptiſta dabat teſtimonium de Chriſto dignum omni fide,itaut qui illius ſufficientem cognitionem haberet , peccaret grauiſſimè , illi non aſſentiendo , vt obſeruat Suarius *citatus.* Nam Baptiſta venit,*vt teſtimonium perhiberet de lumine,* Ioann. 1. Et ad hoc habebat omnia neceſſaria ; ſiquidem , cùm Deus dat munus , dat omnia requiſita ad illud. Et Ioannes tamen non fecit miracula:ergo etiamſi Chriſtus nullum ederet, adhuc eius teſtimonium eſſet dignum omni fide. Suarius. Ioan.1.

34. Obiectio. Dices , miracula non fuiſſe neceſſaria Ioanni, quia ipſe non prædicabat nouam legem,nec nouam doctrinam , ſed ſolùm oſtendebat Meſſiam, quem expectabant Iudæi. Deinde eius ſanctitas , ac magna aſperitas vitæ magnam illi reconciliabat auctoritatem. Reſpondetur , quòd myſterium , quod Chriſtus , & Ioannes prædicabant , ex quo tota veritas doctrinæ vtriuſque pendebat, idem omnino fuit , ſcilicet Chriſtum Dominum eſſe filium Dei , & verum Meſſiam promiſſum in lege , qui peccata mundi tolleret , & gratiam conferret. Præterea veritas teſtificandi non fundatur tantùm in aſperitate vitæ; ſed potiùs in ſanctitate , innocentia , ac ſumma veritate in cunctis : & in his omnibus multo magis reſplendebat Chriſtus,quàm Ioannes. Et tam manifeſta erat Chriſti innocentia , vt ipſe coram ſuis inimicis diceret : *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Solutio.

35. 3.Concluſio. Tertiò tenendum eſt , miracula Chriſti Domini poſſe dici quodammodo,& ſecundùm quid neceſſaria ad recipiendam , confirmandamque doctrinam Chriſti. Declaratur hæc reſolutio. Quia id , quòd eſt valde vtile quodammodo poteſt dici neceſſarium : atqui miracula Chriſti ad prædictos effectus fuerunt valde vtilia : ergo & quodammodo neceſſaria. Secundò. Inter auditores Chriſti erant multi maxime obſtinati, & obdurati : ergo ad eorum obſtinationem confringendam , omne medium fuit applicandum, tam auctoritas in verbis , quàm poteſtas in opere ; præcipuè cùm illa doctrina , quam Chriſtus prædicabat , duratura eſſet vſque ad finem mundi , & peruentura ad homines , qui Chriſtum nec viderunt , nec audierunt ; ideo eius doctrina omni medio fuit confirmanda. Tertiò declaratur hæc neceſſitas. Quia in Scriptura prædictum erat , quòd Meſſias huiuſmodi miracula eſſet operaturus , vt conſtat ex multis locis, *Iſaiæ* 35. Ergo , vt perſuaderetur hominibus, Chriſtum eſſe verum Meſſiam , requirebatur , vt faceret illa miracula , quæ de Meſſia erant prædicta. Et ideo dixi in concluſione : neceſſaria ſecundùm quid ; nempe ſuppoſita hac diſpoſitione diuina. *Quomodo Chriſti miracula dicantur neceſſaria ſecundùm quid.*

36. Obiectio. Ioan.15. Dices. Chriſtus Dominus ait Ioan.15.n.24. *Si opera non feciſſem , quæ nemo alius fecit , peccatum non haberent.* Ergo illa opera erant neceſſaria , vt homines tenerentur credere in Chriſtum ; ſiquidem ſine illis non peccarent non credendo : *Si opera non feciſſem , peccatum non haberent.* Reſpondetur , miſſis aliis ſolutionibus ſuo loco dandis , hoc infirmare noſtram primam , & tertiam concluſionem. Deinde reſpondetur , quòd ſermo eſt ibi ex ſuppoſitione: nam,cùm Chriſtus prædicaret , ſe eſſe Meſſiam, neceſſarium erat , opere adimplere ea , quæ de Meſſia prædicta erant in Scriptura ; aliàs non haberetur dignus , cui fides daretur , cùm verba non concordarent cum factis;ideo ait : *Si ego non feciſſem opera Meſſiæ , quæ nemo alius fecit , peccatum non haberent.* Ergo , cùm Chriſtus omnia opera , quæ de Meſſia ſcripta erant , præſtitiſſet, & ſimul eſſent coniuncta cum ſuo teſtimonio, quòd eximiæ ſanctitatis , & auctoritatis erat, maximum peccatum habebant Iudæi , & nullam excuſationem. Solutio.

*Matth.*4.*n.*24. Abiit opinio eius in totam Syriam,& obtulerunt ei omnes malè habentes , variis languoribus , & tormentis comprehenſos , & qui dæmonia habebant , & lunaticos , & paralyticos , & curauit eos.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et audita eſt fama eius in tota Syria , & offerebantur ei omnes, qui peſſimè affecti erant infirmitatibus variis , quíque cruciatibus conſtringebantur , *&c.* eoſque ſanauit.

*Theophylactus.* Et dimanauit fama illius in totam Syriam , & adduxerunt ad illum omnes malè affectos,

variis morbis,ac torminibus contractos,& demoniacos,&c.

*Euthymius.* Et diuulgata eſt fama eius per vniuerſam Syriam.

## EXPOSITIO.

37. *Paſchaſ.* FAMA, ait Diuus Paſchaſius lib. 3. in Matth. *quam Iudæi cæcitatis ſuæ obfuſcabant inuidiâ,Gentes ſenſim illuſtrabat , & omnem Syriæ prouinciam , quæ Galilæa non multum longè abeſt, virtutum odoribus reſpergebat.* Non ſolùm proximas regiones , ſed longè , latéque diſtantes breui tempore compleuit Chriſti fama. Quid ex hac Chriſti opinione ſecutum eſt? *Obtulerunt ei omnes malè habentes.* Idem Diuus Paſchaſius. *Ex quibus geſtorum beneficiis* , ait, *opinio eius vſque ad eos , qui foris ſunt , reſpergitur. Quia profectò , nec fama ſine veræ laudis opera proficit , neque opera ſalutis abſque fama boni odoris ſatis auditoribus relucet.* Vera enim fama non reſplendet , niſi nitore bonorum operum. *Malè habentes variis languoribus* , id eſt , morbis , ſeu quacunque infirmitate. *Et tormentis comprehenſos*; ſeu, vt habent Theophylactus , Vatablus, *ac torminibus contractos.* Tormina morbus eſt inteſtinorum. Et ſumitur hoc loco *tormentum*, quod habet noſtra Vulgata , non tantùm pro torminibus , verùm etiam pro ſæuis omnibus morbis , qui ægrotos acerrimis cruciant doloribus. *Et qui dæmonia habebant* , hoc eſt, dæmoniaci,qui à malis ſpiritibus vexabantur. *Et lunaticos*,hoc eſt , qui lunationibus afficiuntur , id eſt, certis lunæ temporibus vehementiùs perturbantur ; ac in quibus pro mutatione Lunæ vis morbi creſcit,& decreſcit , ac minuitur. *Et paralyticos* , qui ſecundùm Medicorum iudicium incurabiles reputantur. *Curaui eos*, ſeu vt habet Syriacus , *Sanauit eos.* vt ait Chryſoſtomus , *nubes, quaſdam ſignorum* Euangeliſta tranſcurrit paucis & abbreuiatis verbis.

*Fama debet eſſe coniuncta cum bonis operibus.*

*Theophyl. Vatabl.*

*Syriac. Chryſoſt.*

---

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrùm Chriſtus Dominus ſanarit omnes, qui ad illum veniebant , & adducebantur?*

38. QVÆSTIO non procedit de illis, qui adducti ſunt ad Dominum in hac ſua prædicatione in Galilæa ; nam de his expreſsè ait Euangeliſta , quòd *obtulerunt ei omnes malè habentes,& curauit eos*;ſed procedit de iis,qui in aliis occaſionibus oblati ſunt Domino.

39. Dicendum eſt, quòd Chriſtus ſanauit omnes, qui ei oblati ſunt , ſi petentes habebant fidem; quia aliàs nihil eis dabatur. Hæc eſt communis Doctorum ad loca Matthæi citanda, D.Hieronymi , D. Chryſoſtomi , D. Thomæ , Caietani, Alberti Magni,Hugonis,& aliorum , Abulenſis *hoc loco quæſt*, 113, Probatur, Quia fides eſt fundamentum omnium cæterorum ; ergo vt reliqua habeantur,fides præcedere debet. Deinde. Quia ſine fide non eſt homo dignus , qui valeat impetrare , vt ait Iacobus 1.num. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans , qui autem hæſitat , ſimilis eſt fluctui maris , qui à vento mouetur* ; ergo non eſt dignus ad impetrandum.

*Hieron. Chryſoſt. D. Thom. Caiet. Albert Mag. Hugo. Abulenſ.*

*Iacob.1.*

40. Probatur ſecundò. Quia Chriſtus Dominus quoſdam cæcos illuminaturus , neceſſariam ab illis exigens fidem,dixit Matth.9.num.28.*Creditis,quia hæc poſſum facere vobis? dicunt ei : Vtique Domine*;tunc tetigit oculos eorum, dicens:*ſecundùm fidem veſtram fiat vobis.* Et ita , cùm Nazaræi ſcandalizarentur,quòd,cùm eſſent patricij, apud eos Dominus non multa ſigna,ac miracula faceret,ait Euangeliſta Matth. 13.num. 58. *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.*Et Marc.ait 6.num. 5. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere , niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit , & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Ait ſacer textus , quòd non poterat ibi virtutem vllam facere , non ex defectu potentiæ,vt explicant Caietanus,Ianſenius , Beaulxames , Maldonatus , ſed ex impedimento ; imò & repugnantia obiecti : eſt enim ſermo , non de potentia abſoluta , ſed ordinaria ; nam ſicut potentiæ naturales non poſſunt proprios effectus producere, niſi in patiente diſpoſito ; ita potentia ordinaria ad curationes,& miracula,non producitur effectus,niſi in impetrante diſpoſito per fidem: & quia hæc in Nazaritis deerat , ideo dicitur,quòd non poterat ibi virtutem facere ; nam infidelitas eorum huiuſmodi beneficium demerebatur , nec poterat virtutes illas conuenienter recipere, licèt Chriſti poteſtas illas facere poſſet, ſicut & alibi eſt operata.

*Matth.9. Matth.13. Marc.6. Caietan. Ianſenius. Beaulxam. Maldonat.*

41. *Marc.9.* Et quia quidam *Marc. 9. numero* 22. petens à Chriſto , vt ſanaret filium ſuum , dicebat ei : *Si quid potes , adiuua nos miſertus noſtri* , quæ verba non oſtendebant plenam fidem. Dixit illi Chriſtus : *Si potes credere , omnia poſſibilia ſunt credenti.* Et cum lachrymis reſpondens pater ait : *Credo Domine , adiuua incredulitatem meam.* Et ſtatim Dominus petita conceſſit,& puerum ſanauit. Ac proinde , vt notat Abulenſis *citata quæſt.* 123. quandiu dubitauit , nihil de petito recepit ; cùm verò dixit , ſe credere;cum lachrymis , ſtatim impetrauit,quod deſiderauerat.

*Abulenſ.*

*Matth.* 4.*n.*25. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli , & de Ieroſolymis , & de Iudæa , & de trans Iordanem.

### *VERSIO.*

*Syriacus , Vatablus.* Et ſequebantur eum turbæ multæ à Galilæa, &c. & de regionibus ſitis vltra Iordanem.

## *EXPOSITIO.*

42. EXPLICAT ſacer Euangeliſta effectum doctrinæ,Euangelij,miraculorum, & famæ Chriſti Domini. Et huiuſmodi effectus fuit,quòd turbæ ſecutæ ſunt Dominum.





*De Galilæa* ; de cuius ſitu , ac extenſione iam dicta ſunt multa. Et ponit eam Matthæus ante cæteras prouincias , de quibus veniebant ad Chriſtum , vt notat Abulenſis , quia Galilæa extitit prima,in qua Chriſtus prædicauit , vt patet ex hoc.*cap.*4. *Matth.num.* 17. Et ideo de hac regione conuenerunt ad Chriſtum multi prius, quàm de aliis prouinciis. *Et Decapoli.* Decapoleos nomen eſt Græcum;& eſt nomen prouinciæ habentis decem ciuitates ; dicitur enim à *decas*, quod eſt decem , & *polis*,quod eſt ciuitas. Et , vt vult etiam Abulenſis *citatus* , tota iſta regio vocabatur Galilæa Gentium , & extendit ſe vſque ad Beritum , quæ eſt ciuitas in littore maris Mediterranei ; & diſtat per decem leucas à Sidone, quæ erat olim ciuitas valde celebris. *Et de Ieroſolymis*,nempe de ciuitate Ieruſalem, ac locis illi propinquis. *Et de Iudæa.* Sumitur pro ea parte, in qua Tribus Iuda morabatur. *Et de trans Iordanem* ; ſeu , vt clariùs habet Syriacus , *de regionibus ſitis vltra Iordanem* , ad partem Orientalem fuerunt olim regna Sehon Regis Amorrhæorum , & Og Regis Baſan ; vbi habitarunt poſtea Tribus Ruben, Gad , & dimidia Manaſſe. Ex his ergo quinque partibus confluxit ad Ieſum ingens hominum multitudo , & comitata eſt, quouis proficiſcentem.

*Abulenſ.*

*Quid ſignificet Decapoleos.*

*Abulenſ.*

# CAP. X.

## *Prædicantur octo Beatitudines in ſermone Domini in monte.*

*Matth.*5.*n.*1. Videns autem Ieſus turbas , aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.

### *VERSIONES.*

*D.Aug.lib.*1.*de ſerm. Dom.in monte.* Cùm vidiſſet autem Ieſus turbas multas.

*Syriacus.* Aſcendit in montem, cúmque conſediſſet.

*Pagnin.Vatabl.* Cúmque ipſe cõſediſſet.

*Arias.* Et ſedente eo aduenerunt illi diſcipuli eius.

## *EXPOSITIO.*

1. *Theophyl. Euthym.* CVM Dominus,vt inquiunt Theophylactus,& Euthymius,ſit opifex corporum,& animarum,poſtquam curauit corpora,vt ſuperiùs dictum eſt ex fine cap. 4. Matth. curat & animas per cæleſtem doctrinam. *Videns*, ſeu cùm vidiſſet ; vt ait D. Bernardus ſermone 1. de omnibus Sanctis , miſerationis intuitu. Et Rupertus lib. 4. de gloria , & honore filij hominis. *Vidit* , ait , *vt miſereretur* ; *ita miſertus eſt* , *vt miſerias noſtras conſolaretur , id eſt , beatitudinem ſalutis æternæ per paſſionem , & mortem ſuam nobis operaretur.* Vidit , vt miſerans pater , & vt noſtris miſeriis conſolationem daret per repromiſſionem Beatitudinis. *Turbas*,hoc eſt , multitudinem populi apud ſe congregatam. Hæc autem frequentia populorum , vt ait Simon Caſſianus *lib.* 10. *cap.* 2.dicitur turba , quia ſæpiſſimè turbat , & turbatur. *Aſcendit in montem.* Chromatius *in Commentario in hoc cap.* 5. exiſtimat, quòd iſte fuerit mons Olиueti ; ſed mons iſte erat prope Ieruſalem ; quia autem ſermo hic habitus eſt in Galilæa , ideo , vt docent D. Hieronymus , Rupertus *loco proximè citato.* Chriſtianus Grammaticus . Carthuſianus , Hugo , & alij,iſte fuit mons Thabor , vel alius in Galilæa. Thabor fuiſſe , exiſtimant D. Bonauentura , & Ludolphus *in lib.de vita Chriſti.* Et rectè in ipſo monte Thabor in ſua transfiguratione apparet in gloria, vbi ſuis gloriam , beatitudinemque promiſerat. Et bene Pater dat ibi de Filio teſtimonium : *Hic eſt Filius meus* , Matth. 7. numero 5 .vbi Filius teſtimonium dedit de Patre, & multa de eius reuerentia , & cultu docuerat homines , vt patet ex toto ſermonis decurſu. *Et cùm ſediſſet* , in loco apto , & proportionato ad docendum. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius* ; tanquam familiares,eiuſque amici , propiùs eum cinxerunt.

*Bernard.*

*Rupert.*

*Dominus videt ad miſerandum.*

*Turba,quia turbant.*

*Caſſian.*

*Chromat.*

*Hieron. Rupert. Grammatic. Carthuſ. Hugo.*

*Mons Thabor.*

*Bonauent. Ludolphus.*

*Matth.7.*

*Ibi Dominus apparet in gloria , vbi eam ſuis promittit.*

---

## QVÆSTIO I.

### *An hic altiſſimus Domini ſermo in monte habeat continuationem cum his,quæ dicta ſunt ſuperiori capite?*

SVPERIORI capite explicaui finem capitis 4. D. Matth. qui poſtquam enarrat quomodo turbæ Chriſtum ſequebantur, ſtatim *capite* 5. ſermonem Domini in monte exorditur. Et ratio difficultatis eſt ; quia Lucas *capite* 6. poſtquam commemorat electionem Apoſtolorum , ferè ſimilem narrat ſermonem in loco campeſtri , de quo dicam *quæſt. ſequenti.* Antea ipſe D.Lucas *capite* 5. multa ſcribit , quæ Matthæus refert *capite* 8.& 9. Quæſtio ergo eſt, quiſnam ex his duobus ſacris Euangeliſtis tenuit ordinem temporis ; & in quo anno prædicationis Chriſti hæc contigere , in primo , an ſecundo? 2.

Baronius , Ianſenius , Beaulxames , Barradas tenent , quòd hic ſermo Domini fuerit habitus in ſecundo anno prædicationis Chriſti , ac proinde quòd Matthæus *hîc* non obſeruauerit ordinem temporis. Et ipſi maximè dubitant , & inter ſe diſcrepant , an ſermo ſit idem , quem Matthæus, & Lucas narrant:de quo *quæſtione ſequenti.* 3.

*Baronius. Ianſenius. Beaulxames. Barradas.*

Secunda ſententia , & mihi vera. Matthæus hîc habuit ordinem continuum.Et poſt ea , quæ narrat geſta in Galilæa ſuperiori *cap.* 4. ſequitur hîc ſermo Domini in monte,qui fuit in hoc primo anno ſuæ prædicationis , vt habent antiquiſſimi auctores Ammonius , & Tatianus *in primo anno prædicationis Chriſti.* D. Hieronymus *hoc loco* , prout ait : *Ex præcedentibus intelligitur,* 4.

*Ammonius. Tatianus. Hieron.*

August. *quòd hic ſermo fuit habitus in Galilæa.* Similiter D.Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap. 19. *In hac*, inquit, *prædicatione, quam dicit eum habuiſſe in omni Galilæa, intelligitur etiam ſermo iſte habitus in monte, cuius commemorationem facit Matthæus.* Hanc ſententiam expreſsè etiam docent D. Leo Papa *hom. de omnibus Sanctis.* Carthuſianus *hîc* Abulenſis *quæſt.* 1. In hac etiam ſententia ſunt D.Chryſoſtomus *homil.* 15. Euthymius, Theophylactus, docent enim, quòd Dominus de curatione corporum, de qua Matthæus facit mentionem *in fine cap.* 4. tranſit ad curationem animarum per hunc cæleſtem ſermonem.

Leo, Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

5. Probatur, quia Matthæus ait: *Videns turbas, aſcendit in montem*; ergo ſine dubio ſunt illæ turbæ, quas *in fine cap.* 4. dixerat, quòd ex omni Galilæa, & Decapoli, & Ieroſolymis, & Iudæa ſequebantur Ieſum. Confirmatur, quia Matthæus ait, vt legunt D.Auguſtinus, Syriacus, Vatablus, Arias, *Cum vidiſſet autem Ieſus turbas*; atqui hæc phraſis ex ſuo modo dicendi importat relationem ad antecedentia, ac proinde refertur ad illas turbas, quas antea commemorauerat, quòd Dominum ex omni Galilæa ſequebantur. Hæc dixi, vt videas, quanto auctoritatis, ac rationis pondere ſermonem hunc inter geſta primi anni prædicationis Chriſti annumeramus.

Auguſt. Syriac. Vatabl. Arias.

## Qvæstio II.

### *An ſit idem iſte ſermo, qui ſcribitur hîc à Matthæo, ac à Luca 6.*

6. *Ratio difficultatis.*

SERMO, qui hîc ſcribitur à Matthæo idem ferè ſimilis refertur à Luca 6. *à num.* 21. Nam ab vtroque Euangeliſta ſermo exoritur a beatitudine paupertatis, & ab vtroque clauditur eâdem ſententia; qui enim audit ſermones meos, ſimilis eſt homini ædificanti ſuper petram. Et vterque Euangeliſta ſubdit, quomodo intrauit Capharnaum, & curauit puerum Centurionis. At concionem non eſſe eandem, ſed diuerſam, illud perſuadet, quod à Matthæo dicitur facta in monte, & Dominus ſedens; à Luca verò, in loco campeſtri, & dum ſtaret: *Deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri.*

7. Auguſt. *Sermonem eſſe diuerſum, docet.*

Duo docet hac in re Magnus Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu Euangeliſtar. cap.* 19. In primis ſermonem eſſe diuerſum. Nam, vt etiam explicant aliqui recentiores, Dominus aſcendit in montem, & tunc interponenda eſt hiſtoria, quam refert Lucas; ibi orauit, Apoſtolos elegit; & tunc celebrem hunc cum eis habuit ſermonem, quem ſcribit Matthæus. Et cum eis videtur ſpecialiter loqui, dum ait: *Vos eſtis ſal terræ: vos eſtis lux mundi.* Et poſtea deſcendens de monte eundem maiori ex parte ſermonem habuit cum turbis, vt ſcribit D.Lucas.

8. Auguſt. *Sermo idem.*

Secundò docet Magnus Auguſtinus, ſermonem eſſe eundem, ſcilicet quòd Dominus aſcendit in montem, ibi orauit, Apoſtolos elegit, & poſtea deſcendens de cacumine montis, non ad pedem ipſius, ſed ad latus, ſeu medium illius, in quo erat quædam planicies, in qua habuit ſermonem hunc. Qui verò ex his duobus ſit probabilior modus, Auguſtinus non determinat. Et ſermonem eſſe vnum, & idem, videtur ſignificare Chryſoſtomus *homil.* 15. *in Matth.* Expreſsè probabilius iudicant Abulenſis *quæſt.* 2. Maldonatus, & alij.

Auguſt.

Chryſoſt. Abulenſ. Maldonat. *Sermo diuerſus.*

9. Baſilius. Albert.Mag Anſelm. Lyran. Toletus. Barradas. Ambroſ.

Vtrumque ſermonem Matthæi, & Lucæ eſſe diuerſum, & diuerſo tempore, & loco habitum, docet D. Baſilius *lib. de Baptiſmo.* Idem tenent Albertus Magnus, D.Anſelmus, Lyranus, Toletus *in cap.* 6. *Lucæ.* & probabilius iudicat Barradas. Et in hac ſententia eſt D. Ambroſius *ad citatum cap. Lucæ*, vt legenti patebit. Dicam, quid ſentio.

10. *Turba præſens in ſermone.* Matth.7. Auguſt.

Mihi primò certum eſt, non ſolùm diſcipulos, ſed etiam turbas audiſſe ſermonem in monte, relatum à Matthæo: ita enim ad finem ſermonis ſcribit Euangeliſta cap. 7. num. 28. *Cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.* Ergo turba aderat ſermoni. Auguſtinus huic obiectioni occurrit; dicens, turbas appellari à Matthæo diſcipulorum cateruam. At turbarum nomine ſimpliciter Euangeliſtæ, non diſcipulos, ſed populorum frequentiam ſignificant. Si verò Lucas *cap. 6. numero* 17. vocat diſcipulorum turbam, non dicit turbam ſimpliciter, ſed explicat, quod erat turba diſcipulorum. Et ſi Chriſtus in principio ſermonis cum diſcipulis loquatur, *Beati eritis, cùm vos oderint homines: vos eſtis ſal terræ.* hoc ex eo fuit, quia diſcipuli propinquiùs aderant: ſicut & in ſermone Lucæ dicitur. *Eleuatis oculis in diſcipulos ſuos*; & tamen turbæ aderant. Loquitur ergo aliquando cum eis, quia ſerant præcipua pars inter eos, cum quibus loquebatur.

11. *Sermo habitus in monte.*

Secundò mihi certum eſt, ſermonem, quem ſcribit Matthæus, habitum fuiſſe in monte, ſedente Domino. Hoc expreſsè inquit noſter Euangeliſta; nec enim dici potuit clarioribus verbis, quàm ipſe explicat; præcipuè cùm in hoc noſtro textu ponat coniunctionem *&*, ait: *Aſcendit in montem, & cum ſediſſet*; ergo connectit aſcenſum cum ſeſſione. Et poſtea: *Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum.* Ergo omnia fuerunt connexa, & ita proponuntur, vt vna hiſtoria, & vnus textus. Et tandem poſt finitum ſermonem ait Euangeliſta cap. 8. numero 1. *Cùm deſcendiſſet de monte*, &c. Et ita ab omnibus Patribus hic ſermo appellatur ſermo in monte. D. Ambroſius *loco citato* D. Auguſtinus duos libros habet de ſermone Domini in monte. Diuus Chryſoſtomus *homil.* 15. *in Matth.* D. Baſilius *citatus*: D.Gregorius *lib. 4. Moral. cap.* 20. *& homil.* 12. *in Ezechiel.* S.Leo *ſermon, de omnibus Sanctis.* D.Bernardus *eodem ſermone.*

Matth.8.

Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Baſil. Gregor. Leo. Bernard.

12. *Sermo à Luca relatus, in loco campeſtri.*

Tertiò eſt mihi certum, ſermonem, quem ſcribit Lucas, habitum fuiſſe, deſcendente Domino de monte, & ſtante in loco campeſtri. Nam Chriſtus aſcendit in montem ad orandum, ibique elegit Apoſtolos; & ait Euangeliſta. *Deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri*; ergo abſolutè ſignificat, quòd venit ad campum, atque planitiem. Quarto eſt mihi certum; quia in Matthæo, & Luca multæ ſunt ſententiæ inter ſe diuerſæ, vt ex infrà dicendis conſtabit; licèt vtrunque textum referam ſimul propter ſimilitudinem.

13. *Sermo diuerſus, & diuerſo tempore, ac loco.*

Ex his concluditur, quòd ſermo iſte, quem refert hîc Matthæus, ſit diſtinctus, & diſtincto tempore, & loco habitus, ab eo, quem ſcribit Lucas. Ita auctores ſecundæ ſententię. Et patet ex dictis. Et



*Quomodo ordinãdus textus Euangelicus.*

Et ita ordinandus eſt textus Euangelicus cum Toleto *citato.* Deambulans Dominus per totam Galilæam, videns magnam hominum multitudinem, aſcendit in montem, vt ait D.Matthæus; ſedens habuit hunc præſentem ſermonem; à monte autem deſcendens, leproſum curauit, cuius facit mentionem D.Lucas *cap. 5. num.* 12. nec ſtatim intrauit Capharnaum, ſed aliquos poſt dies, in quibus facta ſunt, quæ D. Lucas narrat citato *cap. 5. & 6.* de electione Apoſtolorum, ac de ſermone in loco campeſtri: & tunc intrauit Capharnaum, & puerum Centurionis ſanauit. Matthæus prætermittens illa de electione Apoſtolorum narrat ingreſſum in Capharnaum. Et ita omnia maximè cohærent, & in concordiam rediguntur. Nec eſt inconueniens, quòd Chriſtus Dominus iterato ſermone eandem concionem multa ex parte habuerit coram diſcipulis, & turbis propter doctrinæ ſublimitatem. Deinde in vtroque ſermone multæ ſententiæ ſunt diſtinctæ. Et Chriſtus ſæpe aliqua in ſuis ſermonibus repetebat, vt notat Abulenſis, & alij *citati.*

Abulenſ.

## Qvæstio III.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc in monte tam ſublimem, altamque doctrinam tradere voluerit?*

14. Auguſt. *Doctrinã huius ſermonis valde excelſa.* Matth.7.

IN hac concione dedit Chriſtus Dominus valde perexcelſam, vtiliſſimamque doctrinam, vt notat Diuus Auguſtinus *lib. 1. de ſermone in monte cap.* 1. ponderans Chriſti verba, quibus ipſe ſermo terminatur: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilatur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram*, Matth. 7. n. 24. Ait Auguſtinus: *Hoc dixit, vt appareret, iſtum ſermonem omnibus præceptis, quibus Chriſtiana vita informatur, eſſe perfectum.* Cur ergo tam ſublimia, altaque documenta tradidit Dominus, non in ciuitatibus, ac Synagogis, ſed hîc in deſerto, ac monte, & his turbis?

15. Anſelm.

Reſpondet primò D.Anſelmus, dum quærit, An ſermo ſcriptus à Matthæo, & Luca ſit idem? *Melius videtur dicendum*, ait, *quòd duo ſermones ſint, vnus quem familiariter, & priuatim fecit diſcipulis, quibus volebat, nouum tradere teſtamentum, quod & portaturi erant, quia non omnia omnibus ſunt dicenda: & alius, quem fecit in imo loco coram omnibus, in quo multa recapitulauit, quæ in alio dixerat.* Non in ciuitatibus, nec in publicis Synagogis prædicat Dominus hunc ſublimem ſermonem; ſed in deſerto, & in monte, quia non omnibus omnia dicenda ſunt; ſed tam profunda myſteria coram diſcipulis tantùm aperit. Et ita dicebat Dominus diſcipulis ſuis Marc. 4. n. 11. *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei: illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt.* Procedit S. Pater, quòd iſte ſermo in monte fuerit habitus coram diſcipulis tantùm, de quo dixi ſuperiori quæſt.

*Non omnibus dicenda omnia.*

Marc.4.

16. Abulenſ.

Secundò Abulenſis *quæſt.* 3. quòd Chriſtus volebat hîc dare ſuam legem; & lex non datur paucis, ſed multitudini, ideo congregata multitudine ex quinque prouinciis, vt conſtat ex fine *cap. 4. Matth. numero* 25. expoſuit illis mandata ſuæ legis; iuxta principia Iuris: *Quod omnes tangit, omnibus debet proponi.* Sed hæc ratio non ſoluit, cur hæc doctrina potius traditur in deſerto, quàm in ciuitate, ac in frequenti Iudæorum Synagoga.

*Quod omnes tangit, proponitur omnibus.*

17. Bernard.

Tertiò D.Bernardus *ſerm. 1. de omnibus Sanctis*, ait: *Videns miſerationis intuitu, quoniam erant ſicut oues errantes, non habentes paſtorem: Aſcendit in montem, aperiens os ſuum*, &c. Vidit Dominus turbas, tanquam non habentes paſtorem, & doctorem, à quo poſſent dirigi, atque doceri; ideo à ſua miſericordia, inſpecta eorum miſeria, mouetur ad eos docendos. Quartò Theophylactus. *Aſcendit in montem*, ait, *quia docturus erat: docuit nos, à media turba ſecedere, quando docendum.* Locus deſertus, & à multitudine ſegregatus maximè conueniens, & proportionatus ad doctrinam, ac ad docendum, Oſe. 2. num. 14. *Ducam eam ad ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Apocal. 12. num. 6. *Mulier fugit ad ſolitudinem, vt ibi paſcant eam*, doctrina cæleſti, & documentis, vt communiter explicant doctores.

Theophyl.

Oſe.2.

Apocal.12.

18. Albert.Mag.

Quintò. Albertus Magnus, *Dominus*, ait, *videns turbas cum deuotione deſiderantes audire verbum Dei, excitabatur in montem aſcendere: excitat enim auditor ſtudium magiſtri.* Ex eo Dominus tam præclaram hîc doctrinam tradidit, quia vidit auditorum animos maximè diſpoſitos ad illam ſuſcipiendam. Et tunc Prædicator valde opportunè ſparget ſemina verbi, cùm viderit populorum animos maximè præparatos. D.Chryſoſtomus homil. 9. in Imperfecto. *Omnis artifex*, ait, *ſecundùm profeſſionem ſuam, opportunitatem operis videns gaudet. Carpentarius, ſi viderit arborem bonam, concupiſcit eam præſcindere ad opus artificij ſui: ſic Dominus videns magnam congregationem populi excitatus ad docendum. Sic & omnis Sacerdos, cùm viderit Eccleſiam plenam, gaudet animus eius, & delectatur, vt doceat; ſi autem viderit vacuam, confunditur, & nihil dicere poteſt.* Dominus excitatus eſt ad docendum, quia vidit magnam congregationem populi deuotam, & præparatam ad diſcendum. Prædicator debet obſeruare, & captare opportunitatem in ſuis auditoribus, vt eos inſtruat, & doceat. Vide ſuprà *capite 5. numero* 279.

*Prædicator quærat opportunitatem ad doctrinã.*

Chryſoſt.

*Vbi diſpoſitio in audiente, ibi doctrina danda.*

19. Iſai.9.

Iſaias 9. *numero* 1. ait: *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & Nephthali.* Et poſtea ſubdit: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Cur tam ingens beneficium non recipit primò Tribus Iuda, ac Ieruſalem: nam ſicut illa erat Tribus regalis, ita iſta erat ciuitas regia, ac caput totius regni. Si autem ordinem Tribuum, ac progenitores populi conſideres, inuenies Zabulon, & Nephthalim inter vltimos, & nouiſſimos annumerari. Vnde ergo tantum dignatæ ſunt huiuſmodi Tribus, vt primò alleuiarentur onere peccatorum, & cæleſtis doctrinæ luce illuminarentur? Septuaginta prædicta verba ſic legunt: *Hoc primum bibe, velociter fac regio Zabulon, terra Nephthalim.* Vis ſcire, vnde tantum habuerunt? Ex ſua diſpoſitione, ac præparatione; vbi enim diuinus Sol Chriſtus Dominus ſuæ cæleſti luce diuinæ doctrinæ in his regionibus reſplenduit, ſtatim crediderunt, ac velociſſimè Dominum receperunt, ita ut ad vnam eius vocem Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes relictis omnibus Dominum ſecuti fuerint. Ita ibi medi

Septuaginta. *Primi in obſequio honorandi.*

Hieron.

meditatur D. Hieronymus. *In Septuaginta dicitur: Hoc primum bibe, velociter fac; quia terra Zabulon, & terra Nephthalim prima Chriſti videre miracula, vt prima biberet fidei potionem, quæ prima viderat Dominum ſigna facientem. Et iuxta Hebraicum, primo tempore releuata eſſe dicitur, onere peccatorum: quia in regionibus duarum tribuum, primum Saluator Euangelium prædicauit. Et crediderunt, iuxta Symmachum, velociter, vt audientes: Venite, & faciam vos piſcatores hominum, ſtatim & patrem reliquerunt, & nauiculam.*

1. Cor. 16. — *Præparatio in auditoribus attrahit Prædicatorem ad docendum.*

20\. Præparatio, ac diſpoſitio in populis, ac auditoribus maximè trahit ad ſe magiſtrum, doctrinam ac cæleſtia beneficia, Scribens Apoſtolus ad Corinth. *Epiſt. 1. cap. 16. num.* 7. ait eis: *Spero, me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit. Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſtem.* Vbi manifeſtò liquet, quòd diutius Apoſtolus commoratur apud Epheſios, quàm Corinthios; apud hos breui tempore detinetur, cum illis verò longas moras trahit, vt verbum *permanendi* indicat. Sed quænam huius ratio? Magna diſpoſitio ad recipiendum Euangelium traxit Prædicatorem veritatis ad longas moras apud Epheſios; ita enim de eis ait ibidem num. 9. *Oſtium mihi magnum apertum eſt, & euidens.* At Corinthij non ita erant affecti, & inclinati ad doctrinam veritatis. De eis ait Paulus 1. Corinth. 3. à num 1. *Fratres, non potui vobis loqui, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* Diuinus Paulus ſua cœleſti ſapientia properat ad auidos veritatis, declinat verò à carnalibus, & faſtidioſis. D. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 2. *Vnde & Corinthiis dicit: Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis: ideo hos in tranſitu vidit; manet autem apud Epheſios, quòd oſtium ſibi magnum apertum eſſet, notum facere Gentibus myſterium Chriſti.* Et D. Thomas *cap.* 16. citato. *Rationem autem, ait, quare volebat morari Epheſi vſque ad Pentecoſtem, ſubdit, cùm dicit; Oſtium mihi magnum, id eſt, magnum fructum facio in Epheſo. Et dicit, oſtium eſſe apertum, id eſt, multa corda hominum ad credendum parata.*

1. Cor. 3. — Ambroſ. — D. Thom.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Chriſtus aſcendit in montem?*

*Ratio litteralis.* — Leo. Auguſt. Interlineal. Remigius. Euthym. Theophyl.

21\. IN ſenſu litterali ſunt graues Patres, qui exiſtimant; quòd Chriſtus, relictis turbis, cum ſolis ſuis diſcipulis aſcendit in montem, vt eos ibi in altis myſteriis inſtrueret. Ita ſentit D. Leo Papa ſerm. de omnibus Sanctis. *Segregatus, ait, à turbis ſeceſſum montis aſcendit aduocatis Apoſtolis, quos in ſublimioribus inſtitutis imbueret.* Idem ſentit D. Auguſtinus *lib. 1. de ſermone in monte.* Gloſſa Interlinealis, D. Remigius, Euthymius, Theophylactus, qui ait: *Docuit nos, à media turba ſecedere, quando docendum.* Sed contra hunc modum dicendi maximè vrget, quod in fine ſermonis *cap.* 7. *numero* 28. dicitur, quòd, *cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.* Sunt, qui velint, quòd Chriſtus inchoauit ſermonem cum ſolis diſcipulis vſque ad illa verba: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus,* Matth. 6. numero 1. Et quòd tunc ſuperuenerunt turbæ. Verùm ſuauior eſt explicatio textus, totum ſermonem fuiſſe continuum tam ad diſcipulos, quàm ad turbas. Aſcendit ergo in montem, vt in locum eminentiorem, vt ex eo, tanquam è ſuperiori, ac accommodatiori loco diſcipulos, ac turbam circunſtantem doceret, rationes morales inquiremus.

Matth. 7. — Matth. 6.

Paſchaſ. — Pſalm. 35. — Lorin. — Auguſt.

22\. Prima, quam tradit D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Aſcendit, ait, ſupra montem excelſus Dei Patris filius, vt eos doceret, altiora virtutum culmina petere, & ex eo loco ſignaret altiora moralis vitæ ſacramenta.* Aſcendit in montem, vt ex ſublimitate loci, ſublimitatem ſuæ doctrinæ indicaret. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa.* Pſal. 35. n. 7. Iuſtitia tua, hoc eſt, præcepta, tradita à Chriſto, ſublimia, & excelſa, ſicut montes Dei, vt *ibi* explicat Lorinus; ſublimia, & excellentiora ſunt documenta data populo Chriſtiano, quàm data fuerunt Iſraëlitis. Et ita ait D. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte: *Minora minoribus, maiora maioribus dantur; ab eo dantur, qui ſolus nouit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam.* Deus, & Dominus noſter maximè ſe accommodat viribus ſuorum; & ideo minora minoribus, maiora maioribus dat præcepta.

Gloſſa Ordinaria. — Dan. 2. — *Quilibet, vt gubernet, & doceat, ſit in proportionato ſibi loco.* — *Accommodandum inferiorum viribus.* — Paſchaſ.

23\. Secundò. Gloſſa Ordinaria. *Aſcendit mons in montem, vt altiora virtutum culmina doceret.* Chriſtus Dominus mons eſt. *Lapis factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram,* Daniel. 2. num. 35. Chriſtus mons aſcendit montem, vt altiora virtutum culmina doceat, quilibet enim, vt aliis præſit, eoſque dirigat, ac inſtruat bonis documentis, aſcendat ad ſui cognitionem, ad iniuncti muneris obligationem, ac ad locum ſibi proportionatum, & conuenientem; & tunc prædicet, clamet, ac gubernet. Mons aſcendat ad montem; vallis quieſcat in valle. Pondera proximè data verba D. Paſchaſij: *Aſcendit ſupra montem excelſus Dei Patris filius, vt eos doceret.* Chriſtus hoc ſermone docebat documenta ad directionem ſuæ Eccleſiæ, ad locum ſibi proportionatum aſcendit.

Idem. — D. Thom. — Iſai. 2. — *Beneficia ad propinquos, & remotos extendenda.* — *Beneficia ad propinquos, & remoto..*

24\. Tertiò idem D. Paſchaſius citato loco. *Non alicubi quàm ſupra montem hanc doctrinam dari decuerat, vt celſitudo Eccleſiarum, ſupra quam Chriſtus veritatis Magiſter ſedebat docens, ad ſublimia ſe extolleret; & fluenta, quæ de vertice manabant, vberiùs totum corpus rigarent.* Ad montem aſcendit, etiam ait D. Thomas, *Ad oſtendendum altitudinem Eccleſiæ, cui doctrina proponitur.* Iſai. 2. num. 2. *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Eccleſia ob ſui ſublimitatem mons eſt, in quo monte, ſeu Eccleſia myſteria ſua Chriſtus aperit, docet, & illuminat. Deinde, *vt fluenta, quæ de vertice manabant, vberius totum corpus rigarent.* Si Chriſtus doceret in loco plano, & in valle, cùm turba eſſet multa, audirent, qui proximi adeſſent, non verò qui longiùs conſiſterent: at verò cùm è monte, & è loco eminentiori doceret, percipiebant, qui proximi ſtabant, & qui longiùs erant. Et ita apud Lucam 6. cum in loco campeſtri doceat, dicitur,



quòd ſtetit in loco campeſtri; quia ſi in plano ſederet, à paucis audiretur, & videretur. Ex quo habe documentum, quòd ille, qui præeſt in populo, & in Republica, ita ſuæ vbertatis fluenta diffundat, vt in his, qui in proximo ſunt, non tantùm ſiſtant, verùm etiam ad eos, qui in longinquo, ſe extendant. Non ſolùm conſanguineis, & amicis, ſed etiam extraneis, ac remotis communicentur. Vide *cap. 7. num. 93.*

Chryſoſt. — *Prædicator, & auditor aſcendant ad ſuperna virtutum.* — Bernard. — Amos 9.

25\. Quartò, D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 9. *Aſcendit in montem, ait, vt oſtendat nobis, quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam Dei, pariter & qui audit.* De magiſtro ait: *Qui docet, verborum ſuorum ſit ipſe exemplum, vt magis opere doceat, quàm ſermone. Qui autem ambulat per conuallia vitæ terrenæ, & loquitur altos ſermones, non alterum inſtruit, ſed ſe ipſum caſtigat: nemo enim poteſt in valle ſtare, & de monte loqui. Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cœlo loqueris.* Et ad auditorem vertit ſermonem: *Qui audit iuſtitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum conſiſtere, quia diſcipulus imitator eſſe debet magiſtri. Si autem in peccatis viuas, & audias iuſtitiæ verba, iudicium tibi, non iuſtitiam acquiris.* Et de Prædicatore idem docet D. Bernardus *ſerm. de omnibus Sanctis.* Aſcendit Chriſtus in montem, vt prædicet; aſcendunt & turbæ, vt audiant: quia Prædicator, & auditor ad virtutum celſitudinem aſcendere debent. Et ita Prædicator, vt ait Chryſoſtomus, *magis opere doceat, quam ſermone.* Aſcendat & auditor, dum Prædicatorem imitatur, & opere adimplet, quæ audit. Amos 9. n. 6. *Qui ædificauit in cælo aſcenſionem ſuam.* Qui enim ad cælum dirigit iter, per virtutum aſcenſionem ſcandere debet.

Caſſian. — Albert. Mag. — Ierem. 31. — *Prædicator inuitet ad ſuperna.*

26\. Quintò Simon Caſſianus lib. 10. cap. 1. in fine. *Ab imis homines extollere venerat, atque ad alta ſubuehere, qui montem, docturus turbas, aſcenderat.* Quod proſequitur Albertus Magn. In montem aſcendit, *quia Prædicator ad eminentiam ſpiritus inuitare debet, & trahere auditores.* Ierem. 31. num. 23. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus.* Prædicator maximè inuitat ad ſpiritualia, vtque à terrenis, ac temporalibus auditornm mens maximè ſeparetur, itaut de quolibet dicatur: Mons ſanctus, pulchritudo iuſtitiæ; de quo *quæſt. 7.*

Pſalm. 2. — Cyprian. — Apoc. 13. — *Quilibet, vt gubernet, ſit in loco ſibi dato.*

27\. Sextò. Chriſtus Dominus, ait de ſe Pſalm. 2. num. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Seu, vt legit Cyprianus lib. 2. cap. 29. *De Sina, & Sion prædicans imperium eius, ſeu voluntatem eius.* Mons Sion ſignificat Eccleſiam, vt fatentur expoſitores communiter ibi: *Agnum ſtantem ſuper montem Sion,* Apocal. 13. num. 1. id eſt, Eccleſiam. Chriſtus ergo ad prædicandum aſcendit montem, qui Eccleſiam ſignificat, eſtque locus ſibi conſtitutus à Patre; vt inde inſtruamur, quòd vnuſquiſque. vt gubernet, regat, & prædicet, ſtet in loco ſibi deſignato, & aſſignato, nil enim perfectius, & excellentius, quàm dum quilibet conſeruat ordinem, & locum ſibi datum.

Gen. 2. — *Valde perfectum, quod ſtat in loco ſuo.* — Carthuſ.

28\. Poſt narratam totius orbis creationem, ait Scriptor canonicus: *Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum,* Geneſ. 2. num. 1. Sed ad quid fit huiuſmodi laudatoria repetitio? Nónne ſufficiebat, quòd illa eſſent opera Dei, vt inde intelligerentur abſoluta, & perfecta? Nonne poſtquam Deus creauit cælum, terram, & ornatus eorum, Solem, Lunam, ſtellas, arbores, & plantas, dicitur: *Vidit Deus, quòd eſſet bonum?* Ad quid ergo huiuſmodi laudatoria repetitio? Cuncta, vt creata ſunt, operationes ſibi proportionatas exercere, & ordinem ſibi datum ſeruare cœperunt; Sol, Luna, & ſtellæ ſuos curſus peragere; terra, plantæ, & arbores germinare flores, & fructus: & ita omnia in ſuo ordine, ac diſpoſitione placuerunt, vt neceſſe fuerit, iterum laudare, imò magno præconio extollere, cùm perfectam, conſummatam, & omnibus numeris abſolutam dicat integritatem rei, eiuſque naturam. Dionyſius Carthuſianus, *Mundus, ait, vocatur perfectus in quantum partes, & ſpecies, ad ſuam integritatem, ac ordinem pertinentes, cœperunt operationes ſibi conuenientes exercere, propter quas exercendas inſtitutæ fuerant: ſicque dicitur Deus ſeptimo die opus ſuum compleſſe: quoniam ſeptimo die cœperunt opera ſex dierum generaliter exercere, actus congruos ſibi, & in inuicem agere, atque ſimilia propagari.*

Exod. 19. — Pſalm. 33. — Brunon. — *Dum quis in ſuo ſtat loco, fructificat, & viuit.*

29\. Cùm Deus in monte Sina legem Moyſi dare vellet, totus mons à præſentia Domini fumigabat. Poſuit Moyſes terminos, quos populus non tranſiret. Et ait: *Sacerdotes autem, & populus, ne tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum,* Exod. 19. num. 24. Sed quomodo Moyſes prohibet accedere ad Dominum, cùm Dauid dicat: *Accedite ad Deum, & illuminamini,* Pſalm. 33. num. 6. Nunquid Moyſes aliud imperat, & Dauid aliud ſuadet? Nunquid vnus contrarius eſt alteri? Dauid excitabat ad Deum accedere, vt ait Brunonius, *non loco, ſed fide, opere; & illuminamini, ſcilicet mente, & intellectu.* Moyſes autem prohibebat, loco, & corporaliter accedere, ne populus moreretur: *Omnis enim, qui tetigerit montem, morte morietur,* ibid. num. 12. Dum ergo omnes è populo in ſuis ſtant locis, ac terminis, legem accipiunt à Deo, vt intellectu, ac mente illuminentur, & die, ac nocte meditentur in ea, ſintque tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo.

Oſe. 13. — Rom. 5. — 1. Cor. 15. — Rupert.

30\. Valde periculoſum eſt, atque mortiferum, quòd ſuos res terminos tranſeat, inque ſibi dato loco non ſtet. Ait Dominus ad mortem: *Ero mors tua, mors; morſus tuus ero,* Oſeæ 13. n. 14. Sed quomodo Chriſtus, qui eſt fons vitæ, extitit mors morti? *Mors introiuit in mundum per peccatum,* ad Rom. 5. n. 12. *Stipendia peccati mors,* ibid. 6. num 23. & 1. Corinth. 15. num. 56. Vbi ergo peccatum erat, ibi & proprius locus mortis ſibi conueniens: & tamen mors non eſt contenta ſuis terminis, ſed ab eis voluit exire, & ad fontem vitæ, nempe Chriſtum Dominum, facere greſſum; ideo ipſa mors cecidit, ac mortua eſt, & mortem inuenit. Rupertus lib. 6. in Oſeæ. *Qualiter, ait, morſus tuus efficiar, mors mortis ero; cùm vitam momorderis, dirupto ventre vitam remittes, morte tua euadentibus viuis, quicunque vita iſta ſunt digni.* Vide ſuprà *cap. 1. num. 59. & cap. 2. n. 81. cap. 8. num. 67. & lib. 2. cap. 1. num. 58. & 60.*

## Qvæstio V.

### *Quare Chriſtus ſederit?*

31. Aſcendit Dominus in montem, ſedet, & aperiens os ſuum docet diſcipulos ſuos. Cur non ſtans docet, ſed ſedens? Reſpondet primò D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte.

Auguſt.

*Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magiſterij.* Et ita morem fuiſſe magiſtris, ſedendo docere, colligitur ex *Matthæo 26. num. 55. Luc. 4. num. 20. Ioan. 8. num. 2.*

*Conſuetudo ſeruanda.*
Albert. Mag.

Quam vſitatam conſuetudinem Chriſtus Dominus noluit contemnere, ſed ſeruare. Cauſam autem huius conſuetudinis explicat Albertus Magnus. Nam ſtans laborat, & eſt cum fatigatione corporis; vadens, & deambulans inſtabilis eſt; iacens autem eſt inordinatus, & caput ſurſum non poteſt porrigere, & groſſi ſpiritus in eo multiplicantur: ſedens autem eſt animus plenus, & maturus ad meditandum.

Ariſtot.
Eccli. 11.

Et ita ait Ariſtoteles 7. Phyſicorum. *In ſedendo, & quieſcendo fit anima ſciens, & prudens.* Eccleſiaſt. 11. num. 1. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere illum faciet.*

32.
Hieron.

Secundò D. Hieronymus. *Dominus Aſcendit ad montem, & ſequuntur diſcipuli: quibus & ipſis, non ſtans, ſed ſedens, & contractus loquitur: non enim intelligere poterant in ſua maieſtate fulgentem.*

Haymone.

Similiter Aymon. *Seſſio Dei humilitatem Incarnationis eius deſignat, qui enim ſedet, contracta videtur habere membra. Dominus enim, quandiu ab initio in deitate Patris inuiſibilis manſit, nequam turbæ multæ ad eum acceſſerunt; poſtquam tamen humiliauit ſemetipſum Patri obediens, acceſſerunt diſcipuli eius.*

D. Thom.
Pſalm. 138

Idem habet D. Thomas. Seſſio humilitatem ſignificat. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam,* Pſalm. 138. num. 2.

*Prædicator ad imbecillitatem auditorum condeſcendat.*

Quando Dominus erat in ſublimitate ſuæ maieſtatis, eius admirabilis doctrina non poterat apprehendi; ſed tunc cœperunt homines capere, cùm ſe Dominus humiliauit, ac contractus ad noſtram infirmitatem condeſcendit; tunc acceſſerunt homines, vt eius doctrinam caperent, & intelligerent. Vide *cap. 2. num. 45. & cap. 3. n. 75. cap. 5. n. 225. cap. 7. n. 71.*

33. Aſcendit Dominus in montem, & ſedet. Pulchra quies, quæ poſt perpeſſum laborem deuenit. Sedet Dominus in monte in cathedra magiſterij, ſed priùs laborauit aſcendendo. Qui laborat, aſcendat, & ſedeat in cathedra magiſterij. Dum petit mulier Zebedæi pro filiis cathedras, dixit eis Chriſtus: *Neſcitis, quid petatis,* Matth. 20. num. 22. Et tamen ipſiſmet filiis Dominus cathedras promittit. Apoſtolis ſuis ait Dominus: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſraël,* Matth. 19. num. 28.

Matth. 20.
Matth 19.
*Cathedra nõ habentur niſi poſt merita.*

Si eis promittuntur cathedræ, quomodo mater appellatur neſciens, dum eas petit? Mater exoptabat filiis cathedras, antequam calicem Domini biberent; Chriſtus autem eas promittebat illis, qui relictis omnibus eum fuerant ſecuti.

Raban.

Rabanus. *Neſciebant, quid peterent, quia ſedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt. Delectabat eos culmen honoris, ſed priùs habebant exercere viam laboris.*

34.
Pſalm 10.

Quartò. *Sedere* æternitatis eſt. *Dominus in cælo ſedes eius,* Pſalm. 10. num. 5. Et Chriſtus ſedet ad dexteram Patris, *Marc. 16. num. 20.* Et Sancti conſedent in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. *Ad Epheſ. 2. num. 6.*

*Deus, non in Synagoga, ſed in Eccleſia Catholica ſedet.*

Sedet Dominus hîc, dum ſuam legem promulgat, per quod indicat æternam futuram, & in æternum duraturam: *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad finem ſæculi.* At lex Moyſi data eſt in tranſitu, per quod ſignificabatur, quòd lex illa eſſet tranſitura, ſi quidem finem ſuum habuit in Chriſto. Et in Synagoga Deus non ſedebat, ſed ſtabat: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum,* Pſalm. 81. num. 1. Pſalm. 81.

Etſi aliquando dicitur Deus ſedere in lege veteri, ſedebat Dominus ſuper Cherubim, *Pſalm. 98. num. 1.* Cherub autem habet alas ad volandum, non ad quieſcendum.

Quintò Abulenſis *quæſt. 9.* Abulenſ.

Sedit Dominus ad aſſignandam quandam maturitatem, & digeſtionem in lege iſta; quia ad tradendam legem, & præcepta, magna conſideratio, ac animi maturitas requiritur. Et ita innuitur in principio VI. Decretalium, *Hunc codicem cum magna maturitate digeſtum.* Hæc autem maturitas ſignificatur in ſeſſione. Et ideo iudex ſedendo iubetur ſententiam proferre.

Sextò. Sedet Dominus in terra, & in humo; 35.
*In dignitate, humilitas.*

in quo magnam humilitatem declarat; in ipſo enim honore magiſterij voluit formam humilitatis ſeruare: ſed ex hoc mihi exoritur dubium. Quare Dominus, dum ſuis promittit beatitudinem regnum cælorum, imò ipſam terram, & ſuis diſcipulis magna, & præclara annuntiat, quòd ſint ſal terræ, lux mundi, ciuitas ſupra montem poſita: ipſe tamen in tanta humilitate, ac abiectione ſe exhibet, vt humi ſedeat, formam humilitatis præſeferens, vt ſuprà dixi ex D. Hieronymo, Haymone, D. Thoma.

Hieron.
Haymon.
D. Thom.

Multum enim conducit, quòd ille, qui magna pollicetur, in præexcelſa ſit ſublimitate; nam ex ipſa maieſtate, & amplitudine ſpes redditur firma, & certa, quòd obtinere valeat id, quod affectat. Quomodo ergo Chriſtus, cùm promittat tanta, in tanta eſt humilitate? Solus ille, qui eam animi habet generoſitatem, vt thronos, ſublimes cathedras, omniaque contemnat, multa aliis elargiri valet; nam qui omnia ſibi procurat, nil in alios diſtillabit, ſed præoccupabit omnia, vt omnibus officiis, & bonis impingueſcat, ac repleatur.

*Qui magna contemnit, multa multis dare valet.*

De magno parente Elia ait Eccleſiaſt. cap. 48. num. 8. 36.

*Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te.* Elias vnxit Hazael Regem ſuper Syriam, & Iehu Regem ſuper Iſraël, 3. *Reg. 19. num. 21.* Et vnxit Eliſæum in Prophetam, *ibid. num. 26.* Et etiam vnxit Ionam in Prophetam, vt ad citatum locum Eccleſiaſtici notant Lyranus, & Carthuſianus.

Lyranus,
Carthuſ.

Sed vnde Elias tantam promeruit excellentiam, vt Reges, & Prophetas vngeret, ac eos Dei mandato ad tam ſublimem dignitatem deſignaret? De Elia ait D. Chryſoſtomus homil. 2. ad populum Antiochen. ad finem. Chryſoſt.

*Ita vanitatem condemnauit, & tanquam luctum proiectum aurum omne deſpexit, vt præter amictum illum, nihil amplius poſſideret.*

*Magnus rerum contemptor, aptus ad largiendum.*

Meritò iſte tantus, & talis eligitur ad vngendos Reges, & Prophetas; qui tanta animi generoſitate, præſtantiaque pollebat, vt omnia contemneret, & præter humilem melotem, qua operiebatur, nihil haberet. Valde aptiſſimus ſanè, vt culmina Regum, ac Prophetarum per alios vngendo diſtribuat; & alios in Reges, ac Prophetas deſignet.

At



37.
*Ambitioſus nil aliis vult elargiri.*

At verò qui omnia ſibi cupit, nil aliis patitur elargiri, ac dari. Poſtquam iunior frater venit è regione longinqua, magna eſt in domo patris exceptus lætitia. Quod cùm audiſſet ſenior frater: *Indignatus autem nolebat introire,* Luc. 15. num. 28.

Luc. 15.

Cur non ingreditur, ſed foris ſtat? Ipſe præ ſua ambitione totam paternam domum præoccupare volebat, & impatiens erat, quòd alteri in ea locus concederetur, id enim à ſe ablatum, & ereptum reputabat.

Chryſolog.

D. Chryſologus ſerm. 4. *Et quando inuidus non auarus, quando, quidquid habet alter, ſe computat perdidiſſe.* Duo fuerunt fratres, qui Romæ fundamenta dederunt; imperandi tamen ambitione vnus alterum interfecit.

Cyprian.

Vnde eleganter ait D. Cyprianus lib. de Idololatriæ vanitate. *Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium.*

## Qvæstio VI.

### *Quare, cùm Dominus ſedet, diſcipuli accedunt?*

38. In quæſtionem ponimus: Cur Apoſtoli non dicuntur acceſſiſſe ad Dominum, niſi poſtquam ipſe ſedit? Reſpondet primò D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte.

Auguſt.

*Accedunt ad eum diſcipuli eius, vt audiendis illius verbis hi eſſent etiam corpore viciniores, qui præceptis adimplendis etiam animo propinquabant.* Volebat Dominus incipere hanc admirabilem concionem, ideo diſcipuli accedunt; tanquam cæleſtis doctrinæ auidiores, vt meliùs audirent. Deinde, quia erant ſocij, ac intimè familiares Domini, in eiuſque verſabantur ſchola, & ideo, quia propinquiores erant animo, conueniens erat, vt & eſſent corpore propinquiores.

*Exterior interiore conformetur.*

Valde enim decet, vt exterior apparentia interiorem imitetur, ac ſequatur affectum.

39.
Bernard.

Secundò D. Bernardus ſerm. de omnibus Sanctis. *Cùm ſediſſet,* inquit. *Alioquin quis ad excelſum illum gigantem poſſet accedere? Benigniſſimè prorſus inclinauit ſe, & exinaniuit vſque ad ſeſſionem, vt dicat Patri: Tu cognouiſti ſeſſionem meam.* Pſalm. 138.

Pſalm. 138.
*Dominus humiliauit ſe, vt nos ad ipſum accedere poſſimus.*

*Sedit enim, vt ad eum, quem ne ipſi quidem Angeli ſtantem attingere poterant, etiam publicani, & peccatores accedant.* Non accedunt homines, niſi poſtquam Dominus ſedit; nam quando Dominus in ſuæ maieſtatis ſtabat celſitudine, nec Angeli ipſum attingere valebant. At poſtquam ſe Dominus exinaniuit, ac humiliauit, quod ſeſſio denotat, vt dixi ſuperiori quæſt. tunc non ſolùm diſcipuli, ſed etiam publicani, & peccatores accedunt,

40.
Bernard.
*Ille verè accedit ad Deũ, qui affectu, ac imitatione virtutum accedit.*

Tertiò idem D. Bernardus citato loco. *Diſcipuli, inquit, acceſſerunt, non tam inceſſu pedum, quàm affectu cordis, ac imitatione virtutum.* Non turbæ dicuntur acceſſiſſe, ſed diſcipuli: ad Deum enim accedere dicitur, non qui corpore appropinquat, ſed qui per imitationem virtutum approximatur ad eum. Parum prodeſt ingreſſus ad Eccleſiam, vel ad Religionem, ſi amor voluntatis, propenſio animæ longè eſt à Deo. Accede ergo affectu, vt Deum merearis habere.

41.
*Cùm quis in ſublimi eſt, ad eum multi accedunt.*

Quartò. Aſcendit Dominus in montem, eratque in illius eminenti loco; & tunc accedunt diſcipuli. Res ſatis vſitata in hoc ſæculo, dum quis aſcendit, & eſt in aſcenſu, ac ſupereminenti loco, multi ſunt, qui ad eum accedant, ipſumque cingant. Illud tamen hîc eſt maximè ponderandum, quòd Euangeliſta non ait, quòd diſcipuli acceſſerint ad Chriſtum, dum aſcenderet, ac eſſet in itinere ad montem, ſed dum ſederit: *cùm ſediſſet, acceſſerunt.* Diſcipuli erant pro tunc imperfecti, & ad proprias commoditates intenti; ideoque ipſum Dominum non concomitantur in labore, & itinere, ſed in requie, & ſeſſione. At poſtquam ſunt diuini Spiritus gratia expoliti, virtutumque nitore condecorati, per cruces, labores, ac preſſuras Chriſtum ſequuntur, gaudentes: *Cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, gaudete, & exultate,* infrà num. 12.

*Amor imperfectus, non te, ſed ſuas ſequitur commoditates.*

Nam amor imperfectus, non te, ſed tua quærit. At perfectus, non ad proprias commoditates, ſed ad perſonam directi rapitur, totoque tendit affectu, ob bonitatem, quam in ea videt, & agnoſcit.

Audita morte Saulis, & Ionathæ, eos Dauid maximè lamentatur, dicens: 42.
*Filiæ Iſraël ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos cocino in deliciis, qui præparabat ornamenta aurea cultui veſtro.* 2. Reg. 1.

Et ſtatim ad Ionatham ſermonem vertens, ait: *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum,* 2. Reg. 1. num. 24. Excitat Dauid ad planctum filias Iſraël pro morte Saulis, & ſe ipſum pro morte Ionathæ. Sed filiabus Iſraël proponit multa bona, quæ è manu Saul accipiebant, veſtes coccineas pretioſas, & ornamenta aurea. At de ſe ipſo erga Ionatham nil tale commemorat? Forſitan è memoria Dauid excidit, quomodo Ionathas *expoliauit ſe tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta, vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad balteum,* 1. Reg. 18. num. 4. 2. Reg. 18.

Cur ergo ſicut Iſraëlis puellis obiicit veſtes à Saul acceptas, ſibi etiam veſtimenta à Ionatha data non proponit? Sed tantùm ait: *Doleo ſuper te frater mi,* &c.

*Amor imperfectus attendit ad tua, non ad te, perfectus verò è contra.*

Magnum interiacet diſcrimen inter vtrunque amorem; nam amor filiarum Iſraël in Saulem, cùm eſſet debilis, & imperfectus, non conſiderabat tantum Regis perſonam, quantum proprias commoditates, & affluentias bonorum amiſſas, vt eas lachrymis proſequeretur; at Dauidis amor, cùm eſſet charitate feruidus, & maximè expolitus, omnibus poſtpoſitis commodis ad Ionatham ferebatur, vt eum amiſſum lachrymis deploraret. Abulenſis 2. Reg. cap. 1. quæſt. 17. Abulenſ.

*Hîc inducit Dauid, ait, mulieres Iſraël ad plangendum pro Saule, & Ionatha, quia per mortem eorum multis bonis caruerunt, quæ priùs habebant.* Et poſt pauca ſubdit. *Dauid ſpecialiùs plangit Ionatham, quia ſpecialiter eum diligebat; & dicit: Doleo ſuper te, frater mi.* Vide ſuprà *cap. 7. num. 77.*

## Qvæstio VII.

### *Quare lex Moyſi detur populo in campeſtribus commorante: lex verò Euangelica proferatur diſcipulis, & turbis in monte ſtantibus?*

Cum Deus daret legem Moyſi, totus populus erat in campeſtribus: imò prohibitum 43.

*Difficultas.* tum eſt populo, in montem aſcendere, *Exod.*19. *num.*29. At,cùm Chriſtus Dominus hîc ſuam legem daret,diſcipuli ſimul erant in monte,vt apertè conſtat ex eo, quòd ſedente Domino in monte diſcipuli acceſſerit ad eum ; & quòd turbæ hunc ſermonem audierint , manifeſtè patet ex *Matth.*7.*num.*28.

44. Abulenſ. Reſpondeo ad quæſtionem . Primò ex his, quæ docet Abulenſis *citato cap.*19.*quæſt.*7. quòd Dominus noluit,vt Hebræi aſcenderent in montem, & ad ipſum Dominum appropinquarent , qnia erant adhuc rudes ad reuerentiam,& cultum Domini. At verò Chriſti diſcipuli , & turbæ , quæ ipſum ſequebantur,in quibus populus Chriſtianus exprimebatur, cùm eſſent apprimè edocti,ac illuminati in reuerentia , ac timore Domini ; & ita dicebat Petrus : *Domine exi à me , quia homo peccator ſum,* Luc.5.num.8. eſſentque ei maximè familiares, ac amici, eos adducit Chriſtus ſecum in montem. Hebræi, qui erant rudes in reuerentia, & timore Domini, in valle iubentur detineri,ne in montem aſcendant,in quo Dominus apparet. Magnum documentum nobis datur,vt eos habeamus nobiſcum, & cum iis conferamus ſermonem, qui edocti ſint, & perſpicaces in reuerentia , ac veneratione , nobis debita , impendenda.

*Cum iis conuerſandum, qui nobis ſciant dare reuerentiam.* Luc.5.

45. Chromant. Secundò Chromantius in cap.5.Matth. *Cùm lex,* ait , *daretur , iuxta montem populus prohibebatur accedere ; nunc Domino dicente , in monte nemo prohibetur ; imò potiùs omnes inuitantur , vt audiant , quia in lege ſeueritas eſt , in Euangelio gratia : illic terror incredulis incutitur ; hîc credentibus benedictionum munus infunditur.* Olim prohibebatur populus montem aſcendere ; nunc verò omnes inuitantur , ac alliciuntur à Domino. Olim , cùm populus eſſet incredulus, ne pœna multaretur, *Exod.*19. *num.*12. timor ei incutitur, ac aſcenſus montis intercluditur:nunc verò fideles ad montem prouocantur , vbi gratia , & benedictionum largitas in credentes præparantur: *Beati pauperes : Beati mites* , &c. Mira Dei clementia,& bonitas ! Vbi pœna, & ſupplicij rigor, remouentur indigni, ne illo puniti torqueantur; vbi gratia , & benedictio , omnes auocantur , vt illis impinguati nobilitentur, ac condecorentur.

*Dei clementia, vbi rigor, remouentur, indigni , vbi gratia vocãtur omnes,*

46. Greg. Mag. Tertiò D. Gregorius Magnus homil.12.ſuper Ezechielem. *Carnali,*ait, *Iſraëlitico populo deſcendente de monte , Moyſi lex in campeſtribus data eſt ; & ſanctis Apoſtolis Dominus in monte ſedens ſumma , & ſpiritualia præcepta locutus eſt ; vt ex locis videlicet monſtraretur ; quia & illis , tanquam carnalibus , mandata minima dabantur in valle terrarum ; & iſti , tanquam ſpirituales , & ſancti, in monte mandata cœleſtia audirent : quatenus apertè monſtraretur , quòd aſcendentes corde ad cœleſtia , infirma mundi relinquerent , & in montis culmine ſtarent.* Et ferè ſimilia habet *lib.*2.*moral. cap.*2. Lex datur populo Iſraëlitico in valle ſtanti ; nam vt populus carnalis,ac terrenis rebus depreſſus, atque detentus , ad montem, ac cacumen perfectionis non valet conſcendere,nec maxima præcepta audire , ſed minima. At ſancti Apoſtoli , in quibus erat populus Chriſtianus, dimiſſis terrenis tanquam ſpirituales ad ſuperna, ac cœleſtia volant , vt infirma mundi relinquentes , tota mente ad Deum dirigantur,ac ad faſtigium virtutum conſcendant , vt maximis præceptis, & documentis inſtruantur.

*Relinquenda terrena , vt percipiantur cœleſtia.*

47. Gen.28. Cùm Iacob iter ageret in Meſopotamiam , & deueniſſet in quendam locum, in quo dormiuit, *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram , & cacumen illius tangens cælos , & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi* , &c. Geneſ.28. *num.*12. Ioannes in ſuo Apocalypſi ait : *Ecce oſtium apertum in cælo ; & vox prima, quam audiui , tanquam tubæ loquentis mecum , dicens : Aſcende huc , & oſtendam tibi , quæ oportet fieri poſt hæc* , Apoc.4. num.1. Compone modo inter ſe Iacob,& Ioannem. Iacob dormiens in terra vidit cælum apertum,& Dominum loquentem ſibi multa. At Ioannes , vt videat , & audiat myſteria , ei dicitur: *Aſcende huc* , id eſt , in cælum. Nunquid Iacob perfectior eſt Ioanne,ſiquidem ille inhærens terræ,in qua dormiebat, cæleſtia penetrat ; & Ioanni neceſſe eſt , à terra exire, & ad cælum volare? Imò,quia Ioannes multo perfectior, ei mandatur aſcendere in cælum. In Iacob totus populus Iſraëliticus præfigurabatur , cùm in eius lumbis eſſet;& populus ille carnalis terrenis rebus inhærens,ac in eis iacens,non poterat ad cæleſtia euolare,ſed tantùm per vmbram,& ſomnium aliqua minora attingere. Vbi nos habemus, *Vidit in ſomniis,* Septuaginta legunt, *ſomniauit* ; & ea , quæ ei aperiuntur , multa ex parte ad temporalia , eiuſque generationem pertinebant: *Erit ſemen tuum, quaſi puluis terræ , dilataberis ad Occidentem , & Orientem* , &c. At Ioannes , tanquam ſpiritualis, in quo populus Chriſtianus adumbrabatur,vt ibi aduertunt Anſbertus , & Primaſius , mandatur cælum aſcendere , vt relictis terrenis ad cælum totus feratur , vt altiſſima ibi profundaque myſteria ad Chriſtum , ac eius diuinitatem , ac ſanctiſſimam Trinitatem ſpectantia perſpicacibus aquilæ oculis videat , & contempletur. D.Ambroſius : *Aſcende huc ; id eſt , terrena deſere, & ad cœleſtia animum erige. Si ſurſum cor erexeris , id eſt , Chriſtum fide ſecutus fueris , ea , quæ doceo , & quæ ventura ſunt , etiam ipſo docente , facilè cognoſcere poteris.*

Apoc.4. *Vt magna myſteria videas, terrena relinque, cælum conſcende.* Septuaginta. Ansbert. Primaſ. Ambroſ.

48. Multum per omnem modum conducit,vt animus ſit vacuus à rebus terrenis , vt diuinis impleatur. Ait Regulus Vates Pſalm. 45. num.11. *Vacate , & videte , quoniam ego ſum Deus.* Vt videant te , & agnoſcant , quid eis mandas. Vacate ; id eſt;vacui eſtote à rebus temporalibus ? nec enim qui humanis eſt plenus,diuinis impleri poteſt. Ita ait Brunonius : *Vacate à mundanis.* Et D.Remigius ; *Vacate , id eſt , vacui eſtote , vnde pleni eſtis ; implemini , vnde vacui eſtis. Quaſi dicat : Euacuate ſaccos veſtros palea , & implete eos granis; & ſic videte, quoniam ego ſum Deus.*

Pſalm.45. *Vacate à terrenis, vt cœleſtibus impleamini.* Bruno. Remig.

## Qvæstio VIII.

### *Quare lex in monte Sina detur in maieſtate : hîc verò Chriſtiana lex humilitate, & clementia proferatur?*

49. Caietan. Ex Euangelica , vt optimè obſeruat hîc Caietanus , non tradita eſt , ſicut Moſaica; non ſolùm , quia hæc per Angelos , & cum terroribus,illa verò per ipſum Ieſum proprio ore, & ſedendo ; ſed etiam,quia lex Moſaica vni populo

data



data fuit , & propterea toti populo Iſraëlis congregato ; hæc autem toti mundo datur , & ideo non populo Iſraël congregato,ſed diſcipulis docturis vniuerſum mundum promulgatur. Hîc autem in quæſtionem vocamus : Cur illa lex antiqua tradita eſt in multa maieſtate ; nam , cùm Dominus deſcenderet ad Moyſem , nubes operuerunt montem , fumus globoroſa caligine aſcendit , fulgura coruſcarunt , tonitrua perſtrepuerunt,& clangor buccinæ inſonuit, *Exod.*19. Cùm vero lex Euangelica hîc eructatur , omnia humilitatem , manſuetudinem , ac clementiam exhalant,Dominus ſedet humi cum diſcipulis,& turbis, cœleſtis beatitudo multis proponitur , & promittitur.

*Differentia inter legem veterem , & Euangelicã.*

50. Anſelm. Reſpondet primò D. Anſelmus , *Alia lex,* ait, *data eſt in terrore , quia fumus , & tubæ , & procellæ fuerunt circa montem ; in datione verò noui Teſtamenti nihil horum , ſed totum in tranquillitate fuit factum : vt doceret , hanc legem , non timore, ſed amore complendam eſſe. Alia lex ſcripta eſt in lapidibus ; iſta in cordibus. Sic enim dictum eſt à Domino* , ad Hebræos 8. num.10. *Hoc eſt teſtamentum , quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus , dando leges meas in mentes eorum , & in corde eorum ſuperſcribam eas.* Vetus Teſtamentum traditum eſt cum terrore , & timore ; ſcribebatur in lapidibus. At nouum Teſtamentum cum multa benignitate , & clementia profertur : ſcribendum erat in cordibus , & in mente noſtra. Hominum corda non traduntur, nec deuincuntur terrore, & timore,ſed amore,& fauore : nam ſi aliquem formidine,ac minis coëgeris,ſe tibi ſubiectum corpore,manibus, ac vultu exhibet ; cor tamen eſt longè eſt à te ; at verò ſi aliquem benignitate , & fauore proſequeris, facillimè eius mentem tibi aſtrictam,& deuictam reddis. Vide *lib.*3.*cap.*5.*num.*10.

*In lege veteri terror , in noua benignitas.*

*Benignitas maximè conducit ad vincenda corda.*

51. Leo. Secundò D.Leo ſerm.de omnibus Sanctis. *Qui locutus fuerat Moyſi,* ait , *locutus eſt Apoſtolis , & in cordibus diſcipulorum velox ſcribentis verbi manus noui Teſtamenti verba condebat , nulla , vt quondam , circunfuſa nubium craſſitudine , neque per terribiles ſonos , atque fulgores populo ab acceſſu montis abſterrito ; ſed patente ad aures circunſtantium tranquillitate colloquij , vt per gratiæ lenitatem remoueretur legis aſperitas , & ſpiritus adoptionis auferret formidinem ſeruitutis.* Volebat Dominus remouere legis aſperitatem ſpiritu adoptionis , ideo totus in hac lege Chriſtiana ſe exhibet in lenitate, ac manſuetudine ; vt his lucem præferam, accipe verba Chriſti Domini ſuis diſcipulis dicentis ? *Iam non dicam vos ſeruos, vos autem dixi amicos*, Ioan.15. num.15. Vt rectè explicant D.Irenæus *lib.*4.*cap.*27. D.Thomas, Hugo , Toletus , & alij. Olim homines erant quaſi ſerui ſeruitute legis ; nunc autem facti ſunt liberi, & amici ſub Chriſto Principe. Antiquitus lex ipſa datur in tanta maieſtate , & prodigiis, quia homines , tanquam ſerui, terrore , & formidine compellebantur ad obſequium;nunc autem,cùm ſe habeant homines,vt amici ac familiares, cum eis agitur humilitate , ac manſuetudine , quibus amici tractandi ſunt, atque trahendi. Theodoretus *homil.*1. *de natiuit. Chriſti* , habita *in Concil. Epheſin.* ait : *Deus blandè accedit , non enim per aſſumptam hominis naturam , illum abſterret ; ſed perſonæ humilitate ad familiaritatem , & amicitiam vocat.*

Ioan.15. Irenæus. D.Thom. Hugo. Toler.

*Amici benignitate trahuntur.*

Theodor.

52. Tertiò. Præcepta,quæ data ſunt populo Chriſtiano , multa maiora , & grauiora erant , quam illa , quæ ſunt exhibita Iſraeliticis , vt notant Diuus Auguſtinus *lib.*1.*de ſerm.Domini in monte.* Nazianzenus *orat.*2. Magna , & grauia non perſuadentur imperiali maieſtate , nec terrore , ſed clementia,& benignitate. Quartò,Dominus erat in tanta maieſtate , dum lex antiqua daretur ; & non ſolùm ipſe Moyſes erat opertus caligine montis: *Exod.*19.*num.*16. verùm etiam ipſe Dominus erat occultus , vt minimè videretur , itaut ei diceret Moyſes : *Oſtende mihi faciem tuam,* Exod.33.num.13. Per quod ſignificabatur, quòd lex tota illa erat inuoluta vmbris , & figuris ; & quod ad viſionem legiſlatoris non afferret. At, cùm Chriſtus dat ſuam legem,manifeſta facie ab omnibus videtur. Per quod oſtenditur , legem Chriſtianam claram,& planam eſſe,ac ad Dei viſionem ſuos obſeruatores perducere.

Auguſt. Nazianz. *Magna ſunt, non maieſtate , ſed benignitate.* Exod.33. *Lex Chriſti ad Dei viſionem perducit.*

53. Quintò. Lex illa antiqua magno ſtrepitu , terrore,ac timore profertur ; lex autem Chriſti magna benignitate , ac clementia. In illa antiqua lege vitia , & peccata prohibita declarabantur : *Non occides , non mœchaberis , non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium;* Exod.20. num. 20. At in hac lege noua eximię virtutes erant perſuadendæ. *Beati pauperes ſpiritu , beati mites,beati qui lugent , beati miſericordes , beati qui perſecutionem patiuntur.* Ad peccata , & vitia remouenda ſupplicij timor ; atque tremor vehementer exigitur;ad alliciendum autem ad virtutem ſectandam fauor , & benignitas maximè exoptatur.

Exod.20.

54. Luc.6. Ait Dominus in ſermone Luc.6.num.41. *Beati pauperes,quoniam veſtrum eſt regnum Dei. Beati, qui non eſuritis , quia ſaturabimini.* Et ſtatim poſt benedictiones,inquit : *Væ vobis diuitibus : væ vobis,qui ſaturati eſtis , quia eſurietis.* Sed cur Dominus tam benignus,&magnificus in largiendis benedictionibus , & ſtatim tam rigidus in proferendo væ contra diuites, ſaturatos,& opulentos? Erat totus meus Ieſus intentus,vt homines attraheret ad virtutes, ad paupertatem , lachrymas,& perſecutiones ſuſtinendas;& vt homines remoueret à peccatis, & vitiis : & ideo in iuſtos benedictiones , & gaudia profert , vt illis inuitentur; in peccatores verò ſuppliciorum iacula retorquet , vt illis deterriti ſuam prauam viam deſerant. Eleganter Tertullianus lib.4.in Marcionem. *Vt quia præmiſerat in benedictionibus benignitatem , ſubiiceret etiam in maledictionibus ſeueritatem , amplitudinem diſciplinæ vtriuſque inſtruendæ , tam ad benedictionem ſectandam , quàm ad maledictionem præcauendam.*

*Benedictionibus ſuadētur virtutes ſuppliciis præcauentur peccata.* Tertul.

55. 3.Reg.18. Minatur Elias Iſraëliticis cælum intercluſum, pluuiam prohibitam : *Viuit Dominus , in cuius conſpectu ſto , ſi erit annis his ros , & pluuia , niſi iuxta oris mei verba* , 3. Reg. 18. num. 1. Et ad quinquagenarium principem , qui imperioſè vocabat eum ad Regem : *Si homo Dei ſum , deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos,* 4. Reg.1.num.10. Cùm tamen ipſe Propheta famelicus veniſſet in Sarepta ad mulierem viduam, quæ tantum habebat parum farinæ in hydria , & olei in lecytho;ab ea petit panem,& ait : *Hydria farinæ non deficiet , nec lecythus olei minuetur , vſque in diem , in qua Dominus daturus eſt pluuiam,* 3.Reg.18. num.14. Vnde Propheta, qui tam rigidus, & rigoroſus erat aliis , ita mulieri ſe exhi-

4.Reg.1. 3.Reg.18.

bet

bet beneficum,& affabilem? Cur eam nimis non compellit ad panem præbendum? poterat ei dicere: Da mihi panem; & ſi non dederis, ignis deſcendet de cælo, & deuorabit te: at hac ſeueritate prætermiſſa, multa beneficia pollicetur? Ad coërcendam graſſantem idololatriam in populo Iſraël comminatur prohibitionem pluuiæ, vt Abulenſ. terreret idololatras, & vt ad auctoritatem Prophetarum proficeret, vt notat Abulenſis 4. *Reg.* 1. *quæſt.* 18. ignem adducit de cælo ſuper quinquagenarium, eiuſque milites. At, vt mulier alliciatur ad actum charitatis, vt hominem fameſcentem cibaret, & ad actum miſericordiæ incitaret, vt peregrino hoſpitium exhiberet fontes farinæ, olei, ac torrentes donorum, vt meditatur Theodor. Theodoretus 3. *Reg. quæſt.* 52. pollicetur. *Supplicium deterret, benignitas attrahit.* Quando Propheta totus adducitur, vt idololatriam, & contemptum Prophetarum intercludat, & euellat, ignes, famem, & rigores obiicit, at dum ſe conuertit, vt ad actus virtutum mulier inducatur, fauores, & benedictiones expandit, & diffundit. Bernard. Vnde ait D. Bernardinus ſerm. 30. *Benignitas attrahit; timor malos greſſus animæ, ne vlterius in crimina ruat, ſiſtit.*

56. Pſalm. 7. Regius Vates *Pſalm.* 7. *num.* 11. ait: *Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis; ſagittas ſuas ardentibus effecit,* &c. Vbi totus eſt Propheta, primo loco in numerandis beneficiis, & fauoribus in iuſtos collatis; nam illis Dei adiutorium eſt certum; & tandem eos ſalutis dono remunerat. Et ſtatim vertit ſermonem ad peccatores, niſi conuertantur à viis ſuis peſſimis; & multa in eos minatur ſupplicia; gladium vibrabit, ſeu acuet; arcum armauit, & parauit; vaſa mortis aptauit, & ſagittas ſuas compoſuit. Sed ad quid tanta Dei Chryſoſt. præparatio, vt optimè ait Chryſoſtomus, cùm ſolo nutu, & voluntate ſua poſſit cuncta euertere? Deinde cur tantus eſt Propheta in numerandis beneficiis erga iuſtos? Cur etiam non commemorat labores, quibus Deus aliquando permittit eos vexari? Cur de peccatoribus non apponit bona, quæ ſæpe obtinent, itaut ipſe Propheta dicat: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani.* *Beneficiis reconciliatur animus.* Propheta, vt notat Chryſoſtomus, totus erat, vt homines inuitaret, & traheret ad virtutes amplectendas, & ad peccata deteſtanda: vt virtutes ſectentur, beneficia, & Dei dona ante oculos ponit, vt animus illis excitetur; vt autem mala euitentur, ſupplicia Idem. obiicit, vt homines terreantur. D. Chryſoſtomus citatus. *Mitis eſt, & patiens, te adducens ad pœnitentiam.* Et poſt aliqua ſubdit: *Milites quidem ea de cauſa armantur, vt puniant: Deus autem non ſic, ſed vt, cùm reddiderit metu modeſtiores, abſtineat manum à ſupplicio.*

*Matth.* 5. *n.* 2. Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et aperuit os ſuum, eoſque docuit.

*Euthym. Theophyl. Vatabl.* Apertóque ore ſuo docebat eos.

*EXPOSITIO.*

57. Ambroſ. DIVVS Ambroſius in cap. 6. Lucæ. *Aperuit os ſuum*, inquit, *theſauros ſcilicet ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, recluſis adytis veteris templi, reſerauit.* More Scripturarum hoc loquendi modo ſignificat Euangeliſta, quòd Dominus exorſus eſt loqui; & alta, ac grandia, atque profunda, quæ antea non fuerant audita, profert. *Et docebat eos*, ſcilicet diſcipulos, & turbas magnam, & ſublimem doctrinam, qua, vt ait Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte*, tota vita Chriſtiana Auguſt. perfectè inſtruitur.

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare dicatur, quòd Chriſtus aperuerit os ſuum?*

58. VIDENS eſt, quòd Chriſtus, dum docebat, ac loquebatur, aperuerit os; nam dicendo docebat: ergo ob aliquam ſpecialem rationem dictum eſt, quòd aperuerit os. Hanc rationem inquirimus.

59. Prima, & germana ſolutio. *Aperire os*, ſecundùm phraſim Scripturæ, eſt, principium loquendi facere. *Principium loquendi facere.* Iob 3. num. 1. *Poſt hæc aperuit Iob os ſuum.* Iudic. 11. num. 35. *Aperui os meum ad Dominum.* Eccleſiaſt. 51. num. 33. *Aperui os meum, & locutus ſum.* (Iob 3. Iudic. 11. Eccli. 51.) Dicitur ergo, quòd Chriſtus aperuit os ſuum, id eſt, principium dicendi habuit. Nam licèt antea locutus fuerit, ſicut & Iob multa antè dixiſſe narratur *cap.* 1. & 2. ſic & Chriſtus dicitur, quòd aperuit os ſuum, vt ait D. Hilarius, Hilar. quia multa, & alta myſteria aperuit, quæ antea tacuerat. Et, vt ait Abulenſis *quæſt.* 14. Abulenſ. licèt enim Chriſtus ante hoc prædicauerit, non legitur tamen dediſſe aliqua præcepta ſpecialia; ſed hîc dicitur, incepiſſe dare legem, vt omnes aſſerunt. Auguſtinus verò *lib.* 1. *de ſerm. Domini in* Auguſt. *monte.* D. Anſelmus, Haymon, Anſelm. coniiciunt ſignificari Haymon. hîc longitudinem ſermonis; quia antea tam longum ſermonem non habuerat. At hic modus loquendi ſimpliciter principium dicendi ſignificat.

60. Auguſt. Greg. Mag. Angelom. Anſbert. Bernard. S. Thom. Secundò D. Auguſtinus *citatus*, D. Gregorius Magnus *in cap.* 3. *Iob.* Angelomus *in cap.* 1. *Cant.* Anſbertus *lib.* 1. *in Apocal.* D. Bernardus *ſerm. de omnibus Sanctis.* S. Thomas, & alij. Aperuit nunc Dominus os ſuum, antea enim locutus fuerat per Angelos, vel per Prophetas; nam lex vetus non eſt data à Deo per ſemetipſum, ſed per Angelos, vt ait beatus Stephanus *Actor.* 7. *num.* 38. & 53. & Paulus *ad Galat.* 3. *num.* 19. *Loquitur Dominus per ſemetipſum, nõ per Prophetas.* Poſtea verò omnia, quæ Deus illi populo mandauerat, per Prophetas ſuos manifeſtauit. Nunc autem Deus locutus eſt, non per Angelos, non per Prophetas, ſed per ſemetipſum, vt patet ex Apoſtolo ad Hebr. 1. Hebr. 1. num. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.*

61. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſtomus hom. 15. *Cuius*, ait, *rei gratia videtur adiunctum: Aperiens os ſuum? Vt proculdubio diſceres, quia non, cùm loqueretur, ſolùm, ſed etiam, cùm taceret, docebat: nunc quidem*

dem



*dem os aperiens, nunc verò ipſis operibus vocem mittens.* Eodem ferè modo reſpondet Euthymius. Euthym. *Quam ob cauſam ait Euangeliſta, quod os ſuum Chriſtus aperuit? Quia etiam non aperto ore docebat eos operibus.* *Exemplo doceat magiſter.* Verus Præſul, veruſque Prædicator non ſolùm docet ore, & ſermone, dum fatur, ſed etiam, dum tacet, opere, & exemplo.

62. Remig. Quartò D. Remigius, *Vbicunque legitur*, ait, *Dominum aperuiſſe os, inſpiciendum eſt, quia magna ſunt, quæ loquuntur.* Per hanc autem deſignationem magnarum rerum redditur lector attentus, quaſi magna ſint, quæ legit. Quintò Paſchaſ. D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Aperit*, ait, *oris ianuam, vt fluenta eructaret abyſſi; aperit oſtium theſaurorum, vt dona diuideret vniuerſis: quia quidquid à ſæculo promiſſum fuerat, in eo quaſi ſigillo claudebatur, Vnde, cùm reſerauit myſtica ſapientiæ documenta, rectè os aperuiſſe dicitur, quo flueret, quaſi ex vno paradiſo fluuius, ex quo non ſolùm Apoſtoli, verùm omnis Eccleſia ſæculorũ rigata viueret.* *Aperit Dominus fluenta ſuæ ſapiẽtiæ omnibus.* In Chriſto omnia myſteria, quæ erant à ſæculo promiſſa, claudebantur: aperit os Dominus, dum ſe ipſum manifeſtat, dum fluenta ſapientiæ, & gratiæ ab ipſo dimanant, & deriuantur in omnes, non ſolùm familiares, & amicos, vt Apoſtolos, ſed etiam in omnem Eccleſiam fidelium.

63. Rupert. Sextò Rupertus *lib.* 5. *de gloria, & honore filij, hominis.* Quod eſt iſtud os Domini, niſi Scripturæ, per quas nobis loquitur ſpiritus Domini. Iſtæ clauſæ fuerunt, & ſignatæ pro ratione temporis. Daniel. 12. Ita dicitur Daniel. 12. numero 9. *Clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad præfinitum tempus.* *Aperit Dominus Scripturam.* Quomodo, vel quibus Scripturæ Chriſtum prænuntiantes clauſæ erant? Vtique ſpiritualia ſic annuntiando, vt carnalia ſonare viderentur; illis præcipuè, vt Iudæis, quorum carni ſubditus, & terrenis cupiditatibus deditus erat animus. Exempli gratia: *Dominabitur à mari vſque ad mare*; hæc Iudæi legentes, non ſpiritualiter, ſed materialiter intelligebant, ſperantes Meſſiam temporaliter regnaturum; & ſe ipſos multis diuitiis proſperandos fore. Sed tunc os Domini, ſcilicet Scriptura, erat clauſum, quod modò aperitur, & ait: *Beati pauperes ſpiritu.* Ita Rupertus.

64. *Multi loquuntur per os alienum.* Septimò. Aperuit os ſuum. Quia multi ſunt, qui dum loquuntur, non aperiunt os ſuum, ſed alienum, qui verba dicunt aliorum, non ſua. Sic Aaron ex ore Moyſi verba loquebatur ad Exod. 7. Pharaonem. Dixit ei Deus: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus: Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi; & ille loquetur ad Pharaonem*, Exod. 7. 2. Reg. 14. num. 1. Sic & mulier Thecuita ex ore Ioab loquitur ad Dauid: *Seruus tuus Ioab ipſe poſuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc*, 2. Reg. 14. num. 19. Sic & Iacob à matre Rebecca edoctus, & inſtructus benedictionem à patre impetrat. Vnde, cùm ipſe timeret, hoc præſumere, & intentare, ne Geneſ. 27. in patris maledictionem incurreret, ei dixit mater: Peluſiot. *In me ſit iſta maledictio, fili mi, tantùm audi vocem meam*, Geneſ. 27. num. 13. In quo, vt notat D. Iſidorus Peluſiota *lib.* 2. *Epiſtol.* 48. eximia charitas matris in filium eluxit; & ſe bene maledictioni ſubiicit, quæ natum ſuis verbis excitauerat ad petendam benedictionem, quanuis aliàs ipſa Dei promiſſis enitens, qui dixit: *Maior ſeruiet minori*, certa eſſet, quòd nulla maledictio eueniret.

*Matth.* 5. *n.* 3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

*VERSIONES.*

*Ægyptius.* Beati pauperes in ſpiritu.

*D. Chryſoſtom. in Imperfecto homil. 9. ex Græco.* Beati egeni, vel beati mendici, quoniam illorum, &c.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 6. *n.* 20. Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei.

*EXPOSITIO.*

65. COMMENDAT Dominus hîc paupertatem, quæ dicit abnegationem, ac renuntiationem bonorum temporalium, vt clariùs habet Græcus: Græcus. *Beati mendici, ſeu egeni.* Et non qualemcunque paupertatem laudat Dominus, ſed eam, quæ eſt in ſpiritu, id eſt, quæ eſt ex voluntate, & ſpontanea intentione, vt indicat illa particula, *ſpiritu*; qualis erat paupertas Apoſtolorum, qui voluntate, relictis omnibus, ſecuti ſunt Dominum. Et eos beatos dicit, quia per paupertatem, vt explicat Abulenſis, Abulenſ. habent proximam, & rectam viam ad beatitudinem. Et, vt ait Chryſoſtomus homil. 15. Chryſoſt. *Non dixit Dominus: Beatus ille, & ille: ſed quicunque iſta fecerint, omnes beati, ſiue nobiles, ſiue ignobiles.* Dona enim ſua, non ad aliquos reſtringit, ſed ad omnes extendit. Et tantæ virtutis ponit præmium, ſubdens: *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Iam nunc eis debetur, certi ſunt, ſe accepturos eſſe regnum cælorum, quod iure paupertatis ipſorum eſt, vt explicant Hugo, & Caietanus. Hugo. Caietan. Et rectè regnum cælorum eis promittitur: ſi enim propter Dominum diuitias, ac breues ſæculi honores contempſerunt, ab ipſo Domino accipient regnum cælorum, & vitam æternam, in qua ſunt veræ, ac perpetuæ diuitiæ, & honores. Multa alia in quæſtionibus require. Et quanuis ſermo, relatus à D. Luca, ſit diſtinctus, vt dixi, tamen ea, in quibus habet ſimilitudinem, appono ob breuitatem, ne iterum repetam.

---

## QVÆSTIO X.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc proponat præmium vniuſcuiuſque virtutis, ac beatitudinis.*

66. *Ratio difficultatis.* VT hæ virtutes amplecterentur ab hominibus, videbatur abundans, quòd Chriſti





exhor

exhortatio proponeretur, ac quod eius beneplacitum eſſet ante omnium oculos. Ad quid ergo Chriſtus Dominus vnicuique virtuti ſuum aſſignat præmium.

67. *Abulenſ.* Reſpondet primò Abulenſis. *Quia huiuſmodi actus ſunt excellentes, & laborioſi, quaſi contra inclinationem naturæ, ſaltem naturæ lapſæ; & ideo non ſunt ſecundùm ſe appetibiles: & ſic nemo vellet, eas ſequi. Vt ergo velint homines, ſequi illas, poſuit in ſingulis præmia ipſarum.* Cùm noſtra natura maximè refugiat actus laborioſos, vt humanus animus alliciatur, ac trahatur ad ſectandas virtutes, earum remunerationes explicat Dominus; nam ſpe, & cognitione certa præmij maximè mouetur, ac facilitatur animus ad quamcunque difficultatem ſuperandam. Liceat mihi philoſophari, quòd cuilibet virtuti duplex deſignatur præmium à Chriſto. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Quòd ſint beati, ecce vnum præmium; quòd obtineant regnum cælorum, alterum. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram;* beati, magna remuneratio, quòd poſſideant terram, altera excellens donatio; & ſic de cæteris. Tam magnificus, ac liberalis eſt Dominus, vt pro vna virtute duplex largiatur præmium. E contra verò homines pro multis meritis, ne vnam paruam remunerationem ſciunt diſtillare. Vide *cap. 7. num. 68. & 69.*

*Spes præmij maximè facilitat ad difficultates ſuperandas.*

*Deus ita liberalis, vt pro vno obſequio duplex det præmium.*

68. *Chryſoſt.* Secundò D. Chryſoſtomus homil. 15. in Matthæum. *Doctrinam ſuam, non ſub ſpecie mandatorum, atque exhortationis inducit, ſed ſub præmiis beatitudinum, vt ſcilicet ſermonem ipſum faciat gratiorem.* Vt ſermo ipſe eſſet gratioſus, ac cunctis delectabilis, doctrinam ſuam Dominus eructat multis plenam præmiis: valde enim periucundus eſt ſermo, qui multis promiſſis, ac magna donorum ſpe plenus prodiit, & exiit. Frequenter illud delectat humanum animum, in quo emolumentum lucri relucet.

*Iucūdus ſermo donis promiſſis plenus.*

69. Tertiò. Maximè conſideratione dignum, qualiter ſe Deus habeat cum Iob? qualiter cum Apoſtolis. Permittitur Iob pugna, facultas conceditur diabolo, vt iuſtum omni plaga, & temporali vexatione exagitet. Expoliatur Dei athleta bonis omnibus, filiis orbatur, à ciuitate, ac domo expellitur; & tandem in ſterquilinio ſiſtitur. Tamen de pugna nihil ei prædicitur; nec aliquid de futuro præmio ei promittitur. At quando res eſt cum Apoſtolis in hoc ſermone, pugnæ, ac luctamina cum diabolo eis aperiuntur, imò & coronæ, ac æternum emolumentum eis promittitur. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eritis, cùm vos oderint, & perſecuti vos fuerint: gaudete,* &c. Dubium pulchrè attigit, & ſoluit Chryſoſtomus homil. 3. in Iob. *Si non dixit Iob, quare ratione pari Apoſtolis dimicationem non tacuit? Solus Iob certauit, pro ſemetipſo ſudauit: Apoſtoli autem erant præcones terræ, orbiſque doctores: ipſis occultari poterat, ſed res mundo detrimentum fuiſſet. Potuerat Paulus ſine coronæ promiſſione certare: ſed non vbique Paulus, non vbique Petrus; multorum animæ infirmæ ſunt, multorum animæ vacillant.* Hic ſermo non ſolùm dirigebatur ad Apoſtolos, ſed etiam ad turbas, vt dixi in principio; & nec omnia poſſumus omnes, nec pro virtute eximia perfectiſſimorum virorum, aliorum animus eſt metiendus: *Non enim vbique Paulus; non enim vbique Petrus,* &c. Admirabilis virtus Iob in certamen deſcendit abſque præcognitione pugnæ, & præmij; & cùm eſſet valde excellens, per ſe ſtat firma, atque ſtabilis. At verò cùm hominum, turbarumque inſtruitur multitudo: *Quorum animæ infirmæ ſunt,* valde decet, vt præmiis corroborentur, ac coronis armentur, vt his animus ineſcatus, ſudoribus, ac pugnis non ſuccumbat, ſed ſpe lucri firmus, ac inconcuſſus conſiſtat.

*Differentia inter Iobum, & Apoſtolos.*

*Idem*

*Pro virtute magnorū virorū animus aliorum non eſt metiēdus.*

Deinde expende illa verba S. Doctoris: *Solus Iob certauit, pro ſemetipſo ſudauit: Apoſtoli autem erant præcones terræ, orbiſque doctores.* Iobus pro ſe tuendo pugnauit. At multi fideles, qui hîc etiam in Apoſtolis inſtruebantur, vtpote futuri orbis doctores, certamen erant ſuſcepturi pro aliis; ideo valde conuenienter fideles è turba præmio inde reportando animantur; quia ſi homines pro tuenda anima ſua non repugnent certamini ſe committere; tamen vt pro aliis pugnent illi, qui non ſunt valde perfecti, vt erant Apoſtoli, multa exoptantur. 70.

*Homo pro vita ſua facilè pugnat; vt pro aliis decertet, requirūtur multa.*

Quartò. Ad quid tanta coronæ promiſſio? Nónne iſti erant Domini diſcipuli? Sat erat eis, quòd explicata eſſet magiſtri voluntas. Ad quid tanta præmij ſtipulatio? Diſcipuli adhuc erant imperfecti, nondum Spiritus ſancti gratia expoliti; &, vt iam notaui, non dicuntur acceſſiſſe ad Dominum, cùm in montem aſcenderet, quod erat ſudoris, & fatigationis occaſio; ſed cùm ſediſſet, quod requiem denotat: *Cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.* Ex quo optima conſequentia deductum eſt, eos qui in moleſtia, ac preſſura non aſſociantur, nec etiam ſemetipſos ſudoribus, ac aduerſitatibus pro Domino eſſe committendos. Et ideo valde conueniens videtur, vt præmiis obiectis conſolidentur, ac animentur ad labores ſufferendos, atque vt cum Domino perſiſtant in multis contra Iudæorum machinationes aduerſitatibus. 71.

*Qui labores refugit, niſi lucro animetur pro te non pugnabit.*

Conferendum, quomodo pia anima Deum quærat in Pſalmis, & Canticis. Ait Pſalm. 76. num. 2. *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis.* Cant. 3. num. 1. inquit eadem anima iuſti: *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Quærit Ghiſlerius *ibid. expoſit.* 3. Vbi nam ipſa anima fuerit amore feruentior? Et quanuis videatur pro Dauide ſententiam ferre; nam ipſe quæſiuit per diem, manibus operum plenis; ſponſa verò quæſiuit per noctem, ac in lectulo; tamen Gillibertus Abbas *ſerm. 3. in Cantica,* quæſtionem reſoluit pro ſponſa. Et optimè hoc comprobatur ex præmio aſſecuto. Nam ſponſa, cùm ſe aliquantulum inclinaſſet, ſuum reperit dilectum: *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea,* ibidem num. 4. At Dauid longas querimonias excitat ob repulſas, quas patiebatur. Vnde dicebat: *Nunquid in æternum proiiciet Deus,* &c. *eodem Pſalm. 76. à num.* 8. Sed vnde relucet magis amor ſponſæ, quàm Dauidis? In quo eſt maior eius excellentia? Dauid quæſiuit *Deum in die tribulationis meæ;* ob proprium commodum, vt à Domino impetraret auxilium, vt à ſua preſſura, & tribulatione ſe eximeret, ac requiem in Deo inueniret; at ſponſa ſui dilecti amore vulnerata 72. Pſalm. 75. Cant. 3. Ghiſlerius. Gillibert. Pſalm. 76.



nerata eum quærit, abiecta proprij lectuli requie, & teneritudine, iniurias cuſtodum ciuitatis paruipendens, dum audit ſuum dilectum noctis rigore, & inclementia laborantem, & fatigatum. *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium,* Cantic. 4. num. 2. Et ille amor eſt multo excellentior, & illi maximè fidendum, qui quærit, non vt requiem inueniat, ſed vt obſequia præſtet. Gillebertus *citatus,* poſt adductum Pſalmi locum. *Longè differentior quærendi ratio nunc à ſponſa proponitur. Illam non impellit afflictio, ſed trahit affectio. Ille in Pſalmo quærit aduersùs tribulationem: iſta ad amoris vſum, & oblectationem. Ad hoc enim refert & quietis lectulum, vt quem diligit, inconcuſsè recolat, & dulciter ſentiat. Ergo multo potior in diligente, quàm in indigente quærendi ratio.*

*Perfectus amor, non ſuum commodum quærit, ſed vt dilecto ſeruiat.* Cant. 4. Gillibert.

73. Illi amicitiæ eſt maximè fidendum, ac magna committenda, quæ non in oblectatione ac ſerenitate, ſed in aduerſitate, ac contrarietate quærit, & confitetur. Publica voce profitetur Petrus, Chriſtum eſſe filium Dei. Vnde à Domino maximè laudatur, eique regendam tradit Eccleſiam ſuam. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* Matth. 16. num. 18. Nathanael etiam fatetur Chriſtum filium Dei: *Rabbi, tu es filius Dei,* Ioan. 1. num. 52. Et tamen à Domino non laudatur. Quærit Chryſoſtomus *hom. 55. in Matth.* Cur Petrus ita encomiis extollitur; non verò Nathanael, cùm Petrus confeſſus ſit Dominum poſt multa miracula, & mirabilia viſa, quæ Nathanael adhuc ſuis oculis non viderat? Cur ergo ille ita voce Domini ſublimatur, & non iſte? Nathanael Chriſtum agnoſcit filium Dei, quando Baptiſta clamans digito ipſum oſtendebat, dicens? *Ecce agnus Dei;* & quando odium Phariſæorum adhuc non erat executum in Chriſtum. At Petrus eum fatetur filium Dei, quando in Chriſtum totus mundus erat armatus, & Phariſæi mille perſecutiones, ac machinationes in ipſum tendebant; & populus in multas opiniones ſcindebatur: *Alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Et maximè laudabile, ac amoris eſt indicium, Dominum ſequi, & profiteri, potius dum omnes aduerſantur, ac contrariantur, quàm dum omnes applaudunt, & recognoſcunt: nam illinc aduerſitatibus, ac contrarietatibus te committis; hinc verò ſecurus cum emolumento pergis.

Matth. 16. Ioan. 1. Chryſoſt.

*Valde laudabilis amicus, qui non in ſerenitate, ſed in aduerſitate, te agnoſcit.*

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Dominus in his præmiis conferendis non ſe declarat auctorem?*

74. IN his beatitudinibus explicandis? *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram,* &c. Cur non enucleat Dominus, à quo regnum cælorum ſit accipiendum; à quo terræ poſſeſſio conferenda? Cur ergo non pandit auctorem in his donis retribuendis, cùm huiuſmodi remunerationes à nullo alio ſint concedendæ, ac dandæ, quàm ab ipſomet Domino? Cur non ait: Ego do eis regnum: ego trado poſſeſſionem terræ: ego conſolabor eòs; ſed ſuppreſſo auctoris nomine per tertiam perſonam loquitur?

*Difficultas quæſtionis.*

Reſpondeo primò, quòd eſt adeò magnum, & excellens præmium, quod pro noſtris meritis Chriſtus Dominus nobis concedit, vt, ſi diceret: Beati pauperes, quoniam ego do eis regnum cælorum: do poſſeſſionem terræ, intelligeret aliquis per huiuſmodi loquendi modum, quòd hæc gratuitò, & liberaliter darentur, cùm dare, ſeu donare, huiuſmodi gratuitam, & liberalem conceſſionem importet, *l. Senatus, ff. de mortis cauſa donatio. l. 20. C. de pactis.* Et latè explicant Molina *diſput. 273. à numero 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. n. 11.* At verò cùm Dominus dicat: Ipſorum eſt regnum cælorum, poſſidebunt terram; denotatur, vt explicant Caietanus, & Hugo, quòd iure paupertatis, ac virtutis ipſorum ſit regnum cælorum, ac poſſeſſio terræ. Vt ergo Dominus iudicaret, quòd non tantùm gratuitò, ſed ſecundùm ius, & iuſtitiam regnum eis conferebatur, non ait: Do eis regnum; ſed ipſorum eſt. Tanta eſt enim Domini magnificentia, vt non ſolùm nobis ſua velit donare, verùm etiam nos nobilitare, ac extollere; cùm ea, quæ per merita dantur, maximè condecorent. 75. Molin. Leſſius.

*Deus ita ſua dat dona, vt condecoret.*

Eliſæus poſtulans duplicem ſpiritum parentis Eliæ, ait: *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Cui Elias: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti,* 4. Reg. 2. numero 9. Non ait Eliſæus: Obſecro, vt des mihi, ſeu detur mihi ſpiritus tuus duplex; ſed fiat mihi. Sic & Elias non dixit: Detur tibi; ſed *Erit tibi.* Caietanus ibi: *Petit Eliſæus ſuccedere in ſpiritu Eliæ iure primogeniti, quod eſt præferri cæteris filiis ſpiritualibus Eliæ; & ſuccedere non ſolùm in ſpiritu miraculorum, & Prophetiæ, qui erat in Elia, ſed etiam excellenter habere huiuſmodi ſpiritum, ſicut excellenter primogenitus ſuccedit in bonis paternis.* Nobiliſſimo modo petit habere ſpiritum, non ex fauore, ſed ex iure; nam quod ſecundùm ius habetur, excellentiſſimo modo poſſidetur. Aliter verò homines huius ſæculi ſæpe, ſi aliquid donant, non vt tibi cedat in honorem; at vt ſit in contumeliam, & in opprobrium. Sic Saul cùm in matrimonium dat Michol Dauidi, ait: *Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum,* 1. Regum 18. numero 21. 76. 4. Reg. 2. Caietan. 1. Reg. 18.

*Quod habetur ex iure, excellenter habetur.*

Secundò. Remuneratio his virtutibus aſſignata, valde magna eſt, ac præexcellens; & Dominus hîc loquebatur cum diſcipulis, & hominibus, qui tanquam amici, ac familiares Dominum ſequebantur; ſi ergo Chriſtus diceret: Do eis regnum cælorum, poſſeſſionem terræ: ſuſpicaretur aliquis, quòd tantum donum, non ob meritum, ſed potiùs ob gratiam, & fauorem concedebatur. Ne ergo iuſtorum coronæ nobilitas deuenuſtaretur, non apponit Dominus verbum, quod gratiam ſonat, ſed quod ius, & iuſtitiam denotat. 77.

*Fauor deuenuſtat meritorum coronam.*

Tertiò. In explicandis mercedibus, ac beatitudinibus ſuorum iuſtorum cauet Dominus modum loquendi, qui denotat fauorem, & gratiam; & vtitur verbo innuente ius, & iuſtitiam, vt huiuſmodi Sanctorum remunerationes eſſent omni inuidia, ac liuore ſuperiores. Nam ſicut 78.

*Dignitas per merita omnibus plauſibilis, nemini inuiſa.*

dignitas, per fauorem conceſſa, in aliorum animis inuidiam excitat, & commouet; ita ſi per merita eſt obtenta, ab huiuſmodi malo libera, immuniſque euadit.

79. Matth. 25. In extremo iudicio dicet Dominus ſuis electis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me*, &c. *Tunc reſpondebunt iuſti: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus?* &c. *Matth.* 25. *à numero.* 34. Difficilis eſt nodus apud expoſitores, cur Chriſtus donans beatitudinem ſuis electis, ita eorum merita amplificat, ac dilatat, vt ob modeſtiam ſua iuſti præclara facta vix recognoſcant, vt ait Origenes homil. 34. in Matth. *Humilitatis cauſa, laude benefactorum ſuorum indignos ſe proclamantes.* Et ideo dicunt: *Vnde te vidimus eſurientem, & pauimus te?* Et ita hîc verbis extolluntur, & amplificantur merita iuſtorum, vt Lyranus exiſtimet, hoc non eſſe narrationem hiſtoriæ, ſed parabolam. Et Salmeyron non inter narrationes, ſed inter parabolas computat, vt aduertit Barradas. Cur ergo Chriſtus retributurus ſuis prædeſtinatis beatitudinem, ita eorum merita extollit? Origenes. *Voluit iuſtorum benefacta oſtendere grandia.* Sed cur Dei ſapientia diſponit, vt electorum merita grandia appareant? Largiebatur eis Dominus ingens beatitudinis donnum; voluit etiam & merita vt grandia, & magna publicare, ac euulgare; vt ex magnitudine meritorum magnum præmium omnibus eſſet applauſibile, & à nemine inuidiæ liuore appetitum. Vnde ait B. Victor lib. 3. de Vandalica perſecutione, *Quod merita conferunt, omnes approbant, nullus inuidet.*

(Origen. — Lyran. — Salmeiron. — Barradas. — Origen. — *Vbi merita apparent, non eſt, qui inuideat.* — Victor.)

80. Geneſ. 37. Cùm Iacob tenerè diligeret filium ſuum, & feciſſet ei tunicam polymiticam, *Oderant eum fratres ſui, & inuidebant ei*, Geneſ. 37. num. 11. Poſtea verò ductus in Ægyptum clauum regni tenet, totum regnum gubernat, omniaque ad eius nutum diſponuntur, *Geneſ.* 44. nullus è fratribus inuidet, ſed omnes lætantur, ac exultant de viri dignitate, & gloria. Philo *lib. de Ioſeph.* de eis loquens: *Tunc*, ait, *fratres certatim collaudabant hominem, alio aliam virtutem prædicante, clementiam, charitatem, prudentiam; pietatem verò omnes vno ore laudabant, & felicem euentum.* Sed cur in domo patris omnes tunicam vnam ægrè ferunt; in Ægypto verò regni culmen, tantamque omnes celebrant dignitatem? Quando merita cunctis ſunt præuia, atque nota, honor, ac exaltatio omnibus eſt grata, atque iucunda; nulluſque liuidoſo ore impetere audet. In parentis domo Ioſephi præclara facta, ac ſapientiæ ſuæ monumenta adhuc latebant; & tunc inuidia audenter prodibat; at in Ægypto tanquam Sol fulgebant, & irradiabant; ac proinde inuidiæ nebula diſſipatur, vt nullius mens tenebris, & caligine inuoluatur.

(Philo. — *Per meritorũ euidentiam exploditur inuidia.*)

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus Dominus has excellentes virtutes, non præcipiendo, ſed benedicendo proponat?*

81. *Ratio difficultatis.* AD excellentiſſimas virtutes nos hîc exhortatur Chriſtus. Et ait: *Beati pauperes ſpiritu: beati mites: beati mundo corde.* Sunt hîc virtutes, ad quas præceptis adſtringimur. *Beati pauperes ſpiritu*, vt explicant D. Auguſtinus, & multi alij Patres, de quo *quæſt.* 14. Beati humiles, qui non ſunt inflati ſpiritu ſuperbiæ: & ſuperbia non extolli, præcepto obligamur. *Beati mundo corde*, vt eſt ſatis communis ſententia. Beati, qui non ſunt contaminati vllo mortifero peccato; quod de præcepto eſſe planum eſt. & ſic de aliis. Cur ergo Chriſtus Dominus has virtutes non profert ſub præcepto: Eſtote pauperes ſpiritu, quoniam veſtrum erit regnum cælorum. Eſtote puro corde, &c. ſed benedicendo: Beati pauperes: beati mundo corde?

(Auguſt.)

82. Tertull. Primam ſolutionem ſumo ex Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 14. *Venio*, ait, *nunc ad ordinarias ſententias eius, per quas proprietatem doctrinæ ſuæ inducit, ad edictum Chriſti. Beati mendici, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Iam hoc ipſum, quod à benedictionibus cœpit, creatoris eſt, qui vniuerſa, prout edidit, nulla alia voce, quàm benedictionis dedicauit. Eructauit, inquit, cor meum ſermonem optimum. Hic erit ſermo optimus, benedictionis ſcilicet, qui & noui Teſtamenti initiator agnoſcitur de veteri exemplo.* Aperuit Chriſtus os ſuum, & ſtatim benedictiones ſonat, ſe filium Dei creatoris manifeſtè declarans. Nam ſicut Pater in exordio orbis inter prima verba benedictiones protulit, *Geneſ.* 1. *num.* 22. & 28. ſic & Chriſtus initians nouum Teſtamentum, primò aperiens os, benedictiones dicit, voce ipſa clarè indicans, ſe non alium habere parentem, quàm ipſum Deum, qui exordio antiqui Teſtamenti benedictionem eructauit: & voce ipſa etiam teſtificante, os Chriſti diuinum eſſe, quod tot, tantiſque erat benedictionibus plenum, atque addictum.

(*Vox indicat, cuius filius ſis. Os ſonans benedictiones, diuinum eſt.*)

83. Euthym. Secundò, & propiùs ad quæſtionem reſpondet Euthymius. *Per modum autem beatitudinum præcepta hæc induxit inuidioſum deuitans ſermonem. Oportebat enim, vt in principio manſuetè cum eis loqueretur, & ita paulatim ad præcipiendum deueniret.* Aperuit Chriſtus os ſuum, & initium facit promulgandi legem ſuam; non ſtatim in limine præcepta imponit, mandata diuulgat, rigores ſonat; ſed benedictiones, & benignitatem, vt promptè, & facilè ſua mandata percipiant: *Ita paulatim ad præcipiendum deueniret.* Promulgaturus legem ſuam Deus Iſraëlitico populo ait: *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta*, Exod. 19. numero 5. Laturus erat Deus legem multis præceptis coagulatam, multis pœnis tranſgreſſoribus impoſitis, repletam. Cur ergo non ait: Si ſeruaueritis

(*Prælatus in ſuo principio in præceptis, & rigoribus non ſit multus.* — Exod. 19. — *In principio ſit benignitas, vt attrahat, non rigor, vt deterreat.*)





præcepta mea; ſed, *Sed audieritis vocem meam?* Cur minantia ſupplicia non adducit in medium; ſed illis prætermiſſis benedictiones ſonat: *Eritis mihi in peculium*; ſeu, vt legit Caietanus: Eritis mihi amabilitas: *Eritis mihi regnum ſacerdotale?* Magna Dei ſapientia decreuit, non ſtatim in legis exordio præceptis, & ſupplicis perterrefacere, ſed multis fauoribus attrahere. Gloſſa Interlinealis, *Antequam legem det, promiſſis allicit, vt libenter accipiant.*

(Caietan. — Interlin.)

84. Luc. 15. Reuertentem prodigum ad parentis domum, vidit bonus pater, & accurrens *cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Luc. 15. n. 20. Cur optimus parens in collo filij oſculum fixit, amplexum dat? Cur non potiùs in capite, vel in pectore? Ceruix proprius, proportionatuſque locus ad iugum imponendum; & antequam parens admoueret iugum mandatorum in collo, priùs ipſum recreat amplexu, & demulcet oſculo. Pulchrè D. Gregorius Nyſſenus lib. de oratione Dominic. orat. ſua 2. *Accurrit*, ait, *pater ad eum, & oſculo collum appetit, quod rationale iugum ſignificat, per Euangelij traditionem.*

(*Ante præcepta fauor.* — Nyſſen.)

85. Ioan. 1. Venit Magnus Baptiſta in mundum, & Chriſtum oſtendit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioan. 1. n. 29. Sed cur magne Præcurſor digito oſtendis? Cur non dicis, quòd ſit agnus miſſus in mundum, quem omnes recipere, & adorare tenentur? Cur ſtatim non profers pœnas non recipientium, vt poſtea feciſti? *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*, Matthæi 3. n. 10. *Paleas comburet igni inextinguibili*, ibid. n. 12. Magnus magiſter in exordio prædicationis. ſuæ agni teneritudinem annuntiat, benignitatem, remiſſionem peccatorum diuulgat; poſtea verò ad rigorem ferri, & ignis deuenit, vt quos non ineſcauit dulcedo diuinæ clemantiæ, compelleret durities ferri, & ignis. D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 164. dum expendit illud Chriſti Domini, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram*, ait S. Doctor: *Vbi eſt illud: Ecce agnus Dei? Vbi eſt illud: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt? Reuera, fratres, mundum ſuum Chriſtus per omnia mitis, & manſuetus intrauit. At ager quoties longa incuria ſylueſcit, & toto luxuriæ agreſtis ſordeſcit horrore, peritiſſimi cultoris vtique ſemper aperitur, & purgatur incendio.*

(Matth. 3. — *Benignitas præmittenda, & poſtea rigor.* — Chryſolog.)

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare inter beatitudines paupertas ponitur in primo loco?*

86. *Difficultas.* QVID *paupertas* hîc ſignificet, latiùs dicam quæſt. ſequenti: nam multi Patres volunt, quòd pauperes hoc loco idem valeant, ac humiles, & timentes Deum. Alij verò contendunt, quòd ſignificent verè pauperes, ac omnia ſæcularia abnegantes. De quo citata quæſt. Quærimus ergo nunc: Quare pauperes ponantur primo loco?

87. Auguſt. Reſpondet primò D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini. *Rectè hîc intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles, & timentes Deum, id eſt, non habentes inflatum ſpiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem, ſiquidem peruentura eſt ad ſummam ſapientiam. Initium autem ſapientiæ, timor Domini: quoniam è contrario initium omnis peccati, ſuperbia ſcribitur.* Ab humilitate in beatitudinibus exoritur Dominus ſuum ſermonem, quia in illis perueniendum eſt ad ſummam ſapientiam; & vt ædificium ſpirituale maximè excreſcat, in humilitate debet fundare ſuas radices. Ita orabant tres pueri in camino ignis: *In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur à te Domine*, Daniel. 3. num. 39. Latè hanc ponderationem docet D. Chryſoſtomus *hom.* 15. *in Matth.* Nam ſicut omnia mala ab origine prodeunt à ſuperbia; ita omnia bona ab humilitate pullulant. Nam, vt ait Chryſoſtomus, *Vnuſquiſque humilitate ſuppoſita tutiſſimè cuncta alia ſupponit ædificans: hac verò ſubducta, etiamſi ad ipſum vſque cælum conuerſationis ſublimitate peruenias, ſimul omnia ſubtrahuntur: nam ſiue orationem, ſiue ieiunium, ſiue miſericordiam, ſiue pudicitiam, ſiue aliud quid bonorum abſque humilitate congreges, ſtatim cuncta defluunt, cunctaque depereunt.* Quod confirmat exemplo Phariſæi *Luc.* 18. *n.* 10. Tandem concludit S. Pater. *Sicut ſuperbia omnium fons eſt malorum, ita humilitas cunctarum origo virtutum.*

(*Humilitas fundamẽtum totius ſpiritualis ædificij.* — Daniel 3. — Chryſoſt. — Luc. 18. — *Humilitas omnium bonorum origo.*)

88. Bernard. Secundò D. Bernardus ſerm. de omnibus Sanctis. *Attende*, ait, *quàm ſapienter ordinauerit ſapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac ſi apertiùs dicat: Vis obtinere cælum, quod perdidit ſuperbiens Angelus, qui confiſus eſt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit.* Theophylactus ita ait: *Primùm modeſtiam, & humilitatem animi ceu fundamentum iecit; nam quoniam propter ſuperbiam Adam cecidit, per humilitatem erigit nos Chriſtus, quandoquidem Deus fieri ſperabat Adam.* Idem ferè Chryſoſtomus *homil.* 15. Primus Angelus per ſuperbiam intentauit, ad ſedem Dei conſcendere; primus homo per ſuperbiam præſumpſit fieri Deus: vterque tamen cecidit. Chriſtus volens nos erigere ad manſiones, quæ ſunt in domo Patris ſui; & volens, nos facere filios Dei per adoptionem, primum ponit humilitatem, & modeſtiam: quia, ſi per ſuperbiam eſt lapſus, per humilitatem oppoſitam erit erectio; contraria enim contrariis curantur; & ad elationem ſuperbiæ in fundamento humilitatis quærendum eſt proportionatum, opportunumque remedium.

(Theophyl — Chryſoſt. — *Primum peccatum per ſuperbiam; primum per humilitatem remedium.*)

89. Rom. 12. Theodor. Tertiò Theodoretus ad illa verba Apoſtoli Rom. 12. num. 3. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem.* Ex Græco legit: *Sapere ad mentis ſanitatem.* Ait Doctor: *Docet*, ſcilicet Apoſtolus, *ſuperbiam eſſe morbum mentis: Dominus enim eos, qui humilitatem poſſederint, primos eſſe beatos pronuntiauit. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, docet menſuram, ad quam vſque de ſe ſentire oportet.* Superbia eſt morbus mentis; nam per illam infirmatur homo, vt ſe ipſum ignoret. Dominus volens hominem ſanare, & reſtaurare ad beatitudinem, primum illi obiicit humilitatem, per quam homo ſe, ſuamque vilitatem recognoſcit, & intuetur. Et hanc ponit in primo limine inter beatitudines; primus enim gradus ad magna, ac ſublimia, eſt, vt homo ſe ipſum agnoſcat, ſuamque conditionem, ac qualitatem ſciat menſurare, ac dimetiri.

(*Primus gradus ad beatitudinem ſe ipſum agnoſcere, & menſurare.*)

90. Ambroſ. Quartò D. Ambroſius lib. 6. in Lucam. *Beati pauperes*, &c. *Primam benedictionem*, ait, *vterque Euangeliſta*, ſcilicet Matthæus, & Lucas, *poſuit; ordine enim prima eſt, & parens quædam, generatioque virtutum; quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt quiſquam meritum regni cœleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate preſſus, emergendi non habet facultatem.* Inter benedictiones primam ponunt ſacri Euangeliſtæ paupertatem; hæc enim eſt quædam progeneratio virtutum; nec enim qui rebus temporalibus, earumque cupiditate detinetur, poteſt in cælum aſcendere. Dimitte ergo terrena, vt ad cælum valeas euolare; nec enim potes Deo ſeruire, & mammonæ; dimitte ergo mammonam, vt Deo valeas toto corde deſeruire.

*Dimittenda terrena vt ad cælum aſcendas.*

91. Quintò. Inter eximias virtutes, ac inſignes benedictiones pauperes primi veniunt in Chriſti ſermone. Sed vnde pauperibus tantus decor, & nobilitas? Non aliunde, niſi ab ipſamet diuinitate Chriſti. Valde enim ingenitus, proprius, ac peculiaris eſt affectus, ac benignitas celſitudinis diuinitatis in pauperes, deiectos, ac humiles, vt hi primi benedictiones habeant ab ore Chriſti. Hanc explicationem nobis dat Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap.* 14. poſtquam adducit præfata verba: *Beati mendici, quoniam illorum eſt regnum cælorum*; poſt pauca ſubdit: *Quid ergo mirum eſt, ſi & ab affectibus creatoris ingreſſus eſt per huiuſmodi dictionem, ſemper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos vſque diligentis, conſolantis, aſſerentis, vindicantis? vt hanc Chriſti quaſi priuatam benignitatem riuulum credas de fontibus Saluatoris.* Quod multis locis ſacræ Scripturæ confirmat 1. Reg. 2. num. 8. *Suſcitat de puluere egenum.* Pſalm. 111. num. 4. *Quis ſicut Deus noſter, qui habitat in excelſis, & humilia reſpicit*, &c. Tanquam ſit proprium ſtemma diuinitatis, ad pauperes, & humiles reſpicere.

*Diuinitatis affectus in pauperes.*

Tertul.

1. Reg. 2. Pſalm. 111.

92. Paſchaſ. Sextò D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* ait: *Quaſi ex officio primum pauperibus præmium beatitudinis repromittit; quoniam nil magis congruebat ad meritum, quàm præſentis vitæ pauperibus cælorum regnum promittere: vt qui Chriſtum paupertate ſequi, & ſeruitutis iugum ſubire decreuerint, diuites futurorum regna, feliceſque poſſideant.* Expende illud verbum, *quaſi ex officio.* Pauperes ſunt illi, qui pro ſequendo perfectè Chriſtum omnia ſua abiecerunt: ergo bene ex officio Saluatoris hi primi veniunt in ore eius, vt regno cælorum munerentur. Illi enim primi à principe, & dynaſta ſunt reſpiciendi ad honores, qui vt ipſum ſequerentur, vtque ei obſequia præſtarent, ſe, ſuaque omnia paruipendentes contempſerunt: hi à ſua ſpe non ſunt fraudandi, ſed ante omnes ad præmia vocandi.

*Qui ſua dimittunt pro te ſequendo, primi à te munerentur.*

93. D. Thom. Deuter. 28. Septimò D. Thomas. Nota, ait, quòd Moyſes primò promittit diuitias, Deuteron. 28. num. 1. *Faciet Dominus Deus tuus te excelſiorem cunctis gentibus*, &c. Et ideo vt diſtinguat Dominus legem veterem à noua, primò ponit beatitudinem in contemptu diuitiarum temporalium. Octauò idem D. Thomas ait. Secundùm Auguſtinum, iſta beatitudo pertinet ad donum timoris (de quo quæſt. ſequenti,) quia timor facit habere Dei reuerentiam. Iſaias autem 11. *n.* 2. ponit beatitudines deſcendendo *Replebit eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Ecce timor Domini ponitur vltimo loco. Chriſtus è conuerſo à dono timoris, ſcilicet à paupertate exorditur. Quia Iſaias pronuntiauit aduentum Chriſti ad terram; Chriſtus autem ſurſum trahebat, ac ad cælum ſubleuabat. Ita ferè D. Thomas. Nonò Simon Caſſianus lib. 10. cap. 4. *Beati pauperes ſpiritu*, ait: *Imum in rebus odibile hominibus, deſpicabile in perſonis, ante omnia beatitudini Chriſtus aſcripſit.* Hæc eſt diuina clementia, vt paupertas, quæ inter homines erat maximè abiecta, primò nobilitetur elata.

*Lex noua à veteri diſtincta.*

D. Thom.

Iſai. 11.

*Chriſtus ſurſum eleuabat.*

Caſſian.

*Abiectus extollitur.*

94. Chryſoſt. Decimò D. Chryſoſtomus homil. 15. *Cur hoc ad diſcipulos ait, qui humiles ſemper extiterant: quippe qui nec occaſionem quidem habuerant inſolentiæ, cùm eſſent vtique piſcatores, ac pauperes, nec minus de imperitia, quàm de ignobilitate deſpecti? Etſi ergo non hoc propter diſcipulos diceret dicebat tamen propter cæteros, qui vel tunc aderant, vel poſtea erant futuri, ne illos per ſuperbiam fortè contaminarent: imò etiam propter ipſos profectò diſcipulos. Etſi enim tunc forſitan minimè, ſed poſtea tamen hac indigebant maximè cautione.* In ore Chriſti primò venit paupertas inter omnes beatitudines ad commendationem, in magnum documentum morale. Nam diſcipuli, ac multi, qui ſuſcepturi erant munus Apoſtolicum, ex ſua conditione erant homines ignobiles, illiterati, piſcatores, & pauperes; & tamen euehendi erant ad multa mirabilia, & ad ſummum honorem, ac dignitatem, vt proſequitur citatus Chryſoſtomus; ergo magna ſapientia ſapientiæ fons eis primò obiicit paupertatem humilitatem, ac modeſtiam: *Hac indigebant maximè cautione*; ſæpe enim contingit, vt qui humili loco ſunt nati, ſi ad apicem honoris conſcendant, eis ſtatim è memoria decidat propriæ vilitatis conditio, vt ſuperbè tumeant, & inaniter inflentur.

*Ignobiles in honore valde ad elationem propenſi.*

95. Iudith. 1. *Arphaxad Rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo, & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam*, Iudith 1. numero 1. Et poſtea ſubditur: *Et gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum*, ibid. num. 4. Sed vnde iſte in hanc cogitationem deuenit, vt ita vellet ſuum nomen celebrare, vt ædificaueri ciuitatem potentiſſimam, quam ſimilem non inuenimus vllum alium in Scriptura extruxiſſe; nam ſolùm illa ciuitas dicitur potentiſſima? Arphaxad erat vnus vulgaris homo è populo, vt aduertit Carthuſianus; & contra Regem Nabuchodonoſorem rebellauit, qui dominus ſuus erat; ſibique vſurpauit regnum Medorum, vt notant Gaſpar Sanchez, & P. Didacus de Celada. Et cùm eſſet homo vilis, in tanta dignitate conſtitutus, ſtatim ventoſiſſimus euaſit; & ſuæ conditionis oblitus, ſuper omnes ſe extollere intentauit, itaut ad celebrandum ſuum nomen, non quanlibet ciuitatem, ſed potentiſſimam erexerit. De alio loquens D. Chryſoſtomus ait homil. 38. in Geneſ. *Seruorum mos eſt, vt cùm parum eis proſperitatis adſpirauerit, nequeant inter ſuos limites manere, ſed ſtatim ſui ordinis obliuiſcuntur.*

*Viles dignitate valde ſuperbi.*

Carthuſ.

Sanch. Celada.

Chryſoſt.

96. At ſi homines vulgares, & viles, cùm ad culmen dignitatis extolluntur, maximè tument, tamen generoſi viri in magnis blandimentis fortunæ inter ſuos fines ſe continent. Dauid reſidens in regali ſolio, de aliis dicebat: *Fratres mei, vos os meum, & caro mea vos.* 2. Reg. 19. num. 12. At Saul poſtquam Iſraël ſceptrum, & regnum tenuit; poſtquam dominatur in toto populo, quamuis multos fratres haberet, nullum tamen vocat fratrem, nullum conſanguineum dicit. Cur ergo Dauid in regali faſtigio ſuos vt fratres, & vt carnem, ac ſanguinem ſuum agnoſcit; Saul verò in ipſa dignitate, nullum vt fratrem recognoſcit, nullum vt talem dicit? Dauid erat nepos præſtantiſſimi viri Obed, *Ruth.* 4. *n.* 22. Et ex nobiliſſima Iuda Tribu natus. At Saul erat ex minima Tribu Iſraël, & cognatio ſua nouiſſima inter omnes familias, 1. *Reg.* 9. *n.* 21. Dauid erat valde ingenuus, & nobilis; & in tanta ſublimitate de aliis memoriam retinet vt fratribus, & ſibi æqualibus; quam cognitionem Saul, vt vilis, & vulgaris homo, repentino, & inſperato honore perdidit. Quanta verò ſuperbia, & elatio fuerit in Saul, explicat D. Gregorius 1. *Reg. cap.* 10. *n.* 9. ad illa verba: *Immutauit ei Deus cor aliud*; ait Magnus Doctor: *Tunc coram Prophetа humilis fuit, ſcilicet Saul, ſed vt cœpit diſcedere, pariter cœpit & ſuperbire. In mente ſua iam non eſſe paruulum, ſed Regem cogitabat. Adhuc non erat ſublimis ordine, ſed erat ſublimis æſtimatione.*

*Generoſi in dignitate continentes.*

2. Reg. 19.

*Viles, & non generoſi dignitate ſuperbeſcunt.*

Gregor.



## QVÆSTIO XIV.

### *Quinam ſint pauperes, de quibus Chriſtus Dominus hic loquitur?*

97. August. Hilar. Hieron. Chryſoſt. Epiphan. Leo. Nyſſen. Seleucus. Gregor. Euthym. Theophyl. Albert. Mag. MVLTI graues Patres per *pauperes ſpiritu* interpretantur humiles, & timentes Deum. Sic docet D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte: *Rectè*, ait, *hic intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles, & timentes Deum, id eſt, non habentes ſpiritum inflatum.* Idem docent D. Hilarius, D. Hieronymus, D. Chryſoſtomus *homil.* 13. D. Epiphanius *hæreſ.* 66. D. Leo *ſerm. de omnibus Sanctis.* D. Gregorius Nyſſenus *lib. de octo beatitudinibus.* D. Baſilius Seleucus *Orat.* 28. D. Gregorius Magnus *lib.* 26. *Moral. cap.* 20. Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, & alij.

98. Si verò quæras cum Chryſoſtomo, Euthymio, cur Chriſtus non poſuit humiles, ac timentes Deum, ſed pauperes ſpiritu? Reſpondet ad primum D. Thomas. Quia multi ſunt gradus humilitatis; & illi ſunt perfectè humiles, qui ſe pauperes æſtimant; & ſe nihil habere iudicant, non ſolùm in exterioribus, ſed etiam in interioribus. Pſalm. 39. *n.* 18. *Ego autem mendicus ſum, & pauper.* Contra illud Apocal. 3. *n.* 17. *Dicis, quòd diues ſum, & locupletatus, & nullius ego: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & humilis.* Ad ſecundum, quòd non poſuit timentes, ſed pauperes, reſpondet D. Thomas ex S. Auguſtino: *Timor, maximè filialis, facit habere reuerentiam ad Deum, & ex hoc contemnit homo diuitias.* Vt omnia ſua homo diſtribuat, & expendat in reuerentiam Dei, ac in eius obſequium.

*Cur poſuit pauperes, & non humiles.* D. Thom.

Pſalm. 39.

Apocal. 3.

*Cur non dicit timentes.*

D. Thom.

99. Secunda ſententia, quæ mihi probabilior videtur, ſimpliciter intelligit præſentem textum de verè pauperibus, qui ſpiritu, & voluntate dimittunt terrena. Ita D. Baſilius *in regulis breuioribus interrogat.* 205. D. Paulinus *Epiſtola ad Alethium.* Chromatius Epiſcop. *in cap. Matth.* D. Ambroſius *in cap.* 6. *Luc.* Abbas Iſaac *collatione* 9. *cap.* 29. Iſychius Preſbyter *in cap.* 19. *Leuitici.* D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth. & in Lamentationes litt. Zain.* Lucifer Calaritanus antiquiſſimus *lib.* 1. *pro S. Athanaſio.* D. Bernardus, Petrus Damianus, S. Antonius Vlyſſip. Guarricus *in ſermonibus de omnibus Sanctis.* Rupertus, Lyranus, D. Thomas *hîc.*

Baſil. Paulinus. Chromant. Ambroſ. Abbas Iſaac. Iſychius. Paſchaſ. Caietan. Bernard. Damian. Ant. Vlyſip. Guarricus. Rupert. Lyran. D. Thom.

*Pauperes ſpiritu* ad litteram intelliguntur, qui temporalia bona à ſe abdicant, & renuntiant. 100.
Quidam enim ſunt pauperes de neceſſitate; & iſti, quia tales, non ſunt beati, ſed quia voluntate, ac ex motione Spiritus ſancti amplectuntur ipſam paupertatem. Alij ſunt pauperes ſpiritu, qui, licèt multa bona teneant, ea tamen abiiciunt, & remittunt, vt feruentiùs, & expeditiùs Deo ſeruiant, vt ſunt multi Religioſi, qui voluntate ſua cuncta terrena renuntiant, itaut nec habeant illa, nec affectent; in quo conſiſtit perfecta paupertas, vt rectè ſcilicet D. Thomas. Alij verò, licèt aliqua bona habeant, ſunt pauperes contritione ſpiritus, vt notat D. Paſchaſius, & ait: *Illi facultates terrenas abdicaſſe creduntur, qui eis, non ad illecebras carnis, ſed ad opus pietatis, vſus neceſſarios, vti videntur. Quanquam enim nonnulli electorum multas pecunias poſſideant, tamen, quia, vt diximus, non ex deſiderio carnis, ſed ex voto pietatis ab eis poſſidentur. An pauperes non ſunt, qui cuncta terrena, non tamquam propria, ſed tanquam aliena diſpenſant? Sed vnde pauperes, inde diuites fiunt.*

Idem.

Paſchaſ.

*Fit aliquando, vt qui diuitias habet, ſint pauperes ſpiritu.*

Ioſuë erat dux, iudex, ac gubernator totius populi, ad cuius nutum omnia diſponebantur; & terram promiſſionis per filios Iſraël diſtribuit: tamen nihil ſibi vſurpauit, nec retinuit. Sed ait textus Ioſuë 19. numero 49. *Dederunt filij Iſraël poſſeſſionem Ioſuë filio Nun in medio ſui.* In quo maximè viri parcimonia laudatur. Imò de ipſo admiratus Theodoretus *quæſt.* 17. ait, *Imitatus eſt in eo modeſtiam Domini, qui extremam expertus eſt inopiam, itaut ne domum quidem haberet, vbi caput ſuum reclinet.* Sed quomodo Ioſuë, qui erat caput, dux, ac gubernator populi tam ampliſſimi, ac opulentiſſimi, qui ſpolia multarum ciuitatum diſſipauerat, dicitur, quòd imitatus eſt Dominum, qui extremam paupertatem eſt amplexus? Ioſuë, cùm tanti populi eſſet gubernator, nil ſibi comparauit; ſed tanquam fidelis diſpenſator, omnes terræ poſſeſſiones per populum diſtribuebat. Et qui, cùm multa in manibus habeat, nil ſibi retinet ad requiem, & delicias, ſed omnia in aliorum vſus neceſſarios diffundit, & largitur, hic verè ſpiritu pauper extremam inopiam imitatus. 101.

Ioſuë 19.

Theodor.

*Ille laudabilis pauper, qui licèt habeat bona, nil retinet ad requiem, ſed in aliorum vſus neceſſarios.*

Quærit hîc Caietanus. Cur ſicut Dominus beatificauit vſum ſanctum paupertatis, quare etiam non beatificauit vſum ſanctum diuitiarum? Et reſpondet ipſe Cardinalis, quod clarè patet differentia, quia non poſſunt dici beati diuites ſpiritu, ſicut poſſunt dici beati pauperes ſpiritu; quia non ſubeſt ſpiritui, fieri diuitem, ſed fieri pauperem; in poteſtate enim noſtra eſt abdicare à nobis res noſtras, non autem acquirere. Et per hanc beatitudinem declarauit Dominus, quòd nullus eſt perfectior vſus diuitiarum, quàm 102.

Caietan.

*Deus illud à nobis petit obſequium, quod eſt in noſtra poteſtate.*

ſpirituali volutate abdicare illas à ſe ipſo. Ita Caietanus. Tota noſtra perfectio in eo ſtat, vt à terrenis ſeparati euolemus in cælum; ſi autem mens noſtra tota conuertitur ad diuitias, in terrenis immergitur, & non valet ad cœleſtia contemplatione aſcendere. Vt ergo perfecti ſimus, voluntas ſeparanda eſt à retentione diuitiarum.

---

## QVÆSTIO XV.

### *Quinam ſint iſti pauperes ſpiritu, de quibus Chriſtus Dominus loquitur?*

103. August.

ALTIVS hîc eſt examinandum, quinam ſint iſti pauperes ſpiritu. D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte*, nomine *ſpiritus* intelligit ventum inflantem. Et ita fit ſenſus. *Beati pauperes ſpiritu*, id eſt, carentes inflante ſuperbiæ vento. Nam, vt explicat D. Thomas, Spiritus aliquando dicitur ſuperbia hominis. Iſai. 2. num. 22. *Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eſt.* Iſai. 25. n. 4. *Spiritus robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem.* Et dicitur ſuperbia ſpiritus, quia ſicut per flatum inflantur vtres, ita per ſuperbiam homines. Ad Coloſſ. 2. num. 18. *Inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Ait ergo D. Thomas: *Beati pauperes ſpiritu, qui parum habent de ſpiritu ſuperbiæ.* Seu, vt rectè explicat D. Chryſoſtomus, homil. 9. in Imperfecto. *Pauper ſpiritu eſt humilis corde; id eſt, pauperem ſpiritum habens, qui non magna ſapit de ſe.* Et in hoc ſenſu multi Patres per *pauperes ſpiritu* intelligunt humiles, vt dixi *quæſt. 12. in principio.* Et vera paupertas ſpiritus ex humilitate oritur.

D. Thom. Iſai. 2. Iſaii. 25. *Pauper ſpiritu ſuperbia.* Coloſſ. 2. D. Thom. Chryſoſt.

104. *Pauper ſpiritu, hoc eſt, voluntate.* Chromant. Bernard.

Secunda, & vera ſententia. Pauperes ſpiritu dicuntur illi, qui ex interno corde, animo, ac voluntate pauperes ſunt, & Apoſtolos imitantes, omnia ſua propter Deum dimittunt. Ita Chromantius *in cap. 5. Matth.* D. Bernardus *ſerm. de omnibus Sanctis*, qui ait: *Non ſimpliciter appellat Chriſtus pauperes, propter pauperes neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate pauperes ſpiritu, id eſt, ſpirituali voluntate*, &c. Hanc ſententiam ſequuntur D. Thomas, Abulenſis, Hugo Caietanus, Beaulxames, & alij. Tertiò D. Hieronymus, per *Spiritum* intelligit Spiritum ſanctum, id eſt, Beati pauperes inſtinctu Spiritus ſancti. Sed hæc explicatio, vt notat D. Thomas, non diſtinguitur à ſuperioribus; quia ſiue humilitas, ſiue abdicatio bonorum temporalium, conducens ad regna cælorum, non poteſt eſſe, niſi ex motione Spiritus ſancti, vt latè docent Theologi in materia de gratia.

D. Thom. Abulenſ. Hugo. Caietan. Beaulxames. Hieron. D. Thom.

105. Hilar.

Quartò D. Hilarius explicat, quòd pauperes ſpiritu ſint illi, qui nihil ſibi attribuunt, ſed omnia Deo referunt. Ait: *Quia conſcij ſibi, ex ſordibus, ac tenuiſſimis principiis coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, nihil quicquam ſuum eſſe, nihil proprium, ſed cuncta dono parentis vnius tribui. Et nos optimi illius, qui nobis ſit iſta largitus, exemplo, perfunctæ in nos bonitatis eſſe æmulos oportere, vt boni omnibus ſimus, communia omnia omnibus exiſtimemus.* Illi ſunt pauperes ſpiritu, quorum eſt regnum cælorum, qui nihil boni ex ſe habere cognoſcunt, ſed omnia bona ſua à Deo ſibi eſſe conceſſa fatentur, & ipſi Auctori vniuerſi cuncta tribuunt. Sancta paupertas repræſentat a eſt in Abel, vt docet Simon Caſſianus *lib. 10. cap. 4.* nam de eo dicitur Geneſ. 4. n. 2. *Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* D. Ambroſius *lib. 1. cap. 1.* docet, quòd *Caim, id eſt, acquiſitio; Abel, qui omnia refert ad Deum pia deuotus mentis intentione, nihil ſibi arrogans, ſed totum tribuens conditori.* Rectè Abel ſeniori fratri anteponitur; nam verus pauper ſpiritu, qui nihil ſuum reputat, ſed totum Deo adſcribit, omnibus antefertur. Deinde expende vltima verba Hilarij: nam ſi pauper omnia ſua agnoſcit eſſe dona Dei, & ab ipſo accepta, facile ad imitationem ipſius Dei eſt largus, ac liberalis in proximos, vt in eos bona ipſa diffundat.

*Pauper ſpiritu, omnia ſua Deo refert.* Caſſian. Geneſ. 4. *Qui ſua Deo refert, omnibus anteponitur.*

Quintò. Illi ſunt pauperes ſpiritu, qui æquo animo propter Chriſtum, ac fidem orthodoxam ſuſtinent confiſcationem ſuorum bonorum, quod eſt quoddam Martyrij genus, vt notat Cornelius à Lapide; qui enim tollit opes ad vitæ ſuſtentationem neceſſarias, tollit ipſam vitam. Tales ſunt multi Catholici in Anglia, qui huiuſmodi ſpoliationem bonorum ſuſtinent. Tales fuerunt multi Hebræi conuerſi ad Chriſtum, quos Paulus laudat. Ad Hæbræos 10. n. 34. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes, vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.* Ad hunc etiam gradum reuocari poſſunt, qui ob amorem Dei patienter tolerant rapinam ſuorum bonorum, ac iniuſtitiam illatam à tyrannis, & potentioribus. 106.

Cornel. *Spoliatio bonorum quoddam genus Martyrij.* Hebr. 10.

Sextò. Commendat Dominus paupertatem ſpiritu, & animo: non vetat Dominus, quòd quis habeat bona, argentum, aurum, & diuitias, ſed quòd ab huiuſmodi bonis ſit cor poſſeſſum. Et ideo peculiariter in paupertate dixit ſpiritu, cùm in aliis omnibus virtutibus ſubintelligatur: Beati mites, non natura languida, ſed ſpiritu. Beati, qui lugent, non conditione fœminea, ſed ſpiritu. Tamen hoc alto conſilio diſtinctè expreſſit in paupertate, quæ requiritur, vt ſit ſpiritu, ita vt à diuitiis, ac bonis cor non ſit inebriatum; ſed quòd omnia illa maneant extra illud. 107.

*Cor à diuitiis, ne poſſideatur.*

Hoc magnopere commendat Regius Vates Pſalm. 61. num. 11. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Si enim multa bonorum copia tibi aduenerit, & tamen internus animi affectus ad illa non rapiatur, ſed extra cor maneant, tunc non tibi nocebunt; ſed potiùs per pietatis opera proderunt ad ſalutem, vt *ibi* notat Caſſiodorus. Ait Eccleſiaſt. 5. num. 9. *Qui amat diuitias, fructum non recipiet ex eis.* Et 10. num. 11. *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.* D. Aelredus lib. 1. Speculi Char. cap. 24. *Notandum*, ait, *quòd non ait Salomon, qui habet diuitias, ſed qui amat*, inquit, *diuitias; nam profectò electi quique, ſi fortè diuitias habeant, non tamen & amant, ſed tribuunt, & communicant, & theſaurizant ſibi fundamentum bonum.* Non reprobatur diuitiarum poſſeſſio, ſed amor; nam poſſeſſio externa eſt, amor autem internus in corde, & huiuſmodi affectus in animo radicatus exitialis, & mortiferus eſt. 108.

Pſalm. 61. Caſſiodor. Eccli. 5. Eccli. 10. Aeldred.

Vt Satan detraheret, ac minueret præclaram virtutem Iob, ait cap. 1. num. 10. *Nunquid Iob fruſtrà timet Deum? Nónne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum?* Ac ſi diceret, vt in morali ſenſu explicem locum, omnium bonorum affluentia, ac diuitiarum copia, quam ei dediſti, poſita ſunt in circuitu 109.

Iob 1. *Non nocent diuitiæ, ſi in corde non ſunt.*



circuitu cordis ſui, non verò in intimo ipſius animæ, vt enucleat Hugo, *per circuitum, non verò intus permittis, eum perturbari.* Et quando bona ſunt in circuitu cordis, non verò in eo mittunt radices, non nocent, nec nocumentum afferunt.

Hugo.

110. Numer. 23.

Proficiſcitur Balaam, vt malediceret Iſraëli, tamen ait textus Numer. 23. num. 16. *Cùm Dominus poſuiſſet verbum in ore eius.* Sed cùm Dominus in ore Balaam, non verò in corde verbum diuinum ponit; ſicut nobis narrat Scriptura de Salomone 2. Paralipomen. cap. 9. num. 13. *Vt audirem ſapientiam Salomonis, quam dederat Deus in corde eius?* Affluentia Dei altiſſimi adeſt Salomoni in corde, & Balaam in ore? quænam huius rei differentia? Anima Balaam tota repleta, & perfuſa erat cupiditate auri, & argenti Madianitarum, vt notant Gloſſa, & omnes Patres *citato loco*; at verò Salomoni, quanuis eſſent multæ diuitiæ, itaut nullus fuerit ei ſimilis in Regibus, tamen erant in circuitu, & non in corde; dicebat enim: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccleſiaſtes 1. num. 2. & alia multa, per quæ affectus diuitiarum reprobatur. Et in corde pleno radicibus, & deſideriis bonorum temporalium non habet Deus ingreſſum, ſed in illo, quod ab huiuſmodi eſt votis denudatus, & liber. Origenes loquens de Balaam *homil. 55. ſuper Numer.* ait: *Expectabat Balaam mercedes à diuite Rege; ſed Deus iniecit verbum in os eius, quanuis nondum cor eius capere poſſet verbum Dei. Adhuc enim erat in corde eius mercedis cupiditas, propter quod etiam poſt verbum Dei, quod habuit in ore ſuo Balach docebat mittere ſcandalum in conſpectu filiorum Iſraël.*

2. Paralip. 9. *Cor, in quo diuitiarum regnat affectus, Dei ingreſſum non habet.* Eccl. 1. Origen.

---

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare pauperibus ſpiritu promittatur regnum calorum?*

111. *Pauperes, qui pro Deo terrena contemnunt, cæleſtia lucrantur.*

VNICVIQVE virtuti ſuum aſſignatur præmium; paupertati vero regnum cælorum. Ad quod eſt germana, & communis ſolutio. Pauperes propter Deum abiecerunt diuitias, & mundi honores; ideo valde proportionatum, ac conueniens præmium eis deſignatur regnum cælorum, in quo ſunt veræ, perpetuæquæ diuitiæ, atque honores. Vt omnibus fiat notum, quòd illi, qui pro ſequendo Deum ſua dimittunt, minimè defraudantur, ſed potiùs multo maiora dona lucrantur, & bona.

112. Bernard.

Secundò reſpondet D. Bernardus *ſerm. 21. in Cantica*, adducens verba: *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum*; ait S. Doctor: *Non eos æſtiment ſola cæleſtia poſſidere, quia ea ſola audiunt in promiſſione, poſſident & terrena; & quidem tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes: non mendicantes, vt miſeri, ſed vt domini poſſidentes: eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum eſt, totus planè: quia tam aduerſa, quàm proſpera ipſius, æquè omnia ſeruiunt ei.* Omnia terrena cæleſtibus ſubiacent; omnia mundialia famulatum, ac obſequium præſtant cælicolis poſſeſſionibus: pauperibus ſpiritu datur regnum cælorum; & non inde terrenis ſpoliantur, ſed potiùs in ipſis temporalibus dominatum tenent; nam ſub poteſtate fidelis pauperis totus diuitiarum mundus redactus eſt; nec enim excellens virtus paupertatis vllis terminis coarctatur, ſed cæleſtibus, & terrenis dominatur, eique omnia deſeruiunt.

*Pauperi omnia ſubiacēt, & famulantur.*

Tertiò D. Gregorius Nyſſenus lib. de Beatitudinibus, Orat. 1. ad finem. *Regnum*, ait, *obtinet omnis creaturæ Dominus, qui propter nos egenus fuit. Ergo, ſi cum eo, qui egenus fuit, vnà pauper eris, cum regnante quoque vnà regnabis.* Preme ingenioſa verba S. Doctoris. Chriſtus Dominus, quia obediens Patri propter nos egenus factus eſt, regnum, & principatum omnis creaturæ accepit à Patre. Sic etiam homines vocem Chriſti Domini audientes, & propter ipſum egeſtatem, ac mendicitatem amplectentes, regnum cælorum, immò, vt proximè dixi ex D. Bernardo, & dominatum terræ ab ipſo accipient. O magnus Dominus magnum documentum cunctis præbens! Ex ſuo præmio, à Patre ob ſua infinita merita accepto, noſtrorum etiam meritorum præmium attendere, ac pendere voluit: nam ſi ipſe, quia egenus factus eſt, regnum obtinuit; etiam ob noſtram egeſtatem regnum nobis largitur, & concedit. 113. Nyſſen.

*Magnanimitas, vt ex tuo præmio velis & aliorum conſiderare.*

Quartò idem D. Gregorius Nyſſenus citato loco. *Ponderoſa*, ait, *quædam res eſt aurum, oneroſa res omnis, quæ diuitiarum cauſa expetitur: leuis verò res quædam, & ſublimia petens eſt virtus. Ergo nulla ratione effici poteſt, vt leuis ſit is, qui ſeſe pondere materiæ afficit; ſi igitur ad ſuperna nos accedere oportet, ab ijs, quæ deorſum trahunt, inopes, & egeni ſimus, vt in ſupernis verſemur.* Inter cæteras virtutes pauperi datur regnum cælorum, tamquam ei valde proportionatum, & conueniens. Aurum res ponderoſa, & oneroſa eſt; cælum ſupernus locus, vt ad ipſum tendas, neceſſe eſt aſcendere: ad ſuperna nemo bene cum pondere fertur; vt ergo promptè, & expeditè valeas euolare, abiice diuitias, & eſto pauper, & eris expeditus abonere. 114. Nyſſen.

*Abiiciendæ diuitiæ, vt ad cælum euolemus.*

Quintò Simon Caſſianus lib. 10. cap. 4. *De cælo*, ait, *paupertas ad terras deſcendit, ſicut pro nobis factus egenus de cælis aduenit præferens in ſe ipſius virtutis normam, cæleſtem eſſe monſtrauit, cùm non habere, neque velle terrena, gerat ſimilitudinem Angelorum: nec minus, quàm virginitas cum Angelis habet aliquid commune paupertas; nam ſicut Angeli liberi ſunt à carne, atque à rebus terrenis, hoc in eis dictante ipſorum ſic creata natura, ita & homines à carnis concupiſcentiis operante diuina gratia.* Proprius locus paupertatis eſt cælum; nam paupertas de cælo aduenit; in cælo regnat in Angelis: ergo proportionatum eius præmium regnum cælorum; & quidquid inferiùs conſiſtit cælo, etiam paupertate inuenitur inferius. Nec enim conuenientius vnicuique deſignatur regnum, quàm in ſolio ſibi proprio, atque natiuo. 115. Caſſian.

*Cælum proprius paupertatis locus.* *Conuenienter quilibet regnum in ſolio ſibi proprio tenet.*

Sextò. Pauperi defertur regnum cælorum: pauperes creantur in Reges. Sed quid? Abiecta paupertas cum amplitudine regali? Multum per omnem modum. Nam ſicut Regi omnes tributa ſoluunt ad ſuſtentandas regales expenſas; ita pauperi omnes ſubſidia deferre debent, ſiue Reges, ſiue Principes, ſiue dynaſtæ, omnes hac tributi lege aſtringuntur; nemo ab illa liber, ac exemptus inuenitur. Aptè D. Paulinus *Epiſtol. 3.* ad 116.

*Omnes tributa pauperi penſitant.*

Paulin. Rom. 13.

*ad Aprum*, explicans illud Chriſti Domini Matth. 22. numerò 21. *Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari;* ait S. Pater: *Nam, cùm tributum* (*ſicut ſcriptum eſt* Rom. 13. num. 7.) *dederit, cui debet, tributum, tunc & manus aperiens pauperi fructu operæ ſuæ porrigens inopi ſpirituale vectigal penſitat, & redditum poſſeſſionis in tua militia ſtipendium ſuggerit.*

117. Septimò. Valde mirum, quòd faſtigium regni cæleſtis pauperibus detur. Valde omnibus notum, quanta mala ex paupere principe, ac dominatore naſcantur. Nam cùm famelicus ſit, & egenus, omnium bonis impingueſcere, & ditari affectat; nulli parcit, vt ſuis lucris conſulat. Ad quid ergo Chriſtus eligit pauperes in Reges? Non communi pauperi regnum traditur, ſed pauperi ſpiritu, qui nullo diuitiarum deſiderio tenetur; & ſi aliquid habet, vehementer appetit, in alios diffundere, ac elargiri. Magna Dei clementia, quòd his pauperibus dat regnum, qui bona ſua in omnes transferri affectant, vt pro omnibus obſecrent, & orent.

*Pauperibus datur regnũ, vt pro nobis orent, & impetrent.*

118. Octauò. Vnde pauperi mendico aduenit tam ampliſſimus cæleſtium theſaurus? Ab inopia ipſa, quia pauper diues eſt paupertate. Sic inquit D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Vnde pauperes, inde diuites fiunt.* Nam, ſi homo eligit Chriſtianam inopiam, ibi inuenit omnes cæleſtes diuitias, magnam enim connexionem habent cum ipſa paupertate, vt omnes ad ipſam confluant, & deſcendant.

*Paupertati deferuntur diuitiæ cæleſtes.*

Paſchaſ.

119. Cùm Iacob iter faceret in Moſopotamiam, & veniſſet ad quendam locum, pro puluinari aptauit lapidem, & ſupponens capiti ſuo obdormiuit. Ecce aperti ſunt cæli. *Et vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ,* Geneſ. 28. num. 12. Cur hîc panditur cælum Iacob? Cur hac cæleſti viſione non recreatur in domo patris, vbi habitabat in tabernaculis, *Gen.* 25. *num.* 27. contemplationi, & orationi deditus? Vel cur potiùs tanto fauore non fruitur in domo Laban, in qua noctu, & die ſeruiebat? Quando Iacob morabatur cum patre Iſaac, eius ampliſſimis potitus diuitiis, homo erat valde locupletatus. Quando cum Laban, eius bonis tanquam conſobrinus, & gener ſatiabatur, immò etiam pro familia ſua multa, & magna acquirebat. At verò hoc in loco Iacob in ſumma paupertate erat, vt ponderat Rupertus *lib. 7. in Gen. cap.* 21. Lippoman. Omni paterna opulentia deſtitutus, ſuper terram dormiens, pro puluinari lapide vtebatur, pro lectulo terra; nullo famulo, nullo equo ad itinerandum ſtipatus: & vbi tanta in homine erat paupertas, conſequens erat, vt cæleſtibus diuitiis frueretur, & cælo reſerato Dei præſentia delectaretur. D. Chryſoſtomus homil. 54. in Geneſ. *Accepit lapides,* ait, *& poſuit ſubter caput ſuum. Vide pueri robur, lapidibus pro puluinari vſus eſt, & ſuper pauimentum dormiuit. Igitur quoniam bene moratam animam habebat, & maſculum ſpiritum, & ab omni vanitate liberum, admirabilem illam viſionem meruit.*

Gen. 28.

Rupert. Lippoman.

*Pauper diuitiis cæleſtibus fruitur.*

Chryſoſt.

120. Nudus aſcendit meus Ieſus ad crucem: *Milites ergo, cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius,* Ioan. 19. num. 23. Et quare omnium Dominus hanc mortem eligit, qua nudus occumbat? Cur non veſtitus ſuam ſanctiſſimam animam exhalat? Pulchrè D. Athanaſius orat. de Paſſione. *Quum enim,* ait, *exueretur Dominus, eo ipſo inuiſibiliter erigebatur de diabolo trophæum.* Et poſtea ſubdit: *Morte ſua ſuos ſubleuabat Dominus in cælum.* Erat Dominus in cruce expolians diaboli principatum; & ſuis membris; hoc eſt, ſuis electis, aperiens portas regni cælorum; in extrema nuditate crucifixus pendet: nam ipſa paupertate, ac nuditate maximè acquiritur, ac trahitur regnum cœlorum.

Ioan. 19.

Athanaſ.

*Paupertas attrahit regnum cælorum.*

---

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare pauperibus ſpiritu detur præmium de præſenti?*

121. MAGNVM in hoc latet ſacramentum, quòd mitibus, lugentibus, eſurientibus, &c. de futuro aſſignatur præmium. Poſſidebunt terram, conſolabuntur, ſaturabuntur: at pauperibus de præſenti indicatur regnum; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Et dici poteſt ex grauibus anctoribus, quod dicitur de præſenti ſicut de primogenito communiter loquimur, verbi gratia: Hic maioratus eſt huius primogeniti, quoniam ius illius ad ipſum pertinet. Sic de pauperibus fatur Dominus: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, hoc eſt, hæreditas regni cæleſtis ad ipſos pauperes ſpectat. Sed ſemper vrget dubium. Quia etiam ius poſſeſſionis terræ, & conſolationis ad mites, & lugentes attinet; & tamen Dominus de futuro loquitur cum eis.

*Difficultas quæſtionis.*

122. Secundò ad quæſtionem reſpondet Guarricus Abbas ſerm. in ſolemnitate omnium Sanctorum. *Rectè itaque,* ait, *Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait: Ipſorum erit regnum cælorum: non ſolùm propter ius firmiſſimum, ſed etiam propter pignus certiſſimum, vſumque feliciſſimum; non ſolum quia paratum eſt eis ab origine mundi, ſed etiam, quia iam in quandam ipſius poſſeſſionem cœperunt introduci, iam habentes theſaurum cæleſtem in vaſis fictilibus, iam portantes Deum in corporibus ſuis, & cordibus. Quàm beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius! Quàm vicini ſunt Dei regno, qui Regem ipſum, cui ſeruire regnare eſt, iam poſſident, & geſtant in corde ſuo!* Dicitur: Ipſorum eſt regnum cælorum, non ſolùm propter ius, ſed etiam propter pignus, & quia *Deum, cui ſeruire regnare eſt, iam geſtant in corde ſuo.* Sed inſtabis. Lugentes, miſericordes, ac mundi corde Deum in ſua mente, & animo habent, & iam beatitudinis pignus ſecum aſportant. Verum dicis. Tamen ita Deus inuiſceratur, ac peculiari & ſingulari modo inhabitat in paupere, & humili præ omnibus aliis cæterarum virtutum ditatis, vt is iam tenere videatur; eique conferatur, quod alij ſunt adepturi. Et nota, quòd paupertas tantæ æſtimationis eſt, vt pignus beatitudinis dicatur.

Guarricus

*In paupere, & humili Deus valde intimè habitat.*

*Paupertas pignus beatitudinis.*

123. Tertiò idem Guarricus citato loco ad finem, *Vos,* ait, *quibus amica eſt paupertas, & grata ſpiritus humilitas, ſecuros fecit de poſſidendo regno incommutabilis veritas, veſtrum illud eſſe, aſſerens; vobis illud repoſitum fideliter cuſtodiens.* Pauperibus non in futurum differtur ſpes, ſed de præſenti iam datur regnum, quia paupertas, & humilitas,

Guarricus.

*Paupertas, & humilitas maximè ſecuros faciunt de regno.*



litas, ac Dei timor inter cæteras virtutes, quos ſua ſupellectili exornant, maximè ſecuros, & certos faciunt in poſſeſſione, ac acquiſitione regni cæleſtis.

124. Quartò Haymon. *Non dicit,* inquir, *Quoniam ipſorum erit regnum cælorum, quia licèt adhuc mole carnis grauentur; tamen iam per fidem, & ſpem regni cæleſtis ſunt poſſeſſores.* Et cur tam peculiari modo pauperibus hæc datur poſſeſſio, vt illud iam in præſenti obtinere dicantur; Pauperes omnia ſua de præſenti pro Deo dimittunt, & ita recipiunt centum pro vno, vt iam in præſentiarum eis conferatur regnum cælorum, in quo omnia clauduntur; ne ipſi pauperes videantur velociores in abiiciendis pro Deo diuitiis, quàm ipſe Deus ſit in largiendis, & diffundendis ſuis bonis, ac donis, quibus omnes maximè ditentur.

Haymon.

*Qui bona pro Deo dimittit, regnum citiſſimè recipit.*

125. Quintò D. Bernardus ſerm. 62. de duodecim gradibus diuini amoris, tom. 2. *Habet,* ait, *diuitiarum contemptus, etiam in præſenti, quandam dulcedinem ſuam, quam Dominus* Matth. 5. *regnum cælorum vocat, id eſt, participationem cæleſtis regni.* Pauperibus, non poſt multum tempus, non poſt multos dies, vt in aliis virtutibus fit, aſſignatur præmium; ſed iam illo frui, & gaudere diuulgantur. Nam ipſa paupertas habet magnam quandam dulcedinem, eximiamque lætitiam, ac animi ſerenitatem à cæleſti beatitudine deriuatam, vt qui illa delectantur, iam regni cæleſtis participes habeantur.

Bernard.

*Paupertas habet quandam dulcedinem regni cæleſtis.*

126. Poſtquam Chriſtus Dominus abiecit à mente ſuorum diſcipulorum ſolicitudinem rerum temporalium, ait eis: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro, dare vobis regnum. Vendite quæ poſſidetis.* Luc. 12. num. 32. Hoc autem regnum, quod pater eis conferre vult, non ſolùm de cæleſti beatitudine interpretatur Cardinalis Hugo, ſed etiam de rebus temporalibus, quæ in hoc ſæculo conceduntur, Sed quódnam eſt hoc regnum? Nam Dominus imperat, vt temporalium curam dimittant, vt vendant, & dent, quæ poſſident? Quænam ſunt hæc temporalia, quæ ad hoc regnum ſpectant? Ipſum nihil habere in hoc ſæculo, magnum regnum eſt. Quàm ſecurus, quàm lætus eſt pauper, ab omnium rerum ſolicitudine ſeruatus, cui latro non inuigilat, cui potentes non inſidiantur, cui inuidioſi non corrodunt; ſed omnibus donatur, à cunctis obſequium recipit, & vitæ ſuæ commoda, ac expenſas ab vniuerſis creaturis exigit. D. Chryſologus ad citatum locum, ſerm. 22. *Vendite, quæ poſſidetis. Non poteſt,* ait, *dominari omnibus, niſi is, qui propriis non tenetur.* Et poſtea ſubdit: *Homo, tali monitu Chriſtus te ditare voluit, non nudare.* Angelo Smyrnæ Eccleſiæ dicitur: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es,* Apocal. 2. num. 9. Sed ſi pauper, quomodo diues? Viegas *ibi ſect.* 3. explicat de paupertate ſpiritus; & qui talis eſt, diues exiſtit, & omnem auri, argentique copiam poſſidet.

Luc. 12.

Hugo.

*Paupertas ipſa opulentum regnum.*

Chryſolog.

Apocal. 2.

Viegas.

127. Cùm Elias, & Eliſæus per arentem aluum Iordanis tranſirent, ſubleuatur in curru igneo ad cælum Elias. Quod videns Eliſæus, lachrymis profuſis clamabat: *Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius,* 4. Reg. 2. numero 12. Quod cùm audiret Elias, pallium ſuum illi dimiſit. Sed quomodo magnus Pater ſedens in curru pergis ad amœniſſimum locum, & dilectum filium relinquis inter vndas fluminis, inter furias perſequentium hoſtium, in magna paupertate degentem, qui ob tui amorem omnia reliquerat? Elias, dum ferretur in aërem, filio remiſit melotem ſuam, & in ea inuoluebatur ſignum propheticæ paupertatis, vt docet D. Chryſoſtomus ſtatim dandus; & cùm ei concedit monumentum ſuæ paupertatis, ibi dat ſolamen in laboribus, tutamen in aduerſitatibus, quietem in perſecutione, opulentiam in egeſtate. Et ex multis, quæ de hac re tradit Chryſoſtomus *homil.* 2. *ad populum Antiochenum ad finem*, hæc pauca accipe. *Magna poſſeſſio paupertas,* ait, *ſapienter ipſam ferentibus; theſaurus, qui nequit auferri, baculus firmiſſimus, inculpabilis poſſeſſio, diuerſorium ab inſidiis tutum.* Et poſt pauca ſubdit: *Validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa. Tanquam maximam hæreditatem Eliſæus melotem ſuſcepit; etenim maxima fuit hæreditas omni auro pretioſior.*

4. Reg. 2.

*Signum paupertatis, tutamen, & ſolatium maximum.*

Chryſoſt.

### *Matth. 5. n. 4* Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Chryſoſt. in Imp. homil. 9.* | Beati manſueti. |
| *Syriacus.* | Hæreditatis iure poſſeſſuri ſunt terram. |
| *Græcus.* | Hæreditate poſſidebunt. |
| *Arabicus.* | Hæreditabunt terram. |

## *EXPOSITIO.*

128. IN Codice Græco, quem ſui Patres Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & alij amplectuntur, hæc eſt tertia beatitudo; nam ſecunda lugentibus attribuitur. In noſtra verò vulgata Latina editione, quam ſequuntur Latini D. Auguſtinus, D. Hieronymus, D. Bernardus, D. Paſchaſius, hæc eſt ſecunda beatitudo. Et rectè pauperibus ſpiritu connectitur mititas: quia, vt docent D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Pauperes, & humiles multas patiuntur iniurias, & incommoda, & ideo mititate indigent.* Chromantius verò ponderans, quòd priùs dicuntur pauperes ſpiritu, & poſtea mites, addit: *Non fit mare tranquillum, niſi ceſſauerint venti; non extinguitur ignis, niſi materiam incendij, ſpinarumque ſarmenta detraxeris: ſic nec animus erit mitis, & quietus, niſi quæ exuſcitant, & inflammant, fuerint abdicata.*

Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

Auguſt. Hieron. Bernard. Paſchaſ.

*Pauper armetur patiẽtia ad iniurias ſuſtinendas.*

Chromant.

129. Ait Dominus: *Beati mites.* Eos beatos appellat, quia, vt ait Climacus grad. 24. *Manſuetudo magiſtra gaudij, imitatrix Chriſti, cælitum proprietas, vinculum, & nodus dæmonum, ſcutum aduerſus amaritudinem, ſeu animi acerbitatem. In cordibus manſuetorum requieſcet Dominus; anima autem turbata nidus eſt diaboli; Mites,* inquiunt Theophylactus, & Euthymius, *dicuntur illi, non qui penitus non iraſcuntur, huiuſmodi enim inſenſati ſunt: ſed qui iram quidem ſentiunt, ſeſe tamen continent; quando autem oportet, iraſcuntur.* Sicut dicit Dauid: *Iraſcimini, & nolite peccare,* Pſalm. 4. num. 5. *Mites* tamen, rectè explicatur, ſunt illi, qui iræ, impatientiæ, inuidiæ, cæteriſque animi motibus inordinatis imperant;

*Mites cur beati.*

Climacus.

Theophyl. Euthym.

*Quinam ſint mites.*

*Mitis, quando oportet iraſcitur.*

Pſalm. 4.

rant ; æquo , & placido animo omnia ſuſtinent, nec obmurmurant, Deo aduerſa immittenti ; nec indignantur proximis,iniurias inferentibus , nec lædentibus exoptant vindictam ; nec excandeſcunt,ſi quid præter æquitatem, aut ſuã voluntatem patiuntur : ſed in Dei prouidentiam, ac gloriam omnia referunt. *Quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Seu, vt habet Syriacus, quod magis eſt, *Hæreditatis iure poſſidebunt terram* ; hoc eſt , cælum , vt mihi eſt probabilius;de quo in quæſtionibus.

Syriacus.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quid nomine* terræ *promittitur mitibus?*

130.
MITIBVS ait Dominus : *Ipſi poſſidebunt terram.* Quid nomine *terræ* ſignificetur,ſatis controuerſum. Prima ſententia per *terram* intelligit corpus ex terra compoſitum.Et ſit ſenſus:Mites poſſidebunt ſemetipſos , & ſuamet corpora in reſurrectione cum magna gloria,& ſplendore.Ita D.Hilarius,D. Hieronymus , S. Leo *ſerm. de omnibus Sanctis.* Haymon , Ioannes verò Caſſianus *Collatione* 12. *cap*.6. ait, hîc ſignificari terram corporis ſui ſubiectam rationi,quam mites poſſident , dominando appetitibus,& reprimendo inſurgentia libidinis bella nam,vt ait Hugo,Iracundi , non ſeipſos poſſident.De mitibus eleganter ait D. Bernardus ſerm.de omnibus Sanct.*Si poſſidere vult anima , ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua,neceſſe eſt , vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta, quoniam tale inueniunt inferius ſuum , qualem ſe exhibuerit ſuperiori.* Tanquam ſi dicat ? Si animus vult dominatum habere in ſuo corpore , ſit facilis , & mitis ad obtemperandum mandatis ſui ſuperioris Dei ; quia tunc corpus erit obediens directioni ipſius animæ, ac ei omnes appetitus ſubiicientur: quia qualiter te ſubieceris tuo ſuperiori , taliter tuus ſubditus tibi erit.

Hilar. Hieron. Leo. Haymon. Io,Caſſian. Hugo. Bernard.

131.
Secunda ſententia per *terram* intelligit hanc, quam colimus , & inhabitamus. D. Chryſoſtomus *homil.*15. Theophylactus, Euthymius, & alij. Vnde bene ait Simon Caſſianus lib. 10. cap. 5. *Rixantur iniqui , & non poſſident ; ſed mites ſufferendo habent,* Maximè enim conducit mititas ad bona poſſidenda. Ita ait Regius Vates Pſalm. 36. num. 11. *Manſueti hæreditabunt terram.* Et ita Moyſes, *cùm eſſet manſuetus præ omnibus,qui erant ſuper terram* , Numer. 12. num. 3. habuit principatum in populo Iſraëlitico , & eis impetrauit à Deo poſſeſſionem terræ promiſſæ, per Ioſuë factam ; nullum enim regnum, nulluſque principatus ſine manſuetudine diu conſiſtit. Roboam durè , ac aſperè ſe exhibuit erga ſuos ſubditos,itaut diceret 3.Reg.12.n. 11.*Pater meus cæcidit vos flagellis,ego cædam vos ſcorpionibus*;breuiter tamen amplitudo ſui imperij collapſa eſt. Ait D. Hieronymus Epiſtol. ad Theophyl. *Qui ſcorpionibus cæcidit , citò regnum manſueti Dauid diſſipat.*

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Caſſian. Pſalm.36. Numer 12.

*Manſuetudine ſtabilitur principatus, ſine illa collabitur.*

3.Reg.12. Hieron.

132.
Tertiò,& mihi multò probabilius. Per *terram* hoc loco accipitur terra viuentium , quæ eſt cæleſtis patria, Ita D. Hieronymus *hoc loco*.D. Gregorius Nyſſenus *lib. de beatitudinibus orat.* 2. D.Baſilius *in Pſalm.* 33.D.Gaudentius *tract.* 5.*in Exod*.D. Cyrillus *in cap.* 58. *Iſaiæ.* Arnobius *in Pſalm.*36. & alij.Terra enim noſtra eſt terra morientium;terra verò hîc promiſſa eſt terra viuentium.Pſalm. 26.n.13.*Credo , videre bona Domini in terra viuentium.* Pſalm. 141.n.6.*Tu es ſpes,mea. portio mea in terra viuentium.* Et Iſaiæ 38.n. 11. *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.* Nam,vt rectè ait Caietanus, in veteri Teſtamento promiſſa erat Patribus terra diſtributa per Ioſuë , in nouo Teſtamento terra promiſſa eſt illa cæleſtis beatitudo ; & ideo dicitur de futuro,*poſſidebunt.* Et non qualicunque modo , ſed *iure hæreditatis*, vt ait Syriacus;quia,vt inquit ipſe Caietanus, *mites tam familiares ſunt in hac vita Deo , vt non ſint veluti ſerui,ſeu amici,ſed velut arrogati in hæredes Dei.*

Idem. Nyſſen. Baſil. Gaudent. Cyrill. Arnobius. Pſalm.26. Pſalm.141. Iſai.38. Caietan.

*Mites electi in hæredes Dei.*

133.
Illud tamen hîc maximè notandum,quòd mitibus promittitur terra. Quia , vt ait Chryſoſtomus citatus, *mitis propria putatur amittere, contrarium Dominus pollicetur , dicens, quòd ipſe mitis ſit , qui tutiſſimè cuncta poſſideat.* Mitis ob ſuam ſuauitatem , ac lenitatem reputatur à mundanis terram amittere ; ſed tantum obeſt , vt illam deperdat,quòd potius eam maximè recuperat , ac cum magno augmento acquirit. Cùm Abraham,& Loth ſimul incederent, & maximæ eſſent diuiſiones , ac diſſenſiones inter eorum paſtores,Abrahamus ait conſobrino ſuo , quòd ex omni planitie terræ , quæ erat in conſpectu eius, eligeret partem,quam vellet , nam ipſe ad aliam ſe reciperet , cùm Loth eleuatis oculis eligeret partem terræ , quæ ſibi periucundior viſa eſt, ait ſacer textus. *Dixit Dominus ad Abraham , poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth : Leua oculos tuos, omnem terram,quam conſpicis,tibi dabo*, Geneſ. 13. numero 14. Sed cur promittitur hîc ei omnis terra ; & obſeruatur , *Poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth?* Quia homo adeò mitis , vt ob ſuam manſuetudinem ſeruandam , ac altercationes deuitandas non renuerit cedere vni parti terræ, quæ erat ante oculos poſita ; ab hac parte in ſua hæreditate non defraudatur , ſed potiùs omnis terra , quam eleuatis oculis percipit , ei conceditur , & largitur.D. Chryſoſtomus , *Partem terræ*, inquit, *ceſſiſti : Ecce ego totam tibi terram polliceor , neque hoc ſolum , ſed ſemini tuo polliceor eam vſque in ſæculum.*

Chryſoſt.

*Si pro Deo terrena dimittas, fœnore duplicato recipies.*

Geneſ.13. Chryſoſt.

134.
Ait Deus Moyſi : *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis* , Exod.7.numero 1.Sed vnde homo ad tantam ſublimitatem euehitur , vt Regi tanquam Deus ſit conſtitutus ? Ait Apoſtolus ad Hebræos 11.n. 24. *Fide Moyſes grandis factus negauit , ſe eſſe filium filiæ Pharaonis* ; ac proinde totius regni hæredem, & ſucceſſorem. Sed ex hoc amiſit regiam dignitatem ; minimè , ſed multo maiorem eſt aſſecutus , vt non ſolùm Rex , ſed Deus eſſet conſtitutus, & habitus erga Pharaonem. D. Ambroſius concione 13.in Pſalm. 118.*Noluit*,ait,*eſſe Rex, cùm poſſet;ſed fugiendo potentiam potentior factus eſt.Rex erat Pharao,ſed Deus non erat:Moyſes factus eſt illi Deus.* Pondera verba, *fugiendo potentiam potentior factus eſt.*

Exod.7. Hebr.11.

*Dignitas pro Deo relicta, tibi maximè duplicatur.*

Ambroſ.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XIX.

### *Quare in opinione Diui Chryſoſtomi mitibus promittatur præmium terrenum?*

135.
Chryſoſt.
VT retuli ſuperiori quæſt. ex Diuo Chryſoſtomo , & aliis grauibus Patribus,per *terram* intelligitur hoc loco hæc elementaris,quam habitamus ; & hæc pollicetur mitibus in præmium,vt ait S.Doctor citata homil.15. *Quia Chriſtus ſpiritualibus ſenſibilia miſcet.* Et ſubdit: *A familiaribus iam illi populo , notiſque verbis ſermonem texuit , vt non in omnibus inuſitatè loqueretur.* Voluit Dominus aliquando condeſcendere, & ſe accommodare infirmitati illius populi, qui maximè erat deditus ad temporalia ; ac proinde, vt optimus Magiſter ab excellentiſſima perfectione ſpirituali , quam ſemper intendebat, & prædicabat,tantiſper diuertit ſermonem, vt ſuos auditores valeat ineſcare,ac attrahere ad ſe, ac ad cæleſtia. Et in hac ſententia pondera loquendi modum,non ait,poſſident,ſed *poſſidebunt terram*, tanquam in ſpe eis obiicitur;ſpes autem non eſt de bono poſſeſſo,ſed poſſidendo. Tunc enim quis ſecurè temporalibus fruitur , quando cum ſpe vlteriùs retinendi poſſidet;deinde, quia temporalia adeò ſunt anguſta,& bonitate denudata, quòd ex earum retinentia naſcitur faſtidium , ex ſpe verò aliqua ſuauitas , ac delectatio , & tunc animum mouent , ac alliciunt , non poſſeſſione , ſed expectatione. Vide infrà *capite* 29. *numero*.83.

*Deus per familiaria , & amica hominem trahit.*

*Bona retinenda cum ſpe, vt ſecurè habeas.*

136.
Chryſoſt. Hugo.
Secundò. Vt dixi ſuperiori quæſt.mititas valde præpotens ad omnia poſſidenda, & obtinenda , vt etiam docet idem Chryſoſtomus *homil.* 58.*in Geneſ.* Tertiò Hugo. *Per mititatem* , ait, *terrenam ſubſtantiam pacifica , & magnifica dominatione poſſidemus : quia per hanc de amiſſione temporalis ſubſtantiæ non dolemus , neque turbamur.* Mitis omnia poſſidet , quia de nulla amiſſione terreſtrium bonorum dolet ; nulla iactura turbatur , diripientibus non belligerat , nec litigat , ſed vbique quietus , & ſecurus eſt , vt cum omnibus pacem habeat.

*Mitis cum omnibus pacē habet, & inde omnia poſſidet.*

137.
Sed in hac ſententia graue inſurgit dubium, quomodo Chriſtus Dominus pauperibus ſpiritu, terrena renuntiantibus , promittit regnum cælorum ; & tamen ſtatim ipſa terrena mitibus in præmium dantur ? Si enim ipſa abiectio temporalium eſt bona,retentio , quæ eſt oppoſita , mala erit : quomodo ergo prima , & excellens beatitudo aſcribitur renuntiantibus terrena ; & ſtatim ipſa in præmium mitibus dantur.

*Pulchrum dubium.*

138.
Reſpondebis primò ex his,quæ dixi *quæſt.*15. *num.* 106. quòd paupertas ſpiritu poteſt conſiſtere cum poſſeſſione diuitiarum : nam ille eſt verè pauper ſpiritu , qui quamuis multa bona habeat , tamen non habet cor defixum , & immerſum in ipſis terrenis , ſed ab illis maximè liberum , & expeditum : vt fuerunt Rex Dauid, & D. Gregorius Eccleſiæ Pontifex. Ac proinde renuntiantibus affectu terrena datur regnum cælorum;ipſa verò externa poſſeſſio mitibus pollicetur.

*Cor in diuitiis ne ſit immerſum.*



139.
Chryſoſt.
Secundò. Diuus Chryſoſtomus *in Catena* , ſic gloſſat. *Beati mites , quoniam ipſi poſſidebunt terram. Chriſtus hic ſpiritualibus ſenſibilia miſcuit, quoniam æſtimatur qui mitis eſt , omnia ſua perdere.* Mitis in ea æſtimatione habetur quòd ob rixas vitandas velit omnia temporalia perdere , ne æternis priuetur , & cùm ita ob Deum terrena contemnit , inde ampliſſimè illis muneratur , ac ea poſſidet. Tertiò. Pulchrè Diuus Gregorius Nazianzenus Oratione 1. *Omnia*,ait , *Deo dono dedi , opes,famam , nominis claritatem , bonam valetudinem , litteras ipſas ; ex quibus dumtaxat hoc commodi tuli , vt eas aſpernarer , atque aliquid haberem , cui Chriſtum anteferrem.* Ideo enim hilari animo bona mundi , nempe diuitias , auctoritatem nominis , ac ſcientiam accipiunt probati viri , non vt ſibi retineant, ſed vt omnia illa elargiantur,ac expendant in Dei obſequium , & vt omnia ipſa pro Dei amore contemnantur. Ac proinde ſi opes obiiciuntur , vt faciunt pauperes ſpiritu , etiam à Deo dantur in præmium , non vt retineantur , ſed vt pro ipſo Deo reiiciantur , ac adeò in maiores homo iuſtitiæ fructus excreſcat.

Nazianz.

*Diuitiæ ac tēporalia bona habenda, vt in Dei expendantur obſequium.*

140.
Dic quartò. Diuitiæ , ac temporalia bona, ſi à mundo veniunt , conſtipata omni vitio incedunt ; & ideò tunc fugienda , & relinquenda. At verò ſi à Deo dantur , à quo nihil niſi bonum procedere poteſt, virtutem miniſtrant , & charitatis , ac iuſtitiæ materiam præbent : vt ſatis ſuo exemplo comprobant ſancti Patriarchæ, Abrahamus , Iſaac , Ioſeph , & Iob , qui quotidie extendebant manus ſuas ad pauperes ; ac hoſtias , & holocauſta Deo offerebant. Et huiuſmodi opes ſunt , quæ à Deo dantur mitibus in præmium , vt maximè eis conducant in gratiæ , & virtutis augmentum. Epiſcopo Laodicææ , ait Dominus : *Suadeo tibi,emere à me aurum ignitum probatum*, Apocal. 3. numero 18. hoc eſt , aurum optimum ; purum , ac eximiè defæcatum. Nónne dicebat Dominus ſuis diſcipulis : *Nolite poſſidere aurum . neque argentum*, Matth. 12. numero 9. Quomodo ergo magnis promiſſis exhortat Epiſcopum ad aurum comparandum ? Locupletantes diuitiæ , ſi flante mundi aura deueniunt , protinus abiiciendæ, & non poſſidendæ ; nam tam peſtifero aëre maximè coinquinatæ exiſtunt. At ſi è manu Dei, à quo omne bonum exhalatur, deueniunt , omnem virtutis odorem ſecum aſportant , & in magnum noſtrum bonum cedunt. Et ideo ait : *Suadeo tibi , emere à me.* Aretas Cæſariæ Epiſcopus ita ad hunc [illegible]um ait : *Si vis*, inquit, *locuples fieri , vera[illegible]me diuitias emito , qui manentibus diuit[illegible] locupletare noui.* Magnis opibus ditare , manentibus virtutibus , ſolus nouit Deus , ab ipſo enim ad probitatis , ac charitatis vſus diuitiæ deſcendunt.

*Diuitiæ è manu mundi nociuæ; è manu Dei frugifera.*

Apocal. 3. Matth.12. Aretas.

* * *

Bb QVÆSTIO

## QVÆSTIO XX.

### *Quare in communi ſententia cælum promittatur ſub nomine* terræ?

QVÆSTIONE 18. in tertia ſententia cum
141. *Omnibus beatitudinibus promittitur.* communi reſolutione dixi, per *terram* hoc loco cælum ſignificari: nam his beatitudinibus regnum cælorum promittitur, ſed alio ſemper nomine,& titulo, vt notat Cornelius à Lapide.
Cornel. Pauperibus ſcilicet nomine *regni*; mitibus verò nomine *terræ*. Sed ſtatim dubium pulſat animum: Cur hîc, non cælum, ſed terra nuncupatur.

142. Reſpondeo primò, quòd Chriſtus Dominus alludit hîc ad modum loquendi Dauid. Pſal. 36.
Pſalm. 36. num. 11. *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Iſta autem beatitudo, conſiſtens in viſione, ac fruitione Dei, vocatur terra, vt inquiunt Salmeiron *hoc loco*, &
Salmeiron. Lorin. *Quare cælum dicitur terra.* Lorinus *in Pſalm. 26. num.* 13. tum ob ſtabilitatem, erit enim perennis, & æterna; tum quia repræſentata fuit ipſa per paradiſum terreſtrem, & per terram promiſſam Iudæis.

143. Palatius. Secundò reſpondet Palatius, quòd voluit Dominus, quòd hæc terra, quam calcamus, non exiſtimaretur terra noſtra; ſed quòd terra noſtra, & patria noſtra eſt illa, quæ eſt regnum cælorum. Tertiò. Hac phraſi vtitur, vt piis animum adderet. Forſitan poterat pius homo dubitare, quòd corpus ſuum, cùm ſit ex terra coalitum, in cælum non eſſet eleuandum, cùm cælum ſit valde mobile; & cùm Dauid dicat: *Cælum cæli Domino, ter-*
Pſalm. 113. *ram autem dedit filiis hominum*, Pſalm. 113. n. 16. Ne ergo aliquis diffideret de aſcenſu ad cælum,
*Deus dat nobis fiduciam euolandi in cælum. Qui ſe deiicit propter Deũ, exaltatur.* ſed vt omnes ſpem conciperent, & animum corroborarent, cælum terram etiam nuncupat, & cælum nomine terræ dicit. Quartò. Cælum terræ vocabulo denotat; nam ſicut mites ob ſuam ſuauitatem, ac manſuetudinem ſe calcabiles præbuerunt omnibus, ac ſi terra eſſent; ita ipſum cælum mitibus ſe calcabile exhibebit; qui enim ſe
Ambroſ. virtutis amore omnium ſub pedibus ſubiicit, omnia ei ſubiecta erunt. Ait D. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 20. *Bona virtus, quæ nihil appetendo, totum, quod contemnit, adipiſcitur.*

144. Pſalm. 8. De Chriſto Domino ait Regius Vates Pſal. 8. num. 6. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.*
Hebræ. 1. Et tamen de ipſo inquit Paulus ad Hebræ. 1. num. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.* Ecce Propheta Chriſtum minorem ab Angelis canit; & tamen eundem maiorem eſſe Angelis Apoſtolus prædicat. Nunquid Paulus contrariatur Prophetæ? Minimè. Sed quia meus Ieſus non recuſauit, quòd in terris minor Angelis videretur, ideo à Patre ſuper omnes Angelorum choros exaltatus
Bernard. eſt, & ſublimatus. Eleganter D. Bernard. *ſerm.* 73. *in Cantica*, poſtquam vtrunque Dauidis, & Pauli locum, adducit, ait: *Non contraria ſunt locuti Apoſtolus, & Propheta, quippe habentes eundem ſpiritum: nam ſi dignationis fuit, quòd minoratus, non neceſſitatis, nihil planè in hoc bonitati præſcribitur, ſed adſcribitur. Denique minoratum Propheta perhibuit, non minorem, attollens gratiam, & propellens iniuriam; nam & minoritatem natura recuſat, & minorationem excuſat cauſa. Nempe minoratus eſt, quia ipſe voluit. Sic minorari, miſereri fuit. Quænam perditio hæc? Profectò acceſſit pietati, quidquid maieſtati: viſum eſt deperiiſſe; quanquam nec Apoſtolus tacuit hoc magnum magnæ pietatis arcanum; ſed ait: Eum autem, qui modico, quàm Angeli, minoratus eſt, vidimus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.*

*Matth. 5. n. 5.* Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Beati lugentes, quippe conſolationem accepturi ſunt. |
| *Cyprian. Ep. 52. & lib. 3. ad Quirin.* | Beati plangentes. |
| *Sedulius in cap. 12. Epiſt. ad Roman.* | Beati qui flent. |
| *Arabicus.* | Beati triſtes. |
| *Textus Græcus.* | Beati, qui lugent ſpiritu, & animo. |
| *Vatablus, Euthymius.* | Quoniam ipſi conſolationem accipient. |
| *Tertull. lib. de patiētia c. 11.* | Beati lugentes, ac flentes. |

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 21.* Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.

## *EXPOSITIO.*

POSITÆ ſunt, vt ait D. Thomas, 145. D. Thom.
beatitudines, per quas abſtrahimur à malo cupiditatis, & crudelitatis, ſeu iræ. Hîc ponitur tertia, per quam abſtrahimur à malo noxiæ voluptatis, ſeu iucunditatis. *Beati, qui lugent.* Non omnium lachrymæ faciunt beatos, ſed illæ, quæ ſunt pro motiuo, & cauſa ſpirituali, vt eleganter ait D. Chryſoſtomus homil. 22. ad Populum. *Beati*, ait, *qui lugent, non mortuum, non iacturam, ſed peccatum.* Sic Hebræi: *Super flumina*, inquiunt, *Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion*, Pſalm. 136. numero 1. Lachrymis diffuſis plangebant ob religionis cauſam: *Dum recordaremur Sion.* *Pro ſpirituali motiuo lachrymãdum.* Chryſoſt. Pſalm 136.

Hic autem luctus multipliciter exponi poteſt. 146. Nyſſen. Remigius. Alb. Magn. S. Thom. Ianſenius.
Et primò, ac perfectiſſimè cum D. Gregorio Nyſſeno *lib. de beatitudinibus. Concione* 3. D. Remigio *in cap. 12. Epiſtolæ ad Roman.* Alberto Magno, S. Thoma, Ianſenio. Qui præ tædio huius vitæ, ac præ vehementi deſiderio cæleſtis patriæ, ac eximio amore Dei, & Chriſti Ieſu filij eius, quo frui ſummè exoptãt, lugent in hoc corpore ſuum incolatum, & dilationem cæleſtis patriæ. Ita dicebat Paulus Roman. 7. num. 24. *Infelix ego homo,* Rom. 7.



*quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et ad
Ad Philip. 2. Hilar. Hieron. Philipp. 2. num. 23. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Secundò exponitur à D. Hilario, D. Hieronymo de his, qui lugent proprium peccatum. Et ita
Hugo. ait Hugo. *Qui lugent, ſunt, qui ſe ipſos vident, & agnoſcunt. Videns ſe quid aliud habere poteſt, niſi lugere ſe ipſum, cùm nihil in ſe inueniat, niſi mortem, & abyſſum peccatorum.* Vnde eleganter de-
S. Antioch. *Qui ſe agnoſcit, luget, & alterum non deridet.* ridentes pungit S. Antiochus Monachus homil. 48. *Planè*, ait, *qui ſua luget peccata, huic nullus relinquitur locus, alterum vt derideat, aut ridiculis ſannis aſpergat, & exacerbet fratrem.* Tertiò, & valde propriiſſimè intelligitur textus cum D.
Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Chromant. Gloſſa. Paſchaſ. Haymon. Beda. Leo. Chryſoſtomo *in Imperfecto homil.* 9. Euthymio, Theophylacto, Chromantio, Gloſſa, D. Paſchaſio *lib. 3. in Matth.* Haymon. Beda, & aliis. Qui ob charitatem lugent propria, & aliena peccata. Ita ait D. Leo ſerm. de omnibus Sanctis. *Religioſa triſtitia alienum peccatum lugent, aut proprium.* Sic Ieremias lamentabatur peccata populi. *Quis da-*
Ierem. 9. *bit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, Ierem. 9. num. 1. Sic Samuel lugebat Saulem. 1. *Reg.* 15. *num.* 35.

147. Auguſt. Quarto D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte*, explicat de luctu, quem habent homines de gaudiis ſæculi, quæ dimittunt veniendo ad
Nyſſen. Ambroſ. Tolet. Chriſtum. Quintò D. Gregorius Nyſſenus *citato loco.* D. Ambroſius *lib. 2. de officiis*, & Toletus *in cap. 6. Luc. annot.* 28. Volunt intelligi hîc lugentes, qui infirmitates, labores, ac aduerſitates à Deo immiſſas, aut permiſſas patienter, ac æquo animo tolerant, maximè ſe diuinæ voluntati componentes omnia in Dei gloriam referunt. Et in
Chryſolog. hanc ſententiam ait D. Chryſologus ſerm. 46. *Beati qui lugent in mundo.* Illud tamen hîc aduerto
Tolet. cum Toleto *citato*, quòd ſententiæ Matthæi, & Lucæ ſint diſtinctæ, vt conſtat ex textu Græco. Nam radix Græca in Matthæo denotat lugere ſpiritu, & animo; in Luca verò ſignificat flere lachrymis, & planctu externo. *Quoniam ipſi conſolabuntur*, hoc eſt, in hac vita, ſpirituali dulcedine; & in futura, æterna beatitudine.

## QVÆSTIO XXI.

### *Quare Dominus aſſignet lugentibus conſolationem in præmium?*

148. *Mundus deliciantes iudicat beatos; Deus verò triſtes.* MAXIME diſtat Dei iudicium à mundi ſententia; mundus enim arbitratur beatos, qui à mœrore, luctuque alieni, rebus omnibus ex animi voto ſuccedentibus, lætam, iucundamque vitam ducunt; Dominus verò contra eos beatos prædicat, qui vitam degunt, iudicio hominum, triſtem, & amaram, & à voluptatibus ſæculi, oblectationibuſque alienam, ſicque lugentibus conſolationem promittit. In quo verò hæc conſolatio conſiſtat, hîc explicandum.

149. Chryſoſt. *Ipſum flere, magnum ſolamen, & cõſolatio ſpiritualis.* Primò Diuus Chryſoſtomus *homil.* 15. inquit, quòd hæc conſolatio non ſolùm eſt in futuro ſæculo, ſed etiam in hoc. Ita ait: *Vbi verò, dic mihi, conſolabuntur? Et hîc profectò. Et quod eſt amplius in futuro. Quia enim præceptum ipſum valde videbatur, oneroſum, hoc ſe promittit daturum, quo illud quàm maximè leue poſſet efficere. Itaque ſi velis conſolari, luge. Neque putes ænigma eſſe,*



*quod dixi. Quando enim conſolatur Deus, etiamſi millia mœrorum irruant, cunctis ſuperior exiſtis.* Nam ipſum flere, ipſum lachrymari: *Si velis conſolari, luge*; miram ſuauitatem, & dulcedinem ſpiritualem ſecum affert, vt ait Theophylactus, Theophyl.
per quam anima mirificè delectatur, & gaudet. Rabanus.
Pulchrè ait Rabanus in cap. 3. Matth. *Columba gemitum pro cantu habet: ita & Sancti, ſicut alij delectantur in cantu, ita ipſi in gemitu pro peccatis.* Rectè ergo dicuntur beati, qui ſuo gemitu *Lachryma delectant.*
delectantur, ac in ipſis lachrymis maxima iucunditate, ac delectatione à Deo perfunduntur. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, Apocal. 21.
Apocal. 21. num. 4. Diuus Bernardus, vt refert Bernard.
Hugo, *Felix lachryma, quæ pia manu conditoris meretur abſtergi.* Euthymius verò conſolatio- Euthym.
nem in hoc ſæculo ita explicat: *In præſenti*, inquit, *conſolabuntur ea ſpe, quòd peccata ſua luctu redimant.*

Secundò. Diuus Auguſtinus lib. 1. de ſerm. 150. Auguſt. *Æterna beatitudo conſolatio.*
Domini in monte. *Conſolabuntur*, ait, *ergo Spiritu ſancto, qui maximè propterea paracletus nominatur, id eſt, conſolator, vt temporalia amittentes æterna lætitia perfruantur.* Tertiò, & eſt eadem ſententia Auguſtini. Conſolabuntur æterna Dei viſione, & fruitione. Ita Chroman- Chromant.
tius, *Sanctè*, inquit, *lugentibus conſolatio æternæ exultationis promittitur.* Ita ait Iſaias 61. numero Iſai. 61.
3. *Date his, qui lugent Sion gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ lugentibus; pro ſpiritu mœſtitiæ amictum gloriæ.*

Mira Dei miſericordia, quòd non ſolòm pro- 151. *Dat Deus nõ ſolùm ea, quæ ſunt neceſſaria, ſed etiã, quæ delectat, & recreant.*
mittit ſuis ſuam cæleſtem beatitudinem ſub nomine regni cælorum, vel terræ viuentium; ſed etiam prætextu conſolationis: ſuos enim non ſolùm vult regno ditari, verùm etiam omni animi gaudio perfundi, omnique iucunditate recreari. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium for-* Dan. 3.
*nacis, quaſi ventum roris flantem*, Daniel. 3. numero 49. Non ſat erat diſpergere, ac amouere ignem, ne eos læderet. Ad quid vltrà tenuis aura roris flantis? Theodoretus. *Angelus itaque* Theodor.
*flammam diſſipabat, & mediam fornacis partem ignis carbonibus nudans, auram quandam frigidam, ac mediocriter humidam, quæ Sanctis afferret voluptatem, parabat, atque hanc in Sanctorum corpora immittebat.*

Ait Deus Moyſi: *Hodie egrediemini in menſe* 152.
*nouarum frugum*, Exod. 13. numero 4. Sed cur po- Exod. 13.
tius Dei prouidentia eligit hunc menſem, quàm alium? Tunc enim erat valde opportunum, & *Deus maximè recreat ſeruos ſuos.*
commodum tempus itinerantibus, prata mille floribus depicta rident; arbores erumpunt in poma, & terra emittit fructus; cælum ſerenum adeſt, nec viget æſtas, nec frigus, nec intemperies; placida aura itinerantes recreat, & eos ſuaui cantu aues demulcent. Oleaſter ibi: *Ad-* Oleaſter.
*uerte*, inquit, *quàm opportuno tempore, cùm nec frigus, nec viget æſtas. Sed cur hoc tempus ſelegit pro decernendo Iſraëlis itinere? Vt ſic eorum incolumitatati, & voluptati conſulat; deliciis enim non caret, tempore verno itinere accingi.*

## QVÆSTIO XXII.

*Quare non explicetur à Chriſto Domino, quænam ſit hæc conſolatio promiſſa lugentibus?*

153. *Ratio difficultatis.* IN aliis beatitudinibus aſſignatur à Domino præmium, pauperibus ſpiritu regnum cælorum, mitibus terra viuentium: at lugentibus conſolatio pollicetur; non tamen explicatur, quæ, & qualis ſit hæc conſolatio, ſicut dicitur regnum cælorum. Cur non dicitur, qualis ſit hæc conſolatio? cæleſtis, an terreſtris? animi, vel corporis?

154. Iſaac Preſbyter. Dubium hoc eleganter attigit, & ſoluit S. Iſaac Preſbyter Antiochen. *lib. de contemptu mundi*, habetur in Bibliothec. tom. 6. part. 2. *Quoniam ipſi conſolabuntur: non expreſſit quam conſolationem.* Et paucis ſubiectis ait: *Auxilium autem, quod ſit ex lachrymis, nemo nouit, niſi illi, qui huic operationi ſuas animas tradiderunt.* Qualis ſit pauperum merces, mitium ſuauis promiſſio, verbis dici, & dictis explanari poteſt: at lachrymarum ſuauitas lugentium præmium, non ſermone aperiri valet, ſed ſolus ille agnoſcit, penetrat, & aſſequitur, qui huic ſancto ſtudio deditus eſt; & ipſa experientia ſentitur; quod verbis exæquari nequit.

*Suauitatem, quæ ex lachrymis reſultat, ſolùs, qui experitur, agnoſcit.*

155. Apocal. 21. Videt Ioannes cælum apertum, & audit vocem magnam, dicentem, *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Apocal. 21. num. 4. Vox cæleſtis explanat Sanctorum gloriam, & felicitatem; & de lachrymantibus ait, quòd in eis non erunt terrenæ preſſuræ mortis, luctus, clamoris, ac doloris, quæ omnia ex primi parentis præuaricatione prouenerunt, vt ibi ſatis doctè explicat Primaſius. Sed cur his contenta vox illa ſublimis non aperit etiam horum Sanctorum felicitatem, viſionem, fruitionem, ac delectationem? Sãctorum Martyrum inſignia, ac ſtemmata in gloria explanat Ioannes: *Vidi animas interfectorum propter verbum Dei, & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*, Apoc. 6. num. 9. De virginibus teſtatur idem Euangeliſta: *Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit; ſine macula enim ſunt ante thronum Dei*, Apocal. 14. num. 5. Cur etiam de lugentibus non dicit quali gloria munerentur, ſed ait: Luctus, clamor, & dolor non erunt amplius? Quibus afflictionibus, & pœnalitatibus ſancti lachrymantes ſint ſuperiores, & à quibus iam euaſerunt, ſermone dici poteſt: at eorum gaudia dulcedines, & ſuauitates verbis aſſequi non poſſunt, ſed ſolùm experientia apprehendi; plus enim in his hauritur affectu cordis, quàm effectu oris valeat eructari. Huc aduoca D. Chryſoſtomum homil. 12. in Epiſtol. ad Coloſſ. *Nihil eſt*, ait, *his lachrymis iucundius. Quouis riſu ſunt hæ iucundiores. Sciunt, qui lugent, quantam hæc res habeat conſolationem.*

Primaſ. Apocal. 6. Apocal. 14. *Beatitudo, quã lachrymæ promerẽtur, verbis non explicatur.* Chryſoſt.

156. Gen. 32. Luctatur Iacob cum Angelo, *Qui benedixit ei in eodem loco*, Geneſ. 32. num. 30. Sed in quo eum benedixit? Quid datum eſt in hac benedictione? Quid Iſaac ipſi Iacob dederit in ſua benedictione, planè explicat Scriptura: *Seruiant tibi populi, adorent te Tribus*, &c. Gen. 27. num. 28. Quid Iacob conceſſerit ſuis filiis, dum ageret iam vltimum ſpiritum, eis benedicens, apertè narrat Scriptura *Gen.* 49. Quare ergo non proponitur, quid hæc Dei benedictio luctantis, vt vult Chryſoſtomus, importet: Oſeas Propheta, vt volunt D. Hieronymus, Rupertus, & alij, explanat, quòd hæc lucta, & contentio perpetrata fuerit gemitibus, & lachrymis? *Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum*, Oſe 12. n. 4. Et licèt dona, quæ aliis benedictionibus dantur, verbis valeant aperiri; tamen ea, quæ lachrymæ impetrant, adeò magna, & præexcelſa exiſtunt, vt nullo ſermone exprimi poſſint.

Geneſ. 27. Chryſoſt. Hieron. Rupert. Oſee 12. *Dona, quæ lachrymæ impetrant, magna valde.*

## QVÆSTIO XXIII.

*Quare Chriſtus Dominus lugentes prædicat beatos, cùm Apoſtolus præcipiat ſemper eſſe gaudendum?*

157. *Ratio difficultatis.* TOTA ratio difficultatis eſt: quia Chriſtus Dominus hoc loco maximè ſuadet lachrymas, cùm lugentes felices, & beatos dicat: at verò Apoſtolus *ad Philipp.* 4. *n.* 4. ait *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.* Quomodo ergo lugendum, ſi gaudendum eſt ſemper, nam luctus excludit gaudium?

Ad Philip. 4.

158. Chryſoſt. Luc 6. Dubium mouet, & ſoluit D. Chryſoſtomus homil. 14. in Epiſtol. ad Philipp. *Beati lugentes, & væ ridentibus, dicit Chriſtus*, Luc. 6. n. 25. *Quid ergo Paulus dicit: Gaudete in Domino ſemper? Chriſtus autem væ dixit ridentibus, riſum mundi huius taxans, qui fit propter res præſentes; & lugentes beatos dixit, non ſimpliciter ſuorum amiſſionem lugentes, ſed eos, qui compuncti ſunt, quique ſua mala lugent, & delicta ſua animo reuoluunt, aut etiam aliena. Non eſt autem hoc gaudium luctui illi contrarium, etenim ex illo luctu naſcitur quoque gaudium: qui nanque ſua ipſius mala luget, & confitetur, gaudebit. Propterea verò licet lugere quidem propter peccata ſua; gaudere autem Chriſti cauſa.* Non contrariatur Paulus Chriſto: nam Dominus præcipit lugere propria peccata, vel aliena, & ex his lachrymis, & ex hac compunctione oritur perpetuum gaudium in Domino, quod Apoſtolus commendat. Et non dicit ſolùm, *Gaudete*, ſed addidit, *in Domino*; ſolus enim ille, qui propria, & mundana luget, & plangit peccata, gaudet, & exultat in Domino.

*Luctus ex peccato, gaudiũ ex Deo.*

159. Chryſoſt. Secundò ex vltimis verbis Chryſoſtomi: *Propterea licet lugere propter peccata ſua; gaudere autem Chriſti cauſa.* Qui ſe, ſuaque delicta, ac miſerias conſiderat, beatus eſt, qui luget: qui autem Chriſtum, ac diuitias ſui amoris cogitat, & contemplatur, in Domino gaudet, ac exultat, & in iubilationes gratiarum actionum prorumpit.

*Ex noſtri cognitione luctus; ex Dei conſideratione gaudium.*

160. Euthym. Tertiò Euthymius ad hunc Matthæi locum. *Beati, qui lugent. Quomodo ergo alio loco dicit Paulus: Gaudete in Domino ſemper? Quia & ille gaudium dicit, quod è luctu oritur; habet nanque luctus repenſum ſibi gaudium. Quemadmodum enim, poſtquam vehemens pluuia impetuosè deſcenderit, ſerenitas ſtabilior eſſe ſolet; itaque deductis lachrymis tranquillitas, & gaudium animi ſuccedit.* Chriſtus dicit lugendum, Paulus gaudendum: & hæc magna exultatio ex illo luctu procedit; ſicut enim peracta tempeſtate gratior eſt tran-

*Poſt luctum ſuauius gaudium.*



tranquillitas; ita quanto copioſior fuerit imber lachrymarum, & vehementior animi compunctio, tanto maius, & periucundius gaudium erit. Et ideo Apoſtolus non ſolùm dicit gaudendum, ſed per repoſitionem hoc cõmendat: *Iterum dico.*

161. Anſelm. Bruno. Quintò S. Anſelmus, & B. Brunonius ad citatum locum Apoſtoli inquiunt; quòd Paulus commendat gaudium perpetuum, & ſtabile. Quod colligunt ex repetitione, *Iterum dico, Gaudete.* Chryſoſtomus, & Euthymius *citati* teſtantur, quòd hoc gaudium Apoſtoli oritur ex luctu, quem Chriſtus beatum prædicat; non qualecunque gaudium, ſed durabile, & permanens nobis inculcat Apoſtolus, nec aliud poteſt lachrymis, & fletu pullulare, & naſci, cùm bona, quæ diu conſiſtunt, & perſeuerant, in luctu, & planctu fundentur, & radicentur.

Chryſoſt. Euthym. *Donum ex lachrymis perpetuum, & ſtabile.*

162. Auguſt. Hieron. Brunon. D Thom. Pſalm 23. Pſalm. 47. De Eccleſia ait Regius Vates, & explicant D. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Brunonius, S. Thomas: *Ipſe ſuper maria fundauit eam*, Pſalm. 23. num. 2. Sed cùm Eccleſia ſit fundata firmiter, & ſtabiliter per omne ſæculum, vt ipſemet Regius Vates ait Pſalm. 47. num. 7. *Deus fundauit eam in æternum.* Quod fundamentum columnis æneis fulcitum ad tantam eligitur ſtabilitatem? Mare, ait ipſe Pſaltes. Mare magno impetu fertur, & minimè in vno loco conſiſtit. Aqua maris ſalſa eſt lachrymas adumbrans, vt habes in multis Scripturæ locis. Eleganter S. Eligius Nouiom. Epiſcopus homil. 11. *Super fluenta lachrymarum Iuſtorum fundauit eam.* Vt enim Eccleſia diu tuta conſiſteret, ac perſeueraret, nullum maius, ac nobilius fundamentum ſupponi poterat, quàm lachrymæ Iuſtorum.

*Quod in lachrymis fundatur maximè durans.* Eligius.

*Matth. 5. n. 6.* **Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur.**

### VERSIONES.

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Beati illi, qui eſuriunt. |
| *Arias.* | Beati eſurientes, & ſitientes. |
| *Maldonatus ex Græco.* | Eſuriunt, & ſitiunt propter iuſtitiam. |

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 21.* Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini.

## EXPOSITIO.

163. Ambroſ. PONDERANDVS eſt ordo, quem Dominus tenet in beatitudinibus prædicandis. Quod eleganter obſeruat D. Ambroſius lib. 6. in Luc. *Ordinem proſequamur*, ait, *peccatum depoſui, temperaui mores, delicta defleui, eſurire incipio, & ſitire iuſtitiam.* Poſt fletum, & lachrymas ponitur eſuries, & ſitis iuſtitiæ: nam vbi primum homo ſe diffundit in lachrymas, ac vera contritione dolet, non amplius faſtidium, ſed famem habet iuſtitiæ. Quod etiam eleganter dixit D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Priùs, dum æger graui premeretur morbo, eſurire nequiuerat, quia bonæ vitæ faſtidium iuſtitiæ ſitim, eſuriemque pellebat.* At vbi ſanus factus eſt per contritionem, iam eſurire incipit.

*Vbi contritio, ibi non eſt iuſtitiæ faſtidium.* Paſchaſ.



164. Caſſian. *Beati, qui eſuriunt.* Sed, vt ait Simon Caſſianus *lib.* 10. *cap.* 7. Vnde Beati? pro eo quòd iuſtitiam eſuriunt, & ſitiunt. Eſuries, & ſitis hoc loco non ſumitur pro corporali, ſed pro ſpirituali. Amos 8. num. 11. *Mittam famem in terram; non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Eccleſiaſtici 24. num. 29. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Indicat ergo hoc loco eſuries, & ſitis vehemens deſiderium, vt docent D. Hilarius *can.* 4. D. Hieronymus *in Comment.* D. Cyprianus *Epiſt.* 63. D. Ambroſius *lib.* 6. *in Luc.* D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte.* D. Chryſoſtomus *homil.* 15. D. Leo *ſerm. de omnibus Sanctis, & ſerm.* 2. *de Quadrag.* S. Proſper *in Pſalm.* 102. D. Gregorius Nyſſenus *lib. de beatitudin. Concion.* 4. S. Cæſarius Arelaten. *homil.* 22. D. Paſchaſius *lib.* 2. *in Matth.* D. Bernard. *ſerm.* 1. *de omnibus Sanctis.* Theophylactus, Euthymius, Beda, Albertus Magnus, S. Thomas. Et hoc apertè colligitur ex textu. Non dixit Chriſtus: Beati, qui ſeruant iuſtitiam; ſed *qui eſuriunt, & ſitiunt*, quod dicit deſiderium.

*Fames, & ſitis, deſiderium.* Amos 8. Eccli. 24. Hilar. Hieron. Cyprian. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Leo. Proſper. Nyſſen. Cæſ. Arelat. Paſchaſ. Bernard. Theophyl. Euthym. Beda. Albert. Mag. D. Thom.

165. Et notandum, quòd priùs Dominus ponit eſuriem, & poſtea ſitim: diſtinguuntur enim quaſi perfectum ab imperfecto; nam eſuries maiorem dicit imperfectionem, & difficiliùs, ac laborioſiùs expellitur; ſitis verò faciliùs, ac delectabiliùs. Quod ponderat D. Bernardus ſerm. 2. de Annuntiat. *Veruntamen*, ait, *donec ſapit tibi veritas, non ſine difficultate ad interiora traiicitur. Vbi verò cœperis in ea oblectari, iam non cibus, ſed potus eſt, & ſine difficultate intrat in animam, quo videlicet ſpiritualis cibus intelligentiæ, potu ſapientiæ digeratur.* Nam quanuis in exordio virtutis aliquid laborioſum, & difficile offeratur, tamen poſtquam iter arripitur, omnia maximè ſuauiſſimè exhauriũtur.

*In via virtutis de imperfecto, ad perfectum, & ſuauius proceditur.* Bernard.

166. *Iuſtitiam.* Quid *iuſtitiæ* nomine hîc denotetur. Primò ſignificatur omnis virtus, & ſanctitas. Ita D. Gregorius Nyſſenus, D. Hieronymus, D. Auguſtinus, & alij. Nam paſſim ſanctitas, omnem virtutem importans, iuſtitiæ nomine dicitur. Et ita hîc ſumitur infrà: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Et ideo hæc expoſitio mihi probabilior, ne in tam breui contextu iuſtitia diuerſimodè ſumatur. Et ita Beati ſunt illi, qui affectant, & deſiderant omnem virtutem, & ſanctitatem. Et ideo non dixit: Beati, qui eſuriunt, humilitatem, patientiã, quæ ſunt partes iuſtitiæ: ſed qui eſuriunt totã iuſtitiam; non enim ſat eſt, ſi in vno vel altero iuſtus ſis, niſi in omnibus iuſtus fueris.

Nyſſen. Hieron. Auguſt.

167. Secundò, vt volunt D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, D. Paſchaſius, Hugo, Caietanus, ſumitur hoc loco iuſtitia pro ſpeciali virtute, quæ reddit vnicuique ſuum. Ac proinde iuſtitia hîc opponitur auaritiæ, vt ait D. Thomas, & vnicuique dat, quod ſuum eſt. Tertiò Rupertus, Maldonatus. Beati, qui patienter habent famem, & ſitim, quia illis iuſtitia non ſeruatur, ſed cõtra iuſtitiam bona eorum diripiũtur: quales ſunt iniuſtè damnati, qui bona ſua perdiderunt; quales ſæpe ſunt pauperes, viduæ, & orphani. Et vt Maldonatus hanc ſententiam corroboret, contendit, legendum eſſe ex Græco: *Eſuriunt, & ſitiunt propter iuſtitiam.* Sed contra hoc vrget, quòd nec noſtra Vulgata, nec aliquis Eccleſiæ Pater legit.

Chryſoſt. Euthym. Theoph. Paſchaſ. Hugo. Caietan. D. Thom. Rupert. Maldonat.

168. Quartò Moraliter per iuſtitiam intelligunt Chriſtum Dominum. Diuus Maximus *homil.4.de ieiunio*, Chromantius, Haymon. Maximè beati ſunt illi, qui cum vehementi auiditate, & deſiderio Chriſtum ſumunt in cæleſti pane Euchariſtiæ. S.Gaudentius tractat. 2. de Paſchæ obſeruatione. *Præcepit Dominus*, ait, *ne lento corde, & ore languido ſacramentum Dominici corporis ſumamus, & ſanguinis; ſed cum omni auiditate animi, quaſi verè eſurientes, & ſitientes iuſtitiam.* Beati, ait, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. Diuus Auguſtinus ſerm. 14. de Martyrib. *Interior homo noſter, ait, eſuriat, & ſitiat; habet enim cibum ſuum, habet potum ſuum. Ego ſum, inquit, panis, qui de cælo deſcendi.*

Maximus. Chromant. Haymon. Gaudentius. *Beati qui habet famem Chriſti in Euchariſtia.* Auguſt.

169. *Ipſi ſaturabuntur*; æterna beatitudine, conſummatáque ſanctitate, ac iuſtitia, & omnibus bonis ſpiritualibus, quæ in cælo dantur. Pſal. 16. num. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Saturabuntur etiam in ſecunda, & tertia ſententia, ipſamet virtute; quia virtus ſola ſibi pulcherrima merces eſt, ac ipſa gratia, quæ cum magno augmento datur bene operantibus. In quarta verò ſententia ſaturabuntur ipſo cæleſti pane, quem auidè deſiderant. *Beatus, qui manducabit panem in regni Dei*, Luc. 14. num. 15. Illud vltimò hîc aduerto, quòd diuerſa eſt ſententia Matthæi, & Lucæ: nam Matthæus loquitur de eſurie, & ſiti ſpirituali, Lucas verò de corporali; & tunc dicuntur beati, qui ob Deum ſuſtinent inediam voluntariam. Vide Toletum *ibi annot.* 26.

Pſalm 16. Luc.14. Tolet.

## Qvæstio XXIV.

### *Quare Chriſtus Dominus in aliis virtutibus beatificauit actum, in iuſtitia tamen deſiderium?*

170. Per hanc phraſim loquendi, *Eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, denotatur vehemens deſiderium iuſtitiæ, vt dixi ex Patribus in expoſitione. Et obiter interrogari poteſt: Cur Dominus hac metaphorica locutione eſt vſus; & apertè non dixit: Beati, qui deſiderant? Multi enim reperiuntur, qui, cùm ſint in peccato mortali, deſiderant virtutem; & tamen cum rebus mundanis delectantur, ac cum eis quieſcunt. Illi ergo dicuntur beati, qui ſicut illi, qui eſuriunt, & ſitiunt cibum, & potum, cum nullo alio recreantur, nec quieſcunt, niſi cum ipſo cibo, & potu; ita illi, qui verè affectant iuſtitiam, in nullo alio inueniunt requiem, ac delectationem, & conſolationem, niſi in ipſa. Et hi à Chriſto Domino beatitudinis vocabulo nobilitantur.

*Incidens dubium.*

171. Quæſtio præſens eſt: Quare Chriſtus Dominus in aliis virtutibus beatificauit actum; ait enim, *Beati pauperes, beati mites, beati lugentes*; non enim dixit: Beati, qui deſiderant paupertatem, mititatem, & luctum; ſed, Beati pauperes, mites, &c. At in Iuſtitia non dixit: Beati, qui ſeruant iuſtitiam; ſed qui eſuriunt, & ſitiunt; hoc eſt, vehementer deſiderant. Cur ergo hîc tantum deſiderium extollit, ac acquirit in ſuis?

*Difficultas.*

172. Reſpondeo primò, quòd vna perfecta virtus dari poteſt in hoc ſæculo, vt paupertas, mititas, &c. at, vt ait D. Thomas hoc loco, *perfectam iuſtitiam in mundo habere non poſſumus. Quia ſi dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, 1. Ioan. 1. n. 8. *Quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ*, Iſai. 64. num. 6. *Sed hanc habemus in cælo; ſed deſiderium iuſtitiæ poſſumus hîc habere.* Idem docent Caietanus, & Hugo. Magna Domini clementia; id enim exigit à nobis, quod præſtare poſſumus: & quia, cùm nos miſeri ſimus: & peccatorum miſeriis infecti, non poſſumus perfectam in hoc ſæculo habere iuſtitiam, quæ dicit conſummatam ſanitatem, ideo tantùm deſiderium, quod præſtare, ac perſoluere poſſumus, petit, & exquirit.

D.Thom. 1.Ioan.1. Iſai. 64. Caietan. Hugo. *Id Dius à nobis exquirit, quod præſtare poſſumus.*

173. Secundò. Quia qui aliquid vehementer deſiderat, ſe illud non habere agnoſcit, & toto affectu ad id obtinendum ſe præparat: nam, vt ait Hugo, illi dicuntur hîc beati, qui ſe reputant inſufficientes, & tunc incepiſſe in via virtutis. Ita dicebat Dauid: *Nunc cœpi*, Pſalm. 76. num. 11. *Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet*, Eccleſiaſtici 18. num. 6. *Poſt me ingredi non ceſſabis*, Ierem. 3. num. 19.

*In via virtutis te cœpiſſe iudica.* Hugo. Pſalm.76. Eccl. 18. Ierem.3.

174. Tertiò. In ſententia D.Chryſoſtomi, Euthymij, Theophylacti, Hugonis, Caietani, *Iuſtitia* ſumitur hoc loco pro ſpeciali virtute, quæ vnicuique, quod ſuum eſt, reddit, ac proinde, vt rectè conſiderat P.Didacus de Celada *in cap.* 2. *Iudith.§.* 18. *numero* 68. Chriſtus Dominus hortatur hîc homines, vt ſint humiles, mites, & pacifici, & vt habeant deſiderium iuſtitiæ, hoc eſt, reddendi vnicuique, quod ſuum eſt; adeò enim difficile iudicat, iuſtitiam re ipſa exercitam, vt ſaltem deſiderium illius hîc primò poſtulet. Paupertatem, manſuetudinem re ipſa exercitam exigit; at Iuſtitiæ deſiderio tantùm contentus eſt, & ad iuſtitiæ deſiderium adhortatur. Valde enim difficilè, quòd perfecta iuſtitia in hoc ſæculo habeatur.

Celada. *Ita difficile dare vnicuique ſuum, vt deſiderium pro magno habeatur.*

175. Quartò. Famem, vel ſitim pati, nullus habet, niſi erga ſe ipſum, & in ſe; nam charitas poteſt vrgere nos, vt alteri ſubueniamus per adiuuamen, conſilium, ac opera miſericordiæ; ſic & correctio fraterna, ſic & pacificatio, ſic & aliæ virtutes: at famem, & ſitim tenere nullus habet niſi in ſe, & erga ſe ipſum, Chriſtus Dominus ait: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*; hoc eſt, qui habent famem, ac ſitim erga ſe, & ipſam iuſtitiam volunt, & appetunt, quod in ſe ſuiſque rebus obſeruetur ac interueniat. Adeò enim difficile eſt, quòd quilibet in ſuis non refugiat iuſtitiæ rigorem, ſed potiùs amplectatur, vt Chriſtus huiuſmodi deſiderium; beatitudinis nomine condecorauerit.

*Maximè laudabile, quòd homo in ſe, ſuiſque rebus iuſtitiam velit.*

176. Valde conſideratione dignum eſt, quòd excluduntur tres Tribus ſeniores, & eligitur Tribus Iuda in regnum. Sed vnde ſupremi regni faſtigium promeruit? Cùm Thamar duceretur ad comburendum, miſit ad Iudam accepta munera, quæ erant amoris pignora. *Qui, agnitis muneribus*, ait: *Iuſtior eſt, quàm ego, quia non tradidi eam Sela filio meo*, Gen. 38. num. 26. Septuaginta: *Iuſtificata eſt Thamar, quàm ego.* Se criminis reum fatetur, ac ſupplicio obnoxium, & Thamar abſolutum. Meritò ergo ad apicem regni euehitur progenies eius, qui ſe communibus iuſtitiæ legibus aſtrictum, ac pœnâ dignum agnoſcit. Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſtol. 48. *Iudas, ait, qui quartus erat, propter integrum iudicium, ac rectam ſententiam, regiam dignitatem obtinuit, quoniam enim plerique delicta ſua occultantes alios condemnant, hic autem ſe ipſum condemnauit eamque, quæ ſtuprum admiſiſſe credebatur, ſupplicio, & cruciatu liberauit, ob eam cauſam haud iniuria regiam dignitatem eſt aſſecutus.*

Geneſ 38. Septuaginta. *Dignus regno, qui ſe iuſtitiæ ſubmittit.* Peluſiota.



177. Non expectato Saul Samuelis aduentu obtulit ſacrificium, ob quam cauſam indignatus Dominus comminatur ei, quòd regnum ſuum vltrà non ſit conſurgendum, ſed diuidendum ab eo, 1. *Reg.* 13. *num.* 13. Poſtea verò ſequenti *cap.* 14. *num.* 47. de ipſo dicitur, quòd *Saul confirmato regno ſuper Iſraël pugnabat aduerſùs inimicos ſuos.* Sed ſi regnum erat iam ex Dei conſilio, ac decreto diuiſum ab eo, quomodo dicitur confirmatum, & ſtabilitum? Immediatè antea in ipſo *c.* 14. antequam regnum Saul dicatur confirmatum, narratur illa hiſtoria, quòd, cùm Saul intelligeret quoddam iuramentum ſuum, vt nullus comederet panem vſque ad veſperam, eſſe violatum, iuſſit dare ſortes ſuper ſe & ſuper filium ſuum Ionatham, ac ſuper omnem populum, vt quis eſſet reus comprehenſus, moreretur; meritò ergo, quanuis regnum iam eſſet alienatum ab eo, tunc dicitur confirmatum: qui enim æqualiter ſe, & ſuos, ac quemlibet alium de populo ſubiicit, ac ſubmittit rigori iuſtitiæ, dignus eſt, qui omni regali decore confirmato tunc nobilitetur, ac extollatur. Qui cùm eſſet Rex, iuſtitiam à ſe, ac filio ſuo non ablegauit; ſed potiùs exercere decreuit, optimo iure tunc Rex habetur. De hoc facto Saulis ait Carthuſianus: *Per hoc, quòd Saul proprio filio noluit parcere, Prælati, ac iudices inſtruuntur, ſine perſonarum acceptione iuſtitiam exercere.*

1.Reg.14. *Regna promeretur, qui nec à ſe, nec à ſuis iuſtitiam excludit.* Carthuſ.

*Matth.5. n.7.* Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

*Versiones.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Quoniam ſuper eos futuræ ſunt miſericordiæ. |
| *D.Aug. ſerm. 1. de Martyrib. S. Leo in feſto omnium Sanct.* | Quoniam ipſorum miſerebitur Deus. |
| *Arias.* | Quoniam ipſi miſericordia afficientur. |
| *D. Hilarius.* | Ipſis miſericordiam præſtabit Deus. |

## Expositio.

178. Iuſtitiæ iungitur miſericordia, quia opus noſtrum erga proximum, vt ait Caietanus, ſi eſt debitum, eſt ex iuſtitia; ſi autem indebitum, ex miſericordia eſt. Et optimè iuſtitiæ aſſociatur miſericordia, quæ illius rigorem temperat, & demulcet. Vnde eleganter ait gloſſa; *Iuſtitia lumen eſt miſericordia.* Nimium ius, nimia iniuria: ne ergo iuſtitia ſuos præſcriptos terminos tranſcendat, à miſericordia dirigatur. Iacob. 2. num. 13. *Superexaltat autem miſericordia iudicium.* Vnde ait D. Thomas: *Iuſtitia ſine miſericordia, crudelitas eſt; & miſericordia ſine iuſtitia, mater eſt diſſolutionis; & ideo oportet, vt vtrunque coniungatur.* Prouerb. 3. num. 3. *Miſericordia, & veritas non te deſerant.*

Caietan. Gloſſa. *Iuſtitia ſit aſſociata miſericordiæ.* Iacob.2. D.Thom. Prou.3.

179. *Miſericors*, vt notant Haymon, & Hugo, dicitur à miſero corde. *Beati miſericordes.* De eleemoſynis hanc miſericordiam intelligendam putant D. Gregorius Nyſſenus *lib. de beatitud. concion.* 5. D. Auguſtinus *de ſerm. Domini in monte.* S.Leo *in feſto omnium Sanctorum.* Tamen omne miſericordiæ genus hîc ſubintelligunt D. Hieronymus *hoc loco*: D. Chryſoſtomus *in Imperfecto homil.* 9. D.Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* Theophylactus, Albertus Magnus, S.Thomas, Hugo, & alij. Et ita ſub miſericordia multa opera continentur. Primò miſeriam corporalem proximi per eleemoſynas ſubleuare. Secundò fratri tuo laboranti ignorantia, peccato, vel afflictione, ſuccurrere conſilio, directione, ac conſolatione. Tertiò magnus affectus miſericordiæ, miſeros præuenire, & quærere, vt ſubuenias. Quartò ſubtrahere tibi commoda, & neceſſaria, vt aliis elargiaris. Quintò pro fratribus te, vitamque tuam impendere; vt fecit Chriſtus, & fecerunt Apoſtoli. Sextò iniurias ab hominibus acceptas condonare, vt etiam præſtarunt ipſimet diſcipuli Domini. Nam, vt docet D. Chryſoſtomus *citatus*, vera miſericordia ad amicum, & inimicum extenditur. Septimò. Aliorum miſeriis compati. D.Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Si facultas, ait, deſit, ſubueniendi, non ergo compaſſio miſeriarum deerit. Ab hoc quippe miſericordia dicta eſt, vt in corde miſerias aliorum noſtras faciamus.*

Haymon. Hugo. Nyſſen. Auguſt. Leo. Hieron. Chryſoſt. Paſchaſ. Theophyl. Albert. Mag. S.Thom. Hugo. *Quid per miſericordiam intelligatur.* Chryſoſt. Paſchaſ.

180. *Ipſi miſericordiam conſequentur*; id eſt, eam miſericordiam obtinebunt, quia à miſeriis omnibus liberabuntur. Et ita ait D.Auguſt. ſerm. 14. de Martyribus. *Fac miſericordiam, vt fiat tecum.* Et hoc probat Rupertus exemplo Abdiæ, qui cùm haberet miſericordiam in Prophetas Domini, vt eos diebus multis paſceret in perſecutione Iezabel 3. *Reg.* 18. *num.* 13. Ideo apud Eliam inuenit miſericordiam, ne cremaretur, ſicut alij principes belli, 4. *Reg.* 1. *num.* 13. Inuenient etiam miſericordiam miſericordes, dum æterna vita, ac gloria munerabuntur à Deo, quæ etiam dicitur miſericordia, non quia meritis non conferatur, ſed quia data ſunt ipſa merita, quibus datur: nam, vt ait D. Auguſtinus epiſtol. 105. & lib. de correptione, & gratia, *Dei dona ſunt merita noſtra, ſuaque Deus munera coronat, dum merita noſtra coronat.*

Auguſt. Rupert. Auguſt.

## Qvæstio XXV.

### *Quare viro miſericordiâ illuſtri non aſſignetur in præmium corona, vel gloria, ſed miſericordia?*

181. Vir miſericors ſummopere placet Deo, vt omnis ſacra Scriptura teſtatur. Cur ergo de huiuſmodi viro non dicitur, quòd iuſtè coronabitur? Apoſtolus non dicit: miſericordiam aſſequetur; ſed *Qui legitimè certauerit, coronabitur*, 2. Timoth. 2. num. 4. Nec dicit: Repoſita eſt mihi miſericordia, ſed, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, 2. Timoth. 4. num. 8.

2.Tim.2. 2.Tim.4.

182. Reſpondeo ad quæſtionem. Multo maius præmium

mium promittitur miſericordi viro, quàm corona iuſtitiæ: quia ſub nomine miſericordiæ pollicetur omne bonum, ſiue ſit in ſe ex miſericordia, ſiue ex iuſtitià, vt eſt merces propoſita meritis de condigno, quod etiam in radice dicitur gratia,

Caietan. *Miſericordia hic abſolutè dicit omnem miſericordiã.*

& miſericordia. Ita explicat Caietanus, aduertendo, quòd non dicitur determinatè iſta, vel illa miſericordia. Ait ipſe: *Miſericordiam conſequentur, non hanc, vel illam; non quoad hoc, vel illud, ſed abſolutè omnimodam miſericordiam conſequentur quoad omnia, quæ ſunt animæ, & corporis, & exteriorum.*

183. Syriacus. *Deus miſerenti viro multas dat miſericordias.*

Itaque viro miſericordi, non vna ſed multiplex promittitur miſericordia. Ita habet Syriacus: *Super eos futuræ miſericordiæ.* Non enim vult Deus ab homine vinci, ſed cum ſua liberalitate vincere. Primò, quia miſericordibus, ac eleemoſynariis peccatoribus inſpirat pœnitentiam, & per ſuam gratiam illuminat, ac conuertit cor ad contritionem, vt peccata ei remittantur. Pſal. 36. num. 21. *Iuſtus miſeretur, & tribuet; apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet; cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Tobiæ 11. num. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Daniel. 4. num. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Secundò. Dat Deus affluentem, & copioſam gratiam, per quam homo in multa merita creſcat. Tertiò. Dat vitam æternam, quæ eſt ſumma gratia, & miſericordia, quia initium operis, per quod promerita fuit, ex gratia eſt, Pſalm. 102. num. 4. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* Et ita docet D. Auguſtinus *citatus*, in fine expoſitionis. Quartò. Etiam in hac vita Deus miſericordi viro confert bona, vt obſtetricibus Ægypti, *Exod. 1. num. 21.* Quintò. Etiam in hac vita miſericordia liberat à multis periculis, & damnis, vt patet in exemplo Abdiæ in fine expoſitionis.

Pſalm. 36. Tob. 4. Dan 4. Pſalm. 102. Auguſt.

184. *Viro miſerenti miſericordia aſtricta.* Chryſoſt.

Secundò. Deus, dum miſeranti viro ſuam miſericordiam pollicetur, ei aſtrinxit, ac obligauit ſuam miſericordiam, ergáque eum ſuum amorem pignerauit. Et quantum ad primum, nota verba D. Chryſoſtomi homil. 10. in Imperfect. *Ille verè miſericors eſt*, ait, *qui inimico proprio miſeretur, ſicut ſcriptum eſt: Diligite inimicos veſtros. Et verè beatus eſt ille talis, quoniam miſericordia eius, ſi quidem non habet peccatum, quod difficile eſt in hominibus, proficit illi ad additamentum iuſtitiæ: ſi autem habet, ad remiſſionem peccati, quoniam poteſt fiducialiter dicere: Dimitte mihi debita mea, ſicut & ego dimitto debitoribus meis.* Qui ex miſericordia operatur, maximè aſtrictum Deum erga ſe habet. Nam, ſi ex miſericordia remittit proximo iniurias ſibi illatas, Deo poteſt dicere: Dimitte mihi debita mea, ſicut ego pro te dimiſi debitoribus meis. Si verò ex miſericordia dat eleemoſynas egenti, Deo dicere valet: Da mihi tua bona, ſicut ego pro te do, vt meditatur Hugo.

Hugo.

185. *Dei amor pigneratus, ac maximè propenſus miſerenti viro.* Nyſſen.

Deinde diuinus amor maximè eſt pigneratus miſerenti viro, & magna affectione tendit ad ipſum. Quod eleganter dixit D. Gregorius Nyſſenus lib. de beatitudine orat. 5. *Miſericordia*, ait, *beneuolentiæ mater eſt, dilectionis pignus, vinculum omnis amicæ affectionis.* Et in hanc rem expende pulchra verba D. Leonis Papæ ſermone in feſto omnium Sanctorum. *Agnoſce*, inquit, *Chriſtiane tuæ ſapientiæ dignitatem, & qualium diſciplinarum artibus ad quæ præmia voceris, intellige. Miſericordiam te miſericordia, iuſtum vult te eſſe iuſtitia, vt in creatura ſua creator appareat; & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat.* Vnuſquiſque ſuum ſimile magno pondere diligit, & amat: miſericors es, aliqualem Dei ſimilitudinem geris, itaut *in creatura creator appareat, & vt in ſpeculo expreſſa Dei imago reſplendeat.* Ergo conſequens eſt, vt Dei miſerentis amor ſit tibi pigneratus, ac in te, vt in ſuum ſimile, magno tendat, ac feratur impulſu, cùm per miſericordiam expreſſa Dei imago in te reſplendeat.

Leo. *Per miſericordiam Dei imago reſplendet in homine.*

186. 2. Cor. 1. *In miſericordia reſplendet Dei imago.*

Ait Paulus 2. Cor. 1. num. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum.* Sed cur dicitur Pater miſericordiarum? Cur non dicitur etiam vltionum, ſicut dicitur & Deus? Cur non dicitur pater potentiæ, iuſtitiæ, & ſcientiæ; ſed *Pater miſericordiarum?* Pater in Filio repræſentatur, vt in naturali imagine: Deus ergo dicitur Pater miſericordiarum, quia in ipſa miſericordia *expreſſa Dei imago reſplendet*, & refulget: habes miſericordiam, imaginem Dei habes. *Et in creatura creator appareat.* Non procul ab hac cogitatione eſt D. Bernardus ſerm. 5. in natali Domini *Pater miſericordiarum*, ait, *dicitur Deus. Quis non videat, velut proprio nomine, Filium deſignari? Et bene dicitur Pater miſericordiarum, cui proprium eſt ſemper miſereri, & parcere.* Per miſericordiam proprius eius filius, qui eſt eius imago conſubſtantialis, deſignatur.

Bernard.

187. Pſalm. 43. Hebraic. Pſalm. 24.

Miſericordia proprium Dei nomen. *Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum*, Pſalm. 42. Hebraicè. *Propter miſericordiam tuam.* Pſalm. 24. num. 11. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo*, id eſt, propter tuam miſericordiam. Sed cur miſericordia proprium Dei nomen? Ait Plato in Cratylo. *Nomen eſt, velut quædam imago rei, illius naturam adumbrans, & exprimens.* Et quanuis nullum habeamus nomen, quod Dei naturam exæquet; tamen pro noſtro captu miſericordia maximè eius infinitam bonitatem declarat. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, Geneſ. 1. num. 27. Sed in quo exiſtit in homine huiuſmodi Dei repræſentatio? Accipe D. Gregorium Nyſſenum lib. 2. de beatitud. orat. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Iam verò certam, ſtabilemque ſententiam quandam, & ſublimiorem doctrinam per hæc verba diſcere libet. Quod nimirum is, qui iuxta ſui imaginem hominem fecit, omnium bonorum materias, ac ſubſidia in natura ſui operis diſpoſuerit.* Adeò peculiaris, & intrinſeca eſt miſericordia Deo, vt, dum homini inditi ſunt proprij miſerandi affectus, dicatur homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Et ita in miſericordia includitur omne bonum, vt dum homini miſerandi viſcera data ſunt, *omnium bonorum materias, ac ſubſidia in natura ipſius operis depoſuerit.*

Plato. Gen. 1. Nyſſen. *Per miſericordiam homo ſimilis Dei. In miſericordia clauditur omne bonum.*

*Matth. 5. n. 8.* Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Beati illi, qui mundi ſunt corde; quippe qui viſuri ſunt Deum.

*D. Auguſt. de ſerm. Domini.* Beati mundicordes.

*D. Nyſſen. lib. de beat. orat. 6.* Beati puro corde.



## *EXPOSITIO.*

188. Euthym.

EVTHYMIVS, *Hanc beatitudinem*, ait, *poſt eleemoſynam poſuit Dominus. nam multi iuſtitiam, ac eleemoſynam aſſecuti, circa voluptates deuicti ſunt. Oſtendit itaque ſolas illas non ſufficere virtutes.* Non enim ſufficit vna virtus, vel altera, niſi adſit integritas virtutum, quæ per munditiem cordis denotatur. Et hæc beatitudo ponitur ſexto loco, vt notant D. Paſchaſius, D. Anſelmus, & Hugo, qui ait: *Quia per ipſam homo ad Dei imaginem reparatur, quem ſexta die condidit, & perditum ſexta ætate recuperauit.*

*Quare hoc loco ponitur munditiæ cordis.* Paſchaſ. Anſelm. Hugo.

189. Maldonat. *Simplicitas Prædicatoribus neceſſaria.*

*Beati mundo corde.* Sunt recentiores docti, vt Maldonatus, qui per munditiem cordis intelligunt ſimplicitatem ſine mundi aſtutia; quia Dominus hîc agit de virtutibus, quæ Apoſtolis maximè erant neceſſariæ ad prædicationem, hoc illis maximè commendat: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Et in hac ſententia eſt Haymon. *Cor mundum*, ait, *hoc eſt, cor ſimplex, nulla malitiæ duplicitate fœdatum.*

Haymon.

190. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. *Caſtitas ad videndum Deum, ac ad ſcientiam.*

Secundò. Mundum, vt interpretantur D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, eſt anima pura, & caſta ab omni æſtu, ac concupiſcentia carnis. Nam, vt ait Theophylactus, *Abſque ſanctificatione, hoc eſt, caſtitate nullus videbit Deum; ſicut ſpeculum, ſi fuerit mundum, accipit imagines; & ita anima pura facile Dei, & Scripturarum ſcientiam ſuſcipit.*

191. *Conſcientia pura, ſine peccato.* Baſil. Hilar. Cyprian. Nyſſen. Imperfect. Leo. Paſchaſ. Machar. Auguſt. Chromant. Hieron. D. Thom. Albert. Mag.

Tertia, & verior ſententia: Mundi corde dicuntur, qui nullo peccato, ſiue actione externa, ſiue verbo, ſiue cogitatione ſunt contaminati, quorum conſcientia ita eſt pura, vt de aliquo delicto non ſit redarguenda. Hæc eſt ſatis communis ſententia. Ita D. Baſilius *in regulis breuioribus. interrog. 280.* Hilarius *Cant. 4.* D. Cyprianus *epiſtol. 46. & lib. 3. ad Quirin.* D. Gregorius Nyſſenus *de beatitudin. Concion. 6.* Auctor Imperfect. *homil. 9.* D. Leo *in feſto omnium Sanctorum.* D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* D. Macharius ſenior *homil. 44.* D. Auguſtinus *ſerm. 14. de Martyribus*; & hoc loco Chromantius, D. Hieronym. D. Thomas, Albertus Magnus, & alij.

192. *Stabilitur tertia ſententia.*

Ex eo hæc ſententia mihi eſt probabilior; quia *munditia cordis* in Scriptura omnem puritatem, ac munditiem ab omni delicto, hypocriſi, mala intentione dicit, & ſignificat: *Quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde*, Pſalm. 23. num. 4. *Cor mundum crea in me Deus*, Pſalm. 52. n. 12. *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum*, Prouerb. 20. num. 9. Deinde Chriſtus Dominus hîc ponit illam munditiem, quæ ſit ſufficiens ad videndum Deum: atqui cor ſimplex, vel caſtum per ſe ſolum non eſt ſufficiens, ſiquidem poteſt quis eſſe ſimplex, vel caſtus, & multa habere peccata; ergo munditiès ab omni inquinamento, cùm ſit apta ad Deum videndum, hîc eſt intelligenda. Dicitur autem cor mundum, quia eſt fons, & radix omnium peccatorum. Vnde ait Claudius Mamericus lib. 1. de ſtatu animæ cap. 13. *Non qui oculum carnis, ſed qui oculum cordis mundauerit, Deum videbit.*

Pſalm. 23. Pſalm. 50. Prou. 20. *Cor radix peccatorum.* Claudius.

193. *Quoniam ipſi Deum videbunt.* Mundum cor, & pura anima, clara viſione, facie ad faciem, Deum videbit in patria. Et hîc etiam promittitur regnum cælorum, ſed ſub nomine viſionis, vt ſæpe iam notaui. Vnde ait D. Gregorius Nyſſenus lib. de beatitud. orat. 6. *Qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur, per hoc, quod vidit, adeptus eſt: vitam ſine fine, æternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum ſine fine, lætitiam continentem, verum lumen, ſpiritualem, & dulcem vocem, inacceſſam gloriam, perpetuam exultationem, omne denique bonum.*

Nyſſen. *In viſione Dei omnia bona.*

---

## QVÆSTIO XXVI

### *Quare Chriſtus requirat in nobis munditiem cordis, quam neminem de ſe dicere poſſe, teſtatur Salomon?*

194. Prou. 20.

AIT Sapiens Prouerb. 20. num. 9. *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Ac ſi dicat: Nemini vnquam id affirmare integrum eſt. Et tamen Chriſtus Dominus hoc loco maximè nobis commendat munditiem cordis, vt Deum videamus. Et Dauid Pſalm. 1. num. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* Et Pſalm. 23. num. 4. *Innocens manibus, & mundo corde.* Ideo ad locum Prouerbiorum exoritur quæſtio, quo ſenſu Sapiens loquatur? Et notandum eſt, quòd illa Salomonis ſententia, quanquam à Carthuſiano intelligatur de peccato mortali ſolùm; tamen à D. Auguſtino *de ſanct. Virg. cap. 48.* de munditia tam à grauiori, quàm veniali, & leuiori ſorde explanandam eſſe, affirmat. Et eandem ſententiam ſequitur communis conſenſus Interpretum, apud quos, ſcilicet Bedam, Ianſenium, Hugonem, Rodulphum, Salazar, Cornelium à Lapide; vide aliquas interpretationes ad Prouerbiorum locum.

Pſalm. 1. Pſalm. 23. Carthuſ. Auguſt. Beda. Ianſen. Hugo. Rodulph. Salazar. Cornel.

195. *Legitima explanatio.* Septuaginta. Symmach.

Ea tamen eſt explicatio, quæ maximè facit ad rem noſtram, quam, vt meliùs intelligas, accipe varias lectiones huius Prouerbiorum loci. Septuaginta. *Quis gloriatur, caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato?* Symmachus. *Quis dicet: Mundaui cor meum.* His poſitis, inculcant Lyranus, Hugo, Salazar: Quis poteſt dicere, ſe gloriando, quòd ipſe mundauerit cor ſuum ab omni labe inquinamenti, & ſe purificauerit ab omni peccato, cùm hoc nullus poſſit præſtare per ſuas vires, ſed hoc totum fit ex gratia Dei, qui nos purificat, & ſanctificat, iuxta illud: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det.* Hæc obiter dixi.

Lyran. Hugo. Salazar.

196. Gloſſa. *Qui ſe iactat ſuam iuſtitiam perdit.*

Ad noſtram quæſtionem eleganter Gloſſa Ordinaria. *Non dicit*, Scilicet Salomon: *Quis habet, quia dicitur: Beati mundo corde: ſed, Quis poteſt dicere: quia temerarium eſt, ſe laudare.* Non ait Sapiens: Quis habet mundum cor; ſunt enim iuſti, quorum animæ puræ, & mundæ exiſtunt; ſed ait: *Quis poteſt dicere*; quia dum ſe glorianter

rèr iactare audet, ibi iuſtitiam ſuam perdidit, &
cor ipſa vana gloria fœdatur. Ait Regius Vates
Pſalm.118. Pſalm.118.num.11. *In corde meo abſcondi eloquia*
Baſil. *tua.* Eleganter D. Baſilius explanat deprompta
ſimilitudine ab iis, qui diuitias abſcondunt, di-
cens: *Ita & qui ſpirituales diuitias habet, in ani-*
*mo ſuo illas abſcondit, ne has per inanem gloriam*
*Virtus eſt* *prædatores animarum furentur.* Ipſa enim iactan-
*occultanda.* tia tota virtus deperditur,& amittitur.
197. Plorabat Sunamitis filium ſuum demortuum,
ob cuius lachrymas Eliſæus miſit puerum ſuum
Giezi ad eum reſuſcitandum. Ait ei. *Accinge*
4.Reg.4. *lumbos tuos, & tolle baculum, & vade,* 4.Reg.4.
num.29.Et ille vadens facit imperata, ponit ba-
culum ſuper faciem pueri, & tamen è morte non
ſoluitur.Nunquid tantus Propheta fallitur? Nun-
quid deficit verbo ſuo? qui tot, & tam grauia
pronuntiauerat,quæ vſque ad iota fuerunt adim-
pleta? Quomodo ergo Giezi miſſus cum baculo
puerum non euocat ad vitam? Quando eum
4.Reg.4. Propheta mittebat, dixit ei: *Si occurrerit tibi ho-*
*mo, non ſalutes eum; & ſi ſalutauerit te quiſpiam,*
*Virtus data,* *non reſpondeas illi*, ibid. num.29. Ipſe tamen va-
*dum glorian-* dens per viam cunctis dicebat, ſe miſſum eſſe ad
*ter proditur,* reſuſcitandum puerum: & virtus conceſſa, dum
*deperditur.* glorianter diuulgatur, ac publicatur, deperditur,
& amittitur.Rabbi Salomon apud Lyranum red-
dens rationem, ob quam puer non reſuſcitatur
Lyran. impoſito baculo: *Hoc fuit*, inquit, *propter deme-*
*ritum Giezi, qui non ſeruauit præceptum Eliſæi,*
*ſed occurrentibus ſibi hominibus iactanter dicebat,*
*ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum.* Et quia Eli-
ſæus exploratam habebat hanc propenſionem
Giezi ad vanam gloriam, ideo ei impoſuit præ-
ceptum, vt per viam neminem ſalutaret. Theo-
Theodor. doretus quæſt.17. *Sciebat*, ait, *eum eſſe honoris cu-*
*pidum,& cauſam dicturum: inanem autem gloriam*
*fore impedimento,ne faciat miraculum.*
198. Ideo hìc tandem aduerto, quòd ſatis piè, &
doctè dixit D. Auguſtinus cap.41.de ſanct.Virg.
Auguſt. *Quod bonum*, ait, *quanto magnum video, tanto ei,*
*ne pereat, futuram ſuperbiam pertimeſco. Cuſtos*
*ergo virginitatis charitas;locus autem huius cuſtodiæ*
*Humilitas* *humilitas.* In virtute ſuperbia vanæ gloriæ maxi-
*cuſtos virtu-* mè pertimeſcenda; nam id,quod virtutes tuetur,
*tum.* cuſtodit,ac conſeruat,eſt humilitas,& deſpectio
propriæ præſumptionis,& arrogantiæ.

## QVÆSTIO XXVII.

### *Quare mundum cor requiratur ad Dei viſionem?*

199. COR materiale, cùm ſit carneum, Deum
videre non poteſt; ac proinde hoc loco
nomine cordis ſumitur intellectus, vt docet D.
Auguſt. Auguſtinus *ſerm.14. de Martyribus.* Intellectus
eleuatus Deum videt in patria. Et frequentes in
Scriptura *cordi* ea tribuuntur, quæ ſunt propria
Rom.1. intellectus. Rom.1. num.21. *Obſcuratum eſt cor*
*inſipiens eorum.* Et cap.10. num.10. *Corde credi-*
2.Cor.3. *tur ad iuſtitiam.* 2. Corinth.3. num.15. *Velamen*
Epheſ.1. *poſitum eſt ſuper cor eorum.* Ad Epheſ.1. num.18.
*Deus det vobis illuminatos oculos cordis veſtri.* Et
*Humilitas* meritò, cùm intellectus eleuandus ſit ad viden-
*cuſtos virtu-* dum Deum, eius munditiès hìc inſigniter exigi-
*tum.* tur: vbi enim præmium, ibi & meritum;& quod
ingens viſionis ſplendor condecorat, peculiari-
ter meritò expoliri debet.
Primò communis Patrum reſolutio hanc Chri- 200.
ſti ſententiam intelligit de viſione in patria, ad *Summa mun-*
quam ſumma munditiès, & puritas exoptatur, *dities exigi-*
cùm ibi nil pollutum,& immundum ingrediatur. *tur ad Deum*
Quod expendens D. Hilarius,ait: *Nil pollutum,* *videndum.* Hilar.
*& ſordidum ad occurſum diuinæ claritatis inſit.*
*Hi viſui, & occurſui Dei ſunt patentes, quibus*
*per animi nitorem, ac vitæ puritatem poteſtas eius*
*ſit contuendi.* Nam ſi illis oculis aliqua peccati
macula adſit, iam Deum videre non valent, nec
eſt proportionata potentia ad infinitam Dei bo-
nitatem, ac ſanctitatem intuendam. D. Zeno Zeno.
ſerm.de ieiunio. *In illis oculis*,ait, *ſi hæſerit feſtuca*
*peccati,iam Deum videre non poſſunt.* Et Chroman- Chroman.
tius. *Mundi autem cordis*, ait, *& conſcientiæ pu-*
*ritas nullam nubem ad intuendum Deum patietur.*
Omnis peccati nubecula abigatur, & omnia ſint
pura, & munda, vt ſummam Dei munditiem in-
tueri valeamus: nam aliter oculi caligabunt, &
non erit gaudium, ſed dolor, tanta viſione pri-
uari. D.Leo in feſto omnium Sanct. *Meritò hæc* Leo.
*beatitudo*, ait, *cordis promittitur puritati; ſplen-*
*dorem enim veri luminis ſordens acies videre non*
*poterit; & quod erit iucunditas mentibus nitidis,*
*hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terre-*
*narum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore*
*iniquitatis oculi tergantur interiores, vt ſerenus*
*intuitus tantum Dei viſione paſcatur.*
Secundò.Hæc Dei viſio,ſeu eius cognitio pu- 201.
ris, ac mundis corde Deus, etiam in via commu-
nicat. Quod multipliciter poteſt exponi.Et pri-
mò à D.Gregorio Nyſſen.lib.de beatitud. orat.6.
*Forſitan hoc nobis magnificentia dicti ſuggerit,* Nyſſen.
*quod etiam alius ſermo apertiùs exprimit, vbi di-*
*xit: Inter vos eſt regnum Dei*, Luc.17.num.2. Luc.17.
*Vt doceamur, quòd qui cor ſuum ab omni creatu-*
*ra, atque vitioſa affectione expurgauit, in ſua*
*ipſius pulchritudine, diuinæ naturæ imaginem in-*
*tuetur.* Qui mundus eſt corde,in ſua munditie,ac *Purus in ſua*
puritate quandam Dei imaginem videt, & intue- *puritate Dei*
tur, in qua miram ſuauitatem, ac dulcedinem *imaginem*
inuenit,qua ſummè delectatur,ac recreatur.Con- *videt.*
trà verò peccatori nullum acerbius ſpectaculum, *Graue ſpe-*
quàm ad ſe,ſuamque fœtidam conſcientiam ocu- *ctaculū pec-*
los conuertere, Primi parentes poſtquam pecca- *catori, ſe in-*
uere: *Aperti ſunt oculi amborum, & cùm cogno-* *tueri.* Gen.3.
*uiſſent, ſe eſſe nudos,* Geneſ.3.num.7. vehementi
erubeſcentia afficiuntur, ac torquentur. Proco- Procop.
pius, *Virtute exuti*, ait, *ac libertate erubeſcebant,*
*cognoſcentes in quanta mala ex ſumma felicitate*
*detruſi ſunt.*
Tertiò. Videtur etiam Deus in via, vt docet 202.
D.Thomas, *Sancti enim,qui habent cor repletum iu-* D.Thom.
*ſtitia, vident excellentius, quàm alij, qui vident per*
*effectus corporales; quanto enim ſunt effectus pro-* *Puri per*
*pinquiores Deo, tanto Deus magis cognoſcitur per* *multos effe-*
*illos.* Vnde qui habent effectus munditiæ,charita- *ctus diuina*
tis, ac iuſtitiæ, plus percipiunt de Deo, quàm *vident.*
qui illis carent, & mundanis rebus indulgent.
Nam,vt ait D.Paſchaſ.lib.3.in Matth. *Deum ita-* Paſchaſ.
*que in tantum quis videt,in quantum ſæculo moritur.*
Remitte ſæcularia, vt Deum videas, intelligas,
ac percipias. Claude oculos mundo, vt & mentis
oculi Deo aperiantur.
Quando Iſaac benedixit Iacob, iam cæcus 203.
erat. *Senuit Iſaac, & caligauerunt oculi eius,* Ge- Gen.27.
neſ.27. num.1. Quando etiam Iacob filios, ac
nepotes



nepotes benedixit,iam oculi hebetati erant. *Ocu-*
*li Iſraël caligabant præ nimia ſenectute, ac clarè*
Gen.48. *videre non poterat*, Geneſ.48. num.10. At Moy-
ſes,cùm benediceret filios Iſraël, *Deuter.33.n.6.*
Deuter.33. præacutæ, & firmæ erat oculorum aciei: *Non*
*caligauit oculus eius.* Deuteron.34. num.7. Sed
quæro? Cur Iſaac, & Iacob, quando ſuas dant
benedictiones,iam oculorum vis obnubilata erat,
& defecerat; at in Moyſe adhuc peſpicax, &
valde expedita conſiſtebat? Quænam tanti diſ-
criminis cauſa? Iſaac,& Iacob in ſuis benedictio-
nibus principaliter magna,& alta myſteria inten-
debant; Chriſtum aſpiciebant, profundiſſima-
que eius myſteria, ac multa diuina bona conſi-
derabant: vt eſt communis conſenſus Patrum,
Auguſt. D.Auguſtini, D.Hieronymi, Ambroſij, Chryſo-
Hieron. ſtomi, & aliorum. At Moyſes in largiendis ſuis
Ambroſ. benedictionibus præcipuè ad temporalia populi
Chryſoſt. attendebat? & ea, quæ futura erant in ſua terra
*Claude ocu-* promiſſa, conſiderabat. Quando anima fertur
*los mundo,vt* ad temporalia, ſint oculi corporei aperti, vt ipſa
*diuina per-* terrena valeant intueri, atque aſpicere: at verò
*cipias.* quando ſpiritus ad Deum,atque ad cœleſtia vo-
lat, cæci,& mundo caligantes ſint oculi,vt terre-
nis clauſi, faciliùs diuina contemplentur. Ita de
Gregor. Iſaac ait D.Gregorius lib.4. cap.36. *Iſaac, qui*
*caligantibus carneis oculis præſentia non vidit, ſed*
*per virtutem prophetici ſpiritus in futuris etiam*
*ſæculis magna videndi luce radiauit.* Vide ſuprà
*num.*47. & 48. & *cap.*6.*n.*108.109. & 110.

*Matth.5.n.9.* Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Græcus, & Syrus.* | Beati pacem facientes. |
| *S. Optatus Mileuitan.lib.4.* | Felices pacifici. |

## *EXPOSITIO.*

204. NOTAT D.Thomas, quòd poſt bea-
D.Thom. titudinem, quæ pertinet ad dile-
*Dilectio Dei* ctionem Dei,ponit eam, quæ ſpe-
*& proximi* ctat ad dilectionem proximi, quæ
*coniungūtur.* maximè declaratur in ſeminanda
*Altera ſen-* pace inter fratres. Et meritò, vt ait D.Anſelmus,
*tentia.* hæc beatitudo *ſeptimo loco ponitur, quia in ſab-*
Anſelm. *bato vero requiei dabitur illa pax*; nempe in pa-
tria dabitur pax ſummæ dilectionis, & requiei,
quæ eſt ipſemet Deus.
205. *Beati pacifici.* Mundus potius beatos, ac ma-
gnos iudicat, non qui pacem ferunt, ſed qui po-
*Quid ſint* tenter bella ingerunt, ac mouent. At Chriſtus
*pacifici.* eos dicit felices, & beatos, qui bella tollunt, &
Auguſt. pacem ſeminant. *Pacifici.* Primò ait D. Auguſti-
nus *lib.1. de ſerm. Domini in monte.* Ij ſunt, qui
in ſe ipſis nulla habent bella, ſed omnes animi
Hilar. ſui motus ſunt ſubiecti rationi. Secundò D.Hi-
larius *in Commentar.* Illi ſunt, qui iniurias facilè
condonant, ac remittunt. At iniurias condonare,
pertinet ad mites,vel ad perſecutionem ſuſtinen-
tes: & habere perfectam, & integram pacem in
conſcientia cum Deo,ad munditiem cordis: vel
Maldonat. eſt communis virtus, vt notat Maldonatus.
206. Ideo eſt tertia ſententia,quam tradunt D. Cy-
prianus *lib. de vnitate Eccleſiæ.* D. Hieronymus, Cyprian.
Chryſoſtomus,D.Gregorius Nyſſenus *lib: de bea-* Hieron. Chryſoſt.
*titud.orat.7.* Chromantius, D. Anſelmus, Alber- Nyſſen.
tus Magnus, D. Thomas, Beda, Theophylactus Chromant.
*hoc loco.* & D.Leo, ac S.Bernardus *ſerm.de omni-* Anſelm.
*bus Sanctis.* Et hæc ſententia fundatur in radi- Albert.Mag. D.Thom.
ce Græca; nam vbi nos habemus, *Beati pacifici,* Beda.
illa habet, *Beati pacem facientes.* Qui paci ſtu- Theophyl.
dent,bella, odia, contentiones, ac iurgia reſtrin- Leo.
gunt, diſſidentes,ac litigantes conciliant.Quod Bernard.
vt perfectè præſtent,à ſeipſis incipiunt.Nam ipſi
cum omnibus habent pacem, eamque inter fra-
tres ſeminant; & ſi diſſidentes vident,ad pacem Hieron.
reuocare laborant. D. Hieronymus, *Beati*, ait, *pa-*
*cifici, qui primò in corde ſuo, deinde inter fratres*
*diſſidentes pacem faciunt. Quid enim prodeſt, alios*
*per te pacari, cùm in tuo animo ſint bella vitio-* Nyſſen.
*rum.* D.Nyſſenus citatus, *eſt pacificus is*, inquit,
*qui pacem alteri dat: at nemo præbere alteri po-*
*teſt id,quod ipſe non habet.* 207.
Eſt etiam quarta ſententia, quæ hìc non eſt *Altera ſen-*
prætereunda,quam tradunt Chromantius,Theo- *tentia,*
phylactus, quòd illi ſunt pacifici,qui pacem Ec- Chromant.
cleſiæ cuſtodiunt, tuentur, ac fouent; & per in- Theophyl.
ſtantiam doctrinæ maximè laborant in extirpan-
dis hæreſibus,& erroribus,vt hæretici emenden-
tur, & peccatores conuertantur; & ad pacem
cum Deo,ac Eccleſia reconcilientur. 208.
*Quoniam filij Dei vocabuntur.* Vt interpretan- Chryſoſt.
tur Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Euthym.
propterea pacifici tanto nomine filij Dei dicun- Theoph.
tur, quòd Chriſtum filium Dei naturalem imi-
tantur, qui maximè fuit pacificus, & pacem in-
ter homines,& Deum,& Angelos effecit.D. Chri- Chryſoſt.
ſoſtomus hom.15. *Vnigeniti hoc opus fuit, diſtan-*
*tia copulare, conciliare pugnantia.* Sed de hoc
multa ſequenti quæſtione.

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Quare in præmium detur pacificis, quòd filij Dei vocentur?*

QVANQVAM omnis iuſtus per gratiam 209.
ſit filius adoptiuus Dei, tamen quòd vt
filius Dei ab omnibus cognoſcatur, &
vocetur, hoc peculiariter à Chriſto Domino pa- Optatus.
cificis attribuitur.Et vt optimè notat D.Optatus
Mileuitenſis *lib.4. contra Parmenianum*, non ait
Dominus, filij Dei *erunt*, ſed *vocabuntur*, quod Caietan.
plus eſt, vt etiam notat Caietanus; quia ex eo,
quòd verè vocabuntur, ſignificatur, quòd erunt,
vt eſt etiam phraſis Hebraica: *Vocabuntur*, non
ſolùm *erunt*; ſed vt tales ab omnibus cognoſcen-
tur, itaut ipſe mundus, qui antea eos ſtultos re-
putabat, filios Dei omnium ore confiteatur, &
appellet. Valde enim glorioſum eſt,vt non ſolùm *Valde glorio-*
honorem,ac dignitatem habeas,ſed vt eam etiam *ſum, quòd*
omnes in te cognoſcant,ac venerentur. Ad quæ- *tuam digni-*
ſtionem: Quare pacificis appropriatur, vt filij *tatem omnes*
Dei vocentur? *recognoſcāt.*
Prima quæſtionis ſolutio eſt ea, quam poſui 210.
in expoſitione. Dicuntur filij Dei pacifici, quia *Pacifici imi-*
imitantur filium Dei, qui fuit pax noſtra, & fe- *tatores Dei.*
cit vtraque vnum. Haymon. *Qui filium Dei ſpe-* Haymon.
*cialiter in pacis obſeruatione imitantur, rectè filij*
*illius vocantur.* Secundò D.Thomas. *Pacifici filij* D.Thom.
*Dei*

*Dei vocabuntur, quia habent officium filij Dei. Ad hoc enim filius Dei veniſſe dicitur in mundum, vt congregaret diſperſa.* Ad Epheſios 2. num. 14. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Valde nobile, ſanctumque munus, diſſidentes conciliare, & omnia pacis fœdere aſtringere, vt qui hoc præſtant, officium filij Dei habeant in terris.

Epheſ. 2. *Agere de pacificandis aliis, officiũ filij Dei.*

211. Chromant. Tertiò Chromantius, *Pacifici*, ait, *non ſolùm beati, ſed digni meritò filij Dei vocabuntur; ipſum enim filium Dei Chriſtum imitantur, qui pax noſtra eſt, & ſocietatem nominis eius ſortiuntur.* Qui paci ſtudent, ſocietatem nominis filij Dei ſortiuntur. Quid nomen *filij*, denotat erga patrem, niſi ſummam dilectionem, ac charitatem parentis in ipſum? Quid genitori dulcius, & charius, quàm ſuus natus? Dum ergo pacifici nomine filij Dei vocantur, ibi apertè declaratur, quòd ſint ſummè dilecti, & Deo gratiſſimi; & quod in ipſo viro pacis ſtudioſo ita delectatur, ac periucundatur Deus, tanquam parens in filio. Ita ait D. Chryſologus ſerm. 53. *Pax voluntas eſt Dei, iucunditas Chriſti perfectio eſt ſanctitatis.*

*Pacifici ſummè diliguntur à Deo.* Chryſolog.

212. Gloſſa. Quartò gloſſa. *Maximam dignitatem habent pacifici, ſicut qui filius Regis dicitur, in domo regia ſummus eſt.* Aliis promittitur regnum, aliis, ſcilicet mitibus, terra; lugentibus conſolatio, ac pacificis filiatio Dei, quæ eſt prima, & ſuprema omnium dignitas, Quod valde eleganter dicit D. Gregorius Nyſſenus lib. de beatitud. orat. 7. *Quibus*; ſcilicet verbis, *hoc inſuperabile beneficium celebretur? Excedit homo ſuam ipſius naturam, immortalis ex mortali, ex fragili integer, & incorruptus; ex diario ſempiternus; in ſumma, Deus ex homine euadens: nam, cùm dignus habitus ſit, qui filius Dei fiat, dignitatem patris in ſeſe prorſus habebit, atque omniu mpaternorum bonorum hæres exiſtit.* Quid elegantius dici poteſt? Pacificus es: tantam dignitatem aſſequeris, vt *Deus ex homine euadens*; nam filius eiuſdem eſt naturæ cum parente; ergo pacis amator, cùm filius Dei vocetur, Deus fit; non per naturam, hoc enim eſt impoſſibile, ſed per altiſſimam quandam ſuæ gratiæ participationem. Hanc etiam dignitatem multis celebrat D. Petrus Chryſologus ſerm. 53. *Per eam*, ait, *peruenitur ad vocabulum filij Dei; mutat apud Deum cum conditione perſonam; ex famulo filium, liberum facit ex ſeruo.*

*Pacifici magnam habent dignitatem.* Nyſſen. Chryſolog.

213. Cyprian. Quintò D. Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ. *Chriſtus omnia dona ſuæ pollicitationis, & præmia in pacis conſeruatione promittit. Si hæredes Chriſti ſumus, in Chriſti pace maneamus; ſi filij Dei ſumus, pacifici eſſe debemus.* Aliis beatitudinibus peculiare præmium aſſignatur; pauperibus regnum cælorum. mitibus terra, eſurientibus ſaturatio, lugentibus conſolatio; at pacificis dignitas filij Dei: *Si filij, & hæredes*; vt etiam expendit D. Leo *in feſto omnium Sanctorum.* Ergo ſi pacificis promittitur nomen filij Dei, promittitur etiam ius ad bona paterna. Pauperibus, mitibus, ac aliis virtutibus promittitur vnum, vel alterum præmium; at pacificis omnia bona paterna in promiſſione dantur. *Chriſtus omnia dona ſuæ pollicitationis, & præmia in pacis conſeruatione promittit.*

Leo. *Pacificis bona omnia dantur.*

124. Auguſt. Sextò D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 4. *Pacificis Dei ſimilitudo eſt, tanquam perfectè ſapientibus, formatiſque ad imaginem Dei per regenerationem renouati hominis. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Verba hæc alta indagine ſunt explicanda. *Pacifici* vocantur filij Dei, filius ſui parentis ſimilitudinem defert; & homo, cùm ſit filius Dei, ſimilitudinem ipſius habet. Si verò quæras: in quo ſtet iſta ſimilitudo? In intellectu, & ratione graues affirmant Patres, D. Auguſt. *lib. 12. de Trinit. cap. 7. & lib. 83. quæſt. quæſt. 51.* D. Gregorius Nyſſenus orat. in illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* D. Hieronymus *epiſt. 146.* D. Thomas *1. part. quæſt. 93. art. 6.* Philo *lib. quòd deter. inſidiet. potior.* Sed quare pacifici peculiariter dicuntur, ac vocantur filij Dei; & inde eius ſimilitudinem, ac imaginem habere in intellectu, & ratione? Pacifici ſunt, qui pro conſeruanda pace, atque tuenda, multa ſuſtinent, & patiuntur; meritò ergo, vt filij, peculiariter in intellectu, & ratione Dei imaginem, & ſimilitudinem portare dicuntur: quia prudentiores, & ſapientiores maiora, ac grauiora ſufferre, ac ſupportare callent, & ſciunt. *Pacificis Dei ſimilitudo eſt, tanquam perfectè ſapientibus.*

Idem. Nyſſen. Hieron. D. Thom. Philo. *Sapientiores grauiora tolerare ſciunt.*

Iobi vxor contra Deum verba multa iactabat. *Iob 2. num. 9.* At ipſe, quamuis grauiſſimo vlcere percuſſus, Deum laudans omnia patienter ſuſtinebat. Iob erat ſapientiſſimus, vt colligunt doctores ex illis verbis: *Ecce docuiſti multos*, 4. num. 3. At mulier *quaſi vna de ſtultis mulieribus loquebatur*, 2. num. 9. Et ſapiens æquo animo ſuſtinet. Stulta autem mulier impatiens eſt. Quod etiam confirmat D. Gregorius *lib. 3. mor. cap. 15.* exemplo filiorum Saruiæ, qui excandeſcebant contra Semei, *2. Reg. 16. num. 9.* Cuius tamen maledicta magno animo tolerabat Dauid. 215.

Iob. 5. *Sapiens æquo animo ſuſtinet.* Gregor.

Septimò D. Bernardus, *Pacifici*, ait, *filij Dei vocabuntur, non eſt enim Deus diſſenſionis, ſed pacis, ideoque filios pacis, Dei quoque filios, dignum eſt, appellari.* Omnes iuſti per gratiam ſunt filij adoptiui Dei, tamen pacifici peculiariter vt tales agnoſcuntur ab omnibus, & ſic omnium ore filij Dei vocantur: *Deus eſt, non diſſenſionis, ſed pacis.* Et qui paci ſtudent, peculiariter Deum imitantur, & vt filij illius ſe gerunt, & exhibent, & eius imaginem repræſentant, & ideo inſigniter filij Dei vocantur. Magnopere Deum exprimit pacis ſtudium, ac amor. 216.

Bernard. *Vir pacificus imaginẽ Dei refert.*

Ait Paulus 1. Corinth. 15. num. 49. *Igitur ſicut portauimus imaginem terreni; portemus & imaginem cæleſtis.* Sed in quo imaginem cæleſtis portabimus? In ſtudio, ac appetitu pacis, & vt omnia in pace componantur. D. Bernardus in meditationibus cap. 1. *Oportet id*, ait, *quod ad imaginem eius eſt, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Repræſentemus ergo in nobis imaginem eius in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.* 217.

1. Cor. 15. Bernard.

Poſt debellatum Draconem victoriæ laudes decantant Angeli. *Nunc facta eſt*, inquiunt, *ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum*, Apoc. 12. num. 10. Sed quid ſubſecutum eſt ex hac pugna feliciter ſuperata, & ex gratulatione Angelorum, ac ex tanta proueniente tranquillitate? Accipe D. Gregorium Nazianzenum orat. 52. *Perſtiterunt*, ait, *in ſua dignitate: cuius primum illud eſt, quòd pacati ſunt, ac diſſidij expertes, quippe qui à ſancta Trinitate acceperint,* 218.

Apoc. 12. Nazianz.



*acceperint, vt vnum ſint.* Ex bello illo confecto reſultauit, vt in ſumma pace, ac vnione omnes Angeli in animo, ac voluntate vnum eſſent ad imitationem, ac participationem ipſius ſummæ Trinitatis, in qua tres perſonæ vnum ſunt in natura, & ſubſtantia.

*Matth. 5. n. 10.* Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Nyſſenus lib. de beatitud. orat. 8.* | Beati, qui perſecutionem patiuntur propter me. |
| *Arias.* | Beati perſecutione affecti. |

## *EXPOSITIO.*

219. Nyſſen. TOLERANTIA perſecutionum octaua eſt beatitudo. D. Gregorius Nyſſenus. *Octaua beatitudo*, ait, *tanquam vertex omnium beatitudinum, in ſummo gradu boni aſcenſus poſita eſt.* Nam æquo animo perſecutiones tolerare, conſummationem omnium virtutum oſtendit. Et ideo, vt notat Albertus Magnus, cæteras beatitudines cum ſuo præmio tantùm Chriſtus propoſuit; at hanc laborum tolerantiam explicat per partes ſuas, vt fit ſequentibus verbis: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis.* Vnde ait D. Anſelmus: *Octaua, quæ agit de perſecutione, communis eſt virtus, nihilque eſt, niſi probatio ſuperdictarum. Verus enim pauper in hac fornace probatur, & verus mitis, & verus iuſtus*, &c. Octauo loco ponitur, quia in hac perſecutionum fornace omnis virtus, tanquam aurum in igne, probatur, & clarificatur, vt docet D. Auguſtinus dandus *quæſt. 30.* Et ita ait Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* quòd poſt ſeptem virtutes, poſt ſeptem dona Spiritus ſancti, poſt ſeptem gradus *Ezechielis cap. 40. n. 49.* eſt octauus, qui clarificat, *Vt gloria*, ait Paſchaſius, *ſacræ Reſurrectionis in Chriſto, his octo præmiorum gradibus conſequetur: octaua nanque Reſurrectionis dies eſt.*

*Tolerantia laborum conſummatio virtutum.* Albert. Mag. Anſelm. *Omnis virtus in perſecutione probatur.* Paſchaſ. Auguſt.

220. *Beati, qui perſecutionem.* Sed quomodo is, qui perſecutionibus peſſundatur, dicitur beatus? D. Gregorius Nyſſenus lib. de beatitudinib. orat. 8. *Reuera beatus eſt*, ait, *qui inimico ad bonum vtitur adiutore.* Qui inimico bene vtitur, non vt iraſcatur, ſed potiùs inde motiua elicit, vt in actus charitatis, & amoris Dei, ac proximi prorumpat, iam beatus eſt. Quod probat ipſe S. Pater exemplo Ioſeph, qui *à fratribus inſidiis petitus per venditionem Rex eorum deſignatus eſt*, Geneſ. 45. numero 4. Et exemplo Stephani orantis pro inimicis: *In terris vidit id, quod ſperabatur, currenti enim ei per confeſſionem oſtenditur cælum apertum.* Deinde dicuntur Beati per quandam illationem, ac conſequentiam; quia ſi ipſi eſſent de mundo, mundus, quod ſuum erat, diligeret: perſequuntur ergo à mundo, quia ſunt iuſtitia, virtute, ac charitate præditi; ac proinde cùm eo mundus ſibi ſuperiores virtute agnoſcat, inde inuidioſus eos perſequitur. Chromantius: *Non eſt dubium fratres*, ait, *quia bono comes eſt ſemper inuidia.*

Nyſſen. *Qui inimico bene vtitur, beatus eſt.* Gen. 45. *Ex perſecutione mundi infer iuſtos.* Chromant.



221. *Qui perſecutionem patiuntur.* Non ait Dominus, qui labores, tormenta, aduerſitates tolerant; ſed, *perſecutionem patiuntur.* Quod eleganter premit D. Gregorius Nyſſenus citato loco. *Perſecutio*, ait, *currentis vehemens ſtudium celeritatis ſignificat. Immò verò etiam in currendo victoriam indicat, non enim aliter, currendo quis vincere poteſt, niſi poſt ſe reliquerit eum, qui ſimul currit. Quoniam igitur & is, qui ad præmium ſupernæ vocationis currit, & is, qui propter præmium ab inimico exagitatur, pariter à tergo habent; ille quidem de præmio ſimul currentem, hic verò perſequentem.* Perſecutio victoriam in curſu denotat; nam dicit animum currentis ita intentum ad metam, vt omnia poſt ſe contemnat, ac relinquat, & ſimul currentes curſu ſuo ſuperet, ac præcedat; quia iuſti patientia, ac conſtantia ſua omnes mundi impetus ſuperant.

Nyſſen.

222. *Propter iuſtitiam.* Non enim quicunque perſecutionem patiuntur, dicuntur Beati, ſed qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quæ ſit fundata in fide, ac charitate Chriſti. Nomine autem *iuſtitiæ* hîc intelligitur vniuerſè omnis virtus, vt tradunt Philo Carpathius *Cantic.* 1. S. Eulogius *lib.* 1. D. Chryſoſtomus, Euthymius, Carthuſianus, S. Thomas, Albertus, & alij. Ac proinde, vt ait Carthuſianus, omnes illi hîc prædicantur Beati, qui perſecutionem patiuntur; vel ob fidem, & bonam conuerſationem, vel ob veritatem doctrinæ, vitæ, iuſtitiæ, vel ob defenſionem æquitatis, vel iuris. Immò D. Hilarius ait: *Beati, qui perſecutionem patiuntur. Perfecta beatitudine eos muneratur, quibus omnia pro Chriſto pati, promptus eſt affectus.* Non ſolùm qui actualiter patiuntur, ſed etiam qui habent pium affectum perſecutiones ſufferendi, à Chriſto beatitudinis præmio munerantur. Et ita ipſum ſanctum perſecutiones tolerandi deſiderium pro perſecutionibus appretiatur à Chriſto, vt etiam hi dicantur beati: *Ipſorum eſt regnum cælorum.* Propter Chriſtum contempſerunt mundum; multo maius præmium mundo accipiunt. De quo dicam quæſtionibus ſequentibus.

*Quid dicat iuſtitia.* Carpath. Eulog. Chryſoſt. Euthym. Carthuſ. D. Thom. Albert. Hilar. *Pium deſiderium pro opere à Chriſto muneratur.*

---

## QVÆSTIO XXIX.

### *Quare tolerantiæ perſecutionum promittatur regnum cælorum, vt iam de præſenti datum?*

223. DVO breuiter inquiro in hac quæſtione: Cur huic tolerantiæ pollicetur regnum cælorum; & non tantùm in futurum oſtenditur, vt in aliis beatitudinibus, verbi gratia, filij Dei vocabuntur, Deum videbunt, conſolabuntur; ſed vt de præſenti iam collatum deſignatur?

*Difficultas quæſtionis.*

224. Reſpondeo primò ad primam partem quæſtionis, quòd valde congruè afflictis, humiliatis, atque oppreſſis promittitur regnum cælorum, in quo eſt honor, poteſtas, exultatio, ſumma, ac feliciſſi

*Præmia ſint meritis proportionata.*

feliciſſima requies, & gloria cœleſtis beatitudinis. Optima enim rerum diſpoſitio exigit, vt præmia ſint meritis proportionata. Quod optimè ponderat D. Ambroſius *lib. de benedictionibus Patriarch.cap. 6.* ſuper illa verba Geneſ. 49. num. 25. *Vidit requiem, quòd eſſet bona, ſuppoſuit humerum ſuum*; ita ait S.Doctor: *Subiecit humerum ſuum ad laborandum, ſubiiciens, ſe cruci, vt noſtra peccata portaret*; *ideo dicit Propheta: Cuius principatus ſuper humerum eius.* Iſai. 9. num. 6. quæ verbia Iſaiæ cum Aquila legit D. Hieronymus: *Facta eſt menſura ſuper humerum eius*; quæ innuunt, quòd per humerum Chriſti, hoc eſt, per tolerantiam perſecutionum, paſſionum, & Crucis, regnum ei datum à ſuo parente fuiſſe dimenſum.

Ambroſ. Gen. 49. Iſai. 9. Aquila. Hieron.

225. *In perſecutione magnũ gaudium.* Secundò. Qui perſecutionem ſuſtinet, & tolerat, ita gaudet ſpe, delectatur Dei adiutorio, & gratia, vt magnam ibi inueniat conſolationem, quæ ei ſit periucundum præmium. Ait Regius Vates: *Captabunt in animam iuſti*, ſeu vt alij legunt, *in iudicio, & morte, & ſanguinem innocentem condemnabunt; & factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei meæ*, Pſalm. 93. numero 21. Tendebant iniqui inſidias tentationum, & perſecutionum in iuſtum; ipſe tamen inuenit, aſylum, & refugium in Deo, qui factus eſt ei in adiutorium ſpei, vt nunquam ſimilem felicitatem repererit. Ibi D. Auguſtinus. *Fecit mihi*, ait, *de malitia malorum tribulationem, prouectus tribulatione cœpi quærere refugium, quod in illa felicitate ſæculari deſieram quærere. Recedat ſpes ſæculi, accedat ſpes Dei, vt poſſis dicere: Factus eſt mihi Dominus in refugium.* Expende, quòd de præſenti ait: *Factus eſt mihi in refugium*; quia in ipſa tribulatione, dum ad Deum confugit, ibi inuenit talem protectionem, præſidium, ac conſolationem, qualem nunquam inuenerat in felicitate ſæculari; & certa ſpe, quam habet in Deum, animatur ad omnem preſſuram tolerandam. Quod confirmat D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Signanter Euangeliſta innuit, dum, non de futuro, ſed de præſenti repromittit, dicens: Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: ad hoc quippe iam de præſenti illinc eos regnare adſtruit, quatenus integra ſpes omnia inter preſſuras, & varios euentus corroboret.*

Pſalm. 93. Auguſt. Paſchaſ. *Certa ſpes corroborat.*

226. Tertiò. Non ait Dominus, ipſorum erit regnum cælorum: ſed, *Ipſorum eſt*; nam, vt ait Paulus Rom. 14. n. 17. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Qui autem preſſuram patiuntur in mundo ob iuſtitiam fundatam in Chriſto, iam habent in ipſo iuſtitiam, pacem, & gaudium: ergo & regnum; nullum enim maius, & nobilius eſſe poteſt, quàm cœleſtibus ditari donis, & locupletari diuitiis.

Rom. 14. *Magnum regnum habere cæleſtia dona.*

227. *Magnum regnũ, & præmium fortiter tolerare preſſuras.* Quartò. Forti, & conſtanti animo perſecutiones pati, & quæ carni, & ſanguini repugnant, tolerare, illiſque non ſuccumbere, quædam ſumma felicitas eſt, regnum, & magnum præmium. *Abraham arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum*, Geneſ. 22. num. 10. Pulchrè ait D. Zeno ſerm. 1. de Abrahamo: *In tantis filij caſibus lætatur, & gaudet. Accepit præmia, quæ meretur: diuina etenim explorationis tentamina porriguntur: exerit quidem ferrum, & armata dextera ſublenat manum.* Expende illa verba, *Accepit præmia.* Quid dicis, magne doctor? Acerbiſſimum cruciatum appellas præmium? Quínam acutior dolor parenti, quàm dilectiſſimum filium iugulare? Dum tamen in tanta carnis repugnantia forti animo ſtat gaudens, & lætus, magnum præmium accepit. Et quodnam nobilius eſſe potuit, quàm in tanto ſui luctamine ſe hilarem exhibere, & lætum, magnis ibi creſcere meritis, magnis augeri donis, ſuaque omnibus merita propalari, ac fieri manifeſta.

Geneſ. 22. Zeno.

---

## Qvæstio XXX.

### *Quare primæ, & vltimæ beatitudini idem aſſignetur præmium regnum cælorum.*

228. *Difficultas quæſtionis.* Rimæ beatitudini, nempe pauperibus ſpiritu, promittitur regnum cælorum, ſicut & hîc perſecutionem ſuſtinentibus; aliis verò beatitudinibus, quæ ſunt in medio, licèt etiam promittatur regnum cælorum, vt ſæpe iam notaui ex D. Chryſoſtomo, & Auguſtino *lib. 1. de ſerm. Domini*; tamen ſub diuerſo nomine, verbi gratia, terræ, conſolationis, ſaturitatis, miſericordiæ, &c. Cur ergo primæ, & vltimæ idem aſſignatur præmium ſub eodem vocabulo?

Chryſoſt. Auguſt.

229. Reſpondet primò, & valde germanè ad litteram Rupertus *lib. 3. de gloria filij hominis.* Octauæ, & primæ idem proponitur præmium, vt manifeſtè intelligatur, illud idem tacitè ſex beatitudinibus, in medio poſitis, aſſignari. Nam tolerantia perſecutionum omnes alias beatitudines amplectitur, pauperes ſpiritu, mites, lugentes, *omnes enim, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur*, 2. Timoth. 3. n. 12. vt dixi in expoſitione ex D. Anſelmo.

Rupert. *Laborum tolerantia omnes virtutes amplectitur.* 2. Timoth. 3.

230. Secundò D. Bernardus ſerm. 1. de omnibus Sanctis. *Quid*, ait, *ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus; niſi quòd verè martyrij genus eſt paupertas voluntaria.* Grauis eſt perſecutio, quæ ex paupertate oritur; nam indigere aliquo, illoque carere, valde durum; & patienter hoc ſufferre, eſt grauem perſecutionem tolerare, ideoque eâdem præmij mercede muneratur. Tertiò D. Anſelmus. *Octaua nihil eſt, niſi prima repetita; vnde eandem munerationem habet.* Eadem merces aſſignatur paupertati, ac tolerantiæ perſecutionum; quia fortaſſe vna, & eadem virtus, vel vnum ex altero ſequitur: nam, ſi pauper es, ſtatim debes indui tolerantia; & patientia in perſecutionibus, quæ contra te à potentatibus, magnatibus ac tyrannis excitantur.

Bernard. *Paupertas martyrij.* Anſelm. *Pauper perſecutiones cõtra ſe habet.*

231. Quartò, D. Gregorius Nyſſenus *lib. de batitud. orat.* 8. latè proponens difficultatem ait: *Quid enim paupertas commune habet cum perſecutione? Aut his rurſus quid conuenit cum dilectionis, & condolentiæ effectibus? Pariter enim in cælum ducit, & eum, qui pauper ſpiritu fuerit; & eum, qui propter ipſum perſecutionem paſſus ſit; & eos, qui condolentiam erga proximos præſtiterint.* Ille etiam verè dicitur pauper ſpiritu, vt dixi ſuo loco, qui, cùm multa bona habeat, omnia contemnit, & præſtat in eleemoſynas, ac ob

Nyſſen.



ob condolentiam proximorum. Idem regnum cælorum promittitur tolerantiæ perſecutionum, & condolentiæ in proximos: nam ſicut martyrium, cùm ſit excellentiſſimus actus, obtinet regnum cælorum; ſic & pauper ſpiritu, qui bona ſua dat in pauperes, ipſum impetrat, & aſſequitur. Et ſicut per martyrium fit homo poſſeſſor cœleſtis patriæ; ſic & per eleemoſynam ad ipſam volat. Ex quo expende, quantam vim habeat charitas in fratres. Et ita ait D. Bernardus proximè citatus: *Propterea pauperibus pariter, & Martyribus regnum cœlorum promittitur: quia paupertate emitur, ſed in paſſione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur.* Paupertate emitur, nempe illa, qua homo ob Deum dat omnia ſua, vt præſtat ille, qui ſpiritu pauper eſt.

*Martyrium, & eleemoſyna ad ſubleuandum in cælum vim magnam habet.* Bernard.

232. Quintò D. Ambroſius *lib. 5. in Luc. cap. 6.* ad illa verba, *Beati pauperes*, ita ait S. Doctor: *Primum præmium regnum cœlorum eſt, & vltimum nunquid æquale præmium incipientibus, atque perfectis eſt? Primum ergo regnum cælorum Sanctis propoſitum eſt in diſſolutione corporis: ſecundum regnum cælorum eſt poſt reſurrectionem eſſe cum Chriſto.* Exiſtimat ergo, pauperibus ſpiritu promitti regnum, quoad animam, quando è corpore ſoluitur, & ad cælum tranſit; perſecutionem verò ſuſtinentibus regnum ſpondi, quando poſt reſurrectionem æterna beatitudine, ac gloria munerabuntur. Rectè ſanè vt præmium proportionetur merito; quia paupertas ſpiritu in animo conſiſtit, ideo illius merces primariò ad animum dirigitur; & quia perſecutio, ac martyrium maximè corpus reſpicit, quod illud patitur, & tolerat, ideo illius præmium magnoperè corpus exornat, ac condecorat. Vide ſuprà *q. 29. numero* 224.

Ambroſ. *Præmium merito proportionetur.*

233. Sextò D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 3. *Octaua* ait, *tanquam ad caput tendit, quia conſummatum, perfectumque oſtendit, & probat. Itaqua in prima, & in octaua nominatum eſt regnum cælorum: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: & Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Cùm iam dicitur: Quis nos ſeparebit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Septem ſunt ergo, quæ perficiunt; nam octaua clarificat, & quod perfectum eſt, demonſtrat, vt per hos gradus perficiantur & cæteri tanquam à capite rurſum exordiens.* Primæ, & vltimæ beatitudini promittitur regnum cælorum: nam, vt ipſemet magnus Auguſtinus magis explicat ibi *cap.* 4. prima, quæ eſt paupertas ſpiritu, hoc eſt, humilitas, & timor Domini, vt ipſe vult, & dixi *quæſt.* 14. incipit homo acquirere, & habere ius ad regnum cælorum, nam, *Initium ſapientiæ timor Domini*; per alias verò beatitudines intermedias proficiendo ad perfectionem tendit, & excreſcit homo in meritis, & virtutibus; at octaua perfectum, & abſolutum hominem declarat. Et ideo fortaſſe, vt ait Auguſtinus, circuncisio in Teſtamento veteri fiebat die octaua; & Domini reſurrectio octaua die eſt. Itaque prima, & vltima habet regnum cælorum; quia per primam inchoatur acquiſitio, & ius; & ipſum regnum cælorum tenetur velut in fructu, & in iure: *Octaua verò clarificat, & quod perfectum eſt, demonſtrat.*

Auguſt. *In aliis beatitudinibus aliquid reſtat perficiendum, quod totum eſt in perſecutionũ tolerantia.*

234. *Tolerantiæ perſecutionũ cumulus, & conſummatio virtutum.* Ex quo conſidera, quanta ſit excellentia in perſecutionum tolerantia: nam in aliis numeris nil perfectum, conſummatumque oſtenditur. Nam ſi vnum conſideres, adhuc aliud reſtat. Si ad mites vertit oculos, adhuc ſuperſunt lugentes, eſurientes, miſericordes, &c. At cùm ad perſecutionum tolerantiam deueneris, ad nil amplius deſiderium ſe poteſt explicare; quia ibi totus cumulus perfectionis, & conſummationis relucet, & nitet. Et ideo hanc non poſuit Dominus in exordio, nec in medio, ſed in fine; quia in hac perſecutionum patientia totum eſt perfectum, & ſupremè expolitum. *Octaua verò clarificat, & quod perfectum eſt, demonſtrat.* Quod bene confirmat Chriſti Domini ſententia: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. 24. num. 26.

Luc. 24.

235. Pendens latro in Cruce recordationem Domini ſolicitabat: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, Luc. 23. num. 42. Et tamen Dominus ſtatim regnum ſpondet: *Hodie mecum eris in Paradiſo*: Cur ei regnum non differtur, ſed ſtatim confertur? Perbellè D. Auguſtinus in Pſalm. 39. *Salutem ſuam longè futuram ſperabat latro, & poſt longum tempus accipere contentus erat. Ille dixit: Memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Ille reſpondet: Hodie mecum in ligno Crucis, hodie mecum in ligno ſalutis, Paradiſus habet ligna felicia.* Nota illa verba: *Hodie mecum in ligno Crucis, hodie mecum in ligno ſalutis.* Cùm latro eſſet in cruce cum perſecutionum tolerantia, non potuit regnum vltrà prorogari, ſed ſtatim debuit elargiri; quia vbi laborum tolerantia, nulla ibi delationis cauſa, ſed totum conſummatum erat, atque perfectum.

Luc. 23. Auguſt. *Vbi eſt perſecutionum tolerantia, regnũ cælorum detineri non poteſt.*

236. Hæc virtutum conſummatio non eſt abſcondita virulento generis humani hoſti. Nam, cùm laudaretur Iob, quòd eſſet *vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, ait Satan ad Dominum, *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*, Iob 1. numero 11. Poſtea verò, cùm poſſeſſiones eius depereunt, filij interimuntur, & tota domus corruit, ait Satan ad Dominum: *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi*, Iob 2. num. 5. Cur antea petebat: *Extende paululum manum*; modò non ſic, ſed, *Mitte manum*; vt explicat ibi Pineda. Tange non leuiter, & leniter, ſed grauiſſimè, & acerbè. Cur verò antea contentus erat, quòd tantiſper, ac veluti cum moderamine percuteretur. Tange paululum: nunc autem totam iam manum laborum expoſtulat? Quando Diabolus videbat Iobum virtutibus condecoratum, quòd eſſet *vir ſimplex, rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*; vt proſterneretur, exiſtimabat, quòd ſat erat, leui manu tangi. At vbi eum agnoſcit tolerantia laborum armatum, tanquam validiſſimum militem vndique conſummatum, & perfectum, recognoſcit; & ideo exoptat, quòd tota manus, tota vis, tota acies conglobata perſecutionum in eum irruant, an fortè fieri poſſit, vt ita ipſe corruat: nam aliter de tanto milite iam inimicus deſperat. Petrus Bleſenſis: *Ex anterioribus virtutem viri colligit, & ſemper grauiora opponi, machinatur.*

Iob 1. Iob 2. Pineda. *Perſecutio ſuper omnes virtutes perficit, & corroborat.* Bleſenſis.

*Matth.* 5.*n.*11. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes, propter me.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Beati vos, quum exprobrauerint vobis, voſque perſecuti fuerint; & dixerint omne verbum malum aduersùs vos propter me, in mendacio.

*Vatablus.* Beati eſtis, cùm probra iecerint in vos, & perſecuti fuerint, dixerintque quoduis malum verbum, &c.

*Tertull. aduersùs Gnoſticos, cap.* 9. Beati eritis, cùm vos dedecorauerint, & perſecuti fuerint, & dixerint aduersùs vos omnia mala

*Theophylactus.* Beati eſtis, quando exprobrauerint vos.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 6. *n.* 22. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparauerint vos, & exprobauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis.

## *EXPOSITIO.*

237. TOLERANTIAM perſecutionum, vt quid excellentiſſimum, non ſolùm propoſuit Dominus, vt præſtantius aliis beatitudinibus, ſed etiam nunc ſpecialiter explicat modò hîc ſecundùm eius partes, & ſequenti verſu ſecundùm præmium. Et quantum ad præſens, vt rectè obſeruat Albertus Magnus, tria facit Dominus. Apponit perſecutionum partes: *cùm maledixerint vos*, &c. Secundò modum, *mentientes*. Tertiò cauſam, *propter me*. Et nota, quòd non ait Dominus in noſtro Matthæi textu: Beati eritis, ſed *eſtis*; quia tolerantia perſecutionum iam de præſenti facit beatos. Si verò Lucas ait, Beati eritis; eſt alius ſermo diſtinctus, vt iam notaui *quæſt.* 1. & 2. Et etiam reſpicit tempus præſens ad ipſa maledicta; quia tunc futuri ſunt beati, cùm eos oderint homines.

Albert. Mag.

*Tolerantia perſecutionū iam facit beatos.*

238. Triplex poteſt diſtingui perſecutio, vt notant D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* Albertus Magnus, S. Thomas, Hugo, cordis, operis, & oris. Et hæ tres perſecutiones hîc ponuntur. Perſecutio cordis, *Cùm maledixerint vobis homines*. Maledicta, ac conuicia, & vituperia, quæ iniqui in Sanctos iniiciunt, ex odio cordis procedunt. Vt ait Hugo, ex eo quòd peccatores detrahunt iuſtis, inde apertè colligitur, quòd ipſi ſint probi, & ſancti; peccatores enim ſibi ſimiles. Pſalm. 9. num. 24. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*; nempe à ſui conſimilibus, vt tenet communis vox expoſitorum. At contra iuſtos aliter ſe habent iniqui. Eleganter ait Chryſoſtomus homil. 15. in Matth. *Dixerint omne malum aduersùs vos: videlicet oſtendens, ipſorum hoc eſſe proprium.* Iniquorum conſuetudo eſt, vt in iuſtos, quos odio habent, omnem proiiciant malorum congeriem, ad eorum virtutem in aliorum oculis obſcurandam, & obnubilandam.

Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom. Hugo.

*Iniqui laudant peccatores, & vituperia dicūt in iuſtos.*

Pſalm 9.

Chryſoſt.

239. Inſectatio operis: *Et perſecuti vos fuerint*. Interlinealis, *Perſequi eſt, vim inferre, vel inſidiis appetere*; vt faciunt iniqui in iuſtos. Exod. 15. numero 9. *Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea.* Sed ipſe deſcendit viuus in profundum, & iuſti ambulantes ſuper mare venerunt ad Terram promiſſionis. Perſecutio oris: *& dixerint omne malum*; ſcilicet verbum, vt habent Syriacus, Pagninus, Vatablus, Arias; *aduersùs vos*; hoc eſt, dixerint contra vos blaſphemias, falſa crimina, & impoſitiones. *Blaſphemamur, & obſecramus.* 1. Corinth. 4. num. 13. *Sedens aduersùs fratrem tuum loquebaris, & aduersùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum*, Pſalm. 49. num. 20. Et ſi maledicere referas ad perſecutionem oris, adhuc diſtinguitur maledicere à malum dicere, vt notant Haymon, D. Thomas. Nam *maledicere* eſt præſentibus iniurias inferre; & *malum dicere* eſt, abſentibus derogare, ac detrahere: iniqui enim in iuſtos ſemper duros ſe habent, ſiue ſint præſentes, ſiue abſentes.

Interlineal.

Exod. 15.

Syriac. Pagnin. Vatabl. Arias.

1. Cor. 4.

Pſalm. 49.

Haymon. D. Thom.

240. *Mentientes*, ſeu, vt habet Syriacus, *In mendacio*. Ecce modus perſecutionis. Dicunt, & faciunt illa iniqui, non ex veritate, ſed ex mendacio: *Mendaces oſtendit, qui maculauerunt illum*, Sapient. 10. num. 14. Animosè illa contemnenda ſunt à ſanctis Martyribus, cùm ex mendacio proferantur. *Propter me.* Ecce tertium, quod eſt cauſa, & motiuum perſecutionis, quia, vt ait Chryſoſtomus citatus: *Qui mendaciter blaſphematur, & propter Deum, beatus eſt; ſed ſi alterum deeſt, non eſt merces beatitudinis.* Ad beatitudinem requiritur, quòd illæ contumeliæ, & perſecutiones ſuſtineantur ob Chriſtum. 1. Petr. 4. n. 14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis.* Quia, vt ait D. Auguſt. epiſt. 61. *Pœna non facit Martyrem, ſed cauſa.*

Syriac.

Sapient. 10.

Chryſoſt.

Auguſt.

---

### QVÆSTIO XXXI.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc non loquatur cum turbis, ſed ſpecialiter ad diſcipulos ſermonem dirigat?*

241. IN cæteris beatitudinibus cum omnibus loquitur Dominus: *Beati pauperes ſpiritu: beati mites*, &c. At cùm ad tolerantiam perſecutionum, quæ fit per falſa teſtimonia, opprobria, ac tormenta, deuenit, non iam cum turbis, ſed cum diſcipulis habet ſermonem; nam ad illos ait: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis*, &c.



*Difficultas quæſtionis*

242. Reſpondeo primò, quòd hæc dicit Dominus diſcipulis, & coram turbis, vt eos permuniret, & corroboraret ad huiuſmodi perſecutiones ſufferendas. Nam, vt ait D. Gregorius homil. 35. in Euangelia, *Minus iacula feriunt, quæ præuidentur.* Et hæc dixit diſcipulis tanquam propria ipſorum coram turbis, vt quando populi, & nationes viderent diſcipulos in mundo vexatos, opprobriiſque affectos, eorum innocentiam intelligerent, cùm illa homines mentientes, & à veritate aberrantes machinarentur, ac dicerent in eos. Et etiam turbæ ſcandalum non paſſæ eſſent in perſecutione diſcipulorum, cùm illa omnia à Chriſto eſſent prædicta propter ipſum ſufferenda. Et vt etiam turbæ viderent meritum, & virtutem diſcipulorum, qui cùm illas infeſtationes, ac vexationes ſcirent, à Chriſto non recedunt, ſed omnia conculcantes ei firmiter adhærent.

Gregor.

*Omnibus manifeſtatur diſcipulorum mer tum, & innocentia.*

243. Secundò D. Chryſoſtomus homil. 15. *Hîc*, ait, *non infinitè poſuit, ſed ad ipſos prorſus dirigendo ſermonem, dicens: Beati eſtis, cùm exprobrauerint vos: videlicet oſtendens, ipſorum hoc eſſe præcipuum, & ſuper omnes alios, iſtud doctorum eſſe proprium.* Theophylactus. *Ad ipſos Apoſtolos ſe conuertit, oſtendens, quòd maximè proprium ſit doctoribus, opprobria audire.* Cùm diſcipuli eſſent creati doctores, & magiſtri totius orbis, eis commendat Dominus ſpecialiter patientiam, quia hæc maximè neceſſaria eſt magiſtris, præceptoribus, ac Prædicatoribus, qui ſæpe ob veritatem, quam docent, maledicuntur à populis, & ab auditoribus; & tamen eorum munus eſt, illa contemnere, & communi conſulere bono.

Chryſoſt.

Theophyl.

*Doctori, ac magiſtro maximè propriū, audire opprobria.*

244. Tertiò D. Thomas ſuprà ab eo loco: *Beati pauperes; inſtruxit generaliter ea, quæ erant perfectionis; hîc ſermonem ad diſcipulos dirigit, vbi primò monet eos ad paſſionum tolerantiam; ſecundò ad executionum ſui officij diligentiam: Vos eſtis ſal terræ.* Poſtquam Dominus generaliter cum omnibus locutus eſt, ad diſcipulos ſuos ordinat ſermonem, eoſque inſtruit primò in perſecutionum tolerantia, ſecundò in munere ſui officij: *Vos eſtis ſal terræ*; quia hæc duo valde connexa ſunt; qui enim habet officium publicum, multis eſt expoſitus & ideo magna patientia indiget. Et ita cùm inſtigaretur Dauid ab Abiſai, vt Semei interficeretur, ait Rex: *An ignoro, hodie me factum Regem ſuper Iſraël*, 2. Regum 19. num. 22. Quia, cùm illa die ſe exiſtimaret creatum Regem, multa patientia indigebat. D. Bernardus hoc luculenter explicat *ſerm.* 25. *in Cantica.* Vbi Prælatos ad ſubditorum conuicia ſupportanda comparat cum Medicis, *Medicos ſe*, ait, *non dominos agnoſcentes, parant confeſtim aduersùs phreneſim animæ, non vindictam, ſed medicinam.*

D. Thom.

*Qui habent officium publicum, indigent patientia.*

2. Reg. 19.

Bernard.

245. Quartò Caietanus. *Nouitas huius beatitudinis ſignificatur*, ait, *per hoc, quòd reliquis in tertia perſona deſcriptis hæc ſola in ſecunda perſona promulgatur ad ipſius nouiter Incarnati Verbi diſcipulos, dicendo: Beati eſtis.* Cæteras beatitudines exiſtimat Caietanus veluti communes nouo, & veteri Teſtamento; at cùm ad tolerantiam perſecutionum deuenit, tanquam propriam nouæ legis, ideo ad ſuos diſcipulos ſe conuertit. Tam perfecta, raraque virtus tunc in hominibus reperitur, cùm Chriſti Domini præfulgens nitet exemplum.

Caiet.

*Patientia propria diſcipulorū Chriſti.*

246. Quintò D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matt.* D. Thomas ſuprà datus. *Hîc ſermonem ad diſcipulos dirigit, vbi monet eos ad paſſionum tolerantiam, quod opus perfectum habet.* Vbi explicatur beatitudo paupertatis, famis, ſitis, lachrymarum, turbis omnibus proponitur. At vbi venit ſermo de patientia inter falſa teſtimonia, calumnias, opprobria, ac iniurias, iam non cum turbis, ſed cum ſolis Apoſtolis agitur. Quia patienter cum ſilentio ſuſtinere falſas impoſitiones, impudica, contumelioſaque verba, paucorum, & perfectiſſimorum eſt, cùm hoc valde duriſſimum, acerbumque ſit. Quod latè meditatur D. Ambroſius lib. 2. de interpellatione in Iob cap. 3. *Amiſerat*, ait, *Iob omnia ſua: patiebatur vulnera caro eius: manebat, vt tentationes verborum vinceret, nihil enim ſic penetrat animam, ſicut ſermo fucatus: nihil iterum ſic mordet, vt durior ſermo. Multi, cùm vicerint adhibita tormenta, ſermonum duritiem non ſuſtinuerunt.*

Paſchaſ. D. Thom.

*Silere inter opprobria, rara virtus.*

*Valde durum audire opprobria.*

Ambroſ.

247. Quantæ verò perfectionis ſit hæc patientia, ait Iacobus 1. num. 4. *Patientia opus perfectum habet.* Sed quid dicitur in hoc peculiariter de patientia? Nónne omnis virtus opus perfectum habet; aliter virtutes non eſſent, ſi hac perfectione carerent. Quid ergo peculiare habet in hoc patientiæ? *Serm. de patientia*, de illa ait D. Zeno. *Patientia omnes deuitat, aut portat iniurias.* Et poſtea ad finem ſerm. ait: *O quàm vellem te, ſi poſſem, rerum omnium regina patientia, magnis moribus celebrare. Scio enim, quia non tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantam in finiendis.* Expende vltima verba. Vnaquæque virtus ſuum habet opus perfectum, at patientiæ negotium eſt perficere, & conſummare ipſas virtutes, itaut vnaquæque per patientiam habeat vltimatam, & abſolutam numeris omnibus perfectionem, vt ipſe ſanctus Pater diſcurrendo per aliquas virtutes comprobat, & oſtendit.

Iacob. 1.

Zeno.

*Patientia virtutibus dat perfectionem.*

*Matth.* 5.*n.*12. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt Propheras, qui fuerunt ante vos.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Tunc gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui vos præceſſerunt.

*Text. Hebraic.* Quoniam præmium veſtrum.

## ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 23.* Gaudete in illa die, & exultate. Ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo: ſecundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

## EXPOSITIO.

248. Hieron. BEATÆ contumeliæ, quæ tot, & tam præclara pariunt, vt ait D. Hieronymus. Ingens perſecutionis præmium explicat Dominus, & tria ponit, gaudium illius, cauſam, & confirmationem in tolerantia. *Gaudete*, intus in corde, *& exultate*, extrà in corpore: gaudium ingens animæ in corpus redundat. *Quoniam merces veſtra.* Cauſa gaudij merces veſtra, ſcilicet Deus. Sic dicitur Abrahamo: *Ego merces tua magna nimis*, Geneſ. 15. num. 1. Et ait Dominus, merces veſtra; non gloria veſtra, non beatificatio veſtra, ſed merces. Caietanus: Sub ratione debiti promittitur felicitas æterna in ſola hac beatitudine: merces enim, non ex gratia datur, ſed ex iuſtitia redditur pro opere: vt intelligamus, ad tantam euectos celſitudinem Incarnati Verbi, vt etiam debita ſibi vendicent æternæ gloriæ præmia, iuxta Paulum: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Non ſolùm Dominus promittit gloriam, ſed etiam ſub ratione præmij, vt ſuos magis condecoret, ac nobilitet. *Copioſa eſt in cælis.* Inexplicabilis eſt magnitudo cœleſtis beatitudinis; non enim dicitur quanta, & qualis ſit, ſed copioſa, ſeu multa; non in terris, ſed in cælis. Per quod explicatur ingens, & ſuperexcellens illius magnitudo. Et ideo, vt notat D. Thomas, non dicitur in cælo, ſed in cælis pluraliter, propter præmiorum magnitudinem. Vel copioſa, vt ait idem Angelicus Doctor, reſpectiuè, *quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, Rom. 8. num. 18.

*Gen. 15. — Caietan. — Ad decorandos iuſtos ſub ratione præmij promittitur beatitudo. — Magnitudo præmij. — D. Thom. — Rom. 8.*

249. *Sic enim perſecuti ſunt Prophetas.* Ecce tertium. Hoc perſecutionis genus non eſt quid nouum, & inuſitatum; ſic enim mentiendo verbis, & factis perſecuti ſunt Prophetas, *Qui fuerunt ante vos.* Ideo eorum exempla vos inuitant. Vnde ait D. Gregorius, relatus à S. Thoma, *Si facta præcedentium recolimus, grauia non ſunt, quæ ſuſtinemus.* Iacobi 5. numero 10. *Exemplum accipite fratres exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas.* Maximè mouent exempla. Et ita milites *Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium*, Machab. 1. cap. 6. num. 34.

*Gregor. — Iacob 5. — Exẽpla maximè mouẽt. — Machab. 6.*

* * *

## QVÆSTIO XXXII.

### *Quare in ſola hac beatitudine præcipiat Dominus gaudere?*

250. *Difficultas quæſtionis.* OCTO beatitudines hîc explicat Chriſtus Dominus, tamen, cùm ad ſolam aduenit in perſecutionibus patientiam, gaudere præcipit: *Gaudete, & exultate.* Cur, non cùm de pauperibus, mitibus, ac mundis corde egit; ſed cùm ad tolerantiam laborum deuenit, tunc addidit: *Gaudete, & exultate.*

251. Sunt recentiores, qui dicant, quòd ideo præcipit gaudere, quia per hæc beati eſtis. Secundò, quia vobis manet ampla merces in cælis. Tertiò, quia ſimiles eſtis Prophetis, qui fuerunt viri ſanctiſſimi. Sed hæc etiam militant in qualibet beatitudine: ac proinde aliquid hîc magis eſt explicandum. Præcipit ergo gaudere, quia per martyrium, ac patientiam in perſecutionibus iam eſtis beati, & per ipſam habetis in cælis præſtantiſſimam coronam, ac præmium, & ideo in ſola hac beatitudine ponitur: *Merces veſtra copioſa*, ſeu *multa eſt in cælis.* Et quia, vt ait Carthuſianus, *per illam Chriſto, & Sanctis conformamur*, quæ vlla poteſt eſſe maior ratio gaudendi, quàm Chriſto conformari.

*Per martyrium, ac patientiam acquiritur maximum præmium. — Carthuſ.*

252. *S. Thom.* Secundò S. Thomas. *Gaudete, & exultate: & in præcedentibus beatitudinibus non? Reſponſio. Hæc beatitudo eſt circa tolerantiam paſſionum, quod eſt difficillimum in comparatione ad alia ſuprapoſita, propter quod indiget perſuaſione; vel hoc addidit, ne Apoſtolos quaſi nouitios, citò terreat; quos alloquitur.* Duo nobis inculcat Angelicus Doctor. Primò quòd non in aliis beatitudinibus, ſed in ſola hac, ob ſui difficultatem, quæ eſt in perſecutionum tolerantia, proponit gaudium, mercedem, & exemplum, vt ita eos perſuadeat, ac moueat ad eam amplectendam. Secundò. Ne Apoſtoli incipientes, ac nouitij illius aſperitate deterreantur, ideo gaudio, exemplo, ac mercede eos allicit, & animat. Vide ſuprà *cap. 3. num. 39. & cap. 5. num. 84. & 85.*

*Valde difficilis patientia. — Incipientes non ſunt deterrendi.*

253. *Caietan.* Tertiò Caietanus. *Magnitudo gratiæ futuræ in tolerando iniurias, propter Chriſtum illatas, ſignificatur per præceptum gaudendi in perſecutionibus.* Dum per præceptum Domini diſponuntur in tribulatione, ac morte, non triſtitia, ſed gaudio, & exultatione affici, & repleri, indicatur magna gratia, quæ eſt largienda, vt inter illa læti, & ſecuri perſiſtant, vt meditatur D. Chryſoſtomus *in Acta Apoſtolor. homil.* 14. Nam Deus à ſuis electis non tollit perſecutiones, ſed dat leuamina, & vnctiones: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum*, Matthæi 11. num. 28. D. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm. *Qui habitat*; ita ait: *Non onus ſubtrahit, aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat; ſed onere leui, ſuaui iugo, in quibus requies, ac refectio, etſi minus appareat, tamen inueniatur.*

*Deus per ſuã gratiam leues reddit labores. — Chryſoſt. — Matth. 11. — Bernard.*

254. *Cyprian.* Quartò D. Cyprianus lib. 4. epiſtol. 6. ad Tiburitanos, *Gaudere*, ait, *& exultare nos voluit in perſecutione Dominus, quia quando perſecutiones*



*fiunt, tunc datur corona fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cæli.* Hîc præcipit gaudere, quia in hac perſecutionum tolerantia datur occaſio, vt noſtra fides, amor, & confidentia in Deum prodeant, & cunctis manifeſtentur. Et nulla maior poteſt eſſe ratio gaudendi, Deum intimè diligenti, quàm dum offertur tempus, quo eius fides, & amor omnium oculis ſint patentes, ac in ipſa perſecutionum fornace hæc maximè probentur.

*Occaſio amorem manifeſtandi valde iucunda amanti.*

255. Quintò. Hîc præcipit Dominus gaudere, ſi dicatur, quòd ratio gaudij eſt magna merces in cælo; etiam pauperibus, mitibus, mundis corde præclariſſima merces aſſignatur; nulla maior eſſe poteſt, quàm regnum cælorum, terra viuentium, & ipſa viſio Dei: immo, vt ſæpe dixi ex Auguſtino, Chryſoſtomo, in omnibus beatitudinibus promittitur regnum Dei ſub alio, atque alio nomine. Cur ergo hîc tantùm mandat Dominus gaudere, & exultare? Aſſociabat Dominus hîc Apoſtolorum præmium cum mercede Prophetarum: *Copioſa eſt merces veſtra in cælis: ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos*; & iuſtis, ac Sanctis magna eſt gaudendi ratio, dum in ſua beatitudine, in ſuis præmiis, & coronis habent conſortes, atque ſocios. Quanuis merita Apoſtolorum excellentiora eſſent meritis Prophetarum; cùm tamen hi in ſocios illis dantur, tunc Apoſtoli gaudere, & exultare iubentur.

*Maximè gaudent iuſti, dum in ſuis coronis conſortes vident.*

256. *Apocal. 19.* Adſtant diuini ſeniores ante thronum, & vox tubæ magnæ clamat: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido*, Apocal. 19. num. 7. Nunquam cæleſtis Aquila tantam nobis lætitiam, exultationemque in cæleſti curia narrat, ac modò quando nuptiæ Agni celebrantur. Sed quæ hæ nuptiæ? & quæ hæc ſponſa? Nuptiæ tempus remunerationis, ac ingreſſus in beatitudinem, vt explicant Andreas, Aretas, Anſbertus, Viegas, & alij. Sponſa verò, ſumus nos filij ipſius Eccleſiæ, qui induti byſſino iuſtitiæ, & charitatis, cæterarumque virtutum ad patriam cæleſtem vocamur. Et ita ibi dicitur: *Beati, qui ad cœnam Agni vocati ſunt.* Ideo tantum gaudium, ac exultatio indicitur, ac publicatur cæleſtibus ſpiritibus, quia iam in ſua beatitudine ſocios habent, atque conſortes: quod erat eis magna ratio gaudendi. D. Ambroſius: *Ideo gaudeamus*, ait, *ideo exultemus, eo quòd miſericordia conditoris noſtri Eccleſiam ſuam, quæ ſumus nos, ita ſibi coniungere ſit dignatus, vt ſponſa coniungitur ſponſo ſuo.*

*Andreas. Aretas. Anſbert. Viegas. — Tunc gaudẽt Angeli, cùm in gloria ſocios habent. — Ambroſ.*

# CAP. XI.

## *Commendantur Præſules Eccleſiaſtici.*

*Matth. 5. n. 13.* Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

## VERSIONES.

*Franc. Lucas, & alij ex Græco.* Vos eſtis ſal vniuerſæ terræ, quòd ſi ſal deſipuerit, ſeu infatuatum, ad nihilum valet amplius, niſi vt proiiciatur foras.

*Syriacus.* Quòd ſi ſal infatuatum fuerit, quo ſalietur? ad nullum venit vſum, niſi vt proiiciatur foras.

*Chromantius.* Si ſal terræ euanuerit, in quo condietur.

*D. Hieron. Epiſt. aduerſ. Lucif.* Ad nihilum eſt vtile.

## EXPOSITIO.

1. COMMENDAT Dominus hoc loco ſuorum Apoſtolorum dignitatem; & in eis omnes Prælati, & Doctores Eccleſiaſtici inſtruuntur, vt notat D. Gregorius *homil. 17. in Euangelia.* Et in iis encomiis celebrandis à communi via non deuiat communis Magiſter. Quia enim valde familiare eſt Syris, ac Hebræis, in ſermone vti parabolis, ac metaphoris, vt faciliùs doctrina inſinuetur in auribus, ac animis audientium; ideò Dominus ſuos appellat ſal terræ, lucem mundi, ciuitatem ſupra montem poſitam, vt per familiarem modum loquendi faciliùs alliciat. Et hæc Apoſtolis dicuntur à Chriſto, non vt à Domino, non vt à Rege, vel Principe, ſed vt à Iudice mundi, vt notat D. Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali, cap. 6. *Audire meruerunt à Iudice mundi: Vos eſtis lux mundi: Sal terræ.* A iudice mundi hæc celebrantur, quia huiuſmodi excelleutias, procedente diuina gratia, Apoſtoli, non fauore, & beneuolentia, ſed ſuis meritis, & ſudoribus ſunt aſſecuti. Et ideo ſtatim apponitur pœna diſcedentium à proprio munere: *Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras.*

*Gregor. — Per familiaria trahitur quilibet. — Ambroſ. — Quæ per merita dantur glorioſa.*

2. *D. Thom.* Tria præſtat hîc Dominus, vt notat D. Thomas. Omnium virorum Apoſtolicorum officium: *Vos eſtis ſal terræ.* Eorum periculum: *Si ſal euanuerit.* Tertiò ſupplicium: *Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras*, &c.

3. *Vos eſtis ſal terræ.* Vos ô diſcipuli mei, quanquam in diſcurſu ſermonis cum omnibus turbis locutus fuiſſet Dominus, tamen hîc ſublimiora dicens, ad Apoſtolos dirigit verba, ſicut Prædicator, vt ait Abulenſis, quando ſublimiora dicit, ad doctiores ſe conuertit. Et ait, *Vos eſtis ſal*; ſicut enim cibum inſipidum, ac infatuitate nauſeam prouocantem, ſal palato reddit ſapidum, gratum, atque iucundum; ſic vos vniuerſam Gentium multitudinem, ſua ignorantia inſipidam, inuiſam, & ad nauſeam promouentem, debetis viuid eloquio, Euangelicaque doctrina ſapidam, ac Deo reddere gratam. Per terram autem intelliguntur homines, vt docent D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini.* D. Chryſoſtomus *homil. 15.* Chromantius, Beda, Theophylactus, Euthymius.

*Auguſt. Chryſoſt. Chromant. Beda. Theophyl. Euthym.*

4. *Quòd ſi ſal euanuerit.* Ecce periculum. Id eſt, ſi ſal deſipuerit,ac infatuatum fuerit, & acrimoniam ſuam perdiderit, *in quo ſalietur?* quo alio condiri, ac ſaporari poterit? Sic & vos, qui omnium eſtis magiſtri, ſi concupiſcentia honorum, gloria laudis, amore pecuniarum, metu perſecutionum hebetati fueritis, per quos erit ſpes vos recuperandi? *Ad nihilum valet vltra.* Ecce ſupplicium,& pœna. Virtus ſalis amiſſa ampliùs recuperari non poteſt; & ideo ad nihilum ampliùs valet, niſi vt conculcetur ab hominibus prætereuntibus.Ita ait Dominus Marc.9. num. 49. *Bonum eſt ſal:quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?* Et Luc.14. numero 34. *Bonum eſt ſal: ſi autem ſal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram,neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur.* Ita & vos,ſi à doctrinæ veritate, & morum virtutumque integritate diſcedatis, omnino expulſi à gradu,honore,ac dignitate tandem in contemptum, ac conculcationem apud homines eritis. Multa alia ad hæc require in quæſtionibus tam in hoc verſu, quàm ſequenti numero.

*Pœna diſcedentium à ſui obligatione.*

Marc.9.

Luc.14.

---

## QVÆSTIO I.

### *Quare Chriſtus Dominus poſt exhortationem ad patientiam ſuos diſcipulos dicat ſal terræ,lucem mundi?*

5. PROSEQVITVR Dominus ſuum admirabilem ſermonem in monte. Et poſtquam de octo beatitudinibus, ac virtutibus generalibus egit,hîc de Prælatorum virtutibus agit, vt notat Abulenſis, quia ſemper in vero Præſule ſupponuntur communes virtutes. Et,vt ait Chryſoſtomus *in Imperfecto homil.* 10.Præcedunt illæ communes virtutes, quia doctor omnibus illis debet eſſe ornatus. Debet eſſe pauper,vt auaritiam libera voce caſtiget; debet eſſe lugens ſua, & aliena delicta, vt confundat eos, qui peccare non dubitant; ideo plangat, vt per hoc oſtendat,quia grauis, & periculoſus eſt mundus iſte fidelibus: debet eſſe eſuriens iuſtitiam,vt magis excitet exemplo, quàm voce: debet eſſe manſuetus, vt magis indulgendo, quàm vindicando regat Eccleſiam Dei: debet eſſe miſericors aliis,ſibi autem auſterus:debet eſſe mundo corde,ne cogitet de mundo. Sit pacificus, vt tota eius Eccleſia, quaſi vna ſit anima. Debet eſſe ad paſſionem paratus,non vana Martyrij deſideria habens;ſed fidei conſtantiam Martyribus dignam. Hæc Chryſoſtomus,

Abulenſ.

Chryſoſt.

*In Prælato præfulgeant virtutes omnes.*

6 In quæſtionem hîc tamen vertimus:Cur immediatè antea Dominus ſuos exhortatur ad tolerantiam perſecutionum,vt patet ex fine ſuperioris capitis:*Beati eſtis,cùm maledixerint vobis,& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùs vos:Gaudete,& exultate,*Matth.5.n.12. Et ſtatim ſubiungit Dominus cum ſuis diſcipulis loquens: *Vos eſtis ſal terræ: Vos eſtis lux mundi.* Cur poſt commendatam patientiam in perſecutionibus, ſal,& lucem dicit ſuos?

Matth 5.

7. Iam duas huius rei rationes inculcaui proximè ſuperiori cap.*quæſt.*31. *num.* 243. & 244. Prima ex Chryſoſtomo,& Theophylacto. Quia per ſal, & lucem eos dicebat Magiſtros,& Doctores;ideo priùs commendat patientiam,quæ maximè eſt neceſſaria in præceptore, & concionatore. Secunda ex D. Thoma. Quia dabat eis officium publicum prælationis in Eccleſia;& qui hoc in faſtigio iminent, maximè patientia indigent.Vide *ibi* dicta. Ad alias rationes veniamus.

*Duæ iam datæ ſolutiones.*

8. Tertiò.D.Chryſoſtomus homil. 15. *Quia prædixerat*, ait, *perſecutiones, & maledicta, & inſidias, periculave: ne putarent, quòd hæc eos poſſint in ſilentium coarctare, confirmans eos, ait, quia non modò non latebit eorum prædicatio, ſed etiam prorſus illuſtrabit orbem.* Tantum abeſt, vt ipſæ perſecutiones maledicta, ac opprobria poſſint veſtram generoſitatem, ac virtutem, ô diſcipuli mei, hebetare, ac extenuare, quòd potius inter ipſas perſecutiones valde animosè eritis tanquam ſal ad conſtringendos,ac reformandos hominum mores; & eritis tanquam lux ad fugandas ignorantiæ tenebras: nam in aduerſitate virtus non decreſcit, ſed magno augmento proficit. Immo ex hoc liceat extollere magnam charitatem Apoſtolorum,quod inter Gentium perſecutiones, ſint ſal, & lux,toti intenti ad eorum bonum, atque ſalutem.*Blaſphemamur,& obſecramus,*1.Corinth. 4.num. 13.

Chryſoſt.

*Virtus, ac animi generoſitas perſecutione non hebetatur.*

1.Cor.4.

9. Quartò Theophylactus. *Ne obiiciatis mordacitatem reprehenſionum, etiamſi perſecutiones patiamini.* Quamuis multæ,ô diſcipuli mei, contra vos perſecutiones,ac aduerſitates pullulent, vobis tameni, vt vetis meis Prædicatoribus, atque Prælatis,non eſt verborum veſtrorum acrimonia remittenda,aut minuenda.Nulla enim perſecutione Prædicator obmuteſcat, ſed pro veritate ſemper exeat,ac prodeat.

Theophyl.

*Prædicator nulla aduerſitate deterreatur à veritate dicenda.*

10. Quintò D.Anſelmus,*Cauſa eſt,*ait, *quare in tribulatione deficere non debetis, quaſi diceret: Neceſſe eſt,vt tribulationes conſtanter patiamini, quia vos eſtis ſal terræ, hoc eſt fortitudo terrenorum, & ideo defectus veſter eſt defectus aliorum.* Commendauerat Dominus ſuis diſcipulis ſupra tolerantiam inter perſecutiones, & opprobria: nunc veluti cauſam apponit huius commendationis, quia vos eſtis ſal terræ; hoc eſt, cùm ſitis capita, & Prælati, eſtis & aliorum fortitudo, ac neruus;ac proinde ſi deficiatis,eritis & cauſa vt alij deficiant. Semper enim Prælati ſecum multos trahunt,& malum eorum exemplum quam plurimis nocet.

Anſelm.

*Malum Prælatorũ exemplum nimis nocet.*

11. Sextò,D.Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 10. *Quaſi interrogantibus Apoſtolis,ad quos ſit omnia iſta locutus, vtrùm generaliter ad populum, aut ad ipſos? volens oſtendere, quoniam ad ipſos præcipuè hæc loquebatur, addidit: Vos eſtis ſal terræ.* Dixerat tolerantiam inter perſecutiones. & inſectationes. Ac ſi ab Apoſtolis interrogatus, an illa eſſent ad omnes generaliter dicta? an ſpecialiter ad ipſos ſolùm? oſtendit Dominus, ſe tantùm cum ipſis agere, dicens: *Vos eſtis ſal terræ, lux mundi, ciuitas ſupra montem poſita.* Qui enim tanta dignitate fulgent, in tanto rerum vertice eminent,& tantum occupant locum, furientium ventorum tempeſtatibus ſunt expoſiti, eorumque vehementes impetus patiuntur, & ſuſtinent. Et ideo priùs ad tolerantiam exhortatur.

Chryſoſt.

*Qui alto loco eminent, aduerſitati expoſiti.*

12. Septimò. Antequam eos dicat ſal, maximè patientiam habendam inſinuat. Sal habet vim ad reſtringendum, & comprimendum, & ipſi Apoſtoli carnales hominum concupiſcentias, luxurias,ac peccata,vt ait D.Thomas, reſtringebant. Præſul enim ille, qui totus intendit ad reſtringenda vitia,ad refrenandos licentioſos,vtque totum ſit in reformatione, ac optima morum diſpoſitione, neceſſe eſt, vt ſit patientia munitus ad multas perſecutiones ſufferendas, ad multaque magno animo opprobria, & maledicta ſupportanda.

*Prælatus,qui de reformatione egit, patientia indiget.*



13. Epiſcopo Epheſino dicitur: *Scio opera tua, & laborem,& patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos,& tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe,& non ſunt: & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum,& non defeciſti,*Apocap.2. num. 2. Laudatur hîc Prælatus, quòd cum magna patientia tolerauerit multos labores,ac diuerſitates: & quia non poteſt ſufferre, ac permittere malos; ſed illos,qui falsò ſe publicabant Apoſtolos, probauit, ac inuenit mendaces: & tamen tot inter labores patientiam habuit,& non defecit. Hoc autem conſideratione dignum: Cur in hoc Epiſcopo non ſemel laudatur patientia, ſed dupliciter?Non ſemel dicitur, quòd *ſuſtinuit*, ſed duplicatur verbum,& idem valet,ac patientiã habere. Cur ergo hoc in Epiſcopo tam multiplicatis vocibus eius patientia extollitur, atque laudatur? Epiſcopus iſte incumbebat compoſitioni morum, ac reformationi ſuæ Eccleſiæ, itaut malos non ſuſtineret,nec ſineret, ac permitteret; ſed eos eradicare volebat: meritò ergo eius patientia tanta repetitione inculcatur. Qui enim reformationi eſt deditus, de eáque agit,non vna,ſed multiplici patientia indiget ad in eum exortas perſecutiones, ac aduerſitates ſufferendas. Pulchrè ait Ambroſius Anſbertus in præſenti: *Patientia, quæ cunctas cuſtodit virtutes, cunctoſque tolerat labores.*

Apocal.2.

*Qui de reformatione agit, patientia multiplici eget.*

Anſbert.

14. *Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans,*Nahum 1.num. 3. Vbi primò laudatur Dei maieſtas, quòd ſit patiens, & magnus fortitudine in perferendis hominum peccatis, ac blaſphemiis,vt ex quorundam expoſitione refert Ribadeneira *ibi.*Sic Numer.14.n. 18. *Magnificetur fortitudo Domini, ſicut iuraſti, dicens: Dominus patiens, & multæ miſericordiæ.* Sed cur hîc ita Dei patientia,& fortitudo proponuntur,ac peculiariter magnis laudibus decantantur? Ait Propheta: Dominus patiens, magnus, & mundans. Explicat Hugo:*Mundans populum ſuum*; vbi Dominus amouit manum, vt gentem ſuam mundaret, ac purificaret à vitiis, atque peccatis, ſtatim in Deo nitet,atque reſplendet patientia, & fortitudo in tolerandis hominum iniuriis, atque blaſphemiis.

Nahum 1.

Ribadeneira.

Numer.14.

Hugo.

*Cùm Deus mundat, patiens dicitur.*

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare diſcipuli de præſenti dicantur ſal terræ,lux mundi,cùm hoc eis potiùs de futuro competere videatur?*

15. DISCIPVLI Domini dicuntur ſal,& lux, vt docent D. Hilarius, D. Hieronymus *hîc.* D. Auguſtinus *lib.*1. *de ſerm. Domini in monte,*D. Chryſoſtomus *homil.* 15. quia per eos conditur, ſaporatur, ac illuminatur vniuerſum hominum genus. Quod Apoſtoli præſtiterunt poſt Chriſti Aſcenſionem, in regimine ſuarum Eccleſiarum,ac in prædicatione Euangelica totius orbis. Et ita poſt Reſurrectionem eis aperiuntur ſenſus, vt intelligant Scripturas, *Luc.* 24.*n.*25. Et tunc poſtea mittuntur in Orbem ad prædicandum,*Matt.*28.*n.*19.Ergo potius videbatur dicendum:Vos eritis ſal terrræ,lux mundi; quàm,vos eſtis,de præſenti.

Hilar.
Hieron.
Auguſt.
Chryſoſt.

16. Reſpondet primò Caietanus, quòd dixit de præſenti:Vos eſtis, vt agnoſcerent ſuam dignitatem,in qua erant conſtituti. Secundò reſpondeo, quòd optimo iure iam actualiter Apoſtoli dicuntur ſal,& lux;quia iam de præſenti, relictis omnibus,ſecuti fuerant Dominum, *Matth.*4.*n.*20. Et Præſul non minus reformat, ac illuminat voce, quàm exemplo; immo potiùs cum hoc efficaciùs. Tertiò. Dominus *hîc*, vt docet Chryſoſtomus *citatus,*cohortatur ſuos ad virtutis ſtudium, & ad ſufferendas perſecutiones, vt patet ex ſuprà dictis de beatitudinibus. Ideo de præſenti ait: Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi,quia ad magna, & ardua, ac conquæſitu difficilia non tantum perſuadetur pollicitationibus de futuro,quantum donis datis de præſenti.

Caietan.

Chryſoſt.

*Magna, non promiſſionibus,ſed donis datis perſuadentur.*

17. Quartò. Non ait: Vos *eritis*; ſed iam de præſenti *eſtis* conſtituti in tanta ſublimitate, ac honoris culmine, vt ſitis ſal terræ, & lux mundi; antequam deſudarent in prædicatione Euangelica, antequam tyrannorum perſecutiones ſuſtinerent, iam tanta dignitate fulgent, vt dicantur ſal terræ, & lux mundi. Voluit Dominus tanto munere, tantoque præmio ſuos anticipatè remunerans,ac condecorans, maximè aſtringere, ac obligare ad futura merita præſtanda, ac ad conuerſionem totius humani generis amplectendam; ideo tam illuſtri præſulatu ſuos nobilitans iam de præſenti ſal terræ, & lucem mundi dicit.

*Præmia anticipata maximè obligãt ad merita.*

18. Cùm Ieremias iam eſſet in vtero ſanctificatus, ei dicitur à Domino: *Prophetam in Gentibus dedi te*;& poſtea: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas,& diſſipes, ædifices, & plantes,*Ierem.1. num. 10. Sed quomodo tot, & tanta dicuntur puero in vulua matris conſtituto, qui illa munera, niſi in virili ætate præſtare non poterat: & ita, vt notant D. Hieronymus, S. Thomas, præ ſua pueritia à tanto munere ſe excuſat, dicens: *A, A, A,Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* S. Thomas. Non conuenit ætas mea prædicationis officio. Videbatur potiùs dicendum: Ego conſtituam te ſuper gentes.Vel, Apud me decretum eſt, te conſtituere. Nam euellere, deſtruere, ædificare, & plantare valde plenam, maturamque exigebant ætatem. Quomodo ergo ei dicitur, *& conſtitui te hodie*; hodie cùm ſis in vtero? Quomodo ad tantam dignitatem euehitur, vt creetur magiſter gentium? Vt ait D. Thomas, & vt notat Origenes homil. 1. *Nullus inter cæteros tantum donum conſecutus eſt, vt Ieremias, vt ei dicatur: In vtero ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Verum eſt, quòd illa munera non poterant perſolui, niſi maturo annorum tempore; tamen publicatur: Ego hodie conſtitui te, vt tanto principatu, ac tanto honoris culmine propoſito alliciatur, ac aſtringatur Propheta ad egregia virtutum monumenta,

Ierem.1.

Hieron.
D.Thom.

Origen.

*Honos anticipatus ad magna merita allicit.*

Ambroſ. Barcepha.

ta, ac ad heroicos actus, in quibus debebat creſcere ac proficere, vt illa munera, vt bene promeritus, plenè exequeretur. Et hac ratione probant D. Ambroſius *lib. de Paradiſo cap.* 8. Moyſes Barcepha Epiſcopus Syriæ *par. 3. cap.* 4. quòd Deus condiderit hominem in tanto honore, ac omnium principatum ei tradiderit, vt ipſe proficeret in obſequio ſui Creatoris: quod ipſe tamen per mulierem deceptus non præſtitit.

Luc. 14.

*Deus anticipatè dat dona.*

19. Renuunt iniqui ſerui ad magnum conuiuium conuenire. Tunc ait Dominus procuratori: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*, Luc. 14. num. 21. Sed quomodo ad tam amplam menſam vocantur claudi, cæci, ac debiles? Si claudi, quomodo poſſunt ambulare, & venire? Si cæci, quomodo inuenient oſtium domus? ſi debiles, quomodo ſe mouere poſſunt? Quos enim Deus ad cæleſtem menſam, ac diuinum cibum vocat, anticipatè multis donis, ac beneficiis iam exornat: claudis dat pedes, cæcis viſum, debilibus vires. D. Ambroſius lib. 6. in Luc. ad cap. 9. paulo poſt principium. *Illi, qui vocantur, ait, ad cœnam, priùs vocando ſanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, vt veniret, accepit. Si lumine oculorum priuatus, domum vtique Domini, niſi refuſa luce, intrare non potuit.* Ac proinde ipſe dat vires, per quas habeamus merita, & ita præmia obtineamus.

Ambroſ.

## QVÆSTIO III.

### *Quare eos non comparet cum ſale, & luce; ſed ait, quòd ſint ſal, & lux?*

*Ratio officij in miniſtro ſit, non tanquam impoſita, ſed veluti imbibita in natura.*

20. NON loquitur Dominus per comparationem: Vos eſtis ſicut ſal, ſicut lux; ſed vox eſtis ſal, vos eſtis lux. Dum comparatione vtimur, ſicut ſal, ſicut lux, donatur veluti quid adiacens, vel additum humanæ naturæ. At dum dicitur: Vos eſtis, veluti ipſamet natura, & ipſummet eſſe indicatur. Cùm Apoſtoli dicuntur ſal terræ, lux mundi; eorum propria muneris obligatio, ac officij ratio deſignatur. Ideo meritò non dicuntur per comparationem ſicut ſal, & ſicut lux; ſed vos eſtis ſal, & lux. Ita alta Dei diſpoſitio ordinat, vt tam imbibita, & veluti intrinſeca, vt ita loquar, ſit ratio muneris in ſuo miniſtro, vt explicetur, non tanquam adiacens, ſed veluti quid transformatum, & tranſpoſitum in ipſamet natura, & eſſe rei.

Ioan. 1.

*Ratio officij ipſamet veluti natura.*

21. Quærunt Legati à Ioanne: Quis eſſet, & quid diceret de ſe ipſo? Ait: *Ego vox clamantis*, Ioan. 1. n. 23. Quid dicis, magne Ioannes, de te ipſo? Vox quidam ſonus eſt. Cur non dicis, quòd ſis filius Magni Zachariæ, vt in proprio loco notaui, miſſus ad clamandum, ac ad prædicandum? Sed dicis, quòd ſis vox? Per hæc inſinuabat Ioannes ſuum proprium munus, ac officium, & hoc ita erat veluti transformatum in eius natura, vt interrogatus, quis eſſet, nihil aliud reſponderet, niſi id, quod importabat ipſammet rationem officij prædicandi, ac clamandi, ac ſi hoc eſſet eius natura.

Iſai. 34.

22. Multis in locis nobis proponit ſacra Scriptura, cælos, Solem, & Lunam, & ſtellas finem eſſe habituros in die iudicij. Iſai. 34. num. 4. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabunour, ſicut liber, cæli; & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea*, Pſalm. 101. n. 25. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt.* Matth. 24. n. 35. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ibidem num. 29. *Stellæ de cælo cadent.* Et ſunt multi alij loci. Conſule magnos Eccleſiæ Patres, D. Hieronymum *in cap.* 51. *&* 65. *Iſai.* D. Gregorium *lib.* 17. *Moral. cap.* 5. Ambroſium, Anſelmum, Bedam, Irenæum 2. *Petri* 3. & alios multos Patres apud Lorinum *eodem loco*, & Benedictum Iuſtinianum in cap. 1. ad Hebræos n. 1. *Ipſi peribunt.* Qui omnes docent, quòd huiuſmodi corpora cæleſtia poſt diem Iudicij perdurabunt, cùm eorum natura ſit incorruptibilis. Peribunt ergo, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad propria munera, motus, influxus, productiones, ac conſeruationes ſublunarium. Et rectè de eis abſolutè dicitur, quòd peribunt, tranſibunt: nam quæ rationem miniſterij obtinuerunt, finito, abſolutoque munere, videntur in propria natura quodammodo deſinere, atque finiri. Suarius tom. 2. ad 3. part. diſput. 58. ſect. 2. §. Non defuere, ad finem. *Cùm poſt diem Iudicij ceſſatura ſint omnia munera propter quæ creata ſunt ſydera, & cæleſtia corpora*, Deutero. 4. *Quid mirum, quòd ſubſtantia illorum mutetur.*

Pſalm. 101. Matth. 24.

Hieron. Gregor. Ambroſ. Anſelm. Beda. Irenæus. Lorin. Iuſtin.

*Cùm deficit officium, deficit & natura miniſtri.*

Suarius.

Deuter. 4.

23.

Luc. 12.

Inſtat vnus miniſter Petro in atrio Pontificis, quòd eſſet vnus ex Chriſti diſcipulis. Sed quid tunc factum eſt? *Poſt puſillum alius, videns eum, dixit: Et tu de illis es; Petrus verò ait: O homo non ſum*, Luc. 22. num. 58. Profundè conſidera, quòd dum Petrus Chriſtum negat, abſolutè ait de ſe: *Non ſum*; non dixit: Non ſum eius diſcipulus; non ſum ex eius comitatu: ſed abſolutè, non ſum. Proprium munus Petri, tanquam Chriſti diſcipuli, erat ipſum confiteri, prædicare, ac vbique publicare: & cùm Petrus in hoc munere deficiat, verè de ſe abſolutè ait: Non ſum. D. Ambroſius lib. 10. in Lucam. De negatione Petri. *Quia videbatur negare Chriſti Societatem, vtique ſe negauit.*

Ambroſ.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Chriſtus Dominus, non ait diſcipulis ſuis: Ego conſtitui vos ſal terræ, ſed* vos eſtis?

24. *Difficultas quæſtionis.*

AIT Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*; nempe ex mea electione, ac deputatione. Cur ergo diuinus Magiſter apertè non dicit: Ego conſtitui vos, ego elegi vos, ſeu creaui ſal, & lucem; ſed ſolummodo vos eſtis; cùm ſemper ſit intelligendum ex mea diuina electione?

25. Matth. 4.

Reſpondeo primò, quòd quando Chriſtus Dominus vocauit ſuos Apoſtolos, eis dixit: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*, Matth. 4. num. 19. Quòd quanuis hoc expreſsè ibi dicatur de Petro, & Andrea; tamen iiſdem ferè verbis alij Apoſtoli vocati ſunt, vt docet Hugo, & dixi ſuprà *cap.* 8. *num.* 112. Et idem fuit dicere: *Faciam vos fieri piſcatores hominum*, vt citato *cap.* 8. ex communi ſententia Patrum explicaui, ac faciam vos Prædicatores, Doctores, ſal, & lucem hominum. Et cùm hoc iam eſſet dictum à Chriſto ſuis Apoſtolis, quòd quantum ad ſignificatum ipſe eos faciebat Prædicatores, ſal, & lucem non fuit hoc iterum dicendum; nam beneficia ſemel data, non ſunt paſſim ore dictitanda, nec verbis repetenda: nam, vt dixit Seneca, Beneficij repetitio, illius diminutio eſt. Vide *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 30. 31. 32.

Hugo.



*Beneſa ciens non repetat verbis beneficium.*

Seneca.

26. Secundò. Chriſtus Dominus hîc non ait expreſsè: Ego conſtitui vos ſal, & lucem; ſed tantùm: Vos eſtis. At Regius Vates huiuſmodi Apoſtolorum creationem magnis laudibus celebrat: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, Pſalm. 44. n. 17. hoc eſt, Doctores, Prædicatores, ac Paſtores ſuper omnem terram. Quod coincidit cum ſignificatione ſalis, & lucis. Nam Regius Vates, vt gratus animus, ex perſona hominum beneficium recognoſcens multis decantat, celebrat, ac extollit. Et ita ſubdit: *Memores erunt nominis tui, Domine.* At Chriſtus Dominus, vt magnus Rex, princeps, ac ſuprema Maieſtas, dignitatem, largitiones, ac munera data, aliquantulum tacet, & verbis diſſimulat.

Pſalm. 44.

*Gratus accipiens beneficium decantat, magnus dans tacet.*

27. Tertiò. Non ait Dominus: Ego vos elegi, ſed *vos eſtis ſal, & lux.* Nam ſi Dominus dixiſſet: Ego vos elegi, ego vos creaui; in medium proferret illuſtre donum dignitatis, quo ſuos affecit, ac nobilitauit. At, dum ait: Vos eſtis ſal terræ; eis intimam ſui muneris proponit obligationem, quæ debet eſſe veluti transformata, & tranſpoſita in ipſamet natura hominis, ac miniſtri, vt expoſui ſuperiori quæſt. Et ordinauit alta Dei ſapientia, non tam commemorare expreſsè in ſuo ſermone dignitates à ſe datas, ac beneficia ab ipſo accepta, quàm potiùs adducere, ac ante diſcipulorum oculos proponere ſui muneris obligationem. Nam vehementius in officio continet, impellit, & aſtringit muneris obligatio, quàm quodcunque illuſtre donum: quanuis enim honoris culmina, ac largitiones à principe conceſſæ maximè moueant, & excitent, at multo validiùs inſtigat, at pungit proprij muneris aculeus.

*Plus mouet proprij muneris obligatio, quàm beneficium datum.*

28. Videns Moyſes Ægyptium facientem iniuriam cuidam Hebræo, ipſum interfecit, & abſcondit ſabulo, *Exod.* 2. *n.* 12. Quid facis, magne Patriarcha? Nónne vides, quod ſi hoc delatum fuerit Pharaoni, ei eris inuiſus, & cades à ſupremo faſtigio, quo communiter ab omnibus eius nepos, ac filius eius filiæ exiſtimaris: & deinde regale deperdes imperium, quod tibi in morte Regis paratur? Auctores ſunt Rupertus *in Exod.* D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 6. *ad* 2. & alij graues Doctores, quòd Moyſes cognouerit per inſpirationem diuinam, ac reuelationem, ſe habere auctoritatem ad Ægyptium occidendum, ac Hebræum defendendum, cùm ſalus populi in eius manu eſſet dirigenda, iuxta illud Stephani Actor. 7. num. 25. *Exiſtimabat autem, intelligere fratres, quoniam Deus per manum eius daret ſalutem illis.* Quanuis nil illuſtrius excogitari videbatur, quàm quòd Moyſes eſſet creditus nepos Regius, regni habitus hæres, ac dominus totius imperialis aulæ; tamen ratio ducis, ac gubernatoris populi exigebat, vt Hebræum defenderet, ac pro officio ſuo vltionem de Ægyptio faceret, vt ait *ibi* Lorinus. Et efficaciùs impulit, ac attraxit animum pondus muneris, quàm magnitudo, ac præexcellentia regiæ dignitatis, in qua à Pharaone ſubleuandus erat. Fauet D. Remigius in cap. 11. ad Hebræos. *Moyſes dimiſit aulam amplam, & claram, non pro ſe ſolùm ſuſcipiens, ſed etiam pro aliis hoc elegit.*

Rupert. D. Thom.

Act. 7.

Lorin.

*Efficaciùs attrahit ratio muneris quàm beneficium magnũ.*

Remig.

## QVÆSTIO V.

### *Quare Apoſtoli vocentur ſal?*

29. NON dicuntur Apoſtoli à Chriſto argentum, aurum, vel gemma pretioſa, ſed ſal. In qua re explicanda multi ſunt Patres. Et valde prolixum, ac operoſum eſſet, eorum ſingula dicta in medium afferre. Ideo ſummatim rem attingam, multas rationes dilucidando.

30. Hieron. Paſchaſ. Auguſt. Anſelm.

Primò. Apoſtoli dicuntur *ſal*, vt ait D. Hieronymus, quia per illos *vniuerſum hominum genus conditur.* Ita etiam docent D. Paſchaſius, D. Auguſtinus, D. Anſelmus. Sicut enim ſal cibum inſipidum, ac nauſeam prouocantem, ſua acrimonia gratum, ac ſuauem reddit: ſic Apoſtoli vniuerſum genus humanum erroribus, ac falſitatibus valde inſipidum, acrimonia ſui Apoſtolici ſermonis, ac vitæ exemplo, Deo, Angelis, ac hominibus maximè gratum effecerunt. Ita ait D. Gregorius Magnus homil. 17. in Euangelia. *Cibus Dei populus, condimentum Sacerdos.*

*Prælatus ſui ſermonis acrimonia laboret ſubdito.*

Gregor.

31. Abulenſ.

Secundò. Abulenſis *in Commentario*, per *ſal* intelligit prudentiam, ac diſcretionem in actionibus. *Nam, ait ille, ſicut ſal omnibus cibis ſaporem dat; ita & prudentia omnes actus noſtros modificat, ac ſapidos reddit. Vnde ſapientiam vulgariter ſal appellare ſolemus. Et Apoſtolus dixit: Omnis ſermo veſter ſale conditus ſit*, ad Coloſſenſ. 4. num. 6. *Id eſt, omnia verba veſtra cum diſcretione proferantur. Et Chriſtus Dominus: Habete in vobis ſal*, Marc. 9. num. 49. *Id eſt, Habete diſcretionem in operibus veſtris. Et cùm multæ virtutes ad Prælatos pertineant, diſcretio maximè eſt neceſſaria.* Similiter Carthuſianus, Hugo, & alij. D. Gregorius 2. part. Paſtoralis. cap. 4. *Fuerunt Apoſtoli ſal terræ, id eſt, mundi ſapientia.* Sal prudentiam, ac diſcretionem ſignificat: nam ſal cibos ſapidos, ac gratos reddit, & corruptum ab incorrupto diſcernit; nam incorruptum conſeruat, corruptum in perditionem abire ſinit. Et quia huiuſmodi prudentia, ac diſcretio maximè neceſſaria eſt in Prælatis; ideo inter eorum virtutes ſuos primò Chriſtus dicit *ſal.* Nam Prælatus debet habere prudentiam in regendo; & diſcretionem, vt ſanos, & integros præmiet, & conſeruet; corruptos verò, & deprauatos, ſi non emendentur, ſeparet, & diuidat.

Ad Coloſſ. 1.

Marc. 9.

Carthuſ. Hugo. Gregor.

*In Prælato neceſſaria prudentia, ac diſcretio, vt diuidat malos à bonis.*

32. Chromant.

Tertiò Chromantius. *Sales ait, cùm operantur in carne qualibet, corruptelam non admittunt, fœtores auferunt, ſordes expurgant vermes non ſinunt generari.* Sic fides, & gratia per Apoſtolos data, aufert carnalis concupiſcentiæ corruptelam, peccatorum ſordes expurgat, vermes delictorum non ſinit generari, odorem excludit malæ conuerſationis, opinionis, ac ſcandali, & præſtat, vt omnes cum exemplo, & ædificatione Ieſu Chriſti viuant.

*Prælatus in domo ſua odorem ſcandali non permittat.*

33. Hilar.

Quartò D. Hilarius *in Commentario* exiſtimat quòd Apoſtoli dicantur ſal terræ, hoc eſt, ſal factum ex terra. Vnde eleganter ait: *Verùm quia* homo

*homo mutationi ſubiacet , & ſolus beatus , qui vſque in finem perſeuerauerit , ideo eos ſal terræ nuncupatos monet, traditæ ſibi poteſtatis virtute perſiſtere.* Vt Dominus ſuos contineat in ſuo munere, ac officio, ante eorum oculos apponit vilem originem ex terra , valde enim vtile eſt Prælato , in ſummo dignitatis faſtigio oculos habere defixos ad ſua abiecta principia, ne inaniter rapiatur ſupra ſe. Vnde cogitet,à terra, & à puluere naſci & originari.

*Sui cognitio vtilis Prælato.*

34. Quintò idem D. Hilarius, *Sal*, ait, *eſt*, *ignem*, *& aquam in vnum continens*, *hoc eſt*, *rebus præbet incorruptionem*,*& ſaporem* : *ita Apoſtoli ſunt immortalitatis* , *& incorruptionis ſatores* ; *hanc enim conferuntiis* , *quibus eorum ſermo aſperſus eſt*. Tria hîc valde præclarè nobis inculcat S. Pater.Primò quòd ſal conſtat ex ignea , & aquea natura, vt etiam tradit Plinius *lib.* 31. *cap.* 10. Et quia ignem continet, acre eſt inſtar ignis ; ſi in ignem proiiciatur, eum acuit,& accendit.Aqueam verò, quia ſal,inſperſa aqua,in eam liquefit, & reſoluitur , & portionem aquæ adauget. Optimum documentum Prælatis,ne ſua principia, ac maiores obliuiſcantur,ſed eis inſeruiant , ac eos quantum poſſunt adiuuent. Secundò Apoſtolici viri *ſint immortalitatis ſatores*; nam ſicut ſal ſua acrimonia generat ſitim;ita Prædicatores debẽt excitare ſitim rerum ſupernaturalium ; ac cæleſtium.Tertiò. *Hanc conferunt iis*, *quibus eorum ſermo aſperſus eſt*. Sal , vt ſuum munus obire valeat, neceſſe eſt , vt non maneat integer in ſuis granis, in ſua quantitate ac magnitudine , veluti quidam lapis, quia tunc tantùm in ſuperficie adſtat,ac veluti ſupereminet,& nil muneris ſui præſtat ; ſed neceſſe eſt,vt euaneſcat,& liquefiat , ac in carne imbibatur. Ita Prælatus Eccleſiaſticus , vt ſuum officium adimpleat , non debet eſſe totus integer in ſua auctoritate,ac magnitudine,& ei multum conſulere;ſed liquefiat,condeſcendat ſubditis, in eorum animis inſinuetur , ac imbibatur, ita vt ait Paulus:*Factus ſum omnibus omnia* ; cum paruulis ſis paruulus,cum infirmis infirmus.Ne ſtet Prælatus in ſupercilio,nec per vanam gloriam ſuperbeſcat. Et ita expendit Hugo illud verbum : *Si ſal euanuerit per inanem gloriam,ad nihilum valet.*

Hilar. — Plinius. — *Prælatus maiores ſuos recognoſcat, vt eos adiuuet.* — *Prædicator generet ſitim ſpiritualium.* — *Prælatus ne ſit ſuperbus, ſed ſubditis ſe accommodet.* — Hugo.

35. Sextò.Sanctus Pacianus *Epiſtol.* 3 *.ad Symphorianum*, vult Dominus non abiici ſeueritatem , ſed cum illa retinere clementiam.Dum Chriſtus ſuos appellat ſal , inſinuat , vt in Prælato ſit ſeueritas cum clementia. Quod etiam hîc notauit D. Thomas. Nam ſalis acrimonia ſeueritatem denotat, pungit,& mordicat.Et ideo victores,capta ciuitate,in pœnam eam ſale ſeminant,*Iudic.9.n.*45. At eius eximius ſapor, quem cibo præbet, mirificè delectat, & clementiam,ac ſuauitatem importat. Et ita Eliſæus adhibito ſale 4. *Reg*.2.*n.* 20. ſanauit aquas.Seueritas,ac clementia maximè coniungantur in Prælato,itaut ſi vna eius manus pungit, ac mordicat:altera delectet,indulgeat, ac omnia ſuauia reddat.

Pacianus. — D. Thom. — *In Prælato ſeueritas, & benignitas.*

36. Septimò D. Chryſoſtomus homil. 15. *Vos eſtis ſal terræ*, ait, *Quid igitur ? Ipſi ne putrefacta medicati ſunt ? nequaquam : neque enim fieri poteſt, vt ea ; quæ iam corrupta ſunt, ſalis perfricatione reparentur : liberare quippe à putredine peccatorum Chriſti virtus eſt.* Sal ſaporat cibos inſipidos,carnes conſeruat,ac à corruptione tuetur : at verò putridis rebus non medetur , nec putrida ad ſanitatem reducit. Viri Apoſtolici dicuntur ſal, quia inſipidas animas falſitatibus,& ignorantiis, ſale fidei , ac diuinæ gratiæ, atque doctrinæ ſaporant,ac gratiſſimas Deo efficiunt, vt dixi in prima ratione , eaſque in Dei beneplacito ſuis documentis conſeruant : at verò , ſi animæ ſint iam putridæ,ac corruptæ peccatis inueteratis , & præantiquis ; has ſanare , eiſque medelam dare, excedit ordinariam manum hominis, & ad vnam Dei potentiam ſpectat.*Liberare quippe à putredine peccatorum* , *Chriſti virtus eſt*. Ex quo. Fuge, ne peccatorum vetuſtate fiat putridum in anima tua ; hoc enim eradicare , valde perdifficile eſt.

Chryſoſt. — *Peccata inueterata ſola Dei virtus curare valet.*

Octauò Caſſiodorus 12. var. 24. *Poteſt aurum aliquis minus quærere,nemo eſt , qui ſalem non deſideret inuenire, meritò,quando iſti debet omnis cibus, quo poteſt eſſe gratiſſimus.* Idem ferè habent D. Hieronymus,*in Dialogo cum Luciferianis* , Chromantius, & alij. Magna eſt nobilitas ſalis ſuper aurum, gemmas , ac lapides pretioſos : multi ſine auro,& gemmis viuunt ; nullus autem eſt , quanuis præexcellens cibus , qui beneficio ſalis non indigeat,ab ipſoque habeat , quòd ſit gratus, iucundus,ac ſuauis. Ita in eo honoris culmine ſunt viri Apoſtoli,vt dicantur ſal,quia omnes de ſpiritu,doctrina,atque exemplo viuunt,ſaporantur,atque creſcunt. 37.

Caſſiodor. — Hieron. Chromant. — *Omnes indigent,ac viuunt de ſpiritu, ac doctrina viri Apoſtolici.*

Nonò Chromantius,ac D. Remigius , *Natura igitur ſalis*,inquiunt,*per aquam, per calorem Solis, per flatum venti conſtat,& ex eo,quod fuit,in aliam ſpeciem generatur. Sic & Apoſtoli , atque omnes credentes per aquam Baptiſmi , per fidem Chriſti, qui Sol iuſtitiæ dictus eſt,& per inſpirationem ſancti Spiritus Deo renati , ex terrena in cæleſtem natiuitatem tranſeant.* Sal fit ex aqua maris commota, & alterata flante vento, & accedente Solis calore, itaut iam in aliam ſpeciem generetur. Ita doctor , ac Præſul Apoſtolicus , ipſo munere debet vetera deponere,ac,vt ait D.Thomas, in vita , & moribus mutari , vt ita ſit ignitus calore Solis diuinæ charitatis,vt iam veluti alius videatur atque appareat.Cùm vidiſſent Phariſæi cæcum à natiuitate,ſanatum à Chriſto , diſſenſio erat inter eos, an ille eſſet idem.nam quidam dicebant : *Non hic eſt,qui ſedebat, & mendicabat? Alij dicebant:Quia hic eſt. Alij autem,nequaquam,ſed ſimilis eſt*,Ioan. 9. num. 8. Sed vnde factum eſt , vt hominem inter eos natum non agnoſcerent ? Sed tanta eſſet opinionum diuerſitas ? Cùm Chriſti magnalia cœpit prædicare , iam veluti alius apparuit , itaut eius noti valde, in eum agnoſcendo , eſſent perplexi. Sic etiam dicitur & Saul, vt propheti-zaret : *Mutaberis in virum alterum*, 1. Reg. 10. num. 6. 38.

Chromant. Remig. — *Præſul, ac Prædicator ſumpto officio mutetur in virum alterum.* — D.Thom. — Ioan. 9. — 1.Reg.10.

Decimò. Albertus Magnus , & D. Thomas. Sal habet vim arefactiuam. Vnde ait D. Auguſtinus , Sal ſterilem facit terram. *Sic Apoſtoli, deſtructo regno peccati , germen vitiorum compeſcebant.* Totum Prælati , ac Prædicatoris Apoſtoli ſtudium debet eſſe in exſiccandis , ac extinguendis peccatis. Sapient. 3.num.13. *Felix eſt ſterilis ; & incoinquinata , quæ neſciuit thorum in delicto , habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Vndecimò idem D.Thomas,Sal habet vim reſtrictiuam. Vnde Auguſtinus. Sed carnes deſiccat. Apoſtolici viri reſtringant in ſe, ac in ſuis carnales concupiſcentias. *Obſecro vos , abſtinere à carnalibus deſideriis* , 1. Petri cap. 2. num. 11. 39.

Albert.Mag. D.Thom. Auguſt. — *Vir Apoſtolicus extinguat peccata.* — Sapient.3. — D.Thom. — Auguſt. — 1.Petr.2.

Duode



40. Duodecimò Caietan.ponderans, cur dicantur ſal , & lux ? ait : *Sal ad condiendum appetibilia; lux ad illuminandum cognoſcibilia , ſunt Chriſti diſcipuli , vt homo ſecundùm vtranque ſui partem , voluntatem ſcilicet , & intellectum , haberet, à quibus perficeretur.* Sal ad condiendum appetitum, lux ad illuminandum intellectum. Has duas potentias maximè voluit Dominus, vt ſui homines perficerent , ac haberent ſubiectas, atque deuictas. Quod maximè neceſſarium ad optimum regimen in inferioribus in ordine ad ſuum ſuperiorem, vt intellectus ſubditi directione paſtoris gubernetur;ac voluntas illius affectu ſit aſtricta ſuo maiori,& cum amore ei obtemperet,& obſequatur.

Caietan. — *Intellectus, ac voluntas inferioris ſit ſubiecta ſuo ſuperiori.*

41. Decimotertiò. Palatius. Sal in omnibus quatuor elementis periclitatur , & ſuum eſſe amittit; ſolum verò adhibitus in cibis vtilis eſt & fructificat. In Aëre humectat; in Aqua liquefit; in Igne proſilit, & conſumitur; in Terra ſterilizat,& infructiferam reddit:at verò in cibis periucundus,& ſuauis. Similiter Præſul , ac Prædicator Euangelicus in aëre vanæ gloriæ infatuatur ; in aqua verò adulationis , ac delectationis euaneſcit; in igne inuidiæ , murmurationis , ac detractionis conſumitur , & perit;in terra verò ambitionis , proprij lucri , ac commoditatis ſterilizatur;ac deſinit eſſe :ſolùm in cibis ſpiritualibus doctrinæ,ac exempli,quos ſuis præbet, vtilis eſt,ac iucundiſſimus.

Palatius. — *Prælatus ſolùm vtilis in his, quæ ſuis dat, nõ verò, quæ ſibi procurat.*

42. Decimoquartò. Idem aliam dat rationem, quòd iuxta antiquos ad fœdera reconcilianda adhibebatur ſal; & ita pactum fœderis dicebatur pactum ſalis,& ſempiternum,Num. 18.num. 19. *Pactum eſt ſempiternum*, 2.Paralip. 13.num. 5. *In pactum ſalis*, Leuitic.2. numero 13. Nam ſal, cum præſtet incorruptibilitatem , in ſignum incorruptæ amicitiæ adhibebatur , vt docent Lyranus , Abulenſis , Oleaſter *ad citata loca.* Deus reconcilians ſibi genus humanum miſit in mundum Apoſtolos, tanquam ſal in ſymbolum pacis , & fœderis incorrupti. Et hæc eſt vna ex rationibus , ob quam Deus ferat tantam peccatorum multitudinem , quia ſunt in medio Apoſtoli in ſymbolum ſalis: tanquam murus Deo oppoſitus,*Ierem.* 15.*numero* 20.Et vt Moyſes deprecans pro populo dicebat. *Dimitte eis hanc noxam*,Exod. 32.n.31.

Numer. 18. 2.Paral.13. Leuitic. 2. — Lyran. Abulenſ. Oleaſter. — *Apoſtoli ſignum pacis, vt diuinam contineant iram.* — Ierem.15. — Exod. 32.

43. Decimoquintò. Sal fit ex aqua maris , ab ipſo mari ſegregata, & ſeparata , & in ſalina , clauſo oſtio, accedente Solis calore. Ita Apoſtoli, etſi in mundo nati, ab ipſo mundo debent ſegregari, eique claudere oſtium ; & tunc accedente calore diuini Spiritus erunt ſal ad condiendum genus humanum. Decimoſextò. Sal , vt vtilis ſit, adhibendus eſt cum moderamine , ac ſub certa menſura : nam ſi nimis excedat modum , non reddit cibos ſuaues,& iucundos , ſed valde inuiſos,ac moleſtos, itaut illos omnino perdat. Ita & Prælatus Eccleſiaſticus in correctione , ac reprehenſione cum moderamine ſe habeat , non tranſcendat menſuram;nam ſi multis acer, ac rigidus fuerit, ſubditos non lucrabitur , ſed irritabit , ac perdet. Decimoſeptimò. Meritò Præſules Eccleſiaſtici dicuntur ſal : nam ſicut parum ſalis multam carnem condit,multos cibos ſaporat ; ſic vnus bonus Prælatus vnam magnam congregationem incorruptam, multorum inſipidos mores benè condit, & ſaporat.

*Prædicator ſit à mundo ſeparatus.* — *Reprehenſio cum moderamine adhibeatur.* — *Vnus Prælatus bonus cõgregationem regit.*



44. Decimooctauò. Apoſtoli dicuntur ſal , & lux: nam hæc non ſibi,ſed aliis ſuos præſtant effectus, Sal non ſe ipſum condit , & ſaporat , ſed alios. Lux non ſe ipſam illuminat,ſed alios.Verus Prælatus Eccleſiaſticus non ſuis commodis ſit intentus,ſed aliorum vtilitati conſulat;nõ ſuæ opportunitati eſt datus, ſed totus aliorum emolumẽtis natus. Decimononò.Lux præſentes tantùm illuminat,ſicut & lucerna. Sal cibos intimè ſibi aſſiſtentes condit,& ſaporat.Sicut & ciuitas,quos in ſe continet,cuſtodit.Dum ergo Prælati dicuntur ſal,lux,ciuitas , eorum præſentia , ac reſidentia multipliciter recommendatur,nam ſolùm,quibus præſentes fuerint,frugiferi erunt ; ſi verò abſentes,neminem lucrabuntur,ſed totus grex peribit. Eleganter D.Auguſtin.*lib.de Paſtorib.c.* 8. abſentiam paſtoris appellat interemptionem gregis.

*Prælatis non ſibi ſunt, ſed aliis nati.* — *Prælati præſentia maximè neceſſaria.* — Auguſt.

45. Vigeſimò.Sal,vt ſuum præſtet effectum,neceſſe eſt,vt liquefiat , vt ſuprà dixi ; & totus in ſua ſubſtantia deſinat eſſe,ac tranſubſtantietur in cibos,quos condit,& ſaporat:aliter effectum ſuum non præſtabit. Cùm Chriſtus Dominus ſuos appellat ſal,eorum charitatem erga ſubditos maximè commendat, vt ſi ipſi velint ſuum adimplere munus,ſe ipſos debeant extenuare , ac exenterare , & de ſuo eſſe adimere , vt ſuis inferioribus opitulentur, ac auxilientur , eoſque foueant , ac tueantur.Et ideo Prælati infrà *n.* 15.comparantur lucernæ ; candela enim tantum illuminat , quantum in ſuo eſſe minuitur,& conſumitur.

*Prælati munus eſt,ſe ipſũ exenterare, vt ſuos foueant.*

46. Petunt filij Zebedæi primas ſedes in regno,ac gloria, quibus Dominus ait : *Poteſtis bibere calicem,quem ego bibiturus ſum ; aut Baptiſmo, quo ego baptizor,baptizari ?* Marc. 10.numero 38. Valde mirum,quòd dum Iacobus , & Ioannes diſſerunt de regno,de prælatione,ac primis ſedibus,Dominus inſtituat ſermonem,ac eis offerat ſuam mortem : *Poteſtis bibere calicem , quem ego bibiturus ſum?*ac ſuam effuſionem ſanguinis:*Baptiſmo,quo ego baptizor,baptizari ?* Cur ergo huiuſmodi ſermo ad aliud tempus non reſeruatur?Adeò intrinſecum eſt prælaturæ,pro ſuis vitam dare,pro ſuis ouibus tuendis , ac conſeruandis ſanguinem effundere(vt ipſemet Chriſtus præſtitit in ara Crucis,)vt vbi primum ipſi ſtudio , ac voto appetunt regna,& primas ſedes , ſtatim eis Dominus aperiat,quid ipſi muneri ſit intimè annexum,& quid ex ipſo.tanquam ex infallibili conſequentia , ſequatur , vt ſi non ſunt diſpoſiti ad penſionem dandi vitam,nec ſunt apti ad dignitates. Et ideo Victor Antiochenus , ipſum effundere ſanguinem, conſequentiam dicit petitionis filiorum Zebedæi,ait ipſe:*En quomodo ea mox inferat , quæ ab illorum ſententia prorſus aliena erant. Præſentia non gloriam , non quietem , non alia huiuſmodi, ſed bella , pericula , plurimaque id genus alia exigunt.*

Marc.10. — *Prælatus det vitam pro ſuis.* — Victor. Ant.

47. Valde dignum quæſitu eſt , cur electus populus Dei vocatus eſt Iſraël,quod nomen datum eſt in ea lucta, quam habuit Iacob cum Angelo: *Nequaquam* , inquit , *Iacob appellabitur nomen tuum,ſed Iſraël*,Gen. 32.n. 28.vbi notant D. Hieronymus *in quæſtionibus Hebraicis*. Chryſoſtomus,Auguſtinus , Abulenſis , & alij. Cur nomen populus ab Abrahamo non habuit ? Cur non ab Iſaac?Et ſi à Iacob , quia duodecim tribuum immediatus extitit pater,cur nõ dicitur Iacob? [illegible] ſub hoc nomine ſcalam vidit attingentem cælos, vbi multa pro filiis ſunt promiſſa:*Terram, in qua dormis*,

Gen.32. Hieron. Chryſoſt. Auguſt. Abulenſ. — Geneſ.28.

*dormis, tibi dabo, & ſemini tuo, eritque ſemen tuum, quaſi puluis terræ, dilataberis ad Occidentem, & Orientem*, Gen. 28. numero 14. Cur ergo dicitur Iſraël: In illa lucta Iacob erat orationi intentus, vt exponit Oſeas cap. 12. numero 4. *Fleuit, & rogauit eum.* Et Iacob, non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro filiis ſuis deprecabatur, vt tradunt D. Bernardus, *ſerm. 6. de oratione.* Thomas Anglicus, & alij. Et cùm Iacob ob ſuam peritionem nollet dimittere Angelum, *tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit*, Gen. 32. num. 25. Ideo nomen, quod ei Angelus dedit, totus populus accepit, in venerationem memoriæ illius operis, & facti; eum omnes magis recognoſcentes patrem, principem, ac totius populi caput in luctamine, quo aliquid pro filiis de ſuo corpore perdidit, & pars femoris exſiccata eſt, & aruit; quàm in ſcala, quando videt cælum apertum; ac multa, largaque beneficia, ei pro ſemine ſuo conceduntur, atque dantur. Gennadius. *Tetigit neruum, & emarcuit, hoc factum eſt, vt in poſteriorum eius notitia, & memoria veneraretur.*

Oſe. 12. Bernard. Th. Anglic. Gen. 32. *Quis populi caput manifeſtatur, dum pro eo de ſe adimit.* Gennad.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Apoſtoli nuncupentur ſal terræ, & non ſal hominum?*

48. COMMVNIS eſt Patrum ſententia, Auguſtini, Chryſoſtomi, Chromãtij, & aliorum, quòd per terram hoc loco intelligitur genus humanum. Vos eſtis ſal terræ; hoc eſt, vos eſtis ſal hominum. Sed cur non dixit Dominus: Vos eſtis ſal hominum? hoc enim videbatur facilius ad intelligentiam, quàm dicere: Vos eſtis ſal terræ? Et parum vrget hæc quæſtio in ſententia S. Hilarij, qui, vt dixi quæſt. ſuperiori, exiſtimat, quod idem ſit ſal terræ, ac ſal deſumptum ex terra. Tota ergo quæſtio eſt in communi ſententia: Vos eſtis ſal terræ; hoc eſt, ſal hominum.

Auguſt. Chryſoſt. Chromant. *Difficultas quæſtionis.* Hilar.

49. Reſpondet primò Maldonatus ex Auguſtino, Chryſoſtomo, Theophylacto, Apoſtolos ſal terræ dictos eſſe, vt non vnius, aut paucorum hominum, ſed totius Orbis Magiſtri futuri intelligerentur. *Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, Matth. 28. num. 19. Marc. 16. num. 15. Et ita dixit ſal terræ tanquam quid vniuerſalius, & generalius. Secundò reſpondeo. Quia frequenter in Scriptura peccatores carentes Dei cognitione, terræ nomine ſignificantur, Ierem. 22. num. 29. *Terra, terra, terra, audi verbum Domini*, hoc eſt, homines. Cùm autem homines ſuis eſſent erroribus infatuati, Deique cognitione carerent, ideo quando Apoſtoli ad eos mittuntur, terræ nomine nuncupantur. Tertiò. Vt appareat, quantum diſtent ab iis, quæ ſunt Dei, ea, quæ ſunt hominum. Nam ſal ab hominibus miſſum in terram, ob ſuam nimiam ſiccitatem, atque ariditatem, eam ſterilizat, ac inutilem facit, vt dixi ſuperiori quæſt. at ſal miſſum à Deo in terram humani cordis, il[illegible]ximè fœcundat, ac cum magnis emolu[illegible]s vtile reddit.

Maldon. Auguſt. Chryſoſt. Theoph. Matth. 28. Marc. 16. *Peccatores veluti terra.* Ierem. 22. *Valde diuerſa manus Dei à manu hominum.*

50. Quartò. Conſtituebantur Apoſtoli Prælati totius generis humani; & in hac occaſione homines vocantur *terra: Vos eſtis ſal terræ*; vt Præſules ſemper ante oculos habeant debilitatem, ac fragilitatem ſubditorum ſuorum; homines ſunt è terra, lutoque formati: vt eorum miſeriis condeſcendant, ac compatiantur. Peracto diluuio, dixit Deus in mente ſua, & in corde ſuo, vt eſt in Hebræo: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines; ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona eſt ab adoleſcentia ſua*, Geneſ. 8. num. 21. Vbi Oleaſter ait: Diſcant Prælati, ſibi leges ponere, non ſæuiendi in ſubditos, cùm hominum ſenſus, & cogitatio in malum pronus ſit; ſed in eorum fragili natura habent rationem miſerationis, & compaſſionis, De Deo ait Regius Vates, Pſalm. 102. num. 14. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus.* Quia Deus agnoſcit noſtram infirmitatem, quæ eſt veluti quoddam figmentum, inde motus eſt Deus, vt noſtri miſereatur; quia ita recordatus eſt, vt nunquam obliuiſcatur. Diuus Auguſtinus, *Cognouit figmentum noſtrum. Quod figmentum? nos. Vnde loqueris, quia cognouit? Quia miſertus eſt: Memento, quia puluis ſumus. Ad ipſum Deum conuerſus ait: Memento; quaſi obliuiſcatur Deus: ſic cognouit, vt non obliuiſcatur. Sed quid eſt: Memento. perſeuerat in nos miſericordia tua, cognouiſti figmentum noſtrum.*

*Prælati ſubditorum imbecillitatis recordentur, vt miſereantur.* Geneſ. 8. Oleaſter. Pſalm. 102. Auguſt.

Apud ſacras, & humanas litteras paſſim Reges, ac principes Medicis comparantur. Iſai. 3. numero 7. *Non ſum Medicus, nolite me conſtituere principem.* Idem inuenies apud Clementem Alexandr. 4. Stromat. Baſilium Seleuc. *orat.* 30. Sed in quo ſtat tanta rei ſymbolizatio? Philo *lib. de Allegoria legis. Phreneticus*, ait, *iraſcitur in medicum: ipſe vero ſuſtinet, & ridet, infirmitatem videns.* Imitentur Præſules Medicos: vident errores, deliramenta ſubditorum, non nimis iraſcantur; non nimis ſæuiant, agnoſcant humanam infirmitatem. 51.

Iſai. 3. Clem. Alex. Baſil. Seleuc. Philo. *Prælatus ſuorum errores patienter ſuſtineat.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quomodo Dominus illam de ſale ad Prælatos comparationem facit: Quod ſi euanuerit, non eſt, in quo ſalietur?*

DVBIVM mouet propoſita à Chriſto huiuſmodi interrogatio: *Si ſal euanuerit, in quo ſalietur?* Verum eſt, quòd ſi vnum ſal infatuatum fuerit, non poteſt alio ſale ſaliri. At verò ſi vnus doctor errat, ſæpe ab alio emendatur doctore. Sic Auguſtinus, cùm eſſet Magiſter, adhucque ſuis detentus erroribus, ſermonibus D. Ambroſij ad veritatem eſt adductus. Quomodo ergo ſtat illa comparatio? 52.

Reſpondeo primò. Per hoc denotari, non impoſſibilitatem, ſed quandam rei difficultatem. Vnde ait Hieronymus: *Si Doctor errauerit, quo alio doctore emendabitur?* Et inde ſtat comparatio, quòd ſicut ſal, ſi euanuerit, non poteſt alio ſale ſaliri virtute naturali, niſi adſit potentia Dei; ita eſt difficile, vt ſi vnus doctor errauerit, per alium emendetur, at ad hoc exigitur auxilians manus Dei. Bene notauit Albertus Magnus, quòd nullum alium hominem Chriſtus traxit ad ſe per tam longum ſermonem, ſicut Nicodemum; ab ipſo multis poſitis argumentis, multiſque à Domino ſolutionibus datis, vt videbis *Ioan. 3. à n. 1.* Sed cur tam latus ſermo cum vno Nicodemo? Nónne Deus vno verbo condidit vniuerſa? Nónne Deus vno verbo vocauit Apoſtolos: *Venite poſt me*; Matth. 4. n. 19. Nónne à præſentia Domini mota eſt terra? Cur ergo tam longa cum Nicodemo ſermocinatio? Erat Nicodemus magiſter inueteratus in lege, ſenio confectus in ſuis opinionibus, & à ſua ſententia diuellere, ita difficile, vt manus Domini multis ſit interponenda. Albertus Magnus. *Multis inſtat Dominus, diſponitque hominem ſua doctrina, antiquum legis doctorem vocat ad ſe.* Vide *cap. 3. n. 67.* 53.

Hieron. *Manus Dei requiritur, vt vnus doctor ſuos deponat errore.* Ioan. 3. Matth. 4. Albert. Mag.



54. Difficultas autem in reducendo deprauato doctore, ac Prælato, ait Palatius, quia ipſi decipiuntur multis ſententiis, multis opinionibus, multiſque interpretationibus, quibus deprauati, ac aliquando patrocinati, & licentioſi facti, immobiliter ſuis erroribus adhærent. Secundò. Quia ipſi dignitate fiunt ſuperbi: & valde difficillimum, ſuperbum in ſua ſententia humiliare. Et ita ſuperbus ad nihil aliud eſt, niſi vt mittatur foras. Cùm multi vitioſi Reges dominarentur in Orbe, ac in mundo, à populo Hebraico proiectus eſt à regno duodecim tribuum iniquiſſimus Roboamus 3. *Reg.* 12. *à num.* 10. & à populo Romano ſuperbiſſimus Tarquinius. Quod meditatur D. Hieronymus Epiſtol. 62. ad Theophylum. *Qui ſcorpionibus*, ait, *cædit, & lumbis patris habere ſe putat digitos craſſiores, citò regnum manſueti Dauidis diſſipat. Certè Romanus populus, nec in Rege quidem ſuperbiam tulit.*

Palat. *Interpretationibus deprauatur doctor.* 3. Reg. 12. Hieron. *Superbus Rex ſuſtineri non poteſt.*

55. Ait Ezechiel. 15. num. 2. 3. & 4. *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricetur de ea paxillus, vt dependeat ex eo quodcunque vas? Ecce igni datum eſt in eſcam.* Hoc lignum vitis, vt explicant D. Hieronymus, Theodoretus, ciuitas eſt Ieruſalem. Sed quomodo ita inutilis facta eſt, vt ad nullum opus inuenta fuerit apta, niſi ad eſcam ignis? Ieruſalem, cùm ſe reputaret dominam gentium, ſua vanitate extitit infatuata; & vbi peſtifero eſt infecta ſuperbiæ malo, nulli vſui accommodata reperiri valuit, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, vt ibi etiam meditatur Hieronymus, & in eſcam igni detur. Nam ſuperbus ad omnia omnino inutilis, & tantum vt proiiciatur foras, inſeruit.

Ezech. 15. Hieron. Theodor. *Superbus ad omnia inutilis.*

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare ſal Prælatorum infatuatum, ad nihilum valeat, niſi vt mittatur foras?*

56. VALDE rigidam pœnam ſali infatuato, ſeu Prælatis, ſuum munus non adimplentibus, apponit Dominus, quod ad nihilum valet, niſi vt mittatur foras. Nam ſunt multæ res, vt ait Maldonatus, quæ, ſi vnum vſum amittunt, ad alium accommodantur: verbi gratia, annulus aureus, ſi ineptus ex fornace prodit, non erit accommodatus digito, erit tamen aurifici. Cibus, ſi corruptus eſt, non dabitur homini, dabitur tamen cani. Trita, & perantiqua eſt veſtis, in ſterquilinium mittetur; hominem fouere non poteſt, terram fouebit. Sed ſal, ſi à natura ſua degenerat, nec terram fœcundat, nec in ſterquilinium aliquid valet. Hoc dixit Chriſtus Luc. 14. n. 35. *Nec enim in terram, nec in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur.* Ita doctores, ac Præſules Eccleſiæ, ſi per ſuperbiam infatuantur, ad nihil aliud inſeruiunt, niſi vt mittantur foras, & conculcentur ab hominibus. Vide finem ſuperioris quæſtionis.

Maldonat. Luc. 14. *Prælatus infatuatus ad nihilum vtilis.*

57. Secundò Chromantius. *Infatuati fraude diaboli huiuſmodi homines, amiſſa fidei gratia euaneſcunt. Proiecti itaque huiuſmodi extra Eccleſiam, neceſſe eſt, vt diuerſis vitiis carnis, & variis voluptatibus ſæculi conculcarentur. Quid ſit autem conculcari ab hominibus, etiam Salomon in libro ſuo retulit, cùm de muliere meretrice loqueretur.* Eccleſ. 9. num. 10. *Mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab hominibus prætereuntibus conculcatur.* Vbi explicat Chromantius, quòd conculcari ab hominibus, ſit omnium vitiorum malitia proſterni. Ac proinde Prælati, qui in ſuo munere infatuantur, aditum ſibi parant ad omnia mala, omneſque turpitudines, & in ſuo officio ſunt veluti mulier fornicaria, quæ tanquam ſtercus, & quid obſcœnum à prætereuntibus conculcatur.

Chromant. *Prælatus deficiens in officio ſuo patet omni vitio.*

58. Tertiò. S. Optatus Africanus Mileuitenſis lib. 6. contra Parmenianum. *Beati erant*, ait, *de paupertate ſpiritus. Beati, dum pacifici, totum fuerant condimentum. Poſteaquam erroris diuitias dederunt ſpiritu, & pulmonibus ſuis, facientes ſchiſma, immites inuenti ſunt, & diuidendo Eccleſiam noluerunt eſſe pacifici; ipſi facti ſunt ſal infatuatum, ex quo nihil condiretur, quod Deo de ſuauitate placuiſſent.* Præſul Eccleſiæ, ſi pauper ſpiritu, pacificus, & optimum fidelium condimentum, vt Deo præparet ſuauiſſimum cibum. At verò, ſi ambitioni, auro, & diuitiis ſit deditus, nihil aliud in Eccleſia Dei, niſi diuiſiones molitur, vt aurum rapiat, & eſt tanquam ſal infatuatum, ex quo nihil poteſt ſaporari.

Optatus. *Prælatus ambitioſus nil bonum præſtat.*

59. Quartò D. Thomas. Sal euaneſcere, tripliciter dicitur. Primò liquefactione, quæ fit per humidum, & frigidum. Secundò infatuatione. Tertio euaneſcit, quando omnino deficit. Tripliciter Prælatus, vel doctor euaneſcit. Primò frigore, ſeu timore aduerſitatis, vel humiditate proſperitatis. Secundò infatuatur deuiando à veritate. Tertiò quando omnino deficit. Sed quid ſequitur? *Vt conculcetur ab hominibus*, hoc eſt, dæmonibus. Pſalm. 117. num. 6. *Non timebo, quid faciat mihi homo.* Gloſſa, *diabolus*, nam dæmon aliquando dicitur homo. Vel *Conculcetur ab hominibus*, ſubtus alios in profundum Inferni proiiciatur. Malach. vltimo. num. 3. *Calcabis impios.* Iob 20. numero 25. *Vadent, & venient ſuper eum horribiles.* Hæc D. Thomas. Sal Prælatorum ſæpe infatuatur timore aduerſitatis, vel poteſtatis. D. Chryſoſtomus homil. 15. *Non enim vos oportet maledicta hominum timere, ſed potiùs timendum, ne ſimulatores eſſe videamini; tunc enim infatuati eritis, & conculcati.* Prælatus non debet timere, ſed timeri. Infatuatur, ſi deficit à veritate: nam laus Prædicatoris, & doctoris eſt, veritatem proclamare. Infatuatur ſuperbia: verùm, qui ſupra omnes ſe eſſe exiſtimabat, iuſto Deo iudicio, etiam

D. Thom. *Prælatus, ſi timore tangitur, inutilis fit.* Pſal. 117. Gloſſa. Malach. vlt. Iob 20. Chryſoſt. *Superbus in Inferno eſt in loco inferiori.*

etiam in inferno eſt inferior omnibus, & ſub omnium pedibus proiectus, vt docet D. Thomas *citatus*.

60. *Doctor ſcientia ſua inflatus, conculcatur.* Rom. 1.

Quintò. Euanaſcit ſal, hoc eſt, doctores, & magiſtri, dum ſcientia ſua inflati, buccinis eam conclamantibus, vani facti ſunt, & ignorantes, & ita in ſuis opinionibus ab omnibus conculcantur. Rom. 1. num. 21. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Euaneſcit ſal, nempe Prælatus ſua dignitate, & prælatione; ipſe enim magnitudine ſua decreſcit, ac ruit. De his loquitur Pſalmographus Pſalm. 72. num. 18. *Deieciſti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt.* Eorum deſcenſus, ac deſolatio extitit ipſorum eleuatio. Bernonius Abbas. *Eorum eleuatio, deiectio eſt: quo enim celſius ruinoſa conſcendunt, eo ipſo periculoſius ruunt; ſic enim efferri, iam cadere eſt. Subitò deſolatus apparet, qui tanta felicitate pollebat.*

*Prælatus ſuperbus ſua magnitudine decreſcit.* Pſalm 72. Bernonius.

61. Sextò. Poſtquam Dominus ſuos appellat ſal, proponit pœnam, & ſupplicium ipſius ſalis, ſi à ſuo inſtituto, ac natura defecerit: ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Dum Dominus ſuos dicit ſal, ſublimem, & præexcelſam totius Orbis dignitatem, in eis declarat, & manifeſtat. Sed ad quid ſtatim præfixam pœnam, ſi ſal euanuerit, in eos infligit? Nulla eſt tàm magna dignitas, quæ penſionem, onuſque ſuum annexum non habeat. Deinde poſt datum munus, ſupplicium illius, qui in eo defecerit: quia quos beneficia non obligant, imminens pœna, ac caſtigatio cautos, circunſpectoſque reddit.

*Quos beneficia non obligant, ſupplicia cautos reddunt.*

62. Exod. 10. Cùm Pharao in ſua inobedientia de populo non dimittendo eſſet obduratus, antequam locuſtarum plaga vexaretur, *Dixit Dominus ad Moyſem: Ingredere ad Pharaonem; ego enim indurauì cor eius, vt faciam ſigna mea hæc in eo, & enarres in auribus filij tui, & nepotum tuorum,* Exod. 10. num. 1. Sed ad quid Deus mandat, quòd Populus edoceat filios, & nepotes ſuos vexationes, & plagas impoſitas Pharaoni? Quòd Deus velit, vt ſeniores Iſraël inſtruant filios ſuos, quomodo ipſe eos liberauerit de dignitate Ægyptiorum, *Exod.* 13. *num.* 9. Quomodo ad eorum ingreſſum exſiccatus eſt Iordanis; & ideo duodecim lapides poſiti ſunt in medio: *Quando interrogauerint vos cras filij veſtri, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides? Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ,* Ioſuë 4. num. 6. Quòd beneficiorum recordentur ad gratulationes; optimè ſanè. Verùm ad quid ſupplicia, Pharaoni inflicta, per ſingulas generationes ſunt narranda? Deus, qui totus eſt miſericors, ad quid ordinat, eius caſtigationes commemorari? Si beneficia data filios Iſraël in obſequio eius non aſtringerent, ſaltem ſuppliciorum metu à malo præcauerent. Lyranus, *Plaga Ægyptiorum*, ait, *ſit eruditio filiorum Iſraël, ne ſimiliter indurentur, & eadem patiantur.*

Ioſue. 4. *Quos beneficia nō aſtringunt, ſupplicia obligant.* Lyran.

63. Matth. 27. Ad triumphum glorioſiſſimæ mortis ſuæ eligit Dominus locum caluariis, oſſibus, ac cadaueribus plenum. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt, caluariæ locus,* Matth. 27. num. 33. Mons ille ita dicebatur, quia ibi caluariæ iacebant damnatorum per iuſtitiam publicam, ac ibi delinquentes contra leges puniebantur, vt notant D. Hieronymus, Albert. Magnus, D. Thomas, & alij. Sed ad quid ad ſummum beneficium Redemptionis generis humani eligitur locus punitorum? Quid rigor iuſtitiæ cum tanta miſericordia? Quid caſtigatio cum tanta beneficentia? Alto conſilio ad Redemptionem generis humani aſſumitur locus in ſe, & nomine ſuo oſſibus conſpicuus: ſi enim ſumma Dei miſericordia homines non alliceret ad virtutem, ac ad mandatorum Dei obſeruantiam, ſaltem obiectum monimentum punitionis, ac caſtigationis homines refrænaret à malo, contineret in iuſtitia. D. Paſchaſius lib. 12. *Caluariæ locus*, ait, *decollatorum erat, & eorum, qui diuerſis in mortem afficiebantur cruciatibus. Ibi crucifigitur Dominus. Et quomodo pro nobis maledictum factus eſt in cruce: ſic pro omnium ſalute, quaſi noxius inter noxios, flagellatus ſuſpenditur.*

Hieron. Alb. Magn. D. Thom. *Quos miſericordia non allicit, caſtigationis metus trahit.* Paſchaſ.

*Matth. 5. n. 14.* Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Anſelmus.* | Vos eſtis ſimiliter lux mundi. |
| *D. Aug. lib. de ſerm. Dom. in Mont.* | Vos eſtis lumen mundi. |
| *Aliqui codices, vt teſt. D. Paſ. lib. 3. in Mat.* | Vos eſtis lux huius mundi. |
| *Syriacus.* | Impoſſibile eſt, vt abſcondatur ciuitas, quæ ſuper montem ædificata eſt. |
| *D. Hilarius.* | Supra montem ædificata non poteſt occultari. |
| *Vatablus.* | Non poteſt oppidum abſcondi ſupra montem ſitum. |

## *EXPOSITIO.*

64. PROSEQVITVR Dominus ſuum ſermonem Syriorum more, quibus erat familiare, eandem rem multis ſimilitudinibus explicare. Ita Chriſtus Dominus dignitatem, ac officium ſuorum diſcipulorum tribus ſimilitudinibus ſalis, lucis, ac ciuitatis aperit, ac proponit. Vt ita tantis comparationibus maximè in mente diſcipulorum eſſet fixa, & radicata propria ſui muneris obligatio.

*Propria muneris obligatio maximè fixa in mente.*

65. *Vos eſtis lux mundi.* Vos ex mea electione, ac deputatione eſtis conſtituti, vt mundum, errorum, ac falſitatum tenebris obcæcatum, ſplendore Euangelicæ doctrinæ illuminetis. Per *mundum* hîc, homines intelligit, vt etiam docent Chryſoſtomus, & Theophylactus. Imperfectus verò per *mundum* Gentiles intelligit, ſicut & per *terram* Iudæos. De quo quæſt. ſequenti. Apoſtoli dicuntur hîc *lux*, & tamen de Baptiſta ait Ioannes 1. num. 8. *Non erat ille lux*; quod ibi explicat Hugo; quia Ioannis Baptiſmus non dabat gratiam, quam dabat Baptiſmus ab Apoſtolis collatus; ac ſi ipſa res dicatur talis à beneficio, quod præſtat. Veruntamen de Baptiſta, inquit

*Res dicitur à beneficio, quod præſtat.* Chryſoſt. Theophyl. *Imperfectus.* Ioan. 1. Hugo. *Quomodo Apoſtoli, & Baptiſta lux.*



quit Ioannes 5. num. 35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Immò omnes Chriſtiani lux appellantur, ad Epheſios 5. numero 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ac proinde Apoſtoli, & Baptiſta lucebant, per reſpectum ad homines, vita, & exemplo. Tamen comparatione Chriſti, non ſunt lux, ac ipſe eſt. Nam Chriſtus eſt lux per naturam, & eſſentiam; alij verò per donum, & beneficium. Chriſtus eſt lux illuminans intrinſecus per ſuam gratiam, alij verò illuminant extrinſecus per doctrinam, & exemplum.

Ioann. 5. Ad Epheſ. 5.

66. Maldonat. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Maldonatus exiſtimat, quòd deeſt illa prima pars ſimilitudinis: Vos eſtis ciuitas; ſicut dixit: Vos eſtis lux; ſed ſemper eſt ſubintelligenda illa particula. Sed de hoc latiùs infrà *quæſt.* 19. Comparat Dominus ſuos ciuitati ſupra montem ædificatæ. Per montem intelligit Auguſtinus, S. Thomas Eccleſiam in Chriſto fundatam. Albertus Magnus *montem* omnium virtutum. Beatus Eſaias Abbas *Orat.* 7. *de virtutibus*, ait, denotari hîc montem charitatis. Sed Dominus hîc ſimpliciter quandam facit comparationem, & ſuos comparat ciuitati, ſicut comparauit ſali, & luci. Sicut enim ciuitas, ſuper altiſſimum montem conſtituta, omnium præuia eſt oculis, & ſui non poteſt ſubtrahere conſpectum; ita vos ante omnium oculos poſiti eritis; & ita date operam, vt ſic luceat lux veſtra exemplo, ac doctrina coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Ne exiſtimetis, quòd terrore, vel metu poteritis abſcondi: eſtis ciuitas ſupra montem poſita ante omnium conſpectum, quæ occultari non poteſt. Et per hæc ſuos Dominus exhortatur. Et prudentes viros maximè facit cautos ante omnium oculos poſitos ſe videre.

Auguſt. D. Thom. Albert. Mag. Eſaias Abb.

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Dominus ſuos priùs ſal vocauit, & poſtea lucem?*

67. Imperfectus. AD propoſitam quæſtionem multipliciter reſpondet Imperfectus *homil.* 10. Et incipiamus ab eius vltima ſolutione. Et ait, Apoſtolos vocari ſal terræ per reſpectum ad Iudæos, primo loco vocatos, iam Deum cognoſcentes; in qua cognitione eos debebant conſeruare, quod eſt proprium ſalis. Vocantur autem Apoſtoli lux comparatione Gentium, quæ fuerunt ſecundo loco vocatæ, quas illuminare, & docere, quod eſt proprium lucis, Apoſtolis incumbebat. Sed rectè Maldonatus obſeruat: hoc eſſe nimis argutum, & non ſatis verum. Nam ſcientia, & cognitio Dei in Iudæis erat valde obſcurata, & obtenebrata. Et ita eis dixit Chriſtus Dominus: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis,* Ioan. 8. n. 19.

*Explicatur ſal per reſpectum ad Iudeos; lux in ordine ad Gentes.* Ioan. 8.

68. Imperfectus. Secundò reſpondet idem Imperfectus: *Apoſtoli, cæterique doctores, ſal quidem ſunt populi Chriſtiani iam cognoſcentis Deum, ſeruantes eum in ipſa agnitione Dei, & ſanctitate. Lux autem ſunt gentium, producentes eas ad ſcientiæ lumen.* Et poſtea ſubdit: *Quia prioris loci eſt, ſeruare, quos habes; ſecundi autem vocare, quos non habes.* Pondera vltima verba. Eccleſiaſtici Præſules dicuntur ſal, & lux: ſal in ordine ad populum Chriſtianum, quem ſub ſua iam ditione habent, & tenentur conſeruare (quod eſt proprium ſalis) in fide, charitate, & ſanctitate morum. Lux verò reſpectu Gentium, quas debent illuminare. Meritò ergo priùs ſal, deinde lux dicuntur. Priùs enim homo ſit intentus ad conſeruandum ea, quæ ſua ſunt, & ad ſuum gregem pertinent; poſtea verò applicet animum ad acquirendum ea, quæ foris, & veluti extranea conſiſtunt.

*Priùs intendas conſeruare ea, quæ tua ſunt, & poſtea acquirere extranea.*

69. Imperfectus. Abulenſ. Hugo. Tertiò idem Imperfectus, Abulenſis, Hugo. *Priùs ſal, poſtea lux. Quia prius eſt bene viuere, ſecundum autem bene docere.* Nam per bonam conuerſationem, ſeu bonam vitam aſcenditur ad ſcientiam ſine dubio. Per ſcientiam autem, neſcio, an omnino ad bonam conuerſationem veniatur. Propter hoc, ſcientes multos ſine timore Dei vidimus; timentes autem Deum ſine ſcientia nullos videmus. Pſalm. 118. num. 100. *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui.* Iob 28. num. 28. *Timor Domini ipſe eſt ſapientia; & recedere à malo intelligentia.*

Pſal. 118. Iob 28.

70. Chryſoſt. Quartò Chryſoſtomus homil. 15. *Priùs ſal poſuit, deinde lumen, vt diſcas, quantum ſit verborum aſtringentium, ac mordentium lucrum, quantum commodum honeſtæ, rectæque doctrinæ. Hæc ſiquidem aſtringit animos, facitque attentiùs ad lumen veritatis aſpicere, ad quam velut apprehenſa manu pertrahit audientes.* Sal ob ſuam acrimoniam denotat verba, quæ cum reprehenſione pungunt; & hæ maximè præparant animum ad bonam doctrinam, ac inſtructionem ſanctè, piéque viuendi. Nam ſicut prius eſt, vitia deponere, peccata relinquere; deinde rectitudinem iuſtitiæ, ſanctitatiſque amplecti: ita prius eſt, adhibere verbum morditiuum ad deteſtanda, reprehendendaque peccata, & poſtea inſtructionis rectè viuendi documenta proferre: nam horribili nequitiarum execratione, audiens animus ad ſanctam doctrinam fit auidus, atque attentus; *& veluti apprehenſa manu ad eam pertrahit.* Et ita hîc etiam ait Euthymius: *Prius eſt, à putredine liberari, & poſtea erudiri.* Prius eſt animus ab ægritudine liberandus, documenta verò ſanitatis poſtea danda.

*Priùs à putredine peccatorum liberandum; poſtea in recta vita docendum.* Euthym.

71. Anſelm. Quintò. D. Anſelmus ait. *Apoſtoli ſal, & lux: poſtquam aliquos enim illuminauerint, eos in bono propoſito debent ſeruare, & vermes vitiorum extinguere, & omnem exſiccare carnalitatem.* Ei, qui creat, conſeruare incumbit: lux creat, ſal conſeruat. Sed cùm hoc ita ſit, videbatur prius dicendum: Vos eſtis lux, quæ creationem importat; deinde ſal, quod denotat conſeruationem. Magno tamen fundamento primo in loco ponitur ſal, ſecundo lux: ita enim eſt conſeruatio creationi affixa, vt qui creare determinat, priùs quodammodo debeat de conſeruatione cogitare. Si enim princeps aliquem in dignitatem non elegiſſet, nullum in eum eſſet collatum beneficium: ſi autem ab ipſo honore repellatur, opprobrio afficietur, & magnam ſæpe patietur iniuriam. Vide *c.* 6. *n.* 14. *& lib.* 1. *c.* 1. *n.* 51. *& lib.* 2. *c.* 3. *n.* 12.

*Qui creat in dignitate, conſeruare tenetur.*

72. Sextò. Sal quid vile, & abiectum: lux verò quid excellens, & valde nobile. Et qui in dignitatis eſt apice, priùs, & maximè ante oculos habeat, quod eſt humile, & inferius, ne ſuperbia efferatur. Septimò. Sal quid depreſſum, & humile: lux verò valde illuſtris, & præexcellens.

*In dignitate abiecta, ante oculos habeantur. Nobilis quocunque in loco non diffidit; ſecus ignobilis.*

Meritò ergo in poſteriori narratione lux veniat; ſuæ enim valde certa nobilitatis quocunque loco contenta erit, atque ſecura. At ſal, cùm ſit valde abiectum, poterit ſe exiſtimare contemptum; & ne in diffidentiam abeat, primus ei locus concedatur. Vide *lib.1.cap.1.numero 143. & lib.2.cap.5.numero 16. & in hoc lib.cap.6.num.46.*

*Diſcipuli agnoſcant ſe humiles, & nos eos in magna reuerentia habeamus.*

Ex quo etiam obiter nota quòd Apoſtoli dicuntur ſal, & lux, tam propter ſe quàm propter nos. Lux quid maximè nobile, ſal quid valde abiectum; ſi enim ipſi ſe conſiderarent vt lucem, ne ſuperbia extollantur, ſciant quòd in eis humilis ſalis conditio non denegatur, & etiam propter nos ita dicuntur; quia ſi diſcipuli nobis viderentur eſſe in contemptum, quia abiectæ ſalis naturæ ſimiles exiſtebant, nobis etiam in magna reuerentia eſſent, quia in eis ſplendor lucis perfulgebat.

73. *Prius in ſe Prælatus, exequatur rigorem, ad quem alios hortatur,*

Octauò. Priùs comparantur ſali, deinde luci: nam ſal maximè conſtringit, ac comprimit. Prælatus, ac Prædicator priùs ſemetipſum debet aſtringere, ac reformare in vita, & moribus; & poſtea alios docere, & illuminare. Magiſter priùs ſe ipſum virtutum, iuſtitiæ, ac doctrinæ documentis accingat; deinde ad ſemitam rectè, honeſtéque viuendi amplectendam hortetur & alios. Eleganter hoc docet D. Gregorius (Gregor.) Magnus *lib.1.Reg.cap. 9.n. 2.* ad illa verba: *Erat ei filius*; ſic ait S. Doctor: *Boni doctores pleni in ſe ipſis ſunt affluentes aliis: & de abundantia ſui aliis tribuunt.* Boni Magiſtri priùs in ſe ipſis pleni ſunt, & ex ſui abundantia, ac plenitudine aliis communicant, bonamque in eos deriuant diſciplinam.

74. Pſal.44.

Ait Regius Vates *Pſalm.44.numero 4.* loquens de Chriſto Domino communi omnium magiſtro: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Et poſtea *numero 6.* ait: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* In vtroque loco per gladium, & ſagittam intelligit prædicationis verba, vt docent Diuus Auguſtinus, S. Remigius, Chryſoſtomus, D. Thomas, & alij (Auguſt. Remig. Chryſoſt. D. Thom.). Sed cur victoriæ gloria: *Populi ſub te cadent*; non decantatur, cùm commemoratur gladius: *Accingere gladio tuo*; ſed dum de ſagitta fit mentio: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* Quod etiam notauit Lorinus (Lorin.). Inter vtraque arma bellica, hoc eſt diſcrimen, quòd gladius ſecat, vulnerat, ac interficit alios: ſagitta verò antequam collimetur ad ſcopum, ad pectus ſagittarij ponitur; & antequam è arcu emittatur, ac alios pungat, priùs ipſum ſagittarium tangit. Bene ergo totus triumphus ſagittæ aſcribitur; ea enim Prædicatoris verba aliis proficiunt, quæ antequam ex arcu emittantur, ac ab ore exeant, priùs ipſum Prædicatorem attingunt, & pungunt. Diuus Iſidorus Peluſiota (Iſid. Peluſ.) *lib.3.Epiſtol.202.* ſic ait: *Sermo actione,* ſcilicet operatione doctoris, *deſtitutus, non vltra aurem graſſatur: qui autem ab actione animatus eſt, vt qui acris, & efficax ſit, alte penetrat, animumque attingit.*

*Prædicator ita verberet auditores verbo, vt in ſe exiquatur.*

75. Pſal.7. Ezech.30.

Multoties in Scriptura introducitur Deus habens gladium. Pſalm. 7. num. 13. *Gladium ſuum vibrabit,* Ezech. 30. num. 24. *Daboque gladium meum in manibus eorum,* numero 25. *Cùm dedero gladium meum.* At in Apocalypſi apparet: *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat,* Apocal. . numero 16. (Apocal.1.) Qui, vt explicant graues Recentiores, inter quos eſt Mendoça (Mendoça.) 1.*Reg.cap.5.* verſu 6.num. 9. *habet duos mucrones.* Cur verò in aliis locis gladius tantùm; hîc autem deſinens in duo acumina? Alibi denotabatur gladius materialis; hîc verò erat gladius prædicationis, ac doctrinæ, vt ibi explicant Diuus Ambroſius, Andreas, Primaſius, Aretas, Anſbertus (Ambroſ. Andreas. Primaſius. Aretas. Ansbert.), quo procedebatur ad arguendos, ac reprehendendos Epiſcopos Aſiæ. Per quod denotatur, quòd gladius materialis vno cuſpide terminetur ad vulnerandum, ac occidendum. At verò gladius prædicationis duo habeat acumina, vnum, quo auditores pertingat; alterum, quo ipſummet Concionatorem penetret: & quando mucro gladij verbi Dei exit ad auditores, iam alter mucro in corde Prædicatoris ſit infixus. Aliter enim verba efficacia non erunt. Caſſianus (Caſſian.) collat. 11. cap. 4. *Nunquàm erit efficax, ait, inſtruentis auctoritas, niſi eam affectu operis ſui cordi affixerit auditoris.*

*Prædicatio prius penetret prædicatorem, quàm ad auditores tendat.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare Apoſtoli dicantur lux?*

76. IAM aliquas huius difficultatis rationes attigi ſuprà *quæſt.5.num.4. & 44.* & infrà etiam *q.12.* quaſdam dabo. Nunc verò alias proferamus. Communis ſolutio ſanctorum Patrum, Hilarij Diui Auguſtini, D. Hieronymi, Chryſoſtomi, & aliorum (Hilar. Auguſt. Hieron. Chryſoſt.). Dicuntur Apoſtoli lux: quia mundum, errorum, vitiorúmque caligine obtenebratum, luce vitæ, Euangelicæque doctrinæ illuſtrarunt, ac illuminarunt.

77. Secundò Anſbertus (Ansbertus.) in cap. 1. Apocal. *Dominus Apoſtolis ſuis dicit: Vos eſtis lux mundi; qui videlicet non ſolùm lucent, ſed & ardent; quia verba eorum lumen ſcientiæ ſimul, & amoris incendium præbent.* Lux illuminat, & ardet: in Prælato reſplendeat ſcientia, & ardor charitatis, per ſcientiam ſubditos dirigat, per charitatem diligat, foueat, ac recreet. Tertiò. Simon Caſſianus (Caſſian.) lib.8.cap.16. *Lux, non ad ſe ipſam, ſed ad alios eſt creata.* Lux, vt dixi citata quæſt. non ſe ipſam illuminat, ſed alios.

*Prælati luceant, & ardeant.*

78. Quartò. Diuus Paſchaſius (Paſchaſ.) lib.3. in Matth. *Apoſtoli, cùm eſſent filij tenebrarum, facti ſunt per gratiam Spiritus ſancti lux in Domino, iuxta quod ſcriptum eſt: Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt,* 1. Corinth. 6. numero 17. (1.Cor.6.) Et poſtea iterum ait: *Luci adhærentes, lux eſſe meruerunt.* Illi tenebrarum filij erant; Chriſtus Dominus autem lux eſt mundi: & quia illi Chriſto adhæſerunt, lux eſſe meruere; tantum enim de optima ſocietate percipitur, vt qui tenebræ erant, luci appropinquantes, lux ſint effecti. Quintò S. Anaſtaſius Sinaita (Sinaita.) in Hexaëmeron. *Lux oritur in cælo, fulget in terris.* Lux cæleſtis eſt, & radiat in terra: ſic & Prædicator conuerſatione totus ſit cæleſtis; ſuæ tamen doctrinæ radios in peccatorum terram diffundat, vt eos illuminet, atque illuſtret. Sextò. Peroptimè doctrina luci accommodatur; debet enim, vt lux meridiana, clara eſſe, & manifeſta. Vide *cap.7. numero 27. & 28.*

*Magna vtilitas ex bona ſocietate.*

*Doctrina clara, & lucida ſit.*

79. Septimò. Lux apud antiquos gratitudinis ſymbolum fuit: ad quod fortè alludit Iob 38.num.7. (Iob 38.) *Cùm*



*Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina.* Nam lux non ſibi laudes procurat, ſed in ſui creatoris laudem omnium excitat animos. Ita bonus Prædicator, non humanæ gloriæ ſibi quærat vanitatem, ſed ad Dei gloriam, & exaltationem in omnibus moueat auditores. Ita ait D. Bernardus (Bernard.) epiſtol.42. *Puritas cordis in duobus conſiſtit; in quærenda gloria Dei, & vtilitate proximi.*

*Gratus ſui creatoris gloriam quærat.*

80. Ambroſ. *Laus prælaturæ odium iniquorum.*

Octauò D. Ambroſius. *Lux oculis puris eſt amabilis, quæ ægris eſt odioſa.* Bonus Præſul inſtar ſit lucis: in regimine taliter ſe habeat, vt à bonis, probiſque ametur, & in magno pretio habeatur; ægris autem, & deprauatis, morum honeſtate ſit inuiſus, & in odio habitus: odium enim iniquorum laus præfecturæ aliquando, vt alibi dicam. Nonò. Lux illuminat loca fœtida, & putrida; ab iiſque non ſordidatur. Ita bonus magiſter carnalem, vitioſumque hominem doceat, vt eum emendet, nullamque ab eo contrahat labem.

81. *Præſul ſine aliorum obſcuratione fulgeat.*

Decimò. Lux omnes illuminat, obſcurat neminem, nec ex alicuius obtenebratione ſuum ſplendorem adauget. Immò potiùs tunc ipſa radiat, cùm illluſtrat, ac illuminat alios. Bonus Præſul ita ſuos flores, ſplendoreſque ſpargere velit, vt alios non obtenebrare, ac infuſcare intendat: ipſeque ne ita creſcat, vt totus ad aliorum diminutiones rapiatur. Humanum vitium, alterius nebulam proprios radios computare. Præclara verò excellentia, ſplendeſcere ſine alicuius luminis ſpoliatione. *Tu fabricatus es Auroram, & Solem,* Pſal.73.num.16. (Pſalm.73.) Sol regius planeta, & valde nobiliſſimus: cur ergo ei antefertur Aurora; ipſeque ſecundo loco ponitur? *Radiante aurora,* vt ait Incognitus (Incogn.), *ſtellæ micant.* At Sol ita ſuæ eſt nobilitatis auarus, vt primo ſui conſpectu omnia alia lumina, Lunam, ſtellas, ac etiam paruam candelam ab omni luce denudet, cunctaque ſub offuſcatione concludat, itaut ad ſui exortum omnia deficere videantur. Qui ergo ſuam lucem tantùm ſpargit, & aliorum lumina ita deprimit, meritò, quanuis regius, natura deprimatur, & dignitate à primo deponatur loco, in ſecundoque ſcribatur. Vide hoc lib. *cap.3.quæſt.9.num.45. & 46.*

*Qui, vt fulgeat, alios obtenebrat, à dignitate decidit.*

82. *Prælatus omnibus ſeruiat ſine lucri expectatione.*

Vndecimò. Lux illuminat, fouetque omnes, atque ſuo concurſu ad omnium ſublunarium generationem, & conſeruationem influit: à nullo tamen lucrum quærit, nec ab aliquo emolumentum expectat. O optima gubernatoris forma, ſine proprio lucro omnibus proficere; omnium commodis, vtilitati inſeruire; nihil ab aliis affectare, niſi quod in eorum opportunitatem cedat.

83. Præſides, ac dominatores, quos Deus in toto terrarum orbe conſtituit primos, Sol, & Luna extitere. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti,* Geneſ.1.num.16. (Geneſ.1.) Legit Vatablus (Vatabl.): *In dominatum diei, & in dominatum noctis.* Sed cur tantus honor his planetis defertur, vt primi Præſides creentur? Et, quod plus eſt, in eis nobis inculcatur forma optimi principis, vt tradit Caſſiodorus (Caſſiod.) *lib.5. variar.* Quid in illis apparet, quod in tantam dignitatem, ac documentum cedit? Hæc duo lumina, quanuis tam præclara, ac nobiliſſima, ſine proprio lucro omnibus inferioribus, tam magnis, quàm paruis, neceſſaria miniſtrant, omnes fouent, tuentur, atque conſeruant. Optimè ergo in eis præſcribitur forma omnibus gubernatoribus, vt diſcant, abſque proprio commodo inferioribus inſeruire. Oleaſter (Oleaſter.) *Vides,* ait, *quot, & quanta terræ luminaria præſtent miniſteria, nihil lucri ex ea ſperant, neque dedignantur, cùm tam ſublimia corpora ſint, infimo elemento terræ, tot ſcilicet, præſtare miniſteria. Quo exemplo docentur principes, nobiles, & ſublimes inferioribus, cùm opus ſit, miniſtrare.*

84. Cùm ſeruus Abrahæ, ad quærendam domino ſuo ſponſam, perueniſſet ad fontem; cumque à Deo maximè exoraſſet, vt viam eius dirigeret, ait: *Puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa reſponderit: Bibe; quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac, vt per hoc intelligam, quòd feceris miſericordiam cum domino meo,* Geneſ.24.num.4. (Geneſ.24.) Cur pro agnoſcenda electa ſponſa domini ſui Iſaac hoc petit ſignum? Cur non ait: Puella, cui ego dixero: Da mihi bibere; & ipſa obtulerit mihi cibum ad comedendum, vel hoſpitium ad me recipiendum, vel interrogauerit me: Quis ego ſum; vel aliquid à me quæſierit? nullum horum in ſignum petit. Sed puella, cui ego dixero: Da mihi bibere: & ipſa reſponderit, quin & camelis tuis aquam præbebo, ipſa eſt præparata vxor domini mei. Quid apparet in hoc facto magnum regiæ dignitatis præſagium? Statuit ſibi homo, quòd illa ſolùm erat apta, vt eſſet materfamilias, domina, & gubernatrix ampliſſimæ poſſeſſionis, ac familiæ Abrahæ, quæ eam animi regalitatem obtineret, vt abſque vllo propoſito lucro, illiuſque expectatione, non ſolùm magnis, vtpote Eleazaro, conſuleret; verùm etiam paruis, ac infimis, vt camelis, & ſeruis, attenderet, neceſſariaque omnibus præberet, ac ſuppeditaret. Abulenſis (Abulenſ.). *Hoc poſuit Eleazer cautè, quòd enim aliqua puella videret hominem alienigenam, libenter, & ſine petitione daret ei, & camelis ſuis potum, valde magna bonitas videbatur.*

*Præſagium boni gubernatoris, omnibus conſulere.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Abrahamides nuncupentur pluraliter plures ſtellæ, & luces, & Apoſtoli ſingulariter, cùm ſint multi, dicantur ſingulariter lux?*

85. ABRAHAMI filij appellantur à Domino ſtellæ pluraliter: *Numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum,* Geneſ.15.num.5. (Gen.15.) & 22.num.17. & 26. num.4. At vero ſuis diſcipulis ait Dominus: *Vos eſtis ſal terræ; vos eſtis lux mundi.* Cùm diſcipuli multi extarent, eos, non luces, ſed lucem Dominus vocat; at verò Abrahamides multæ luces, multæ ſtellæ dicuntur. Cur diuina veritas in his comparationibus non obſeruat eundem modum? Si Iſraëlitæ dicuntur plures ſtellæ, Apoſtoli etiam quare non dicuntur multæ luces? Et ſi Apoſtoli vna lux nuncupantur, cur etiam Abrahamides vna ſtella, vna lux non vocantur? Vnde hæc diuerſitas?

*Ratio difficultatis.*

86. Vt reſpondeam ad quæſtionem, ſuppono ex ſententia multorum Patrum, & docet D. Auguſtinus (Auguſt.) contra Fauſtum cap. 2. *Temporalium qui-*



*dem,*

*dem*, ait, *rerum promiſſiones veteri Teſtamento contineri*, *nemo ambigit*; *& quòd æternæ vitæ promiſſio*, *regnumque cælorum ad nouum pertinet Teſtamentum.* Hoc ſuppoſito. Reſpondeo ad quæſtionem.

*Solutio quæſtionis.*

Abrahamides comparantur, non ſtellæ, ſed ſtellis; non luci, ſed lucibus; quia in illis promiſſio dirigebatur ad bona temporalia, in quibus interuenit diuiſio, ſeparatio, ac multitudo. At Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos comparat, non luminibus, ſed luci: loquebatur enim Dominus de gratia, charitate, cæteriſque ſpiritualibus donis, in quibus debebant reſplendeſcere; & quanuis Apoſtoli in ſe multi eſſent, ipſa tamen gratia, ac charitate ita vniendi, aduinculandique erant, ac ſi vnus in eis ſpiritus, vnaque voluntas eſſet, & ideo omnes, non luces, ſed vna lux dicuntur.

*Bona temporalia diuiſionem pariunt, gratia vnionem.*

Vbi bona temporalia apparent ſtatim diuiſio, ac multitudo ſequitur; at ſi gratia cœleſtis fulget, intima coniunctione conglutinantur omnia.

87. Suam Iſaias ſublimem viſionem deſcribens ait, quòd vidit Dominum in præexcelſo maieſtatis throno, quem circunſtabant Seraphim; & inquit: *Clamabat alter ad alterum*, *& dicebant: Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum.* Et addit Propheta: *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis*, Iſai.6.n.3. & 4.

Iſai.6.

Confer modò hæc cum iis, quæ à Pſalmographo dicuntur Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.*

Pſalm.13.

Vbi ſermo eſt de Nabuchodonoſore, vt explicant Rabbi Salomon, Lyranus, & alij, qui voluit, vt Deus, ac totius vniuerſi dominus ab hominibus reputari.

Salomon. Lyran.

Et ſtatim ſubiungit Regius Vates: *Corrupti ſunt*, *& abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Maximè ponderatione dignum, quòd, cùm apud Iſaiam multi ſeraphici ſpiritus laudatoriis acclamationibus Dei maieſtatem, *alter ad alterum*, decantarent, dicatur, quòd vna erat vox, *A voce clamantis*; & tamen cùm Pſalmographus vnius hominis inſipientiam dicat, qua totius vniuerſi auctorem recognoſcere noluit, ſtatim tanquam de pluribus ſubinfert: *Corrupti ſunt*, *& abominabiles facti ſunt.* A quo ergo motiuo tanta prouenit dicendi diuerſitas? A nullo, niſi à cœleſtis gratiæ, temporaliumque bonorum natura. Verum eſt, quòd multi erant ſpiritus, qui Dei laudes ſuis vocibus celebrabant; ita tamen cœleſtibus erant adunati donis, vt non niſi os vnum laudans, vna vox clamans: *à voce clamantis*; in eis reperiretur. nam gratia, & charitate ita erant affecti, vt vnitate in eis vnus appareret intellectus, vnaque voluntas, vnaque intentio.

*Gratia facit vnionem in multis; temporalia diuiſionem etiam in vno.*

Peccator autem, qui ob ſuam ambitionem mundum totum occupare voluit, cor ſuum in varias partes ita diuiſum, diſſectumque tenet, vt quanuis vnus exiſtat, multiplex videatur. Gratia verò, quos replet, eſto ſint plures, vnum tamen vnitate efficit. Quod docet Origenes homil. de Elcana.

Origen.

*Omnes iuſti vnum ſapiunt*, *vnum ſentiunt*, *vnum Deum venerantur*, *vnum Dominum Ieſum Chriſtum confitentur*; *vno ſpiritu Dei replentur*, *Vnde meritò & ipſi omnes*, *non ſolùm vnum*, *ſed & vnus dicuntur*: *ſicut Apoſtolus deſignauit*, *dicens*: *omnes quidem currunt*, *ſed vnus accipit palmam*, 1. Corinth.9. num.24. *Vides manifeſtè*, *quia omnes iuſti vnus eſt.*

1.Cor.9.

88. Abrahamus ex Dei mandato ſolemne ipſi Domino ſacrificium obtulit; nempe vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Et addidit ſacer textus: *Qui tollens vniuerſa hæc*, *diuiſit ea per medium*: *aues autem non diuiſit*, Geneſ.15. num.10.

Gen.15.

*In temporalibus diuiſio; in ſpiritualibus vnio.*

Quæſitu dignum, cur illa terreſtria prima animalia tria, vacca, capra, & aries ſecantur in varias partes; cœleſtes autem aues, nempe columba, & turtur minimè diuiduntur? Terreſtria terrenos, boniſque temporalibus deditos adumbrant; & ideo conſequens erat, vt in eis in multas partes diuiſio eſſet, ac ſeparatio. Cœleſtia verò ſpirituales denotant; & ideo intacta manent, in vnaque intima vnione conſeruantur. D.Auguſtin. ſerm.de Quinquageſima. *In Eccleſia*, ait, *carnales diuiduntur*, *ſpirituales non diuiduntur*, *quia amatores mundi contra ſe inuicem diuiſiones*, *& ſcandala habere non deſinunt. Aues autem*, *id eſt*, *ſpirituales*, *non diuiduntur*, *quia eſt illis cor vnum*, *& anima vna in Deum.*

Auguſt.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Apoſtoli non dicuntur ſal mundi, & lux terræ?*

89. SVos diſcipulos Dominus appellat ſal ſal terræ, lucem mundi. Cur è contrario non dicuntur ſal mundi, lux terræ? Vt reſpondeam, aduerto, quòd terra dicit hoc commune elementum, at mundus non ſolum dicit terram, ſed etiam aërem, & cælum, ex quibus omnibus communis hæc machina coaleſcit. Hoc poſito.

*Quid denotet terra; quid mundus.*

90. Reſpondeo primò, quòd ſal ſolùm terrena ſuo ſapore commendat, & condit: at lux, non ſolùm illuſtrat hæc inferiora, ſed etiam aërem, & cælum lucidum reddit. Vnaquæque res ſphæra ſit ſua contenta, ſuumque debitum obſeruet ordinem.

*Vnaquæque reſtet in ordine ſuo.*

Sal, quod terrena ſolùm, ac ea, quæ ex terra naſcuntur, ſapori grata periucundaque facit, ſal terræ dicatur? at verò lux, quæ radiis, ſplendoreque ſuo non ſolùm terram replet, ſed etiam aërem, atque cælum, publicetur lux mundi, ſub cuiùs nomine hæc omnia veniunt, vt dixi in ſuppoſitione. Et ita in hac ſapientiſſimi magiſtri diſpoſitione vnumquodque ſtat in ſuo gradu. Sal, quod ad terrena ordinatur, nuncupatur ſal terræ; lux verò, quæ totam hanc machinam perſpicuam, ac perlucidam reddit, dicitur lux mundi. Vide *lib.3.cap.3.num.*114.

91. Secundò. Non dicuntur, lux terræ, ſed mundi. Terra dicit hæc inferiora: at mundus, non ſolùm denotat infima, ſed valde præexcelſa, & nobilia, vt aërem, & cælum, vt dixi. Meritò ergo non dicuntur lux terræ, ſed lux mundi; non ſolùm infimorum lux, verùm etiam ſuperiorum, & valde præſtantium; nulla enim eſt tam præclara dignitas, quæ aliena luce non indigeat.

*Nulla eſt tam præclara dignitas, quæ luce aliena non indigeat.*

Ex Dei mandato Moyſes populo proponit, vt omnes offerant hyacinthum, purpuram, aurum, lapides, onychinos, & gemmas ad veſtimenta, *quorum vſus eſt in miniſterio Sanctuarij*, *veſtes Aaron Pontificis*, *ac filiorum eius*, Exod,25. num.7. & 35. num.19.

Exod.25.

Sed cur, vt hæc ab omni mundano cultu omnino eſſent intacta, non denuo creantur à Deo, ſicut ipſe manna in cælo, coturnices in aëre ad populum ſaturandum creauit? Lyppomanus. *Ex datis muneribus exornatur ſuperhumerale*, *&*

Lyppoman.

*Ephod*



*Ephod Aaronis.* nam quanuis ipſe in Iſraël princeps, ſummuſque dignitate eſſet Sacerdos, vt tamen purpura, auro, omnique lapide pretioſo niteret, ac reſplendeſceret, aliorum datis, & oblatis indigebat.

92. Tertiò. Sal hoc habet ſibi proprium, ſterilem reddere terram, vt ſuprà dixi, & in confeſſo eſt apud omnes. At lux maximè fœcundat aërem cœleſtibus influentiis ſuis, quibus redditur potens, vt in omnium ſublunarium generationes, & conſeruationes influat.

*Prædicator non de ſuo commodo, ſed de auditorum vtilitate agat.*

Meritò ergo Apoſtoli dicuntur ſal terræ, lux mundi, ſub quo includitur aër, vt iam dixi. Per quod denotatur, quòd Prædicator ſterileſcat terram ad ſuos prouentus, temporaleſque commoditates; & fertilizet aërem, nempe vocem ſuam (quæ ex ipſo formatur) doctrina, ac charitate, & ſanctis documentis, vt in auditorum animis ſalutares generet pœnitentiæ fructus.

93. Quartò. Apoſtoli, non lux terræ, ſed lux mundi nuncupantur. Nam proprium eſt Chriſti Domini, vt dicatur lux mundi, vt ipſe de ſe ait: *Ego ſum lux mundi*, Ioan.8. num.12.

Ioan.8.

*Chriſtus dignitatem ſuã ſuis communicat.*

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, qui tam præclaram, ac præexcelſam, non ſibi ſoli retinere voluit dignitatem, ſed ſuis etiam communicauit, eiuſque illos participes fecit. Quod pulchrè notauit D. Paulinus epiſtol.4.

Paulin.

*Ita ſe immiſcet nobis Dominus*, *ac nos ſibi conſerit. vt quod ipſe accepit*, *nobis proficere faciat. Sic & honori ſuo implicans ſuos*, *prope omnia nobis etiam nomina ſua communicauit. Et ſicut ipſe de ſe ait*: *Ego ſum lux mundi*; *ita & ad ſuos inquit*: *Vos eſtis lux mundi.*

94. Chriſtus Petrum maximè extollens, eum Eccleſiæ conſtituit fundamentum Matth.16. n.18. *Suprà hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Matth.16.

Et Ioannem eximiis fauoribus condecorans, ei ad recubitum exhibuit pectus. Ioan,13.n.23. *Cùm recubuiſſet ille ſuper pectus Ieſu.*

Ioan.13.

Sed cur Dominus his beneuolentiis potius, quàm aliis præclaris ſignis ſuos proſequitur? Cur aliis honorum monumentis non afficiuntur? Chriſtus, Deus, & homo eſt: vt Deus hoc habet valde excellens, quòd ſit in ſinu Patris. Ioan.1. num.18. *Vnigenitus*, *qui eſt in ſinu Patris*, *annuntiauit nobis.*

Ioan.1.

Vt homo hanc habet excellentiam, quòd ſit Apoſtolorum, ac Eccleſiæ fundamentum: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere*, *præter id*, *quod poſitum eſt*, *quod eſt Chriſtus Ieſus*, 2. Corinth. 3. num.11.

1.Cor.3.

*Dominus in ſuis nos dignitatibus participes facit.*

Hæc verò, quanuis tam præexcelſa, ſuis etiam Dominus communicauit; Petro, vt eſſet Eccleſiæ fundamentum; Ioanni verò ſuum dat ſinum ad recubitum. Et ita, vt Deus, & homo, in ſuis honorandis diffuſiſſimus eſt. D. Gregorius Nazianzen. orat.26. de moderatione ſeruanda, *Vides*, ait, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis*, *magnis vtique*, *& excelſis*, *vtque electione dignis*, *hic petra vocetur*, *atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat*: *ille impenſius ametur*, *& ſupra pectus Ieſu requieſcat.*

Nazianz.

95. Hanc Dei bonitatem, ac magnitudinem imitari debent principes, ac Reges terræ, vt in ſuis honoribus ſubditos comparticipes faciant. Poſtquam vehementi ſatrapum inſtantia Daniel coniectus eſt in lacum leonum, *Ablatuſque eſt lapis vnus*, *& poſitus eſt ſuper os laci*, *quem obſignauit Rex annulo ſuo*, *& annulo optimatum ſuorum*, Daniel.6.num.17.

Daniel.6.

Sed ad quid optimatum ſtemmata hic ponuntur? Nónne ſufficiebat, vt illud foueæ leonum oſtium omnibus eſſet intactum, Regis ibi pendere ſigillum? Ad quid vltra inſignia principum? Quis enim eſſet auſus, debitam Regi violare venerationem, faciliùs contemneret nobilium auctoritatem? Ad quid ergo & Regis, & optimatum imprimitur annulus? Cardinalis Hugo, *Vt clariùs*, ait, *eluceſcat virtus liberantis.*

Hugo.

Darius Rex meritò ſibi perſuaſit, valde magnum, ingenſque eſſe, hominem ſanctum, & innocentem à morte liberare, ac ab iniquorum manibus liberare; ideo ad oſtium ergaſtuli leonum, ſui ac ſuorum ſtemma affixit, vt eximius ille honor, magnaque auctoritas, quæ ex tuenda, ac patrocinanda iuſtitia proueniebat, ſibi, & ſuis eſſet communis.

*Rex ſuos cum ſuis communicet honores.*

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Dominus diſcipulis ſuis non explicet munera, ob quæ dicantur ſal, & lux?*

96. AIT Dominus ſuis Apoſtolis: *Vos eſtis ſal terræ*; *vos eſtis lux mundi.* Cur eis non declarat officia, quæ in illa debebant dignitate perſoluere? Cur eis non ait: Vos eſtis ſal ad condiendum; lux ad illuminandum? Cur ergo hoc ſupprimit, & tantùm ait: *Vos eſtis ſal terræ*, *vos eſtis lux mundi?*

*Difficultas quæſtionis.*

97. Reſpondeo, quòd in ipſamet dignitate, ac prælatura, quæ eis conferebatur, quòd eſſent ſal, & lux, ibi intimè includebantur munera, quæ perſoluere debebant, condiendo, & illuminando: ſemper enim honorum infula, ac præſidentia ſecum deuoluit obligationem, quam vnuſquiſque adimplere in ſuo munere debet: alios illuminando, fouendo, ac conſeruando; hæ enim ſunt prælaturæ penſiones.

*Vnaquæque dignitas ſuã habet annexam obligationem.*

98. *Fecit Deus duo luminaria magna*: *luminare maius*, *vt præeſſet diei*; *& luminare minus*, *vt præeſſet nocti*, Geneſ.1.num.16.

Gen.1.

Sed cur non dicitur, quòd regiis his duobus planetis data eſt virtus ad producenda, conſeruanda, ac nutrienda ſublunaria; Sol enim, & homo generant hominem? Quod etiam notauit Philo *lib. de mundi opificio.* Quare ergo, ſicut dicitur: *Germinet terra herbam virentem*, *& facientem ſemen*, Geneſ.1. num.11. de aquis: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*, *& volatile ſuper terram*, ibid. num.20.

Philo. Geneſ.1.

Cur ergo de Sole, & Luna non dicitur, quòd ad ſublunaria producenda ſuum præſtent influxum? Terræ, & aquis nulla eſt præſidentia data; Deus verò hæc duo creauit cœleſtia corpora, vt præſidendi, ac dominandi obtinerent officium: *Vt præeſſent diei*, *ac nocti*; ideo non fuit vlteriùs neceſſarium, exprimere, quòd producendi, & conſeruandi virtutem haberent, cùm in munere præſidendi hæc intimè includantur.

*Qui præſidẽs conſtituitur, obligationem creandi, & conſeruandi habet annexam.*

*Bene*, ait Rupertus lib.6. in Ioan. *creatus es Rex*, *vt omnibus proficias*, *omnibuſque attendas*; *his enim cogitationibus depingitur regalis purpura.*

Rupert.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Dominus diſcipulis ſuis ſub præcepto non mandet, vt ſe habeant vt ſal, & lux?*

99. *Difficultas quæſtionis.*

AIT Dominus ſuis diſcipulis: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*; cur eis ſub præcepto non iubet, vt in prædicatione totius vniuerſi ſe habeant, vt ſal condiendo hominum mores; & vt lux eorum mentes illuminando? Reſpondeo primò, quòd in eo, quòd Dominus eis manifeſtat dignitatem, in qua erant conſtituti: ibi intimatur præceptum eius penſionibus, ac oneribus ſatisfaciendi, vt proximè dixi ſuperiori quæſt.

100. Secundò. Dominus ſuis diſcipulis proponit honorum culmina, ad quæ eos euexerat, vt totius orbis eſſent ſal, & lux; non tamen ad huiuſmodi munera præſtanda eos aſtrinxit præcepto; eligens magis, ſibi deuinctos, ac obligatos habere vt gratos tanto beneficio accepto, quàm obedientes ſuis legibus, & mandatis. Obediens valde promptus in exequenda Domini iuſſione; ſed animus gratus, voluntate valde paratus, ac diligentia expeditior; memoria enim beneficij ad omnia peragenda alas addit velociſſimas.

*Animus gratus diligentior, quàm obediens.*

101. Cùm Angelus Raphael Tobiæ ſeniori, ac iuniori ſe manifeſtaret, parenti ſenio iam confecto ait: *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebat eos; ego obtuli orationem tuam*, Tob. 12. num. 11. Angelus bona Tobiæ opera commemorat, quòd demortuis dabat ſepulturam, & Deum quotidie exorabat. Cur Angelus ſolùm dicit, quòd ipſe coram Domino orationem eius offerebat? Cur etiam in demortuis tumulandis eximium charitatis opus non deferebat? Raphael cum Tobia loquens multo diffuſior eſt verbis in extollenda eius erga defunctos miſericordia, quàm in eius oratione laudanda. *Derelinquebas prandium, abſcondebas mortuos per diem, nocte ſepeliebas.* Cur ergo etiam Angelus hæc tam magna non obtulerat? Cœleſtis ille ſpiritus à Deo miſſus erat, vt de Tobia curam ageret; at demortuus accepto ſepulturæ beneficio erat maximè deuinctus: quanuis cœleſtes adminiſtratorij eximia celeritate polleant in obeundis negotiis à Deo ſibi commiſſis; gratus tamen animus multo velocior; & quando Raphael ad agendum circa Tobiæ opera ad Dei thronum accedebat, iam gratus demortui animus ipſum præoccupabat, acceptum offerens beneficium, vt pro benefactore ſuo precaretur. Et ita Angelo ſolùm reſtabat, vt circa Tobiæ orationem munus ſuum perageret. Fauet D. Auguſtinus *ſerm. 226. de tempore*, alias in Appendice 65. *Defunctos*, ait, *captiuitatis ſepelire non timuiſti, Tobia. Aſcenderunt ad Dominum opera tua, quia relicto prandio dediſti mortuum ſepulturæ. Ipſe ſepultus pro vobis voce tacita proclamauit.*

Tob. 12. — *Gratus velocior Angelo.* — Auguſt.

102. Mandat Dominus Moyſi, vt vadat ad Pharaonem, eique exponat legationem ſuam, vt dimittat populum Iſraël. Moyſes verò multis verbis, multiſque ſe excuſat rationibus, multaſque opponit obiectiones, vt ab illo ſe munere eximat, vt patet ex *cap. 3. & 4. Exod.* Ei tamen poſtea ait Deus: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7. num. 1. Statim abſque vllo oppoſito verbo, ſine replica, cunctatione nulla aggreditur negotium, ingrediturque ad Pharaonem, ad ſuam legationem exponendam. *Fecit namque Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat ei Dominus*, ibidem num. 6. Cur Moyſes, qui antea pro repellendo officio tot, ac tantas excuſationes afferebat, modò, vt ſe Deum Pharaonis audiuit conſtitutum, nec vnum verbum profert, ſed negotio totum ſe committit, & ad Regem pergit? Moyſes obediens erat, & valde gratus in donis acceptis: quanuis tamen obediens maximè intentat, negotium à ſe dimittere, quod ei mandatis Domini imponebatur: *Vade ad Pharaonem: Ingredere ad Pharaonem.* Tanquam gratus autem, vt magnum ſibi collatum agnouit honorem: *Conſtitui te Deum Pharaonis*; tanto munere pigneratus, abſque vlla cunctatione, quod ſibi mandabatur, totum exequitur: diligentior ſanè, vt gratus tanto beneficio accepto, quàm vt obediens in mandatis iniunctis, Lippoman. poſtquam multis explicat, quòd Moyſes Deus Pharaonis erat conſtitutus, ait: *Fecit Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat illis Dominus. Iam pariter obſequuntur fratres Domino, & diligenter, & fortiter pro fratrum ſalute diſcrimini ſe committunt.* Expende illud, *Iam pariter obſequuntur*; non quando obiectum eſt præceptum, ſed quando propoſitum magnum beneficium.

Exod. 7. — *Gratus obediente velocior.* — Lyppom.

## QVÆSTIO XV.

### *Quare luci offuſcatæ non imponatur pœna, ſicut aſſignatur ſali infatuato?*

103. *Difficultas quæſtionis.*

SALI infatuato præſcribitur pœna; proiicietur foras, & in hominum conculcationem abibit: at verò luci obtenebratæ nil mali pronunciatur; ſicut enim ſal ſuam acrimoniam dimittendo euaneſcit; ita & lux ſplendorem, ac clariratem ſuam deperdendo obtenebratur. Cur verò illic pœna auditur; hîc verò minimè?

104. Chryſoſt. Albert. Mag. S. Thom.

Reſpondeo primò iuxta D. Chryſoſtomum, Albertum Magnum, S. Thomam, quòd ſal vitam, bonamque morum diſpoſitionem denotat in Prælatis, vt ſuprà dixi: at verò per lucem doctrina, & prædicatio ſignificatur. Sali infatuato caſtigatio aſſignatur; non verò luci obſcuratæ. Per hæc nobis Dominus commendat, quàm neceſſaria ſit in Præſule vitæ probitas. Nam quòd aliquando Prælatus ſit remiſſus in docendo, ac exhortando populum ad viam virtutis, quid mali eſt; tempus emendationi concedatur: at verò quòd in Prælato deficiat actionum rectitudo, morum honeſtas, quid omnino intolerabile; ſtatim proiiciatur foras, conculcationi tradatur, ne peſſima ſui mali exempli contagione totum gregem inficiat.

*Vita probitas in Prælato maximè neceſſaria.*

105. Secundò. In ſale, ſi euanuerit, ac fuerit infatuatum, denotantur peccatores, qui per vanam gloriam, vitiaque inueterata euaneſcunt, & à ſuo debito fine diſcedunt. At in luce adumbrantur iuſti, à Deoque electi, qui virtute, boniſque operibus



operibus irradiant. Optima ergo diſpoſitione prædicitur pœna ſali infatuato, quæ non aſſignatur luci obfuſcatæ: nam hoc eſt diſcrimen inter ſal euaneſcens, & lucem obtenebratam, quòd ſi ſal ſuam acrimoniam perdiderit, in ſua putredine remanet; at verò lux, ſi caligine noctis obſcuretur, ſtatim ſequenti die perlucida, & nouo ſplendore exoritur, Ita ſe res habet inter electum, & reprobum; inter iuſtum, & peccatorem. Nam reprobus, ac peccator euacuatus omni bono, & infatuatus, ſuiſque peccatis obſirmatus, in eis conſeneſcit, ab eiſque non vult deſiſtere, nec emendari: & ideo ad nihilum valet, niſi vt mittatur foras. At verò iuſtus, & electus, qui vt lux refulget, ſi aliquando, ob noſtram imbecillitatem, peccati tenebris opprimitur, non ibi ſiſtit, non ibi conſepultus iacet; ſed per contritionem fulgore efficaci diuinæ gratiæ perlucidior, ſplendidiorque exurgit, & procedit, ac antea apparebat.

*Peccator in vitiis ſuis cōſepultus exiſtit: at electus, ſi aliquando peccat, ſtatim reſurgit.*

106. Tertiò. Expende. Sali infatuato vindicta paratur: at verò luci non ſolùm pœna non prænuntiatur, verùm etiam præmium apponitur. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum; qui in cælis eſt.* Lux bonorum operum veſtrorum ita in omnium oculis perfulgeat, vt omnes exurgant in Dei laudes. Vnde tantum diſcrimen? In ſale infatuato ſignificantur peccatores, per iactantiam, vanam gloriam, ac alia vitia infatuati: at verò in luce exprimuntur iuſti. Meritò ergo illic tam dura caſtigatio, hîc verò tantum præmium apponitur. Quia peccatores, vt reſipiſcant, ſuppliciis, ac caſtigationibus trahuntur, ac compelluntur: at verò iuſti, vt perſeuerent, in nouoſque proficiant iuſtitiæ fructus, propoſita Dei gloria, ac magnis præmiis oſtenſis excitandi ſunt, atque mouendi.

*Peccatores trahuntur ſuppliciis: iuſti fauoribus, & præmiis.*

107. Luc. 22. In vltima cœna agens Dominus de proditore Iuda ait: *Væ homini illi, per quem tradetur*, Luc. 22. num. 22. Et ſtatim conuerſus ad ſuos diſcipulos, multa cum eis loquens, inquit: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum*, ibid. num. 29. Cur proditori minatur pœna; Apoſtolis verò indicitur regnum? Si Apoſtolis, vt perſeuerent in iuſtitia, regnum promittitur; cur idem non pollicetur proditori, ſi à ſua nequitia deſiſtat? Vel ſi Iudæ prædicitur pœna mali, cur eadem etiam in electos non fulminatur, ſi à iuſtitia receſſerint? Iniquus, vt moueatur ad nequitiam deponendam, non eſt amore virtutis, ſed ſupplicij metu trahendus. Probus autem, vt in iuſtitia perſiſtat, regno, præmioque alliciendus eſt, ac ſuadendus. Theophylactus. *Proditori*, ait, *adiudicatum eſt, illorum autem, qui permanſerunt in amore erga illum, tantum predixit fore honorem, vt & permanſiſſent in charitate, ac non perdidiſſent.* Vide ſuprà *cap. 10. num. 53. 54. 55. & 56. & lib. 3. cap. 2. num. 28.*

Theophyl.

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Apoſtoli dicantur ciuitas ſupra montem poſita?*

108. PROSEQVITVR Dominus tertiam partem comparationis. Eccleſiæ Præſules vocauit ſal, deinde lucem; nunc tandem ciuitatem ſupra montem. Primò exhortatus eſt eos Dominus ad debitam ſui muneris executionem adimplendam, propoſita celſitudine dignitatis, quæ eis conferebatur, quòd eſſent ſal, & lux totius mundi. Nunc autem eos pignerat, ac cohortatur ad diligentiam bene viuendi, ac ſuo muneri ſatisfaciendi, obiecta eorum propria auctoritate, ac opinione, quæ de eis habenda eſt. Non ſunt, vt ait Chryſoſtomus *homil.* 15. in angulo conſtituti, ſed ante omnium oculos poſiti, omnium dictis, omniumque ſententiis expoſiti. Ac proinde Prælatus, & Sacerdos rectè officio ſuo fungatur; ſciat ſe in omnium oculos incurrere, cùm ſit ciuitas ſupra montem poſita. Vnde ait D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Non poteſt ciuitas ſupra montem præeminentem poſita ſe abſcondere, ne bene, aut malè cùm fecerit, innoteſcat.* Et ad hunc ſenſum dixit Iſidorus lib. 2. de ſomno cap. 18. *Quod minoribus ignoſcitur, maioribus imputatur.*

Chryſoſt. — *Dignitas omnium oculis, ac ſententiis expoſita.* — Paſchaſ. — Iſidorus.

109. Adricom. Secundò Adricomius *in theatro Terræ ſanctæ, in tribu Leui*, ſic ait: *Sacerdotes Leuitici generis eas vrbes incolebant, quæ in aliis tribubus in montibus ſitæ erant, quo commodius, tum ſanctiſſimæ vitæ genere, ſiue exemplo, tum ſalutari diſciplina populum vniuerſum à ſæcularibus tenebris liberarent, & cultu pietatis condirent, atque ita omnes, aut ſanctos, aut minus malos redderent.* In figura Leuiticis hæc eſt conceſſa prærogatiua, quæ poſtea in rei veritate Apoſtolis data, vt eſſent ciuitates ſuper montem; tum quia mons aptus ad doctrinam locus; & ita Chriſtus, vt doceat, montem aſcendit, *Matth. 5. num. 8.* Tum quia in monte ante omnium oculos poſiti, exemplo ſuo rectè viuendi eſſent aliis documentum ad iuſtitiam amplectendam, deponendamque nequitiam.

*Leuitici in monte morabantur, vt alios ſuo docerent exemplo.*

110. Albert. Mag. Tertiò Albertus Magnus ſatis latè explicat, quòd Prælatus ſit ciuitas ſuper montem poſita. Nam ciuitas eſt ciuium vnitas; ita Præſul ſit ſuorum vnio; maximè incumbat, omnes ſuos amore, ac charitate conglutinari. Eſt ciuitas omni virtute bene murata, habens turres, & propugnacula veritatis, ſanctæque doctrinæ. *Turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea*, Cantic. 4. n. 4. Sit ciuitas murata cum propugnaculis, vt omni pro ſuis periculo ſe obiiciat Ezechiel. 13. num. 5. *Non aſcendiſtis ex aduerſo; nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël.* Super montem ædificata in eminentia ſanctitatis, in actiua, & contemplatiua via. Ierem. 31. num. 23. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons Sion.* Ex quo pulchrè Prælatos pungit Tertullianus lib. de cultu fœminar. cap. 13. *Ad quid nos Dominus lumen terræ vocauit? Quid ciuitati ſuper montem conſtitutæ comparauit, ſi non relucemus inter tenebras, & extamus inter demerſos?* Hoc eſt. Quomodo rectè comparamur ciuitati ſuper montem, ſi inter iacentes in vitiorum valle immergimur ibique extamus, atque ab ipſa ima conditione non erigimur.

*Prælatus ſit ſuorum vnio.* — Cant. 4. — Ezech. 13. — Ierem 31. — Tertul. — *Prælatus ſupra virtutis montem ſe erigat.*

111. Auguſt. Quartò D. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum, cap. 17. *Sicut petra Chriſtus*, ait, *ita & mons Chriſtus. Petra humilis fortitudo; mons eminens magnitudo; quia, ſicut Apoſtolus ait: Petra autem erat Chriſtus, & ipſe Dominus: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita; ſe ſcilicet montem, fideles autem ſuos, in ſui nominis gloria fundatos, aſſerens ciuitatem.* Apoſtoli homines humiles,

*grande aliquid, atque præcipuum occultari diutius Deus patitur, ſed ſi tu celabis, ille manifeſtabit.* Quartò. Hanc eandem dubitationem proponens Palatius: Cur non dicitur: Non debet, ſed non poteſt; *vir ſanctus*, ait, *abſcondi non poteſt. Planè, ſi hominis fragilitatem ſpectes, abſcondi poteſt; ſed ſi ingenium charitatis aſpicias abſcondi nequit: nam ipſa ſemper pro omnium ſalute ſe prodit, & manifeſtat.*

Palat. *Charitas abſcōdi nequit.*

125. Lyran. Quintò Lyranus. Ciuitas ſuper montem, abſcondi non poteſt. *Quia*, ait, *bonus Prælatus in perſecutione non debet ſe abſcondere, ſed ad defenſionem gregis ſui ſe manifeſtè oſtendere.* Idem docent Paſchaſius, Abulenſis & alij. Ciuitas ſuper montem, quanuis conglomerentur hoſtes, ipſa abſcondi non poteſt; ſed firma ſtat, & pro ſuis ſe omnibus opponit. Bonus Prælatus in tribulatione non ſe abſcondat, ſed ſtet pro ſuorum defenſione, pro eorunque ſalute periculis ſe obiiciat. Sextò. Ciuitas ſuper montem ſupereminet, non ſolùm vallibus, ſed etiam aliis montibus, & ab ipſis minimè permittit, ſe abſcondi. Boni paſtoris exemplar: non ſolùm in valles, ac humiles ſuum dominatum habeat, & exequatur, verùm etiam in montes, hoc eſt, in potentes; & minimè patiatur, ab ipſis magnatibus ocultari, aç obnubilari in iuſtitia perpetrāda, & legibus adimplēdis.

Paſchaſ. Abulenſ. *Prælatus ad ſuorū defenſionem prodeat.* *Præſul æquè iuſtitiā exequatur in humiles, ac potentes.*

126. Abulenſ. Rom. 1. Septimò. Abulenſis, *Prælatus*, ait, *ciuitas eſt in loco alto poſita, quæ abſcondi non poteſt, quia officium boni Prælati debet eſſe omnibus patens, vt quilibet oppreſſus poſſit Prælatum adire, remedium petens anguſtiæ ſuæ; & ille omnibus communicari debet, ne ſit perſonarum acceptor, quia omnibus debitor eſt, magnis, & paruis, ſapientibus, & inſipientibus*, Rom. 1. numero 14. Prælatus eſt ciuitas in monte poſita, quæ non poteſt abſcondi; ſed omnibus ſit patens, nemini ſit recluſus, cunctis eius oſtium apertum exiſtat, vt omnes poſſint ad eum aditum habere, & cum eo facile ſua peragere, ac tractare negotia: Hæc eſt notio boni paſtoris, quòd omnibus ſit peruius; ſicut & mali Regis, quòd vniuerſis occultus habeatur.

*Prælatus omnibus ſit præuius.*

127. Cùm Samuel ex Dei mandato Saulem vngere vellet, & ſimul cum ipſo, eiuſque puero pergeret, cùm deuentum eſſet ad extremam ciuitatis partem: *Samuel dixit Saul: Dic puero, vt antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper, vt indicem tibi verbum Domini*, 1. Reg. 9. num. 27. Et ſtatim ipſum vnxit, *cap.* 10. *num.* 1. At verò aliter ipſemet Samuel vnxit Dauidem in Regem, lib. 1. cap. 16. n. 13. *Vnxit eum in medio fratrum ſuorum.* Cur idem Propheta hos duos homines, deſtinatos in Reges, tam diuerſimodè eſt oleo delibutus; vnum in occulto, itaut ne ab eius puero, itineris comite, hoc agnoſceretur; alterum vero aſpicientibus multis, coram parente ſuo, & in medio fratrum ſuorum? D. Gregor. Magnus ibid. *Oleo quippe*, ait, *in medio aliorum vngitur, quia qui in aliorum exemplum poſitus eſt, nullam ſui partem habere obſcuram debet; & in medio fratrum vngitur, vt vnctum, & medium ſe eſſe ſemper arbitretur.* Nam in ipſa vnctione præſagium dabatur qualitatis vniuſcuiuſque futuri Regis, Saul, qui maximè peruerſus euadendus, in abſcondito oleo deſtinatur in regni clauum: Dauid autem, vt probus, & iuſtus in medio fratrum eligitur: *Medium ſe eſſe arbitretur.* Quia, ſicut ſumma Regis nequitia inde verificatur, quòd ſuis ſit abſconditus; ſic ſumma etiam probitas ex eo declaratur, quòd cunctis ſit præuius, vt omnium cauſas excipiat, Vide *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 29.

1. Reg. 9. 1. Reg. 16. Greg. Magn. *Bonus Rex ſuis eſt patēs; malus verò abſconditus.*

## QVÆSTIO XIX.

### *Quare ſicut Dominus ait ſuis:* Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi; *non dixerit etiam: Vos eſtis ciuitas?*

128. IN hoc mirabili ſermone loquens Dominus, ſuis diſcipulis ait: *Vos eſtis ſal terræ; vos eſtis lux mundi*; & non ait: Vos eſtis ciuitas; ſed abſolutè, *Non poteſt ciuitas abſcondi.* Cur ſuppreſſit illud, *Vos eſtis?* Reſpondet primò Maldonatus. Deeſt prima pars ſimilitudinis: Vos eſtis ciuitas, aut ſimiles ciuitati ſupra montem poſitæ. Et ideo dici poteſt, quòd fortaſſe illa particula, *Vos eſtis*, omiſſa eſt, ne toties repeteretur; nam facile ex ſuperioribus intelligenda venerat; & repetitio eſt fugienda. Vide ſuprà *c.* 3. *n.* 21.

Maldon. *Repetitio fugienda.*

129. Secundò. Dico, in omiſſione illius particulæ magnum myſterium latere: nam in primis duabus comparationibus adducta eſt: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*; plenè, & adæquatè ſali, & luci comparantur Apoſtoli. At verò in hac tertia combinatione non ponitur particula, *Vos eſtis*; ſed abſolutè ciuitas ſuper montem poſita adducitur in exemplum, fortè enim non ita comparantur expreſſè, & adæquatè ciuitati in monte conſtitutæ, ſicut conferuntur cum ſale, & luce. Nam inter duas illas primas, & hanc tertiam comparationis partem hoc eſt diſcrimen; quia ſal non ſe ipſum ſaporat, & condit, ſed alia; lux nō ſe ipſam illuminat, ſed alia; at ciuitas ſupra montem poſita, vt dixi *q.* 16. ex D. Paſchaſio, Alberto Magno, S. Thoma, & aliis, eſt valde firma, & ſecura, ac inexpugnabilis, & maximè ibi ædificata, & conſtituta ad ſui, ac ſuorum, quos in ſe continet, defenſionem; in eoque loco ad magnam etiam ſui auctoritatem, ac præeminentiam ſita eſt. Bene ergo Eccleſiarum Præſules comparantur magis expreſsè, & veluti adæquatè ſali, & luci, quæ non ſuam, ſed aliorum commoditates reſpiciunt, non verò tam expreſsè, & omnimodè ciuitati ſuper montem, quæ primò ad ſui vtilitatem, defenſionem, & auctoritatem ibi cōſtituta eſt. Præſul enim non ad ſui, ſuorūque prouentus creatur, ſed totus in aliorum ſalutem, ac defenſionem eſt datus.

Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom. *Præſul nō eſt ad ſuas commoditates, ſed ad ſuorū vtilitatem datus.*

130. Iſaias *cap.* 60, *n.* 16. promittit populo Chriſtiano multa bona, magnaſque proſperitates, vt explicant D. Cyrillus, D. Hieron. Procop. Oleaſter, Pintus, Forerius, & alij. Ait Propheta: *Mamilla Regum lactaberis, & ſcies, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Per *mamillam* intelligit Regum bona, vt clariùs habent Septuag. *Diuitias Regum comedes.* Sed cur Propheta inter eximias, quas denuntiat, felicitates, deſcribit, quòd bona Regum, principum, ac prælatorum deriuentur in populos, ſicut lac è mamilla? quod non abundantiam, ſed quandam videtur parcitatem denotare; nam lac guttatim è pectore cadit. Cur ergo non dixit, quòd participabunt bona illa, tanquam è fonte, ac torrente, ſed è mamilla? Magna, præclaraque reipublicæ felicitas, quod Regum, ac principum bona ſint tanquam lac in pectore: nam lac eſt in mamilla, non ad propriam ſuſtentationem, alimentum ha-

Cyrill. Hieron. Procop. Oleaſter. Pintus. Forer. Septuaginta. *Bona Regum ſint, non ad ſui indulgentiam, ſed ad ſuorū ſuſtentationem.*



bentis, ſed ad alterius nutrimentum. Ita optimus gubernator diuitias, bonaque habet, non vt ipſe eis indulgeat, ac foueatur, ſed vt populus ex eis comedat, ac paſcatur. D. Anton. Vlyſſip. ſerm. in Dumin. 4. poſt Pentecoſt. *Regi, ac principi reditus & vectigalia dantur, non vt ipſe ſibi indulgeat, & lautè comedat, ſed vt in populum diffundat, & omnes ſint ſaturati.* Vide *cap.* 7. *num.* 93. & *cap.* 5. *n.* 264. Et ſuprà hoc cap. *n.* 45. 46. & 47.

Anton.

*Matth.* 5. *n.* 15. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper cādelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Neque lumen lucernæ admouent, vt ponant eam ſubter modium, ſed ſuper candelabrū, vt luceat iis omnibus, qui ſunt in ædibus. |
| *Imperfectus homil.* 10. | Quia nec qui accendunt lucernam, ideo eam accendunt, vt ponāt ſub modio. |
| *Radix Græca, vt vult Cornel. à Lapide.* | Neque accendunt lampadem, ſeu facem, ſeu candelam. |
| *Hebræus.* | Ponunt ſub ſato. |
| *Tertull: lib. aduerſùs Hæreticos cap.* 25. | Lucerna non ſub modio abſtrudi ſolet, ſed in candelabrum cōſtitui. |

## *EXPOSITIO.*

131. Paſchaſ. AIT D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Docuit Dominus ſuos ſumma, & ſublimia, quippe vt condiant ſalis officio ad incorruptionem animas, vt illuminent eas ad intelligentiam veritatis, vt defendant, quas acquiſierint, ab impulſu hoſtili; defenſos verò vt accendant ad amorem diuinitatis.* Et in his comparationibus, vt præclarè notat D. Thomas, Apoſtolorum magnalia primò Dominus explicauit per affirmationes: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*; nunc verò per negationes: *Non poteſt ciuitas abſcondi: neque accendunt lucernam.* Tot enim ſunt excellentiæ Apoſtolorum, vt non ſolùm affirmationibus, ſed etiam negationibus exprimantur; ſic etiam Baptiſtæ, non ſolùm affirmationibus, ſed etiam negationibus declarantur à Ioanne *cap.* 1. *à num.* 6. Vide *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 35. Dominus ſuos in hac quarta ſimilitudine comparat lucernæ accenſæ. Et huius ſententiæ breuiter hæc eſt ſumma, vt Apoſtoli, in ſublimi dignitatis gradu conſtituti, acceptam lucem non abſcondant, ſed omnes ſua prædicatione illuſtrent. Tamen ad maiorem claritatem quinque hîc explicanda notat Albertus Magnus. Primum lucernæ accenſio. Secundum locus, in quo non ponitur. Tertium locus, in quo ponitur. Quartum vſus. Quintum ad quos refertur.

D. Thom. *Excellentiæ Apoſtolicæ negationibus explicantur.* Albert. Mag.

132. Primò Accenſio lucernæ. *Neque accendunt lucernam.* Nemo admouet lumen lucernæ, & in abſcondito ponit, vt inquiunt in Chriſti perſona Theophylactus, & Euthymius, *Nec ego vos eo fine diuina ſcientia accenderim, vt abſconderem, ſed vt omnes illuminetis.* Nam, vt ait Chryſoſtomus *homil.* 15. Ego lumen accendi, non propter vos ipſos modò, verùm etiam propter illos, qui illuminandi ſunt. Et bene aduertit D. Paſchaſius *lib.* 3. quòd Apoſtoli ſuperiùs glorioſius ſint lux vocati, nunc autem lucerna. Secundò locus, in quo non ponitur, *& ponunt eam ſub modio*, timoris, vel commoditatis præſentis ſæculi. Ad litteram verò, non ponitur lucerna accenſa in abſcondito, hoc eſt, ſub modio, ſeu vaſe, vt dixit Luc. 8. num. 16. *Nemo lucernam accendens operit eam vaſe.* Tunc enim fruſtranea eſt lucis accenſio. Tertiò locus, in quo ponitur. *Sed ſuper candelabrum*, hoc eſt, in publico, & manifeſto. Nam Eccleſiaſtici, cùm ſint veritatis magiſtri, ſe non abſcondant, vt ait D. Hieronymus, ſed tota libertate ſe prodant; nam quanuis Sancti, vt ponderant Rupert. *lib.* 4. *in Matth.* & latiùs dicam *quæſt.* 21. ob ſuam humilitatem in ſpeluncis, & terræ cauernis ſint abſconditi, vt erant Prophetæ; quando tamen occaſio vrget, in publicum exeunt, & coram omnibus lucent. Myſticè: *Super candelabrum*; hoc eſt, vt ait gloſſa Interlinealis, *Super vitæ integritatem*, ſuper quam ponenda eſt doctrina. Vel ſuper candelabrum, id eſt, Eccleſiam, vt explicant Albertus, S. Thomas. Vel, vt ait Gloſſa, Hugo, lucerna Chriſtus, candelabrum crux, in qua maximè reſplenduit, & illuminauit.

Theoph. Euthym. Chryſoſt. Paſchaſ. Luc. 8. *Actio fruſtranea fugienda.* Hieron. Rupert. *Quando vrget occaſio, in publicū manifeſtandum.* Interlineal. Albert. S. Thom. Gloſſ. Hugo.

133. Chryſoſt. Quartò vſus? *Vt luceat*, hoc eſt, vt illuſtret, & illuminet. Ait Chryſoſtomus *homil.* 15. *in Matth.* in perſona Chriſti: *Ego lumen accendi: vt verò perſeueret ardens, veſtri profectò ſit ſtudij.* Chriſtus nobis dedit lumen fidei, & ſcientiæ; vt tamen hæc lux ardeat, & ne ſit ſub modio, noſtrum requiritur ſtudium, noſtra cooperatio exigitur. Quintò. Ad quos refertur vtilitas: *Luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Omnibus, ait Hugo, ſine vlla diſtinctione perſonarum, ſiue diuitibus, ſiue pauperibus. *In domo.* Per *domum* intelligit D. Auguſtinus mundum. Beda verò, D. Anſelmus, S. Thomas Eccleſiam. D. Paſchaſ. vtrunque ſimul. Et vt explicat Caietanus, luceat omnibus; qui in domo totius mundi ſunt, Eccleſia ſiquidem Chriſti vna domus eſt totius mundi, 1. ad Timoth. 3.

*In donis acceptis conſeruandis noſtra exigitur cooperatio.* Hugo. Auguſt. Beda. Anſelm. S. Thom. Paſchaſ. Caietan.

## QVÆSTIO XX.

### *Quare potius dixit Chriſtus, lucernam non eſſe ponendam ſub modio, quàm ſub alia re?*

134. Iſidor. MODIVS, vt ait D. Iſidorus *lib. Etymolog.* 17. eſt vas in quo menſuranda menſurantur. Modius in ſe vacuus eſt, & ſolùm per ſuperficies exteriores ligneus eſt. Ait Imperfectus *homil.* 10. Modij ſunt amatores mundi, qui quanuis per ſuperficies exteriores videantur habere

Imperfect.

*Prædicatio ſub mundi amore ponenda non eſt.*

habere apparentiam; tamen in ſe ſunt omnino vacui ſpiritualibus,& diuinis; nec enim ſub huiuſmodi mundialibus, ac concupiſcentia mundi prædicatio ponenda eſt,ne ab huiuſmodi mundi amore impediatur, ſed ſuper illum, vt liberè, & expeditè prodeat. Hæc ratio procedit, etiamſi lucerna poneretur ſub quocunque alio operiente vaſe.Noſtra quæſtio eſt: Cur dicatur lucerna poſita potius ſub modio,quàm ſub alio.

135. Auguſt. Hilar. *Charitas non terminatur certo loco.*

Reſpondent primò D.Auguſtin.*lib.* 1.*de ſerm. Domini in monte*,D.Hilarius, lucerna non ponitur ſub modio, ſed ſuper illũ, quia charitas Apoſtolica non reſtringitur menſura, ſed ſine illa debet ſuam doctrinam per omnes partes impertire. Chriſti charitas non coarctatur Iudæa, non vna natione,ſed ad omnes populos,ac nationes ſe extendit. Secundò.Idem Auguſt.Modius ſignificat bona temporalia, quæ certa dierum menſura inchoantur,& tranſeunt;ſuper modium, & candelabrum ſunt æterna,& ſpiritualia,quæ nullo fine coercentur.Ioan.3.n. 34. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Sub modio ergo lucerna ponitur, quando quiſque lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obſcurat,& tegit:ſuper candelabrum autem, quando quis bona temporalia, & corpus ſuum miniſterio Dei ſubiicit, vt ſuperior ſit prædicatio veritatis,& inferior ſeruitus corporis.Eũdem ſenſum proſequitur.D.Gregor.*lib.* 31.*mor.c.* 34.Lucerna enim prædicationis, ait, non eſt ponenda ſub commodo temporali.

Auguſt. — Ioan. 3. — *Prædicator ob temporale commodum non obtenebretur.* Gregor.

136. Albert.Mag. Tertiò Albert.Magnus,Modius,ait, tria notat; in ſe enim non eſt perſpicuus,ſed tenebroſus, & ſignificat vitam opacam tenebris peccatorum. Sapient.17. num. 15. *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſyderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Modius* in quantitate menſura eſt quædam aridorum, & ſignificat terminis vnius gentis, vel hominis limitatam doctrinam, qua omnibus prodeſſe debet, & poterit. Ad Epheſ. 3.num. 8. *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus euangeliZare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes.* Modius vſu eſt, quo redditur redditus agrorum;& ſignificat pretium, ſub quo ponitur regnum, quod gratis eſt exhibendum.Matth.10.num.8. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et per hæc ſignificatur, quòd prædicatio euangelica non ſit conſtituenda ſub tenebroſa vita peccatorum; nec ſub terminis vnius nationis; nec ſub pretio, & commodo temporali: ſed in puritate vitæ, & gratis ad omnes gentes extendenda.

Sap.17. — Epheſ. 3. — Matth. 10. *Prædicatio fiat puritate vitæ,& gratis.*

137. Anſelm. Quartò D.Anſelmus. *Chriſtus fuit lucerna, id eſt,lux in vaſe humanitatis: non latuit pro timore præſentium, vel amore; vel non latuit in figuris veteris legis. Similiter Apoſtoli non latuerunt ſub modio timoris, vel ſpei temporalis, vel in ritibus Iudaicis, ſed coram omnibus veritatem prædicauerunt. Modius* ob menſuræ formam temporalia denotat,vt ſæpe dixi;& quia ea, quæ ſub eo ponuntur, quando eſt verſo ore, manent abſcondita, & occulta, per quæ timor denotatur: ideò ait Chriſtus, quòd prædicatio euangelica non ſit ponenda, nec ſub commodo temporali, nec ſub timore humano.

*Prædicatio fiat ſine timore.*

138. Cantic.1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea*, Cant.1. num. 9. Valde mirabile eſt omnibus expoſitoribus,quòd tenera ſponſa conferatur cum copioſo equitatu, & cum potentiſſimis Pharaonis curribus, qui ita audaces extiterunt,vt mare tranſigere pro perſequendis hoſtibus non dubitarint. Vnde ergo tanta audacia in delicata adoleſcentula? ſacrorum Prædicatorum formam hîc agebat, vt docent D. Ambroſ.*lib. de Iſaac,& anima, cap.* 4. Catena trium Patrum Iuſtus Orgelitan. Philo Carpath. & alij. Superiùs enim dixerat: *Vbi paſcas, vbi cubas*: vt ſuum dilectum ſuis adoleſcentibus, hoc eſt,ſuis auditoribus oſtenderet. Et, cùm Concionatorum perſonam ageret, fœmineam teneritudinem deponit; & ita audaci accingitur animo, vt,cùm vna exiſteret, copioſiſſimus equitatus reputaretur;& non quilibet,ac vulgaris, ſed *in curribus Pharaonis*,qui fortiter,rapidiſſimoque impetu, vt notat Philo Carpathius, ad debellandos hoſtes ferebantur, itaut nec à mari detinerentur, ſed idipſum tranſigere ſint aggreſſi. Ita Prædicator ſumpto prædicationis officio hoſtes non timeat, pericula maris non formidet, ſed omnia contemnat,vt munus ſuum animosè adimpleat. Iuſtus Orgelitan. *Chriſtus loquitur ad Eccleſiam*, ait, *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea; cùm ſapientes mundi ad meam fidem euocandos conuerti, vt depoſito timore ſæculi, ſub me, qui ſum vera ſalus, currendo proficiant; neque circunferendo piis prædicationibus credentium fide oculis manifeſtent.*

Ambroſ. Orgelit. Carpath. — *Prædicator nullo timore concutitur, nullo periculo retardatur.* — Orgelit.

Peracto miraculo magnæ capturæ piſcium, de quo ſatis latè *cap.*7.videns Petrus Chriſti virtutem, maximè tremebundus procidit ad genua Ieſu, aitque Dominus ei:*Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens*,Luc. 5. n. 10. Vbi Dominus ſuum ei Apoſtolatus, prædicationiſque prædixit officium, vt ex Beda, Bonauent.dixi *citato loco.* Sed cur Petro ad prædicationis munus non promittitur magna ſapientia,magna eloquentia, & linguarum donum,ſed his ſuppreſſis confidentia timorem excludens, ei exprimitur? Cætera Prædicatoris ſunt ornamenta præclara, at inter omnia ipſum maximè condecorat, & ad debitum Cõcionatoris munus magnopere exigitur, vt audacia, animoſitateque armetur, vt nullo principum timore concutiatur, nulla petulantium formidine terreatur. Hugo. *Datur exemplum doctoribus, quòd non propter peccata ſubditorum, vel timiditatem propriæ conſcientiæ dimittere debent munus Eccleſiaſticum,ſcilicet officium prædicationis.* 139.

Luc.5. — Beda. Bonau. — *Inter omnia Prædicatori animoſitas maximè neceſſaria.* — Hugo.

*Matth.*5.*n.*16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ita luceat lux veſtra, *&c.* vt videant opera veſtra bona, euehantque laudibus Patrem veſtrum,

*D.Aug.lib.*1.*de ſerm. Dom in monte.D.Leo ſer.*5.*&* 8.*de Epiphania.* Sic luceat lumen veſtrum vt videant bona facta veſtra.

*D.Chryſoſt.*



*D.Chryſoſtom. ſer. ne ſcandalum ponamus.* Sic ſplendeat lux veſtra.

*Imperf.hom.*10. *D.Chryſ log. ſerm.*24. Vt magnificent Patrem veſtrum.

*Arias.* Vt videant veſtra pulchra opera.

*EXPOSITIO.*

140. *Senſus totius ſententiæ.*

DIXERAT Dominus ſuprà, ſuos eſſe ſal,lucem, ciuitatem ſuper montem, & lucernam.Nunc explicat modum, quo ſe habere debeant in functionibus,ac miniſteriis ſuis,vt eorum opera ita coram hominibus fulgeant,vt omnes ex eis glorificent Deum. Ait Dominus: *Sic luceat.*Preme illud verbum,*ſic*,id eſt,maximè,ſeu magnopere luceat lux veſtra. Ita explicaui ſuprà *cap.*3.hoc verbum: *Sic Deus dilexit mundum; & fatigatus ex itinere ſedebat ſic*,cap.5.Iterum expendi infrà numero 175. *Sic lux veſtra luceat*,vt ait Fauſtinus *lib.* 1.*de gratia Dei,cap.*5.Non otio reſoluamini, ſed lux vobis data luceat;& in hoc theatro mundi reſplendeatis,non luce aliena, ſed veſtra. *Coram hominibus.* Nam etiamſi multi eſſent inimici, & detractatores;tamen, vt ait Chryſoſtomus homil. 15. *Etiamſi innumeri accuſare cupiant, nullus vnquam infuſcare vos poſſit.* Coram hominibus dixit, non coram Angelis, quia luce ſua homines erant illuminandi.

Fauſtin. *Quilibet reſplendeat luce ſua.* — Chryſoſt.

141. *Vt videant opera veſtra.* Illa particula,*vt*, dicit finem lucis veſtræ, nempe,non vt vos laudemini, ſed vt homines videntes opera veſtra glorificent Patrem. *Videant opera veſtra.* Non dixit, vt videant ſermonem veſtrum, ſed *opera veſtra.* Ita ait Euſebius Gallicanus homil. in hoc Euangelio. *Magis enim operando, quàm loquendo proficitis, quia maior eſt ſplendor operis, quàm ſermonis.* Multo efficaciùs mouent opera, quàm verba. *Glorificent Patrem veſtrum.* Quia, vt ait D. Leo ſerm. 5. de Quadrageſ. *Eius opera videntur in famulis.* Nam ipſe dat gratiam,& auxilia, per quæ operamur; & ideo tota noſtra operatio bona non nobis aſcribenda eſt, ſed principaliter ipſi referenda. Vnde ait idemmet S.Leo ſerm. 7. de Quadrageſ. *Chriſtiana pietas in ſuum tranſit auctorem, dum in ipſum dedicamur benigni quem in nobis fatemur operari. Dicente Domino; vt videant opera veſtra, & magnificent Patrem veſtrum.* Glorificatur Deus in operibus noſtris, qui tales elegit ſeruos,taleſque in Eccleſia dedit miniſtros. Politicum regimen boni miniſtri gloria Regis deſtinantis. Vnde inter multa præclara in regno Iſraelitico Regina Saba admirata maximè laudat Salomonis ſapientiam, dum contemplatur templum, habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, 3. *Reg.* 10. *numero* 4. Poſt illud primum orbis miraculum,ordines miniſtrantium maximè Salomonis ſapientiam indicabant.

Euſeb.Gall. — *Efficacius mouent opera, quàm verba.* — Leo, *Bona operatio noſtra à Deo venit.* — Idem. — *Bonus miniſter gloria Regis.*



QVÆSTIO XXI.

*Quomodo cohæreat, quòd Dominus hîc ſuis diſcipulis mandat, vt eorum opera homines videant,cùm infrà coram eis non eſſe facienda præcipiat?*

142. AIT Dominus hoc loco: Luceat lux veſtra coram hominibus, *vt videant opera veſtra, & glorificent Patrem.* Et tamen in hoc eodem ſerm.*c.*6.*n.*1.*&* 5. docet ſuos: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus,vt videamini ab eis.* Quomodo ergo ſtat,vt fiant coram eis,& non coram eis. At miſſis multis,ex ipſiſmet verbis facilis ſtat vtriuſque loci reconciliatio.

Matth.6.

143. Primò præcipit, vt fiant coram hominibus, non propter te,ſed propter gloriam Dei, vt tota intentio operis ſit,vt homines illa videntes, excitentur ad glorificandum non vos, ſed Patrem veſtrum,qui in cælis eſt. Secundo verò loco vetat, iuſtitiam noſtram fieri coram hominibus,*videamini ab eis*; ac vt ipſi nos glorificent. Non enim laus noſtra, ſed gloria Dei quærenda eſt in operibus noſtris.Eleganter totum docet Diuus Gregorius 3. part. Paſtor admonitione 36. *Quid ergo, ait, quod opus noſtrum, & ita faciendum eſt, ne videatur; & tamen vt debeat videri, præcipitur? niſi quòd ea, quæ agimus, & occultanda ſunt, ne ipſi laudemur; & tamen oſtendenda ſunt, vt laudem cæleſtis Patris augeamus. Nam, cùm nos iuſtitiam noſtram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adiunxit, vt videamini ab eis. Et cùm rurſus videnda ab hominibus bona opera noſtra præciperet, protinus ſubdit: Vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Qualiter igitur videnda eſſent, & qualiter non videnda ex ſententiarum fine monſtrauit, quatenus operantis mens opus ſuum, & propter ſe videri non quærat, & tamen hoc propter cæleſtis Patris gloriam non celaret.* Idem docent D. Auguſtinus *lib.*5.*de ciuitate Dei,c.*14.D.Fulgent.*epiſt.*2.*de ſtatu viduali,cap.*19.

*Germana quæſtionis ſolutio.* — *Gloria Dei in noſtris operibus quærenda.* Gregor. — Auguſt. Fulgent.

144. Secundò reſpondet Diuus Paſchaſius *lib.*4. *in Matth.* ſtatim in initio, expendens illa verba: *Cauete, ne iuſtitiam veſtram faciatis*, &c. ait S.Doctor: *Notanda in omnibus verborum proprietas; nam illinc dictum eſt: Sic luceat lux veſtra; iſtinc autem: Cauete, ne faciatis opera veſtra coram hominibus. Itaque nec prohibet, ne luceant, ſed tantùm, ne fiant ab eis, vt videantur; quia profectò,ſi virtutis eſſent, lucerent.* Non prohibet Dominus, vt opera luceant, ſed vt fiant ea intentione, vt luceant, ac videantur; quia, cùm ſint opera virtutis, lucere debent; virtus enim per ſe maximè reſplendet, & fulget. Ioannes Baptiſta dicitur: *Erat lucerna ardens, & lucens*, Ioannis 5. numero 35. Primò dicitur ardens; deinde lucens: nam, cùm arderet charitatis igne, omnium flamma virtutum, conſequens erat, vt eſſet lucens: *Induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus*,Rom.13.num. 2. Quænam ſunt hæc lucis arma? hoc eſt,arma virtutum, vt ibi explicant Chryſoſtomus,Remigius. Tam annexa eſt virtuti lux, vt nomine *lucis* virtus denotetur. D.Chryſologus ſerm. 24. *Sociæ*, ait, *ſemper boni*

Paſchaſ. — *Virtus lucet & reſplẽdet.* — Ioan.5. — Rom.13. — Chryſoſt. Remig. Chryſolog.

*operis ſunt lucernæ. In manibus ſanctorum ipſa opera ſunt lucernæ, dicente Domino: Sic luceat lux veſtra.* Et Tertullianus lib. de cultu fœminarum. *Hæc ſunt, quæ nos luminaria mundi faciunt, bona ſcilicet opera.*

Tertull.

145. Greg.Magn. Tertiò D.Gregor.Magnus lib.19.mor.cap.18. *Cùm iuſti,* ait, *virtutes ſuas occultare deſiderent, tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, & facta quidem ſua occultando ſe ipſos cuſtodiant; ſed dum produntur inuiti, bona ad proximos ſuos exempla tranſmittant. Occultentur ergo ſtudio, neceſſitate publicentur.* Dominus mandat, vt noſtra iuſtitia non fiat coram hominibus, vt videatur ab eis; & tamen hîc præcipit, vt lux noſtra luceat coram hominibus. Quia iuſti ſecundùm ſuum ſtudium, & deſiderium maximè intendant, & affectent, bona ſua abſcondere opera, & ab hominum oculis ſemouere; at verò cùm tempus exigat, occaſio poſtulet, in publicum exeant, manifeſtent opera ſua ad Dei gloriam, ad confirmandam doctrinam, ac ad proximorum ſalutem, vt alios ad vitam ſuo trahant exemplo, & in reuerentia ſint tanquam Eccleſiæ Præſules, vtque omnes eorum dictis fidem præſtent, vt proſequitur idem Gregorius *citatus*, & Chryſoſtomus *ſerm. Ne ſcandalum ponamus.*

*Iuſti occultent opera, vrgente occaſione manifeſtent.*

Chryſoſt. Gregor.

146. Hebr.11. De ſanctis Prophetis ait Paulus ad Hebr. 11. num. 38. *In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Et tamen ſi Scripturam conſulas, paſſim inuenies ſanctos Prophetas in medio ciuitatis, & in frequentia populorum, vt habes exemplum in Iſaia 6.num. 5. *In medio populi polluta labia habentis ego habito.* In Ieremia 40.num.6. *Venit Ieremias ad Godoliam, & habitauit cum eo in medio populi.* Similiter in Ezechiele, Daniele, Zacharia, Malachia, & aliis. Quomodo ſtat ergo Pauli ſententia cum factis? Si apud ciuitates frequenter inueniuntur, & in medio earum habitabant, cur de eis dicitur, quòd erant in ſpeluncis, & cauernis terræ? Sancti Prophetæ quantum erat ex propenſione, inclinationeque ſua, ſolitudines, ac ſpeluncas quærebant, vt ibi latitarent, at verò quando tempus flagitabat, occaſio vrgebat, non in angulo, ſed in medio ciuitatis apparebant, vt lucerna ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt, vt ſua doctrina, ſuo exemplo omnes lucrifaceret. Rupertus lib.4.in Matth. *Etſi quilibet eorum*, ait, *in ſpeluncis, & cauernis terræ deliteſcere voluit, & ad tempus delituit; nihilominus tamen, vbi cauſa popoſcit, foris prodiit, in publicum venit, Deo iubente, vel ordinante, vt beneficium lucis, cuius erat particeps, plurimis impertiretur.* Quod confirmat exemplo Ioannis Baptiſtæ, qui à teneris annis vſque ad trigeſimum in deſerto deliteſcens; tamen, cùm eſſet lucerna ardens, & lucens, vt occaſio venit, in publicum ſe manifeſtat, vt teſtimonium perhiberet de lumine. vide ſuprà *c.5.n.2.& 225.*

Iſai.6. Ierem.40.

*Verus miles, etſi deliteſcat, in occaſione ſe manifeſtat.*

Rupert. Ioann.5.

## Quæstio XXII.

### *Quomodo Apoſtolis præcipiatur, vt luceant coram hominibus, varia dubia exponenda?*

147. Ambroſ. Primo. Cùm iubentur lucere, *lux* appellantur. *Luceat lux veſtra.* De luce ait D.Ambroſius. *Non ſplendore tantummodo, ſed in omni vtilitate gratia lucis probatur.* Excellentia lucis verificatur, nõ in ſuo fulgore tantùm, ſed in aliorum commodo, quo alios illuminet, & foueat. Magnopere conſidera, lector, quòd Chriſtus ſuos diſcipulos comparauit luci, & lucernæ: *Vos eſtis lux mundi*, ſuprà dixit. Deinde: *Neque accendunt lucernam, & ponunt ſub modio.* At verò quando eos præcipit lucere, non ait: Luceat lucerna veſtra; ſed, luceat lux veſtra. Inter lucernam, lampademque igne accenſam, ad cœleſtem lucem, illud interiacet diſcrimen, vt notauit D. Chryſoſt. tom.5.hom.9.ad populum Antioch. *Quod ignis,* ait, *natura alta petit, etſi infinita cogant, ad inferiora ferri non toleraret. In ſole verò totum Deus contrarium fecit, ipſius radios ad terram conuertit, & lucem fecit inferiùs vergere.* Fax, vel candela igne accenſa illuminat, ſed ſuo commodo maximè attendendo, vehementi impetu ignis eius aſcendit, & ſurſum fertur, vt ad ſuum centrum deueniat, & ibi requieſcat. At cœleſtis lux reſplendet, ſuos radios deorſum, ac in terram mittendo, vt hæc inferiora illuminet, & ſua benigna influentia creet, & recreet, ac foueat. Peroptimè ergo non præcipitur hîc, luceat lucerna veſtra; ſed, *Luceat lux veſtra.* Quia Eccleſiaſticus ſiue prædicatione, ſiue munere fulgeat, non vt ſuo prouentui incumbat, ſed vt aliorum conſulat vtilitati: reſplendeat, non vt ſibi requiem in aliqua præbenda, vel dignitate acquirat, ſed vt inferiora illuminet, calefaciat, & adiuuet.

*Iubentur lucere, vt lux, non vt lucerna.*

Chryſoſt.

*Præſules, non ſuũ, ſed ſuorum commodum procurent, & quærant.*

Secundò. Quomodo præcipit Dominus, vt lux noſtra luceat coram hominibus, videtur enim quòd tunc lux virtutum expoſita maneat, vt extinguatur vento vanæ gloriæ, vel ſaltem vt obnubiletur à puluere concitato à ſpiritu, ac impetu humanæ ambitionis. Præclarè reſpondet D. Bernardus ſerm. in Natiuitate S.Ioannis. *Singulariter,* ait, *Apoſtolis, & Apoſtolicis viris dicitur: Luceat lux veſtra coram hominibus; nimirum tanquam accenſis, & vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulſione ventorum.* Viri Apoſtolici ita accenſam in ſe habent magnam charitatis fornacem, vt nihil iam à ſæculi vanitatis flatu timeatur: vera enim virtus ita ardet, ita accenſa eſt, vt nullo ventorum impetu extingui, aut minui poſſit. 148.

Bernard.

*Perfecta ſanctitas ita eſt accenſa, vt à vanitatis vẽto non extinguatur.*

Tertiò. Præcipit Dominus, vt luceant *coram hominibus*, ex quibus multi erant infeſti inimici, & detractores maledici; & tamen mandatur, vt coram eis luceant. D.Chryſoſt. hom. 15. *Reſplende fulgore vitæ, & maledicos omnino contemne: non poteſt enim accidere, omnino non poteſt, vt qui virtutem diligenter exequitur, nunquam plurimos acquirat inimicos.* Valde conſequens eſt, quòd ſi tua lux fulget, multi inſurgant aduerſarij; hos tamen contemne, & fuge. 149.

Chryſoſt.

*Contra virtutem inſurgunt æmuli.*

Quartò. Quomodo mandatur Apoſtolis, vt luceant *coram hominibus*. nam, vt ait Seneca epiſtol. 52. *Humanus oculus caligat in aliena luce.* Si dũ alterius reſplendores obiiciũtur, noſter obtutus palpitat, & hebetatur; quomodo dicitur Apoſtolis, vt luceant coram hominibus? Imperfectus hom.10. *Coram hominibus, id eſt, ſic illuminate, docete, non vt verba veſtra tantummodo audiant homines, ſed vt opera veſtra bona videant.* Preme illud verbum, *Sic illuminate, docete.* Tanquam ſi dicat Chriſtus: O diſcipuli mei, vt homines bona veſtra facta videant, illuminate eos, lumen in 150.

Seneca.

Imperfect.

*Humanus oculus alienam lucem videre non poteſt.*



eorum oculos effundite, vt veſtra bona opera percipiant: nam propria, & ingenita oculorum acies alienos radios non valet intueri; vt ergo homines veſtram lucem videant, illuminate, lumen eis concedite, ac date.

151. Quintò. Suprà Dominus ſuos appellauerat *lucem: Vos eſtis lux mundi.* Ad quid modò ait: *Luceat lux veſtra*; planum eſt enim, quòd, ſi lux ſunt, reſplendeant. Ad quid mandatur eis, quòd radios ſuos emittant? Optimè ſanè dicitur eis: *Luceat lux veſtra*; lucete luce veſtra, non aliena; radios ſpargite non emendicatos, ſed proprios: non enim condecoratur, ſed deturpatur potiùs, ac fœdatur, qui alieno vult nitore reſplendeſcere.

*Quilibet luce fulgeat ſua, non aliena.*

152. Gen.27. Benedicens Iſaac filium ſuum Iacob, ait: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni,* Geneſ.27.n.27. Sed dum Iſaac odorem filij ſui maximè extollere vult, cur eum non comparat pretioſiſſimis aromatibus thuris, balſami, & laſaris (vulgo *bejoim*) vel cum ſuauiſſimis aquis roſea, vel myrtea, hæc enim ſunt pigmenta, quæ in magna æſtimatione habentur, ac in vſu Regum, & principum veniunt. At his omiſſis filium ſuum confert cum odore agri pleni, qui eſt quid multo magis vulgare, & etiam ruſticale. Pondera diſcrimen inter vtrunque: nam illa pretioſa aromata fiunt ex tranſſubſtantiatione aliorum; aqua roſea, vel myrtea ex ſucco florum; thus, balſamum, & laſar ex ſucco, ac reſina arborum: ambarum quoque fit ex quadam aqua craſſa, quæ in imo maris congelatur, & tempeſtuoſa eiuſdem maris commotione diuellitur. At ager plenus odorem mittit ex floribus, fructibus, quos ipſe in ſe creat, alit, & continet. Bene ergo Iſaac filium ſuum aſſimilat, non illis odoramentis, ſed agro pleno: nam Iacob totus erat ſuauis, odoriferus, ac fragrantiam exhalans, non ex alieno ſucco, ac ſudore, ſed ex floribus, & virtutibus, quas inſpirante diuina gratia in ſe plantauerat, & continebat. Fauet D.Ambroſius lib.5. Hexaemeron cap. 17. *Odor Iacob, odor agri pleni, id eſt, naturalis, ad quid enim pleno rore ſuauius, quem fraus nullo compoſuit, ſed veritas cœleſtis indulgentiæ infundit.*

*Vnuſquiſque det odorem ex propria virtute, & non ex alieno ſudore.*

Ambroſ.

## Quæstio XXIII.

### *Quare Chriſtus in hoc ſermone non dixerit: vt glorificent Deum, ſed vt glorificent Patrem veſtrum?*

153. Ait Chriſtus Dominus in præſenti, homines *videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum.* Non dixit Deum veſtium, ſed *Patrem.* Primò hoc dubium pulchrè ponit, & ſoluit Chryſoſtomus hom.15.in Matth. *Non dixit Deum, ſed Patrem: conferendæ illis nobilitatis prærogatiuam hoc iam nomine largiendo, & honoris æqualitatem declarans.* Allicit Dominus ſuos, vt luce bonorum operum præfulgeant in hominum oculis; & ad hoc proponit eximium honorem, quem erant aſſecuti; vt filij Dei nominemur, & ſimus. Nam, ſi diceret, vt glorificent Deum veſtrum, homines dicebat, ſeruos; at dum dicit: Patrem veſtrum, homines aſſerit filios. Si ergo ipſe ex ſeruorum conditione nos ad filiorum apicem, nobilitatemque euexit; nobis igitur tanto dono pigneratis maximè incumbit ad eius honorem attendere, vt omnes ipſum Deum Patrem glorificent, exaltent, ac magnificent. *Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus?* Malach.1.num.6. Non ait: Si Deus ſum, ſed *ſi Pater?* ſub nomine enim tantæ dilectionis, & honoris maximè arguuntur noſtri defectus, dum toto affectu ad Deum honorandum non ferimur. In hoc argumentum D. Bernardus *ſerm. 16. in Cantic.* latè explicat prædictum Prophetæ locum. Et ait: *Pudet ingratitudinis, arguar etiam, reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione.*

Chryſoſt.

*Honoremus honorantes nos.*

Malach.1.

Bernard.

Secundò. Adhuc inſto in iiſdem Chryſoſtomi verbis: *Conferendæ illis nobilitatis prærogatiuam.* Dum Dominus eis præcipit, vt tanquam lux luceat, eis proponit honorem, quem habituri ſunt, & iam erant aſſecuti, vt filij dicantur: *Glorificent Patrem veſtrum*; & tanto decore pignerati, ſuo muneri ſatisfaciendo, datam nobilitatem retineant, conſeruent, & non amittant. Defectu huius conſiderationis auarus ille demerſus eſt in Inferno, cui ait Abrahamus: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua*, Luc. 16.num.25. Ad quid ſanctus Patriarcha hominem degenerem, & damnatum, filium vocas? Vt dolor auari augeatur, magiſque prodeat impietas eius, qui, cùm in tanto eſſet natus honore, & hæres ad tantum locum, nempe Abrahæ ſinum, cum Angelis deſtinatus, vt auarus debitæ charitati non ſatisfecit, in ſuoque munere non ſtetit; & ideo totum deperdit, & in Inferno ſepultus iacet. D. Chryſologus ſerm. 123. *Tu vocas Patrem; ego voco filium: vt te grauiter doleas perdidiſſe, quod natus es; adhuc voco filium, vt amarius doleas, perdidiſſe te, quod tibi gratia dederat.* 154.

*Pigneratus ſua nobilitate honorem ſibi datum conſeruet.*

Luc.16.

Chryſolog.

Tertiò. D.Leo ſerm.6. In Natiuitate Domini: *Magnum huius muneris ſacramentum, vt Deus hominem vocet filium; ſi autem ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole reſplendeat, quanto magis glorioſum eſt, ex Deo natos in Auctoris ſui imaginem refulgere? Et illum in ſe, qui illos generauit, oſtendere, dicente Domino: Luceat lumen veſtrum, vt glorificent Patrem veſtrum. Patrem* dicit, non Deum, vt per bona opera ſe intendant proportionari ad ſimilitudinem æterni Parentis, & ſe eius eſſe filios declarare. Nam, vt ait D.Cyprianus *lib. de zelo, & lucro.* Sicut ex corporis lineamentis, ac ſtatura homo deprehenditur, cuius filius ſit; ſic etiam ſpiritualiter ex bonis actibus, ac ſupernaturali generoſitate agnoſcitur homo, quòd ex Deo natus ſit. *Adam genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocauitque nomen eius Seth*, Gen.5.num.3. Cur non Cain, ſed Seth dicitur genitus ad ſimilitudinem Adam? Primus parens poſt peccatum in magno Dei timore vixit; Seth autem referebat patrem non ſolùm in corporis ſpecie, verùm etiam in omni animi virtute. D. Chryſoſtomus homil.12.in Geneſ. *Seth*, ait, *ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm imaginem ſuam, hoc eſt, eorum morum, quibus ille, qui genuerat, & qui ſeruat paternos characteres, operibuſque paternos mores exprimat.* 155.

Leo.

*Per opera cognoſcimur filij Dei.*

Cyprian.

Geneſ.5.

*Per opera parenti aſſimilamur.*

Chryſoſt.

Quartò Caietanus, *Non dixit Chriſtus*, ait, *glorificent Deum omnino à nobis diuerſum, ſed glorificent Patrem veſtrum. Patris ſiquidem pro-* 156.

Caietan.

prij honor, & gloria naturaliter quæritur à filiis; nec gloria Patris noſtri aliena eſt à noſtra gloria; quin potiùs quærendo gloriam noſtri patris, proprium quærimus bonum, in filios enim redundat gloria Patris, qui in cælis eſt. Vt Dominus magis eos ineſcaret ad id, quod intendebat, non dixit Deum, ſed *Patrem*; ſiquidem ingenitum eſt filiis, vt affectuosè parentis ſui quærant honores. *Deus honorauit parentes in filiis*, Eccleſiaſtici 3. num. 3. Immo dum parenti ſuo honores procurant, ſibimet eos ſollicitant, cùm decus patris totum refundatur in filios.

Eccli 3.

157. De Enos ait Scriptura Gen.4.num.26. *Ille cœpit inuocare nomen Domini.* Ex Hebræo legitur cum Euſebio Emiſſeno, Suida, Cyrillo, Theodoreto, *Iſte cœpit inuocari nomine Domini.* Ex quo fit quæſtio omnibus Scripturariis: Cur potius Enos cœperit inuocari nomine Dei, vel dici Deus, quàm Abel, qui ore Chriſti dicitur Iuſtus; vel quàm Melchiſedech, in cuius perſona Chriſti Sacerdotium præfiguratum eſt? Cur ergo hîc meruit nomine Dei inſigniri, & vt eius filij vulgariter filij Dei dicerentur? Enos præterquam quòd eſſet vir valde pius, genuit filios optimè inſtructos in virtute, cultu, ac reuerentia Dei; & ex præclara filiorum iuſtitia, in qua à parente ſuo fuerant educati, tantam Enos nobilitatem comparauit, vt omnium ore tanquam Deus acclamaretur: qui etiam honos in proprios filios redundauit, vt etiam ipſi communiter, & vulgariter filij Dei dicerentur. Procopius. *Sperauit appellari nomine Domini Dei, id eſt, dici diuinus; omnes, ſiquidem, qui ex Seth, qui eſt pater Enos, generis originem ducebant, fuerunt iuſti; proinde Scriptura in ſequentibus ſic loquitur: Viderunt filij Dei.* Tanquam ſi dicat, quia filij erant conſpicui virtute, ipſe obtinuit, vt diuinus diceretur, ac vt eius nati filij Dei vocarentur.

Geneſ.4. Hebræus. Emiſſenus. Suidas. Cyrill. Theodor.

*Ex iuſtitia filiorum pater honoratur, & ipſi quoque filij.*

Procop.

*Matth.5.n.17.* Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ne putetis, me veniſſe, vt ſolu m legem. |
| *Pagninus.* | Ne putetis, quòd venerim ad deſtruendam legem, aut Prophetas: non veni, vt deſtruam, ſed vt impleam. |
| *D.Paſch. lib.3. in Matth.* | Nolite cogitare. |
| *Euthymius.* | Non veni ad ſoluendum legem, ſed ad complendum. |

*EXPOSITIO.*

158. BENE, ait Chromantius, *non ad diſſoluendam legem, vel Prophetas filius Dei venit, qui auctor eſt legis, & Prophetarum, quia ipſe Moyſem ad tradendam legem populo dedit; & Prophetas ad prædicationem futurorum ſancto Spiritu mandauit.* Quæ Dominus fecit, non deſtruit, ſed perficit; & ideo legem, quàm ipſe dedit, & verba, quæ poſuit in ore Prophetarum, non diſſoluit, ſed adimplet. *Neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*, Pſalm.88. num. 35. *Nolite putare.* Adeò legem, & verba à Patre data venerabatur, vt non pateretur, quod aliquis etiam cogitatione ſibi perſuaderet, quòd ea diſſoluebat, & contemnebat. Et ideo, vt notat D. Baſilius Seleucus *Orat.*42. antequam Iudæi quiddam dicerent, Dominus calumniam præoccupat, & refutat, dicens: *Nolite putare*, & addidit, *ſoluere legem*, id eſt, legem Moyſi, quam vocauit abſolutè legem, quia quanuis multæ leges in mundo reperirentur; illa tamen, vt rectè obſeruat Abulenſis, erat lex Dei, *& nulla alia pro tunc erat*, vt ait ipſe Abulenſis. Et quæ à Deo veniunt, ſolùm abſolutè ſunt, & dicuntur. *Soluere legem, aut Prophetas.* Facit diſtinctionem inter legem, & Prophetas vt rectè obſeruant Chryſoſtomus *homil.*15. Albertus Magnus, & alij. Nam lex dabat præcepta, vt Circuncisionis, oblationis in templo; Prophetæ verò prædixerunt omnia, quæ in ipſo erant: *In omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ*, Luc. 24. num.25. Quæ omnia vſque adeò Chriſtus adimpleuit, vt ait Caietanus, vt etiam Crucem ſubiret. Magnum documentum, vt pro adimplendo verbo mortem non fugias.

Chromat. Pſalm.88. Baſil. Abulenſ. Chryſoſt. Albert.Mag. Luc.24. Caietan.

*Pro verbo adimplendo vita danda.*

159. *Non veni ſoluere, ſed adimplere.* Magna humilitas Domini in his verbis declaratur, vt dicam *quæſt. ſequente, in principio*, ex Chryſoſtomus *homil.*16. Chriſtus non ſolùm dixit: Non ſoluo legem, quod ſufficiebat; ſed adimpleo. Quod bene explicat Ioannes Caſſianus collat. 17.cap.14. *Veni, non antiquare priora, ſed ad perfectionem reducere imperfecta.* Bene Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap.*10. & 36. arguit ipſius Marcionis inſipientiam eraſiſſe hæc verba de Euangelio, quod ſaluum eſt. Deinde, quia Chriſtus non ſolùm verbis dicebat, ſe impleuiſſe legem, ſed etiam hoc factis, & operibus declarabat.

Chryſoſt. Caſſian. Tertul.

---

QVÆSTIO XXIV.

*Quare Dominus hoc loco ait, quòd non venerit ſoluere legem, ſed adimplere?*

160. ANTEQVAM ad quæſtionem veniam, nota cum Chryſoſtomo *homil.* 16. *in Matth.* Domini humilitatem; nam cùm eſſet ſupremus Dominus, non ait de ſe, quòd venerit ad abrogandam legem, ſed formam ſerui induens, venit, non ad ſoluendum, ſed ad implendum. Vnde perbellè ait S. Doctor: *Multa de ſe humilia ipſe dixit, excelſa aliis magna dicenda dimiſit.* De ſe ait Dominus Matth. 20.num. 28. *Non venit filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et tamen ipſemet Euangeliſta 4.num 11. ait, quòd *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Ipſe Chriſtus ait: *Maſculum, & fœminam fecit eos*, Matth.19.n.4. Non ait, Ego feci; ſed in tertia perſona, *fecit*; ſcilicet Deus. Et Euangeliſta Ioan.1.n.3. de illo eructat: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Alia exempla proſequitur citatus D. Chryſoſtomus.

Chryſoſt.

*Chriſtus de ſe humilia dicit, aliis magna dicenda remittit.*

Matth.20. Matth.4. Matth.19. Ioan.1.



161. Præſens quæſtio eſt: Quorſum Dominus, poſtquam ſuos vocauit ſal, lucem, lucernam, ciuitatem, ac eis præcepit, vt luceant coram hominibus, ait eis: *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem.* Qua connexione hæc ſtant? & qua intentione ſunt dicta.

162. Primò reſpondet Chryſoſtomus *citato loco*, Theophylactus, volebat Dominus tradere excelſiorem legis interpretationem, & multo maiora, & perfectiora antiquis præceptis euulgare. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis*, etiam ab ira temperare; & multa ſimilia in hoc cap. Matth. *à num.* 21. Ait ergo, antequam admirabilem hanc incipiat eructare doctrinam, ſe non veniſſe ad diſſoluendam legem; nam illa non erant contra legem; ſed ad implendum; erant enim magis ad mentem legiſlatoris, & legem ad maiorem perfectionem extollebant.

Chryſoſt. Theophyl.

*Multum probabilis ſolutio.*

163. Secundò idem Chryſoſtomus, Abulenſis *q.*95. Hugo, & alij. Per hæc reſpondet Dominus ad tacitam obiectionem, & calumniam, quam nouerat in eorum mentibus conceptam. Quia audierunt eum noua quædam præcipientem, cœperunt dubitare, vtrùm legem ſoluere, & aliam introducere vellet. Præuidens Dominus dubitationem hanc, quæ in eorum cordibus voluebatur, præoccupauit eos, refugans eorum errorem: *Nolite putare*, &c. Tertiò Iſidorus Clarus, *Vide* ait, *quàm ſit metuenda ſuſpicio nouitatum. Daturus excelſiores leges, quæ nouæ viderentur, docet, eas non aduerſari legi eorum.* Nouitas ſemper eſt valde ſuſpecta; & ideo dicebat Paulus 1. Timoth.6. numero 20. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* Et ideo Dominus legem nouam laturus, ab antiqua ſe non diſcedere, ſignificat.

Chryſoſt. Abulenſ. Hugo.

*Calumnia præoccupāda.*

Iſidor.

*Nouitas periculoſa.*

1.Tim.6.

164. Quartò D. Auguſtinus *lib.*1. *de ſerm. Domini in monte*, ita connectit hæc cum ſuperioribus. Dixerat Dominus ſuprà, vt ſui eſſent præparati ad omnia ſuſtinenda pro iuſtitia, & vt tanquam lux lucerent doctrina; ſi verò diſcipuli quærant, quænam ſit hæc doctrina, quæ non eſt abſcondenda, ſed manifeſtanda, & pro qua tot, & tanta ſint ſufferenda; & nunquid hæc doctrina ſit contra ea, quæ in lege, & Prophetis ſcripta ſunt? Reſpondet Chriſtus: *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem*, ea enim, quæ prædicare iubeo, non ſunt contra legem, ſed potiùs ad implendum legem. Et ita ſuo exemplo eos exhortatur ad ſeruandam legem.

Auguſt.

*Suo exemplo eos docet.*

165. Quintò Imperfectus *homil.* 10. Volebat Dominus, ſuos diſcipulos eſſe conſpicuos in omni virtute, vt quemadmodum ipſe omnem legem implebat; ſic & illi omnia etiam minima legis feſtinarent implere. Quod præclarè explicat Maldonatus hic. *Ne exiſtimarent Apoſtoli, licere ſibi, quòd Chriſti, id eſt, ipſius Legiſlatoris, diſcipuli eſſent, legem violare, ſicut ſolent, qui ex familia principis ſunt, omnibus penè legibus ſoluti eſſe.* Ac proinde monet, quòd quanuis ſit ſupremus Dominus, non venit ſoluere legem; nec ipſi, quanuis amici, & familiares eius, legem ſoluere debent. Gubernante Heli, filij eius Sacerdotes vehementer opprimebant populum. Et veniebat puer Sacerdotis, & ex lebete tollebat, quodcunque volebat; & etiam è manu immolantium, antequam adolerent adipem, vi diripiebat carnem crudam. Et ſi populus pugnabat pro lege, & antiquo more, vt primum adeps incenderetur; *dicebat puer Sacerdotis: Nequaquam, nunc enim dabis, alioquin tollam vi*, 1. Reg.2. num.16. *Et ſic faciebat puer vniuerſo Iſraël*, ibid. n. 4. In quo crimine multa erant facinora. Nam ipſe aſſumebat, quodcunque tollebat fuſcinula, cùm tamen in lege pars eſſet determinata Sacerdoti: & contra morem, antequam adeps incenderetur, tollebat puer. & hoc vniuerſo Iſraëli. Vnde vnus puer audet contra legem Dei, contra antiquum morem, totam vnam rempublicam opprimere? Erat puer Sacerdotis, & è familia potentum: & ideo habet animum, vim, ac manum ad totum vexandum, moleſtandumque ampliſſimum regnum. Abulenſis. *Puer Sacerdotis aiebat: Tollam violenter: hoc dicebat, quia Sacerdotes erant Domini in Sanctuario, & viri magnæ poteſtatis; credebatque puer poſſe inferre violentiam quibuſcunque.*

Imperfct. Maldonat.

*Familiares principum licentioſi.*

1.Reg.2. Abulenſ.

166. Sextò. Dominus creauerat ſuos diſcipulos magiſtros, ac doctores totius Orbis, vtque coram omnibus lucerent. Nunc, cùm ipſe ſit omnium magiſtrorum magiſter, ac doctor, ſubdit: *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem*, vt ſuo exemplo eos informaret, vt ſecundùm legem doceant, & viuant. Præcauet Dominus in eis periculum, quod ſæpe contingit multis litteratis, qui, vt licentiosè viuant, iuxta ſuam voluptatem commentitiis expoſitionibus legem diſſoluunt, & irritant. Vnde ait D. Thomas: Soluere legem eſt, non intelligere, quod illa declarat mira Chriſti ſapientia, vbi primum doctores, ac viros doctrina conſpicuos dat, ſtatim eos exhortatur ad legum obſeruationem, ne ſibi perſuadeant ſua eruditione, ac interpretatione, quòd poſſint à ſe legem excludere, & ſe ab illa eximere; nam ſapientia non eſt legis exemptio, ſed potiùs vehemens alligatio.

*Doctores ſuis interpretationibus legē ſoluunt.*

D.Thom.

167. Rectè in hanc ſententiam explicat OEcumenius locum Petri Epiſtol. 2.*cap.*1. *numero* 4. Ait Apoſtolus: *Intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Videbatur commodiùs dicendum, quòd Scriptura non fit proprio ſpiritu, propria compoſitione, ac ſcriptione; hoc enim modo fit Scriptura. Sed ait: Non fit propria interpretatione. Pungit Apoſtolus aliquos litteratos, qui ſua propria expoſitione intentant edere nouam Scripturam, nouam legem, ac conſtitutionem, eam explanantes, non ſecundùm ſuam mentem, ſed ſecundum ſuum commodum; & ideo exemplum adduxit ex prophetia: *Quia*, ait OEcumenius, *Prophetæ à Deo acceperunt prophetiam, non vt ipſi volunt, ſed vi, qui eos mouet, diuinus Spiritus operatur.*

2.Petr.1.

*Sæpe Doctores ſuis interpretationibus faciunt nouā legem.*

OEcumen.

168. Epulante Balthazare, *Apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis in ſuperficie parietis aulæ regiæ*, Daniel.5. num.5. De illo autem ſcribente ait gloſſa Moralis, quòd ſcribens erat Deus Pater, manus Deus Filius, digitus Deus Spiritus ſanctus. Scriptura autem erat: *Mane Thecel, Phares.* Ad iuſſionem autem Regis vocantur omnes ſapientes Babylonici, Magi Chaldæi, & aruſpice, qui Scripturam non poſſunt legere, nec interpretari, multis præmiis ab Imperatore propoſitis. De quo maximè admiratur Theodoretus. *Magi rationem inuenire non poterant, qua diuinas litteras legerent, præſertim tanto propoſito præmio, quòd ipſos valde incitabat.* Et quod me magis in admirationem rapit: Cur iſti Arioli falſam,

Daniel.5. Gloſſa Mor. Theodor.

Pereira. Lyran.

falſam, ac commentitiam expoſitionem, ac interpretationem non proferunt; præcipuè cùm illa Scriptura eſſet exarata litteris Chaldaicis, vt vult Benedictus Pereira *lib. 5. in Daniel. §. Sed mirum.* Vel ſi erat conſcripta characteribus Hebraicis, vt aſſerit Lyranus, illi erant multum periti illius linguæ, ob familiaritatem. Cur ergo aliquam interpretationem non adhibent; ſed expreſsè profitentur, ſe non poſſe aperire, nec explanare Scripturam? Pereira *citatus* fatetur, miraculum fuiſſe, quòd arioli Scripturam nec legere, nec interpretari valuerint. Et re vera magnum miraculum fuit. Nam quòd viri ſapientes, & litterati, inſtigante proprio commodo, & lucro, aliquam non proferant explanationem, magnum extitit miraculum diuinæ manus, ibi interuenientis, ac mirabilia operantis: aliter enim ipſi, propria cupiditate commoti, Scripturam in mille ſenſus, & phantaſticas cogitationes extorquerent, & dilacerarent. Vide *cap. 1. n. 45.*

## QVÆSTIO XXV.

### *Quomodo Chriſtus dicat, ſe non veniſſe, vt legem ſolueret, ſed vt adimpleret?*

169\. DE ſenſu horum verborum quærimus: quia Chriſtus re vera ſoluit, & abrogauit legem veterem. *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem*, Matth. 11. num. 13. Paulus *ad Galat. 3. num. 19.* ait: *Lex poſita eſt, donec veniret ſemen*, ſcilicet Chriſtus. Roman. 10. num. 4. *Finis legis Chriſtus.* Et alia innumera loca, quæ hanc veritatem demonſtrant. Quomodo ergo ait Chriſtus, quòd non venit ſoluere legem, ſed adimplere?

Matth. 11. Ad Galat. 3. Rom. 10.

170\. Reſpondeo primò, quòd Chriſtus veriſſimè aſſeruit, ſe non veniſſe ad ſoluendam legem, ſed ad implendam. Quia quæ in lege promiſſa erant, ipſe exhibuit: quæ cæremoniis, & figuris erant adumbrata, ipſe in ſe, ac ſuo corpore, ſuiſque actionibus, atque operationibus, & vitæ, ac paſſionis curſu totum adimpleuit, & repræſentauit: quæ in Prophetis erant prænuntiata, totum peregit, & præſtitit. Et ita ſtatim infert ſequenti verſu: *Amen dico vobis, donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Et ita multoties Euangeliſtæ, geſta Chriſti ſcribentes dicunt, *Vt impleretur, quod dictum eſt per Prophetam*, Matt. 13. num. 35. & 26. num. 54. & 27. num. 9. 35. & 48. Marc. 14. n. 49. Luc. 24. num. 44. Ita Tertullianus *lib. de patientia*. D. Irenæus *lib. 4. cap. 24.* D. Hilarius *can. 4. & 5.* D. Athanaſius *ſerm. contra omnes hæreſes.* D. Auguſtinus *in quæſtionibus noui Teſtamenti quæſt. 69.* D. Cyrillus *lib. de adoratione, & ſpiritu.* D. Iſidorus Peluſiota *lib. 1. epiſtol. 371.* Sixtus Papa *lib. de caſtitate.* Vnde vt rectè obſeruat Abulenſis, dum Chriſtus de ſe aſſeruit, veniſſe ad implendam legem, ſe ipſum verum eſſe Meſſiam declarauit, quia nullus alius poterat totam legem adimplere.

*Prima ſolutio quæſtionis.*

Tertul. Irenæus. Athanaſ. Auguſt. Cyrillus. Iſidorus. Sixtus. Matth. 13. 26. & 27. Marc. 14. Luc. 24. Abulenſ.

171\. Secundò. Quia, cùm eſſet ſupremus Dominus, & ſuperior lege, tamen voluit legem ſeruare, & præſtare ea, quæ ipſa præcipiebat, & ideo circunciſus eſt, in templo præſentatus, ac ad ſolennitates Paſchales ad Ieruſalem aſcendebat. Tertiò. Legem impleuit Chriſtus, quia gratiam, per quam impleri poſſet, nobis cumulatiſſimè attulit. Vnde ait Ioannes 1. n. 17. *Lex per Moſem data eſt, gratia autem per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ita docent D. Auguſtinus *lib. 17. contra Fauſtum cap. 5. & lib. 19. cap. 7.* Chryſoſtomus *homil. 16.*

*Chriſtus cumulatè dat gratiam.* Ioan. 1. Auguſt. Chryſoſt.

Quartò D. Thomas latè explicat. Quia primò Chriſtus adimpleuit legem dulcedine charitatis, Rom. 13. n. 10. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et ita ait Chriſtus ſuis Ioan. 15. n. 12. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Secundò. Cæremonialia, figurarum velamen detegendo. Matth. 27. num. 51. *Velum templi ſciſſum eſt.* Tertiò. Prophetias in ſe completas oſtendendo. Quartò Promiſſiones confirmando. Ad Galat. 3. nmero 16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones.* Quintò. Iudicialia per miſericordiam temperando. Ioan. 8. de Adultera. *Nec ego te condemnabo.* Sextò. Conſilia addendo. Septimò. Promiſſiones omnes ei factas de Spiritus ſancti miſſione, & Filij Incarnatione perſoluendo. 172.

D. Thom. Rom. 13. Ioan. 15. Matth. 27. Ad Galat. 3. Ioan. 8. *Chriſtus multipliciter legem impleuit.*

Quintò. Chriſtus non diſſoluit legem, ſed adimpleuit. Quia bene interpretando perfecit, & ad excellentiora deduxit, vt patet infrà: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*, &c. Pro pœnis, promiſſiſque temporariis, æterna ſubſtituit. Deinde Intentionem, ac finem legis excellentiſſimè impleuit. Nam lex intendebat, hominem facere iuſtum, in quo ipſa valde infirma inueniebatur; veniens autem Chriſtus fidem, ac Sacramenta, certiſſimum, ac abundantiſſimum iuſtificationis modum dedit. Ita D. Gregorius Nyſſenus *aduersùs Iudæ.* Theophylactus, Euthymius, Rupertus *lib. 6. de operibus Trinitat. cap. 27.* 173.

*Optimus explicandi modus.* Gregor. Theophyl. Euthym. Rupert.

Ad ea, quæ dicta ſunt in principio. Chriſtus abrogauit legem veterem, non ſoluendo, ſed implendo; non violando, ſed perficiendo. Sicut pictor, ait Theophylactus, non corrumpit lineamenta prima, ſed cùm vltimam manum apponit, colores adhibet, primam, & inchoatam figuram magis illuſtrat, adimplet, & abſoluit. Lex autem dicitur vſque ad Ioannem, quia tunc ægrotare, & infirmari cœpit, vt ſuo loço latiùs explicabo. 174.

Theophyl. *Quomodo lex dicitur vſque ad Ioannem.*

*Matth. 5. n. 18.* Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Amen enim dico vobis ego, donec tranſierunt cælum, & terra.

*Vatablus.* Donec præterierit cælum, & terra, iota vnum.

*S. Pacianus in Paræneſi ad Pænitentiam.* Cælum, & terra tranſibunt, iota vnum, aut apex non poterunt tranſire, priuſquam omnia



omnia compleantur.

*S. Chromantius in c. 5. Matth.* Iota vnum, vel vnus apex à lege non cadent, donec omnia fiant.

*Theophylactus.* Aut apex vnus non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint.

## *EXPOSITIO.*

175\. SENSVS huius ſententiæ eſt: Dixerat Dominus ſuperiori verſu, ſe non veniſſe ad ſoluendam legem, ſed implendam, quod ita explicat in hoc textu: *Amen quippe dico vobis*, &c. In veritate vobis dico, quòd facilius erit, ac magis factibile, cælum, & terram totaliter perire, ac deſinere eſſe, quàm aliquod minimum promiſſum poſitum in lege; vel vaticinium datum, per me omnino non impleri, & ſatisfieri. Ex quo conſidera, quomodo quiſpiam noſtrûm audet diuinam tranſgredi legem, atque mandata, quæ Chriſtus ſic violare abhorret, vt dicat, cælum, & terram potius tranſeunda, quàm minimum verbum per ipſum non impleri. Singula explicemus.

*Legitimus ſenſus.*

176\. *Amen* vox eſt Hebræa, & ſignificat verè, fideliter: & nec Græcus, nec Latinus, vt notat Hugo, auſus eſt eam iinterpretari, ob magnam reuerentiam, ne vileſceret nudata. *Donec tranſeat cælum, & terra.* Eſt hypothetica, & conditionalis, ſiue comparatiua propoſitio. Et facit hunc ſenſum, Citiùs, ac faciliùs cælum, & terra tranſibunt. Simili phraſi vtitut Regius Vates Pſal. 71. num. 7. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Hoc eſt, Chriſti iuſtitia, & pax non deficiet; ſed citius, quàm id fiat, Luna orbabitur luce ſua. Vnde rectè ait D. Pacianus *in ſua Paræneſi.* Verbum Dei fortius, quàm Scriptura in ferro, vel ære. Et ait Dominus: *Tranſeat cælum*; ita explicat D. Paſchaſius, Albertus Magnus, S. Thomas. Cælum tranſeat, non natura, & interitu, ſed qualitate, ac conditione mutationis, ab hoc ſtatu, quem nunc habet, ad illum nouum, & excellentiorem, quem poſt diem Iudicij eſt habiturum. Tanquam ſi dicat, vt explanat Barradas, Cornelius à Lapide, neceſſe eſt, ante diem Iudicij adimpleri omnia, quæ ſunt in lege, per me.

Hugo. *Quæ ſunt occulta venerantur.* Pſalm. 71. Pacianus. Paſchaſ. Albert. Mag. D. Thom. Barradas. Cornel.

177\. *Iota vnum.* Iota eſt decima littera Græca, & minima ex litteris, quæ vno ductu fit, vt ait D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte.* *Apex* eſt aliqua diſtinctio ipſius litteræ, id eſt, ait D. Thomas, quædam virgula in ſummitate. Et quia tempore Chriſti, nondum introducta erant puncta Hebræa, & apices, qui nunc ſunt in vſu, ideo dici poteſt, quòd vocatur apex, vel faſtigium ipſius, vel alterius litteræ. Niſi fortè tempore Chriſti extarent aliqui litterarum apices, qui poſtea tempore collapſi ſunt. Et ita ſignificat Dominus, nec minimum punctum peribit à lege, donec omnia compleantur.

Auguſt. D. Thom.

## QVÆSTIO XXVI.

### *Quare Dominus per Iotam, & apicem ſignificet, quòd ne minimum mandatum præteribit à lege?*

DVM Chriſtus ait: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Communis ſenſus omnium Patrum, ac Commentatorum eſt, quòd potius cælum, & terra tranſibunt, quàm quòd minimum mandatum non adimpleatur, vt dixi in expoſitione. Tamen vt rectè obſeruat D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Euangeliſta ſcribens Hebræo ſermone, iuxta proprietatem linguæ, in qua ſcribebat, non poſuit Ioth, ſed ad linguam Græcam declinans dicit Iotam. Ergo aliquod magnum myſterium in hoc ſignificare voluit. 178.

Paſchaſ.

Reſpondet primò D. Paſchaſius. *Iota enim apud Græcos, ſicut decima eſt in ordine Alphabeti, ſic decem ſignificat in eorum numero. Vnde liquidò decem mandatorum agendæ vitæ ſumma colligitur.* Et idem habet Rabanus, quod ſignificat Decalogum. Ac proinde, vt etiam explicat D. Thomas. *Iota vnum*, id eſt, nullum ex decem mandatis, *nec vnus apex*, id eſt, nec minimum ſignificatum præteribit à lege. Quia omnia, ſiue magna, ſiue parua, per me adimplenda ſunt. Secundò idem D. Paſchaſius notat, quòd Iota verbum Græcum ſignificat etiam deſolationem; ac proinde dicit minimum, & dicit deſolationem. Et tunc ex verbis Chriſti colligitur hic ſenſus: In lege nec vnum Iota præteribit, nam qui legem violat, & non adimplet etiam in minimo, totam legem contemnit, & ponit eam in deſolationem; qui enim à minimis incipit, ad magna peruenit, & in horrenda flagitia præcipitatur. Vnde eleganter ait D. Chryſoſtomus homil. 83. *Sic in Iuda maximum proditoris malum exortum eſt. Niſi enim putaſſet, parum eſſe, pecuniam inopum ſurripere, in tantam proteruiam non deueniſſet.* 179.

Idem. Raban. D. Thom. Paſchaſ. *Ex trāſgreſſione legis, illius deſolatio.* Chryſoſt.

Tertiò. Chromantius, S. Anaſtaſius. Synaita, Theophanes *Orat. in Exaltatione S. Crucis.* Theophylactus, Qui omnes per *Iotam*, & apicem intelligunt hîc ſanctam Crucem. *Nam*, ait Theophylactus, *Crucis Iota eſt rectum lignum; & apex, tranſuerſum, quo ſenſu dicit, quòd ea, quæ de Cruce dicta ſunt, implebuntur.* De ſua Cruce facit Saluator mentionem, & docet, ea, quæ de Cruce ſcripta ſunt, vt ait Theophanes, firmiora eſſe, quàm cælum, & terra: & de his, quæ ad Crucem ſpectant, loquitur Dominus, quia omnia, quæ continebantur in lege, myſteriis Crucis recapitulantur; & omnia mirabilia, ac dona Dei, quibus nos viuificat, à Cruce deſcendunt, ac manant. Vnde ait D. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 12. *Crux Chriſti clauis eſt Paradiſi, ſalus animæ, & corporis, bonorum omnium datrix.* 180.

Chromant. Anaſtaſius. Theophan. Theophyl. *In Cruce Chriſti recapitulantur omnia.* Damaſcen.

Quartò D. Hieronymus ait hîc: *Ex figura litteræ oſtenditur, quòd etiam, quæ minima putantur in lege, Sacramentis ſpiritualibus plena ſint, & omnia recapitulantur in Euangelio.* Omnia quæ ſunt Scripturæ, maximè veneranda, & alta myſteria ibi indaganda. Vnde ait noſter D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. *Nihil ita paruum in ſacris Scripturis* 181.

Hieron. *Scriptura veneranda.* Cyrill.

*ris inuenitur , quòd magnam nobis vtilitatem non pariat.*

182. Hieron.

Quintò D.Hieronymus in Regula Monachor. titulo de obedientia, *Non leue eſt*, ait, *Deum in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati reſpicit, quantum ad perſonæ contemptum: propter quod non ſolùm homini intuendum eſt, quale ſit, quod iubetur, ſed etiam quantus ſit ille, qui iubet.* Pondera vltima verba. Omnia, quæ ſunt de lege, & etiam minima, non ſunt contemnenda, ſed omnia exactè obſeruanda: quia quanuis aliquod mandatum paruum videatur; tamen maximè attendenda eſt, ac conſideranda imperantis auctoritas: qui enim præceptum tranſgreditur, maieſtatem iubentis contemnit.

*Minima legis non contemnenda.*

183. Auguſt.

Sextò D.Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini. *Per hoc autem, quod ait, Iota vnum, aut vnus apex,* &c. *nihil poteſt aliud intelligi, quàm vehemens expreſſio perfectionis, quando per litteras ſingulas demonſtrata eſt, inter quas litteras iota minor eſt cæteris, quia vno ductu fit; apex etiam ipſius aliqua in ſummo particula; quibus verbis oſtendit, in lege ad effectum, & minima quæque produci.* Iota, & apex, quæ ſunt minima, ponit Dominus in exemplum, quia perfectio obſeruationis legis in eo ſtat, quòd nec ſyllaba, nec punctum prætermittatur, ſed quòd omnia, etiam quæ minima videntur, pleniſſimè expleantur.

*Perfectio viſitatur in obſeruandis.*

184. Exod.10.

Dum pro Populi egreſſu ex Ægypto inſtat Moyſes, ait ad Pharaonem. *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis vngula*, Exod.10. n.26. Cur nec parua reliquia è Populo vult Moyſes, quòd remaneat in Ægypto? Præceperat Dominus, vt Populus diſcedens ex terra illa omnia ſua ſecum aſportaret, vt obſeruat Benedictus Pereira; & ita ſtudioſus eſt Moyſes in adimplendis diuinis mandatis vſque ad amuſſim, vt ne in parua vngula velit præterire, ac inobſeruata relinquere. Cyrillus Alexandrinus lib. . de Adoratione, *Oportet*, ait, *vt qui in veram ſe libertatem aſſerere velint, ſtudeant à malis abſcedere, & ſemitam ingredi, qua ad virtutes ducit, nullaſque omnino, aut animæ, aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum ſub Diaboli dominatum redigamur.* Qui ſemitam Euangelicam ingreditur, ne reliquias peccati, ac tranſgreſſionis debet in ſe admittere, ſed omnia excludere, vt in perfecta norma viuat.

Pereira.

*Nec minimū in lege prætereundum.*

Cyrill.Alex.

*Matth.6.n.19.* Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, hìc magnus vocabitur in regno cælorum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quiſquis igitur ſoluerit vnum ex mandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines.

*Arias.* Soluerit vnum mandatorum iſtorum minimorum.

*Chryſoſt.hom.16.* Quicunque ſoluerit.

### *EXPOSITIO.*

185. *Bonus legiſlator, qui ex ſua obſeruatione alios exhortatur ad legem.*

POSTQVAM Dominus explicauit, quanto ipſe ad legem implendam feratur ſtudio; modò exhortatur alios ad illius obſeruationem ſuo ſuperiùs præpoſito exemplo, quod nil legis abſque impletione relinquet. Et ait: *Qui ergo ſoluerit*; ſeu quicunque. Ad omnes æqualiter ponit ſuas leges. *De mandatis iſtis minimis.* D.Auguſtinus *lib.1. de ſerm. Domini in monte*, hoc refert ad mandata legis veteris, quandiu illa vim habuit. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, quæ ego non veni ſoluere, ſed adimplere. D. Chryſoſtomus *homil.16.* Theophylactus Euthymius, Abulenſis *quæſt.101.* docent, loqui Chriſtum Dominum de mandatis legis nouæ; cuius aliqua ipſe ſtatim à ſequenti verſu, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*, &c. erat traditurus. Et hæc ſententia inde eſt probabilior, quia lex vetus poſt breue tempus in Chriſti morte erat abroganda, & ſuam legem nouam Dominus præcipiebat promulgare. Sunt etiam aliqui Recentiores, qui hoc ita reſtringunt, vt de præceptis Decalogi tantùm intelligant; ſed communior & verior eſt ſententia Chryſoſtomi.

Auguſt. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Abulenſ.

186. Caietan. Maldonat. Cornel.

*De mandatis iſtis minimis.* Intelligit ea mandata, quæ in lege videntur minima, vt ſunt venialia, vt vult Caietanus. Vel etiam, & probabilius, vt docent Maldonatus, Cornelius à Lapide, quæ obligant ad mortale: non quia in ſe ſint minima, ſed quia in opinione Phariſæorum ita reputabantur. Et ideo hæc ſententia eſt probabilior, quia Chriſtus ab hoc loco, vt videbimus *cap.ſequenti*, refutat falſam doctrinam Phariſæorum, qui dicebant, quòd actiones externæ adulterandi, occidendi eſſent peccata mortalia; interna tamen deſideria, & concupiſcentias cenſebant eſſe quid minimum, & vix vllum peccatum: Chriſtus autem docet, eſſe mortalia, ob illaque hominem damnandum, quanuis, ex obligantibus ad mortale, ſit minimum.

187. Hieron.

*Et docuerit ſic homines.* Preme illud verbum *ſic*, ſeu, vt habet Syriacus, *ita*. D. Hieronymus *ſic*, hoc eſt, vt ego facio, ac ſi dicat: Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, damnabitur, etiamſi exhortetur, & doceat alios ad rectè obſeruandum, ſicut & ego facio. Tamen multo accommodatiùs ad litteram D.Auguſtinus, Chryſoſtomus, S.Thomas, hoc modo explanant, qui docuerit ſic, vt ſoluit; ſeu qui docuerit, ſecundùm id, quod ſoluit, minimus erit.

Auguſt. Chryſoſt. D.Thom.

188. Chryſoſt. Theoph.

*Minimus vocabitur.* Ita aliqui explicant. Qui commiſſo peccato veniali legis mandatū violauerit, in regno cælorum erit, ſed in minimo loco. Tamen Chryſoſt. & Theoph. per *minimum*, nullum interpretantur, id eſt, nullus erit in regno cælorum; nam in regno cælorum omnes ſunt magni, vtpote Reges, filij Dei, & cohæredes Chriſti. qui autem ſoluerit, nullus erit, nullus reputabitur. Et magna emphaſi Dominus non dixit, nullus erit, ſed *minimus* erit. Quia ſi vos, ô Phariſæi, grauia legis mandata, vt non concupiſcere mulierem, non habere propoſitum occidendi; dicitis mandata leuia, & ferè nullam obligationem inducentia, ideo vos etiam pariter coram iudice cenſebimini minor, minimi, ac nulli. *In regno cælorum.* Auguſtin. D.Gregor. *lib.19. Moral. cap.5. Eccleſiam* interpretantur. Chryſoſtomus, Theophylactus intelligunt regnum cælorum, Reſurrectionis, & vltimi iudicij tempus, in quo à Iudice minimi, & vltimi declarabuntur.



Auguſt. Gregor. Chryſoſt. Theoph.

189. Paulin. Hugo.

*Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus.* Non ſat eſt ſolùm docere, ſed neceſſe eſt priùs facere. *Quocirca*, ait Diuus Paulinus lib.2. Epiſtol. 235. *ſermone, & vita rutilare, opus eſt.* Magnus erit in Eccleſia Præſul, & doctor; magnus etiam in reſurrectione mortuorum, ac in regno cælorum, vbi omnes magni ſunt, vt notat Hugo.

## QVÆSTIO XXVII.

### *Si ille, qui ſoluit minima mandata, dicitur minimus, qui ſoluerit maiora, quomodo appellabitur?*

190. Greg.Magn.

IN præſenti textu ait Dominus ſuis: *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur.* Si ergo ſoluerit vnum de mandatis maioribus, qualiſnam dicetur; nec enim eſt minor minimo? Reſpondet Albertus Magnus; quòd dicitur *minimus*; *quia ex ſolutione vnius minimi mandati tota virtus gratiæ labefactatur.* Iam enim tendit homo ad ruinam. Eccleſiaſt. 19. numero 1. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Ac proinde qui ſoluit magna, & minima mandata, non habet æqualem in ſua grauitate tranſgreſſionem, ſed ex leuiori diſponitur, & prolabitur in aliam grauiorem, & iam ad præcipitium, ac ruinam tendit. Vide ſuperiorem quæſtionem. Secundò dicendum cum Euſebio Emiſſeno, Abulenſi, vt dicam *quæſtione ſeq.* quòd Dominus hìc loquitur de eo, qui ſoluit maiora, & minora mandata. Ac ſi dicat: Non ſolùm, qui ſoluerit maiora præcepta, ſed etiam qui ſoluerit minora, erit minimus; hoc eſt, inter damnatos computabitur, quanuis vnus alio iuxta qualitatem delicti ad grauiorem pœnam ſit deputatus à Iudice. Apocal. 19. num. 7. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Eccleſ.19. *Ex leuiori crimine in grauius prolabitur commiſſor.*

Emiſſen. Abulenſ.

Apoc.19.

191. *Peccata grauia nullis verbis explicari valent.*

Tertiò. Qui ſoluit mandatum minimum, explicatur, quòd minimus vocabitur. At qui tranſgreditur aliquod mandatum magnum, ita graue delictum, & flagitium perpetratur, vt quodammodo, noſtro dicendi modo, nulla ſint verba, quibus tantum malum valeat enucleari, nulluſque modus videatur ſufficiens. Et ideo qualiter ipſe ſit vocandus, non declaratur, ſed conſiderationi, ac ponderationi vniuſcuiuſque remittitur. Ex victimis ſacrificantium, vi, ac violentia tollebant ſibi filij Heli, de quibus dicitur in textu: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à ſacrificio Domini*, 1. Reg. 2. num. 17. Peccant filij Iſraël derelinquentes Dominum, & turpiſſimum Idololatriæ ſcelus perpetrantes; & vt hoc nobis Scriptor Canonicus enarret, ait: *Fecerunt filij Iſraël malum coram Domino*, Iudic. 2. num. 11. & 3. num. 7. & 4. num. 1. & ſæpe. Et de ipſo Idololatriæ delicto inquit Caietanus citato cap. 2. *Peccauerunt peccato maximo, colendo Deos alienos.* Et Carthuſianus *ad cap. 4.* ait: *Ponitur hîc malum pro malorum, ſcilicet culparum, congerie.* Et Abulenſis ibidem, quæſt. 1. *Ponitur hîc malum, ſcilicet colere Idola, quia cætera mala, quaſi venialia Deus reputabat in ipſis Iudæis, ſi in hoc non peccarent.* Si ergo Idololatriæ crimen tam graue, ac abominabile eſt, cur aliquot ponderoſis, ac plenis verbis non exaggeratur; & ſicut de peccato filiorum Heli dicitur, *Erat grande nimis*; cur non ita dicitur de execratiſſimo Idololatriæ ſcelere, ſed ait textus: *Fecerunt malum?* Adeò turpiſſimum eſt, & deteſtabile Idololatriæ flagitium, vt ad tantum ſcelus exprimendum pauca videantur omnia verba; ac proinde ſacer textus contentus eſt dicere, *Fecerunt malum*; ſub quo omnia malorum intelligit genera.

1.Reg.2.

Iudic.2.3. & 4.

Caietan. Carthuſ. Abulenſ.

192. Matth.2. *Magna verbis explicari non poſſunt.*

Quæ enim maxima ſunt, ſæpe verbis non explicantur, ſed ſilentio inuoluuntur. Cùm poſt egreſſum à Ieruſalem Magi vident ſtellam, quæ apparuerat eis in Oriente, dicuntur: *Gauiſi ſunt gaudio magno valde*, Matth. 2. num. 10. Et tamen, cùm intrant domum, & Chriſtum natum vident, multo maiori ſunt gaudio perfuſi; ſacer tamen Euangeliſta, qualis hæc nimis periucunditas fuerit, non ſcribit: nam ad tantum gaudium exprimendum, vt noſtro vtar dicendi modo, nulla videbantur ſufficere verba, ac proinde ſilentio fuit inuoluendum, noſtræque hoc conſiderationi committendum.

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Quare Chriſtus appellet præcepta minima?*

193. *Difficultas quæſtionis.*

DVM mandatum legis etiam minimum ſoluitur, peccatum committitur, per quod fit offenſa, & iniuria Deo; & dixi in expoſitione, quòd per mandata minima intelligit Dominus ea, quæ obligant ad mortale: atqui quælibet offenſa, & iniuria Dei eſt grauiſſimum malum: deinde hæc mandata, à Domino tradenda, erant valde magna, & ſublimia, vt inquit Chryſoſtomus ſtatim *citandus*; quomodo ergo hæc mandata dicuntur minima?

194. *Prima, & verior ſolutio.*

Reſpondeo primò, quòd appellat minima mandata ea, quæ in Phariſæorum opinione reputabantur minima: nam ipſi falsò dicebant, interna deſideria occidendi, adulterandi, aut vix, aut nullum eſſe peccatum, vt dixi in expoſitione, & latiùs explicabo *cap. ſeq.* Chriſtus hunc errorem ab hoc loco incipit refutare, & docet, quòd qui illa ſoluerit, erit minimus, atque damnandus. Et in hac ſententia eſt Imperfectus *homil. in principio.* Præcepta, ait, Chriſti, quæ apud Scribas, & Phariſæos minima exiſtimabantur. Secundò Caietanus, minima aſſerit dici, quia ſunt, quæ obligant ad veniale. Tertiò Hugo, quæ apud homines reputantur contemptibilia. Quartò D. Thomas intelligit aliqua præcepta moralia, & legalia legis, quæ in ſignificatione, & repræſentatione minus erant.

Imperfect.

Caietan. Hugo.

D.Thom.

195. Chryſoſt.

Quintò D. Chryſoſtomus *homil. 16.* ait: Dominus tam magna, ac ſublimia mandata vocat minima, quia conditurus erat ipſe legem; & ſicut ſemet

ſemetipſum humiliat, ac mediocria de ſe ipſo loquitur; ita & de ſuis præceptis: & vt extenuaret, & declinaret inuidiam ſuorum inimicorum, humilitatis gratia, tam magna mandata dicit minima. Similiter Theophylactus. Sextò Euthymius. Vocat præcepta minima, ne extollerentur, qui ea ſeruarent, docens nos, propria attenuare, quanuis magna ſint; & excelſa. Septimò Imperfectus *homil.* 10. ait, quòd hæc mandata videntur minima: quia ſi comparentur cum maioribus mandatis, minora ſunt peccata, quæ contra hæc minora præcepta committunt, quàm quæ aduersùs maiora fiunt. Verbi gratia, mandatum: Non iraſcaris fratri, minus eſt, ſi conferatur cum præcepto, Non occides; peccatum enim iræ, quod corde retinetur, minus eſt, quàm homicidium exteriùs perpetratum. Ita ait Imperfectus: *Minima mandata iſta dicit Dominus non iraſceris, non concupiſces; quæ in obſeruando quidem magna ſunt; in peccando autem minima videntur, quantum ad homines negligentes*; vt latiùs explicat ipſe auctor. Nam declinare actum iræ, vel concupiſcentiæ internum ob noſtram fragilitatem, in obſeruando quid difficile; at in ratione peccati ipſe actus internus quid minus eſt, quàm externum, & actuale homicidium. Vide ipſum Imperfectum.

Theoph. Euthym. *Propria reputentur minima.* Imperfect. *Actus internus minus peccatum, quàm externus.*

196. Emiſſenus. Octauò Euſebius Emiſſenus *in homil. de hoc Euangelio*, ait, quòd illa præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut te ipſum.* Maxima igitur, ait, hæc duo ſunt, & illa decem, quæ digito Dei in tabulis lapideis ſcripta ſunt. Ad horum itaque comparationem alia omnia, vel minora, vel minima intelligi poſſunt. Nonò idem Euſebius, Abulenſis *quæſt.* 101. Ianſenius inquiunt, quòd Chriſtus non vocat minima mandata omnia, quæ tradebat; ſed ait *minima*, ac ſi diceret: non ſolùm qui ſoluerit aliquod mandatum magnum de his, quæ prædico, erit minimus in regno cælorum, ſed etiam qui ſoluerit aliquod minimum. Et ait Abulenſis: nam qui ſcienter docet contra aliquod mandatum noui Teſtamenti, hæreticus eſt, & infidelis.

Euſeb. Abulenſ. Ianſenius.

197. Matth. 11. Decimò. Vocat Dominus ſua præcepta minima; quia *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, Matth. 11. num. vltimo. Ita enim ſuauia, ac leuia ſunt præcepta Domini, ſi cum amore, ac obedientia conferantur, vt minima videantur. Diuus Auguſtinus *ſerm. 9. de verbis Domini.* D. Bernardus ſerm. 43. in Cantic. *Onus Chriſti leue eſt, leue tamen amanti.* Et D. Auguſtinus *lib. de natura, & gratia*, explicans illud 1. Ioan. 5. num. 3. *Mandata eius grauia non ſunt*; ait S. Doctor: *Quomodo eſt graue, cùm ſit dilectionis mandatum.* Omnia ergo legis diuinæ præcepta ita ſuauia, ac leuia ſunt amanti, vt tanquam minima videantur. Ait Paulus 2. Corinth. 4. num. 17. *Id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ*; ſeu, vt legit Chryſoſtomus, *Momentanea leuitas afflictionis noſtræ.* Ab Apoſtolo enim ſuæ prædicationis, ac afflictionis tempus per multos annos perſeuerans, præ charitate, ac obedientia (nam ei mandatum erat, vt portaret nomen Chriſti in Gentibus) quædam minima, & modica leuitas, vt ait D. Thomas, reputabatur.

Auguſt. Bernard. Auguſt. 1. Ioan. 5. *Amanti omnia ſuauia.* 2. Cor. 4. Chryſoſt. *Vbi Dei mãdatum, ibi leuitas, & ſuauitas.*

198. Ioſue. 24. Numerat Ioſuë multas diuerſis ex Gentibus ab Iſraël reportatas victorias: *Eieci eos de locis ſuis duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo*, Ioſuë 24. num. 12. Et tamen ſi ſacram conſulas Scripturam, contra hos pugnauit Iſraël *in ore gladij*, Numero 21. num. 24. Sicut & ipſos Amorrhæos, & alias gentes idemmet Ioſuë debellauit, ac eiecit de terra promiſſionis, vt patet *à cap.* 8. Quomodo ergo dicitur, quòd nec in gladio, nec in arcu tuo peractum eſt prælium? Abulenſis ibidem, *Non eſt ſenſus*, ait, *quòd Iſraëlitæ non pugnauerint contra gentes iſtas, pugnauerunt, & diluerunt eas; ſed cùm timerent, Deus hortabatur, vt non timerent.* Geſtum eſt prælium, adhortante, & præcipiente Domino, *Deuteronom. 2. numero 24. Ioſuë 8. numero* 1. Et cùm, ſtante Dei mandato, bellum eſſet commiſſum, tanta facilitate, ac ſuauitate totum eſt peractum, ac ſi nullus ibi militaris ſtrepitus, nec gladius, nec ſagitta interueniret, aut adeſſet.

Numer. 21. Abulenſ. *Vbi Dei mãdatum, ibi magna facilitas.*

## Qvæstio XXIX.

*Quare Dominus abſolutè ait, quòd qui fecerit hæc, erit magnus, abſque eo quòd exprimat aliquid, ſicut expreſſit in ſoluente?*

199. *Difficultas quæſtionis.* Valde diuerſimodè loquitur Dominus de ſoluente, ac faciente mandata: nam dum de eo, qui ſeruat mandata, exprimit minima: *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis*; at dum ſemonem inſtituit de adimplente, abſolutè ait: *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum*, abſque eo, quòd determinet, ac declaret, qui fecerit magna, vel minima.

200. Euſeb. Abulenſ. Reſpondeo primò ex Euſebio Emiſſeno, Abulenſi, & aliis, vt dixi ſuperiori quæſt. in nona ratione, quòd ita intelligitur præſens textus, quòd qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, ſiue ſit mandatum magnum, ſiue paruum, vocabitur minimus, cùm inter damnatos ſit computandus: ita qui fecerit hæc, ſiue magna, ſiue maiora mandata, magnus erit, cùm ſit in regno cælorum, in quo omnes ſunt magni, nobiles, & Reges, quanuis pro diuerſitate meritorum differant in remuneratione gloriæ: *Stella ab ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum*, 1. Corinth. 15. numero 41. Secundò Diuus Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte*, ad illa verba: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*; ita explicat, quòd ille, qui impleuit aliquod minimum legis, vt non occidat, non continuò erit magnus, & idoneus regno cælorum, ſed tamen aſcendit aliquem gradum: perficietur autem, ſi non iraſcatur ſine cauſa; ac proinde vt ſit magnus, requiritur, vt faciat magna, nec occidendo, nec iraſcendo.

1. Cor. 15. Auguſt.

201. Rupert. Tertiò Rupertus *lib. 4. in Matth.* notat, quòd dum de non implente mandata agit, minima commemorat: *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis*; at dum de adimplente loquitur, nec magna, nec parua determinat, ſed abſolutè fatur. Quia præexcelſa magnitudo non ſolùm de magnis, ſed etiam de paruis coaleſcit, ac creſcit; & ad glorioſos triumphos non ſolùm magna, ſed etiam parua conueniunt. Pollicetur Deus Abrahamo,

*Magnitudo etiam ex minimis coaleſcit.*



hamo, quòd faceret ipſum in gentem magnam, *Gen.* 12. *num.* 2. & quòd ſemen eius futurum eſſet ſicut ſtellæ cæli, *Gen.* 15. *num.* 5. & etiam ait: *Faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ*, Geneſ. 13. num. 16. ſeu, vt habent Septuaginta, *ſicut arena terræ.* Abrahamo, qui magnificandus eſt in terra, & in gentem magnam dilatandus, optimè dicitur, quòd filij eius erunt ſicut ſtellæ cæli, quæ ſua magnitudine ſuperant terram. Sed ad quid additur, quòd erunt ſicut puluis, ſeu arena terræ? Quia præclara excellentia filiorum Abrahæ, non ſolùm componenda erat ex magnis, & amplis, verùm etiam ex paruis, ac minutiſſimis granis arenæ, & pulueris. Caietanus, *Vide progreſſum*, ait, *priùs promiſerat: Faciam te in gentem magnam; modò augendo dicit, ſicuti puluerem terræ.* Expende verba. Poſtquam Abrahamo promittitur: Faciam te in gentem magnam, augendo ei dicitur: ſicut puluerem terræ; quia etiam ipſa magnitudo augetur ex minima, ac leuiſſima pulueris feſtuca.

Gen. 12. Septuag. Caietan.

# CAP. XII.

## *Abundet iuſtitia, dimittatur ira.*

*Matth. 5. n. 20.* Dico enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Tertull. lib. 1. cõtra Marc. c. 23. & lib. de Monog. c. 7.* | Niſi redundauerit iuſtitia veſtra. |
| *S. Iuſtin. Mart. Dialog. contra Iudæos.* | Niſi iuſtitia veſtra maior fuerit quàm Scribarum. |
| *Text. Græcus.* | Quod niſi abundauerit. |
| *D. Paulinus Epiſtol. 2.* | Niſi abundauerit iuſtitia veſtra ſuper iuſtitiam. |
| *Vatablus.* | Nequaquam intraueritis in regnum. |

### *EXPOSITIO.*

Dixerat Dominus ſuprà, ſe non veniſſe ad ſoluendam legem, ſed ad implendam; & ita intendit, vt ſui ſint legis obſeruatores exactiſſimi; ac non ſolùm vult, vt ipſam impleant eo modo, quo Scribæ, & Phariſæi, ſed vt legis obſeruatione abundent, & excellant. Et ad hoc eos eſt exhortatus, primum ſuo exemplo: *Non veni ſoluere legem, ſed implere. Iota vnum non præteribit à lege*, &c. Secundò, magno propoſito præmio: *Qui fecerit, & docuerit, magnus erit.* Tertiò, nunc adhibita pœna: *Non intrabitis in regnum cœlorum*; qui enim nec exemplis mouentur, nec alliciuntur fauoribus, ſæpe pœnis trahuntur. Vide ſuprà *cap.* 11. *numero* 61. 62. & 63. & *num.* 106. & 107.

*Quos fauores non alliciunt, pœna trahũt.*

1. Hugo. Paſchaſ. *Dico.* Magnam vim habet, vt notat Hugo (nam, vt ait D. Paſchaſius, ipſamet Dei maieſtas loquitur) hoc eſt, conſtanter, ac firmiter aſſeuero, & dico: *Quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra. Quia*, id eſt, *quòd*, iuxta radicem Græcam. *Abundauerit*, id eſt, excelluerit, ac maior, & plenior fuerit. *Iuſtitia veſtra.* Pro vniuerſitate virtutum poni, exiſtimant Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius. Faciliùs intelligitur veſtra iuſtitia, hoc eſt, veſtra legis obſeruatio, ſeu adimpletio legis, ac meorum mandatorum, quæ ego addo, vt explanant Diuus Auguſtinus, S. Thomas. Et hæc dicitur iuſtitia, quia obſeruatione mandatorum Dei iuſtificamur. *Pluſquam Scribarum, & Phariſæorum.* Scribæ erant legis doctores; Phariſæi viri, qui maximè ſe gloriabantur de obſeruatione legis, vt dixi ſuprà cap. 3. quæſt. 2. *Dicebat Phariſæus: Decimas do omnium, quæ poſſideo.*

Chryſoſt. Theoph. Euthym. Auguſt. D. Thom.

3. Chryſoſt. Sixtus. Diuus Chryſoſtomus *homil.* 11. S. Sixtus Papa *Epiſtol. de malis doctoribus*, docent, Chriſtum Dominum hîc loqui de Phariſæis, & Scribis, qui dicebant, & obſeruabant legem: nam, dum dicitur: Iuſtitia veſtra abundet pluſquam illa; ſupponitur etiam quòd illa ſit iuſtitia, aliter enim non comparaſſet iuſtitiam, quæ erat, iuſtitiæ, quæ non erat; plus enim, & minus eiuſdem generis ſunt. Tamen multo aptiori modo intelligitur locus cum D. Auguſtino *lib. 20. de ciuitate. cap. 9. & lib. de fide, ac operibus cap.* 26. & D. Iſidoro Peluſiota *lib. 1. Epiſtol.* 79. D. Paulino *Epiſt.* 2. D. Leone *ſerm. 7. de menſe Iunij.* D. Thoma, Abulenſi, & aliis, de Phariſæis, ac Scribis, qui dicebant, & non faciebant; hos enim frequenter Chriſtus arguebat. Matth. 23. num. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; quæcunque dixerint vobis, facite: ſecundum opera eorum nolite facere*, & Luc. 11. num. 46. & alibi ſæpe. Vnde ait Auguſtinus proxime citatus: *Iuſtitia Phariſæorum eſt dicere, & non facere.* Et ita tota iuſtitia Phariſæorum erat in apparentia, vt ait D. Thomas.

Auguſt. Iſid. Peluſ. Paulin. Leo. D. Thom. Abulenſ. Matth. 23. Luc. 11. Auguſt.

## Qvæstio I.

*Quænam eſſet iuſtitia Phariſæorum, & quare inſufficiens ad regnum cælorum?*

4. Iuſtitia Phariſæorum ad regnum cælorum erat inſufficiens, quia tota in apparentia hominum poſita erat. Nam primò, vt docent D. Auguſtinus *proximè citatus.* Iſidorus Peluſiota, Euthymius, Abulenſis, docebant, & non faciebant, vt patet ex *Matth.* 23. *proximè citato.* Iuſtitia Apoſtolorum ſit abundans, vt faciat, & doceat: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus erit.* Vide *cap.* 11. *numero* 69. & 73. 74. & 75. Secundò. Iuſtitia Phariſæorum, vt infrà videbimus, tota erat in exteriori: nam ſibi perſuadebant, actus externos occidendi, adulte-

Auguſt. Peluſiot. Euthym. Abulenſ. *Phariſæi docent, & non faciunt.*

randi eſſe peccata; ac deſideria, & concupiſcentias internas vix vllum eſſe peccatum cenſebant.

Humbert. Epiſcopus Humbertus contra Græcorum calumnias. *Phariſæorum, ac Scribarum iuſtitia erat tantum à malo opere abſtinere: voluit Dominus in hoc ſuorum iuſtitias ſuperabundare, vt non ſolum malum ab opere, ſed inſuper à cogitatione ſatagerent reſecare.* Non enim externus fucus tantùm, vt ait D. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *Epiſtol.* 78. ſufficit ad regnum Dei: nam perfecta iuſtitia vſque ad intimas cogitationes, ac interna penetrat.

Peluſiota. *Perfecta iuſtitia penetrat vſque ad interiora.*

5. Matth. 5. *Iuſtitia cum miſericordia.*

Tertiò. Iuſtitia Phariſæorum nimis rigoroſa, & ſeuera, *Oculum pro oculo, dentem pro dente,* Matth. 5. num. 39. At iuſtitia Diſcipulorum, quos conſtituebat Eccleſiæ Præſules, in hoc ſuperabundet, vt ſit admiſta miſericordia in tolerandis ſuorum defectibus, vt ponderat D. Leo *ſerm.* 7. *de menſe Iunij*. Nam nimium ius, nimia iniuria. Vide *cap.* 10. *num.* 179. & vt eſſet admiſta miſericordia in proximi iniuriis condonandis, vt expendit Hincmarius Rhemenſis Archiepiſcopus *in fragmento Epiſtolæ* 1. inter eius opera. Quartò. Chromantius *in cap.* 5. *Matth.* ait, quòd reprehenditur iuſtitia Scribarum, & Phariſæorum, quia non fidem promiſſionis, nec gloriam Dei, ſed humanam laudem quærebant, & hac fumoſa vanitate terrena mercabantur. Quintò. S. Maximus Confeſſor *in quæſtionibus de Incarnatione Verbi* docet, quòd Chriſtus Dominus his verbis exhortatur ſuos ad animum ſimplicem, & ſincerum: nam Scribæ, & Phariſæi omnia faciebant duplici animo, cauillatione, ac malignitate.

Leo. Hincmarius. Chromant. Maximus. *Vir duplicis animi non eſt ad regnum.*

6. Albert. Mag.

Sextò. Albertus Magnus. Iuſtitia Phariſæorum erat cohibere manum, non animum, obſeruare magna, & non parua, ignorantes quòd præexcelſa magnitudo, non ſolùm de magnis, ſed etiam de paruis, ac minimis exoritur, & creſcit, vt dixi *ſuperiori cap. quæſt. vltima.* Secundò. Iuſtitia Phariſeorum erat in obſeruatione traditionum plus, quàm mandatorum Dei; magis enim erant intenti ad ſeruandas ſuas præſumptiones, ac traditiones, quas ipſi cogitarunt, ac fabricauere, quàm præcepta, & mandata Dei. Tertiò. Eorum iuſtitia erat in intentione terrenorum, ſolùm enim de terrenis cogitabant.

*Magna ex minimis coaleſcunt.*

7. S. Thom. *Præſumptuoſi inepti ad regnum.* Luc. 18.

Septimò D. Thomas. Iuſtitia Phariſæorum, ac Scribarum erat in præſumptione actionis ſuæ, ac in iudicio, ac detractione alterius, vt patet ex illo Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbato.* Secundò. Erat in oſtenſione operis, non in rectitudine intentionis. Tertiò. Erat in lotione, & exteriori munditia, non in opere. Quartò. In afflictione corporis per ieiunia, non in obſeruatione mandatorum.

8.

Valde mirum, quòd Scribæ, qui erant legis doctores, verſati in lege, & Scriptura; ac Phariſæi, qui etiam docti, ac maximè ſe iactabant de legis obſeruatione, tot eſſent erroribus pleni, tot falſitatibus ſcaturirent. Nam ipſi dicebant, internas cogitationes occidendi, concupiſcendi, vix vllum eſſe peccatum; quod falſiſſimum eſſe, apertè, ac planè conſtat ex Scriptura, vt dicam infrà *quæſt...* Sed ſua præſumptione, ac peccatis ita erant obcæcati, vt Scripturas non intelligerent, *Obliti ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo,* Iſai. 43. numero 18. Deinde Phariſæi tot peruerſis dogmatibus erant pleni: nam ſuis populum ſeducebant erroribus, hiſque eorum doctrina vniuerſæ plebi grata erat, vt tradit Ioſephus *lib.* 13. *Antiquit.* Et ita ab ipſa plebe victum, ac alimoniam ſibi comparabant; facile enim quilibet fauet, patrocinaturque erroribus, quibus pingueſcit, alitur, ac viuit.

*Cur tot errores in Scribis, & Phariſæis.* Iſai. 43.

*Homo fauet erroribus, quibus alitur, ac viuit.*

9.

Datus eſt pædagogus ille Danieli, ac ſociis eius, vt eos in Chaldæorum ritibus, ac religione inſtrueret, ac bene formaret, *vt doceret eos litteram, ac linguam Chaldæorum,* Daniel. 1. numero 4. At verò. Præpoſitus ſuo muneri non ſolùm non ſatisfecit, ſed etiam eis permiſit, ac conceſſit, vt dimiſſis aſſignatis regalibus epulis obſeruarent, ac implerent ſuam Hebræorum legem, vtque legumina tantùm veſcerentur, & aquam biberent. Quomodo iſte eunuchorum magiſter regale potentiſſimi Regis Nabuchodonoſoris contemnit imperium? vt pueris non præbeat aſſignata cibaria? Deinde iſte præpoſitus, vt gentilis, & prophanus, in ſua falſa præſumptione ſibi perſuadebat, quòd tunc illi ritus Iudaici erant vani, & inutiles; & quòd pueri, illos obſeruantes, in erroribus viuebant, ac degebant. Quo ergo fundamento, ac ratione eis permiſit, vt ſuæ legis eſſent obſeruatores? Ait textus numero 16. *Porrò Malaſar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, dabatque eis legumina.* Præpoſitus puerorum ſtipendia ſibi aſſumebat, ac ſurripiebat, quibus locupletabatur, ac proinde facile permittebat, ipſos mille erroribus viuere, ac implicari, vt ipſe falsò cogitabat. Theodoretus. *Alimenta*, ait, *quæ illis præbebantur, ipſe accipiens, promptius eis concupita ſemina ſuppeditabat.*

Danie. 1. *Facile permittit homo errores, de quibus viuit.* Theodor.

10.

Ex Dei iuſſione Noë ampliſſimam arcam fabricauit, *Geneſ.* 6. *numero* 22. Ad cuius extructionem multos conuocauit artifices. Sed quomodo homines conueniunt ad opus, de quo omnes deridebant, ſibi perſuadentes, ſtultum eſſe laborem, vt *ibi* ponderat Chryſoſtomus, Lippomanus, & alij? Quomodo non recuſant, manus admouere ad machinam, de quo omnes ludificant? Artifices de opere illo victitabant, & comedebant, ac quotidiana à Noë ſtipendia accipiebant, ideo nil ſolliciti erant, quòd ipſe erraſſet, & omnibus ſubſannationis materiam præbuiſſet. D. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Geneſ. quæſt. 5. *Non erat magnum*, ait, *fabros alios habere, quamuis operis ſui mercede accepta non curauerint, vtrùm Noë ſapienter, an verò inaniter fabricaret.*

*Sunt homines, qui ·perentur ad errores de quibus comedũt.* Auguſt.

## QVÆSTIO II.

### *Quare Chriſtus non dixerit, quòd ſuorum Apoſtolorum iuſtitia maior eſſet, quàm Prophetarum, ſed Scribarum, & Phariſæorum?*

11. *Difficultas quæſtionis.*

APOSTOLI fuerunt in iuſtitia, & ſanctitate multo illuſtriores Prophetis. Ergo in maiorem eorum gloriam, laudemque cederet, ſi Dominus diceret: Abundet iuſtitia veſtra pluſquam Prophetarum. Ad hoc reſpondet Caietanus. Non dixit, ait, Dominus, pluſquam iuſtitia legis, & Prophetarum, ſed Scribarum, & Phariſæorum; quia ferè cuncti præcepta, quæ Ieſus ſubiungit, erant apud legem, & Prophetas

Caietan.





phetas, ſed non apud Scribas, & Phariſæos, qui externorum operum iuſtitiam ſectabantur. Iuſtitiam itaque maiorem vocat, tum iuſtitiam non ſolùm externorum operum, ſed etiam internarum affectionum; tum correctionem cæterorum permiſſorum in lege veteri, vt correctionem libelli repudij, & vſuræ. Ita Caietanus.

12. *Germana ſolutio.*

Secundò, & clarè reſpondeo ad quæſtionem. Dominus hîc agebat de iuſtitia neceſſaria ad ingreſſum regni cælorum: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, non intrabitis*, &c. Iuſtitia autem Prophetarum, qui fuerunt viri ſanctitate valde conſpicui, ad cæleſtem Patriam poſſidendam ſufficientiſſima extitit. At Phariſæorum, Scribarumque iuſtitia, vtpote multis erroribus plena, omnino erat inſufficiens, vt dixi *ſuperiori quæſt.* Et ideo horum iuſtitia apparens tantùm in oculis hominum, erat deteſtanda, ac emendanda, vt ad gloriæ thronum haberent acceſſum.

13. *Aliquando vera diſſimulanda, ne inuidiæ detur occaſio.*

Tertiò, & moraliter dico. Verum eſt, quòd Apoſtoli fuerunt ſanctitate maiores, quàm Prophetæ: tamen ſi Dominus diceret, quòd iuſtitia ſuorum ſuper Prophetarum iuſtitiam abundare debebat, magna inuidiæ, odiique daretur occaſio; nam Iudæi nimis ægrè ferebant, quòd ſe Dominus Prophetis præferret. Vnde dicebant: *Abraham mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt; quem te ipſum facis?* Ioann. 8. num. 53. Vera ergo, valdeque ſpecioſa Apoſtolorum laus, ac gloria, quòd Prophetas in iuſtitia antecellerent, nunc declinandæ inuidiæ cauſa, non fuit diuulganda, ſed ſupprimenda, ac diſſimulanda. Vide *cap.* 11. *num.* 295. Quartò, Chriſtus Dominus, dum ſuos hîc ad virtutis faſtigium euehit, eis ſtatim in limine non proponit, vt Prophetas omni virtute inſignes antecedant, ſed Scribas, & Phariſæos, inuidia, ambitione, ac cupiditatibus plenos: nec enim eis in initio nimis ardua mandare intendit, ne difficultate deſperent, ſed eos à facilioribus manu ducit. Vide ſuprà *c.* 10. *n.* 165. *& c.* 3. *n.* 39. *& c.* 7. *n.* 84. *&* 85.

Ioan. 8. *Incipientibus faciliora proponenda.*

14. Ioan. 4. *Qui pro nobis laborarunt, venerandi.*

Quintò. Apoſtoli virtute Prophetis eminentiores: tamen Prophetæ laborauerunt, & Apoſtoli in eorum labores introierunt, *Ioan.* 4. *num.* 38. Et qui pro te laborauerunt, quorum labores metis, quamuis tibi ſint inferiores, non ſunt quodammodo ratione tui aliqualiter deuenuſtandi; ſed potiùs omni honore, ac gloria ſublimandi. Et ita Chriſtus Apoſtolis ſuis Prophetarum proponebat exempla: *Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos,* Matth. 5. n. 12.

Matth. 5.

15. Gen. 35. Rupert.

Cùm Iacob perueniſſet Luzam, ait Text. *Mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum: vocatumque nomen loci illius, Quercus fletus,* Gen. 35. num. 8. Vbi duo ponderanda ſunt. Primò, vt notat Rupert. *lib.* 8. *c.* 13. Cur commemoratur mortis, & ſepulturæ Deboræ? non verò ipſius Rebeccæ? Iacob erat Rebeccæ obligatione maximè aſtrictus; illa nanque multum laborauit, vt ipſe benedictionem nactus eſſet, eumque conſilio inſtigauit, pulmentum præparauit, & ſemetipſam maledictioni ſubiecit, *Geneſ.* 27. *n.* 13. Et Rebecca mortua eſt, dum Iacob commoraretur in Meſopotamia, vt notant *ibi* Chryſoſtomus, Caietanus, & alij. Et cùm Iacob Rebeccæ maximè eſſet conſtrictus propter curam, ſolicitudinemque tantam ob eum ſuſceptam, ne Rebeccæ ſolicitudo irremunerata maneret, honorem, quem matri non potuit exhibere, præſtitit nutrici eius, Secundò. Id, quod maximè facit ad noſtrum intentum, locus ſepulturæ: *Vocatum eſt nomen loci illius, Quercus fletus*; hoc eſt, vt *ibi* explicat Abulenſis; *Quia tota familia Iacob ibi eam fleuit.* Sed cur mors Deboræ tot exequiis, ac tam magnifico funere celebratur, quod minimè legitur in morte Liæ? Nunquid Lia non erat multo melior, & nobilior nutrice? Nónne Iacob à Lia multis præclariſſimis ditatus eſt filiis? Cur ergo illius mors magnis exequiis non celebratur, vt mors Deboræ? Lia nobilior ſanè, Debora tamen attinebat ad Rebeccam, quæ pro filio multum laborauit; & cum Debora, etſi conditione inferior, nutrix eſſet illius matris, quæ tantas pro filio geſſerat curas, mors eius à Iacob maiori legitur affecta honore, quàm nobiliſſimæ Liæ, à qua magna acceperat pignora; vt inde ſcirent omnes quanta ad matrem veneratione ferebatur. Hamerus. *Nutrix Rebeccæ ſedulæ matris cum fletu ſepelitur.*

Gen. 27. Chryſoſt. Caietan. *Parentibus, qui pro nobis laborarunt aſtricti maximè ſumus.* Abulenſ. *Adaugetur difficultas ex morte Liæ.* Hamerus.

16.

Poterit quis optimè dubitare, quid nos magis aſtrictos teneat, Creatoris, an Redemptoris memoria? Meritò D. Bernardus ſtat pro Redemptoris memoria: nam licet in Creatore appareat maieſtas omnipotentis Dei, in Redemptore verò infirmitas noſtræ humanitatis: tamen Creator ſine labore condidit, quos Redemptor morte, ſanguine, ac cruce reſtaurauit. Ac proinde magis nos obligatione deuincit, magis ad pietatem mouet huius, quàm illius recordatio. D. Bernardus ſerm. 11. in Cantic. *Sanè*, ait, *multum fatigationis aſſumpſit Dominus, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoueretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus eſſe deuotum fecerat conditionis facultas. Quid enim dicebat homo creatus, & ingratus? Gratis quidem conditus ſum, ſed ſine vllo auctoris grauamine, vel labore. Sic beneficium creationis attenuans humana impietas dicebat. Sed obſtructum eſt os loquentium iniqua. Quantum modò pro te homo diſpendium fecit, de Domino ſeruus, de diuite pauper;* &c. Idem habet *ſermo* 20. *in Cantic. & ſerm. de paſſione feriæ* 4. *Maioris Hebdomadæ, & ſerm.* 12. *in Pſalm. Qui habitat.*

*Cur magis ſumus aſtricti memoriæ Redemptoris, quàm Creatoris.* Bernard. *Magna obligatio his, qui laborarunt.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare Chriſtus Dominus dixerit potius Iuſtitia veſtra, quàm virtus veſtra, vel perfectio veſtra?*

17.

MAGNO fundamento Dominus, dum ſuos ad ſuorum mandatorum obſeruationem exhortatur, non alio vtitur nomine, niſi iuſtitiæ, quæ vel dicit collectionem omnium virtutum, vt hîc ſumitur, & dixi in expoſitione: vel ſpecialem virtutem, quæ ius ſuum vnicuique reddit. Et rectè ſanè iuſtitiæ nomine omnium virtutum collectio denotatur: nam ſi abeſt peculiaris iuſtitiæ ratio, conſequens eſt, vt cæteræ virtutes deſint. Vnde rectè D. Zeno Veronenſis *ſerm. de iuſtitia*, ipſam appellat *omnium fontem, matremque virtutum.* Ex quo ipſemet D. Zeno, & S. Iuſtinus Martyr *in Apologia ad*

*Nulla virtus ſine iuſtitia.* Zeno.

*Antonium Pium Imperatorem*, eleganter pungit aliquos iudices, ac principes, qui, cùm ſe exhibeant maximè ſcrupuloſos, & ſe dicant magnos legis obſeruatores, omnium aliorum ſubſtantiam deuorant, nemini parcunt, ſed omnibus inferunt violentiam; & ſub prætextu legis, & iuſtitiæ contra iuſtitiam, & legem crudele mouent, exercentque bellum.

18. *Præmia ob merita dãda.*

Secundò. Nomine *iuſtitiæ* potius vtitur, quàm virtutis, vt fieret omnibus manifeſtum, quòd ipſi, licèt diſcipuli, & amici, in regnum erant intraturi, non fauore, ac beneuolentia, ſed iuſtitia; & per hanc ſibi in regnum ingreſſum præparare debebant. Vide *c.* 10. *n.* 78. 79. & 80.

19. Tertiò. Non loquitur Dominus ſub nomine perfectionis; non ait: Perfectio veſtra; &, quod magis eſt, quia Dominus hîc de illis non fatur, qui aliquem tantùm gradum aſcenderunt, vt ait Diuus Auguſtinus *lib. de ſerm. Domini in monte*; ſed de perfectis. Cur ergo non ait: Niſi perfectio veſtra? Reſpondeo, quòd perfectum dicit quid conſummatum, & abſolutum in omni virtute, & excellentia; & hoc in homine eſt valde perdifficillimum reperiri; quanuis enim quis in ſummo virtutis faſtigio videatur; ſi tamen omnes eius ſcrutentur, ac rimentur actiones, aliqualis frequenter internoſcetur, ac deprehendetur defectus.

August.

*Perfecti omnibus conſideratis imperfectiores deprehenduntur.*

20. Anima ſancta, ſeu anima iuſti ab adoleſcentibus ſuis maximè laudatur; appellatur enim *pulcherrima inter mulieres*, plena odoriferis vnguentis: & ipſa quoque à Rege in cellaria omnium bonorum dicitur introducta. Suis tamen ſociis ipſamet ait: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim*, Cantic. 1. num. 5. Si tanto extiterat decore, venuſtateque conſpicua; ſi tot vnguentis, doniſque exornata inueniebatur, cur à ſociis ſuis renuit conſiderari? Verum habet, quòd ipſa pulcherrima erat; ſi tamen minutim omnia eius perquirerentur, ac ſcrutarentur, aliqualis erat inueniendus, animaduertenduſque fuſcus, atque nigredo à calore Solis, concupiſcentiæ nempe, proueniens, vt latè explicat Ghiſlerius *expoſit.* 3. Et ideo ipſa, vt prudens, ait: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim.* Nam, vt ait Diuus Anaſtaſius Sinaita quæſt. 17. *Non eſt iuſtus ſine aliquo peccato.*

Cant. 1.

*Dum conſideratur, pulcherrima, dicitur fuſca.*

Ghiſler.

Anaſtaſ.

21. Regius Vates iuſtitiam ſuam maximè demonſtrare intendit. *A iudiciis tuis, à teſtimoniis tuis non declinaui*, Pſalm. 118. num. 102. & 157. Et eodem Pſalm. 117. num. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et Pſalm. 72. num. 13. *Lauaui inter innocentes manus meas.* Tamen ipſemet Regius Vates *Pſalm.* 138. *num.* 16. ait: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*; hoc eſt, vt *ibi* explicant Procopius, D. Cyprianus *lib. de lapſis*, oculi tui viderunt imperfectiones animæ meæ. Si ipſe adeò erat Purus, & ſuper niuem dealbatus, vt inter innocentes lauaret manus ſuas, vt curreret viam mandatorum Dei, & non declinaret à ſemitis eius; quomodo ait: Oculi tui viderunt imperfectum meum? Dixerat ipſe Dauid eodem Pſ. 138. *Semitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti*; & per largos diſcurſus comprobat Dei intuitum, atque ſcientiam nihil effugere. Quanuis ergo purus, ſanctuſque eſſet, & à legis mandatis non declinaret; tamen cùm Dominus omnem ſemitam eius inueſtigaret, & omnes eius vias præuidiſſet, ſtatim defectus, ac imperfectiones deprehenſæ ſunt, atque inuentæ.

Pſal. 118.

Pſalm. 72.

Pſal. 138.
Procop.
Cyprian.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Chriſtus Dominus expreſſerit ſuis diſcipulis*, Iuſtitia veſtra?

22. DIxit Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis: Iuſtitia veſtra debet abundare, vt intretis in regnum cælorum. In quo maximè pungit Scribas, & Phariſæos, qui multis nequitiis, ac peccatis viuentes, maximè de patre ſuo Abrahamo gloriabantur, & confidebant, ita dicentes, Matthæi 3. num. 9. *Patrem habemus Abraham*, & Ioan. 8. num. 33. *Semen Abrahæ ſumus*, & n. 39. *Pater noſter Abraham eſt.* Ait ergo Chriſtus ſuis diſcipulis: Iuſtitia veſtra; ac ſi diceret: non enim enitendum eſt alienis meritis, atque maiorum, vt faciunt Scribæ, & Phariſæi, vt intretis in regnum cælorum; ſed veſtris operibus, actionibus, & virtutibus, operante Dei gratia, huiuſmodi regnum acquirendum eſt, ac comparandum. Vnde optimè ait D. Maximus apud D. Anaſtaſium Sinaitam *quæſt.* 4. Magna inſipientia eſt, aliorum meritis ſplendeſcere, ac magna quærere.

Matth. 3.
Ioann. 8.

Maxim.

23. Thronum diuini Agni cingunt viginti quatuor ſeniores, & in capitibus eorum coronæ aureæ. *Et in manibus habebant phialas aureas plenas odoramentorum*, Apocal. 5. num. 8. Qui propiùs accedentes ad ſedem Agni, *Mittebant coronas ſuas ante thronum*, Apocal. 4. numero 10. Cur ante thronum non effundunt phialas, vt ſuauiſſimum excitarent odorem, ſed potius coronas mittunt? Coronæ erant propriæ: *Coronas ſuas*; per quas denotantur propria opera, & merita, vt explicant D. Ambr. Andreas Cæſariæ Epiſcopus, Primaſius, Anſbertus, & alij. At phialæ erant orationes Sanctorum. Prudenter ſenes, cùm audent ad thronum Dei appropinquare, vt ipſum reuereantur, non effundunt, nec oſtendunt aliena opera, ſed exhibent propria merita, ac ſuas victrices coronas, quas heroïcis actionibus ſuis de tyrannis Diabolo, ac mundo glorioſè reportarunt. Carthuſianus, *Deo altiſſimo*, ait, *gratiſſima mente adſcripſerunt, quidquid ſapientiæ, ac virtutum, quidquid victoriæ de hoſtibus ſuæ ſalutis obtinuiſſent.* Vide ſuprà *cap.* 11. *numero* 151. & 152.

Apoc. 5.

Apoc. 4.

Ambroſ.
Andreas.
Primaſ.
Anſbertus.

*Operibus, ac meritis ſuis quiſque reſplendeat.*

Carthuſ.

## QVÆSTIO V.

### *Quare Dominus ſuis diſcipulis tam rigidam pœnam imponat?*

24. *Legitima ſolutio.*

MAgnam pœnam minatur Dominus ſuis, quòd niſi eorum iuſtitia abundet ſuper Scribas, & Phariſæos, non intrabunt in regnum cœlorum. Per quod apertè oſtendit Dominus, quòd iuſtitia Phariſæorum ſit inſufficiens ad regnum; & quòd niſi eam ſuperauerint, obſeruando eius mandata, & præcepta, non habebunt ingreſſum ad regnum. Et eſt communis ſanctorum Patrum, & Interpretum mens.

Moraliter



25. Moraliter rem explico. Docet Dominus ſuos diſcipulos, quòd, vt ad cæleſtem Patriam aditum habere valeant, eorum iuſtitia redundet ſuper iuſtitiam Scribarum, & Phariſæorum, qui ſe maximè gloriabantur, quòd eſſent legis doctores, & illius maximè obſeruatores. Vt ex obiecta magna, arduáque regni acquiſitionis difficultate; ex tot, tantiſque virtutibus, ac illuſtribus actionibus inſinuatis ad illius ingreſſum, eis eſſet eius comparatio in magna æſtimatione, cultu, ac veneratione. Quantum enim acquiſitio rei habet difficultatis, ac laboris, tantum eius poſſeſſio pretij, & æſtimationis. D. Gregorius Nazianzenus Orat. de pauperum amore, *Facile*, ait, *quippe vileſcit, quidquid facile percipitur: quod autem ingenij noſtri aciem ſuperat, quo aſſecutum difficilius, eo etiam maiorem ſui admirationem mouet.*

*Quæ acquiſitu difficiliora, in poſſeſſione ſunt gratiora.*

Nazianz.

26. Planum eſt omnibus mediocriter verſatis in Scriptura, quòd Iacob inter omnes ſuos filios maximè diligebat Ioſeph, & Beniamin, *Gen.* 35. *num.* 19. & 37. *num.* 2. & 42. *num.* 36. vt ibi latè comprobant communiter expoſitores. Vnde ait Procopius: *Iſraël Rachelis pignora vehementiùs diligebat.* Vbi meo videri inſinuat cauſam tanti amoris erga Ioſeph, & Beniamin; erant enim partus Rachelis, quam Iacob ſibi habuit in vxorem, per quatuordecim annos ſeruiens noctu, geluque. Et cùm Iacob tot, tantiſque laboribus eam ſibi comparaſſet, inde eius pignora erant ipſi maximè grata, ſuauia, in magnoque pretio inter cætera habita.

Procop.

27. Videt Ioannes in Apocalypſi filium hominis: *Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem*, Apocal. 1. num. 16. Quæ, vt explicauit ipſe Angelus Ioanni, *Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*, ibid. num. 20. Septenarius vniuerſitatis eſt numerus, & ſignificat omnes Eccleſias, vt docent Primaſius, & Anſbertus. Sed quomodo Eccleſiæ, ac Eccleſiarum paſtores ſunt in dextera, vt ibi explicat Andreas Cæſariæ Epiſcopus, *tanquam in ſupremi honoris ſtatu*, cùm, vt dicitur Prouerb. 3. num. 16. *In ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria*, vt meritò dubitat Rupertus *lib.* 4. *in Apocal.* Per quas diuitias, & gloriam intelliguntur dona, ſpiritualia gratiæ, & virtutum, vt explorant D. Hieronymus *in tractatu in fine eius operum*, ſi illius eſt, Carthuſianus, Hugo, Ianſenius, Salazar, & alij: nam huiuſmodi dona ſunt magnæ diuitiæ in theſauro ſapientiæ. Sed valde mirum eſt (moraliter explico locum) quòd huiuſmodi ſpiritualia dona, quæ ſunt æſtimationis magnæ, in ſiniſtra ſint; & Eccleſiæ, ac Eccleſiarum paſtores in dextera. Dona illa ſpiritualia accepta ſunt à Patre ſine vllo ſudore, tanquam connexa cum vnione hypoſtatica; at Eccleſias, Eccleſiarumque paſtores acquiſiuit Chriſtus ſanguine ſuo; cui negotio manus eius magno labore incubuere; ſuſtinuerunt plagas, clauos, catenas, funes: cùm ergo Eccleſiæ, ac Eccleſiarum paſtores tanta preſſura, tantiſque laboribus, ac doloribus fuiſſent comparati, planum, & euidens erat, quòd in maiori æſtimatione, ac pretio haberentur à manibus; & in eminentiori, ac præſtantiori loco apparerent. Vnde ait Titus Boſtrenſis in cap. 11. Lucæ. *Quæ citra ſudorem obtingunt, vel ex parato ſubminiſtrantur, ea certè minoris plerumque fiunt.*

Apoc. 1.

Primaſ.
Anſbert.
Andreas.

Prou. 3.
Rupert.

Hieron.
Carthuſ.
Hugo.
Ianſen.
Salazar.

*Quæ in acquiſitu ſunt difficiliora, in poſſeſſione maioris æſtimationis.*

Boſtrenſ.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Chriſtus Dominus dixerit potiùs intrare, in regnum, quàm eſſe in illo?*

DVbium mouet Albertus Magnus. Nam *intrare in regnum*, ſecundùm Chryſoſtomum, Auguſtinum, Hieronymum, & alios, idem eſt, ac eſſe in regno. Cur ergo hac locutione non eſt vſus Dominus? Ad quod reſpondet *citatus* Albertus Magnus. *Eſſe, vel non eſſe in regno, eſt ſecundùm meritum, vel demeritum ſtans quietum: intrare autem, eſt continuis profectis proficiſci. Et ideo intrat, qui per minorum obſeruationem continuè proficit ad perfectum.* Iuſtus, & qui ad vitam vult ingredi, nunquam ſe debet conſiderare, quandiu eſt in hac via, veluti in termino; ſed ſemper vlteriùs debet continuis virtutum greſſibus progredi; veluti qui intrat, non ſiſtit, ſed ad aliam partem tendit; ita qui ad cælum properat, minimè quieſcat, ſed ſemper ad maiorem virtutum apicem dirigat animum. Et ita Chriſtus fideli ſeruo non ait: Accipe gaudium; ſed, *Intra in Gaudium Domini tui*, Matthæus 25. num. 21. *Recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum*, *Ierem.* 51. *num.* 50. Vide ſuprà *cap.* 6. *num.* 76. & *cap.* 10. *num.* 165. & *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. & *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 66. 28.

Chryſoſt.
Auguſt.
Hieron.

Albert. Mag.

*In via ſalutis minimè ſiſtendũ, ſed vlterius procedendum.*

Matth. 25.
Ierem. 51.

Secundò. Dum Chriſtus Dominus hunc aſſumit loquendi modum, *Intrare*, fit alluſio ad antiquas figuras, ad veteremque dicendi formam: *Non intrabitis terram*, Numer. 4. num. 30. *Non intrabunt in Eccleſiam Dei*, Deuter. 23. num. 1. 2. & 3. *Non introibunt in requiem meam*, Pſalm. 94. num. 11. Cùm ex antiqua conſuetudine per non introire excluſio à regno ſignificaretur, idem Chriſtus Dominus verbum aſſumit, omiſſis multis aliis modis non poſſidendi, non gaudendi, quibus hoc denotari poterat: per quod innuit Dominus, ſuoque nos docet exemplo, vt, quantum fieri poteſt, probata maiorum veſtigia, facta, & dicta ſequamur, ac imitemur. D. Bonauentura in cap. 6. Lucæ. *Securia via tendit ad vitam, qui graditur per monumenta Sanctorum, quorum doctrina, ac vita probata eſt in Eccleſia.* 29.

Num 14.
Deuter. 23.
Pſalm. 94.

*Bona antiquorum veſtigia ſequẽda, & imitanda.*

Bonauent.

Cùm filium viduæ demortuum agnoſcit magnus Eliſæus, ait Giezi: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: & pones ſuper faciem pueri*, 4. Reg. 4. num. 29. Implet mandata Giezi, baculum admouet ſuper vultum demortui; & tamen non reuixit. Quod videns Eliſæus aſcendit ad cubiculum, vbi puer iacebat: claudit oſtium, orat, & viuum tradidit matri ſuæ, vt habes eodem cap. *à num.* 34. Mirabile ſanè, quòd Giezi à tanto Propheta miſſus miraculum non valeat edere; & ad hoc vt Eliſæus illud præſtare poſſit, multa præparatione vtatur. Aſcendit cœnaculum, claudit oſtium, ponit puerum in lectulo, & orat. Quænam huius rei tanta cauſa? Eliſæus filius, ac diſcipulus erat parentis mei Eliæ: Magnus Elias viduæ Sareptanæ filium reſuſcitat, non alicuius nuntij interuentu, non per baculi ſui impoſitionem; ſed dum ipſe cœnaculum aſcendit, puerum ſuper lectulum ponit, & orat, tunc puer reuiuiſcit, 3. *Regum à num.* 19. Eliſæus, 30.

4. Reg. 4.

*Qui ſanctos ſuos maiores imitatur, miracula operatur; qui ab illis recedit, nil magni facit.*

dum adhibito nuntio, impoſito baculo diſcrepat à parente, nil magni operatur: at cùm ipſum imitatur, eiuſque veſtigiis adhæret, magna, ac ſtupenda miracula perpetratur. Abulenſ. quæſt. 51. *Elias quando ſuſcitauit filium viduæ Sareptanæ, portauit eum in cameram ſuam, & ſolus erat, incubuitque ſuper eum in lectulo; ſic nunc Eliſæus ſuper iſtum puerum.* (Abulenſ.)

31\. Præcepit Deus parenti Eliæ, vt vngeret Hazael Regem ſuper Syriam, & Iehu Regem ſuper Iſraël. Et addit Dominus: *Eliſæum filium Saphat vnges Prophetam pro te*, 3. Reg. 19. num. 16. Qui pergens ad executionem diuini mandati, inuento Eliſæo, *Cùm veniſſet ad eum Elias, miſit pallium ſuum ſuper illum*, ibid. num. 19. vt teſtantur Lyranus, Abulenſis, Caietanus; non alia vnctione vſus eſt Elias erga Eliſæum, niſi ipſius pallij impoſitione. Elias ad vnctionem, ſaltem Iehu, vſus eſt oleo ſacro; nam illo Reges Iudæorum vngebantur, vt docent diuus Auguſtinus *lib. 2. contra litteras Petiliani, Donatiſtæ, cap. 47. & 48. tom. 7.* Seuer. Sulpitius *lib. 1. hiſtoriæ ſacræ.* diuus Cyprianus *lib. de operibus cardinalibus.* Lactantius *lib. 4. cap. 7.* diuus Hieronymus *in cap. 45. Iſaiæ.* diuus Iſidorus *lib. 2. de officiis, cap. de Chriſmate*, ex quo valde mirum videtur, quòd Rex ſæcularis homo eſſet delibutus oleo ſacro; & tamen Eliſæus abſque oleo ſacro, ſola pallij impoſitione in Prophetam deſtinaretur. Agnouerat magnus Elias, quòd olim Aaron, vt communicaret ſpiritum ſuum, ſuamque dignitatem ſacerdotalem transfunderet in Eleazarum filium ſuum, Aaron ipſe ſuis ſe veſtibus ſpoliauit, iiſque Eleazarum induit. *Numer. 20. num. 28.* Iudicauit ergo Elias, nullam aliam vnctionem pallio ſuo aptiorem eſſe, vt Eliſæum illo indueret, & ſic ſpiritus ſui hæredem, totius Iſraëlis Prophetam, & filiorum Prophetarum caput crearet, & conſtitueret. Carthuſian. *Miſit Elias pallium ſuum in ſignum, ac præſagium futurorum, quòd ſcilicet Eliſæus ſpiritualiter cooperiendus erat, ac veſtiendus duplici ſpiritu Eliæ.* Vide ſuprà *cap. 9. num. 17. & 18.*

(3. Reg. 19. — Lyranus. Abulenſ. Caietan. — Auguſt. — Seuerus. Cyprian. Lactant. Hieron. Iſidorus. — *Magna virtus maiorum facta ſequi.* — Carthuſ.)

## Qvæstio VII.

### *Quare Dominus præcipiat hîc, abundare iuſtitiam, cùm ad ingrediendum ad vitam ſufficiat, ſeruare iuſtitiam, ſeu mandata?*

32\. Dvbivm hoc mouet diuus Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Nam Dominus dixerat; *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, erit minimus; qui autem fecerit, & docuerit*, ſcilicet etiam minima legis, *erit magnus.* Et ita Dominus dixit adoleſcenti ſtudioſo de ſua ſalute: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, Matthæi 19. num. 17. Quomodo ergo Dominus hîc mandat, abundare iuſtitiam? Facilis eſt ſolutio. Quia Dominus docet, vt abundet iuſtitia ſuper iuſtitiam Scribarum, & Phariſæorum, qui legem non ſeruabant, ſed potiùs peruertebant erroribus ſuis, falſiſque interpretationibus, vt dixi *quæſt. 1.* Secundò. Loquitur Dominus de mandatis legis gratiæ, quæ explicare incipiebat; ac de operibus conſilij, ac ſupererogationis, quæ erat traditurus

(Paſchaſ. — Matth. 19. *Germana ſolutio.*)

33\. Vnde eleganter ait diuus Paſchaſius citatus: *Quoniam, dum fiunt illa, quæ adduntur ad perfectionem, etiam illa longè pleniùs aguntur, quæ permiſſa ſunt ad inchoationem* Quanuis enim ſupererogationis opera ſimpliciter non ſint neceſſaria ad ſalutem; multum tamen per omnem modum ad abundantem iuſtitiam, & perfectionem conducunt: dum enim hæc ſuperadduntur, etiam, quæ minora ſunt, cumulatiſſimè implentur; & Dominus, dum ſuos ad abundantem iuſtitiam cohortatur, eos etiam commonet ad implenda mandata, obſeruandaque conſilia, his enim homo in via ſalutis maximè proficit, redditurque ſecurus.

(Paſchaſ. — *Ad ſeruandam iuſtitiã maximè conducunt ſupererogationis opera.*)

34\. Nam qui obſeruandis mandatis ſolùm inuigilat, & his contentus eſt, quanuis aliàs ſufficiant ei, tamen in via ſalutis poteſt, lapſus, ruinaque timeri. Adoleſcenti illi, qui ſe de vita æterna ſtudioſum oſtendebat, Chriſtus ait: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Qui reſpondens dixit: *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea; quid adhuc mihi deeſt? Ait Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum abiit triſtis*, Matth. 19. num. 21. Vbi duo maximè ponderanda ſunt in rem noſtram. Primò quòd dum audit verba conſiliorum, abiit triſtis; qui enim ſupererogationis nihil vult exhibere, à Chriſto fonte omnium gaudiorum diſcedit triſtis. D. Auguſtinus epiſt. 34. ad Paulum, & Thereſiam. *Secundùm hiſtoriam iſte adoleſcens laudabilis quidem eſt, quia non occidit, non adulteratus eſt; vituperabilis autem, quia contriſtatus eſt in verbis Chriſti vocantibus eum ad perfectionem.*

(Matth. 19. *Qui ſupererogationis nihil addit, timeat.* — Auguſt.)

35\. Secundò ponderandum, quòd iſte adoleſcens mentitus eſt, dum dixit, quòd ſeruabat mandata vt docent D. Irenæus *lib. 4. cap. 26.* D. Hilar. *can. 19. in Matth.* Imperfectus *homil. 33.* D. Ambroſius *in cap. 18. Lucæ*, Beda, & alij. Sed vnde colligunt Patres, quòd iſte adoleſcens mentitus fuerit? Ex optima ſanè ratione. Qui implet mandata, ipſa perfectio obſeruationis legis eum mouet, & excitat ad ſequenda conſilia, vt ardeat charitate, vt omnia ſua in pauperes, & egenos diſtribuat, atque diffundat. D. Hieron. *Mentitur adoleſcens; ſi enim hoc, quod poſitum in mandatis: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum; opere compleuiſſet, quomodo poſtea audiens: Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, triſtis receſſit.*

(Irenæus. Hilar. Imperfect. Ambroſ. Beda. — Hieron.)

*Matth. 5. n. 21.* Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.

*Numer. 22.* Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit conſilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehēnæ ignis.

*VERSIONES.*

*Syriac. D. Chryſoſt. n. 22.* Quicunque iraſcitur fratri ſuo temerè, reus eſt iudicij



iudicij. Et quicunque dixerit fratri ſuo, Raha, reus eſt conſenſus.

*Imperfectus homil. 11.* Iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus eſt.

*Ethiopicus.* Qui dixerit fratri ſuo, quòd pauper ſit, per contemptum, & laceris veſtibus, reus erit conſilio.

*Arabicus.* Qui dixerit fratri ſuo, Pannoſus, lacer, mendicus, reus erit conſilio.

*Pagninus.* Obnoxius erit iudicio, conſilio, &c.

*Theophylactus.* Qui dixerit, Stulte, reus erit gehennæ incendio.

## *EXPOSITIO.*

36\. Hoc loco incipit Dominus explanare legem; & facit exordium, non à primo, vel ſecundo, ſed à quinto Decalogi præcepto. Nam licèt tria prima præcepta ad Dei honorem maximè pertineant, quintum tamen magnopere ſpectat ad vitam, & conſeruationem hominis quæ illius eſt bonum præſtantiſſimum: & Deus ob ſuam magnam bonitatem valde adpretiat ea, quæ noſtrum commodum reſpiciunt. Et ait Dominus: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*, ſcilicet Patribus veſtris, vt explicant Albertus Magnus, Caietanus *in mont. Sinai.* Et dixit: *Dictum eſt antiquis*; quia lex erat iam à multo tempore data, &, vt ait *citatus* Albertus, iam incipiebat antiquari, ac vetuſtate perimi. Et non explanat Dominus, à quo ſit dictum: *Si enim dixiſſet*, ait Chryſoſtomus homil. 16. *Audiſtis, quia dixi antiquis; fuiſſet nihilominus ſermo receptu difficilis, cunctiſque audientibus ingratus. Siue dixiſſet: Quia dictum eſt antiquis à Patre meo; deinde intuliſſet: Ego autem dico vobis; maioris hoc profectò eſſe inſolentiæ iudicaſſent. Propter quod mediè illud poſuit, atque ſuſpensè.* Et proſequitur Dominus: *Reus erit iudicio*; hoc eſt: pœnæ damnationis, & capitalis, qua in iudicio humano puniebantur, iuxta varios homicidij caſus, *Exod. 21. à num. 12. Leuit. 24. num. 17.* Et idem eſt hîc: *Reus erit iudicio*; ac quod alibi aliis dicitur verbis: *Morte moriatur.* Nam, vt ait Euthymius, in Scriptura ſæpe per metaphoram *Iudicare*, ſignificat *condemnare.*

(*Deus quodãmodo pluris æſtimat noſtra, quàm ſua.* — Albert. Mag. Caietan. — Chryſoſt. — *Euitandæ inſolentiæ nota.* — Leuit. 24. Euthym.)

37\. *Ego autem dico vobis.* Multo admirabiliorem doctrinam vobis trado ſuper eam, quam audiſtis ab antiquis. Non ſe Dominus opponit legi, ſed falſis Scribarum, ac Phariſæorum interpretationibus: nam legem adæquatè adimpleuit Dominus, verum eius intellectum perfectè exprimendo, & declarando, vt docet D. Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum Manich.* D. Thomas 1. 2. *q. 107. art. 2. in corpore.* Suarius *lib. 10. de legibus, cap. 1. num. 6.* Et legem etiam cumulatiſſimè adimpleuit Dominus, quædam perfectionis conſilia ſuperaddendo, vt notat D. Thomas *loco citato.* Et ita dixit adoleſcenti: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes*, &c. *Matth. 19.* Vnde legem veterem imperfectam, nam data erat rudibus Iudæis, per excelſiorem doctrinam perficit, & ad maiora eleuat.

(*Chriſtus legem adimpleuit.* — Auguſt. S. Thom. Suarius. — Matth. 19.)

38\. *Omnis, qui iraſcitur.* Exoritur Dominus explicare homicidium. Et primo loco iram vetat, quæ eſt illius cauſa: qui enim malum vult amputare à radice debet euellere. Ita ait D. Chryſoſtomus: *Radix quippe homicidij iracundia eſt; qui igitur radicem abſcidit, multo faciliùs ramos poterit amputare.* Ponit Dominus tres actus iræ. *Iraſcitur*, dicit actum internum. *Raca*, ſignificat vocem iratam nihil exprimentem. *Fatue*, congeriem contumeliarum, de quo latè *quæſt. 9.* Tres etiam pœnas ponit: *Reus erit iudicio*; id eſt, iudicatur pro quantitate iræ, ſiue venialis, ſiue mortalis. *Reus erit conſilio*; hoc eſt, grauiùs puniatur pro quantitate culpæ. *Reus erit gehennæ ignis*, vt certa pœna damnationis puniatur, de quo *quæſt. 10.*

(*Malum amputandum à radice.* Chryſoſt.)

## Qvæstio VIII.

### *Proponitur vera doctrina, quòd actus interni iræ, & homicidij fuerint lege prohibiti?*

39\. Lyranvs, & Abulenſis *hoc loco*, in ea ſunt ſententia, vt dicant, quòd Scribæ, & Phariſæi exiſtimabant, præcepta Decalogi ſolas externas actiones prohibere; non autem actus internos. Tamen communior eſt doctrina, quantum coniicimus ex hoc Chriſti ſermone, quòd hanc ſuam doctrinam ſolùm tradiderint in quinto, & ſexto præcepto. D. Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum, cap. 23.* D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* D. Chryſoſtomus *hom. 16.* D. Thomas 2. 2. *q. 107. art. 2.* D. Hieronymus, Theophylactus, Albertus Magnus, Caietanus *hîc.* Vnde totam legem falſiſſimis interpretationibus præuaricabantur: nam lex expreſsè clamabat: *Non concupiſces vxorem proximi tui*; tunc ipſi præuaricatores exiſtimabant impleri legem, vt ait Hugo Cardinalis, dummodo alienam vxorem non raperent. Carthuſianus *hoc loco* teſtatur, quòd ita interpretabantur præceptum: *Non concupiſces*, ſignis externis; non autem prohiberi, dicebant ipſi, concupiſcentiam intus latentem. Quæ omnia, quàm apertè à veritate deuient, omnes vident.

(Lyran. Abulenſ. *Proponitur falſa Phariſæorum ſententia.* — Auguſt. Paſchaſ. Chryſoſt. D. Thom. Hieron. Theophyl. Albert. Mag. Caietan. — Hugo. — Carthuſ. *Interpretationes Phariſæorum.*)

40\. Apertè lex, & Scriptura damnans malas cogitationes clamabat contra errorem Phariſæorum. Sapiens *toto c. 15. Prouerbiorum*, & ibi num. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Iſaias 1. num. 16. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* Ieremias 25. n. 5. *Reuertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris.* Sophonias 3. num. 7. *Corruperunt omnes cogitationes ſuas.* De ira ait Regius Vates Pſalm. 4. num. 5. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Et Iob 5. num. 2. *Stultum interficit iracundia.*

(Prou. 15. Iſaias 1. Ierem. 25. — Sophon. — Pſalm. 4. Iob 4.)

41\. Doctrina igitur omnium Catholicorum eſt, quinto, & ſexto præcepto prohiberi non ſolum actus externos, ſed etiam internos. Vnde apertè Phariſæi, & Scribæ errabant. Ita docent omnes

Patres,

Auguſt. Clemens. Cyprian. Leo. Nyſſen. Tertul. Nauar. Henriq. Suarius.

Patres, Auguſtin. Clemens, D. Cyprianus, S. Leo, Gregorius Nyſſenus, Tertullianus, quos citant, & ſequuntur Nauarrus *cap. conſideratione, de Pœnitentia, diſtinct. 5. num. 4.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 7.* Suarius *tom. 4. ad 3. part. diſp. 22. ſect. 2.*

*Prohibetur ira ex cauſa; nam ex zelo magna virtus.* Chryſoſt. Imperfect. Cod. Græc. Albert. Mag.

42. Ira autem, quæ prohibetur in præcepto Decalogi, vt bene notant D. Chryſoſtomus *hom. 16.* Imperfectus *homil. 11.* eſt ira ſine fundamento, & ratione. Et ita præſentem textum communiter legunt Codices Græci, *Qui iraſcitur fratri ſuo temerè, vel ſine cauſa, reus erit iudicio.* Nam ira per zelum, eſt commotio animi contra vitium, quod videt in perſona contemnente legem Dei. Et *ira hæc*, ait Albertus Magnus, *eſt mater diſciplinæ, cuſtos virtutum.* Nam hac laudabili ira commoti ſunt, Moyſes contra idololatras, *Exod. 32. num. 19.* Phinees in luxuriantes; *Numer. 25. num. 7.* Samuel in Agag, Regem Amalech, 1. *Regum 15. num. 33.* Elias in Sacerdotes, 3. *Regum 18. num. 40.* Mathatias in legatum Antioch. 1. *Machab. 2. num. 25.* de quibus pulchrè ait D. Baſilius homil. 10. de ira: *Ira, velut armis, vtamur. Ideo Moyſes omnium hominum manſuetiſſimus, vituli idololatriam damnans, leuitarum manus in cædem fratrum armauit. Quid Phinees iuſtum reddidit? nónne contra fornicantes ira, qui alioqui mitis, ac manſuetus exiſtens, protinus vtrunque trucidauit? Samuel autem Regem Amalech nónne iuſta ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira ſæpenumero bonorum actionum adminiſtra. Elias verò zelotes turpitudinis Sacerdotes iuſta indignatione in totius Iſraël vtilitatem, vt morte multarentur, effecit.*

Baſil.

Iob 2. Septuaginta. Chryſoſt.

43. Dum vxor Iobum prouocat contra Deum, ait ipſe ad illam: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es*, Iob 2. num. 10. quæ dicta fuiſſe animo indignabundo, clariùs exprimunt Septuaginta: *Reſpiciens in illam dixit.* Sed cùm Iob tam patienter tot calamitates ſuſtinuerit; tamen hîc exarſit, vbi ratio, & occaſio poſtulabat, cùm in Deum irrogaretur iniuria. Vnde ait D. Chryſoſtomus. *Cum ea verba ſtomachum Iobo mouiſſent (id, quod ſuperiora mala facere minimè potuerunt) pleno iracundiæ vultu, trucique reſpectu ad vxorem conuertitur.* Nam, vt etiam ait Lyran. *Quanuis afflictiones proprias patienter ſuſtinuerit, tamen iniuriam Dei abſque reprehenſione propria ſuſtinere non potuit.*

Lyran. *Laudatur ira ex zelo Dei.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Explicantur tres gradus iræ, de quibus Dominus hîc agit?*

Paſchaſ. *Præclara totius quæſtionis explicatio.*

44. TRES gradus iræ Dominus hîc proponit: *Qui iraſcitur fratri ſuo: Qui dixerit, Raca: Qui dixerit, Fatue.* Quos omnes perbellè, ac eleganter explicat D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Ira nihil aliud eſt, quàm motus animi felle amaritudinis contra quemlibet incitatus. Raca verò ira eſt cum voce iraſcentis; ſed *raca* Hebræum eſſe probatur, ſignificans indignantis animi motum, quas Grammatici partes interiectiones vocant, velut cùm in Latino dicitur à dolente, heu, ab iraſcente, hem; quæ nimirum voces in nullam aliam facile transferri queunt linguam; vnde nec transferri hæc potuit, ſed ſaporem ſenſus etiam in Latino cum voce ſeruauit. Cæterùm qui dixerit, *fatue*, maledictionis animo, plus vtique fit reus criminis: neque enim modicus furor eſt, virtutis grauitatem, & patientiam violare, & quem Deus ſale ſuæ ſapientiæ condiuit, contumelia infatuati ſenſus laceſſere. Huc vſque ille: quæ magis explico.

45. Primus gradus iræ, *Qui iraſcitur fratri ſuo.* Eſt illa ira, & indignatio, quæ concipitur, & continetur in animo. Dubitatur hîc, an ſermo hic ſit de omni ira? D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini.* Maldonatus, Franciſcus Lucas, Barradas docent, hîc duntaxat ſermonem eſſe de ira mortifera, D. Chryſoſtomus verò, & Ianſenius putant, agi de illa, quæ eſt veniale peccatum. Probabilius, de vtraque hîc agi, ſcilicet de ira mortifera, & veniali; vtraque enim ſpectat ad iudicium diuinum; quanquam dici poſſit, quòd præcipuè tractatur de mortifera, quæ ſpectat ad homicidium, ac iudicium capitalis culpæ.

Auguſt. Maldonat. Franc. Lucas. Barradas. Chryſoſt. Ianſen. *De ira mortali, & veniali eſt ſermo.*

46. Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de amiſſione gratiæ, cap. 9.* hos tres peccatorum gradus ita diſtinguit, vt in *ira*, quæ eſt rea iudicij, denotatur culpa. & pœna venialis: in *raca* denotatur culpa maior, de qua eſt dubium, an ſit venialis, vel mortalis, quod à Concilio diſſidendum eſt; in *fatue* denotatur culpa maxima; ideo duriſſima pœna gehennæ igni ei aſcribitur. Quanuis hæc probabiliter ſint dicta, tamen probabilius exiſtimo, quòd vtroque gradu primo, & ſecundo Chriſtus agit non ſolùm de veniali, ſed etiam de mortali: quia in vtraque ira, tam interna, quàm externa, non ſolùm veniale, ſed etiam mortale inueniri poteſt.

Bellarm. *Variè diſtinguuntur hi gradus.*

47. Secundus gradus iræ: *Qui dixerit fratri ſuo, Raca.* Circa hanc vocem *Raca*, maximè variant auctores. Primò Chryſoſtomus exiſtimat, quod idem valet, ac *Tu.* Vt ſi quis dicat, tanquam per vilipendium; *Accede tu, recede tu.* Secundò D. Hieronymus, cum quo conueniunt Albertus Magnus, S. Thomas, Caietanus, Abulenſis, putat, *Raca* eſſe vocem Hebræam, ſeu Syriacam, & ſignificare hominem vacuum, & ſine cerebro; hoc enim per contumeliam, & irriſionem dicitur de aliquo. Hoc tamen videtur coincidere cum ſequenti gradu, quo fratri dicimus *fatue.* Et ita ſupra, vbi nos habemus: *Si ſal euanuerit*, alij legunt: *Si ſal infatuatum fuerit.*

Chryſoſt. *Raca quid ſignificet.* Hieron. Albert. Mag. S. Thom. Caietan. Abulenſ.

48. Tertiò Theophylactus ex nomine Hebraico: *Raca*, ait, *idem eſt, quod ſputo dignus, vel conſpuendus.* Hoc tamen magnam dicit contumeliam, quæ grauior videtur, quàm dicere *fatue*, quæ contumelia ponitur à Chriſto in vltimo, & ſummo loco. Quartò alij exiſtimant, *Raca* eſſe vocem Græcam, & ſignificare pannoſum, ſeu vilibus veſtibus coopertum. Cui interpretationi fauet textus Æthiopicus, & Arabicus, vt patet ex verſionibus.

Theophyl.

49. Quintò Gregor. Michaelis Minorita *in proœmio Grammaticæ Syriacæ, cap. de præſtantia linguæ Syriacæ*, tres adducit huius nominis *Raca*, interpretationes; duas ſcilicet proximè citatas, quod *Raca*, idem valet, ac *conſpuere.* ſeu dicit contemptum, deſpectum, vilem, & abiectum: & addidit etiam tertiam, quod *Raca*, idem eſt, ac teſtudo, quod animal ita Syris deforme habetur, vt maximè illud deteſtentur, & abhorreant, & ideo per magnam ignominiam dicebatur homo teſtudo.

Greg. Mich.

Sexta,



*Vera explicatio.* Auguſt. Anſelm. Rupert. Ant. Vlyſip. D. Thom. Abulenſ. Hugo. Paſchaſ.

50. Sexta, & vera interpretatio, quam tradunt D. Auguſtinus, S. Anſelmus, Rupertus, D. Antonius Vlyſſiponenſis *ſerm. in 5. Domin. poſt Pentecoſt.* & etiam D. Thomas, Abulenſis, Hugo, & alij, quòd *Raca* ſit dictio Hebraica, nihil ſignificans, per modum conceptus, ſed ſolùm per modum affectus, ſicut ſunt apud nos interiectiones. Quod ſatis explicatum manet ex D. Paſchaſio *in principio quæſtionis.*

*Fatue, magna contumelia.*

51. Tertius gradus iræ: *Qui dixerit fratri ſuo, fatue.* Quod eſt, quando quis alteri dicit verbum contumelioſum determinatè ſignificans opprobrium aliquod, per quod grauis iniuria fit in fama, & honore proximi. Vt ſi quis viro honeſto dicat, *fatue*, ſtulte, vel ſub *fatue* intelliguntur multa genera calumniarum, & conuitiorum, per quæ maximè læditur, ac vilipenditur honor, & decus viri nobilis, & honorati; & ideo huic opprobrio, ac conuitio grauior pœna, nempe gehennæ ignis, ei infligitur.

52. Et nullum ſanè maius in hominem poteſt dici malum, quàm ſtultum vocari; nam in hoc continetur omne ſceleſte, ac deprauatum, in quo nil boni reperitur. Commemorat Moyſes delicta populi in Deum; & tandem ait: *Hæccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens?* Deuteron. 32. num. 6. Graſſatum erat in populo malum ingratitudinis, Idololatriæ, ac blaſphemiæ in Deum. Et Moyſes hîc agit cum Iudæis per exprobrationem, vt notat D. Hieronymus *in cap. 16. & 19. Ieremiæ.* Cur ergo exprobrando non appellat populum idololatram, ingratum, blaſphemum, incredulum, rebellem; ſicut *Numer. 20. num. 10.* ſed ſolùm ſtultum, & inſipientem dicit? In hoc vno omnia nequitiarum genera exprimebantur. Abulenſis ibi quæſt. 2. *Stulte, & inſipiens: hæc mala patiebantur Iudæi; nam ſtultus eſt deordinatus intellectu, & voluntate, ita quòd nihil in eo bonum moraliter manet.*

Deuter. 32. Hieron. *Stultus nil boni aſportat, ſed defert omne malum.* Abulenſ.

53. Eſau, & Iacob fratres, & cùm adhuc eſſent in vtero matris, dictum eſt: *Maior ſeruiet minori*, Geneſ. 25. num. 24. Sed cur Eſau, cùm eſſet ſenior, priuatur benedictione, hæreditate, ac domo paterna; immo ſeruituti ſubiicitur minori? Philo Iudæus ſtatim dandus, ac Diodorus *in Catena Græca*, ex etymologia nominis colligunt, *Eſau* nihil aliud ſonare, quàm ignorantem, & ſtultum. Optimè ergo ab omnibus prouentibus expoliatus introducitur. Qui ſtultitiam in nomine deferebat, nil vtile volebat aſportare, ſed omnium bonorum priuatione circundatus exibat, ac omnibus malis onuſtus gradiebatur. Philo lib. de ſacrificiis Abel, & Caini, *Cùm legiſlator*, ait, *induxiſſet Eſau illum, cui nomen ab imprudentia, antiquiorem; natu minori, nomen habenti ab honeſto exercitio, tribuit prærogatiuam generis.* Expende verba. Non tribuitur generis prærogatiua antiquiori, nomen ab imprudentia vendicanti, ſed iuniori ab honeſto nomenclaturam habenti.

Gen. 25. Diodor. *Stultus bonorum omnium priuationem habet.* Philo.

---

## QVÆSTIO X.

### *Explicantur tres gradus pœnæ, quos Dominus hîc commemorat?*

54. TRES ſpecies ſupplicij Dominus hîc proponit reſpondentes tribus gradibus ſuperioribus peccatorum. Primò: *Qui iraſcitur, reus eſt iudicio.* Secundò: *Qui dixerit, Raca, reus concilio.* Tertiò: *Qui dixerit fatue, reus gehennæ.* Ad huius exactam explicationem breuiter nota.

*Triplex tribunal apud Iudæos.* *Tota quæſtionis intelligentia.*

55. Ex antiquis Thalmudicis notandum eſt, quòd apud Hebræos triplex erat tribunal. Primum erat *domus iudicis trium virorum*, in quo ſtabant tres iudices, & iudicabant cauſas pecuniarias, & minores. Secundum tribunal appellabatur *domus iudicij viginti trium*; vel dicebatur *Synedrion paruum*, & in hoc iudicio ſedebant viginti tres iudices, ad illudque pertinebant cauſæ capitales animarum; & hoc ſimpliciter dicebatur iudicium. Et hæc duo tribunalia, tam trium virorum, quàm viginti trium, erant per ſingulas ciuitates, *Deuteron. 16. num. 18.* Tertium tribunal vocabatur *Concilium*, ſeu *Sanedrim magnum.* In quo ſeptuaginta duo Conciliarij, ſeu iudices ſtabant, iuxta ea, quæ Moyſes fecit *Numer. 11. num. 24.* Et in hoc Concilio grauiſſimæ cauſæ reipublicæ, ac religionis, vt Idololatriæ, Apoſtaſiæ, tractabantur. Et hoc ſummum concilium ſolum erat Ieroſolymis, vt teſtatur Ioſephus *lib. 14. cap. 17.* Vnde meo videri, quando aliquis committebat aliquod pecuniarium crimen, dicebatur, reus eſt iudicio trium virorum; quando crimen capitale, reus eſt iudicio, ſcilicet viginti trium, quia ad illud huiuſmodi cauſa pertinebat; & hoc ſimpliciter dicebatur iudicium: quando aliquod grauiſſimum crimen perpetrabat, vulgaris erat vox: Reus eſt Concilio; quia ibi eius cauſa agenda erat.

Ioſeph.

*Quæ pœna ſit: Reus iudicio.*

56. Prima ſpecies ſupplicij: *Reus erit iudicio.* Loquitur hîc Dominus de iudicio, non, vt *Num. 21.* de iudicio humano, ſed de iudicio diuino. Et facit Dominus metaphoram de illo iudicio humano viginti trium ad diuinum. Primum autem iudicium trium virorum omiſit Dominus, quia ibi agebatur ſolùm de re pecuniaria; & hîc tractat tantùm de iudicio viginti trium, quia ad illud pertinebat homicidium, ſub quo Dominus includit iram. Et ait: *Reus erit iudicio*; hoc eſt, vt eius cauſa examinetur in iudicio: nam ſi ira fuit conſummata, & perfecta inferendi magnum nocumentum proximo, eſt mortifera, & punienda, non pœna temporali, ſed æterna; ſi autem ira extitit leuis, vel motus quidem primo primus, tunc diiudicandus eſt ad pœnam temporalem in Purgatorio ſoluendam.

*Quæ pœna ſit, reus Concilio.*

57. Secunda ſpecies ſupplicij: *Reus erit Concilio.* Chriſtus ex humanis explicat diuina, & ſe accommodat ad modum loquendi Scribarum: nam qui committebat aliquod grauiſſimum crimen, dicebatur reus Concilio, ſeu Sanedrim; ita hîc ait Chriſtus: Qui dixerit proximo ſuo grauiorem iniuriam Raca, *reus erit concilio*; hoc eſt, vt puniatur grauiori, & maiori pœna, vt fiebat in illo Concilio pro menſura, & quantitate delicti.

Tertia,

58. *Quæ pœna reus gehennæ.*

Tertia ſpecies ſupplicij: *Reus erit gehennæ ignis*: hoc eſt, qui apertè infert proximo ſuo magnam, & grauem contumeliam, dicendo *fatue*, nec iam iudicio, nec Concilio opus eſt, ſed certa damnatio ignis inferenda. Hæc omnia, quæ dicta ſunt, colliguntur ex communi conſenſu doctorum Theophylacti, Euthymij, D. Paſchaſij, Alberti Magni, D. Thomæ, Caietani, Hugonis, Cornelij, & aliorum. Obiter tamen hîc nota, quòd Dominus hîc tres ponit ſpecies culpæ, ac iræ, & vnicuique proportionatam pœnam iuxta ſuam grauitatem; quod notauit D. Gregor. Magnus lib. 21. moral. cap. 4. *Per gradus culpæ*, ait, *creuit ordo ſententiæ*.

Theophyl. Euthym. Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom. Caietan. Hugo. Cornel. *Pœna culpæ proportionetur.* Greg. Mag.

59. *Quid dicatur Gehenna.*

Ne inexpoſita tranſeat vox illa *Gehenna*, qua loco inferni primus in ſacris litteris vſus eſt Chriſtus Dominus. Gehenna erat vallis quædam vicina Ieroſolymis ad orientalem plagam, cedronis aquis rigua; & olim extitit conſecrata idolo Moloch, in qua eius cultores liberos ſuos igne concrematos in holocauſta offerebant, *Ierem. 7. num. 31.* Et licèt olim locus extiterit amœniſſimus, tamen propter occiſorum, ac cadauerum multitudinem erat maximè fœtidus, & abominabilis: nam Ioſias pius Rex mortuorum hominum oſſibus, iumentorum cadaueribus, excrementis, ac ſordibus, quæ è vicina Ieroſolymorum ciuitate eo deferri iuſſit, ſpurcum locum, abominandumque reddidit, 4. *Reg. 23. num. 10.* Ideo ob crudelitatem ibi exercitam in concremandis filiis, & ob loci fœtorem tranſlatus eſt ad Infernum ſignificandum, vbi maximæ fiunt crudelitates, experimentanturque fœtores. Dicebatur etiam locus iſte *Tophet*, quod idem eſt, ac tympanum, quia dum pueri concremabantur idolo, ſtrepitus fiebant, ne eorum gemitus audirentur.

60. Illud tamen inter hos tres ſupplicij gradus maximè notandum, quòd illi, qui iraſcitur fratri ſuo, cui contumelioſè dixit magnum conuitium *Raca*; nulla alia aſſignatur pœna, niſi quòd dicatur, *Reus erit iudicio; reus erit Concilio*, hoc eſt ſuperiori iudicio. Cur non apponitur ſupplicium, ſed pro punitione dicitur, *Reus erit iudicio*, hoc eſt, coram iudicibus ſtabit, eius cauſa in iudicio ventilabitur? Rigidum, magnumque ſupplicium profertur in hominem: quid durius, quàm quòd homo alienum iudicium ſubeat; nam dum fit de eius factis inquiſitio, manet homo de crimine ſuſpectus, exponitur odio, inuidiæque teſtium; & tandem bonæ, vel malæ vnius iudicis eſt obnoxius ſententiæ. Optimè ergo ei, qui iraſcitur fratri, qui dicit contumelioſè in ipſum, nullum aliud præſcribitur ſupplicium, niſi ipſum merum iudicium.

*Iudicium dira pœna, & condemnatio.*

61. Ægrè tulit Iob, quòd amici ſui fieri vellent iudices eius; & ita dicebat eis: *Nunquid faciem eius*, ſcilicet Dei, *accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?* Iob 13. num. 8. Quod explicans Interlinealis ait: *Faciem eius accipere, eſt auctoritatem eius in iudicando ſumere.* Et ita conqueritur Iob, quòd ipſi pro Deo vellent fieri iudices, vt explicant D. Gregorius, S. Odolonius, D. Thomas, Lyranus, Carthuſianus. Cur ergo conqueritur Iob, quòd amici eius iudices fierent? Nam ipſi erant amici. Deinde Iob ex tanta malorum colluuie iudicio aliorum manſit expoſitus, vt ipſum peccatorem eſſe dicerent. Et aliunde ipſemet patientiſſimus vir de ſe dicebat: *Si fuero iudicatus, ſcio quòd iuſtus inueniar*, ibid. num. 18. & cap. 6. num. 10. *Non inuenietis in lingua mea iniquitatem.* Si ergo ille ita de innocentia ſua certus erat, cur recuſat ab amicis iudicari? Optimè ſanè; nam ipſum tribunal, dira condemnatio; coram iudicibus ſtare, eorum interrogationes ferre, reſponſa dare, magnum reputatur tormentum, & ad ſententiæ auditum ambæ tinnient aures; & timet etiam iuſtus, an humanus iudex in dicendo decipiatur. Vnde D. Gregorius *lib. 11. moral. cap. 15.* reddens rationem, cur Iob recuſaret huiuſmodi iudicium, ait: *Stulti, cùm prudentium facta conſpiciunt, hæc eis omnia reprehenſibilia eſſe videntur.* Et ideo aliorum iudicium maximè fugiendum.

Iob 13. Interlin. Gregor. Odolon. D. Thom. Lyran. Carthuſ. Iob 6. *Subire iudicium magnũ tormentum.* Gregor.

62. Valde durum, & rigidum, aliorum examen ſubire. Multas Regius Vates in proditorem Iudam coniicit maledictiones; inter quas vna eſt: *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius*, Pſalm. 108. num. 11. ſeu, vt explicat *ibi* D. Auguſtinus, *Scrutetur omnem vitam eius*; hoc eſt, omnes eius actiones, & modi diligentiſſimè, ac exactè inquirantur, & rimentur. Sed hæc pœna infami datur proditori, cuius vita ita erat publica, & manifeſta, vt de illo Ioannes dicat cap. 12. n. 6. *Fur erat, & loculos habens?* Huiuſmodi inquiſitio valde dura eſt, & rigida pœna, multis iniuriis, & contumeliis plena. D. Chryſoſtomus ibi: *Hoc eſt aliud genus calamitatis, omnibus modis, probris, & contumeliis affici.* Ita ſeuerum, & aſperum eſt, propriæ vitæ examen pati; vt meritò in maledictum, ac deprauatum proditorem hoc ſupplicium tanquam execrabile, & deteſtabile infligatur. Vide ſuprà *cap. 3. num. 306. & 307.*

Pſalm. 108. Auguſt. Ioan. 12. Chryſoſt. *Magnũ ſupplicium, examẽ vitæ pati.*

*Matth. 5. n. 23.* Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te.

*Numer. 24.* Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Igitur ſi obtuleris munus tuum ſuper altare, & illic recordatus fueris, fratrem tuum retinere contra te inimicitiam aliquam: dimitte illic oblationem tuam ſuper altare, & abi primum redi in gratiam cum fratre tuo: & tum veni, offer oblationem tuam.

*Luciferus Caralit. lib. 2. pro S. Athanaſio.* Et ibi rememoratus fueris quod habeas aliquid cum fratre tuo, pone munus tuum.

*S. Opta*



*S. Optat. Mileu. lib. 6. contra Parmenian.* Depone munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo.

*Aliqui ex Græc.* Vade, reconciliare.

*EXPOSITIO.*

63. SI *ergo.* Coniunctio illa *ergo* connectit hanc ſententiam cum ſuperiori, vt optimè notauit D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 1.* Et concludit Dominus quaſi à maiori: ſi enim non licet, fratri iraſci; multo fortius non licet, in animo retinere, quod poſſit in odium conuerti; & ita inimicitia deponenda, vt ſi de ea recordatus fueris, dum offers, *&c.* Quatuor hîc ponderanda ſunt cum Alberto Magno, D. Thoma. Primò. *Si offers*, dicit actum voluntarium, & ſpontaneum; *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Pſalm. 53. n. 6. Secundò. Rei proprietas: *munus tuum*, Prouerb. 3. n. 9. *Honora Deum de tua ſubſtantia.* Per munus intelligit S. Victorinus in Apocalypſim. D. Auguſtinus noſtras oblationes, ſiue orationes, Pſalmos, hymnos. Tertiò. Loci opportunitas, *ad altare.* Quod tripliciter ſumitur. Primò pro materiali templo, Pſalm. 25. num. 6. *Circundabo altare tuum, Domine.* Secundò, vt ait diuus Thomas, pro Chriſto, Threnor. 2. num. 7. *Repulit Dominus altare ſuum*, id eſt, Chriſtum in paſſione; tertiò, vt ait diuus Auguſtinus, pro templo interiori, hoc eſt, pro cordis deuotione. Si ergo offers munus tuum ad altare Eccleſiæ, vel ad Chriſtum Dominum in ſacra Euchariſtia exiſtentem, vt explicat ſanctus Optatus Mileuitenſis proximè datus; vel in intima cordis deuotione, & ibi recordatus fueris.

Auguſt. Albert. Mag. D. Thom. Pſalm. 53. Prouerb. 3. S. Victorin. Auguſt. Pſalm 25. S. Thom. Threnor. 2. Auguſt. Optatus.

64. Sequitur quartum, charitas proximorum. *Relinque munus tuum, & vade reconciliari*; ſeu, vt alij legunt in Imperatiuo, *reconciliare*; quod habet magnam emphaſim; nam apud omnes gentes habebatur in magnum piaculum, relinquere ſacrificium imperfectum. *Reconciliari*, explicat Albertus Magnus, ſatisfaciendo, & petendo veniam, *Habet aliquid aduersùm te.* Quod aliqui cum diuo Chryſoſtomo *homil. 16.* & Theophylacto, Euthymio interpretantur, non ſolùm quando proximum offendimus, ſed etiam quando ab eo offenſi ſumus. Aptiùs tamen diuus Paſchaſius, diuus Auguſtinus, diuus Hieronymus, ſanctus Thomas. Habere aliquid aduersùm nos, eſt habere iuſtam querelam contra nos, eo quòd iniuriam à nobis acceperit. Et ideo non dixit Dominus: Si tu habes aduersùs fratrem; ſed, ſi ille habet aduersùm te.

Albert. Mag. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Paſchaſ. Auguſt. Hieron. D. Thom.

65. In primo caſu, vt notant Ianſenius, & Maldonatus, quando à fratre paſſi ſumus iniuriam, reconciliari cum eo, eſt conſilium. In ſecundo verò caſu, quando nos ei intulimus iniuriam, reconciliari cum eo, eſt præceptum affirmatiuum, quoad executionem obligans, prout ratio prudentiæ, & temporis dictat: quia fieri poteſt, vt frater ſit nimis diſtans; quantum verò ad præparationem animi, intelligitur abſolutè, & vt non differatur, vt docent Caietanus, Franciſcus Lucas.

Ianſenius. Maldonat. Caietan. Franc. Lucas.



## QVÆSTIO XI.

*Quare Dominus mandet, vt offerens relinquat munus ante Altare, & non ſecum aſportet?*

66. *Difficultas quæſtionis.*

SI offerens munus ante Altare, recordetur iniuriæ, proximi, iubet ſanctiſſimus Magiſter: Relinque munus tuum ante Altare, & vade reconciliari cum fratre. Cur non dixit: Tolle munus tuum, aſporta illud tecum; hoc enim magis videbatur ſpectare ad inſinuandam reconciliationem cum proximo?

67. Diuus Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* dubium proponit, & ſoluit. Sic ait: *Non enim ſine cauſa, coram Altari munus relinquere, præcipimur; quia quidquid coram Deo rectè offertur, immutari non vacat. Imò vitium prauæ mentis corrigatur, & dilectionem, quam debet, priùs fratri reſtituat. Túncque ad eum quantociùs, coram quo munus ſtatuit, feſtinus redeat, chirographum quoque interea illud eſſe voluit. Ideo non, refer munus tuum, dixit, ſed relinque, donec idoneus ex conſcientia placabilius offeras, quæ voluiſti.* Vbi tres rationes nobis inculcat. Primò. *Quia quicquid coram Deo rectè offertur, rectè immutari non vacat.* Oblatio eſt iam ante Altare, & Deo dedicata; nam loquitur Dominus, vt ait Chryſoſtomus *homil. 16.* munere ipſo iam poſito, & inchoato ſacrificio: ergo non licet, eam inde auferre, & aſportare; nam quod ſemel Deo conſecraſti, non eſt repetendum, ſed potiùs defectus emendandus, & reconciliatio, ac intima dilectio cum fratre ineunda. Secundò. *Tuncque ad eum quantociùs, coram quo munus ſtatuit, feſtinus redeat.* Vt te obliget, vt celeriter facias cum fratre concordiam, vt velociter ad perficiendum tuum munus ante altare deuenias. Tertiò. *Chirographum quoque interea illud eſſe voluit.* Iubet relinquere munus oblatum, tanquam pignus, ac chirographum reconciliationis, ac beneficentiæ cum fratre; dona enim noſtra, quæ Deo damus, ſemper ſunt vtilia, frugifera, ac benefica proximis noſtris.

Paſchaſ. *Semel Deo oblata, non repetenda.* Chryſoſt. *Quæ Deo damus, omnibus proficua.*

68. *Non danda occaſio deſperationi.*

Quartò. Si diceretur ei: Tolle munus tuum; videretur, ei dare repulſam: ne ergo deſperet de recuperanda gratia Dei, ei mandatur: Relinque munus tuum. Quintò. Ne homo abiiceret propoſitum colendi Deũ, ideo voluntas benignè fouenda eſt, ac dirigenda ad vitium deponendum, & ad reconciliationem ineundam. Sextò. Si diceretur: Tolle munus tuum; videretur contemni oblatum; & quæ beneuolo animo offeruntur, non contemnenda ſunt, nec aſpernanda.

*Munera oblata non contemnenda.*

69. Adſtant Iudas, & eius fratres coram Ioſeph, *qui quaſi ad alienos durius loquebatur*, Geneſ. 42. num. 7. Qui poſtea redeuntes domum, cùm iterum diſcederent in Ægyptum, ex Iacob conſilio munera deferunt Ioſeph. Et ait textus Geneſ. 43. n. 26. *Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus ſuis, & adorauerunt eum proni in terram. At ille clementer ſalutatis eis.* Si hucuſque duriùs, ac trunca facie agebat cum eis, cur modò hilari, ac placido vultu cum illis colloquebatur? Nunc munera illa integerrimum Ioſeph animum flexerunt? minimè, ſed pigneratur magnanimus. Ioſeph animus.

Gen. 42. Geneſ. 43. *Beneuolè acceptanda dona.*

Gg ne

ne munera, oblata ſubmiſſione, ac veneratione tanta, vt notat Abulenſis, ac indiciis amoris etiam tantis, contemni, ac abiici viderentur. Hugo. *Poſt oblationem munerum clementer loquitur Ioſeph, qui ſuprà tam durè locutus fuit.* Solent enim principes, offerentium oblata munera, non abiectè repellere, ſed beneuolentiæ ſignis proſequi.

Abulenſ. Hugo.

---

## QVÆSTIO XII.

### *Quare non priùs acceptet Dominus oblationem factam, & poſtea remittat ad reconciliandum cum fratre?*

70. *Difficultas quæſtionis.*

PRæcipit tibi Dominus, quòd ſi dum oblata offers ante Altare, *recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſùm te, relinque ibi munus tuum, & vadè priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Cur non permittit Dominus, vt priùs homo munus ſuum offerat, ſuum perficiat ſacrificium; nam illud imperfectum relinquere, apud omnes nationes magnum piaculum habebatur; & tãdem factam Dominus acceptet oblationem, poſteaque offerens ad reconciliandum cum fratre remittatur? Germana ſolutio eſt, quòd in hoc negotio nullam Deus dilationem patitur, ideoque priùs mandat, vt vadat ad reconciliandum cum fratre; & poſtea ad eius cõſpectum veniat, ad ſuã oblationẽ offerendam. Ita cõmuniter Interpretes.

71. Chryſoſt.

Reſpondet ſecundò D. Chryſoſtom. hom. 16. *O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit: quid his verbis mitius eſſe poſſit? Interrumpatur, inquit, cultus meus, vt tua charitas integretur.* ſimiliter Euthymius, Theophylact. In verbis S. Patris duo notanda ſunt. Primò. Eximia Dei charitas *honorem ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit.* Vult Dominus, vt eius oblatio, ac ſacrificium, per quod colitur, ac honoratur à ſuis, differatur; imò & interrumpatur, vt cum proximo reconciliationem habeamus; quia huiuſmodi reconciliatio requiritur, vt oblatio ſit accepta, vt docent Abulenſis *q.* 162. Caiet. *hîc*; & ita nobis frugifera, vt multis donis ditemur. Et ita honorem ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit, vt per illam fiamus bonis omnibus locupletes. Vide ſuprà *c.* 3. *n.* 71. *&* 58. *&* 240. Et ſuprà in hoc *cap. n.* 36. Secundò. In verbis Chriſti pondera, *Vade priùs.* Quod notans D. Chryſoſt. *Interrumpatur,* ait, *cultus meus, vt tua charitas impleatur.* Ea enim eſt Dei excelſa magnitudo, vt ſciat, aliis primas dare: ad cuius imitationem perfectè nobiles non recuſant, aliis primas concedere ſedes, & ſibi ſecundas reſeruare. Vide *cap.* 11. *n.* 76. *& lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 143.

Euthym. Theophyl. *Deus ob noſtram charitatem honorem ſuum deſpicit.* Abulenſ. Caietan. *Deus ſcit aliis primas dare.* Chryſoſt.

72. Idem.

Tertiò idem Chryſoſt. citato loco. *Irrefutabilem,* ait, *quandam neceſſitatem reconciliationis imponit. Qui enim iuſſus eſt, non priùs munus offerre, quàm reconcilietur offenſo; etiamſi non ob proximi charitatem, ſaltem ne ſacrificium maneat imperfectum, currere ad contriſtatum iubet, inimicitiaſque diſſoluere.* Idem habet Caietan. Maximè nos cogit Dominus ad ſatisfaciendum fratri offenſo, dum iniuriam in fratrem, monſtrat, impedimentum eſſe ad offerendum Deo; vt intelligamus, incumbere nobis neceſſitatem reconciliandi cum fratre, non ſolùm vt debitum reddatur fratri, ſed etiam vt noſtrum ſacrificium perficiatur, ac abſoluatur. Adeò Deus noſtram cum proximo dilectionem affectat, vt ad illam modis omnibus nos cogat, & trahat: non enim ſolùm contentus eſt, hoc dare in præceptum, ſed etiam nos neceſſitate compellit, ne in excrabile apud omnes nationes, (vt dixi in expoſitione) nefas incidamus, quod noſtrum ſacrificium maneat inchoatum, ac imperfectum.

Caiet. *Deus neceſſitate nos cogit ad reconciliandũ cum fratre.*

73. Tertullian.

Quartò Tertull. lib. de patientia, cap. 12. *Nemo cõuulſus,* ait, *animum in fratrem ſuum, munus apud Altare perficiat, niſi priùs reconciliando fratri reuerſus ad patientiam fuerit: non licèt nobis, vna die ſine patientia manere.* Vehementer nos Dominus mouet ad amicitiam cum fratre, dum iubet munus relinquere ante Altare, vt cum eo gratiam ineamus. Et ſi frater nos offendit, & ſi ab eo læſi ſumus, adhuc, ſaltem ex conſilio, vult, vt cum ipſo fratre reconciliemur; & vt habeamus patientiam, ac miſericordiam ad remittendas, ac diſſimulandas proximorum iniurias, & cum eis quæramus charitatem, & amicitiam. Nulla dies ſine ſacrificio, ac oratione tranſeat, nulla etiam dies ſine patientia prætereat. Ex hac Chriſti ſententia etiam monet Ioann. Caſſianus *lib.* 8. *de ſpiritu iræ, c.* 12. quòd non tranſeat vna dies in triſtitia cum fratre, ſed citò cum eo reconciliemur.

*Nulla dies ſine patiẽtia.* Caſſian.

74. Hilar.

Quintò D. Hilar. *Nullam,* ait, *impacificæ orationis precem fieri patitur Dominus, ſed Altari munera offerentes, ſi recordentur, habere ſe cum fratribus aliquid, reconciliata humana pace, reuerti in diuinam pacem iubet, in Dei charitatem de charitate hominum tranſiturus.* Mandatur, relinquere munus ante Altare, & ad concordiam cum fratre ire; quia nemo poteſt ad charitatem Dei venire, niſi ex charitate fratrum. Si vis habere amicitiam cum Deo, fac pacem cum proximo; nec enim ſine hac ad illam deuenitur.

*Charitas in fratrem gradus ad amorem Dei.*

75. *Charitatem in fratrem Deus tibi maximè cõmendat.*

Sextò. Maximè nos cogit Dominus ad concordiam cum fratre: nam vult, vt relinquatur munus ante Altare, vt ad illam ineundam tendamus, vt ſatis notatum manet ex Chryſoſtomo *in* 3. *ratione.* Quod efficaciter confirmo ex verbis Domini. Non ait: Si offertis munera veſtra ante altare, & ibi recordati fueritis, &c. Non per plurale loquitur, ſed per ſingulare. Cum omnibus loquebatur Dominus; & tamen ſingulariter ait: *Si offers munus tuum.* Hoc præceptum de charitate fraterna, quanuis eſſet communiter promulgatum pro omnibus; ita tamẽ Dominus diſponebat, vt eſſet tam intimè in vniuſcuiuſque corde inſinuatũ, ac tam alta mẽte repoſitum, ac ſi cuilibet eſſet particulariter mandatum, & dictum; & ita particularibus verbis profert: *Si offers munus tuum ad Altare.*

76. Exod. 29. Origen.

Dantur à Domino in monte Sinai præcepta Decalogi *Exod.* 20. *à num.* 3. Et ait Dominus: *Non facies tibi ſculptile;* ſeu vt legit Origenes, *Non facies tibi ipſi idolum.* Proſequitur Dominus in proferenda lege: *Non adorabis ea; non aſſumes nomen Dei tui in vanum; memento, vt diem Sabbati ſanctifices; honora patrem tuum; non occides; non mœchaberis,* &c. Magna conſideratione dignum ſanè, quòd totus Decalogus per verba ſingularia profertur. Quando Dominus mandabat Moyſi, vt aliquid denuntiaret populo, paſſim his vſus eſt verbis: *Hæc dices: filijs Iſraël:* vt habemus, quando egit de eximendo populo à captiuitate, *Exod.* 3. *num.* 15. Et etiam, vt notat D. Hieronymus *in cap.* 65. *Iſaiæ,* quando Scriptura commemorat peccata populi, pluraliter loquitur: *Auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum,* Pſalm. 77. n. 57. *Obliti ſunt operum eius,* Pſalm. 105. num. 13. & ibid. num. 21. *Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos.* Cur ergo in his locis numero multitudinis vſus eſt Dominus; at verò quando lex datur, ſingularia verba aſſumuntur? In aliis, dum de beneficiorum ingratitudine, obliuione populi erga ſuum benefactorem diſſeritur, per plurale fit ſermo, quia omnia illa communia omni populo, & non tanquam particularia reputabantur: at verò dum lex datur, ſingularia ſunt verba, vt ait Cardinalis Hugo, *ac ſi cum vnoquoque loqueretur.* Verum eſt, quòd lex pro omnibus vniuerſaliter eſt lata; tamen ita volebat Dominus, quòd eſſet fixa, & inhærens in vniuſcuiuſque animo, ac ſi cuilibet particulariter eſſet dictum: *Non facies ſculptile; non adorabis ea;* quæ enim particularia ſunt, magis obligant, mouent, ac impellunt.



Hieron. Pſalm. 77. Pſalm. 105. Hugo. *Lex ita obſeruanda, ac ſi cuilibet particulariter eſſet dicta.*

---

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare in aliis donis, quæ offeruntur longè ab Altari, non exprimatur particulariter hoc præceptum priùs reconciliandi cum fratre?*

77. *Difficultas quæſtionis.*

PRæcipit Dominus: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſùm te, relinque munus tuum, vade priùs reconciliari.* Multa ſunt opera, quæ Deo offeruntur ſæpè in loco diſtanti ab Altari, vt elemoſynæ, ieiunia, abſtinentiæ, gratiarum actiones, & alia pia opera. Cur ergo in muneribus, appoſitis ante altare, expreſsè, ac præcipuè adhortamur, vt priùs ad reconciliationem fratris procedamus, quàm ad oblationem; & non tam ſpecialiter, ac diſtinctè monemur de aliis, quæ fiunt longè ab Altari? Cur huiuſmodi reconciliationem non requirit Dominus abſolutè in omni munere vbicunque exhibeatur, ſiue ante altare, ſiue extra?

78. *Germana ſolutio.*

De ſenſu litterali huius rei iam egi in expoſitione. Et ratio germana huius loci eſt. Quia magnum nefas reputabatur apud omnes, quo ſacrificium relinqueretur imperfectum: vt Dominus ergo inſinuaret, quàm celeriter, ac diligenter ineunda ſit cum fratre reconciliatio, iubet relinquere ſacrificium inchoatum, vt ad concordiam fratris veniamus; & ita proximi dilectio anteponatur ſacrificij perfectioni. Ad rationes morales properemus.

79. Paſchaſ.

Reſpondet ſecundò Diuus Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Hæc ſecundùm hiſtoriam impleta de cultu Religionis non abhorrent, vt fides templum intelligatur, & Altare Chriſtus, ante quem noſtræ fidei donaria offerimus. Ille quippe eſt illa ſublimis Sanctorum ara coram Patris vultu, ſub qua Sanctorum animæ requieſcunt; vbi ſi recordamur, quòd aliquis habeat aliquid aduerſùs nos, oportet coram eo munus noſtræ deuotionis relinquere, & quem læſimus, ſatisfacere, donec reconciliantis munus offerre liceat.* Altare Chriſtum adumbrat, & repræſentat, vt dixi in expoſitione: Chriſtus autem charitas eſt; meritò ergo hîc præcipuè, ac maximè adhortamur, vt qui ad Altare, ſcilicet ad vmbram Chriſti, accedit, non in diſcordia fratrum, ſed in amore, & charitate deueniat; vbi enim Chriſti vmbra eſt, nulla poteſt eſſe diſcordia, nullaque iniuria proximi. Vade ergo, relinque munus tuum; nam hæc Chriſti ara nullos diſſidentes capit.

*Vbi vmbra Chriſti, nulla poteſt eſſe diſcordia.*

80. Chryſoſt.

Tertiò D. Chryſoſt. hom. 16. *Cùm enim dicitur,* ait, *Relinque munus tuum; non ibi ſiſtit, ſed intulit, ante Altare, rurſus ab ipſo etiam loco honorem iniiciens; & vade: nec tantùm dicit, vade; ſed adiunxit,* prius, *& tunc veniens offer munus tuum: per omnia iſta ſignificans, quia per aliquas inter ſe inimicitias diſſidentes nequaquam menſa illa ſuſcipiat. Audiant hi, qui ſacris certè myſteriis initiati, cùm inimicitiis ad commmunionem Altaris accedunt.* Inter omnes oblationes, quas homo Deo exhibet, vt dixi in principio quæſtionis, præcipuè admonetur, quòd dum ad Altate accedit, ac offert, ſi ſit in odio fratris, relinquat ibi munus ſuum, & vadat ad reconciliationem. Cur hoc tam ſtrictè, ac vehementer hîc exigitur, & non in aliis donis, quæ fiunt extra Altare, hoc inpræſentiarum tam expreſſè, ac ſpecialiter commendatur? Eſt enim Altaris ſacrificium; & cum ſit tota charitatis, ac dilectionis victima, & *pacis ſacramentum,* vt illud appellat Chryſoſtomus *homil.* 51. *in Matth.* nullos inter ſe diſſidentes admittit, ſed excludit, & repellit.

*Qui eſt in odio fratris, in menſa Chriſti locum non habet.* Chryſoſt.

81. Luc. 15. *Ad Euchariſticam mẽſam requiritur charitas in fratres.* Caietan. Chryſolog.

Maximè feſtiuè filium deperditum benignus pater excipit, eique parat conuiuium, in quo vitulum occidit ſaginatum, & omnia feſtiuis inſtrumentis perſonant. Filius autem ſenior veniens de agro, *& cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam, & choros; indignatus autem nolebat introire,* Luc. 15. num. 28. Sed cur in tantis epulis celebratis tanta iucunditate, ac lætitia excluſus remanet, introireque recuit, cùm potiùs à tantis feſtiuis inuitari deberet? Menſa illa figurabat ſalutiferum conuiuium, in quo vitulus ſaginatus Chriſtum adumbrabat, vt auctor eſt Caiet. Senior autem frater totus erat repletus odio, inuidia, ac ira in iuniorem; & qui in fratris odio erat, ad cœleſte epulum nequibat habere ingreſſum, ſed foris excluſus manet, atque repulſus. D. Petr. Chryſolog. ſerm. 4. de Prodigo, *Inuidum,* ait, *fugat ſymphonia pietatis, chorus charitatis excludit; & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui, vocat ratio naturæ, hunc peruenire Zelus non ſinit, liuor non patitur introire.*

*Lucæ* 5. *n.* 25. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.

*Numer.* 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Eſto deſiderabilis cum

aduerſario tuo, *&c.* & iudex tradat te exactori, & incidas in domum vinctorum.

*Græcus.* Eſto beneuolus.

*Arabicus.* Eſto benignus litiganti tecum.

*Aliqui apud Franciſc. Luc.* Eſto concors.

*Syriacus n 26.* Non egreſſurum donec reddideris octauum numulum.

*Pagninus.* Extremum quadrantem.

## *EXPOSITIO.*

82\. SVPRA Dominus nos maximè exhortatur ad gratiam, & amicitiam cum proximo, ſi velimus, nos, noſtraque opera Deo eſſe grata: nunc autem nos monet, & prouocat terrens diuini iudicij ſeueritate, ſi in hac charitate non ſteterimus.

*Explicatur ſenſus totius huius textu.* Et ad hoc adducit exemplum, quemadmodum ille, qui in ius vocatus pergit cum ſuo exactore ad iudicium, multo melius eſt, in itinere, dum lis adhuc pendet, componere totam rem, quia ſocius poteſt ei aliquid remittere in via, quàm ad iudicium conuenire, quia iudex toto iuſtitiæ rigore rem exactiſſimè exquiret, illumque probroſè, ac ignominoſè coniiciet in carcerem, donec totum reſtituat: ita qui læſit fratrem ſuum contumeliis, ac opprobriis, dicendo, *Fatue*, vel *Raca*, & ſe debitorem honoris reſtituendi conſtituit, optimum eſt, vt citò pergat, & dum adhuc eſt in hac via, ſcilicet vita, reconcilietur cum eo, à quo pro illatis iniuriis veniam obtinere poteſt, antequam Deo iudici tradatur; quia tunc rigoroſè carceri tradetur, vt totum debitum perſoluat, vel lethale in Inferno, vel veniale in Purgatorio, vt explicant Caietanus, & Cornelius à Lapide. Singula aptemus. (Caietan. Cornel.)

83\. *Eſto conſentiens aduerſario tuo.* id eſt, eſto amicus, & beneuolus cum tuo aduerſario, nempe cum fratre, in quem intuliſti iniuriam, & opprobrium. Et eſto conſentiens ſatisfaciendo, ac recompenſando honorem ablatum, & damnum illatum. (Caietan.) Caietanus ita explicat: Eſto beneuolus animo, & opere aduerſario tuo, id eſt, homini tibi aduerſanti, quanuis tu non aduerſeris ei, hoc eſt, nec iraſcaris aduerſario, nec dicas illi, Raca. Sed prima expoſitio magis litteralis. (Ioan. 9.) *Citò*, diligenter, abſque vlla mora, ne ſubitò auferaris, quando minus cogitas. *Dum es in via cum eo*, dum es in hac vita cum eo, facile eſt, rem componere. (Gloſſa. Albert. Mag. S. Thom. Hugo.) Ioan. 9. num. 4. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Sequitur textus, *Ne fortè*; *vt* ait Gloſſa, Albert. Magnus, S. Thomas, Hugo. Non dixit abſolutè, tradet te; ſed poſuit: *Ne fortè*, ne auferatur locus pœnitentiæ; quia ſi per pœnitentiam doleas, non tradet. Et ſic multi iniurias illatas fratribus, per pœnitentiam diluerunt. (Actor. 3.) Sic dixit Petrus ad Iudæos, qui Chriſtum crucifixerunt Actor. 3. num. 19. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.*

84\. (D Thom. Pſalm. 103.) *Et tunc iudex*, ſcilicet Chriſtus, *tradet te miniſtro*, vt explicat D. Thom. id eſt, Angelo. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, Pſalm. 103. n. 4. Vel exactori diabolo. *Et in carcerem mittaris*, id eſt, in Infernum, vel Purgatorium, pro qualitate culpæ. *Non exies inde, donec reddas*, hoc eſt, à Purgatorio non exies, donec ſoluas pœnam temporalem debitam. Ab Inferno autem, cuius pœna eſt æterna? Illud *donec*, vt notant D. Auguſtinus, S. Thomas, non ſignificat finem pœnæ, ſed continuationem miſeriæ, quaſi dicat: Semper ſolues, & nunquam perſolues; ſeu, vt clariùs dicam: Non exies inde, donec ſoluas, ſeu reddas: atqui in Inferno nunquam debitum perſoluitur; ergo nunquam inde exies, ſicut Pſal. 109. n. 2. *Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos*; id eſt, ſemper ſedebis. (Auguſt. S. Thom. Pſalm. 109.)

85\. *Nouiſſimum quadrantem.* Quadrans ſignificat quartam partem, & vulgariter ſumitur pro quodam genere nummi. Eſt autem quadrans quarta pars aſſis, teſte Budæo *lib. de Aſſe.* (Budæus.) As continet quatuor *Reis*, vt materno ſermone dicam; quadrans verò *hum Real*; & ita quadrans ſumitur pro minimo pretij nummulo, & per hanc metaphoram ſignificatur, quòd etiam minima culpa perſoluenda eſt.

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Quinam ſit aduerſarius iſte?*

86\. *Vera intelligentia.* (Hilar. Imperfect. Hieron. Ambroſ. Paſchaſ. Rupert.) VARIÆ ſunt in hac re interpretationes. Prima, & mihi vera, quam ſecutus ſum in expoſitione, & tradunt D. Hilar. *Can.* 4. Imperfect. *homil.* 11. D. Hieron. *hîc*. D. Ambroſ. *lib. 7. in Luc. cap.* 12. D. Paſchaſ. Rupert. *lib. 4. in Matth.* quòd aduerſarius, de quo hîc ſit ſermo, eſt ille, qui habet aliquid aduersùm nos, quia eum læſimus, ac offendimus, appellando Raca, vel fatue; ſeu aliam iniuriam inferendo: hic enim actionem habet accuſandi nos in iudicio. Hic nanque ſenſus optimè cohæret cum ſuperioribus, in quibus nos Dominus maximè adhortabatur, reconciliari cum fratre, ſi habet aliquid aduersùm nos. Alias ſententias de hac re breuiter videamus.

87\. (Tertullian. Origen.) Secunda eſt Tertull. *lib. de anima.* Origen. *homil. 35. in Luc.* qui docent, aduerſarium, de quo hîc eſt ſermo, eſſe diabolum communem inimicum generis humani. (Athanaſ. Iuuenc.) Tertia eſt D. Athanaſij *q. 62.* ac inſignis Poëtæ Iuuenci, qui contendunt, aduerſarium eſſe carnem, quæ concupiſcit aduersùs ſpiritum. Sed nec carni, nec diabolo conſentire debemus, ſed potiùs eius ſuaſionibus maximè diſſentire, vt bene docet *hîc* Auguſtinus: (Auguſt.)

88\. (Athanaſ. *Conſcientia pungit, & accuſat.*) Quartò idem D. Athanaſ. *loco proximè citato*, & accommodatiori intelligentia docet, aduerſarium vocari conſcientiam. Ipſa enim aduerſatur peccatis, & nos interiùs maximè pungit, vt à peccatis, abſtineamus; & ſi ei nō acqueſcimus clamat, & accuſat nos ante tribunal Dei. Vide ſuprà *c. 3. n.* 308.

89\. (Auguſt. *Lex aduerſarius peccatis.*) Quintò D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini, cap.* 22. exiſtimat, aduerſarium legem Dei ſignificare. Lex autem Dei aduerſarius noſter appellatur, quia ipſa dirigens greſſus noſtros ad rectitudinem, ac ad bonum nos exhortans, maximè contrariatur vitiis, ac effrænatis cupiditatibus. *Quid enim*, ait Auguſtinus, *ſic aduerſatur peccare volentibus, quàm lex Dei, & Scriptura diuina. Eſto conſentiens aduerſario tuo. Quis autem conſentit Scripturæ diuinæ, niſi qui legit, & audit, vt quod intelligit, non propter hoc oderit, quod peccatis ſuis aduerſari ſentit; ſed magis diligat correptorem ſuum, & gaudeat, quòd morbis ſuis, donec ſanentur, non parcatur.* Multa præclarè docet Auguſtin. Aduerſarius noſter lex Dei, cui debemus conſentire, dum ſumus in via, aliter ipſa lex tradet nos, & accuſabit coram Deo iudice. (Ioan. 12.) Sic ait Chriſtus Dominus. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum: ſermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die*, Ioannis 12. n. 48. (Chryſoſt.) Et meritò ipſa lex nos accuſat apud Deum Patrem; &, vt ait Chryſoſtom. *hom. 68. in Ioan.* in ordine ſtabit accuſatoris, omnem tollens excuſationem, (Theophyl.) Immò ipſa lex nos iudicat, vt explicat Theophylact. *ad cit. loc. Ioan.* quia cùm ipſa eſſet ſummè diligenda à nobis, (Auguſt. *Monitor venerandus, & non contemnendus.*) quia noſtris morbis, vt ait Auguſtinus, donec ſanemur, non parcit; tamen contra eam inſurgimus, eamque contemnimus, ac paruipendimus tanquam aduerſarium noſtrum.

90\. (Oſeæ 5. Septuaginta.) Ait Oſeas *cap. 5.* iuxta Septuag. n. 11. *Oppreſſit Ephraim aduerſarium ſuum, conculcauit iudicium, quoniam cœpit abire poſt ſordem.* Et ſtatim enumerat Propheta multa mala in Ephraim. Sed vnde tot ei contigere mala? (*In multa incidit ſupplicia, qui monitorē ſuum contemnit.*) B. Iſaias Abbas *orat.* 4. exiſtimat cum D. Auguſt. aduerſarium eſſe monitorem, qui corripiebat Ephraim à vitiis ſuis, quo ſpreto *conculcauit iudicium, cœpit abire poſt ſordem*; & inundauerunt multa mala captiuitatis, interitus, ac perditionis ſuper eum. Ita ait citatus Abbas. *Hæc Ephraim contigerunt, quia oppreſſit aduerſarium ſuum.* Vide *cap. 5. num.* 182.



# CAP. XIII.

## *Fornicatio, Iuramentum, vindicta vitanda.*

*Matth. 5. n. 27.* Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis.

*Numer. 28.* Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quiſquis aſpexerit mulierem, vt eam concupiſcat, illico adulterauit eam in corde ſuo.

*Pagninus.* Non committes adulterium:

*Alius.* Omnis, qui aſpexerit vxorem alterius ad concupiſcendum, iam adulterium cum ea commiſit in corde ſuo.



## *EXPOSITIO.*

1\. (D. Thom. *Ordo textus.*) SVPRA, vt notat *hîc* D. Thomas, ordinauit Dominus appetitum iraſcibilem reſpectu ſuæ paſſionis, & efficaciter nos adhortatus eſt ad omnem iram contra proximum deponendam. Hîc verò ordinat, ac componit concupiſcibilem reſpectu ſuæ paſſionis. Cur autem Dominus incepit, non à primo præcepto, ſed à quinto, & ſexto? iam explicaui ſuperiori cap. *n. 36.* *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*, ſcilicet Iudæis, ſub præceptis legis viuentibus, multo tempore iam elapſo. (Chryſoſt.) Nam, vt ait Chryſoſt. dum dicit, *antiquis*, oſtendit multum tempus, ex quo hoc mandatum acceperunt. *Non mœchaberis*, id eſt, non committes adulterium, vt ex Græco habent Pagninus, Vatablus, Arias, & alij communiter. (Pagnin. Vatabl. Arias.) Mœchia hîc, ſeu concubitus, generaliter accipitur pro omni actu carnali illicito, vt dicam *quæſt. ſeq. difficul.* 2.

2\. (Hugo.) *Ego autem dico vobis.* Ego, vt ait Hugo, qui ſum veritas, & mentiri non poſſum. Et non ſe opponit Dominus his, quæ antiqui audierunt in lege, ſed his, quæ falſis interpretationibus contra legem à ſuis maioribus acceperunt: dicebant enim, concupiſcentiam internam vix eſſe peccatum. de quo ſatis egi ſuperiori cap. (Albert. Mag. *Lex ad omnes, qui in eadem infirmitate ſunt*) *Omnis*; non diſtinguitur aliquis, vt ait Albertus Magnus, nec conditione, nec gradu honoris, nec ſexu, quia omnes circundati ſunt hac infirmitate concupiſcibilitatis, & ideo lex ad omnes ſe extendit: *Qui viderit.* Oculi annuntiant pulchritudinem mulieris, & ſuis lenociniis mouent libidinem in eam, quæ veluti per portas, per illos ingreditur; *mulierem*, ponit tanquam nomen commune pro omni fœmina, ſiue virgine, ſiue nupta. (Hieron. Auguſt.) *Ad concupiſcendum eam.* Viſus, qui hîc damnatur, eſt ille, qui curioſè fit, vt notant D. Hieronymus, & D. Auguſtinus; & eo fine, vt interiùs concupiſcat, ac deſiderio illicito inflammetur. Hanc ergo concupiſcentiam Dominus vult eradicare. (Chryſoſt.) D. Chryſoſtomus *hom.* 16. ait: *Non idcirco Chriſtus adueniſſe contentus eſt, vt ſolummodo corpus à malis actibus, ſed vt priùs animam quoque ab huiuſmodi cogitationibus auerteret.* (*Puritas Chriſtiana intendit internam munditiem.*) Puritas Chriſtiana maximè intendit internam munditiem, cum qua externæ actiones conformentur. *Iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*; hoc eſt, iam eam conſtuprauit, ac violauit voluntate, ac animo ſuo; id eſt iam animi ſtupri reus eſt, legiſque tranſgreſſor.

---

## QVÆSTIO I.

### *Quare Dominus cum tanta breuitate explicet præceptum fornicationis? Circa quod tria dubia expendo.*

1\. (*Prima difficultas: Cur potiùs loquitur de viro?*) EX triplici capite hîc exurgit difficultas. Et primò, quare potius loquitur de viro, dicens: *Qui viderit mulierem*; quàm de muliere, dicendo: Quæ viderit virum? (Chryſoſt.) Reſpondet primò D. Chryſoſtomus. Quia ad hoc paria iudicantur

vir &, mulier;ſed propter dignitatem complexionis:vir enim caput eſt mulieris;& ideo ſub nomine viri reſoluitur quæſtio. Omnis legiſlator præcepta dat viris,vt per viros ad mulieres tranſeant 1.Cor.14. 1.Corinth.14.n.34.*Mulieres in Eccleſiis taceant. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Albert.Mag. Secundò reſpondet Albert.Magnus.Poteſt, quidem dici, quòd maior tentatio eſt in viro, quàm in muliere; licèt in muliere reſiſtentia ſit minor:& vbi maior eſt tentatio, ibi ponit Dominus inſtructionem. Prima tamen ſolutio mihi videtur probabilior.

4. *Secunda difficultas; cur ait: Viderit, & non concupiuerit?*

Secunda difficultas: Quare Dominus non dixit: Qui concupiuerit, ſed *qui viderit ad concupiſcendum*; fieri enim poteſt,vt quis concupiſcat, quin videat? Reſpondet ad hoc primò D. Thomas *hîc*; D.Thom. quia concupiſcere, eſt aliquando ſubitò, & nõ deliberatè,& ſic eſt veniale,& eſt propaſſio, ſecundùm Hieronymum.Sed videre,ad concupiſcendum, eſt cum deliberatione, & ideo mortale, & eſt paſſio,ſecundùm Hieronymum.Ita D. Thomas. Beda. Secundò ait Beda, quòd hîc viſus ponitur pro omni motu, qui eſt ad delectationem non ſolùm corporali,ſed etiam interiori, qui eſt concupiſcentia. *Legiſlator attẽdit ad communia.* Tertiò mihi dicendum videtur, quòd legiſlator attendit ad id,quod ordinariè contingit; & quia viſus eſt occaſio ad concupiſcendum; ideo de hac communi,ac frequenti occaſione locutus eſt.

5. *Tertia difficultas: Cur tam breuiter loquatur de omni ſpecie luxuriæ?*

Tertia difficultas. Qui viderit mulierem; non dicit virginem,vel vxorem fratris tui, ſed *mulierem*. August. Reſpondeo cum D.Auguſtino,quòd ſub hac vna ſpecie,inter frequentes grauiſſima, atque inter omnes gentes maximè execrabili, intelliguntur damnatæ, & prohibitæ omnis alia fornicatio, inceſtus,mollities, atque cæteræ ſpecies luxuriæ. Et ita dum Dominus dixit,*Non mœchaberis*,omne libidinis crimen interdixit. Et ideo poſtea Moyſes,vt optimè notat D. Paſchaſ. *lib.* 3. *in Matth.* Paſchaſ. variis criminum ſpeciebus diſpertiens ſingula proprio iudicio damnauit, vt habes *Leuit* 18. *à n.*5.*& cap.*20.*à n.*10.Dixit autem mulierem potius,quàm fœminam, vel vxorem proximi, vt ait Albert.Mag. Albertus Magnus, quia *mulier* à molliendo dicitur,& hîc ſumit eam,ſecundùm quod emollit forma eius in concupiſcentia. Prouerb.6. *Diſciplinæ cuſtodiant te à muliere mala,& à blanda lingua extraneæ;non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Prouerb.6.n. 24. *Fauus diſtillans labia meretricis*,ibid.cap.5.n.3. Prouerb. 5.

6. *De luxuria breuiter loquendum.*

Illud tamen ponderatione dignum eſt, quòd legiſlator de tot, & tantis luxuriæ ſpeciebus tam ſuccinctè locutus fuerit, &omnes tam reſpectu viri,quàm fœminæ, ſeu mulieris ſub mœchia, ac ſub vno nomine comprehenderit: Adeò exoſa, & ſceleſta res eſt luxuria, vt vix à pudico ore poſſit aſſumi,ac pronuntiari; & hac de cauſa,pura, ac munda lingua ſæpe vocabula mutat, vel multa ſub vno denotata exprimit.

7. A ſenibus inueteratæ nequitiæ accuſatur caſtiſſima Suſanna, quòd fuerit in adulterio comprehenſa. Dicebant illi: Daniel.14. *Venit ad eam adoleſcens, & concubuit cum ea*, Daniel. 14.num. 37. Et iterum: *Vidimus eos pariter commiſceri*, ibid. n. 38. Eorum teſtimonium ſcrutans ſanctus Daniel, eos iubet ad inuicem ſeparari, & cum vnoquoque loquens, ait: *Dic ſub qua arbore videris eos loquentes ſibi*, ibid.num.35.& 58. Multum diſtat concubitus, ac commiſtio à colloquio; nam in concubitu ſtat adulterium, minimè verò in colloquio præciſè. Ad concubitum ſequitur pœna capitalis, quam minimè colloquium promeretur. *Ab ore puro ſumendum non eſt nomen luxuriæ ſonans.* Si teſtes clamant,quòd viderint eam in ſcorto, ac commiſtione cum adoleſcente,quomodo ſanctus Propheta confugit ad colloquium? Daniel erat purus,& mundus, & hac de cauſa puer appellatur:*Suſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri,cuius nomen Daniel*,ibid.n.45.vt notat Chryſoſt.*hom. de Suſanna.* Chryſoſt. Ob ſuam ergo munditiem Daniel, omiſſo nomine concubitus,fœditatem luxuriæ exprimente,ac declarante, colloquium dixit, quòd initium parat ad adulterium. Lyranus. Lyranus, *Curialiter*, ait,*loquitur,ſicut homo caſtus,& verecundus, non ſicut ſenes impudici,qui dixerant, Vidimus eos pariter commiſceri.*

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare inter cæteros ſenſus viſus ſpecialiter prohibeatur?*

PRo reſolutione huius puncti videnda ſunt, quæ dixi *ſuperiori quæſt. diff.* 2. vbi tractaui: Quare Chriſtus Dominus dixit potius, *qui viderit*,quàm *qui concupiuerit?* Quæ ibi ſunt videnda. 8. Et ideo prima ſolutio huius rei ſit ex Beda. Beda. Quia Dominus in viſu omnem motum animi, ac delectationem intelligit. D.Thom. Secundò ait D. Thomas: Quia viſus magis eſt in promptu ad concupiſcentiam;& ideo Dominus ſpecialiter in eo ponit prohibitionem.

9. Pelusiot. Tertiò D.Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſtol. 107. *Ob eam enim cauſam ſalutaris quoque ſermo eum, qui impudico oculo aliquem perſpiciat, ſupplicio affecturum ſe comminatus eſt, cùm alij legumlatores facinus duntaxat puniant:ne difficile, ac nimis arduum bellum ſit,verùm facile, & procliue.* Humani legiſlatores communiter prohibent factum, verbi gratia,adulterium,inceſtum,homicidium;at Chriſtus ſuis interdicit oculorum viſionem ad concupiſcendum:nam, vt ait S. Pater in initio Epiſtolæ proximè citatæ,oculus, mentis porta eſt. *Dominus ſuis facilia parat certamina.* Ne ergo bellum hominis cum ſuo appetitu ſit nimis durum, & oporteat multum in victoria inſudare, præcipit Dominus,claudere mentis oſtium,vt pugna ſit facilis, & victoria in promptu.Dominus ſuos athletas ad puritatem,ac obedientiam vocat; ſed ea bella indicit,quæ ſint facilia, & procliuia. Ea enim Dominus diſponit, per quæ nos faciliter poſſit in præceptorum ſuorum obedientia continere.

10. Quartò. Vetantur oculorum aſpectus; nam per eos potiſſimum,ac valde frequenter ingeritur venenum agnitæ pulchritudinis, per quam mouetur,ac excitatur libido,& appetitus. Hieron. Et ideo Diuus Hieronymus *hîc*, loquens de hac prohibitione oculorum, ait: *In Euangelio auferuntur peccatorum exordia.* *Oculi ad peccandum maximè mouẽt.* Quantam verò materiam ad peccandum inter omnes ſenſus oculi miniſtrent, ſatis apertè nobis inſinuat Sapiens Eccleſiaſt. 31. num. 15. Eccli.31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Oculus nequitia ſua ſuperat quidquid iniquum eſt. Sed vnde tanta nequitia oculo aſcribitur, cùm ei nec ſit conſenſus, nec voluntas? *Oculus præuaricationis auctor.* Ea potiſſimum ratione tanta ei nequitia tribuitur; quia licèt in eo non ſit peccatum, per eum tamen

valde



valde magna & ampla, miniſtratur peccandi materia. Chryſolog. Vnde Chryſologus *ſerm.*139. ait: *Nónne oculus præuaricationis eſt auctor.* Ipſe tanquam auctor peccandi materiam præbet.

11. Prouerb.6. Sapiens *Prouerb. 6. num.* 25.ait, *Non concupiſcat pulchritudinem eius*, ſcilicet mulieris, *cor tuum.* Chryſoſt. quæ verba ſic legit Chryſoſtomus *homil.* 3. de verbis Iſaiæ. *Non cognoſcas pulchritudinem alienæ.* Sed cur nos tam efficaciter exhortatur, ne in venuſtam mulieris faciem figamus oculorum aciem? *Per oculos ingreditur ignis libidinis.* Chyſoſtomus citatus. *Videre ne fuit cauſa peccati? Minimè verò,nam & hoc naturæ opus eſt. Sed quid tandem mali videre: hoc enim eſt deprauatæ voluntatis. Propterea Sapiens admonet,dicens: Ne cognoſcas pulchritudinem alienam; non dixit: Ne videas, ſed ne cognoſcas. Illud tollens,ne curioſè animaduertas, ne curioſè intueare. Sed quid mali hinc poſſit oriri? Ex hoc amor velut ignis excitatur; vt enim ignis, vbi fœnum aliquod arripuerit,nihil moratur,ſed ſimul,vt attigit materiam, lucidam accendit flammam; itidem & ignis concupiſcentiæ,quæ eſt in nobis, ſimul, atque per oculorum intuitum elegantem, ac venuſtam attigerit formam,protinus exurit animam.* *Si vincere vis, oculos claude.* Vnde pulchrè, & eleganter ad oculorum abſtinentiam nos monet D.Ambroſius in Apologia poſteriori pro Dauide. *Ne te vincat*,inquit,*concupiſcentia formæ;ſi non vis vinci,non congrediare, ne de te vitia coronentur.*

*Matth.5.n.29.* Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

*Num.30.* Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus eat in gehennam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Si autem oculus tuus dexter offendiculo tibi fuerit, erue eum, & proiice abs te: præſtat enim tibi, vt pereat vnum membrorũ tuorum, quàm totum corpus tuum cadat in gehennam. Si manus tua dextera offendiculo tibi fuerit, amputa, & abiice abs te: ſatius enim tibi fuerit, vt pereat.

*Arias.* Confert enim tibi, vt pereat.

*Theophylactus, Euthymius.* Vtile enim tibi eſt, vt pereat vnum ex membris tuis, & non totum corpus mittatur in gehennam, *&c.* Et ſi dextera manus tua obſtiterit tibi;amputa eam, & proiice abs te, expedit enim tibi.

*Vatablus, Arias.* Non totum corpus tuum coniiciatur in gehennam.

### *EXPOSITIO.*

DOcVERAT Dominus ſuprà, concupiſcentiam vitandam: ad eius exactam obſeruationem iubet ſuis,amputare, ac ſecare omnem occaſionem, quæ libidini,ac concupiſcentiæ,poteſt ſubminiſtrare materiam. 12. Ait Dominus:*Si oculus tuus dexter*; non enim nos imperat Dominus, amputare, & auferre materialia corporis membra, vt fecit Origenes, qui ſe caſtrauit; ac quidam iuuenis, qui pede conculcauerat parentem, illum amputauit, vt legitur in vita S. Antonij Olyſſiponenſis: nam hæc illicita ſunt. *Senſus textus.* Sed parabolicus eſt ſenſus; nam ſicut oculus dexter, & manus dextera ſunt membra valde chara homini, ac neceſſaria ad vitæ commoditatem; ita etiam ſub hac parabola nos inſtruit Dominus, quòd quæcunque nobis maximè chara, & vtilia, ac frugifera ad vitam tranſigendam; ſi tamen nobis ſint impedimenta, ac offendicula ad viam ſalutis, omnino amputentur, & dimittantur à nobis. *Omnia vitæ commoda pro ſalute animæ dimittenda.* De quo *quæſt. ſequenti.*

13. *Quid ſit ſcandalizare.* *Scandalizat te*; hoc eſt, facit vt cadas, ſeu impingas,ſeu offendas:nam *ſcandalum*, eſt quodcunque viæ impedimentum, quo inter eundum impingitur homo. Hinc *ſcandalizare*, idem valet, ac offendiculo eſſe, ſeu offenſionis, aut ruinæ cauſam offerre. Hinc,vt obſeruat Franciſcus Lucas,peccandi cauſa,quæ aut nos labefaciunt, aut remorantur in via ſalutis, ſcandala dicuntur. Franc.Lucas. *Erue eum, & proiice abs te.* Seuerè, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 16. præcipit Dominus, ſecare, & amputare omnem occaſionem peccati. Chryſoſt. Et ideo, vt notat Euthymius, non ſolùm dixit: Euthym. *Erue eum*,ſed etiam addidit, *proiice abs te.* Et loquitur Dominus de oculo dextro, non de ſiniſtro, vt ponderat D. Thomas. D.Thom. Cur non ait: Si ſiniſter oculus,ſcandalizat te,vt fieri poteſt. Quia dum iubentur amputari, quæ ſunt maiora, & chariora, à fortiori ea, quæ minora exiſtimantur,vt ſiniſtra. Caietan. Et, vt rectè notat Caietanus, meminit Dominus oculi, & manus vt omnia genera vtilium comprehendat: quidquid enim eſt nobis vtile, vel ad ea, quæ ſunt notitiæ, quæ per oculum; vel ad ea, quæ ſunt actionis, quæ per manum ſignificantur, vtile eſt. Ita Caietanus. *Quàm totum corpus mittatur.* *Timor, gladius acutiſſimus.* Ecce acutiſſimus gladius,gehennæ timor, quo oculi, manus,& pedes, ac quæque chariſſima abſcindantur,

tur,ne peccatis in Infernum mergamur. Cætera patent ex dictis,& ex *quæſt.ſequenti.*

## QVÆSTIO III.

### *Quid dexter oculus, ac manus ſignificet?*

14. Hieron. VARIÆ in hac re ſunt Patrum ſententiæ. Primò D. Hieronymus per dexterum oculum, ac manum dexteram intelligit affectus, ac vitia animæ, quæ dum nocent, amputanda ſunt. Secundò D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domin. in monte cap.* 13. D. Paſchaſius *lib.*3.*in Matth.* D. Hilarius,D.Anaſtaſius, ſi eius eſt opus, *ad Antioch. quæſt.* 70. Pacianus *Epiſtol.*3.Theophylactus,Euthymius,& D. Hieronymus, qui per *oculum*, & *manum dexteram* interpretantur conſanguineos, cognatos, amicos, ac familiares,quos ſæpe dicere ſolemus, quòd ita diligimus ſicut oculos;ſi eorum conuerſatio, ac ſolicitudo impedit ad ſalutem, amputanda, & abiicienda eſt à nobis. Audiant hoc Religioſi, qui, cùm ſint à ſæculo ſeparati, ita conſanguineorum ſuorum implicantur negotiis, vt ad ſæculum redeant, & mille diſtractiones patiantur. Accipe D. Hieronymum hîc. *Affectus affinium, ac propinquorum, ſi ad contemplandam veram lucem nobis impedimento eſſe cernimus, debemus truncare iſtiuſmodi portiones, ne dum volumus, lucri cæteros facere, ipſi in æternum pereamus. Vnde dicitur de Sacerdote magno : Cuius anima Dei cultui dedicata eſt*, Leuitic. 21. num. 2. *ſuper patre, & matre, & filiis non polluetur : id eſt, nullum affectum ſciet, niſi eius, cuius cultui dedicatus eſt.*

(Auguſt. Paſchaſ. Hilar. Anaſtaſius. Pacianus. Theophyl. Euthym. Hieron. — *Religioſus ſæcularibus ſe non implicet negotiis.* — Hieron. — Leuitic. 21.)

15. Imperfect. S.Thom. Tertiò. Auctor Imperfectus,& D.Thomas, ac alij per *oculum*, ac *manum dexteram* intelligunt intellectum, ac voluntatem; per *oculum*, ac *manum ſiniſtram* ſenſum, ac carnis appetitum interpretantur:tanquam doceat Dominus, non ſolùm corporis ſenſus ab appetitibus refrænandos, ſed etiam mentem,ac voluntatem à noxiis remouendam,ac reſecandam.

16. Imperfect. Quartò. Imperfectus *homil.* 12. intelligit per *dexterum oculum*, ac *manum dexteram*, oculorum puritatem, ac opus ſub prætextu pietatis. Si tamen huiuſmodi opera, quæ aliàs videntur bona,tibi ſcandala,& offendicula pariant, omnino ſunt amputanda. Ita ait ille: *Pura erat mulier quædam religioſa,& virgo, vel vidua : reſpexi, & conſideraui, & dixi : Debeo viſitare illam mulierem aſſiduè; vt ſi quid Religionis ignoret, quaſi mulier,inſtruam eam, & confirmem ipſam in bono propoſito eius. Bonus reſpectus eſt iſte, & dexter oculus.Sed dum aſſiduè viſito eam,decidi in laqueum deſiderij eius; & ille bonus reſpectus meus, & dexter factus eſt mihi in ſcandalum. Oportet ergo præcidere tale opus bonum,quod vel mihi, vel alteri generat malum.* Idem Rupertus *lib.* 4. *in Matth.* & Euthymius. Dexterum ſanè opus, allocutio cum pia,& religioſa fœmina;inſtructio mulieris, & conſolatio, ac leuamen ad viduam. At ſi inde tibi paretur offendiculum ad ſalutem, abſiſte ab huiuſmodi opere, ne Religionis prætextus inſeruiat cupiditati, ne ſpecies pietatis lenocinetur libidini.

(*Opera pia, ſi parant offendicula amputanda.* — Rupert. Euthym.)

17. Quintò D. Laurentius Nouarienſis homil. 1. de pœnitentia, *Quam ob rem dictum eſt*, ait, *Si oculus tuus dexter, vel manus tua dextera ſcandalizat te:niſi quia omne,quod bonum eſt, dexterum dicitur:ſimiliter malum appellatur ſiniſtrum. Et eſt pars dextera,& eſt pars ſiniſtra : dextera ſuos retinet probatos,ſiniſtra ſuos æquè reprobatos.* Non dixit Dominus : Si oculus,vel manus ſiniſtra, ſed ſi oculus, vel manus dextera : nam malum, ac turpe ſiniſtrum dicimus; at bonum, dexterum appellamus. *Omne, quod bonum eſt, dexterum dicimus.* Cur ergo dexterum iubetur amputari? Quia non ſolùm vitiorum ſcaturigines, ac nequitiatum fontes à malo opere, ſed etiam à bono ſæpe pullulant. O quantos decipit, ac protrahit in gehennam mentita probitas, ſimulata in ſola apparentia virtus, & quod ſpecie tenus dexterum videtur! Ab his ergo maximè cauendum : nam ab aperto, & ſiniſtro malo quilibet terga vertit, & fugam capeſſit; at à falſa,ac ſimulata ſanctitate facile paratur lapſus,& ruina, ideoque ibi eſt magna neceſſaria circunſpectio atque cautela.

(Laurent. — *Non ſolùm à malo opere, ſed etiam à bono cauendum eſt.*)

18. Caietan. Maldonat. Sextò. Et litteralis ſenſus eſt, quem tradunt Caietanus, & alij, vt dixi in expoſitione. Eſt quædam metaphora, vt ait Maldonatus, deſumpta ex chirurgorum arte : ſicut enim chirurgus in medicamine ægri membrum, quantumuis nobiliſſimum,ac maximè neceſſarium, vt oculum, vel manum dexteram, ſi morbus efflagitat, ferro abſcindit, ne tota hominis vita periclitetur, & pereat; ita vos,ô diſcipuli mei, exhortor, & admoneo, quòd, eſto aliquid vobis ita ſit charum, ac iucundum, ſicut oculus, vel manus dextera; vel, licèt ſit ita neceſſarium ad vitam, ſicut manus,& oculus dexter, cuius rei ſeparatio multum triſtitiæ, ac doloris vobis ingeret; tamen ſi in tali re vobis paratur ſcandalum, ac offendiculum in via ſalutis, abſcindite, & proiicite à vobis,ne tota vita ſpiritualis pereat; & ideo illud, omni commoditate contempta, tanquam inimicum, & aduerſarium repellendum. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 28. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum. Quod enim à felicitate noſtra nos ſemouet, etiamſi amicitiæ lege nobis coniungatur, etiamſi natura ipſa, & ſanguinis propinquitate copuletur, non noſtrum, ſed hoſtile putandum eſt.* Pondera vltima verba. Quæ enim noſtræ ſaluti nocent, non noſtra, nec tanquam ad noſtrum commodum ſpectantia reputentur, ſed vt hoſtilia, & aduerſaria iudicentur.

(*Omnia chara,& dilecta amputanda ob ſalutem.* — Cyrill. — *Quod contrariatur ſaluti, hoſtile reputandum.*)

19. Laurent. Albert.Mag. Septimò. Quæ etiam eſt multum probabilis explicatio,quam tradit D. Laurentius Nouarienſis *homil.* 1. *de pœnitentia.* Albertus Magnus, & alij.Iubet Dominus,eruere oculum dexterum, & manum dexteram non ipſa membra materialia, vt planum eſt;ſed illius operationes, & functiones, ſi ſaluti offendunt. Et dixi *dexteram*; quia huiuſmodi operationes ſemper ſunt principaliores, & nobiliores : & ſi officiunt ſaluti, abſcinde,& proiice abs te. Tota enim obſequia noſtra manus dexteræ à nobis exigit Deus.

(*Operationes ſaluti repugnantes amputanda.*)

20. Laurent. Ex quo elegantem, & pulchram ponderationem facit S. Laurentius Nouarienſis citat. homil. *Quid igitur*, ait, *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat? diſce, quid eſt, quòd quando committis peccatum, oculo tibi miniſtrante, dulce tibi, & dexterum videtur. Et dexterum hoc tunc corrigitur in ſiniſtrum, quando reſidente Domino, & diſcutiente peccata cœperis inter multos alios ipſe audire : Diſcedite à me maledicti.* Quando homo incipit,ac labitur in peccatum, quid ei videtur ſuaue,dulce, ac dexterum; at verò ſi in huiuſmodi ſuauitate, ac dextera peccati inhæreat, ſine dubio in diſtrictæ iræ die ad Iudicis ſiniſtram apperebit; nam dextera peccati, Iudicis lucratur ſiniſtram. Amputa ergo hanc dexteram tuam à via perditionis, & dirige eam ad tramites iuſtitiæ, vt ex amputatione tuæ dexteræ à peſtilenti morbo, & ex illius ad charitatis opera extenſione dexteram Iudicis aſſequi merearis : nam apud Deum ex obſequio præſtito præmia recipis.

(*Contraria eueniūt apud Deum, ac mundalia ſunt.*)



(*Per quæ quis Deo dat obſequia,recipit præmia.*)

21. Prouerb. 9. Tertullian. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem; immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam*, Prouerb. 9. num. 1. & 2. Singulariter Tertullianus *citandus* legit hæc verba : Immolauit victimas ſuas : *Iugulauit filios ſuos.* Valde mirum, quòd dum ſuprema Dei altitudo erigit ampliſſimam domum, firmiſſimis columnis fundatam, parat ſuauiſſimum conuiuium, filios ſuos iugulat, ac mactat. Ad quid huiuſmodi mors cum tanta lætitiæ amplitudine? O mira Dei ſapientia! Iugulat filios ſuos, ac electos ſuos à bonis, ac poſſeſſionibus terrenis,à delectationibus huius ſæculi, vt valeant cæleſti palatio æterna fœlicitate diuini conuiuij frui, ac oblectari. Non iugulantur filij vt pereant, ſed incolumes per æternitatem viuant. Tertullianus lib. aduersùs Ggnoſticos.cap. 7. *Sophia iugulauit filios ſuos. Sophia ſapientia eſt.Sapienter vtique iugulauit, dum in vitam; & rationaliter, dum in gloriam. O parricidij ingenium! O ſceleris artificium! O argumentum crudelitatis; quæ idcirco occidit,ne moriatur, quem occiderit.*

(*Ex mortificatione carnis gloria in cælo comparatur.* — Tertul.)

*Matth.5.n.31.* Dictum eſt autem: Quicunque dimiſit vxorem ſuam,det ei libellum repudij.

*Num.32.* Ego autem dico vobis : Quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari : & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

### *VERSIONES.*

*Arias.* Pronuntiatum eſt : Quicūque abſoluerit vxorem ſuam, det ei repudium.

*Vatablus.* Ego dico vobis:Quiſquis repudiauerit vxorem ſuam, præter cauſam ſtupri, efficit, vt illa cõmittat adulterium: & quicunque repudiatam duxerit, adulterium committit.

*Arabicus.* Excepta fornicationis cauſa, dedit eam in fornicationem,

### *EXPOSITIO.*

22. D. Thom. SVPRA Dominus,vt rectè notat D.Thomas, remouet illicitam commiſtionem contra matrimonij legem : hîc remouet illicitam coniunctorum ſeparationem. Et ait : *Dictum eſt.* Iam ſuprà eſt explicatum : *Audiſtis,quia dictum eſt antiquis.* Vide ibi dicta. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam*;hoc eſt, repudiauerit, ſeu abſoluerit,vt habet Arias, *det illi libellum repudij*; id eſt,inſtrumentum, ſeu chartam mulieris dimiſſæ, ſeu libertatis eius. *Ego autem dico vobis*; hoc eſt, altiorem trado doctrinam. *Qui dimiſerit vxorem,excepta fornicatione*, ſub nomine fornicationis aliqui quodlibet crimen intellexerunt. Cui opinioni videtur fauere D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domin.* & Origenes *hîc tract.* 7. At hæc opinio ſuſtineri non poteſt : quia Iure Canonico,*cap.quæſiuit,de diuortiis.* determinatum eſt,diuortium non licere ob furtum, vel aliud crimen,niſi ob certas cauſas, quæ determinatæ ſunt in Iure. Et id ipſum retractat D. Auguſtinus *lib.* 1.*retract. cap.* 19. Alij per fornicationem intelligunt infidelitatem; nam hæc ita paſſim appellatur à Prophetis. Tamen communiter hîc interpretes per fornicationem intelligunt illicitum concubitum, ſiue per adulterium ſiue per Sodomiam.

(Arias. — Auguſt. Origen. — Auguſt.)

23. *Facit eam mœchari.* hoc eſt, cauſa eſt illi vt mœchiam committat : nam mulier, ſiue alteri nubat,ſiue innupta maneat,& fornicetur, adulterium perpetratur; ſemper enim manet vinculum primi coniugij : nam licèt per diuortium fiat ſeparatio quoad thorum, non tamen quoad vinculum, vt cum multis explicat Sanchez *lib.* 10.*de matrim.diſp.* 2. *num.* 3. Nec enim illa particula,*excepta fornicationis cauſa*, ita eſt intelligenda,quòd ſi mulier,verbi gratria, dimittatur ob fornicationem, liceat ei alteri nubere. Hoc expreſsè iuxta ſacros Canones eſt prohibitum à Concilio Tridentino *ſeſſ.*24.*can.*7.Sed eſt intelligenda cum D. Auguſtino, S. Thoma hoc loco. *Quòd ſi ipſam dimittat ob cauſam fornicationis, ipſe non facit eam mœchari : ſed ipſa, cuius eſt reatus.* Si vir dimittat vxorem iniuſtè, verbi gratia, quia eam inuiſam, ac in odio habet, vir eſt in cauſa, ſi mulier adulterat; nam ipſe eam exponit adulterandi periculo. At verò ſi mulier dimittitur ob fornicationem, ſiue ob cauſam iuſtam, non facit vir eam mœchari, nec exponit eam periculo; ſed eius reatus eſt in cauſa,vt ipſa adulteret, ac ſit in tali incontinentia. *Et qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Vt explicat Gloſſa,mulier dimiſſa debet manere innupta, vel viro reconciliari, vt Paulus ex præcepto Domini nos docet 1.*Corinth.*7.*num.*10.Sed de hoc latè erit dicendum,Deo dante,ad *cap.*19.*Matth. numer.*9.

(Sanch. — Trident. Auguſt. D.Thom. — Gloſſa.)

QVÆSTIO

## QVÆSTIO IV.

### *Quid eſſet libellus repudij?*

24. Theophyl. D.Thom. Ianſenius. Maldonat. Cornel. Deuter.24.

LIBELLVS repudij erat charta, ſeu inſtrumentum publicum: nam hoc apud Hebræos *Libellus* nuncupabatur; & dicebatur etiam repudiarium, vt *hîc* innuit Theophylactus, & per illud mulier dimittebatur à viro ſuo; & in illo libello ſcribebatur cauſa repudij, & dos, quam ei vir dabat, ac licentia, quam mulier ſuæ libertatis habebat, vt ſi vellet, alteri nuberet, vt notat hîc S. Thomas. Formam libelli breuitatis cauſa omitto. Vide illam apud Ianſenium, Maldonatum ad *cap.* 19. *Matth. num.* 9. & Oleaſtrum, ac Cornelium à Lapide *Deuteronom.* 24. *num.* 1. Et notat hîc D. Thomas, quòd quanuis permiſſum fuiſſet à lege, aliquando dimittere vxores, *Matth.* 19. *num.* 9. *Marc.* 10. *numer.* 4. tamen vxori dimiſſæ dare libellum repudij, fuit præceptum. Deuteronom. 24. numero 1. *Scribet libellum repudij, & dabit in manu eius.*

25. Abulenſ. Barradas.

Dubitatur à quo ſcribebatur libellus repudij? Ab vnoquoque poſſe ſcribi, teſtatur Abulenſis *quæſt.* 72. *ad* 2. Et magis approbat Barradas *hîc*, qui addit, quòd fortaſſe ſatis erat, ſi à viro ſcriberetur, & à teſtibus ſubſcriberetur: & ita ſcriptura manebat probata, & authentica: etiam ſine Iudicis auctoritate. Quod ipſe confirmat; quia B. Ioſeph cogitauit de repudianda B. Virgine occultè ſine auctoritate iudicis.

*A quo ſcribebatur libellus.*

26. Auguſt.

Sed probabilior eſt ſententia D. Auguſtini *lib.* 19. *contra Fauſtum. cap.* 26. *& cap.* 29. Quòd huiuſmodi libellus à legis Scribis ſolùm confici, & ſcribi poterat. Et hoc multis de cauſis diſpoſitum eſt. Primò, quia, vt videmus apud nos Scriptura authẽtica, manu publici Notarij debet eſſe exarata, ac cõſcripta. Secundò, vt per conquirendum Scribam, adeundum ad eum, ſi aliqua eſſet ira deferueſceret, odium mitigaretur: nam dandus eſt locus iræ. Et homo poſſet cogitare, dum iret, ſe iuri ſuo cedere, & à manu dimittere eam, quam habebat ſuo ſeruitio addictam. Tertiò. Ad Scribas mittebantur, qui erant iuris docti, in legeque maximè inſtructi, vt eorum conſilio in hoc negotio adiuuarentur, ac cum vxore ſua viri pacificarentur. *Ad hos igitur*, ait Auguſtinus, *quos oporteret eſſe prudentes legis interpretes, & iuſtos diſſidij diſſuaſores: lex mittere voluit eum, quem iuſſit libellum repudij dare.* Nec ea, quæ dicunt de B. Ioſeph, faciunt aliquid in contrarium; quia ipſe non cogitauit de dimittenda B. Virgine per libellum repudij, ſed per ſui abſentiam, vel diſceſſum per aliquod tempus. Vide *lib.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 7. *num.* 29.

*Locus iræ.*

*Boni Conſiliarij quærendi.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare Chriſtus hîc ſolam fornicationem expreſſerit?*

27. Tertull. Burgenſis. Ribeira.

TERTVLLIANVS *lib.* 4. *aduerſùs Marcionem cap.* 34. Paulus Burgenſis *Deuteron.* 24. *numero* 1. Ribeira *Malach.* 2. exiſtimant, ob ſolam fornicationem, ſeu adulterium, Iudæis, vxores ſuas dimittere, fuiſſe permiſſum; ſed probabilior eſt contraria ſententia, ſcilicet non ſolam fornicationem, ſed alias apud Iudæos repudij fuiſſe cauſas. Ita docent D. Chryſoſtomus *homil.* 17. D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Dom. in monte c.* 16. D. Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* D. Thomas *quæſt.* 67. *additionum. art.* 6. Abulenſis *Matth.* 19. *quæſt.* 55. Oleaſter, Lyranus, Cornelius à Lapide *Deuteron.* 24. *num.* 1. Nam *ibi* dicitur: *Si vxor non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem*, ſeu, vt alij legunt, *propter aliquam turpitudinem.* Quod non ſolùm dicit adulterium, ſed alia crimina denotat. de quo latiùs erit dicendum ad *cap.* 19. *Matth.*

*An repudium in lege veteri ob ſolam fornicationem daretur.* Chryſoſt. Auguſt. Paſchaſ. D.Thom. Abulenſ. Oleaſter. Lyran. Cornel. Deuter.24.

28. Chromant. Paſchaſ.

Cùm ergo eſſent aliæ repudij cauſæ, cur Dominus hîc ſolum exprimit fornicationem? Reſpondendum eſt cum Chromantio Epiſcopo, D. Paſchaſio, quia aliæ cauſæ, vt morbus lepræ, epidemiæ, ſeruitus, ſunt veluti cauſæ generales ad quamlibet amicitiam, ac vnionem diſſoluendam: at adulterij turpitudo ex diametro contraria eſt matrimonio, ac fidem eius violat; nam mulier poteſtatem ſui corporis, viro datam, alteri tradidit, viroque ademit; per quod mulier maximè redditur exoſa, & odibilis viro. Valde enim exectabile eſt adulterij nefas, ac inter coniugatos vehementer deteſtabile, & diuino conſpectui maximè inuiſum, omnique pœna, ac ſupplico dignum.

*Scelus adulterij Deo maximè inuiſum.*

29. Gen.4.

*Dixit Lamech vxoribus ſuis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam, vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum; ſeptuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech autem ſeptuagies ſepties*, Gen. 4. num. 23. Cur, quæſo, nequitia Lamech, ita multiplicatur ſuper flagitium Cain; nam ſepties pœna aſcribitur Caino; at in Lamech ita excreuit vltio, vt ſeptuagies ſepties ei infligatur? Crimen Cain occidit Abel, crimen Lamech commiſit adulterium. Interlinealis. *Primus Lamech contra naturam, & contra mores adulterium commiſit.* Et ſi rectè res expendatur, multo maiorem pœnam videtur efflagitare crimen Cain; nam ipſe, odio, & inuidia tabeſcens, occidit fratrem iuſtum, ac Sacerdotem. Cur ergo ita excreuit pœna in Lamech? Erat huius ſcelus adulterium; & ideo multo maiori vltione dignum iudicatur, quàm fratricidium, & interfectio iuſti, ac puri Sacerdotis. Deinde acutiùs rem expende. A Caino ſeptima generatione diluuium diffuſum eſt in Orbem. At verò à Lamech ſeptuageſima ſeptima generatione pretioſiſſimus ſanguis Chriſti manauit in mundum. Fratricidium Caini vniuerſali aquarum emendantia aboletur, ac à tali ſcelere totus Orbis tanto ſupplicio mundatur. At adulterium Lamech altius remedium exquirit; non aquarum fluxu, ſed ſalutifera perfuſione ſanguinis Chriſti ſeptuageſima generatione illius ſordes mundantur, & abſterguntur. Adulterij nefas, non aquarum colluuie, ſed profluxu ſanguinis Chriſti diluitur, ac expungitur. Hoc docet Nicolaus Papa *in Decretis* 24. *quæſt.* 3. *cap. an non*, ſcribens Lothario Regi, *An non diſtricta vltione feriendus es, qui in duabus vxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus eſſe dignoſceris; quod Dominus non niſi poſt ſeptuaginta ſeptem generationes ſuo ſalutifero aduentu deleuit, cum Cain fratricidium ſeptima generatione aquis abolitum ſit cataclyſmi, id eſt, diluuij.* Idem docet Albinus *quæſt.* 19. *in Geneſ.*

Interlineal.

*Turpitudo adulterij magno digna ſupplicio.*

Nicol. Papa. Albinus.



## QVÆSTIO VI.

### *Quid Chriſtus hac ſua doctrina addiderit ſupra legem?*

30. Maldon. Cornel. Auguſt.

CHRISTVS Dominus hac ſua admirabili doctrina in multis veterem corrigit, ac perficit legem. Et primò, vt notant Maldonatus, Cornelius à Lapide; nam in lege veteri multæ extabant repudij cauſæ, *Deuteron.* 24. *num.* 1. Chriſtus verò hoc tantùm permiſit, fornicatione, & adulterio interueniente. Tunc innocens ab adulterio diſcedere poteſt. Secundò. Lex vetus ſoli viro, ac marito concedebat ius dandi libellum repudiarium; Chriſtus verò in hoc matrimonij iure vtrunque coniugem facit æquales, vt aduertit *hîc* Auguſtinus, & docet Apoſtolus 1. *Corint.* 7. *n.* 4. Tertiò. Lex vetus tam repudianti, quàm repudiatæ ſecundas concedebat cum altero nuptias; Chriſtus verò has vtrique negat: nam matrimonium, quoad vinculum, eſt indiſſolubile, licèt quoad thorum fiat ſeparatio.

*Matth.* 5. *n.* 33. Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua.

*Numer.* 34. Ego autem dico vobis: Non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt.

### *VERSIONES.*

*Ex Hebræo.* Non iurabis falsò.

*Syriacus.* Dictum fuiſſe antiquis: Non mentieris in iuramento tuo, ſed perſolues Domino iuramentum tuum.

*Thoophylactus.* Neque per cælum, quia ſedes Dei eſt.

*Vatablus.* Quia ſolium Dei eſt.

### *EXPOSITIO.*

31. S. Thom.

INNQVIT *hîc* D. Thomas, quòd Dominus ſuprà ordinauit iraſcibilem, & concupiſcibilem ad ſuas paſſiones; hîc verò ordinat rationalem reſpectu veritatis. Ait Chriſtus: *Non periurabis*; ſeu, vt eſt in radice Hebraica, *Non falsò iurabis.* Hoc mandatum erat in lege Exod. 20. num. 7. Leuitic. 19. num. 12. Deuteron. 15. nùm. 11. Malach. 3. n. 5. *Perſolues Domino iuramentum tuum*, vt explicat Chryſoſtomus, *Seruabis iuramentum tuum*; hoc eſt, ea, quæ promiſiſti iuramento, ſiue Deo, ſiue homini, adimplebis, veluti debita Deo, quem adduxiſti in teſtem. Et hic eſt legitimus ſenſus. Aliqui Recentiores cum Caietano *hîc*, & Barradas, ac Suario *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iuramento. c.* 1. ita expendunt rem: Perſolues Deo iuramenta, id eſt, Iurabis per Deum, & non per idola, ſeu non idolis, ſed Deo tribues iuramentum, inuocando ipſum in teſtem.

Exod.20. Leuit.19. Deuter.14. Malach.3. Chryſoſt.

Caietan. Barradas. Suarius.

32. Bernard. Albert. Mag. D.Thom. Caietan. Hugo.

*Ego autem dico vobis.* Ego ampliorem, & excellentiorem trado doctrinam, *Non iurare omnino.* Tripliciter exponitur illa particula, *omnino.* Primò. D. Bernardus *ſerm.* 65. *in Cantic.* exiſtimat, hoc non eſſe præceptum, ſed conſilium. At verò communiter apud Patres & auctores præceptum eſſe reputatur. Et ideo eſt ſecunda explicatio, & optima Alberti Magni, D. Thomæ, Caietani, Hugonis. *Non iurare omnino*, hoc eſt, ex qualibet cauſa, ſeu ſine legitima cauſa; quia non eſt iurandum, niſi graui vrgente cauſa, & quando hoc neceſſitas poſtulat.

33. Hieron. Auguſt.

Tertiò Hieronymus *hîc*, & D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domin. in monte & lib. de Mendac. cap.* 15. Prohibetur non effectus iurandi, ſed affectus; hoc eſt, quantum in te eſt, non ames, non velis iurare, neque cum aliqua dilectione id appetas. Intendit enim Dominus tollere aſſiduitatem, propenſionem, ac affectum iurandi, ne ex conſuetudine labatur homo in crimen periurij. Eccleſiaſtici 23. num. 9. *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multus enim caſus in illa.* Vnde rectè ait idem Auguſtinus ſerm. de periculo. *Falſa iuratio pernicioſa, vera periculoſa, nulla ſecura.* Et explicat Dominus, non iurandum, neque per Deum, neque per creaturas, vt enucleabo *quæſt. ſeq.* Et ait: *Non iurabis, neque per cælum.* Chryſoſtomus *hîc* per *cælum* intelligit omnes creaturas ſuperiores, Angelos, ſtellas. Alij, vt ſonat, *ipſum cælum. Quia thronus Dei eſt.* hoc eſt, eius ſedes. Et ideo qui iurat per cœlum, per Deum iurat, quia cælo, vt ſua ſede vtitur Dominus; & hac de cauſa, qui iurat per cælum, iurat & per eum, qui in illo ſedet, vt ipſe Saluator dixit *Matth.* 23. *numero* 22.

*Iurandi conſuetudo fugienda.*

Eccli.23.

Auguſt.

Chryſoſt.

Matth.23.

## QVÆSTIO VII.

### *Errores Scribarum circa iuramentum Dominus damnat.*

34. Hieron. Hilar.

DVBITANT hîc Patres: An Dominus hîc prohibuerit iuramentum per Deum? Vnde ait in præſenti D. Hieronymus. *Conſidera, quòd hic Saluator, non per Deum iurare prohibuerit, ſed per cælum, & terram.* Idem habent D. Hilarius, & alij. Mihi tamen dicendum videtur, quòd in illo generali præcepto, *Non iurabis omnino*; ibi vetat iuramentum per Deum: nam qui docet declinare iuramentum per id, quod eſt minus, ſcilicet creaturas; à fortiori docet fugiendum per id, quod eſt maius, nempe Deum. Chriſtus autem diſtinctè, & directè totum ſermonem conuertit ad iuramentum per creaturas, vt explicet, ac perficiat ſecundum Decalogi præceptum, Scribarumque amputet errorem, & veram proferat, ſanamque doctrinam.

Primò

35. *Errores Scribarum.* Primò errabant Scribæ putantes, in ſecundo præcepto ſolum periurium prohiberi. Nam illud mandatũ: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum:* ex Hebraica radice vertitur, vt etiam habet Chaldæus, *Non aſſumes nomen Dei tui ad mendacium.* (Chald.) Chriſtus verò, vt notarunt D. Hilarius *Can.* 4. Cyrillus *lib.* 5. *in Iſaiam. cap.* 65. Chryſoſtomus *homil.* 17. D. Hieronymus, Theophylactus, Albertus Magnus, & alij, hac ſua doctrina docet prohiberi omne iuramentum leue, & temerarium, omnemque iurandi conſuetudinem, omnemque irreuerentiam, & abuſum adducendi Deum in teſtem, vt patet ex dictis in expoſitione. (Hilar. Cyrill. Chryſoſt. Hieron. Theophyl.)

36. (Auguſt.) Secundò, vt docet D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domin. in monte.* Scribæ parui pendebant creaturas; & ita nihili æſtimabant per eas iurare, ac proinde aſſerebant, quòd ex iuramento per creaturas obligatio non reſultabat, nec ipſi tenebantur adimplere promiſſa tali iureiurando interueniente, vt conſtat ex *Matth.* 26. *à n.* 16. *Non iurandũ per creaturas.* Chriſtus hîc docet, non iurandum per creaturas; nam per Deum iurare cenſetur, qui per creaturas iurat; totum enim eſſe, quod creaturæ in ſe retinent, à Creatore habet. Et ipſa Dei bonitas ſpecialiter in creatura relucet, tanquam in opere ipſius Dei. Et quando iuramentum per creaturam, verbi gratia, per cælum, vel animam, eſt, cenſetur ipſa in teſtem adduci per ordinem ad Deum, à quo habet totum eſſe, veritatem, & bonitatem. Ita docent Clauis Regia *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 14. Suarius *lib.* 1. *de Iurament. cap.* 13. *n.* 23. Sanchez *in ſumma lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 12. Rodriguez 1. *part. cap.* 191. *numero* 1. Bonacina *de Iurament. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *numero* 3. (Clauis Reg. Suarius. Sanch. Rodrig. Bonacina.)

37. *Quilibet ſua vult ſacra reputari.* Tertiò errabant Scribæ, quia docebant, quòd ille, qui iurabat per templum, vel altare, iuramento non obligabatur. Dicebant tamen, quòd iuramento tenebatur, qui per aurum templi, vel per donum altaris iurabat. Hoc dicebant illi, quia aurum, ac donum templi in eorum vtilitatem cedebat; & ideo hæc vt valde ſacra in omnium oculis reputari, ac æſtimari volebant. Hos tamen errores refutat Chriſtus *Matth.* 23. *numero* 16.

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrùm Chriſtianis liceat iuramentum?*

38. HANC quæſtionem latè tractant Theologi in materia de Iuramento, quos vide. Eam tamen breuiter hîc attingo, vt intelligentiam præſentis textus magis aperiam, ac mentem ſanctorum Patrum, qui hîc loquuntur, explicem.

39. (Euthym. Theophyl.) Primò Euthymius, Theophylactus exiſtimant, Iuramentum fuiſſe præceptum legale legis veteris, ſicut & Circunciſio; ac proinde cum ipſa lege per Chriſtum fuiſſe extinctum. Secundò D. Chryſoſtomus *homil.* 17. D. Hieronymus aſſerunt, Iuramentum fuiſſe permiſſum Iudæis, ne per idola iurarent; Chriſtianis verò non eſſe permiſſum. Tertiò Chromantius *hîc*. D. Baſilius *in Pſalm.* 14. Origenes *hîc tract.* 35. D. Hilarius *hîc Can.* 4. S. Epiphanius *hæreſ.* 19. S. Athanaſius *ſerm. de Paſſione, & Cruce Domini.* S. Ambroſius *in Pſalm.* 118. *ſerm.* 1. tenent, Iudæis, tanquam imperfectis, & rudibus, iuramentum fuiſſe à Deo permiſſum; ſicut & illis permiſſus fuit libellus repudij, ne vxores ſibi inuiſas enecarent; huiuſmodi autem libellus repudij ademptus eſt Chriſtianis; ita etiam his, tanquam perfectis, vetitum eſt iuramentum, vt ipſis omnino ſit interclusum periculum periurandi (Chryſoſt. Hieron. Chromant. Baſil. Origen. Hilarius. Epiphan. Athanaſ. Ambroſ.)

40. *Catholica ſententia.* Vera, & Catholica ſententia eſt, non ſolùm Iudæis, ſed etiam Chriſtianis iurare licitum eſſe. Concluſio eſt de fide, & eam firmat vniuerſalis vſus, & praxis totius Eccleſiæ. Et ita ait Paulus ad Hebræos 6. num. 16. *Omnis enim controuerſiæ eorum*, ſcilicet Chriſtianorum, *finis eſt iuramentum.* (Hebræos 6.) Et ita etiam Deus iurauit *Gen.* 22. *numero* 16. Paulus iurauit *Roman.* 1. *num.* 9. *&* 2. *Corinth.* 1. *num.* 13. *Philip.* 1. *num.* 8. *&* 1. *Theſſal.* 2. *num.* 5. *&* 10. Iurat Angelus *Apocal.* 10. *num.* 6. Probatur reſolutio, quia Iuramentum, interueniente iuſta cauſa, eſt quid bonum ad confirmandam veritatem, & ad ſtabiliendos contractus humanos. Tamen, vt optimè notant Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 3. Azor *lib.* 11. *cap.* 2. Clauis Regia *lib.* 5. *cap.* 3. *in principio.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 9. *&* 10. Suarius *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Iuramento. cap.* 4. *&* 7. Sanchez *in opere morali lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 2. (Valentia. Azor. Clauis Reg. Leſſius. Suarius. Sanch.) Iuramentum, quanuis ſit licitum, & bonum, non eſt tamen de eo genere bonorum, quæ ſunt per ſe bona, & frequentanda, vt eſt ieiunium, oratio, eleemoſyna, *&c.* Sed eſt ex genere bonorum, quæ ſunt bona, & appetibilia, poſita neceſſitate, ac vrgente cauſa, ſicut eſt vſus medicinæ, neceſſitate exigente, vt rectè ait D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte.* (Auguſt.)

41. *Sancti Patres quomodo explicandi.* Ad ſanctos Patres citatos reſpondeo, eos non negare iuramentum omnino; ſed eos loqui in eo ſenſu, quo Chriſtus præcipit, non iurare omnino, quod iam explicaui in expoſitione. Ac proinde ſancti Patres maximè inſtabant, non eſſe iurandum ſine neceſſitate, temerè, ac pro re leui; & huiuſmodi prauam conſuetudinem intendebant euellere, ac extirpare. Quod ex eo comprobabant, quia, cùm Chriſtiani ſint multo perfectiores Iudæis, neceſſe erat, cùm maiori cautela, modeſtia, ac religione viuere; ac proinde à praua iurandi conſuetudine abſtinere.

---

*Matth.* 5. *n.* 35. Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Ieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis.

*Num.* 36. Neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.

*Numer.* 37. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quia ſcabellum eſt ſubter pedes eius.

*Pagninus, Vatablus.* Quia ſubſellium eſt pedum eius.

*Syriacus n.* 35. Nec etiã per Ouriſchlem, quia ciuitas eſt ſummi Regis.

*Numer.* 36. Neque per caput tuum iurabis, quia non potes facere in eo, vel particulam vnius pili nigri, vel albi.

*Num.* 37. Sed erit ſermo veſter. Eſt, eſt; & Non, non: id, quod ſupra hæc abundat, à malo eſt.

*Arias, Pagnin. num.* 37. Sermo veſter: Etiam, etiam, Non, non.

*Ex Hebræo.* Sermo veſter: Sic, ſic; vel Rectè, rectè; Non, non.

*D. Chryſoſtom. homil.* 17. Quod vltra hæc adiungitur, ex malo proponitur.

*Theophylactus.* Quod amplius his eſt, à malo eſt,

## *EXPOSITIO.*

42. PROSEQVITVR Dominus ſuum ſermonem, ad doctrinam. Et ait, non iurandum: *Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Fit alluſio ad Iſaiam 66. num. 1. (Iſai. 66.) *Hæc dicit Dominus: Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. Scabellum* appellatur terra, tanquam quid ſubiectum pedibus eius. Dicitur autem Deus in cælo ſedere, non quia ipſe habeat locata membra, cùm ſit immenſus, nulloque loco circunſcribatur; ſed quia in cælo, vt ait D. Auguſtinus, tanquam in loco ſuperiori, in gloria, ac ſede regnantis oſtendit faciem ſuam. (Auguſt.) Terra autem ſcabellum, quia terra eſt quid minimum, veluti ſub pedibus eius ſuppoſita, vt ait *hîc* Diuus Thomas, & in ea minora oſtendenda præbet, quàm in cælo, de hoc plura ad locum Iſaiæ. (D.Thom.) Vide D. Cyrillum, S. Thomam, Pinto, Cornelium à Lapide.

43. *Magna tacenda modeſtiæ cauſa.* *Neque per Ieroſolymam.* Docet, non eſſe iurandum per ciuitatem ſanctam, vtpote ciuitas magni Regis, nempe Dei. Et non dicitur expreſsè ciuitas Dei, quia alluſio fit ad Reges Iuda, quia in ea habitabant. Per quod oſtenditur, quòd ſuper eos, in quibus reges regnant, alius dominatur excelſior, ſcilicet Deus. Et non dixit *Ciuitas mea*, vt notat D. Paſchaſius, & iam alibi dixi, modeſtiæ cauſa.

44. *Neque per caput tuum iuraueris.* Ponitur hîc caput, tanquam pars principalis, pro toto corpore, pro tota vita. Et reddit rationem: *Quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum*, hoc eſt, non iures per caput tuum, quia non eſt tuum, ſed Dei; & nemo poteſt ſubiicere in pignus, & obligationem ea, quæ non ſua, ſed aliena ſunt. Et ita videtur, quòd Chriſtus optimè concludat ex hoc diſcurſu, non eſſe iurandum per creaturas, cùm ipſæ non noſtræ ſint, ſed Dei. Et ita ait, vt explicemus totam





ſententiam: Nolite iurare per cælum, quia non eſt veſtrum, ſed Dei thronus; non per terram, quia eſt ſcabellum Dei; non per Ieruſalem, quia eſt ciuitas Dei; non per caput tuum, quia non eſt tuum, ſed Dei: ac ſub eius poteſtate. (*Tota ſententia explicatur.*) Et Chriſtus adducit hæc potius in exemplum, quàm alia; quia per illa frequenter iurabant Phariſæi; & eorum prauam conſuetudinem vult Dominus è medio tollere. (*Quare Chriſtus hæc quatuor commemorat.*)

45. *Genuinus ſenſus.* *Sit ſermo veſter. Eſt, eſt; Non, non.* Multiplex eſt horum verborum intelligentia, vt dicam quæſt. ſequenti. Tamẽ germanus ſenſus, vt conſtat ex antecedentibus, eſt: Dominus hîc diſſuadebat iuramentum; & ait: Sit ſermo veſter: Eſt, eſt; ſeu, vt habetur ex Græco, *etiam, etiam, Non, non.* hoc eſt, veſter ſermo ſit in quadam ſimplici affirmatione, vel negatione, nullo adhibito iuramento. (*Veritas ſimpliciter dicenda.*) Si enim vultis affirmare aliquid, dicite: Eſt, eſt; ſi verò negare; Non, non: iuramento autem non vtamini, ſed ſincerè loquamini.

46. *Duplex explicatio.* *His abundantius à malo eſt.* hoc eſt, vt habet Græcus, quod amplius eſt, ſeu vlteriùs adiicitur ſimplici affirmationi, vel negationi ad confirmationem, *à malo eſt*. Quod ex Græco poteſt legi in maſculino, vel neutro: in maſculino, hoc eſt, à Diabolo ſuggerente, vt abſque neceſſitate iures, vt explicant Theophylactus, Albertus Magnus; vel à malo in neutro, hoc eſt, à vitio, ſeu turpitudine, ſiue propria, ſiue aliena, vt docent D. Paſchaſius, S. Thomas, Caietanus. (Theoph. Albert Mag. Paſchaſ. S.Thom. Caietan.) Ex vitio proprio pullulat vſus iurandi, vel ex propria mea in Deũ irreuerentia, vel ex mea leuitate, quia exiſtimo, dictis meis non dari fidem. Vnde rectè dixit D. Baſilius in Pſal. 14. (Baſilius.) *Turpe eſt, ſeſe vt fide indignum accuſare, & ad iuramenti ſecuritatem confugere.* Qui enim iurat, ſe profitetur indignum fide. (*Qui iurat, indignum fide ſe reputat.*) Vel vſus iſte iurandi prouenit à malo vitio alieno, vt ait Hugo, id eſt, ab aliena incredulitate, & diffidentia, quia alter mihi non credit, nec meis dictis acquieſcit. (Hugo. Franc. Lucas.) Franciſcus Lucas ita interpretatur. Hoc eſt, à mala conſuetudine vanè, ac leuiter iurandi: quia cùm viderent homines, ſuis dictis non credi, inde habuerunt iuramenta in ſuis verbis, vt illis conciliarent fidem.

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Dominus duplicet dictionem, Eſt, & Non?*

47. CIRCA geminationem vocis *Eſt*, & *Non*, multiplex eſt explicatio, & optima ad mores. Prima, & litteralis, vt dixi in expoſitione, quòd verba noſtra ſint in quadam ſimplici affirmatione, vel negatione abſque iuramento interpoſito, vt iam *ibi* explicaui, & docent D. Chryſoſtomus *hoc loco.* D. Hieronymus *hîc*, & *Epiſt. ad Celantiam.* Vnde D. Bernardus *Epiſt.* 38. maximè laudat Theobaldum, ſiquidem verba eius erant in quadam ſimplici affirmatione, ac negatione, nullo adhibito iuramento. (Chryſoſt. Hieron. Bernard.) Ad alias expoſitiones veniamus.

48. *Homo in dictis ſit conſtans.* Secundò explicant alij. Vt geminatio vocis denotet quandam conſtantiam, & aſſeuerationem, vt opponitur inconſtantiæ, ac leuitati, vt, verbi gratia, quod polliciti eſtis, vos facturos, facite; & quod dixiſtis, non facturos, non facite:

2. Cor. 1. vt loquitur D.Paulus 2. Corinth. 1. numero 17. *Nunquid leuitate vſus, aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me, eſt, & non? fidelis autem Deus: quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo, Eſt, & non.*

49. Rabban. *Verba operibus cohæreãt.* Chromant. Auguſt. Paſchaſ. Tertiò Raban. *Ideo*, ait, *dicitur bis*, Eſt, eſt; *ſiue* Non, non; *vt quod ore affirmes, operibus probes; & quod verbis negas, factis non confirmes.* Id eſt, verba tua tuis cum factis cohæreant, & quod ore dicis, operibus non contradicas. Quartò Chromantius, Diuus Auguſtinus *in Enchiridion. c.* 17. D. Paſchaſius *hîc*. Ac ſi diceret: Sermo à vobis prolatus ſit in veritate abſque mendacio, itaut quod eſt, dicatis, *Eſt*; & quod Non, *non*; ac proinde vt res ſe habet, ita à vobis ſit aſſerta; & ita in verbis veſtris ſit conformitas cum re, in qua eſt ipſa veritatis ratio.

50. Albert. Mag. *Verba exteriora interiori cohæreant.* Quintò Albertus Magnus. *Dicitur*, ait, Eſt, eſt, *quod ſi eſt affirmatio in corde, ſic etiam in ore; & ſicut eſt negatio in corde, ſic etiam in ore.* Non eſt habendum aliud in corde, aliud in ore; ſed exteriora verba cordi reſpondeant. Si ore profertur, *Eſt*, etiam in corde reſideat *Eſt*, & ſi in ore ſonat *Non*, in corde retineatur. Hieron. Eleganter Diuus Hieronymus *Epiſtol. ad Demetriadem*, ait, *Quis autem ſanctior poteſt eſſe, quàm qui veræ ſimplicitatis virtutem tenet, nunquam aliud corde promittit, aliud ore; vultuque mentitur.*

51. Ioan. 5. Ait Iacobus in ſua Canon. cap. 5. num. 12. *Nolite iurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem veſter ſermo Eſt, eſt; Non, non; vt non ſub iudicio decidatis.* Biblia Reg. Quæ vltima verba ſic legit Biblia Regia: *Vt non in hypocriſim decidatis.* Locus ſatis aptiſſimus ad præſens inſtitutum, in quo Apoſtolus tradit etiam ea, quæ à Chriſto Domino erant edocta. Lectio tamen Bibliæ Regiæ maximè ponderanda venit. Nam ſi aliud *Eſt* ſonat in ore, & aliud diſtinctum latet in corde, hypocriſis quædam eſt maximè deteſtanda. OEcumen. *Qui aliud in ore, aliud in corde habet, incidit in damnationẽ.* OEcumenius habet: *Ne incidatis in condemnationem.* Qui enim in hanc hypocriſim prolabitur, vt habeat vnum *Eſt* in ore, & aliud in corde, ſtatim in condemnationem incidit.

52. Iudæi multas in Dominum perſecutiones ſunt machinati; tamen de eorum labiis doloſis maximè conqueritur Saluator: *Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa*, Pſalm. 11. numero 3. & 4. Pſalm. 11. Multas in Dominum blaſphemias, multas iniurias, ac opprobria coniiciebant; ipſe tamen conqueritur præcipuè: *In corde, & corde locuti ſunt.* Ad quid geminatur in corde? Chryſoſt. Auguſt. Brunon. D. Chryſoſtomus, Diuus Auguſtinus, Brunonius, & alij. Denotatur, quòd in eis duplex cor erat, vnum in ore, & aliud intus in animo. D. Thom. Diuus Thomas ibi. *Geminatio duplex cor ſignificat: oſtendunt autem ore ſe habere vnum; corde autem habent aliud.* Et ideo tam vehementer ad Patrem exorat: *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa.* Chryſoſt. *Intolerabilis eſt inimicus ſimulatus in ore.* Vnde ait *hîc* Chryſoſtomus. *Nec enim erat tantum vitium, quod natabat in ſuperficie, ſed erat in profundo, & in corde. Hoc eſt omnibus hoſtibus acerbius. Illi enim ſunt aperti, vnde etiam facile caueri poſſunt. Hi enim, cùm aliam perſonam præ ſe ferant, & ſint aliud, ab iis, quibus tendunt inſidias, non facile deprehenduntur.*

*Matth. 5. n. 38.* Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo; & dentem pro dente.

*Num. 39.* Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexterã maxillã tuam, præbe illi & alteram.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ego verò dico vobis, ne inſurgatis contra malum: ſed quiſquis percuſſerit te ſupra maxillam tuam dexteram, obuerte ei & alteram.

*Tertull. lib. de Patient. c. 8.* Verberanti te in faciem, etiam alteram genam obuerte.

*Vatablus. Theophylactus.* Quiſquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam.

*Chrom. D. Aug. lib. 22. c. 76.* Præbe illi & ſiniſtram.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 29.* Qui te percuſſerit in maxillam, præbe & alteram.

*EXPOSITIO.*

53. Paſchaſ. AD magis explicandam doctrinam, vt notat D. Paſchaſ. *lib. 3. in Matth.* quam Dominus ſuprà tradiderat: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum*; poſtquam tractauit de Iuramento, incipit agere de lege talionis. *Legitimus ſenſus.* Non iuſtitia Phariſæorum erat, vt læſus vindictam, ac pœnam talionis exquireret contra lædentem. At Chriſtus altiora docet, non ſolùm ab huiuſmodi cupiditate abſtinere, ſed etiam miram patientiam exhibere; vt percutienti te in dextera, alteram maxillam offeras, & volenti tunicam tollere, dimitte ei & pallium. Et ait Dominus: *Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo; dentem pro dente*; hæc enim erat lex talionis, vt quod quiſque feciſſet, idem pateretur.

54. *Duplex interpretatio.* *Ego autem dico vobis.* Appetitum vindictæ Dominus tollit à nobis, & maximè nobis ingerit propenſionem ad patientiam. *Non reſiſtere malo*, in neutro, id eſt, rei malæ, ſeu iniuriæ illatæ ab homine malo; ſeu noli malum malo recompenſare, ſeu retaliare; ſeu contumeliam, ac noxam in te iniectam noli vindicare. Poteſt etiam *reſiſtere malo* ſumi in maſculino genere: cui interpretationi videtur fauere Syriacus: Syriacus. *Ne inſurgatis contra malum.* Et eſt ſenſus: Homini malo, tibi iniuriam facienti, noli reſiſtere, aliam iniuriam, ac noxam retaliando; ſed patientia vince malum. Et ad hoc adhibet mirum conſilium, ac patientiæ documentum: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe alteram.* Facit potius



mentionem de percuſſione in facie, quàm in corpore, quia illa magis ignominioſa reputatur. Et dixit potius dexteram, quàm ſiniſtram, quia Albert. Mag. quæ ad dexteram pertinent, vt ait Albert. Magn. pretioſiora, & chariora reputantur.

55. *Dominus tollit hîc à nobis ſpiritũ vindictæ.* Non prohibet hîc Dominus, iniuriam declinare; nec tollit à nobis ius defenſionis; & multominus magiſtratibus, ac præfectis ciuitatis non vetat, homicidas, latrones, ac facinoroſos punire; nam hoc eis incumbit ex officio. Sed vult Dominus tollere priuatas inimicitias; ac vetat ſpiritum, ac appetitum vindictæ, odij, & iræ; & magnam nobis imprimit propenſionem ad patientiam, ac manſuetudinem, & miram charitatem, ac ſuauitatem nobis ingerit in eum, à quo malè affecti ſumus. Auguſt. Et ita docet hîc Diuus Auguſtinus *Epiſtol. 5. ad Marcellinum, & lib. de Mendac. c. 15.* Quòd hæc doctrina, tradita hîc à Chriſto, maximè pertinet ad internam animi præparationem, ac compoſitionem.

---

QVÆSTIO X.

*Quare permittebatur Lex talionis?*

56. *Talionis lex.* Leuit. 24. MOYSES in lege præſcripſit, ac permiſit Iudæis legem talionis. Leuit. 24. n. 19. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium ſuorum, ſicut fecit, ſic fiat ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet; qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogatur*, Idem habetur *Exod. 21. num. 24. Deut. 19. numero 21.* Et hæc talionis lex communiter erat apud alias nationes, Græcos, & Romanos, vt verbi gratia, qui oculum alterius erueret, & ipſe exocularetur: & qui dentem adimeret, dens eius eſſet auulſus.

57. *Talionis pœna, non auctoritate propria, ſed iudicis inferenda.* Albert. Mag. S. Thom. Caietan. Maldonat. Leuit. 19. Et quanquam aliqui auctores ita velint hanc legem explicare, vt licitum eſſet priuato Iudæo, qui iniuriam ab alio paſſus eſſet, ſimilem ſua priuata auctoritate retorquere in lædentem: tamen verior eſt ſententia, quam tradunt Albertus Magnus, D. Thomas, Caietanus, Maldonatus, non eſſe permiſſum homini particulari, talionis pœnam in alterum inferre; ſed hoc tantùm ad magiſtratus, ac gubernatores ciuitatum pertinere. Et ita dicitur Leuit. 19. num. 18. *Non quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Quod videtur repugnare cum lege talionis. Caietan. Vnde rectè ibi reſpondet Caietanus, *citato loco Leuitici*, non prohibitum fuiſſe vltionem quærere à iudice, ſed propria auctoritate; quòd maximè fouet lectio Septuaginta. Pagninus. Septuaginta; *Non vlciſcatur tua manus, & non iraſcaris filiis populi tui.* Et clariùs lectio Pagnini: *non vlciſceris te.*

58. Deut. 19. *Quare lex talionis lata.* Tertull. D. Thom. Moyſes autem fecit huiuſmodi legem talionis, vt dicitur Deuteron. 19. n. 20. *Vt audientes cæteri timorem habeant.* Et ita ait Tertullian. lib. 2. contra Marcion. cap. 18. *Licẽtia retributionis, prohibitio eſſet prouocationis.* Secundò D. Thomas, Moyſes vidit Iudæos valde temerarios in iniuriis, & vindictis faciendis; & ideo, cùm non poſſet aliter eos retrahere, pœnam vindictæ voluit temperare, ne ſupra modum illatas iniurias vindicarent, ſed ad plurimum pro pari parem redderent talionem.

59. Chryſoſt. Chriſtus verò perficit legem, & addit, vt notant Chryſoſtomus *homil. 18.* Imperfectus *homil. 12.* D. Hilarius, Theophylactus, Euthymius, Hilar. Theoph. Euthym. *In quo Chriſtus legem perfecit.* quia lex vetus metu pœnæ talionis continebat homines à delictis; Chriſtus autem nos, non metu pœnæ tanquam ſeruos, ſed amore tanquam filios ad virtutem inducere curat, vt notauit D. Epiphanius Epiphan. Rom. 8. *hæreſi 53.* Et docet Paulus Rom. 8. n. 15. *Non enim accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepimus ſpiritum adoptionis filiorum Dei.* Hieron. Auguſt. Secundò, vt docent D. Hieronymus, Auguſtinus, Dominus non ſolùm ſpiritum vindictæ à nobis excludere voluit, verùm etiam eximiam nobis imprimere patientiam, in omneſque charitatem.

---

60. Auguſt. *Difficultas quæſtionis.*

QVÆSTIO XI.

*Quare Chriſtus, dum tractat de percuſſione in maxillam, ſolùm dexteræ meminerit?*

OMNIBVS doctoribus, duce D. Auguſtino *Epiſt. 5. ad Marcell.* facit quæſtionem: Cur Dominus, dum de percuſſione agit, potius dexteram nominat, quàm ſiniſtram; cùm alapa communiter impingi ſoleat in ſiniſtram maxillam, quæ reſpondet dextræ manui percutientis; & non in dexteram faciem, vt etiam notauit Caſſiodorus *collat. 16. c. 22.* & D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Caſſiodor. Paſchaſ.

61. Auguſt. Reſpondet primò ipſemet Auguſtin. *Sic intelligi ſolet, ac ſi dictum eſſet: Si quis in meliora fuerit perſecutus, & inferiora ei præbe; nam quia dextera nobiliora ſunt, quàm ſiniſtra; dextera maxilla, bona meliora; ſiniſtra verò, bona ignobiliora ſignificantur. Hoc pacto, ſi quis te percuſſerit in bonis nobilioribus, præbe ei quoque reliqua ignobiliora, quæ remanent.* Qui eſt ſenſus litteralis, vt dixi *in expoſitione*, vide *ibi* dicta. Et moraliter etiam optimè explicatur. *Qui magna reiecit, minimis ne implicetur.* Valde indignum eſt, vt qui magnanimiter largitus eſt maiora, auarus ſit in concedendis minoribus; & qui illuſtre, ac præclarè ſe geſſit in magnis, implicetur paruis, ac minimis. Ob Chriſtum dediſti dexteram tuam, meliora tua? Non dubites etiam pro eo minora exponere, & amittere. Ingreſſus es Religionem? renuntiaſti ſæculum, & omnia bona illius, ac tuam propriam voluntatem? noli illaqueari quibuſdam minutis prælationibus.

62. Maldon. Ianſen. Secundò Maldonatus, Ianſenius docent, quòd ſenſus huius rei nullus alius eſt, quàm quod velit dicere: Si quis te percuſſerit in vna maxilla, verte illi alteram: & quia prius dexteram, quàm ſiniſtram ſolemus nominare, non cædendi, ſed loquendi conſuetudinem ſecutus eſt. Sicut Scriptura loqui ſolet: *Non declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram*, Num. 20. num. 17. Numer. 20. Communiter tamen ſancti Patres magnum hîc agnoſcunt myſterium in eo, quòd potius dexteram, quàm ſiniſtram dixerit, vt patebit ex dicendis.

63. Auguſt. *Potius exponantur ad perfectionem temporalia bona, quàm ſupernatu-lia.* Tertiò idem D. Auguſtinus in Pſal. 102. *Venit quis*, ait, *& vult tibi percutere dexteram, id eſt, tollere tibi fidem tuam. Accepiſti alapam in dexteram, præbe ſiniſtram: id eſt, vt illud tollat, quod temporale eſt, non ea, quæ æterna habes.* Per dexteram intelligit magnus Pater fidem, ac ſupernaturalia dona; per ſiniſtram verò temporalia, iuxta illud Prouerb. 3. num. 16. Prouerb. 3. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.*

Accedit inimicus, & vult te percutere, ac colaphizare in pretioſiſſima ſpirituali ſupellectili; præbe, & expone illi terrena vitæ, corporis, ac tuarum rerum, vt potius hæc temporalia deperdantur, quàm illa cæleſtia tibi auferantur, ex quorum amiſſione in æternam damnationem ibis.

64. Hieron.

Quartò D. Hieronymus in præſenti. *Secundùm myſticos intellectus*, ait, *percuſſa dextera noſtra, non iubemur ſiniſtram præbere, ſed alteram: hoc eſt, alteram dexteram; Iuſtus enim ſiniſtram non habet.* Allegoricum ſenſum proſequimur. In Iuſto nil læuum, nil ſiniſtrum, ſed omia fœlicia, & dextera ſunt, nam etiam labores, perſecutiones, non ſunt ei quid funeſtum, ſed valde fauſtum, ac periucundum. Sic *Aod vtraque manu pro dextera vtebatur*, Iudic. 3. num. 15. Sic Eliazarus, vt teſtatur D. Ambroſius lib. 1. Officior. cap. 40. vtraque manu beſtiam interficiebat, 1. Machab. 6. n. 45. Hinc eſt, quòd Diabolus, dum ſe armat contra Zachariam Prophetam, non ad ſiniſtram, ſed ad dexteram eius ſe præbet. *Et Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei*, Zachar. 3. num. 1. Vbi perbellè Rupertus: *Stabat, non à ſiniſtris, ſed à dextris, quod in eo nihil ſiniſtrum, nihil malum, ſed totum eſſet bonum.*

*In Iuſto omnia dextera, nil ſiniſtrum.*

Iudic. 3. Ambroſ. Zachar. 3. Rupert.

65. Peluſiot.

Quartò D. Iſidorus Peluſiota *lib. 2. Epiſtol. 6. Euſtachio Preſbytero, Non dixit Saluator*, ait, *Si quis in dexteram maxillam alapam tibi impegerit, forti animo id patere, ac conquieſce: verùm illud adiecit, vt alteram quoque ad excipiendam plagam promptam, ac paratam habeas. Nam in hoc demum præclara, & ſplendida victoria ſita eſt; hoc natura præſtantius, & cæleſte.* Si colaphus te cædit in dextera maxilla, non dixit Dominus, præbe illi ſiniſtram, ſed alteram, ſcilicet dexteram, vt modò notaui ex D. Hieronymo, & etiam notat Caſſianus ſuprà *citatus*. Sed cùm homo à natura vnam tantùm dexteram habeat, quomodo iubetur & alteram exponere dexteram? Nunquid homo eſt Ianus, duplicatos habens vultus, duplicataſque dexteras tenens? Hoc fabuloſum eſt. Agebatur in præſenti textu de tolerantia perſecutionum, ac contumeliarum pro Chriſto, & homo ad pro Deo patiendum ita ſit auidus, vt quantum in ipſo eſt, naturæ terminos tranſcendat; vt non ſit contentus, vnam ſolùm pro Chriſto dexteram dare; ſed in animi præparatione aliam, & aliam ſiniſtram, non offerat; aliam, & aliam vitam exponat; ita præbeat ſiniſtram, non vt ſiniſtram, ſed vt dexteram, vt omnia ſua, etiam valde chara præ eximio Saluatoris amore contemnat, ac paruipendat.

Hieron. Caſſian.

*Homo, vt pro Chriſto patiatur, quantum in ipſo eſt, terminos natura tranſcendat.*

66. Paſchaſ.

Sextò D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* per has duas maxillas intelligit noſtra, tam interiora, quàm exteriora, vt in omnibus his paratus ſit homo, forti, & conſtanti animo pati pro Chriſto tentationes, perſecutiones, ac aduerſitates inimicorũ. Quod ipſe S. Pater confirmat ex Pſ. 107. n. 1. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſallam in gloria mea.* Ita ait S. Pater citatus: *Paratus nanque corde eſt ille, qui & interius promptus eſt pati pro Chriſto; & exteriùs, licèt in angaria deuotus eſt, ſi qua inferatur, patientiſſimè tolerare. Idcirco propter has duas maxillas ſermo propheticus geminatur. Ac ſi dicat: Paratum eſt cor meum Deus, omnia malignantium interiùs opprobria ſuſtinere; paratum eſt etiam exteriùs pro te, quæ me excruciare poſſunt, libenter ſuſtinere. Et hac de cauſa lætus cantabo, ac pſallam in gloria mea.*

Pſal. 107.

*Homo ad patiendum pro Chriſto, interius, & exterius ſit paratus.*

Septimò Tertullianus lib. de Patientia. cap. 8. *Fatigetur improbitas patientia tua, quiuis actus ille ſit dolore, & contumelia conſtrictus, grauius à Domino vapulat. Plus improbum illum cædis ſuſtinendo.* Dum Dominus nos docet, alteram maxillam percutienti obuertere ad alapam, nos maximè exhortatur ad patientiam, per cuius fructum coronamur in cælis. Et ipſamet noſtra patientia, tota aduerſarij nequitia deprimitur, ac punitur; dũ totus effectus ſuæ excandeſcentis iræ irritus, ac deluſus in nobis apparet. Pro quo pergit ipſe Tertullianus *citatus*, paulo poſt verba proximè data. *Idcirco quis te lædit, vt doleas: quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cùm fructum eius euerteris, non dolendo; ipſe doleat, neceſſe eſt, amiſſione fructus ſui: tunc tu, non modò illæſus ibis, quod etiam ſolum tibi ſufficit; ſed inſuper aduerſarij tui & fruſtratione oblectatus, & dolore defenſus. Hæc eſt patientiæ vtilitas.* 67. Tertull.

*Patiẽtia tua, aduerſarij improbitas fatigatur.* Tertull.

Octauò. Aliquot ingenioſi Scripturarij præſentem quæſtionem ſoluunt ex communi quodam principio Theologorum *ad* 1. 2. quòd ad meritum requiritur ſcientia, & voluntas; ſeu quòd homo ſit *ſciens, & volens.* Et quia prima alapa multoties inopinatè, ac improuiſè impingitur, quæ licèt dum patienter toleratur, illuſtre ſit meritum patientis; tamen cùm abſque præuiſione læſi excipiatur, non in ſummo, conſummatoque meritorum faſtigio collocata cenſetur. Obuertat ergo homo ſciens, & volens aliam maxillam, vt dum ſupremum Euangelicæ patientiæ documentum præbet, ac monſtrat, ad ſummum meritorum apicem euolet, nam tunc ſcientia, ac voluntate (ſine qua nil magnum eſt) ſe exponit, ac offert percutienti. 68.

*Nil magnum ſine voluntate.*

Nonò. Multus eſt D. Chryſolog. *ſerm.* 38. in explicanda præſenti ſententia. Et admiratur quanta ſit Chriſtianæ Philoſophiæ magnitudo, ſubditque. *Homo, nonne præceptis talibus infantiæ tuæ Rudimenta componuntur? Palmæ paruulorum ſunt verbera, non virorum. Hinc eſt, quòd leuibus mandatis pueritia Chriſti animatur, vt ad grauia toto iam robore Euangelica iuuentus accedat.* Cadenti in vna maxilla obuertenda eſt alia: nam illa percuſſio, non tantum ab humana manu infligente, quantum à diuina permittente conſideranda eſt, vt totum illud cedat in bonum, & vtilitatem noſtram; illis enim alapis, tanquam pueri quando inſtruuntur à Magiſtro, nos inducit Dominus ad altiorem Chriſtianæ militiæ Philoſophiam; & de Rudimentis, ac tyrociniis transfert nos ad perfectam ſapientiam. Eſto ergo virili, fortique animo in preſſura, ac contumelia; & exhibe etiam aliam faciem, & non accipias illas, tãquam caſu, vel inſtinctu hominũ aduenientes; ſed potiùs conſilio, ac manu Dei ad tuam ſalutem: atque prouentum. 69. Chryſolog.

*Perſecutiones in hoc ſæculo tanquã è manu Dei accipiamus.*

Ait Oſeas Propheta 11, num. 4. *Ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt veſceretur.* Septuaginta ita transferunt: *Et ero illis quaſi dans alapas homo ſuper maxillas eius, & reſpiciam ad eum præualens ei.* Eleganti vtitur figura: nam nutritius, vt puerum doceat, ac inſtruat bonis moribus, aliquando alapis verberat faciem. Sic Deus, vt optimus pater, *quaſi dans alapas homo ſuper maxillas eius.* Iniuriis, ac contumeliis, inflictis ab alio homine, quibus verberamur, ac affligimur, vtitur, vt mediis opportunis ad noſtram correptionem, ac emendationem, vt in bonos mores efformemur. 70.

*Et ego quaſi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Oſe. 11. Septuag.

*Deus verberibus, ac plagis nos ducit ad ſalutem.*

D. Hie



Hieron. D. Hieronymus *ibi* ait: *Quia non ſponte currebant, ſed vincti funibus trahebantur, paululum maxillas eorum alapis verberaui; non puniens, ſed corrigens, & emendans. Iudex lacerat carnes; qui autem pater eſt, laſciuientem filium palma percutit manus.* Et perbellè notat S. Pater, ſubdens: *Pulchrè non dixit: Ero eos alapis verberans, ſed quaſi homo maxillas manu percutiens.* Plagæ enim, quæ ob noſtram ſalutem infliguntur, quanuis videantur verbera, non ſunt, ſed quaſi verbera. In rem noſtram ait Regius Vates Pſalm. 82. num. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Pulchrè D. Auguſtinus ait ibi: *Horum facies ſalubriter impletur ignominia, vt quærant nomen Domini.* Nam ſæpè iniuriæ, & contumeliæ mentem excitant ad Deum, ad eius inuocandum auxilium.

Pſalm. 82. *Iniuria illata nobis aliquando ſalutaris.* Auguſt.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus doceat percutienti vnam maxillam, alteram etiam obuertendam, cùm ipſe coram Iudice hoc non fecerit?*

71. *Difficultas quæſtionis.*

ETIAM duce Auguſtino communiter hîc excitatur hæc quæſtio. Impius miniſter alapa percuſſit Saluatorem, qui non obuertit ei aliam faciem; ſed dixit: *Si bene loquutus ſum, quid me cædis? Si autem malè, teſtimonium perhibe, de malo*, Ioan. 18. n. 23. Similiter Paulus, in ore percuſſus ante Pontificem, non præbuit aliam faciem; non dixit, Percute alteram maxillam; ſed fatur: *Percutiet te Dominus, paries dealbate*, Actor. 23. num. 3. Quomodo ergo Chriſtus iubet, dare alteram percutienti, cùm ipſe hoc non fecerit, neque magnus Apoſtolus Paulus?

Ioan. 48. Actor. 23.

72. Auguſt.

Reſpondet primò D. Auguſtinus lib. de mendacio, cap. 15. *Dominus, cùm alapa percuſſus eſſet, non ait: Ecce altera maxilla; ſed ait: Si malè dixi exprobra de malo?* &c. *Vbi oſtendit, illam preparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quod etiam vtique Apoſtolus Paulus nouerat; nam, cùm eſſet alapa percuſſus ante Pontificem, non ait: Percute alteram maxillam; ſed, Percutiet te Deus paries dealbate: tamen cor paratum habebat.* Idem D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Dum colaphis cædimur in faciem aliquando reſponſum dandum pro noſtra cauſa, ac innocentia iuſtificanda. Sic & Chriſtus percutienti reſpondit, ne alicui veniret in mentem, quòd ipſe debitam Pontifici reuerentiam violaſſet: tamen præparationem habebat in animo ad aliam maxillam obuertendam percutienti, quando ad maiorem Dei gloriam requireretur. Et ipſe dixit per Iſaiam 50. num. 6. *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Et ita Euangeliſta teſtatur, quòd *dabant ei alapas*, Ioan. 19. num. 3. Et eodem modo dicendum eſt de Apoſtolo Paulo, qui quanuis in illo euentu reſponderit pro ſua cauſa iuſtificanda; tamen animi ſui præparationem ſatis oſtendit, dum ait de ſe 1. Cor. 4. n. 11. *Colaphis cædimur, maledicimur, & benedicimus.*

Paſchaſ. *Altera maxilla obuertenda cordis præparatione.*

Iſai. 50. Ioan. 19. 1. Cor. 4.

73. Albert. Mag.

Secundò reſpondet Albertus Magnus: *Ex æquanimitate animi ſemper debemus eſſe parati recipere ictum ſecundum, & tertium, & ſic deinceps. At quando præualet inimici malitia, ex charitate corripienda eſt; quia in hoc bene fit aduerſario; ſicut fecit Chriſtus.* Nam, vt etiam docet D. Gregorius *hom. 5. in Ezechiel.* qui poſiti ſunt ad imitationis exemplum, ſi poſſunt, detrahentium verba debent compeſcere, ne ipſi in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.



*Delinquens corripiendus, vt emendetur.* Gregor.

Ita excandeſcens Laban veluti armata manu proſequitur Iacob, ac ſi ipſe eſſet totius eius domus, & ſubſtantiæ depopulator, eiuſque Deos ſecum detuliſſet. Quod videns Iacob virili, ac conſtanti animo inſurgit in Laban, & à ſua eum temeraria præſumptione arguit, & reprehendit, omnemque eius ſolicitudinem incaſſum eſſe demonſtrat, dicens inter cætera, *Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ? pone hîc coram fratribus meis, & fratribus tuis, vt iudicent*, Geneſ. 31. num. 37. Quod videns Laban leniter, ac amicabiliter reſpondit: *Quid poſſum facere filiis, & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus fœdus*, ibidem num. 44. Sed vnde Laban ita mutatur in virum alterum, & qui totus modò erat ira, ac furore excandeſcens, ita rabiem deponit, & nihil aliud iam intendit, quàm inire fœdus & amicitiam? Quanuis obſtinatus eſſet animus Laban, tamen reprehenſione Iacob ita demolitus eſt, vt iam totus ſit mutatus, & ad meliorem ſortem reductus. Abulenſis, *Reprehenſum*, ait, *poſtquam rationabiliter redarguit Iacob Laban; ipſe blandè captat ab eo beneuolentiam, vt mutuo pactum firmet.* Et ita licèt quis videatur obfirmatus in malo, tamen arguendus eſt monitis ſalutaribus, illis enim ſæpè homo ad meliorem frugem reducitur. Vide ſuprà *cap. 5. num.* 187. & 188. & 189. 74.

Gen. 31.

*Quãuis quis in malo obfirmatus videatur, reprehendendus, vt emendetur.*

Abulenſ.

*Matth. 5. n. 40.* Et ei, qui vult tecũ iudicio contendere, & tunicam tuã tollere, dimitte ei & pallium.

*Num. 41.* Et quicũque te angariauerit mille paſſus, vade cum eo, & alia duo.

*Numer. 42.* Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris,

### *VERSIONES.*

*Syriacus n. 40.* Et ei, qui voluerit litigare tecum.

*Theophylactus.* Et ei, qui vult tecum ludificari, & tunicam tuam tollere, permitte ei & pallium.

*Euthymius.* Ei, qui vult, te in ius trahere, relinque ei & pallium

*Syriacus n. 41.* Quiſquis traxerit te ad milliare vnum, abi cum eo duo.

*Vatablus.* Quicũque te adegerit ad milliare vnum, abi cum eo duo.

*Euthymius.* Quicunque te coegerit ad milliare vnum.
*Syriacus n.* 42. Et volentem mutuari abs te ne prohibeas.
*D. Auguſtinus.* Ne auerſatus fueris.
*Græcus.* Ne auerſeris.

A L T E R   T E X T V S.

*Lucæ 6.n 29.* Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum etiam tunicam noli prohibere.
*Numer.* 30. Omni autem petenti te tribue: & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas.
*Num.* 34. Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

## *E X P O S I T I O.*

75. PROSEQVITVR Dominus ſuam doctrinam, apponendo exempla, quomodo non ſit reſiſtendum malo. *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere*; ſeu tecum altercare, vt ait Gloſſ. Gloſſa, vocando te in ipſum iudicium. *Et tunicam*, quæ eſt veſtis intima, *tollere*, ſeu auferre à te, Euthym. *dimitte ei, & pallium*, ſeu, vt habet Euthymius, relinque pallium; ſeu da illud ei. Pallium eſt veſtis extrema & frequenter maioris pretij, ac æſti- Albert.Mag. S. Thom. mationis, quàm tunica, vt notant Albertus Magnus, D.Thomas. At D. Lucas inuertit ordinem tunicæ, & pallij, & ait: *Ab eo, qui aufert tibi veſtimentum*; ſeu, vt Græcè, *pallium, etiam tunicam noli prohibere*. Nec enim tunica auferri poteſt, niſi & Euthym. *Pax maximè procuranda.* priùs pallium auferatur. Vnde rectè notat Euthymius, quòd ſæpè inter ſe confunduntur tunica, & pallium. Senſus totius ſententiæ eſt. Qui vult tecum in iudicio altercare, ac litigare, dimitte ei tunicam, ſiue pallium, ſiue quantumlibet pretioſam veſtem, vt litem euadas, & in pace, ac quiete Bellarminus. viuas. Rectè dicebat Cardinalis Bellarminus: *Melior eſt vncia pacis, & charitatis, quàm libra victoriæ.* Deinde lites periculoſæ ſunt conſcien- Chryſoſt. *Litigantes potius ad victoriā, quàm ad veritatem attendunt.* tiæ. Vnde ait hîc D. Chryſoſtomus homil. 18. *Omne iudicium irritatio eſt cordis, & ſi ſemel in iudicium ingreſſus fueris, iam non cogites, vt veritas cauſæ appareat, ſed vt quoquo modo victor exiſtas.*

76. *Quid ſit angariare.* *Qui te angariauerit.* *Angariare* vox Perſica eſt, vt ſignificat itinerum curſores, qui datis ſtipendiis paratos habent equos ad curſum celeriter faciendum (vulgò *Poſtas* vocamus.) Vnde Franc. Luc. factum eſt, vt *angariare*, vt notat Franciſcus Lucas, pro locare ad curſum, vel ad ferendum aliquid Matth.27. generaliter acceptum. Vnde Cyrenæus angariatus dicitur infrà Matth. 27. num. 32. ad baiulandum Crucem Chriſti. *Mille paſſus*, id eſt, milliare vnum. *Vade cum eo alia duo*; id eſt, ſi quis te coëgit, conficere cum eo mille paſſus, ſeu vnum milliare; confice tu cum eo, non vnum ſolum milliare, ſed duo milliaria. Quod apertè indicat lectio Syriaca, & Græca. Et ita totius ſententiæ Syriacus. Græcus. ſenſus eſt: Si quis te coëgerit, vt cum eo proficiſcaris ad vnum milliare, potius cum eo abi ad duo milliaria, quàm cum illo contendas, aut altercationem moueas, vt ita pacem cum omnibus conſerues. Per quod nos docet Dominus, quòd maximè intendamus cum omnibus pacem habere; *Iteratæ iniuriæ patienter ſuſtinendæ.* & quòd ita ab appetitu vindictæ ſimus alieni, vt præparatione animi, vt ait D. Auguſtinus, ſimus Auguſt. diſpoſiti, iteratas iniurias potius tolerare, quàm de vna aliquam reportare vindictam.

*Qui petit à te.* Docuit nos Dominus ſuprà, non 77. reſiſtere malo: nunc verò nos exhortatur, vt ſimus perſeuerantes in bono, liberalitate, ac miſericordia. *Qui petit à te*; hoc eſt, qui quærit, ac petit opem, & auxilium tuum, ſiue ſit amicus, ſiue inimicus; ſi tamen, vt ait Gloſſa, iuſtè, & hone- Gloſſa. D.Thom. ſtè, quæ poſſunt dari, petit: honeſtè dicit, ait D. Thomas, quia res ita poteſt eſſe neceſſaria, vt honeſte non poſſit dari: iuſtè, quia aliena res non poteſt dari iuſtè: *Da ei*; id eſt, illi ſubueni pro tua facultate, ac ratione, *& volenti mutuari à te*; petenti mutuo à te: & fortè præ verecundia volenti petere, & non audenti. *Ne auertaris*; *Largiendum eſt ei, qui ob verecundiam petere non audet.* Auguſt. ſeu, vt legit D. Auguſtinus, ne auerſatus fueris; hoc eſt, ne ſis ſuæ voluntati contrarius, ſed ſuccurre ei, & ſuam neceſſitatem auerte; & liberaliter impende ea, quibus ipſe indiget.

# CAP. XIV.

## *Inimici diligendi.*

*Matth.5.n.43.* Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuum.

*V E R S I O N E S.*

*Syriacus.* Audiſtis, dictum fuiſſe.
*Radix Hebraica.* Diliges amicum, ſiue ſocium, ſiue proximum tuum,

## *EXPOSITIO.*

POSTQVAM Dominus egit in 1. ſuperioribus de patientia, & iniuriis ſufferendis, hîc aggreditur agere de dilectione inimicorum, vt latiùs dicam quæſtione 2. *Audiſtis, quia dictum eſt.* Et non fatur Dominus, vt ſæpe in hoc capite loquitur *numero* 27. & 33. Dictum eſt antiquis, ſed abſolutè: *Dictum eſt*; quia hoc non Albert.Mag. *Præſul de remedio agat, & nemini iniuriam inferat.* erat à lege dictum, vt notat Albertus Magnus, ſed à veſtris maioribus, ac doctoribus, Scribis, & Phariſæis. Et eos apertè non exprimit Chriſtus; nam vt totius Orbis Dominus, ac Præſul, tantum intendit adhibere remedia; neminem autem ſuggilla



ſugillare, nec iniuriare; & ideo cœleſtia ſua documenta de dilectione inimicorum diffundit; auctores verò reprobatæ doctrinæ, ſcilicet de odio inimicorum ſupprimit, ne cum iniuria nominentur. Deinde ſi ſuos maiores, ac doctores exprimeret, eorumque dogmata reieciſſet; inde auditorum animi fierent ei aduerſi, quos maximè ſibi beneuolos, ac conciliatos totis Prædicator viribus affectet habere.

2. *Vox Hebraica.* *Diliges proximum tuum.* Hoc mandatum datum eſt *Leuit.* 19. *num.* 18. Vbi noſter interpres poſuit: *Diliges amicum tuum*; & omnia vox Hebraïca Valerius. *Quid ſit proximus.* ſignificat; ſicut etiam & *ſodalem*. Proximus autem eſt ille, vt rectè explicat S.Valerius *hom.* 12. Quicunque eſt tibi coniunctus, ſiue ratione ſanguinis, ſiue amicitiæ, ſiue alterius tituli. Iudæi autem communiter proximos ſuos eſſe intelligebant Iudæos ex Abrahamo natos, vt notant Salmeiron. Maldonat. Cornel. Salmeyron, Maldonatus, Cornelius. Tamen præceptum de omni homine intelligendum eſt. Et vt dicebatur: *Diliges proximum tuum*; ibi, vt rectè Albert.Mag. notat Albertus Magnus, apponebatur cauſa ipſius dilectionis. Cauſa autem eſt proximitas, & coniunctio originis, vel beneficij, vel redilectionis: quia amare amicum, quoddam debitum dilectionis eſt, vt ait S.Valerius *citatus*.

3. *Diabolus, vt ſuā ſeminet falſitatem, cum aliqua eam veritate coniungit.* *Odio habebis inimicum tuum.* Hæc tamen pars non erat ſcripta in lege, ſed erat edocta à Phariſæis. Diabolica machinatio, vt ſuam peruerſitatem valeat in hominum cordibus inſinuare, ſemper illam ſub vmbra veritatis coniungit, atque apponit. Et ideo deprauata doctrina de inimicorum odio connectabatur, & adiungebatur à Scribis cum diuina lege de dilectione proximi.

---

## Q V Æ S T I O  I.

### *An lex antiqua permitteret, inimicos odio haberi?*

4. *Phariſæi docebāt inimicorū odia.* COMMVNIS eſt omnium vox, quòd in lege nullum erat mandatum de inimicorum odio. Tamen Phariſæi huiuſmodi odium falſis interpretationibus intendebant deducere ex aliquibus Scripturæ locis. De Chananæis ait Deuter.25. Deus Iſraëliticis Deuteron. 25. num. 19. *Delebis nomen eius ſub cælo. Caue ne obliuiſcaris.* Et *Deuter.* 23. *num.* 6. de Amonitis, ac Moabitis mandauit Deuter.23. Dominus populo: *Non facies cum eis pacem; nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiter-* Numer.15. *num.* Et *Numer*, 15. *n.* 17. iuſſit Dominus: *Hoſtes* Exod.23. *vos ſentiant Madianitæ.* Exod. 23. num. 22. *Inimicus ero inimicis tuis.* His, & aliis ſimilibus malè intellectis in ſuum errorem inducebantur Phariſæi, vt dicerent, odium inimicorum eſſe licitum in lege.

5. Auguſt. Origen. *Inimicus Diabolus.* Cùm hæc ſint aliena à veritate, Origenes *hoc loco*, & D.Auguſtinus *ſerm.* 59. *de tempore*, per *inimicum*, dicunt hoc loco intelligi Diabolum. *In lege* ait D. Auguſtinus, *Dominus non inimicos, ſed inimicum præcepit odiri, vt qui ſpirituales erant in lege, ſolum Diabolum odio haberent.* Hic tamen ſenſus eſt valde myſticus, & ſymbolicus. *Nam per inimicos* hîc intelliguntur homines, vt patet ex ſubiunctis Chriſti verbis: *Diligite inimicos ve-* Maldonat. Salmeiron. *ſtros.* Et apertè docet D.Auguſtinus multis in locis. Maldonatus in hoc cap. *verſ.* 21. & Salmeyron *tom.* 5. *tract.* 43. exiſtimant, quòd ſenſus illorum verborum, *Oderis inimicum tuum*, contineatur in lege in illo Deuteron. 25. *Delebis nomen eius*, &c. Et citantur in patrocinium huius ſententiæ Chromantius *hoc loco*, & D. Auguſti- Chromant. August. Hilar. Paſchaſ. Iullian. nus *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte*, *cap.* 21. & D. Hilarius *in Matth.* D. Paſchaſius lib. 3. *in Matth.* Iulianus Epiſcopus Toletan. *in quæſtionibus noui, & veteris Teſtamenti*, habetur in Bibliotheca *tom.* 15. *quæſt.* 32. Qui omnes docent, quòd inimicorum odium non erat mandatum in lege, ſed quædam illius permiſſio. Ita ait D. Auguſtin. Auguſt. *Oderis inimicum tuum: non vox iubentis iuſto accipienda eſt, ſed permittentis infirmo.* Itaque, vt *Debili condeſcendendũ.* etiam exprimunt Chromantius, & Paſchaſius, illud fuit quædam permiſſio in lege propter populum terrenum, & carnalem duritiem eius; & ideo vt aliquantulum eius infirmitati, ac imperfectioni condeſcenderetur, illa facta eſt in lege permiſſio.

In hac re tenendum eſt, quòd odium inimi- 6. *Odium inimicorum prohibitum.* corum nullo modo erat traditum à lege; ſed tantùm à Scribis, falsò legem interpretantibus. Ita Hieron. docent *hîc* D.Hieronymus, Euthymius, Theophy- Euthym. Theophyl. lactus, Beda, Rupertus *lib.* 5. *in Matth.* Gloſſa Or- Beda. Rupert. dinaria, Albertus Magnus, S.Thomas, Euſebius Gloſſa. Emiſſenus *homil. in hoc Euangelio*, & D.Auguſti- Albert.Mag. nus *lib.* 19. *contra Fauſtum*, *cap.* 24. etiam hanc S.Thom. ſententiam tradit. Qui veluti explanans, ac ex- Emiſſenus. plicans loca in principio quæſtionis appoſita, ait, quòd mandabatur in lege odiſſe inimicos, non quia iniquus, vt homo, ſit odiendus, quia vt ſic eſt diligendus; ſed quia eius iniquitas eſt odio habenda, vt ab eius conuerſatione, ac contagione declinetur, ac fugiatur. Et ita ait Auguſtinus: Auguſt. *Audito, & non intellecto: Oderis inimicum tuum; ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odiſſe, niſi vitium.*

Probatur primò. Quia odium inimicorum eſt 7. *Odium inimicorū cōtra legē naturæ.* intrinſecè malum contra legem naturæ, vt docent D. Baſilius *in regulis breuioribus*, *reſponſione* 176. Et hanc concluſionem tradunt grauiſſi- Baſil. mi Theologi. Abulenſis *hoc loco quæſt.* 347. Sua- Abulenſ. rius *tom. de fide, tract.* 3. *diſp.* 5. *ſect.* 5. *num.* 4. Lor- Suarius. ca 2.2. *diſput.* 25. *num.* 6. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 3. Lorca. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 3. *num.* 2. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 28. Filliuc. *num.* 15. Barradas *hîc*, & alij. Ratio eſt, quia ini- Barradas. micus eſt proximus, cùm ſit creatura Dei, & capax beatitudinis: ergo odium erga huiuſmodi creaturam rationalem, prout reſpicit perſonam eius, eſt malum, & repugnat cum natura. Deinde, quia naturale ius dictat, aliis faciendum eſſe, quod nobis ipſis fieri cupimus. Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, eadem vos facite illis; vnuſquiſque autem cupit diligi, & ſibi ſubueniri in neceſſitate, ergo eadem debet facere aliis. Et hanc etiam doctrinam multi Philoſophi ſunt aſſecuti.

Probatur etiam ſecundò. Quia in Teſtamento 8. *In lege charitas ad inimicos.* veteri etiam dabatur doctrina de charitate erga inimicos: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum. Non quæras vltionem, nec* Leuit.19. *memoreris iniuriæ ciuium tuorum*, Leuit. 19. n. 17. & 18. Vbi expreſsè mandatur, quòd frater noſter, qui eſt quilibet homo, non ſit nobis in odio in corde; ſed ſi aliquid nobis eſt contra illum, ad iudicem deferatur. *Cùm occiderit inimicus tuus,* Prou.24. *ne gaudeas; & in ruina eius non exaltetur cor tuum*, Prouerb. 24. num. 17. *Si eſurierit inimicus* Prou.25.

Exod 23.

*tuus, ciba illum : & ſi ſitierit, da ei aquam bibere,* Prouerb.25. num.21. *Si videris aſinum odientis te iacentem ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis*, Exod.23. num.4. Vbi expreſsè mandabat Deus, exhibere operà charitatis erga inimicum: ergo ille amore, & charitate erat proſequendus. Et expreſsè quoad alias nationes dicitur. Deuteron.23.num.7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt; nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius.* Deinde quia lex dicebat: *Diliges proximum tuum*; proximus autem eſt etiam inimicus.

Deuter.23.

9. *Reſolutio ratione optima probatur.*

Probatur denique efficaci ratione. Si in lege includeretur mandatum de odio inimicorum, contrarius actus, ſcilicet dilectio inimicorum eſſet à lege prohibita : atqui dilectio inimicorum dicit quandam bonitatem moralem, per quam homo aſſimilatur bonitati diuinæ, vt ſtatim Chriſtus ſubdit : *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos*; ergo non poterat mandari à Deo in lege. Confirmatur. Quia ex eo Deus non poteſt prohibere actum miſericordiæ, & iuſtitiæ; quia dicit quandam bonitatem moralem : ergo etiam, cùm illam dicat dilectio inimicorum, non eſt capax prohibitionis.

10. *Explicantur auctoritates in contrariũ adducta.*

Nec loca in contrarium aliquid probant. Imò cùm illis poterant habere charitatem eximiam cum omnibus gentibus. Nam primò, quòd Deus iuſſerit Iſraëli, delere Chananæos, hoc illi populo mandauit, tanquam miniſtro diuinæ iuſtitiæ; ſicut iudex punit reum ob culpam, quem aliàs, vt hominem, diligit. Secundò mandauit, non facere pacem cum Amonitis, ac Moabitis, quia eorum conuerſatio erat valde periculoſa Iſraël (nam per mulieres ſeducti ſunt ad fornicationem,) ne quærerent bona, ſcilicet temporalia, nec eorum prætextu inter eos fieret amicitia. Tertiò dicitur, quod Madianitæ eos hoſtes ſentiant; & quòd Deus ſit inimicus eorum inimicis; non in quantum homines, ſed ſecundùm ſuam nequitiam, & malitiam, vt explicat D. Auguſtinus, ſicut dicitur Pſalm.7. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.* Sapient.11. num.25. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Deus diligit naturam, & odit peccatum, vt docet D.Thomas 2.2.*quæſt.25.art.6.* Vide ſuprà *cap.3. num.272.& 273.*

Auguſt. Pſalm.7. Sapient.11.

D.Thom.

11. Turrian. *Quomodo auctores intelligendi.*

Vnde bene ait Turrianus 2.2.*diſput.98.dub.1.* §.*ſciendum verò*, quòd quando aliqui viri docti, & pij videntur dicere, odium fuiſſe præceptum Iudæis; loquuntur, non de affectu odij intrinſecè; hic enim affectus non poteſt eſſe in præcepto; ſed loquuntur de externa illatione damni, ac pœnæ.

---

## Qvæstio II.

### *Quo motiuo Scribæ introduxerint odium inimicorum, tanquam mandatum legis, contra ipſam legem?*

12. *Difficultas quæſtionis.*

ANTIQVI Rabbini dicebant, odium inimicorum eſſe ex lege deriuatum. Quod tamen repugnabat cum ipſa lege naturali; & diuina veteri poſitiua, vt ſatis eſt explicatum *ſuperiori quæſtione.* Vnde Claudius Guillandus meritò hanc doctrinam de odio inimicorum appellauit *peſtilentiſſimum humanæ rationis commentum.* Quomodo ergo tanquam ex communi conſenſu hæc præuaricatio contra legem eſt introducta, ac ſi eſſet ex lege data, nemine eorum repugnante. Vnde ait Albert. Magnus, *Suas traditiones, tanquam mandatum legis poſuerunt.*

Claudius.

Albert.Mag.

13. *In ſuis criminibus ſubterfugiendum à lege homines volunt habere.*

Reſpondeo primò, quòd hoc commentum de odio inimicorum, quanuis non eſſet à lege, imò contra ipſam; tanquam ex lege tradebant. Perantiquum malum, quo homines ſemper in ſuis criminibus, ac exceſſibus affectant habere ſubterfugium, vt licentioſiùs valeant delinquere. Et ideo, vt Scribæ ſuas deprauatas voluntates, ac iniqua odia, nullo contradicente, exercerent, mandatum legis eſſe aſſerebant. Legis prætextu iubet impia Iezabel occidere Naboth 3. *Reg. cap. 21. num.9.* Ita & Phariſæi obmurmurabant de Chriſto Domino, quòd in Sabbato hominem ſanaret : *Dicebant quidam : Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit*, Ioan.9.num.19

Ioan.9.

14. *Volunt homines, vt ſuas opiniones tãquam Dei oracula venerentur.*

Secundò. Tales ſunt homines, vt ea, quæ ſua ſunt, à ſuoque cerebro inuenta, tam excelſa, & alta velint æſtimari, ac reputari, ac ſi à Deo data, ac promulgata: & ideo commentum de odio inimicorum, non ſolùm eſſe licitum, dicebant Scribæ, ſed etiam in lege ipſa incluſum, contentumque aſſerebant. Loquitur Dominus de ſua exaltatione in Cruce, ac morte. *Reſpondet ei turba : Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum; quomodo tu dicis : Exaltari oportet filium hominis*, Ioan.12. num.34. Illud, *Chriſtus manet in æternum*, explicat D. Thomas : *Chriſtus nil patietur.* Sed quomodo, vt meritò dubitant Chryſoſtomus, Theophylactus, Caietanus, & alij, in hac erant cogitatione, tanquam ex lege deducta : *Nos audiuimus ex lege*, quòd Chriſtus nil patietur? cùm tota Scriptura paſſionem Chriſti proclamet? *Tanquam ouis ad occiſionem ducetur*, Iſai.53. num.7. *Ego dormiui, & ſoporatus ſum*, Pſalm.3. num.6. & alia multa. Quomodo ergo dicunt, illud eſſe auditum à lege? Theophylact. *Iudæi negabant paſſionem Chriſti, & maligna mente id faciebant.* Falſa erat Scribarum doctrina, quòd Chriſtus in hoc mundo nihil pateretur, ſed in gloria, & maieſtate ingrederetur in hoc ſæculo : hoc ſuum peſtiferum commentum contra Scripturam, & legem, ex ſuo cerebro, ac errore inuentum, tanquam incluſum in Scriptura, & vt à Deo datum, ab omnibus venerari, & reputari volebant, dicentes; *Nos audiuimus ex lege, quòd Chriſtus manet in æternum*, ſeu nihil patietur.

Ioan.12.

S.Thom.

Chryſoſt. Theophyl. Caietan.

Iſai.53. Pſalm.3.

Theophyl.

15. Hieron.

Tertiò. Hæc dicebant legis doctores, quia, vt ait D. Hieronymus, ſunt multi, qui putant, impoſſibilem eſſe hoſtium dilectionem; & dum hæc mandatur, dicunt, quòd plus præcipitur, quàm humana natura patiatur. At qui hæc dicunt, maximè errant, neſciunt vires diuinæ gratiæ. Quanuis conſiderata noſtra fragilitate naturæ, videatur difficile, inimicum non odiſſe, ſed diligere; hæc tamen adueniente Dei auxilio, atque gratia, homo valde promptè, expeditéque præſtat. Vbi primùm Dei Charitas diffunditur in cordibus cum inimicorum dilectione, miros, & valde raros operatur effectus; ac naturam, quantumlibet indomitam, ferocem, ac procacem manſuefacit, mitem, ac lenem reddit.

*Charitas ex dilectione inimicorum omnia ſuperat.*

Ira,



16.

Ira, odioque magno concitata multitudo filiorum Iſraël obmurmurat contra Moyſem, & Aaron; ac grauis contra ipſos in populo eſt exorta ſeditio. Quod videntes ipſi ſancti Prophetæ confugiunt ad tabernaculum Domini, à quo pro tanti ſceleris pœna exiuit ira, & plaga magno incendio populum deuaſtans, & conſumens, itaut pluſquam quatuordecim millia hominum eſſent percuſſa. Quod cùm videret Moyſes, dixit ad Aaron : Tolle thuribulum, & curre ad medium multitudinis. *Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama : & ſtans inter mortuos, ac viuos, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit*, Numer.16. num.47. Sed vnde Aaron audet ad flammas currere? Et quomodo tantam plagam ſuffitu thuribuli auertit : nam, vt ait *ibi* Lorinus, leuis exhalatio incenſi, & calidus orationis halitus vehementem ignem reſtinguit. Oratio Moyſis, & Aaron, & oblatio illa thymiamatis, quæ erat quoddam ſacrificij genus, vt teſtantur ibi Lyranus, Abulenſis, Lorinus, & alij, erat pro populo, qui hoſtili, aduerſoque animo erat in ſanctos duces ſuos. Et vbi charitas inimicorum amore inflammata in medium prodiit, voracem ignis flammam, ac vaſtans incendium reprimit, & extinguit; ac percutientem Angelum à populo auertit, abireque facit. Charitas in inimicos omnia ſuperat, omnia vincit. Origenes ibi homil.9. *Moyſes, & Aaron fecerunt, quod poſtea Euangelium docuit. Diligit Moyſes inimicos, & orat pro perſecutoribus. Intuere ſtantem Pontificem, & obiectione quadam viuentes à mortuis dirimentem, & virtutem repropitiationis eius, & incenſi myſterium erubuiſſe Angelum vaſtatorem : & in hoc mortem finitam, & vitam reparatam.* Obiter expende illa verba: *Erubuiſſe Angelum vaſtatorem.* Quanuis enim Angelus eſſet executor iuſtiſſimæ pœnæ, ac vindictæ; tamen ad præſentiam tantæ charitatis Pontificis in inimicos, dicitur, erubuiſſe Angelum vaſtatorem.

Numer.16.

Lyranus. Abulenſ. Lorin. *Inimicorum amor indomitam compeſcit naturam.*

Origen.

*Ad præſentiã dilectionis inimicorum iuſta vindicta miniſter erubeſcit.*

17.

Abſalon commoto toto Iſraële ſe erexit, ac rebellauit aduerſus parentem ſuum. Et cum ſimul ad bellum tenderent, cunctis dicebat Dauid: *Seruate mihi puerum Abſalon*, 2.Reg.18.num.5. Sed ex quo motiuo Dauid ſe victorem pollicetur? multo enim maiores exercituum copias Abſalon aduerſarius habebat, & varius eſt euentus belli. Vnde ergo ipſe ſe victoriæ certum reddit, *Seruate Abſalon?* Erat totus pater accenſus amore, ac charitate in rebellem filium, qui quanuis nihil aliud intenderet, niſi patrem occidere; pater tamen nil magis affectabat, quàm filium cuſtodire: & qui tanta in inimicum dilectione ſe ſentiebat armatum, inexpugnabilem ſe, inuictumque iudicabat; & omnia ab ipſo ſuperanda tanquam certum in animo habebat. D.Ambroſius Apologia 1. pro Dauide cap.5. *Securus erat victoriæ, qui rogabat, vt parcerent : nec pietatis alienus, qui perire debere etiam impium filium non putabat.*

2.Reg.18.

*Amor inimicorum certus de victoria.*

Ambroſ.

18. Daniel.7.

Bis coniicitur Daniel inter famelicos leones, Daniel.7.num.16.& 14.num.31. *Et erat ibi diebus ſex*; qui quanuis fame tabeſcerent, ſanctum Prophetam non audent attingere. Ait Cardinalis Nicolaus Cuſanus *lib. 2. excitationum.* Erat Daniel in lacu orans pro omnium ſalute, pro populo ſuo, pro Rege, pro perſecutoribus. Et vbi charitas, ac beneficentia in inimicos expeditur, ac declaratur; ſæua, & crudelis leonina natura, hominum inimica, impeditur, ac conſtringitur; & ſanctum Prophetam non audet lædere, ſed ipſum reuerenter veneratur: nulla eſt enim tam indomita natura, quæ aſpirante charitate in hoſtes, non manſueſcat, mitis, ac lenis fiat.

Nicol.Cuſ.

*Charitate in hoſtes aſpirãte omnis natura etiam ferina manſueſcit.*

*Matth.5.n.44.* Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos : & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et bene precamini ei, qui imprecatur vobis : ac benefacite ei, qui odio vos proſequitur: & orate pro iis, qui vexant vos cum violentia, & perſequuntur vos.

*Vatabl. Theophylactus.* Bene precamini deuouentibus vos : & orate pro his, qui lædunt, & perſequuntur vos.

*Græcus.* Bene precamini his, qui vox vexant cum militari inſultu, & violentia.

*Athenagoras Philoſoph. in legatione pro Chriſtianis.* Bene precamini execrantibus vos.

*Tertull. lib. de anima c.35.* Orate pro maledicentibus vos.

*S.Maxim. Confeſſor. in quæſtionib. de Incarnat.Verbi.* Benefacite iis, qui vos oderunt : bene loquimini de iis, qui vos execrantur : orate pro his, qui vos calumniantur.

*Pagninus, Euthymius.* Orate pro offendentibus vos.

### Alter Textvs.

*Lucæ 6. n.27.* Vos dico, qui audiſtis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos : benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

## *EXPOSITIO.*

VT Dominus omnes attentiores faciat, ait eis : *Ego dico vobis*; tanquam quid nouum, Ioan.13. num.34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et tanquam meum 19.

Ioan.13.

meum peculiare mandatum. *Ego dico vobis*, Deus factus homo, qui,vt ait Paulus, prior dilexi vos, cùm adhuc inimici eſſetis : *Diligite inimicos veſtros.* Ac ſi diceret;Pater meus mandauit vobis diligere proximum:Ego autem, eadem auctoritate, vt ait Cardinalis Toletus *in Luc.* declaro , & explico,nomine *proximi* inimicos etiam intelligendos. *Diligite inimicos veſtros.* Non ſolùm dixit, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 18. non oderitis, ſed maius quid additamentum ponit, *Diligite.* Nec ait : nolite nocere;ſed quid plus : benefacite ; nec dixit : Nolite maledicere ; ſed maius ait. ſupplicare bonum pro inimicis. Vnde ad inimicos beneuolo affectu tendamus , vt ait D.Thomas, corde,ore, & opere. Diligere corde,quia dilectio debet eſſe vera , & non ſimulata in vultu. Sit etiam dilectio in opere : *Benefacite his , qui oderunt vos* , vt eos noſtris operibus adiuuemus, auxiliando , ac dona noſtra, & beneficia largiendo , ſvt explicat D. Baſilius *in regulis breuioribus, reſponſ.*176. Sit etiam dilectio ore : *Orate pro perſequentibus* ; inimicum ſalutando, de eo bene loquendo , ac pro ipſo ad Deum deprecando. Ita ait hîc Caietan. *Tria præcipit Dominus erga inimicos : Diligere internum ; benefacere externum ; & orare intus,& extrà.*

Tolet. Chryſoſt. D.Thom. *Tripliciter diligendum.* Baſil: Caietan.

## Q V Æ S T I O III.

### *Quomodo diſtinguantur hæc quatuor:Inimicus, odio habens, perſequens, & calumniator?*

20\. *Quatuor hîc apponit Dominus.*

QVATVOR hîc commemorat Dominus, quæ maximè explicanda ſunt ad intelligentiam huius ſententiæ. Primò dicit Saluator inimicum : *Diligite inimicos.* Secundò, odio habentem : *Benefacite his qui oderunt vos.* Tertiò perſequentem. Quartò calumniantem, *Orate pro perſequentibus , & calumniantibus vos.* Has voces hîc enucleemus. Cur verò potiùs dicitur , diligere inimicos , benefacere odientibus, orare pro perſequentibus , quàm è contra? ſequentibus quæſtionibus erit expendendum.

21\. Quantum verò attinet ad inimicum , & odio habentem , cùm hæc duo nomina ſæpe coniungantur in Scriptura , ſunt multi viri docti , qui docent, non habere inter ſe diſtinctionem , ſed vnum eſſe ſynonymum alterius.Tamen cùm hæc duo nomina in Scriptura copulantur , aliquod diſcrimen inter ea denotatur : *Si inimicus meus maledixiſſet mihi , ſuſtinuiſſem vtique; & ſi is , qui oderat me , magna locutus fuiſſet , abſcondiſſem me forſitan ab eo*, Pſalm.54.num.13. *Dominati ſunt eorum , qui oderant eos, & tribulauerunt eos inimici eorum* , Pſalm.105. num. 41. *Salutem ex inimicis noſtris , de manu omnium , qui oderunt nos* , Luc.1. num.71.

Pſalm.54. Pſalm.105. Luc.1.

22\. Tolet. Lorin. *Quid ſit inimicus.*

Inimicus ergo,vt notant Toletus *in cap.6.Luc. annot.*43. & Lorinus *citatis locis Pſalmorum* , eſt ille, qui interiùs, & exteriùs , ac manifeſtè ſe explicat, vt nobis contrarius , & aduerſarius , ac hoſtilia ſigna præbet. Sicut enim amicus ille dicitur , qui non ſolùm interiùs bonum affectum tenet , ſed etiam exteriùs illum declarat , & profert ; ita è contrario inimicus.

23\. *Quid ſit odiens.*

Odio habens , ſeu odiens ſignificat illum,qui interiùs , ac in corde retinet in nos deprauatum affectum,ac malum exoptat ; tamen interiùs hanc ſuam malam voluntatem, & deprauatum deſiderium non propalat , ac exhibet ; ſed interiùs in corde odij venenum abſcondit.Et cùm hic ſit ſimulatus inimicus , multo crudeliores ſunt eius inſidiæ.Vnde ait D.Auguſtinus lib.19.de ciuitate, cap.5. *Inimici occulti prius nocent, quàm agnoſcantur.* Multi autem occultant odium ; vel vt magis noceant ; vel quia illud declarare non audent. Sicut fecit Abſalon in Ammon per multum tempus diſſimulans odium, quoadusque parauit occaſionem opportunam, 2.*Regum cap.*13.*num.*22. & 29.vt ibi obſeruant Abulenſis,Lyranus,& alij.

Auguſt. *Inimici occulti , valde nociui.* Abulenſ. Lyranus,

24\. *Quid ſit perſecutio.*

Perſecutor , ſeu perſecutio eſt pertinax inſectatio alicuius ad aliquem proterendum , itaut nullus detur quieti,aut ſecuritati locus,ſed omni modo inſequitur , vt innocentia vexetur, ac opprimatur. Et metaphora ſumpta eſt , vt docet D. Gregorius Nyſſenus *homil.* 8. *de beatitudinibus* ; ex currentibus, ac ſequentibus in curſu,qui non quieſcunt quouſque alterum manu teneant. *Dixit inimicus , perſequar , & comprehendam,* Exod.15. num.9. Quod explanat D.Athanaſius *in Apologia pro ſua fuga.* Ita exacutus erat appetitus inimici, quòd non pateretur conquieſcere, quouſque Iſraël proſterneret,& captiuũ teneret.

Nyſſen. Exod. 15. Athanaſ.

25\. *Quid ſit calumniator. Calumnia maximè torquet.*

Calumniator grauiſſimè , & crudeliter nocet. Quia malum culpæ,& omnia opprobria , & conuitia imponit , & coniicit in hominem : quæ maximè torquent. Ieremias lapidatus eſt à Iudæis; & tamen non conqueritur de lapidibus , ſed de conuitiis, ac contumeliis, quibus eum exprobrarunt. *Dixerunt : Venite , percutiamus eum lingua,* Ierem.18.n.18. Vnde ait D.Athanaſius in Apologia ad Conſtantinum Imperatorem : *Contumeliam grauius ferire , quàm lapides.* Maximam anxietatem,dolorem, ac mœſtitiam afferunt contumeliæ. Eccleſiaſt.7. num.8. *Calumnia conturbat ſapientem , & perdet robur cordis illius.* de quo multa alibi dicenda.

Ierem.18. Athanaſ. Eccli.7.

## Q V Æ S T I O IV.

### *Quare hîc Dominus ſermonem inſtituat de dilectione inimicorum?*

26\. *Perfecta pătiētia eſt cum dilecti ne inimicorum.*

CVR Dominus potiùs in hoc loco , in hacque ſui ſermonis parte agit de dilectione inimicorum,quàm in alia occaſione ? Reſpondeo primò. Suprà immediatè antea egit Dominus de patientia in iniuriis tolerandis , & cum nemine eſſe contendendum , nulli reſiſtendum, ſed percutienti in vna maxilla alteram præbendam ; & volenti tollere tunicam , dandum pallium. Et ſtatim ſubiungit hunc textum , inimicos eſſe diligendos ; denotans , ac ſignificans, quòd ipſum pacis ſtudium, iniuriarum ſufferentia , ac in proximos manſuetudo habeant ad ſui meritum , & valorem , ſibi adiunctam, & aſſociatam inimicorum dilectionem. Nam corona ipſius patientiæ eſt dilectio inimicorum. Quid prodeſt tolerare iniurias , & alapas , ſi animum repletum ira, & odio habeas. D.Auguſtinus *lib.*1.*de ſerm. Domini in monte , cap.*21. poſtquam agit de his , quæ Dominus ſuperiùs dixerat in hoc *cap.* 5. de aliis virtutibus,

Auguſt.



virtutibus, ac patientia, ſubiungit : *Sine iſta dilectione , qua etiam inimicos , & perſecutores noſtros diligere iubemur,ea,quæ ſuperiùs dicta ſunt , implere quis poteſt ?* ac ſi dicat:Nullus.

27\. *Dilectio inimicorum fortis armatura ad debellandos hoſtes.*

Secundò.In hoc *cap.*5. creauit Dominus ſuos diſcipulos,luces,lucernas,ac Prædicatores,& doctores totius mundi ; ad abundantem iuſtitiam ac patientiam eos eſt exhortatus:& nunc ſermonem apponit de dilectione inimicorum, tanquam his armis eos induens,& communiens aduersùs perſecutionum tempeſtates,ac Diaboli inſidias : hæc enim omnia facillimè ſuperantur charitate , ac beneficentia in hoſtes.Diuus Athanaſius *homil.in Euangelio de Paſſione* ; poſtquam expendit,quomodo Apoſtolus nos iubet induere armaturam Dei,*ad Epheſ.*6.num.11.ait: *Dominus perſecutoribus benedicendum docuit;ſic enim facilius de Diabolo,omnique malitia , victoria obtinetur , quàm ſi nos ipſi vindicemus.* Ad diligendos inimicos , ac eis benedicendum Dominus ſuos exhortatur, vt inter tyrannos,ac Diaboli machinationes haberent facilem victoriam : nam dilectione inimicorum armati faciliter omnia incommoda ſuperamus, quàm ſi nos ipſi vindicaremus , vt infrà in alia quæſtione expendam..

Athanaſ.

28\. Chryſoſt. *Dilectio inimicorum corona, vertexque virtutũ.*

Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 18. *Perſpice, obſecro , quemadmodum vltimam poſuit coronidem bonorum. Propterea quidem docet , non modò cæſum palmis ferre patienter , aliam etiam maxillam parare ; ſed his maius eſt , iſta facientem non hoſtem exiſtimare , ſed potiùs etiam aliquid maius , quod hoc maius eſt , non dixit, Non oderitis , ſed, diligite. Vidiſtis , quantis ad perfectionem gradibus aſcenderit , & quemadmodum nos ad ipſius virtutis cacumen eduxerit.* Similiter docent Theophylactus , Euthymius. Poſtquam de aliis virtutibus tractauit , de dilectione inimicorum hîc agit, tanquam de coronide , ac vertice virtutum omnium : in hac enim dilectione ſtat tota conſummata Chriſtianæ vitæ perfectio.

Theophyl. Euthym.

29\. Coloſſ.3. 1.Cor.13.

Tota excellentia vitæ Chriſtianæ conſiſtit in charitate. Vnde docet Paulus ad Coloſſ.3. n.14. *Super omnia charitatem habete , quæ eſt vinculum pacis.* Et 1.Corinh.13. num.3. & 4. *Sine charitate nihil ſum : nihil mihi prodeſt.* Conſummata autem charitas ſtat in dilectione inimicorum.Ait Ioannes 1.4.num.12. *Si diligamus inuicem , Deus in nobis manet , & charitas eius in nobis perfecta eſt.* Charitas , qua nos inuicem amore proſequimur, non poteſt vltra ſe extendere,nec excelſiorem conſcẽdere gradum , quàm dum ad inimicos ſe extendit : ergo nec maiori perfectione inſigniri valet. D.Remigius in hoc cap.5. Matth. in Catena. *Perfectio dilectionis vltra dilectionem inimicorum non poteſt procedere.*

1.Ioan.4. *Tota perfectio ſtat in dilectione inimicorum.* Remig.

30\. Ad montem Sinai aſcendit Moyſes. Et ibi per quadraginta dies valde familiariter fruitur colloquio Dei , vbi magna , altaque ei panduntur, & reuelantur myſteria. Deſcendit de monte , vidit populum idololatrantem. Tandem pro ipſo deprecans iterum ad montem aſcendit ; & ſemel ac iterum à Deo petit obnixè : *Oſtende mihi faciem tuam*, Exod.33. num.13. ſeu , vt habent Septuaginta , *Oſtende mihi te ipſum manifeſtè.* Et iterum : *Oſtende mihi gloriam tuam.* Vbi viſionem Dei , ac diuinæ eſſentiæ poſtulaſſe, docent Diuus Ambroſius *in Pſalm.*118.D.Auguſt. *epiſtol.*112. & *lib.*2. *de Trinit.cap.*16. D.Gregorius 18.*moral. cap.* 36. D.Thomas *in* 2. *Corinth.* 12. Et ita ait Lyranus : *Oſtende mihi gloriam tuam ; id eſt , te ipſum , vt videris in gloria tua.* Meritò dubitabis: Cur Moyſes , dum eſt primùm in monte Sinai per quadraginta dies in colloquio , ac familiaritate Dei , non prorumpit in eam petitionem: *Oſtende mihi faciem tuam* ; ſed in hac ſecunda vice, tunc obnixè hoc petit ? Cur non primum, quando ei tanta manifeſtantur , ac Deus ei tam amicum ſe exhibet?Moyſes quandiu erat in conuerſatione Dei per quadraginta dies , adhuc eius charitas non erat explicata , & diuulgata in inimicos,vt poſtea factum,dum, vt notant D.Chryſoſtomus *homil. de Cruce, & latrone* , & D.Hieronymus *ſerm. de Aſcenſione Domini* ; pro populo peccante, contumaci , ac rebelli , qui multoties contra ipſum , & Aaron ſe erexerat , deprecatus eſt , vt ipſum defenderet , ac patrocinaretur , dicens : *Dimitte eis hanc noxam , aut ſi non facis, dele me de libro tuo* , Exod.32. num. 31. Moyſes optimè intelligebat , ad Dei viſionem,ſummam, & conſummatam perfectionem requiri ; & quandiu eius charitas tam patenter in inimicos non prodierat,nec eos amplexata erat , ab huiuſmodi petitione abſtinet ; veluti in ſe non videns conſummatam perfectionem ad tantam cognitionen requiſitam. At poſtquam pro inimicis ſtetit , vt diceret:*Dimitte eis hanc noxam , aut dele me de libro tuo*;tanquam omnium coronidem aſſecutus virtutum, confidenter petitionem audet concipere , ac vehementer expoſtulare : *Oſtende mihi faciem tuam.* Huc aduoco illud , quod ſapienter dixit Chryſoſtomus *homil.* 2. *de Dauide,& Saule*, dum ponderat,quòd Dauid egreſſus eſt à ſpelunca illæſo hoſte ſuo, imò prohibuit ſuos milites, ne aliquod ei intulerint nocumentum.Ait S.Doctor: *Egreſſus eſt autem poſt Saulem , & Dauid, liberis deinceps oculis cælum intuens.* Qui dilectionem in inimicos oſtendit,iam liberos habet oculos ad cælum , ac cœleſtia intuendum.

Exod.33. Septuaginta. Ambroſ. Auguſt. Gregor. D.Thom. Lyran. Chryſoſt. Hieron. Exod.32. *Qui inimicos diligit perfectionem iam ad Dei viſionem videtur habere.* Chryſoſt.

31\. 1.Reg.13. Actor.13.

De Dauide ait ipſemet Dominus 1.Reg.c.13. num.47. & Actor.13. num.22. *Inueni Dauid filium Ieſſe , virum ſecundùm cor meum , qui faciet omnes voluntates meas.* Sunt viri docti , vt Pater Valaſquez *in epiſtol. ad Philipp. cap.* 2. *verſ.* 15. *annot.*4. *num.*5. qui hoc interpretantur de ipſo Dauide, quòd dicatur ſecundùm cor Dei, & perſimilis filio Dei in lenitate , ac hoſtium dilectione. Sed quomodo dicitur , *faciet omnes voluntates meas* ; cùm hoc valde ſit ſuperexcedens ? In dilectione inimicorum oſtenduntur omnes virtutes,charitas,manſuetudo,patientia iniuriarum, conformitas cum Deo, & cæteræ virtutes ; nam, vt ait Paulus Rom. 13. num. 10. *Plenitudo legis dilectio.* Bene ergo qui huiuſmodi dilectionem præbet,voluntates Dei adimplet.D.Paſchaſ.*lib.*3. *in Matt.*poſtquam commemorat egregia virtutis opera, ait : *Liquet igitur ſatis , quòd illa in hac ſola dilectione , per quam & inimicos diligere iubemur, complectuntur,& in ea cuncta recapitulantur.*

Valaſq. *In dilectione inimicorum omnes virtutes recapitulantur.* Rom.13. Paſchaſ.

## Q V Æ S T I O V.

### *Quare Chriſtus Dominus tam vehementer commendet inimicorum dilectionem?*

VALDE ſtrictè Chriſtus Dominus nobis commendat inimicorum dilectionem. Hoc eſt, 32.

Ioan. 15.

eſt,vt dixi *in expoſitione*, tanquam meum, & peculiare mandatum dico vobis; ita enim ipſe dicebat: *Hoc eſt præceptum meum*, Ioan. 15. num. 11. vt illud maximè in diſcipulorum cordibus inſinuaret. Cur ergo hoc tam vehementer commendat inquirimus? Sub quo etiam varia dubia reſoluemus.

33. August.

Reſpondet primò D. Auguſtinus *ſerm. 5. in feriam ſextam Cinerum*; vt refertur in Bibliothec. homiliar. *Quare ergo*, ait, *antiquis non dictum, Diliges proximum tuum, & diliges inimicum tuum? Quia fortaſſis & ipſis dictum eſt: ſed nobis apertiùs pro temporum diſtributione, per eius præſentiam, qui videbat quid quibus vel tegendum erat, vel aperiendum.* Quanuis fortaſſe præceptum de dilectione inimicorum indicatum eſſet in lege; tamen manifeſtè, ac apertiſſimè illud aperire, & explicare reſeruatum eſt Chriſto Domino. *Per eius præſentiam*; quia vbi erat tantæ charitatis præſentia, etiam charitas in inimicos diffundebatur. Deinde, quia *ipſe videbat, quid quibus vel tegendum erat, vel aperiendum.* Populo enim carnali, rudi, & infirmo, vt etiam docet

Gregor.

D. Gregorius Magnus *lib. 28. moral. cap. 8.* tam magnum, & altum mandatum non fuit apertiſſimè proponendum; ſed hoc reſeruabatur populo Chriſtiano, vtpote perfecto; magna, & abundanti gratia in Chriſto corroborato; nec enim omnia omnibus æqualiter, ac tam apertè ſunt dicenda; ſed vnuſquiſque viribus accommodandum: *Ipſe enim videbat, quid quibus vel tegendum erat, vel aperiendum.* Vide ſuprà *cap. 2. num. 45. & cap. 3. num. 74. cap. 5. num. 215. cap. 7. num. 14. & 21.*

*Vniuſ uiuſque viribus accommodãdum.*

34. Rupert.

Secundò Rupertus hoc loco ponderans, quare hoc mandatum eſt nobis datum apertiſſimè, & non antiquis, ait; *Modò acceſſit exemplum, quod antiquis defuit. Debet plus valere doctrina, vbi docentem ſua commendant opera. Audiri debet præceptum, quod præceptoris roborauit exemplum. Ecce filius Dei præceptor, & doctor de cælo venit: quod præcipit, fecit: quod docet, opere oſtendit. Dilexit inimicos, vt ait Apoſtolus*, Roman. 5. num. 8. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et num. 10. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Idem docet Albertus Magnus. Ego dico vobis, qui hoc oſtendo per exemplum. *Ipſe, prior dilexit nos*, Ioan. 1. cap. 4. num. 10. Tam altum, & ſublime mandatum non erat apertiſſimè diuulgandum, niſi præuio Chriſti Domini exempro. Tantis Domini Documentis multas animus concipit vires ad magna aggrediendum. Ait Paulus: *Maledicimur, & benedicimus*, 1. Corinth. 4, num. 12. In quo videtur Apoſtolus antiquos Patriarchas in inimicorum dilectione antecedere. Sed quare Paulus maiorem dilectionem oſtendit? D. Ambroſ. lib. 2. de interpellatione in Iob cap. 2. *Mægiſtro diuino proceſſus humanæ virtutis excreuit*, Ac ſi diceret: Tantum in virtute excreuit, ac proceſſit exemplo ſui ſanctiſſimi magiſtri.

*Doctrina cũ exemplo efficaciter mouet.*

Rom. 5.

Albert. Mag. Ioan. 1.

1. Cor. 4. *Duce Chriſto maximè creſcimus in dilectione inimicorum.* Ambroſ.

35. Pſalm. 44. *Inimicos diligamus; paratus eſt Deus ad noſtram cuſtodiam, & vindictam.*

Tertiò. Chriſtus hîc præcipit, inimicos diligere; & tamen, dum ipſe introducitur *in Pſalmo 44. num. 4.* ei dicitur à Patre: *Accingere gladio tuo potentiſſime.* Vbi tanta eſt dilectio, quæ in aduerſarios diffunditur; ad quid gladius? Quomodo exhortatur ad dilectionem inimicorum; & tamen gladium accinctum portat? Ad nos cuſtodiendos; ac ad noſtras iniurias vlciſcendas. Tanquam ſi dicat: Vos nihil aliud intendatis, niſi ad veſtrorum inimicorum dilectionem: veſtras autem iniurias punire, de veſtra cuſtodia, ac defenſione agere, meæ eſt curæ; ad hoc gladium præ manibus habeo. D. Paſchaſius in expoſitione prædicti Pſalmi. *Poſt egregiam formam decoris, poſt gratiam diffuſam in labiis, imperatur à Patre, vt accingatur gladio ſuæ fortitudinis ad conſeruanda rerum omnium iura, vt in pace ſint omnia, quæ poſſidet. Ne vllus de vindicta cogitet ſeruorum, dum viderit præliantem Dominum mucrone vltionis accinctum.*

Paſchaſ.

Quartò. Dominus in hoc *cap. 5. Matth. à num. 27.* multa refert, quæ erant dicta antiquis & alia maiora addit; dixit enim: *Audiſtis; quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis; Ego dico vobis: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non periurabis: Ego dico, Non iurare omnino. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis. Oculum pro oculo; dentem pro dente. Ego dico, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Et tandem: *Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Chriſtus Dominus venit, vt crearet nouam Eccleſiam, ac ſuum regnum ſtabiliret. Ad quid ergo tradit, ac proponit doctrinam, quæ multis viſa fuit nimis ſeuera, & aſpera; ſæpè enim auſteritate regna deſolabuntur. Et dum Roboamus vult addere ſuper iugum, quod pater ſuus impoſuerat, magnam regni ſui partem amiſit, *3. Reg. 12. à num. 14.* Sic ergo meus Ieſus nouam rempublicam fundare, ac inſtituere vult, & homines in nouo regno ad ſe coadunare, & attrahere, in his, quæ audita, & dicta erant antiquis. Sapienter Rupertus *lib. 1. de Trinit. in Euang. cap. 19.* inquit: *Itaque quod nunc ait Rex iſte, Rex nouus, Ego dico vobis, in omnibus anguſtam oſtendit eſſe viam regni ſui magis, quàm hactenus fuerit; penè inde eſt, ac ſi dicat: Pater meus poſuit ſuper vos iugum graue: ego autem addam ſuper iugum veſtrum. Quid igitur hoc ſibi vult, niſi quia Rex iſte Deus eſt, & quod regno terreno ſolet obeſſe, hoc cœleſti prodeſt regno eius.* Qui dat huiuſmodi mandata, Deus eſt, qui dat præcepta, & per gratiam ſuam vires; ſi enim terrena regna ſeueritate, ac auſteritate collabuntur, & deperduntur; cœleſtia verò auſteritate ipſa ſtabiliuntur, & firmantur: his enim maximè confirmatur homo in gloria, & de illius participatione fit ſecurus; nam qui mediocribus contentus eſt, facilè decidit.

36. Matth. 5.

Rupert.

*Ad regna cœleſtia, vt ſecurus fias, auſteriora quære.*

37. Quintò. Reſeruabatur hæc doctrina diuulganda Chriſto Domino, tanquam apertum, ac clariſſimum ſignum ſuæ diuinitatis; qui tam ingenti charitate aduerſarios amplectebatur, vt pro ipſis vitam daret; & de eorum dilectione ſuis præceptum imponeret; manifeſtè oſtendebatur diuina natura condecoratus: tantum enim mandatum non niſi ab ipſo diuino ore poterat diuulgari, nec in alio pectore tanta charitas relucere valebat, niſi in diuina natura, cuius optimus index eſt dilectio in hoſtes. Et ideo dum ad hanc exhortatur Chriſtus, nullum alium adducit in exemplum, niſi cœleſtem parentem, cuius proprium eſt, inimicos diligere; *vt ſitis filij Patris veſtri*, &c.

*Dilectio inimicorum index diuinitatis.*

Meus



38. Matth. 27.

Meus Ieſus affixus in Cruce, de ſe agens, ait ad Patrem: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*, Matth. 27. numero 46. At verò pro crucifixoribus deprecans inquit: *Pater, dimitte illis*, Luc. 23. numero 34. Sed cur Chriſtus Dominus illic ad Genitorem loquens, Deum ſuum appellat; hîc verò Patrem nominat? Deum ſuum vocat, ratione naturæ humanæ ſe illi inferiorem agnoſcens; Patrem verò clamat, vt ſe æqualem in natura diuina cùm ipſo dicat. Titus Boſtrenſis: *Patrem vocat, ac proinde cum eo loquitur vt par cum pare.* Idem docet Arnoldus *tractat. de verbis Domini.* In Cruce maximè ſe occultauerat in Chriſto diuinitas: *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Vnde cùm pro ſe exorat, adhuc diuinitatem ſuam occultat, & Genitorem Deum ſuum appellat, ſe minorem illo in natura humana dicens. At cùm pro inimicis deprecatur, iam neceſſe eſt, vt ibi radiet, ac reſplendeſcat natura diuina; & tunc Genitorem Patrem ſuum dicit, ſe illi æqualem in ſubſtantia diuina manifeſtans. De hac inimicorum dilectione, ac patientia eius, ait Tertullianus lib. de patientia, cap. 3. *Patientiam Dei eſſe naturam affectam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis.*

Luc. 23.

Boſtrenſ.

Arnold.

*Dilectione inimicorum manifeſtatur diuinitas.*

Tertull.

39. Pſal. 108.

In perſona Chriſti ait Regius Vates Pſalm. 108. numero 4. *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam.* Vbi meritò notat Diuus Auguſtinus: *Non quidem dixit, quid orabat. Sed quid meliùs intelligere debemus, quàm pro eis ipſis; de Cruce ille dixit: Pater, ignoſce illis.* Sed illud mihi facit dubium: Cur Pſalmographus verbum exorans pro inimicis non exprimit? Ipſe valde plenè narrat alia Chriſti myſteria, & quæ ad paſſionem eius pertinent, ad Crucem, flagella, acetum. Cur ergo hanc orationem non producit? Iam ſublime, & perexcelſum verbum pro inimicis deprecans: *Pater, ignoſce illis*? à nullo alio ore erat immediatè euulgandum, niſi ab ipſomet ore diuino; & vox tantæ benignitatis ipſi miſericordiarum fonti eructanda reſeruabatur.

Auguſt.

*Vox deprecãs pro inimicis reſeruabatur Chriſto.*

40. Galat. 1.

Ait Apoſtolus ad Galat. 1. numero 1. *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem.* Chriſtus Ieſus exiſtens in gloria ſui Patris ad Apoſtolatum vocauit Paulum. Sed quomodo ipſe Doctor Gentium ait, ſe non fuiſſe vocatum per hominem? An quia Chriſtus ſolus Deus? Abſit, verus etiam homo eſt, vt fatetur Catholica fides? Quomodo ergo ipſe ait, ſe non fuiſſe vocatum per hominem? Tanta beneficentia, ac dilectionis nota in hominem perſecutorem, ac inimicum prædicabat gloriam infinitæ bonitatis, vt ſolius diuinitatis videretur opus, omnes humanæ naturæ limites abſorbens. Rupertus *lib. 3. de victoria, cap. 2.* ſic inquit: *Quid enim, ſi non per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum: nónne conſequitur, quòd Ieſum Chriſtum, quo tempore vocauit Paulum, vel fecit Apoſtolum, dicat, cœpiſſe iam non eſſe hominem, ſed Deum? Non tamen aiunt Patres orthodoxi, hæc dicendo, hominis demit naturam, ſed confitetur ſuperabundantem humanæ naturæ diuinam gloriam.* Vide infrà *quæſt. 14.*

*Beneficentia in inimicum manifeſtat diuinitatem*

Rupert.



## QVÆSTIO VI.

### *Inimici diligendi: triplici ratione comprobatur ex Hugone Cardinali.*

41. *Difficultas quæſtionis.*

DILIGERE, nihil aliud eſt, quàm velle alicui bonum. Hoc autem bonum, quod principaliter nobis mandatur inimico velle, eſt bonum ſpirituale, ad ſalutem animæ conducens; & etiam bonum temporale, prout fuerit adiumentum, ac inſtrumentum ad bonum ſpirituale conſequendum. Cur autem inimicos iubemur diligere? inquitimus,

42. Hugo.

Hugo Cardinalis triplicem ponit rationem. Primò eſt diligendus inimicus propter Deum: ſecundò propter ſe: tertiò propter nos. Ob has rationes debemus inimicum diligere, quæ latiùs hîc explicandæ ſunt. Aliàs etiam quæſt. ſequenti aſſignabo, quæ etiam ad hæc tria motiua poſſunt reduci.

43. *Inimicus diligendus propter Deum.*

Ptimò diligendus eſt inimicus propter Deum: ſunt enim inimici, ipſius creaturæ, ad imaginem ipſius conditi, & ad ipſummet Deum ordinati; & Deus mandauit nobis eos diligere. Et quanuis aliqui diligant ſuos proximos ratione alicuius motiui naturalis, verbi gratia, ratione ſanguinis, patriæ, vel alicuius virtutis, verbi gratia, ſapientiæ, ſeu fortitudinis, & hæc ſit laudabilis dilectio: tamen perfecta, & abſoluta dilectio eſt illa, quæ diligit proximos ob Deum; & ad ipſummet Deum, tanquam omnium auctorem, & finem, ſuum amorem ordinat, vt explicant D. Auguſtin. *lib. 4. Confeſſion. cap. 9.* D. Gregorius *homil. 27. in Euangelia.* Vnde rectè S. Maximus Confeſſor *ſerm. de pietate vt*, habetur *in Bibliotheca tom. 15.* Obiicienti, dilectionem inimicorum eſſe impoſſibilem, reſpondet S. Pater, eſſe facilem, *apud eos, qui ad imaginem Dei conditi ſunt, & ratione ducuntur, ac Dei notitia dignati ſunt, & legem ab ipſo acceperunt; Dominus enim ait: Diligite inimicos veſtros, & quæ ſequuntur, non tanquam impoſſibilia præcipit, ſed planè vt poſſibilia.* Qui enim ratione ducitur, & agnoſcit, creaturam ad imaginem Dei eſſe conditam, & ab ipſomet Deo productam, facile in eius amorem rapitur.

Auguſt. Gregor. Maxim.

44. Hugo. *Inimicus diligendus propter ſe.*

Secundò diligendus eſt inimicus propter ſe ipſum, Hugo: *ipſe magis indiget*, ſcilicet noſtro amore, vt illo conuictus odium deponat. Et quia multoties noſtra ope, ac auxilio eget, quod indigenti non eſt negandum. Contempto Saule, pro Rege habendo inſtant Iſraëlitæ: petunt tamen ab ipſo Samuele, vt non ceſſet pro eis orare ad Dominum. Quibus ait Samuel: *Abſit autem à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vobis; & docebo vos viam bonam, & rectam*, 1. Reg. cap. 12. n. 23. Quanuis enim illi inimico animo eſſent in Samuelem, ac filios eius; tamen ipſe teſtatur, tale nefas non eſſe commiſſurum, vt eis ſuam opem, ac auxilium, oratione, & doctrina denegaret; ſed à ſua magna charitate, ac veluti ab eorum indigentia mouebatur Propheta, vt pro eis ad Dominum deprecaretur. D. Greg. Magnus ibi. *Quid eſt ergo, quod dicit: Abſit a me hoc peccatum: niſi quia vir ſanctus ad charitatis verticem ſublimatus, non ſolùm diligebat amicos, ſed ipſos etiam amplectebatur inimicos? legis quidem veteris mandato inſtructus; ſed nouæ gratiæ fulgoribus*

1. Reg. 12.

*Noſtra opes non eſt negãda indigentibus.*

Gregor.

 *illuſtra*

*illuſtratus, licentiam vetuſtatis Euangelica perfectione reprehendit.*

45. Hugo. Tertiò inimicus diligendus propter nos. Ait Hugo: *Propter nos diligendi, quoniam vtiles nobis; quoniam ducunt nos ad portum; quoniam debita noſtra perſoluunt, & rubiginem remouent, & humorem.* Dilectio inimicorum nobis valde vtilis; nam per eam ducimur ad portum; ac ſi remittimus inimicorum debita; Deus dimittit nobis debita noſtra; ac per eos maximè exercitamur ad rubiginem peccatorum deponẽdam; & ad magnum gratiæ, ac donorum augmentum proficimus.

*Per inimicos maximè exercitamur.*

46. Anna cùm eſſet ſenili, & ſterili ætate, peperit filium Samuelem, quo maximè ipſa eſt illuſtrata, & commendata, itaut ipſa decantet: *Sterilis peperit plurimos*, 1. Reg. 2. num. 5. Quia cùm dediſſet in lucem Samuelem, erat vnus pro multis. Sed vnde promeruit, vincere ſterilitatem naturæ, & tantum, talemque habere filium? Domi erat Annæ Phenenna æmula eius, *Quæ affligebat eam, & vehementer angebat: in tantum, vt exprobraret, quòd Dominus concluſiſſet vuluam eius*, 1. Reg. 1. num. 6. Hoc eſt, Phenenna grauiſſimè vexabat, & moleſtabat Annam, eamque opprobriis, & contumeliis inſectabatur, vt dicat Chryſoſt. *homil.* 1. *de Anna*, quòd æmula eius iniuriarum tempeſtatem in eam coniiciebat. At illa nunquam ei reſpondit, vt benè colligunt ex textu Abulenſ. Hugo, & alij; ſed abſque vlla commotione iræ, & odij, vt notat Chryſoſt. *citatus*, eam in intima charitate, ac dilectione habebat, itaut nunquam de ea ad virum conqueſta fuerit, nec vllam querimoniam fecerit. Et meritò quæ æmulam ſuam tanta patientia, ac dilectione eſt amplexa, non ſolùm interiori gratia, & gaudio repletur, itaut ipſa dicat: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo*, 1. Reg. 2. n. 1. ſed in vtero habet filium Sacerdotem, Prophetam, & Sanctum, iudicem, ac gubernatorem populi. D. Chryſoſt. citatus. *Mulier hæc non eſt indignata: quo magis ſibi conciliauit Deum. Sic enim res habet, quoties opprobriis, milleque, malis affecti, conuitiantes excelſo ferimus animo, maiorem nobis à Deo beneuolentiam conciliamus.* In eadem homilia pergit S. Pater, & probat exemplo Dauidis, & Iobi.

1. Reg. 2. — 1. Reg. 1. — Chryſoſt. — Abulenſ. Hugo. Chryſoſt. — *Ex dilectione inimicorum multa bona comparamus.* — 1. Reg. 2. — Chryſoſt.

## Qvæstio VII.

### *Quàm vtilis, ac neceſſaria inimicorum dilectio, multiplici ratione oſtenditur.*

47. De hoc puncto aliqua iam dixi ſuperiori quæſt. quòd multis aliis rationibus hîc eſt comprobandum. D. Chryſoſt. *in Imperfecto hom.* 15. pulchrè quatuor rationes aſſignat. Primò. *Si iuſtum fuiſſet*, ait, *inimicos odire, Deus te inimicum ex gentibus nunquam in ſuam ſuſcepiſſet dilectionem.* Deus eſt totius rectitudinis fons, omniſque bonitatis exemplar: ſi enim bonus non eſſet amor inimicorum, Deus, cùm nos adhuc inimici eſſemus, non reconciliaret nos ſibi, *Rom.* 5. *n.* 10. ſed ſic dilexit nos, vt pro nobis vnigenitum filium ſuum daret. Ergo licita, & valde præexcellens eſt inimicorum dilectio. Et inimicos amore proſequamur, vt Deum maximè imitemur. Doctiſſimus Idiota *lib.* 1. *Contemplat. c.* 30. cum Deo loquens. *Nil tibi in natura ſimilius eſt, quàm homo, qui maleuolis, & inimicis, ſe lædentibus placabilis eſt. Qui enim diligit inimicum, imitatur te, qui dilexiſti nos, cùm adhuc inimici eſſemus.*

Idem. — *Dilectione inimicorum Deum maximè imitamur.* — Idiota.

Secundò idem Chryſoſtom. citato loco, *Cùm mundus*, ait, *ſit ſcandalis plenus, ſi amicos voluerint diligere tantum, non poterunt inuenire, quos diligant. Et ita fit, vt ſi decreuerit homo, inimicos odire, neceſſe eſt, vt odiat omnes, & odiatur ab omnibus.* Ac ſi dicat: Non adeſt verus amicus, ſed omnes ſunt veluti inimici: vt ergo aliquem diligas, inimicum dilige; nam ſi volueris amicum tantùm amore proſequi, à te nullus diligendus erit. 48.

Chryſoſt. — *Si amicus tantum diligendus, nullus diligendus.*

Tertiò idem Chryſoſtomus, *Puto*, ait, *quòd non tantum pro inimicis noſtris Chriſtus iſta mandauit, quantum pro nobis: non quia illi digni ſunt, vt diligantur ab aliquo; ſed quia nos non ſumus digni, vt aliquem odiamus.* Quanuis enim inimicus non ſit dignus, vt noſtra beneuolentia amplectatur, tamen nos, cùm ſimus Chriſti diſcipuli, ac ad beatitudinem conditi, non ſumus digni, vt aliquem habeamus in odio: nam odium, vt ait ipſe Chryſoſtomus, maximè ſordidam, & fœtidam reddit animam. 49.

Idem. — *Nos, cùm ſimus Chriſtiani, non ſumus digni, vt aliquem in odio habeamus.*

Quartò idem Chryſoſtom. *Si oderis inimicum, tantum ampliùs tibi nocuiſti ſecundùm animam, quàm illi ſecundùm corpus. Et forſitan nihil noces, odiens eum; te autem ipſum ſine dubio lædis.* Inimicus non eſt odio habendus, ſed diligendus; tuum odium, nullum nocumentum illi affert, ſed tibi maximè nocet, tuamque animam necat. Videt impius iuſtum ſuperexaltatum, & tunc ait Regius Vates Pſalm. 111. num. 9. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet; deſiderium peccatorum peribit.* Peccator videt, ira, odio, ac malo deſiderio conſumitur. Sed hoc nihil officit iuſto; ſed tantùm ipſi peccatori dat nocumentum; nam ille tabeſcit, & conſumitur. Brunonius: *Tabeſcet peccator in perditione ſua, & peccatorum deſideria ſucciſa marceſcent.* 50.

Chryſoſt. — *Odium noſtrum, non inimico, ſed nobis nocet.* — Pſal. 111. — Brunon.

Quintò D. Valerianus homil. 12. de bono Pacis. *Fortè illi, ait, quem recens pulſat iniuria, videntur iſta, Diligite inimicos veſtros, non conuenire rationi. Sed reſpiciat, quicunque eſt, ad vitæ quietem; & intelligat, quia inimicum dilexiſſe, viciſſe eſt. Duplex in patientia manet victoria, hominem viciſſe proprios animorum motus, & temperaſſe mores alienos. Plena victoria eſt, ad clamantem tacere, & non reſpondere prouocanti: habes enim mercedem & de tua patientia, & de fratris medela.* Ab odio inimicorum abſtinemus; magnam victoriam ac mercedem inde conſequimur, vt etiam conſiderat *citatus* Chryſoſtomus. Imò non vna victoria, nec vna merces, ſed duplex victoria, ſicut & duplex ibi merces inuenitur. Vna victoria, dum homo proprios ſuos contra inimicum refrænat appetitus; altera verò, dum furioſos inimici impetus ſua dilectione, ac benignitate componit, & temperat, ipſumque ad amicitiam prouocat: ac proinde dum inimicum diligis, duplici inſigniris victoria, vna de te, altera reportata de hoſte. Duplicem etiam habes mercedem, vnam de tua patientia, alteram de fratris remedio, quem tua es dilectione lucratus. 51.

Valer. — *Per inimicorum dilectionem duplicẽ victoriam, ac mercedẽ conſequimur.*

Sextò D. Fulgentius ſerm. de charitate aliàs 6. *Ipſe nobis docet, quid pro charitate redditurus ſit dignis, qui eandem charitatem donare dignetur indignis. Dicat Dominus, & magnitudinem nobis ſuæ promiſſionis oſtendat: Vt ſitis filij Patris veſtri, &c. Si autem filij, & hæredes. Poſſeſſio enim eſt bonorum iſta communis; non terrena vtique, ſed cœleſtis; & ideo nullum in ea facit anguſtari perſona conſortis.* Per charitatem aſſequitur homo filiationem Dei, ac hæreditatem regni cœleſtis, quæ non eſt veluti terrena, ac temporalis, quæ conſortio alicuius perſonæ limitatur, ac finitur; ſed cæleſtis beatitudo abſque alicuius diminutione ad omnes ſe extendit, omnibuſque communicatur. Ita etiam charitas non anguſtatur in aliqua perſona, ſed omnes abſque alicuius ſeparatione amplectitur, ſiue amicos, ſiue inimicos, ſiue dignos; ſiue indignos. Et ex eo, quod fertur ad amicos, non minuitur quoad amicos; ſed inde magno augmento creſcit, & proficit. In hunc ſenſum interpretatur Diuus Ambroſius *lib. de Iſaac, & anima, cap.* 4. illa verba Cant. 4. num. 6. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Vbi enim eſt charitas, ibi impetus magnus deſcendit à Libano; nec in vno, vel altero reprimitur, ſed in omnes exuberat hortos. 52.

Fulgent. — *Charitas non limitatur in aliqua perſona.* — Ambroſ. — Cant. 4.

53. Idiota. Septimò Doctiſſimus Idiota lib. 1. Contemplation. cap. 30. *Odiam*, ait, *mors eſt animæ. Et contrà vnio per dilectionem tecum, vita. Sicut igitur quilibet naturaliter amat vitam corporalem, & mortem timet; ſic amare debet veram dilectionem, & vitare odium.* Quia, qui non diligit, manet in morte. 1. Ioannis 13. numero 14. *In morte enim culpæ iam talis eſt, & debitor eſt mortis æternæ.* Naturalis eſt vnicuique appetitus viuendi. Vis mortem fugere? odium declina. Vis vitam habere? charitatem in omnes tene. Charitas vita eſt animæ, & mors tui inimici, vt glorioſè viuas, & triumphes. Nam, vt ibi ait ipſe Idiota, nihilo magis vincitur, confunditur, ac debilitatur diabolus, quàm inimicorum dilectione.

*Odium, mors animæ, dilectio, vita.* — 1. Ioan. 13. — *Inimicorum dilectione vincitur diabolus.*

54. Valerian. Octauò. Dilectio inimicorum multum bonum operatur, vt explicat S. Valerianus *hom.* 12. qui eam habet, legem adimplet: nam, vt ait Paulus Rom. 13. num. 10. *Plenitudo legis, dilectio.* Vnde eleganter ait *ibi* Diuus Remigius. *Vbi charitas, quid eſt, quod poſſit deeſſe; vbi charitas non eſt, quid eſt, quod poſſit eſſe?* Et qui hanc habet in inimicos, omne cælum, vt dixit Diuus Paſchaſius *lib.* 3. *in Matth.* ad ſe traxit, & inclinat in ſui defenſionem, ac patrocinium: nam tota curia cœleſtis in charitate fundata eſt; & vbi tantam in inimicos, charitatem videt, illuc tota maximè propendit, & inclinatur.

Rom. 13. Remigius. — *Vbi charitas, ibi omne bonum.*

55. Cùm Tobias iunior proficiſceretur in Rages ciuitatem Medorum, ex diuina prouidentia ei datur in ſocium itineris Raphael Angelus, ad ſui cuſtodiam, ac defenſionem à multis periculis. Tob. 5. num. 5. In Meſopotaniam pergit Iacob, & antequam veniret ad fratrem ſuum Eſau, *fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet Iacob, ait: Caſtra Dei ſunt hæc*, Geneſ. 32. num. 1. & 2. Meritò aduertit *ibi* Rupertus, quòd vnus Angelus ei non apparuit, ſicut aliis accidit; ſed magna ei Angelorum maltitudo in obuiam venit. Cur ergo Tobiæ in itineris ducatum, ac ad ſui cuſtodiam vnus Angelus aſſignatur; at verò Iacob ad viam præparandam, ac ad auxilium præſtandum, caſtra, ac exercitus Angelorum deſcendunt; & non ita mutata apparentia, Raphael venit ad Tobiam; ſed tam detecta præſentia, vt ab eo cognoſcerentur, ac viderentur? Quænam tanti diſcriminis ratio? Pro puero Tobia clamabant virtutes parentis, orationis affectus, in eleemoſynis pauperum charitas, in mortuis ſepeliendis pietas, in laboribus patientia, *Tob.* 12. *à n.* 6. At in Iacob aderat eximia charitas, & dilectio in fratrem ſuum Eſau, qui hoſtili, aduerſoque odio eum fuerat inſectatus *Gen.* 27. *n.* 41. Meritò hîc ſe exhibent Angelorum caſtra. D. Ambr. lib. 2. de Iacob cap. 6. *Caſtra Dei ſunt hæc: perfectis enim, & fidelibus diuina ſolent adeſſe præſidia; perfectus enim, qui cogitabat de reconciliatione fraterna, itaut humilitate etiam inuitaret, officiis acquireret, muneribus quoque emendam putaret.* Vbi virtutes orationis, eleemoſynæ, pietatis, ſepulturæ, ac patientiæ relucebant, ſat eſt, vt veniat vnus Angelus in ſui auxilium, ac defenſionem: at vbi charitas in inimicos ſe prodit, & manifeſtat, totum cælum ad ſe rapit, & trahit; & non vnus Angelus, vt accidit aliis, ſed exercitus Angelorum aduolant, & deſcendunt, in ſui patrocinium, atque munimen; & non patiuntur Angeli, ibi obuelati, occultatique adeſſe; ſed ita, vt videantur, & agnoſcantur.

Gen. 32. Rupert. — Ambroſ. — *Dilectio inimicorum in ſui auxilium trahit cælum, & exercitus Angelorum.*

Cùm Simon Machabæus ſuſciperet populi principatum, multis locutus eſt verbis quanta ipſe, *& fratres eius, & domus patris ſui fecerint*, pro legibus, pro Sanctis, 1. *Machab.* 3. *n.* 3. Et tamen nullum ſignum in confirmationem eorum, quæ dicebantur, cælum exhibuit. At verò Samuel oſtendens innocentiam ſuam coram omni populo, & ſe liberum ab omni crimine comprobans: *Loquimini de me coram Domino, vtrùm bouem cuiuſquam tulerim*, &c. 1. Reg. 15. n. 3. Cælum ſigna præbet: *Dedit Dominus voces, & pluuias in illa die*, ibid. n. 19. Cur ergo illic nullum prodigium oſtentat cælum, hîc verò maximè? Simon oſtendebat glorioſas ſuorum virtutes, ac mortes pro lege, pro templo, ac Sanctis: at Samuel explicabat ſui egregij animi virtutem, ac integritatem, adiuncta ſimul dilectione inimicorum, vt ſuprà dixi: *Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vobis*, 1. Reg. cap. 12. num. 23. vt *ibi* ait Diuus Ambroſius, proximè datus: *Dicit: Abſit à me hoc peccatum: niſi quia vir ſanctus, ad charitatis verticem ſublimatus, non ſolùm diligebat amicos, ſed etiam ipſos amplectebatur inimicos:* Et vbi charitas tantis ſignis radiabat in inimicos, non potuit cælum ſe cohibere, quin pro illius patrocinio ſigna, & prodigia daret, ac multis reſplendeſceret, & coruſcaret. 56.

1. Mach. 13. — 1. Reg. 15. — 1. Reg. 12. Ambroſ. — *Pro inimicos diligente cælum ſigna, & prodigia facit.*

## Qvæstio VIII.

### *Quid illuſtrius, diligere amicum, an inimicum?*

Hoc Chriſti mandatum de dilectione inimicorum non aufert, nec peruertit ordinem charitatis. Et quanuis Dominus præcipiat diligere inimicos; non tamen mandat, eos diligere æqualiter, vel magis, quàm amicos: hi enim ex ſuo genere plus diligendi ſunt, vt rectè docet Origenes *hom.* 2. *in Cantic.* D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagianos*, S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 27. *art.* 7. Nam dilectio amici ex ſuo obiecto præeminet; magis enim conſentanea eſt ordini charitatis; nam amicus eſt nobis magis coniũctus. Et ſicut melius eſt, diligere patrem, quàm extraneum; iuſtum, quàm peccatorem; amicum, 57.

Origen. Hieron. S. Thom.

*Amici ex ſuo genere magis diligendi, quàm inimici.*

quàm alienum : ita etiam ex ſuo genere melius eſt, diligere amicum , quàm inimicum. Deinde à contrario : peius eſt , odiſſe amicum , quàm inimicum ; priuat enim maiori honeſtate : ergo ex ſuo genere melius eſt , diligere amicum , quàm inimicum.

58. *Dilectio inimici maioris meriti.* Durand. Carthuſ. Albert. Bonauent. Richard. Malderus. S. Thom. Tolet. Louan. Auguſt.

Quænam verò ex his duabus dilectionibus ſit maioris meriti, controuertunt Theologi. Tamen quòd dilectio inimici propter Deum; cæteris paribus , in ſe perfectior ſit dilectione amici , docent Durandus *in 3.diſt.30.quæſt.2.* Carthuſianus *ibid. quæſt.* 1. citans Albertum *ibid.* D. Bonauentura *art.1.quæſt.6.* Richardus *art.1. quæſt.* 3. Malderus 1.2.*quæſt.27.art.7.* Et videtur expreſſa ſententia D. Thomæ *ibi* , prout docet, quòd hæc dilectio eſt fortior, & feruentior. Pro hac ſententia ſtant Toletus *in cap.6.Luc.à numero* 39. Ægidius Louan, *diſput.24.dub.8.num.* 154. Et hæc videtur de mente D.Auguſtini *in Enchiridion, cap.* 73. & 74. vbi affirmat , diligere amicos , eſſe incipientium, & proficientium; at verò diligere inimicos, eſſe perfectorum.

59. *Fundamentum huius ſententiæ.*

Fundamentum huius doctrinæ eſt. Quia ea dilectio eſt perfectior, magiſque meritoria , qua Deus magis appretiatiuè diligitur : atqui, cæteris paribus , diligens inimicum propter Deum , eo actu appretiatiuè magis diligit Deum , quàm diligens amicum propter Deum : nam qui diligit inimicum, à quo multoties eſt iniuriatus , magis ſe ipſum vincit , ac ſuos appetitus refrænat , & magis contemnit vanitates ſæculi , quàm alter diligens amicum : ergo illa dilectio eſt perfectior, magiſque meritoria.

60. *Quomodo intelligenda.*

Dixi, *cæteris paribus*, quia ille , qui ex charitate propter Deum pro ſalute ſpirituali proximi vitam diffundit , magis appretiatiuè diligit Deum, quam ille , qui diligendo inimicum , dat ei paruam eleemoſynam. Loquimur autem de his dilectionibus, ſi pares ſunt in intentione, & ab æquali gratia procedant : tunc enim dilectio inimici eſt magis meritoria ; non quia ipſum obiectum, ſecundùm ſe, ſcilicet inimicus, ſit perfectius ; ſed quia in tali obiecto ob iniurias, odium , ac damnum illatum magnam repugnantiam inuenit voluntas, quam dum ipſa vincit, maiori , ac fortiori conatu fertur in Deum , propter ipſum contemnendo omnia, quæ ſunt ſæculi.

61. Dilectio inimici, regulariter loquendo, eſt purior , perfectior , maximè Deo grata , & cunctis multum admirabilis , quàm amicorum dilectio. Eſt purior, Nam , qui amicum diligit , ſæpe eum amore proſequitur, ob aliquod bonum , quod in eo conſiderat ; vel ſaltem mouetur ab ipſo debito officio amicitiæ. At qui inimicum diligit , ob nullum aliud motiuum hoc præſtat , niſi ob ipſum Deum. Ait Apoſtolus Rom. 12.num. 10. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Pulchrè D. Valerius *homil.* 12. ait : *Non dixit : Si eſurierit amicus tuus, ciba illum : nam amicus ipſe ſibi præſtat, vt non eſuriat, Videamus tamen , quid interſit inter eum, qui indigentem amicum paſcit, & eum , qui eſurientem inimicum reficit. Ille gratiæ reddit debitum; hic exhibet miſerationis , & virtutis exemplum.* In dilectione amici interuenit ratio debiti, & remunerationis ; at verò in amore inimicorum ratio virtutis, & miſerationis.

Rom. 12. Valer.

*Dilectio amici debitū, inimici verò opus virtutis.*

62. Eſt perfectior dilectio inimicorum modo ſuprà explicato. Quantam autem perfectionem indicet inimicorum dilectio, ſatis explanat Dominus ſequenti verſu : poſtquam enim ſuos exhortatus eſt ad inimicorum dilectionem, ſtatim ſubiungit : *Eſtote perfecti , ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Tanta eſt enim perfectio dilectionis inimicorum , vt per eam aſſimiletur homo diuino Patri , vt latiùs *ibi* explicabo. Ait Dominus ad Ieremiam 15.numero 1. *Si ſteterint Moyſes , & Samuel coram me , non eſt anima mea ad populum iſtum* ; hoc eſt , non exaudiam eos. Sed cur ex omnibus antiquis Patribus hi duo nominantur, tanquam quid valde magnum, quòd Deus eos non exaudiat ? Erant enim hi duo Prophetæ maximè amici , ac familiares Dei , & magna virtutum perfectione condecorati. Sed vnde tantam perfectionem ſunt aſſecuti ? Ab ipſa inimicorum dilectione, teſtatur Diuus Gregorius Magnus , quæ maximè perficit , & nobilitat animam. Ita ait ille lib. 9. moral. cap. 12. *Cur relictis tot antiquioribus Patribus , ad effundendam precem Moyſes , & Samuel tantummodò præſtantius, elegantiuſque nominantur ? Quod tamen facilè agnoſcimus , ſi eius , qua diligere & inimicos præcipitur, charitatis merita penſamus.* Vide ſuprà *num.* 28.29.& 30.

Ierem. 15.

*Ex dilectione inimicorū magna perfectio reſultat.*

Gregor.

Eſt dilectio inimicorum maximè grata Deo. In hoc enim maximè complacet Deus, cùm ipſe ſit charitas ; noſtra autem charitas vltra dilectionem inimicorum non poteſt procedere, vt ſuprà dixi ex D.Remigio *num.* 29. Vnde fit , quòd ipſa ſit Deo maximè grata. Ait Diuus Gregorius in Paſtorali Admonit. 10. *Virtus eſt coram hominibus, aduerſarios tolerare ; ſed virtus coram Deo , diligere : quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod quidem ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.* Illud maximè eſt expendendum , quod de inimicorum dilectione ait S.Pater : *Hoc ſolum Deus ſacrificium accipit.* Sine dubio cor contritum , & humiliatum eſt ei magnum ſacrificium , ac multum acceptabile ; dum homo ſe ipſum Deo offert , ac conſecrat in hoſtiam, magnum holocauſtum ipſi defertur. Quo ergo fundamento ait magnus Pater : *Hoc ſolùm Deus ſacrificium accipit ?* Dilectio inimicorum inter omnia noſtra ſacrificia ita Deo complacet , vt hæc ſit ei maximè grata, ac delectabilis , vt nullum aliud ſacrificium cum tanto ſuauitatis odore , ac periucunditate ipſe acceptet, & accipiat. 63.

Idem.

*Dilectio inimicorum maximè grata Deo ſuper omnia ſacrificia.*

Eſt dilectio inimicorum cunctis multum admirabilis. Ait Paulus 1. Corinth. 4. num. 9. *Spectaculum facti ſumus mundo , Angelis , & hominibus.* Et veluti rationem ſubdens ait : *Vſque in hanc horam eſurimus , & ſitimus , perſecutionem patimur, & ſuſtinemus ; blaſphemamur , & obſecramus.* Cur Paulus potius in hoc loco, quàm in alio, ſe, ac cæteros Apoſtolos dicit poſitos ante conſpectum mundi, Angelorum, & hominum ? Cur omnium intuitus in ſe conuerti non dicit , dum commemorat verbera, vincula, naufragia , ac perſecutiones ? ſed hoc ad hunc locum reſeruat? Commemorat hîc : *Blaſphemamur & obſecramus*, vbi tanta charitas reſplendebat , quòd , cùm malediceretur à ſuis inimicis , tamen non maledicebat, ſed ſua dilectione pro ipſis deprecabatur; ibi inſigniter, ac peculiariter omnium oculos attrahebat. Palatius ad cap. 5. Matth. circa finem. *Spectant Angeli , ſtupet mundus , attoniti redduntur homines , cùm vident Chriſtianum reddentem, non malum pro malo , ſed bonum pro malo. Ita* 64.

1. Cor. 4.

*Dilectio inimicorū valde mirabilis, omnium oculos rapit.*

Palat.



*Apoſtolus : Spectaculum facti ſumus mundo , Angelis , & hominibus. Cur ? Quia perſecutionem patimur, & ſuſtinemus ; blaſphemamur, & obſecramus. Meritiſſimè hæc Paulus, ſiquidem ſupra omnem naturam eſt , quòd maledicti , afflicti , & blaſphemiis proſciſi obſecremus.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quare præcipiat Dominus , odientibus benefacere ?*

65. *Quid ſit benefacere.*

BENEFACERE, eſt alicui bene , ſeu bonum facere, intentione, ac voluntate benefaciendi, & non animo nocendi. Hæc neceſſaria ſunt ad benefaciendum : nam poteſt vnus alteri parare bonum , non tamen ei dicitur benefacere, ſi illud non tanquam bonum præſtat, dum potiùs exiſtimat , graue ei nocumentum inferre. Et ideo fratres Ioſeph , eum vendentes in Ægyptum, quanuis præſtiterint anſam ſuæ exaltationis , non dicuntur ei benefeciſſe ; quia illud machinati ſunt, vt graue eius damnum. Requiritur ergo, vt ſit donum datum animo benefaciendi. Vnde qui alteri exhibet dignitatem, vel aurum , verbi gratia, animo benefaciendi , quanuis illud ei ſit malum, quia inde mors, ac interitus ei occaſionatur, vt notant Diuus Auguſtinus *epiſtol.* 42. & D.Ambroſius *ſerm.4. & 20. in Pſalm.* 118. tamen dicitur , non malum facere, ſed benefacere.

Auguſt. Ambroſ.

66. Origen.

Origenes *Dialog. 1. de recta fide* , teſtatur, Marcionem abuſum fuiſſe hac ſententia, vt ſuam hæreſim comprobaret , qua fabulabatur , diuerſum eſſe Deum veteris Teſtamenti à Deo noui Teſtamenti ; nam olim præcepit Deus Hebræis, Amorrhæos , ac cæteros habitatores Terræ promiſſionis occidere; nunc verò in nouo Teſtamento mandat, inimicis benefacere. Idem etiam argumentum conficiebat Adimantius , vt refert D. Auguſt. *cap. 17. contra eundem.* Sed hæretici turpiſſimè errabant, non intelligentes Scripturas, nec diuinam charitatem percipientes. Mandauit Deus Hebræis , tanquam deputatis iuſtitiæ ſuæ miniſtris, illas nationes interficere, vt dixi *qu. 1. in fine* , quod non repugnat cum hoc mandato , vt iam explicaui ſuperiori cap.

Auguſt. *Refutatur error hæreticorum.*

67. Ad quæſtionem primò præcepit Dominus ſuis, vt benefacerent odientibus. Suprà dixerat , vt diligerent inimicos ; nunc præcipit, benefacere. quia, vt ait Simon Caſſianus lib. 10. cap. 23. *Dilectio neſcit in ſua natura feriari , ſed benefaciens, & benefica eſt.* Vera enim dilectio exhibetur, non ſolùm in affectu, ſed etiam in effectu. Vnde Paulus nos ad hanc dilectionem exhortans , Chriſti nobis proponit exemplum , & ait ad Epheſ. 5. num. 1. *Eſtote imitatores Dei , ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione , ſicut & Chriſtus dilexit nos , & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo.* Chriſtus Dominus, cùm haberet perfectiſſimam dilectionem, ac charitatem, ſummè dilexit nos interno affectu, & effectu ; ſiquidem ſemetipſum tradidit pro nobis hoſtiam in ſalutem.

Caſſian.

*Vera dilectio eſt in affectu, & effectu.* Epheſ. 5.

68. Hugo.

Secundò Cardinalis Hugo. Propter duas cauſas præcipit Dominus , benefacere odientibus: primò, propter naturæ conformitatem , homines enim ſunt. Iſai. 58.n.7. *Cùm videris nudum , operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Secundò propter charitatem, tam debitam erga proximum , 1. Ioan. 3.n.17. *Qui viderit , fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo , quomodo charitas Dei manet in eo ?* quàm propter charitatem debitam erga noſmetipſos. Vnde ait Chryſoſt. *Si benefeceris inimico tuo , tibi ampliùs feciſti.* Nam magnam mercedem tibi pollicetur Dominus. Vnde ait Theophylactus, quòd illi , qui nos perſequuntur, & tentant, *quodammodo inter benefactores habendi ſunt ; nam omnis , qui nos tentat, leuiorem facit pœnam, quàm pro peccatis ferre debemus* ; ſi hoc patienter ſuſtinemus , & non reddimus malum pro malo, ſed bonum pro malo.

Iſai. 58. 1. Ioan. 3. Chryſoſt.

*Beneficia inimico collata, tibi amplius vtilia.*

Theoph.

Tertiò. Hoc præceptum dabat Dominus ſuis Apoſtolis, ac diſcipulis , quos conſtituebat principes, ac Prælatos totius orbis. Vnde ait Beda ad præſentem textum Lucæ. *Ferè cuncti contra hoc mandatum procedimus , & præſertim potentes , vel principes , non ſolùm ſi paſſi fuerint contumelias; ſed etſi præſtita non fuerit reuerentia , aduerſarios reputantes , quicunque eos minus reueriti ſunt, quàm ſe reputauerint dignos. Eſt autem magna infamia principum , eſſe promptum ad vindictam.* Creabantur Apoſtoli principes totius orbis , eis mandat Dominus iuxta Syriacum : *Bene precamini ei, qui imprecatur vobis ; & benefacite odientibus.* Valde ignobile, & infame vitium eſt, quòd ius tibi datum inſeruiat ad vindictam , ac ad iniuriam aliorum , & tuum officium , aliis officiat à quibus aliquid paſſus es : ſed quanto magis dignitas te ſubleuat, tanto magis tu eſto beneuolus, ac beneficus in aduerſarium ; ei enim negata eſt vlciſcendi licentia , in cuius manu poſita eſt inflictio vulneris ; eique intercluditur vindicta, cui eſt reſerata poteſtas. Ait ſacer textus Gen. 37. num. 2. *Hæ ſunt generationes Iacob. Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum.* Si narrantur generationes Iacob , cur non ſcribitur Ruben primogenitus, Iudas futurus Rex , Leui Sacerdos , & alij fratres ſeniores; ſed Ioſeph primo loco commemoratur? Ioſeph ea erat præditus excellentia , vt quanuis ex multis ſomniis ſuper fratres ſuos, à quibus eſt adoratus, ſe videret exaltatum ; & in patris amore ſe intelligeret omnibus prælatum ; tamen erga fratres eum odio habentes , nihil mali ſit molitus , ſed potiùs beneficiis inſeruiret. Hamerus. *Erat in Ioſeph aliud virtutis genus , vt tam inſignem fratrum crudelem iniuriam , & iniurioſam crudelitatem, non modò condonaret, ſed etiam ingentibus beneficiis fratres afficere , in animum induceret.* Et qui tam regali , ac benefico animo pollebat, meritò in catalogo Iacob primas ſedes habet, & primum vendicat locum, quippe qui omni dignitate digniſſimus. 69.

Beda.

*Turpe eſt, vt ſuperior vtatur officio ſuo ad vindictā.*

Geneſ. 37.

*Qui habet dilectionem in inimicos, omnibus præfertur.*

Hamerus.

Quartò. Beneficiendum eſt odientibus nos; nam ipſa beneficentia prouocat ad amicitiam, emollitque aduerſarij animum. Nam ſi reſponſio mollis frangit iram, *Prouerb.* 15. *numero* 1. quanto magis illam beneficentia mitigabit. Abimelech à ciuitate ſua Geraris eiecit Iſaac; & multis deinde eum iniuriis affecerunt habitatores terræ illius. *Inuidentes ei Palæſtini omnes puteos , quos foderant ſerui patris illius Abraham , illo tempore obſtruxerant, implentes humo*, Geneſ. 26. numero 15. Tamen prolabente tempore ad eum venit Abimelech poſtulans , vt inter eos fieret iuramentum, ac amicitiæ fœdus , *ibid. num.* 28. Sed vnde 70.

Gen. 26.

*Beneficus ſuis beneficiis aduerſarij animum emollit.*

Rex Geraris commotus es, vt quæreres hominem, quem à tuo regno expuliſti, ac multis es damnis,& iniuriis inſectatus? Iſaac ea fuit animi nobilitate, vt Palæſtinis, à quibus tanta damna exceperat,nunquam intulerit malum, ſed ſemper beneficus extiterit,ac multa benignitate hoſpitio exceperit,vt notat Chryſoſt.homil.52.in Geneſ. (Chryſoſt.) *Id,quod Chriſtus*, ait, *diſcipulis ſuis præcipiens, & admonens, dicebat, ne ſolos diligentes diligerent, ſed & inimicis charitatem exhiberent, hoc Iſaac nunc multo antea implet, & tanta hoſpitalitate tractat eos, qui eum oderant, omnemque vindictæ cupiditatem animo ſuo excludit.* Qui tam benefico animo erat inſignitus, vt nunquam redderet malum pro malo, obſtinatum Palæſtinorum animum emollit, ac æneum Gentilium cor edomat, vt inde omnes eius excellentiam indagantes,eius quoque amicitiam, ac reconciliationem quærant.

71. Matth. 10.

Ait Dominus ſuis Apoſtolis: *Ecce ego mitto vos,ſicut oues in medio luporum*, Matth. 10. n. 16. Quis vnquam bonus paſtor mittit oues, inter lupos? Lupi crudeles hoſtes ouium, ipſas dilacerant, & comedunt. Quomodo ergo bonus Paſtor,meus Ieſus; & tamen oues ſuas mittit inter ferociſſimos lupos?Et,quòd magis eſt, ita diſponit rem, vt & lupi trahantur ab ouibus, & eis ſubiiciantur?Intellige myſterium.Deſtinabat Dominus ſuas oues inter ferociſſimos tyrannos,non vt ipſis tyrannis, eos perſequentibus, nocerent, ſed vt cunctis benefacerent,vt eos lacte ſuæ cœleſtis doctrinæ nutrirent,ac lana ſuæ ſanctæ conuerſationis induerent. Et vbi tanta erat benignitas cum beneficentia tanta,promptè lupi trahendi,& capiendi ab ouibus erant. Totum pulchrè, & latè dixit Albertus Magnus. (Albert.Mag.) *Mitto oues vtilitate, qua vtiles, non nociui depopulatores fuerunt iſti legati. Mitto lacte, ad alimentum, quo nutriuntur,qui modò geniti ſunt infantes. Mitto veſtimento ſanctæ conuerſationis, quo induere debent homines ſuo exemplo. Et tunc lupi, natura lupina depoſita, ab ouibus capi poſſunt.*

*Beneficentia obdurati animi miteſcũt, ac trahũtur.*

## Qvæstio X.

### *Quare Dominus præcipiat orare pro perſequentibus,& calumniantibus.*

72. August. Gregor.

MANDAT Dominus,orare pro perſequentibus,& calumniantibus nos.In qua oratione id petendum eſt à Deo, vt docent D.Auguſt.*ſerm.39.de tempore*,& D. Greg.*lib.34. mor.cap.16.*vt ipſi reſipiſcant. Ita dicunt: *Quid aliud pro inimicis orandum eſt, niſi hoc, quod Apoſtolus ait: Vt det illis Deus pœnitentiam, & reſipiſcant à Diabòli laqueis,à quo tenentur, ad ipſius voluntatem.* Et idem D.Auguſtinus *in Pſalm.*108. (Auguſt.) ad illa verba numero 4. *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi*; orandum eſſe ad Deum inter calumnias,vt animum noſtrum, Deo miſerante, vincamus, quo ferimur in vlciſcendi cupiditatem, cùm detrahitur nobis. Dum calumniis appetimur, orandum eſt pro calumniatoribus, vt reſipiſcant; orandum pro nobis, vt Deus det ſufferentiam, vtque noſtrum vlciſcendi appetitum vincamus, atque vt veritas ipſa manifeſtetur, ſicut Suſanna oratione ſua impetrauit, *Daniel*, 13.*num.*42.Cur tamen pro calumniatoribus mandat orare,inquirimus.

*Tria petenda in oratione pro inimico.*

73.

Reſpondeo primò, quòd hanc pro inimicis orationem tam inſigniter Dominus ſuis commendat, vt per excelſam, & ſublimem iniuriarum ſufferentiam, ac raram, & admirabilem inimicorum dilectionem;nec enim quid maius eſſe poteſt,quàm inimico, & calumniatori, non ſolùm imprecari malum, ſed omnibus viribus deprecari bonum, ac pro ipſo ad impetrandum exorare Deum. Vnde de hoc mandato eleganter dixit,Tertullianus in Apolog. cap.31. (Tertull.) *Scio*, ait, *præceptum eſſe nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare.* Adeò ſublime eſt hoc virtutis veſtigium, vt videatur quædam Chriſtianæ pietatis redundantia, quam humanum pectus per ſe capere non poteſt, niſi dilatetur,ac corroboretur cœleſti gratia. Deique auxilio: nam calumniatores, pro quibus orandum dicitur, inter omnium inimicorum genera ſunt crudeliores, vt dicam *quæſt. ſequenti*; & tamen pro ipſis orare ad Deum(quod eſt magnum,& rarum beneficium) hoc vires humanæ non præſtant,ſed ſolùm exuberantia,& affluentia diuinæ gratiæ facit: etſi in inimico aduersùm te creſcit odium,& malignitas;erga illum in te charitas, & benignitas creſcat.

*Orare pro inimicis effectus eximiæ charitatis.*

*Orare pro inimicis,quædam redundantia Chriſtianæ pietatis.*

*Si inimici malitia creſcit, creſcat & tua charitas.*

74. Chryſoſt.

Secundò D.Chryſoſtomus ſerm.Deum laudamus tom.5.*Fuit*, ait, *quiſquam tibi iniurioſus, ingemiſce,ne maledictis inceſſeris: funde lachrymas, non iniuriæ gratia, ſed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodum & Dominus tuus Iudam deplorauit; non enim, quòd cruci ſuffigeretur, deflebat, ſed quòd ſe ille eſſet, ad ſui perniciem, proditurus. Læſit te quiſpiam, aut contumelia inſectatus eſt; Deum deprecare, vt mox illi concilietur, & parcat; frater enim eſt, & tuum eſt membrum; cùm illum videris vulnere mortali affectum; Dæmon enim illi plagam inflixit: idcirco neque erit rurſum per te exulcerandus, vel aliquo modo calcandus.* Inimicus te opprobriis, & iniuriis affecit; in lachrymas prorumpe, non ob iniuriam tibi illatam, ſed ob iniuriantis miſeram conditionem; & ex illius tam miſera ſorte te obligatum, ac pigneratum agnoſce, vt pro ipſo Deum exores;frater enim tuus eſt. Qui enim iniuriam infert, iam veluti extremo morbo laborat; ac proinde orationis ope ei ſubueniendum eſt. *Vulnere mortali Dæmon illi plagam inflixit: idcirco neque per te rurſum exulcerandus.* Vide ſuprà *num.*44.

*Miſera iniuriantis cõditio te impellat, ad orandum pro illo.*

75. Valerian.

Tertiò D.Valerianus homil.13.de bono pacis, *Sine dubio*, ait, *hîc Dominus conſcientiam ficti cordis admonuit; ſciebat enim, dilectionem verbis compoſitam, ac licèt largam, erogationis expenſam fieri frequenter ingratam. Ita ergo te oſtendis non inuitum illam vindicem tui eleemoſynam feciſſe, ſi inimici tui plagas cœleſti medico ſupplici oratione commendes, & profuſis lachrymis auxilium ſalutis implores.* Videbat Dominus,quòd ſæpe inter homines amicitia,ac dilectio in quadam eſt ſuperficiali apparentia, non verò in intimo corde reſidens. Ne quis cogitaret, quòd ſimilem dilectionem,frequenter inter homines vſitatam, ipſe docebat, addit: *Orate pro calumniantibus vos*; eam enim dilectionem ipſe commendabat, quæ non ſolùm externis verbis, verùm etiam intimo corde,& animo eſſet compoſita, atque ornata; ita vt toto interno affectu pro ipſis calum-

niantibus

*Deus verus in nobis vult inimicorum amicitiam.*



*Vulnera illi detegẽda,qui valet dare remedium.*

niantibus à Deo bonum deprecaretur. Expende etiam ea verba S. Patris: *Inimici tui plagas cæleſti medico.* Qui remedium præſentium malorum, ac calumniarum deſiderat, vlcera, ac plagas oſtendit Medico, qui medicamen valet adhibere, alteri verò dicet, qui nullum leuamen poteſt præſtare: ſæpe detractiones, ac murmurationes ſunt. Vide *cap.1.num.*55.

76. Gregor.

Quartò D.Gregorius lib.35.Moral.cap.7. *Pro ſemetipſo*, ait, *pœnitens tanto citiùs exaudiri meruit, quanto deuotè pro aliis interceſſit; plus enim valere preces ſuas efficit, qui has & aliis impendit: libentius quippe ſacrificium orationis accipitur, quod in conſpectu miſericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quiſque cumulat, ſi hoc etiam pro aduerſariis impendat. Hinc Veritas dicit: Orate pro perſequentibus vos.* Quod totum breuiter, & eleganter ex ipſo Gregorio refert Cardinalis Hugo. (Hugo.) *Ille ſuas preces multum inualeſcere facit, qui eas pro inimicis effundit.* Valde præpotens, & efficax eſt oratio, quæ pro inimicis offertur; & tunc nobis etiam faciliùs impetramus, cùm oratio noſtra eſt inimicorum dilectione permixta, velociſſimè enim ad cælum volitat oratio pro inimicis effuſa.

*Qui pro inimicis orat, velociter impetrat.*

77. Exod.8.

Cùm tota Ægyptus ranarum plaga premeretur, ait Pharao ad Moyſem, vt pro ipſo, ac populo ſuo orent.Dixitque Moyſes ad Pharaonem: *Conſtitue mihi tempus, quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis*, Exod. 8. num.9. Sed quomodo, Moyſes, barbaro Regi dicis,vt ipſe aſſignet tempus, ac determinet horam? Fieri enim poterat, vt Moyſes orationem ſuam diffunderet, & Deus poſtulata non concederet, vt aliquando fit; & ideo in oratione maximè eſt inſtandum,& perſeuerandum,vt ex illis verbis Domini Luc.11. n.8. (Luc.11. Auguſt. Bonauent.) *Si perſeuerauerit pulſans, propter improbitatem dabit illi*, colligunt Auguſtinus *ſerm.29.de verbis Domini,& ſerm.171. de tempore.* D.Bonauentura *ibi.* & alij. Quomodo ergo tam confidenter ait Moyſes Pharaoni, vt ipſe præſcribat articulum temporis ad orationem? Oleaſter. (Oleaſter.) *Docemur,quàm feruida ſit oratio noſtra pro inimicis.* Oratio illa pro Pharaone, ac ſeruis eius, fiebat pro infeſtiſſimis hoſtibus; & licèt aliquando oratio ſtatim petita ſua non obtineat; tamen certiſſimus erat Moyſes, quòd oratio pro inimicis abſque vlla dilatione totum, quod optabat, velociſſimè erat impetratura.

*Oratio pro inimicis citò exauditur.*

78.

Tam efficax, & præpotens eſt oratio pro inimicis ad impetrandum tam ea, quæ aliis proficiunt, quàm ea, quæ tibi maximè grata,iucunda, ac vtilia ſunt. Degit per multos annos parens meus Elias in Orbe, transfert ſe ad torrentem Carith, & inde ad viduam Sarepthanam. Et tamen nullam hucuſque reuelationem circa Chriſti Domini humanitatem legimus ei communicatam è cælo. Accedit tandem ad montem Carmeli; poſt peractum ſacrificium orans. *Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*, 3.Reg.18.n.44. (3.Reg.18.) In qua Chriſti Domini humanitatem, ei fuiſſe repræſentatam, docent D.Auguſtinus *ſerm.201.de tempore.* S.Eucherius *4.Reg.ibidem.* S.Thomas *in cap.29. Iſaiæ.* Ioannes Hieroſolymitanus *de Inſtitut. Monach. cap.*32. (Auguſt. Euthym. S.Thom. Ioan.Hier.) Vehementiſſimo Elias æſtuabat affectu videndi Chriſti Domini humanitatem. Cur vſque modò viſio tam grata, & periucunda ei non conceditur, ſed in hac occaſione illa fruitur? Erat Elias orans, vt ait Cardinalis Nicolaus Cuſanus lib.2. Excitationum, (Cuſanus.) *pro perfidis Iſraëliticis, pro crudelibus inimicis ſuis*, qui,eum necare, ac interimere, auidiſſimè deſiderabant: & vbi preces effunduntur pro hoſtibus, non ſolùm ipſis impetrant aquarum effuſionem, ſed etiam Elias tantum ſibi promeruit,vt iam dignus ſit habitus,qui videat Chriſti humanitatem in vmbra, & figura, vt eam valeat venerari, & reuereri, quod ei valde magnum, gratumque erat.

*Qui pro inimicis exorat, magna ſibi impetrat.*

## Qvæstio XI.

### *Quare Dominus præcipiat, inimicos diligere, odientibus benefacere, & pro calumniantibus orare,quàm potiùs è contrà?*

NON ſunt hæc inter ſe mutuò ſeparanda, quaſi non ſit benefaciendum, ac exorandum pro inimicis; & quaſi nos odio habentes, ac calumniantes, non ſint diligendi: hæc enim omnia, nobis incumbit, præſtare, tam inimico, quàm odienti, ac calumniatori,quando opus eſt. Et ita ait Paulus Rom.12. num. 20. *Si inimicus tuus eſurierit, ciba illum.* Quia tamen Dominus hîc hæc tria diuiſit, dum ait: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis,qui oderunt vos; orate pro calumniantibus, & perſequentibus, ideo hîc hæc ſunt indaganda. Pro quorum explicatione videnda ſunt, quæ dixi *quæſt.*3. 79.

(Rom.12.) *Difficultas.*

Primò hanc difficultatem explicant Tolet. *in cap.6. Luc. annot.*43. Lorinus *in Pſalm.*54.*n.*13. & *Pſalm.*105.*num.*41. Inimici ſunt illi, qui exteriùs odium profitentur, & non acceptant beneficia, & multoties magna cum ira, & contumelia, quando neceſſitas non vrget, reiiciunt, & contemnunt: imò ſi neceſſitate opprimuntur, ægrè ferunt, ſe in eum ſtatum eſſe deiectos, vt inimici beneficiis indigeant. Propterea Dominus mandat, diligere inimicos; quia hanc dilectionem inimici impedire non poſſunt, nec à ſe abiicere. Qui autem nos odio habent,cùm interiùs ſuum malum affectum teneant, vt explicaui citata *quæſt.*3. facilè acceptant beneficia, & eo magis,vt ſuum odium occultent,& diſſimulent;ideo eis benefaciendum dicitur; ſicut & pro calumniantibus orare: nam hi etiam multoties dona noſtra abiiciunt: & ſi aliquando munuſculum aliquod eis offerimus, reiiciunt, & inde ſæpe illudendi, ac detrahendi occaſionem ſumunt: & ita inimicis benefaciendum,vt eis iræ non detur occaſio. 80.

Tolet. Lorin.

*Solutio auctorum ad quæſtionem.*

*Proximo non eſt danda occaſio iræ.*

Secundò reſpondeo ad quæſtionem.Hanc admirabilem Dominus diſpoſitionem facit, qua vult, vt ſui diſcipuli non minus in virtutibus creſcant,quàm improbi in ſuis vitiis; ac proinde iniuriarum augmenta, noſtrarum virtutum incrementa ſequantur; & tantum abſit à nobis iræ ſpiritus, & odij, vt quo magis in nos executa fuerit aduerſariorum malitia, eo inde magis nobis detur occaſio, vt charitas noſtra dilatetur, creſcat, & augeatur. Inimicus, cùm ſit ille, qui exteriùs inimicitiam profitetur, diligatur: at nos odio habens, qui crudelior reputatur inimicus,vt 81.

*Si vitium in improbis creſcit, virtus & augeatur in iuſtis.*

dixi citata *quæſt*.3. cùm odij venenum ſimulatè in corde retineat, non ſolùm diligendus, ſed etiam eſt beneficio afficiendus, quod eſt *multo maius additamentum*, vt ait Chryſoſtomus *homil*. 18.*in Matth*. Nam Dominus hîc loquitur de beneficentia, quæ procedit ex vera dilectione; & ſic ipſam includit,& aliquid addit, vt notat Toletus *annot*.40. At verò calumniator, qui inter inimicos omnes grauiſſimus eſt aduerſarius, ſiquidem omnia opprobria, & malum etiam culpæ in nos coniicit, ſummum charitatis opus erga eum habeamus, vt pro ipſo ad Deum preces, & orationes effundamus. Vnde D. Baſilius *Orat*.9. quæ eſt de ira, ſic ait: *Quale enim ſpectaculum, quam graue,& admirandum,ac ſanè non nihil etiam ipſam humanam naturam exuperans, hominem multis conuitiis iactatum, & qui etiam vulnus in facie accepit, quique alia ſexcenta perpeſſus eſt, quæ & verbis, & re ipſa ad extremam infamiam tendunt, non ira incendi, nec vltionem parare, ſed manſuetum pro eo, qui ſibi iniuriam intulit, preces adhibere.*

Chryſoſt.
Tolet.
Baſil.

82. In perſona Chriſti ait Pſalmographus, vt explicant D.Auguſtinus,D.Baſilius,S.Hieronymus, Theodoretus,Incognitus,& alij. *Pro eo,vt me diligerent, detrahebant mihi. Ego autem orabam*, Pſalm. 108. num. 4. Cùm meus Ieſus in Cruce penderet, inimici calumniabantur, & detrahebant: *Prætereuntes blaſphemabant eum*, Matth. 27. num. 39. Ipſe autem pro eis orabat ad Patrem. Auguſtinus ad locum Pſalmi: *Ipſe dicebat, Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt, quoniam in profundo malignitatis reddebant ipſi mala pro bonis, ille in ſummo benignitatis reddebat bona pro malis.*

Auguſt. Baſil. Hieron. Theodor. Incognit. Pſalm.108 Matth.27. Auguſt.

83. Valde glorioſa eſt,& præexcelſa dilectionis,ac benignitatis excellentia, vt quanto magis aduerſariorum malitia creſcit, tanto magis donis, ac beneficiis charitas explicetur. Ait Regius Vates Pſalm. 80. num. 16. *Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula. Cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle ſaturauit eos.* Sermo eſt ad litteram de populo Iſraëlitico itinerante per deſertum, vt eſt vulgaris expoſitio D.Baſilij,Auguſtini, Theodoreti, Incogniti; Lyrani,Euthymij,Hugonis,Genebrardi, & aliorum. Dicuntur autem Iudæi inimici Domini,ſeu,vt ex Hebræo legit D.Hieronymus,*odientes eum*; quia, dum receſſerunt à lege Domini,facti ſunt inimici eius. Et dicuntur mentiti, quæ multoties non ſteterunt promiſſis de ſeruandis eius præceptis; ſed potiùs ſæpe contra Deum locuti ſunt. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Malè de Deo locuti ſunt*, Pſalm.77. n.19. Hos tamen, cùm Dominus traduceret per deſertum, cibauit, & aluit cæleſti manna miſſo de cælo, quod tantis encomiis extollitur in Scriptura, & dulciſſimam aquam de duro ſaxo ſcaturire fecit. Et tamen Chriſtus Dominus amicis ſuis, eum per deſertum ſequentibus,panes hordeaceos,& paucos piſciculos præbuit, *Ioan.6.num.9*. Cur, Domine, inimici tui, & qui oderunt te, ac malè de te locuti ſunt, ſuauiſſimo Angelorum pane ſaturantur; amici verò pane humili,ac hordeaceo? Voluit Dominus hanc glorioſam benignitatem, ac beneficentiam in inimicos ſuos exhibere,vt ſi in tantum excreuit eorum malitia,vt eſſent inimici, & mentientes, ac odientes eum, & eius calumniatores, in tantum ſe diuina charitas explicaret, vt eos cæleſti aleret cibo, vt ita diuina bonitas maximè exaltaretur, & impœnitens cor eorum cunctis fieret manifeſtum, ſiquidem tot, tantiſque non valuit beneficiis emolliri. Palatius in cap.5. Matth. *Hanc gloriam ſibi comparat diuina dilectio, quòd eos exaltat altiùs, qui lapſi erant fœdiùs. Fortiſſima eſt Dei noſtri dilectio, attingens à fine vſque ad finem. Quàm eleganter hoc dictum eſt in Pſalmo: Inimici Domini mentiti ſunt ei, cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos: cùm tamen amicis dederit panes hordeaceos,& pauculos piſculos.*

Pſalm.80.
Baſil. Auguſt. Theodor. Incogn. Lyran. Euthym. Hugo. Genebrard. Hieron. Pſalm.77.
*Glorioſum, & excelſum valde,inimico, ac odienti magnū præſtare beneficium.*
Palatius.

## Qvæstio XII.

### *Si inimici ſunt diligendi,eſtque eis benefaciendum, quomodo ſæpe in ipſos Sancti malum imprecabantur?*

84. Qvanvis præceptum Domini ſit, quòd inimici ſunt diligendi,& eis benefaciendum,non tamen inde eſt prohibitum, vt notant D.Auguſtinus *Epiſtol*.48. Chryſoſtomus *homil*.47.*in Matth*. alteri malum inferre, ſeu aliquod malum optare iuſtitiæ zelo, propter bonum commune, vel ad vtilitatem ipſius delinquentis, vel ad correctionem, & emendationem aliorum, vt faciunt iudices, reos punientes. Sicut enim Medicus membrum ſcindit, non quia in odio habeat infirmum,ſed quia ipſum diligit,tamen illud exequitur ad ſanitatem totius corporis; ſic & aliquando licet, aliquod malum temporale optare propter bonum ſpirituale animæ, vel propter conſeruationem totius corporis reipublicæ zelo iuſtitiæ. Et in hoc ſenſu dixit Paulus maledictionem Senatus præſidenti: *Percutiet te Deus, paries dealbate*, Actor. 23. num.3.& 2. Timoth.4.num.14. contra Alexandrum Ærarium: *Reddat illi Dominus ſecundùm opera eius*. Et Elias 4.*Reg*.1.*num*.10. quando contra quinquagenarios protulit? *Deſcendat ignis de cælo, & deuoret te.* Omnes hæ maledictiones erant plenæ iuſtitiæ zelo.

Auguſt. Chryſoſt. *Zelo iuſtitiæ, ac propter bonum commune poteſt alicui malum imprecari.*
Actor.23. 2.Tim.4. 4.Reg.1.

85. Vnde rectè infert D. Auguſtinus *lib*.1. *de doctrina Chriſtiana,cap*.25. licitum eſſe, deſiderare, quoſdam iniquos è medio auferri, ne multis aliis noceant, quia, vt rectè ait S.Pater, non eſt, eos odio habere, ſed plus diligere bonum commune, quàm priuatum, quod ipſa oratio naturalis faciendum docet, totum parti præferendum eſſe. Conſtat ergo, vt bene docet D. Gregorius *lib*.4. *moral.cap*.6. quòd illud maledicere, ac malum optare, eſt prohibitum, quod non ex zelo iuſtitiæ, aut boni communis, ſed ex vindictæ liuore, aut odio,ſeu iræ procedit.

Auguſt. *Licèt aliquando optare, vt iniqui è medio auferantur.*
Gregor.

86. Tria contra hanc doctrinam obiicit D. Auguſtinus *lib*.1. *de ſerm. Domin. in monte cap*. 22. & *ſerm*.59. *de tempore*. quæ omnia claritatis gratia breuiter pono, & reſoluo. Primò. Quia in Scriptura ſæpe fiunt multæ imprecationes contra iniquos, vt Pſalm. 66. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum*; & multa alia, quæ *ibi*, aliiſque locis dicuntur. Reſpondet S. Pater, quòd ſunt dicta ſpiritu prophetico, quo prænuntiantur ea, quæ euentura erant. Quæ ſolutio eſt vera, & ita multoties ſimilia ſunt prolatata in Scriptura. Et etiam

Auguſt.
Pſalm.66. *Propheta ſuo ſpiritu multa mala futura prænuntiabant.*



etiam Sancti illa dicebant per modum correctionis, & reprehenſionis illorum, qui arguebantur; inque aliorum vtilitatem, qui talia audiebant, vt ipſi vel emendentur, vel à ſimilibus caueant.

87. Secundò obiicit D. Auguſtinus illud Ioan. 1. cap.5.num. 16. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico,vt roget quis.* Ergo quando calumniatores committunt peccatum ad mortem, non eſt orandum pro illis. Supra hunc locum multa congerunt Recentiores, vt videre eſt apud Benedictum Iuſtinianum, Cornelium à Lapide,& alios. Quod ad noſtrum intentum pertinet,conſiderato textu Ioannis facilis eſt ſolutio. Ait Ioannes: *Qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum, ad mortem, non pro illo, dico,vt roget quis.* Non prohibet Ioannes, orare pro peccante peccatum ad mortem; ſed tantùm ait: *Non dico,vt roget quis*; nam antea dixit, pro peccante non ad mortem orandum eſſe cum fiducia,quaſi nos certos faciens de impetranda vita pro eo: at verò de peccante ad mortem non ſic dico, vt rogetis, quia impetrationem non promitto, nec de ea vos certos facio; non tamen prohibet pro tali orare.

Auguſt. 1.Ioan.5.
Iuſtinian. Cornel.
*Legitimus ſenſus.*

88. Tertiò obiicit Auguſtinus illud *Apocal*. 6. *num*.10. vbi ſancti Martyres clamant ad Dominum: *Vindica ſanguinem noſtrum.* Ergo videntur contra ſuos perſecutores orare. Reſpondet D.Auguſtinus *citatis locis*, quòd ſancti Martyres non petebant vindictam contra homines, ſed contra regnum peccati, quod exorabant, euerti, & deſtrui; nam ab huiuſmodi regno peccati, & idololatriæ in Eccleſia multæ factæ ſunt perſecutiones, hæc ergo mala volebant auferri. Aliter explicat Chryſoſtomus *in Pſalm*.9 quòd vindicta, quam ſancti Martyres petebant, nihil aliud eſt, quàm tyrannorum confuſio. Petebant ergo, vt Deus miracula faceret, & ita potentia Chriſti manifeſtaretur, vt eius inimici confunderentur. Et hanc aduerſariorum Chriſti confuſionem,vindictam ſui ſanguinis dicunt,quia non tam paſſionem, ac mortem ſuam, quam, quæ in Chriſtum iactabantur, blaſphemias ſentiebant, iuxta illud Pſalm.68. num.10. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Auguſt. Apoc.6.
Chryſoſt.
Pſalm.68.

## Qvæstio XIII.

### *Quid in hac doctrina tradat Chriſtus Dominus ex præcepto,quid ex conſilio?*

89. Tria dicit Chriſtus Dominus. Primò: *Diligite inimicos*. Secundò: *Benefacite*. Tertiò: *Orate*. Quid in vnoquoque ſit ex præcepto; quid ex conſilio, eſt inquirendum, ac breuiter explicandum; nam hoc exactè diſputare,pertinet ad materiam de charitate.

90. Ad primum. *Diligere* duo dicit: primum, non habere odium; ſecundum, habere poſitiuum dilectionis actum. Quantum ad primum, ex præcepto charitatis tenemur, non odiſſe inimicos. Hæc reſolutio eſt vera doctrina Catholica, vt patet ex *quæſt*. 1. Nam inimicus eſt proximus, odium autem proximi eſt intrinſecè malum, eſt enim odium rei bonæ, & per ſe amabilis. Loquimur hîc de inimico,non formaliter, qua iniquus, & peccator eſt; ſed quatenus eſt homo: nam culpa,& vitium poteſt haberi in odio.

*Inimicus nō eſt odio habendus.*

91. Secundò. Ex præcepto charitatis tenemur, actu poſitiuo amare peccatores, & inimicos. Patet ex verbis Chriſti: *Diligite inimicos veſtros*; quæ verba non ſolùm continent conſilium,ſed etiam præceptum. vt exponunt communiter Patres, D.Chryſoſtomus,D.Auguſtinus,D.Hieronymus, D. Paſchaſius, S.Valerius *homil*.12.& 13. *de bono pacis*, & alij. Et docent Concil. Carthagin. IV. *cap*.93. & Agathen. *cap*.22. Nam inimicus eſt proximus, & capax beatitudinis; ergo diligendus. Vide *quæſt*.1.

Chryſoſt. Auguſt. Hieron. Paſchaſ. Valerius. Conc.Carth. Conc. Agat.

92. Tertiò. Ex vi huius præcepti ſolùm tenemur, per ſe loquendo, præſtare communia, & generalia ſigna amoris erga inimicum, eo modò, & tempore, quo ad alios homines: nam ex genere ſuo mortale eſt peccatum, à communibus beneficiis, auxiliis, & orationibus, ac beneuolentiæ ſignis inimicum excludere; talis enim exceptio, odij eſt, & inimicitiæ ſignum, ac parit ſcandalum. Ita docent D.Thomas 2.2.*quæſt*.25.*art*.8.& 9. Syluester *verb. charitas. quæſt*.6. Nauarrus *cap*. 24.*num*.75. Suarius *diſp*. 5. *de charitat. ſect*.5. *num*.6. Dixi, *per ſe loquendo*, quia per accidens ob vitandum ſcandalum, vel ſignum odij, tenemur, aliquot peculiaria ſigna exhibere inimico. Verbi gratia. Per ſe non obligamur ad ſalutandum inimicum; quia hoc non tenemur præſtare erga alios; tamen per accidens ob vitandum ſcandalum aſtringimur ad ſalutandum,vt docent citati auctores, & Caietanus. Bagnez 2.2.*quæſt*. 25.*art*.9. Suarius *alleg... num*.8. Reginaldus *lib*. 17. *num*.124. Bonacina *de charitate diſp*.3. *quæſt*. 4.*punct*.3.*num*.3.

D.Thom. Nauarr. Sylueſter. Suarius.
Caietan. Bagnez. Suarius. Reginald. Bonacin.

93. Peculiaria verò dilectionis ſigna, vt eſt conuerſatio, vel rei alicuius donatio, conſilium eſt, non autem præceptum, ea inimico exhibere, niſi aut talium ſignorum priuatio ſpirituali inimici noceat ſaluti, aut aliquod graue inde temporale damnum reſultet; quia his ſtantibus, talia peculiaria ſigna exhibere, præceptum eſt, vt docet Toletus *in cap.6. Luc.annot*.38. & auctores ſuprà citati.

Tolet.

94. Ad ſecundum, & tertium, *Benefacere*, & *orare*, idem proportionaliter eſt dicendum, vt docent auctores citati. *Benefacere* enim duo dicit: primum,non malum facere, nec reddere malum pro malo; quod eſt de præcepto modo ſuperiori *quæſt*.1. explicato *in principio*. Secundò, *Benefacere* dicit facere bonum poſitiuè. Et tenemur ex præcepto, à communibus beneficiis, ſicut etiam à communibus orationibus non excludere inimicum, vt iam dixi *in hac quæſt*. Quantum verò ad particularia beneficia, ea conferre inimico, aut odium habenti, ſi extrema, aut graui neceſſitate laborat, ſeu aliqua ſcandali ratio interuenit, præceptum eſt. Extra hos caſus verò, conſilium; ſicut & peculiares orationes pro calumniatoribus facere.

*Quid ſit de præcepto. quantum ad benefaciendum, & orādum.*

*Matth.5.n.45.* Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt; qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.

VER

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Euthymius.* | Vt efficiamini filij patris veſtri,qui Solem ſuum oriri facit ſuper malos, & bonos. |
| *Simon Caſſianus lib.*10. *cap.*27. | Vt ſitis fili- Patris veſtri Altiſſimi, qui in cælis eſt; qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos;& pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, & benignus eſt ſuper gratos,& ingratos. |
| *Chromantius.* | Solem ſuum oriri iubet. |
| *Vatablus.* | Quia Solem ſuum exoriri ſinit. |
| *Arias.* | Solem ſuum producit. |
| *Syriacus.* | Quia facit oriri Solē ſuū ſuper probos,& improbos;& facit deſcendere pluuiam ſuam ſuper æquos,& iniquos. |

## *EXPOSITIO.*

95. *Eximius honor nobis proponitur.*

INVITAT nos Dominus ad inimicorum dilectionem, magno honore,eximiáqúe dignitate propoſita,quæ nobis ex Dei filiatione reſultat.Ac proinde ſi honores appetimus, inimicorum dilectionem amplectamur, vt eximiam hanc obtineamus dignitatem. *Vt ſitis filij Patris veſtri.* id eſt, vt vos, tanquam boni filij parentem veſtrum imitantes, ipſumque operibus referentes, vos declaretis,ac re ipſa exhibeatis, vt filij veſtri cæleſtis Parentis. Et ita non eſt tautologia, vt dicam *quæſt. ſequenti.* *Qui in cælis eſt.* Quia ita natiuitas de cælo eſt,non terrena.

96. Græcus. Proſper.

*Qui facit*; ſeu, vt habet Græcus, *quia facit.* Et oſtendit Dei benignitatem,ac miſericordiam, quæ nunquam deficit in alendis hominibus, vt notat D.Proſper *de vocatione Gentium lib.*2. *c.*10. Et non ſolùm non odit contemptores ſuos, ſed etiam multis donis, ac beneficiis afficit. *Qui Solem ſuum facit oriri, & pluit.* Hæc potius exempla ponit, vt latè diſſerit Abulenſis *quæſt.*351. quàm alia, verbi gratia, vocationem interiorem, cuſtodiam Angelorum, ac quotidianos cibos, quia præterquam quòd hæc beneficia de Sole, & pluuia ſint valde communia omnibus;ſunt etiam valde ſenſibilia, & nota, vt etiam à rudibus hominibus percipiantur; & nobis dantur abſque vllo labore noſtro; nam ſine vllo noſtro ſudore exoritur Sol, & cadit pluuia. Et eleganter notat D. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domin. in monte*; quod non ſolùm dixit *Solem*, ſed addit *ſuum*; ait S. Pater, *Solem ſuum*, id eſt, à ſe creatum; *vt hinc commoneamur, quanta liberalitate inimicis noſtris ex præcepto eius præſtare debeamus, quæ nos non creauimus, ſed ex munere eius accepimus.* Si ipſe, quæ ſua ſunt, non-ſolùm bonis, ſed etiam peccatoribus cum tanta liberalitate donat, quare,quæ nos non fecimus, nec creauimus,inimico dare renuemus.

Abulenſ. Auguſt.

*Beneficia liberaliter inimico præſtemus.*

97. *Qui Solem ſuum.* Dei benignitas non tantùm dat Solem, ſed & pluuiam; quia ſi Sol tantùm daretur, omnia exſiccata perirent; & ſi tantummodo pluuia caderet, omnia putreſcerent, ideo clemens pater cum rore,& aquæ humiditate mixtum dat Solis calorem. Hîc in ſenſu litterali loquitur Dominus de Sole, & pluuia materiali: in ſenſu verò ſpirituali, vt explicant S. Auguſtinus *citato loco.* D.Paſchaſius *lib.*3. *in Matth.* Rupertus, Theophylactus,S.Thomas, per *Solem* intelligitur diuinæ bonitatis affluentia; per *pluuiam* verò doctrina cæleſtis. *Super bonos, & malos; ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Pœnitentiæ locum dans hominibus etiam impiis benefacit.Vnde eleganter ait Simon Caſſianus lib. 10. cap. 27. *Pater Deus per patientiam, & impenſionem beneficiorum ad pœnitentiam peccatores quærens adducere, noſtros defectus ſuſtinens, noſque miſeratus expectans.*

Auguſt. Paſchaſ. Rupert. Theophyl. D.Thom.

*Deus per patientiã & beneficientiam nos ad ſe aduocat.* Caſſian.

## QVÆSTIO XIV.

### *Si iam per gratiam ſumus filij Dei Patris, quomodo dicitur, quòd, vt filij eius ſimus, inimicos diligamus?*

98. LOQVITVR hîc Chriſtus Dominus de hominibus, qui iam per gratiam, & adoptionem filij Dei ſunt, vt nos explicauimus, & explanant graues interpretes cum Cornelio à Lapide *hîc.* Quomódo ergo ait *hîc* Chriſtus Dominus: *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri?* Videtur ergo quædam tautologia, ſeu eiuſdem rei repetitio; nam ſi Deus eſt pater noſter, fruſtrà laboramus; vt dilectione inimicorum ſimus filij eius, qui iam noſter extiterat pater? Nunquid aliquis laborare poterit, vt patris ſui ſit filius? Nunquid pater eſſe poteſt ſine filio? Philoſophi apertè negant. Ergo quanuis inimicos non diligamus,cùm Deus ſit iam pater noſter,nos erimus filij eius.

Cornel.

*Difficultas quæſtionis.*

99. *Germanus ſenſus.*

Recentiorum communis ſolutio eſt, quòd Chriſtus mandat, filios iam per gratiam inimicos diligere, vt ſitis filij patris veſtri, hoc eſt, vt ipſa inimicorum dilectione per imitationem ad æternum Parentem vos declaretis, ac probetis filios veſtri patris. Sicut quando vidimus, aliquem parentum factis correſpondere,vſitato ſermone dicimus:Apertè hîc oſtenditur filius ſui patris.Rectè in hunc ſenſum præſentem ſententiam explicat D Paſchaſius *lib.*3. *in Matth.* hoc exemplo. *Vulgò dicitur: Fac vt ſis filius tui patris: non vtique naturâ, quod iam eſt; ſed imitatione, quod nondum eſt.* Per nullam aliam rem homo magis declaratur, ac probatur Dei filius, quàm per inimicorum dilectionem, ſiquidem Deo Patri, tam ſimilem per nullam aliam ſe exhibet. In cuius rei confirmationem noto, quòd non dixit Chriſtus: Vt ſitis filij Dei; ſed ait: *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Teſtes ſunt Philoſophi,quòd nulla eſt maior ſimilitudo, quàm ea,quæ datur inter patrem, & filium: & vt Chriſtus ſignificaret, quod homo, dum diligit inimicos, Deum maximè imitatur, eique ſimilis efficitur; ideo in ordine ad Patrem dicit ſimilitudinem, quia quantum charitatis

Paſchaſ.

*Per inimicorum dilectionem Deo maximè aſſimilamur.*

*Cur dixit, filij Patris, & non filij Dei.*



in ordine ad inimicos habet, tantum in ordine ad Patrem ſimilitudinis acquirit. D. Auguſtinus in Pſalm.99. *In quantum,* ait, *in te charitas creſcit, efficiens te, & reuocans te ad ſimilitudinem, pertendit vſque ad inimicos, vt ſis ei ſimilis: quantum accedis ad ſimilitudinem, tantum perficis in charitate.*

Auguſt.

100. Idem.

Secundò D.Auguſtinus *lib.*1. *de ſerm.Dom.in monte cap.*23. ſic explanat. *Itaque non ait, facite iſta, quia eſtis filij; ſed facite iſta, vt ſitis filij.* Homo per peccatum amiſit hanc excellentiam, & nomen diuinæ filiationis; ad inimicorum dilectionem Chriſtus nos vocat, vt noſtram deperditam dignitatem recuperemus. Quanuis enim in naturalibus non poſſit dari pater ſine filio; diuina tamen benignitas hoc miraculum fecit, vt homine filij Dei nomen amittente,Deus blandum, & affabile nomen, affectumque patris non amitteret. Hanc ponderationem eleganter hîc confirmat D. Paſchaſius cum filio Prodigo, qui, quanuis filium eius vocari,ſe indignum eſſe fateretur, tamen ait: *Ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui,* Luc.15. num.18. *Ac ſi dicat,* ait Paſchaſius: *Si ego peccaui, & non ſum dignus vocari filius, tu nunquam pater fore deſiiſti, neque viſcera paterni affectus nunquam prætermittis.* Et Chryſologus ſerm.2.de Prodigo. *Ego perdidi, quod erat filij; ille, quod patris eſt non amiſit.*

*Homo inimicum diligendo deperditũ recuperat honorem.*

Paſchaſ. Luc.15. Chryſolog.

101. *De ſua benignitate nos vocat.*

Ex quo duo pondera. Primò. Eximia Æterni Parentis miſericordiæ viſcera, quòd,quanuis homo per peccatum fiat eius inimicus, ab ipſoque recedat, ille tamen ſemper blandum patris habet affectum, vt ad ſe hominem inuitet, trahat, ac amplexibus teneat. Secundò ad rem noſtram, quòd ſi homo per peccatum,quæ erant filij, perdidit, inimicos diligat, vt filius Dei fiat, ac ſuum donum amiſſum ad ſuam iterum poſſeſſionem redeat; hac enim in inimicos charitate homo Dei filius maximè fit. Rectè D.Ambroſius *lib.* 1. *de officiis cap.* 48. explanans verba Apoſtoli, *Maledicimur, & benedicimus*; ait S.Doctor, *Ideo Paulus perſecutionem patiebatur, & ſuſtinebat, quia vincebat, & mitigabat humanum affectum propoſitæ mercedis gratia, vt filius Dei fieret, ſi dilexiſſet inimicum.* Nulla eſt enim ad filiationem Dei via tam aperta, quàm inimici dilectio.

*Inimicorum dilectio facit filium Dei.*

Ambroſ. 1.Cor.4.

102. Chryſoſt.

Tertiò D.Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 13. *Vt ſitis filij patris veſtri. In quo enim alio cognoſcetur, quia filij ſumus Dei, niſi fuerimus ſimiles Deo? filij enim carnales frequenter ſimilantur carnalibus parentibus in facie, aut in aliquo corporis ſigno; filij autem ſpirituales in ſanctitate. Et illi quidem, ſi ſimiles fuerint, laudem nullam merentur, & ſi diſſimiles, nullam vituperationem; quia non eſt in poteſtate hominis qualem accipiat qualitatem: filij autem Dei, ſi ſimiles fuerint, laudandi ſunt; ſi autem diſſimiles, nimis vituperandi, quia in poteſtate vniuſcuiuſque eſt menſura faciendæ iuſtitiæ.* Inimicorum dilectione nos declaramus æterni parentis filios multo maiori excellentia,ac nobilitate, quàm ea,qua filij carnales ſe à ſuis parentibus genitos manifeſtant: nam filij carnales aliquo corporis ſigno verificantur à ſuis parentibus nati, quod in eis nullius eſt meriti,cùm tale ſignum in eorum poteſtate non ſit; at inimicos diligendo, dum ipſum parentem imitamur, eique ſimiles efficimur, vt filij Dei nos exhibemus, quod noſtri meriti, ac voluntatis eſt opus.

*Magna excellentia inimicum diligendo fit homo filius Dei.*

103. Diligamus ergo inimicos, vt maximè verificemur, ac probemur filij Dei, & vt tantum imitemur parentem, ab eoque non degeneremus. Ita ait D.Paſchaſius citatus. *Vt ſitis filij patris veſtri: ac ſi dicat, facite opera, ne degeneres ſitis.* Cùm Samaritani Dominum cum diſcipulis ſuis hoſpitio recipere noluiſſent, Iacobus & Ioannes dicunt: *Domine, vis, vt ignis deſcendat de cælo, & eos conſummet.* Chriſtus autem conuerſus increpauit illos, dicens: *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis,* Luc.9.num.55. S.Antiochus Monachus *homil.* 71. ſic legit: *Neſcitis, cuius patris eſtis.* Sed cur Chriſtus ad reprimendam in hoſtiles Samaritanos ſuorum diſcipulorum iram, obiicit, quòd neſciunt, cuius patris ſint filij? Ac ſi dicat: ne degeneretis à parente veſtro, cuius filiorum eſt, non votum iræ, ſed ſpiritum dilectionis in inimicos exhibere. Vnde, dum contra hos Samaritanos ignem, & conſummationem exigitis, adhuc parentis veſtri non percipitis ſpiritum, qui benignitas eſt in hoſtes, atque clementia. S.Antiochus Monachus citatus. *Diſcipuli rogant ſic inclementes, igne cælitus miſſo conſumi: reſpondit Dominus, & vtique eos increpauit: Neſcitis, cuius patris eſtis? nimirum manſueti, clementis,ac benigni.*

Paſchaſ.

Luc.9. Antioch.

*Dilectio inimicorum nota, & ſignum filiorum Dei.*

Antioch.

104. Gen.50.

Mortuo Iacob, filij dicunt Ioſeph Gen. 50. num.16. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, vt obliuiſcaris ſcelerum fratrum tuorum.* Quibus Ioſeph reſpondit: *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Nolite timere, ego paſcam vos,* ibidem num.19. Valde notatu dignum,quòd fratres obiiciunt Ioſeph dilectiſſimum parentem: *Pater tuus præcepit nobis*; ipſe verò nulla parentis Iacobi facta mentione,ad alium parentem, nempe Deum, recurrit: *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Nunquid Ioſeph obliuiſcitur demortui parentis?Minimè,ſed illum maximè in ſuo amore tenebat. Cur ergo humanum parentem præterit, & ad Deum dirigit mentem? Eleganter Philo Iudæus *lib.de Ioſeph.* Sic eum introducit fratribus dicentem. *Cur autem geniti patris tantum meminiſtis? habemus alium ingenitum, immortalem, æternum, eum ego teſtem inuoco meæ conſcientiæ, quòd bona fide vobiſcum in gratiam rediui; nam ego Dei ſum, deponite metum, poſthac meliori conditione apud me futuri.* Agebatur negotium de dilectione,ac beneficentia in eos,à quibus hoſtili odio eſt perſecutus. Meritò ergo Ioſeph terreni parentis nomine, ad alium parentem, nempe Deum, conuertit ſermonem. *Cur geniti patris meminiſtis? habemus alium ingenitum.* Ac ſi dicat: Hoc, quod eſt, dilectionem in inimicos habere, in eoſque beneficia diffundere,non reſpicit in me terrenam generationem à Iacob; ſed aliam cæleſtem, & diuinam per gratiam adoptiuam à Deo, cuius propria filiationis nota, ac ſignum eſt, hanc in hoſtes habere charitatem, quia eius filij comprobantur, ac declarantur. Vide ſuprà *quæſt.*5.*n.*38. 39.& 40.

Philo.

*Dilectio inimicorum propria filiorum Dei.*

QVÆSTIO

## QVÆSTIO XV.

### *Si Pater cæleſtis in dilectione, inimicorum à nobis eſt imitandus, quomodo exoramus:* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?

105. GRAVIS hîc inſurgit difficultas. Dum Chriſtus Dominus nos inuitat ad inimicorum dilectionem, ait: *Vt ſitis filij patris veſtri*; hoc eſt, vt imitemur cæleſtem parentem, qui Solem ſuum facit exoriri ſuper bonos, & malos. Et ita ait D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domin. in monte cap. 23. *Cùm autem ad hoc nos vocat, ad ſimilitudinem ſuam nos vocat.* vt ſatis eſt explicatum ſuperiori quæſt. Tamen Chriſtus Dominus, nos ad Patrem orare docens, ait, vt dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, Matth. 6. num. 16. Hoc eſt, iuxta communem interpretationem, vt ibi dicam, vt Pater nobis remittat peccata noſtra, noſtriſque parcat delictis; ſicut nos inimicis noſtris, ac odio perſequentibus remittimus iniurias nobis illatas, ac opprobria inflicta. Ergo videtur ex Oratione Dominica, quòd in remittendis iniuriis noſtrorum inimicorum, quodammodo nos non imitamur Deum, ſed ipſe potiùs non aliquali modo imitatur, ſiquidem exoramus, vt dimittat, ſicut nos dimittimus.

August. — Matth. 6. — *Difficultas quæſtionis.*

106. Senſus litteralis apertus, ac manifeſtus eſt, quòd Deus, qui omnium eſt rerum exemplar, ac ſumma bonitas, à nobis eſt imitandus in remittendis iniuriis, ac in inimicis diligendis. Et ita *hîc* proponitur à Chriſto Domino. *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; ſuper iuſtos, & iniuſtos*, qui maximè commendat ſuam charitatem in nobis, quia reconciliauit nos ſibi, cùm adhuc inimici eſſemus. Tamen iubemur exorare, *vt dimittat nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; non enim ſignificat hæc oratio certam regulam, ac menſuram, quam Deus teneat in remittendis peccatis, ſed denotat quandam rationem motiuam, qua Deus moueatur ad dimittendum, vt explicant D. Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 73. D. Cyprianus *de Orat. Dom.* Chryſoſtomus, Euthymius, Beda, & alij ſuo loco citandi, quod *ibi* latiùs erit explicandum.

*Litteralis ſolutio.* — Auguſt. Cyprian. Chryſoſt. Euthym. Beda.

107. Tamen ad ſenſum moralem veniant verba D. Gregorij Nyſſeni Orat. 5. in Orationem Domin. *Ordo*, ait, *quodammodo inuertitur, vt audeamus, ſperare futurum, vt Deus noſtra facta imitetur.* Et Theophylactus in cap. 6. Matth. *Habet me Deus, vt exemplar, & quod facio alij, facit & mihi.* Deus, qui totius bonitatis eſt fons, in inimicorum dilectione, iniuriiſque condonandis à nobis eſt imitandus: *vt ſitis filij patris veſtri*; creatura tamen tantam adipiſcitur per inimicorum dilectionem excellentiam, ac ſublimitatem, vt Deus, qui omnium eſt rerum exemplar, eam quodammodo imitari videatur, vt ait Nyſſenus. Hac charitate in inimicos tanta relucent in creatura, tantum ſibi complacet diuina bonitas in ea, vt dicatur à Theophylacto: *Habet me Deus, vt Exemplar*; nam ex mea in inimicos dilectione, qua iniurias, mihi, illatas, remitto, ipſe ad mea remittenda peccata ſumit motiua. Si enim homo, cùm ſit finitus, hanc in alios homines indulgentiam habet, quanto magis hanc Deus ipſe præſtabit, cùm ſit infinitus, cuius bonitatis immenſus eſt theſaurus.

Nyſſen. — Theophyl. — *Inimicorum dilectio ad miram excellentiam creaturas extollit.* — Theoph.

108. Ait Moyſes Deuteron. 18. num. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* quem locum de Chriſto Domino explicat D. Petrus *Actor. 3. num. 22.* Prophetam ſuſcitabit, tanquam me. Seu, vt explicant ibi Chryſoſtomus, Caietanus, Lorinus, *Mei ſimilem.* Quomodo ait Moyſes, quòd Chriſtus veniens in mundum erit Propheta, quem Deus ſuſcitabit tanquam me, ſeu mei ſimilem? Potiùs videbatur dicturus, quòd Chriſtus erit Propheta, ad cuius ſimilitudinem, ac imitationem ipſe venit, nam Chriſtus Dominus eſt omnium exemplar. Ergo quomodo ait Moyſes, Chriſtum futurum eſſe, tanquam me, ſeu mei ſimilem? Immo, vt notat Euſebius *lib. 3. de demonſtratione, cap. 2.* nullum alium Prophetam inuenimus de ſe hanc per reſpectum ad Chriſtum Dominum ſimilitudinem dixiſſe, niſi Solus Moyſes. Quare ergo, diuino Spiritu afflante, rem de ſe Moyſes pronunciat tam mirabilem? Inter omnes Prophetas antiquos in ipſo inimicorum dilectio maximè reſplenduit, vt communiter colligunt Patres ex eius oratione pro populo peccante: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo*, Exod. 32. num. 32. vt iam ſuprà dixi. Et charitas in inimicos, ac odientes tantam ſublimitatem, excellentiamque præſtat, vt homo ille, in quo præ cæteris antiquis dilectio huiuſmodi enituit, ac irradiauit, promuerit, vt ipſemet filius Dei, in terram deſcendens, cùm omnium ſit rerum exemplar, dicatur, quòd ei ſimilis venerit, & pro Moyſe ipſo honorando, aliquali noſtro dicendi modo, quòd eum habeat in exemplar, vt loquitur Theophylactus: *Habet me Deus, vt exemplar.* Nam ſi homo pro inimicis rogare noſcit, quanto magis infinita Chriſti bonitas pro eis ſupplicabit.

Deuter. 18. — Chryſoſt. Caietan. Lorin. — Euſeb. — Exod. 32. — *Per inimicorum dilectionem extollitur creatura.*

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Chriſtus non ſolùm nominet Patrem, ſed addat:* Qui in cælis eſt?

109. DVM Chriſtus hîc nominat Patrem, ſtatim appoſuit, *qui in cælis eſt.* quod explanat D. Thomas per operis ſui maiorem relucentiam. Quod magis enucleat Hugo. Deus dicitur eſſe in cælo, quia ibi maximè relucet eius potentia, ſapientia, bonitas: potentia in magnitudine; ſapientia in pulchritudine; bonitas in motus vniformitate. Hoc Hugo. Gloſſa ait: In cælis, id eſt, in Electis, & Sanctis per gratiam.

D. Thom. Hugo. — Gloſſa.

110. Abulenſis tamen ita explanat, quòd Deus in multis locis in Scriptura dicitur eſſe in cælo, non quia proprius eius locus ſit cælum; nam cùm ſit ſpiritus, & immenſus, nullo capitur loco; tamen homines putant vulgariter, eſſe in cælo, quia ſimplices non poſſunt capere rationes ſuperiores, ſed lege corporum multa menſurantur: & ideo

Abulenſ.



ideo dicitur eſſe in cælo, quia ibi peculiariter manifeſtatur; & quia, vt ait D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* ſic denotatur, hæreditatem noſtram, quam ex hac filiatione à Deo Patre ſperamus, cæleſtem eſſe, & non terrenam. Et D. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte.* Dicitur Patrem eſſe in cælo, vt mens noſtra erigatur à terrenis ad cælum, ad cæleſtem Parentem.

Paſchaſ. — Auguſt.

111. Illa inter has rationes non eſt hîc prætereunda, quòd, dum Chriſtus hîc agit de eximia ſui cæleſtis Parentis in inimicos charitate *qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos*, ſuper amicos, & inimicos; de ipſo ait, *Qui eſt in cælis.* Multoties Chriſtus, Patrem nominans, non addit, *Qui eſt in cælis*; dum dicit regnum paratum, *Quibus paratum eſt à Patre meo*, Matth. 20. num. 23. Cùm electos ſuos ad Beatitudinem vocat: *Venite benedicti Patris mei*, Matth. 25. num. 34. Dum in horto exorat: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me fiat voluntas tua*, Matth. 26. num. 42. & ſæpe alibi. Cur ergo hîc potius, quàm aliis in locis exprimit, *Qui eſt in cælis*? Magno Sacramento hæc facta ſunt. Manifeſtabatur hîc in æterno Patre eximia charitas in peccatores, ac inimicos; & vbi tanta prodibat dilectio, neceſſarium fuit, vt ſedes, ac maieſtas oſtentaretur ampliſſima; ſupremus enim diuinæ celſitudinis thronus hac maximè bonitate oſtenditur, ac propalatur: & cùm tanta ſit inimicorum dilectio, primum ſemper, an præſtantiorem occupat locum.

Matth. 20. — Matth. 25. — Matth. 26. — *Dilectio inimicorũ præſtantiſſimum vendicat locum.*

112. Ait Paulus Rom. 8. num. 34. *Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Veniat hîc tamen examinandum, cur Paulus multis in locis de Chriſto mentionem faciens hoc in loco inſigniter commemorat, quòd ipſe ſit ad dexteram Dei, quod frequenter in aliis locis non facit? Cur ergo hîc eum dicit ſpecialiter ad dexteram Dei? Seſſio ad dexteram, communi hominum æſtimatione, potiorem, ac nobiliorem locum importat: agebat autem Apoſtolus hîc de eximia Chriſti erga amicos, & inimicos charitate, vt expendit D. Chryſoſtomus *homil. 18. in Matth.* & vbi tanta in ſuos inimicos charitas explicabatur, opus fuit, vt præſtantiſſimus, ac nobiliſſimus locus, quantum humanus poteſt capere intellectus, expreſſus, dictuſque eſſet. D. Chryſoſtomus citatus. *Quomodo dubitas, quemadmodum poſſibile ſit, iniurias donare conſeruis? non audiſti eum in patibulo dicentem: Pater, dimitte eis? non audiſti Paulum dicentem: Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, qui & reſurrexit, qui ſedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Rom. 8. — *Dilectio inimicorũ præſtantiſſimum dicit honorẽ.* — Chryſoſt.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quomodo dicatur, quòd Pater Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos?*

113. PRIMA huius rei litteralis ratio. Quia hæc verba Dei clementiam, & benignitatem maximè oſtendunt, nam Solem, & pluuiam omnibus communicat, ac neminem excludit ab eis, vtpote beneficia communia, vt dixi *in expoſitione.* Vnde meritò Tertullianus *lib. 2. aduerſ. Marc. cap. 17.* pungit hæreticum. *Etſi*, inquit, *hoc teſtimonium Chriſti in Creatorem, Marcion de Euangelio eradere auſus eſt: ſed ipſe mundus inſcriptus eſt, & ab omni conſcientia legitur.* Hæreticus, vt Dei negaret benignitatem, de Euangelio teſtimonium hoc fruſtrà expungit; mundus enim ipſe totus eſt liber inſcriptus, qui hanc Dei clementiam cunctis exponit, atque explanat.

*Bona communia nemini deneganda.* — Tertullian. — *Magnã Dei clementiam mundus teſtatur.*

114. Secundò D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte, cap.* adducens illa verba Malach. 4. n. 2. *Orietur vobis, timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ.* Et illa impiorum verba Sapient. 5. n. 6. *Iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol non eſt ortus nobis*; ait S. Auguſtinus: *Eſt in Scripturis noſtris Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. Iſte eſt Sol, de quo dicturi ſunt impij: ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol non ortus eſt nobis, quia cùm adorent Solem, quem facit oriri ſuper bonos, & malos, non eſt eis ortus Sol, qui ſolos illuminat bonos.* Ecce Sol iſte materialis, vt hîc ait Chriſtus Dominus, oritur ſuper bonos, & malos; & tamen verus iuſtitiæ Sol exortus dicitur timentibus nomen meum; & iniqui ipſi fatentur: *Iuſtitiæ lumen, & Sol eſt ortus nobis.* Si Sol iſte mundialis omnibus exoritur, & nullum reſpuit, cur etiam Sol iuſtitiæ non omnibus eſt exortus? Diuinus Sol, vt omnibus illuceſceret, omneſque illuminaret, apparuit; ſed impij ipſi, dum terrenis nimium indulgent, dum temporalibus toti ſe tradunt, ſpiritualibus veri Solis radiis ipſi ſe priuant, ne eius fruantur luce, & calore, neque eius diuinis participent influentiis, quæ bonis communicantur, cùm ad tantam ſe lucem diſponant: *Sol non eſt ortus nobis, quia cùm adorent Solem*, &c.

Malach. 4. — Sapient. 5. — Auguſt. — *Iniqui radiis diuini Solis ſua ſe malitia priuant.*

115. Tertiò D. Chryſoſtomus *in Imperfecto hom. 13.* ait: *Cautè poſuit, dicens: Super iuſtos, & iniuſtos, quia omnia bona Deus, non propter omnes homines, dat ſuper terram, ſed propte paucos Sanctos. Contentus eſt enim magis, vt peccatores contra meritum ſuum bonis Dei fruantur, quàm vt iuſti contra meritum ſuum à bonis eius fraudentur* Priùs dicitur, quòd Sol oriatur ſuper bonos, deinde ſuper malos; & quòd pluat ſuper iuſtos, deinde ſuper iniuſtos; quia Deus ſua propter bonos bona diffundit, & exinde in iniquos redundant; diuina enim benignitas potiùs vult vt iuſti donis recreati cumulentur, quàm quòd impij perimantur; & pro bonis à preſſuris eximendis non æſtimat, quòd etiam iniqui immunes ab omni clade euadant, ita ſuorum ſaluti conſulit.

Chryſoſt. — *Iniqui propter iuſtos afficiuntur bonis.*

116. Quartò Simon Caſſianus lib. 10. cap. 27. *Attende, ait, in omnibus diuinam largitatem, qui Solem luminoſum, totius mundi gaudium corporale, omnium oculorum lætitiam, etiam à peccatoribus non abſcondit, & pariter ad vtilitatem bonorum, ad malorum facit, vt non ſit nube tectus malis, lucidus bonis, quanquam in Ægypto, ad confundendam perfidiam Pharaonis, in tenebris ſtantibus Ægyptiis, Iſraëlis filiis lux fulgebat; non tamen hoc fecit hoſtiliter, ſed miſericorditer ſatagens, Pharaonem, & Ægyptios ad cognitionem veritatis inducere, & ad pœnitentiam prouocare.* Totus Deus benignitas eſt, & miſericordia, qui Solem ſuum ſuper bonos, & malos facit oriri: ſi tamen aliquando ipſum malis occultat, vt factum eſt cum Pharaone, & Ægyptiis, his enim ſtantibus in tenebris, filiis Iſraël Sol exoriebatur, hoc non erat hoſtiliter Ægyptio perſequendo, ſed vt benignus pater, filios verberabat, vt correctione ad ſalutem, ac veritatis cognitionem adduceret.

Caſſian. — *Deus punit ad emendationem noſtram.*

117. *Pſalm. 98.* *Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum,* Pſalm. 98. n. 8. Vbi agitur de Moyſe, & Aarone, qui ob ſuam dubitationem in educenda aqua de petra puniti ſunt à Domino, vt Terram promiſſionis non intrarent, *Incognit.* Nam Deus, vt *ibi* ait Incognitus, tanquam pius pater, & iuſtus, quos diligit, corrigit, & caſtigat. Sed illud eſt expendendum, quod ait: *Propitius fuiſti, & vlciſcens:* ſi vlciſcens, quomodo propitius? nam ſi Dominus parceret, tunc optimè erat dicendum: Propitius fuiſti; at puniens, quomodo cohæret? *Deus puniens propitius eſt.* Optimè ſanè. Propitius eſt Deus, dum parcit, propitius dum vlciſcitur ad correctionem noſtram. *Remig.* D. Remigius ibi, *Propitius fuiſti eis in hoc, quòd propitiandum erat eis vlciſcens in adinuentiones eorum, quia ſi aliquando peccabant, diſciplina tua correxit eos vt filios, vt poſſint videre inuentiones ſuas, quæ corrigendæ erant.*

118. Poſt peccatum primorum parentum venit Deus deambulans in Paradiſo, Adamum vocans. *Cùm audiſſet vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo,* Gen. 3. num. 7. *Geneſ. 3.* Cur hîc dicitur Dominus Deus, cùm tamen in creatione ſolùm nomen Dei ponatur: Creauit Deus cælum, & terram: Dixit Deus fiat lux: fiant duo luminaria magna: Vidit Deus, quòd eſſet bonum: *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam,* Gen. 1. num. 27. *Gen. 1.* In creatione Deus dicitur, quia ibi beneficentia reſpendebat; at hîc Dominus Deus, quia ſi, vt Dominus, ad puniendum veniebat, tamen, vt Deus, *Deus punit cum miſericordia.* ſua miſericordia accedebat, vt hominem emendaret, corrigeret, atque ad ſalutis viam adduceret. *Procop.* Procopius. *Pulchrè dictum, Deus hoc loco addidit Dominus, cùm tranſgreſſio hominis explicatur & in creatione ſolùm poſuit: Fecit Deus cælum; nam conſequens eſt, ſi quis naturam Domini diligentius exquirat; vt pœnis coërceat negligentes, & bona opera fugitantes, indigebant enim caſtigatione.*

*Matth. 5. n. 46.* Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne publicani hoc faciunt?

*Numer. 47.* Etſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nónne Ethnici hoc faciunt?

*VERSIONES.*

*Euthymius, Vatablus.* Si dilexeritis eos, qui vos diligunt, quod præmiũ habebitis? Nónne & publicani idem faciunt?

Et ſi complexi fueritis fratres veſtros tantùm, quid ſuper cæteros facitis? num & publicani ita faciunt.

*Syriacus n. 47.* Et ſi poſtulaueritis pacem fratrum veſtrorum tantummodo.

*Radix Græca.* Si ſalutaueritis oſculo, & amplexu.

*Arias.* Quid abundans facitis?

*Vatablus.* Quid eximium facitis?

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 32.* Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia; ſi quidem & peccatores hoc faciunt.

## *EXPOSITIO.*

119. *Explicantur tria.* SVPRA Dominus cohortatus eſt ſuos ad dilectionem inimicorum, magna propoſita excellentia, quam ex filiatione adoptiua æterni Parentis aſſequebantur. Nunc verò eos etiam inuitat ad charitatem, triplici etiam appoſita ratione. Prima, ex præmio: *Quam mercedem habebitis.* Secunda, ex magna præſtantia operis: *Quid amplius facitis.* Tertia, ex imitatione perfectionis cæleſtis Parentis.

120. *Paſchaſ. Caiet. Hugo.* *Quam mercedem,* ſeu præmium, *habebitis.* Ac ſi dicat, vt explicant D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Caietanus, Hugo, nullam; non quia, vt ait Paſchaſius, qui amicos diligit, non aliquam exinde habeat mercedem; profectò, quia dilectio, qua diligitur ab alio, quem diligit, merces dilectionis eſt. Sed negat Dominus, habere eam mercedem, quæ eſt propria filiorum adoptionis, & manet in vita æterna; quia dilectio, quæ eſt ob aliquam vtilitatem, vel naturalem affectum, opus eſt naturæ, & non gratiæ, de quo quæſt. ſequenti. Mercedem vitæ æternæ appellat hîc Lucas gratiam: *Quæ vobis eſt gratia?* Quia quanuis præmium cæleſtis Beatitudinis ſit corona iuſtitiæ, vt ait Apoſtolus; tamen radicaliter gratia eſt.

121. *D. Thom. Hugo. Publicani inde dicti.* *Nónne publicani.* Publicani, vt docent D. Thomas, Hugo, ita dicebantur à Publio Rege, qui primus eos ordinauit. Vel, vt aliis placet, à publico ſic dicti, quia publica vectigalia exigebant, & rigidè pauperes vexabant, & plura ab eis exquirebant, quàm ſoluere tenebantur. Et ideo apud Iudæos habebantur vt infames, ac iniqui. *Hoc faciunt.* Ad ſi dicat: Si ergo vos ad perfectionem voco, qualis vobis erit perfectio, ſi in dilectione publicanos non ſuperetis, qui valde imperfecti ſunt. Seu, vt explicat Caietanus, ſi *Caietan.* publicani, qui nullam expectant mercedem à cæleſti Parente, amicos diligunt; vos, qui de obtinenda mercede multam habetis conceptam ſpem, multo maiora, & præſtantiora præſtare debetis.

122. *Gloſſa. S. Thom.* *Etſi ſalutaueritis fratres.* Gloſſa. *Salutatio, ait, eſt quædam ſpecies orationis.* Vnde explicat D. Thomas: Si tantùm oraueritis pro his, qui aliqua affinitate, vel amicitia coniuncti ſunt vobis. Tamen communiter ſalutatio, tam apud Iudæos, quàm Græcos, & Romanos ſignificat quandam vrbanitatis, ac amicitiæ notam. *Radix Græca.* Et ita radix Græca habet, *In oſculo, & amplexu;* vt olim fiebat *1. Cor. 13.* 2. Corinth. 13. num. 12. *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* Textus proſequitur, *Fratres veſtros tantùm,* id eſt, conſanguineos, & cognatos, qui fratres Hebræo more dicuntur. *Quid amplius facitis;* ſeu, *Quid abundantius facitis?* vt habet Arias, *Arias.* quàm



*Syriac. Vatablus. Chryſoſt. Auguſt. Rabanus. Hugo.* quàm cæteri, cùm iuſtitia veſtra debeat abundare ſuper iuſtitiam Phariſæorum. Matth. hoc cap. n. 20. *Nónne Ethnici hoc faciunt.* Syriacus, Vatablus, & alij habent, *Publicani.* Sed noſtra vulgata cum Chryſoſtomo, Auguſtino, & aliis habet, *Ethnici,* quod eſt vox Græca, & ſignificat Latinè, *Gentes,* vt Rabanus, & Hugo notant. Ac ſi dicat: Vos, qui eſtis ſegregati in populum Dei, multo excellentiora debetis præſtare ſuper gentes, quæ à cultu Dei ſunt alienæ.

---

## QVÆSTIO XVIII.

### *Vtrùm amicorum dilectio ſit meritoria?*

123. *Triplex dilectionis gradus.* DILECTIO tripliciter poteſt conſiderari. Prima eſt dilectio naturalis, quæ habet pro ſuo motiuo aliquod bonum naturale; & hac amamus parentes, conſanguineos, amicos, & ſodales, & eos, à quibus aliquod bonum, ſeu commodum ſperamus. Secunda eſt dilectio moralis, quæ habet pro ſuo motiuo aliquod bonum honeſtum; & hac amantur prudentes, ſapientes, viri fortes, & ſtrenui, liberales, & ſimiles. Tertia eſt dilectio diuina, & charitatis, qua proximum diligimus propter Deum, cuius ſunt creaturæ, & ad cuius imaginem conditæ.

124. *Toler.* Prima dilectio non eſt mala; tamen, vt docet Toletus *in cap. 6. Luc. annot. 56.* non eſt virtus, nec iuſtitia ſecundùm ſe, ſed quidam vel naturalis, vel mercenarius, propter propriam vtilitatem affectus, quia ab iis, quos amat, diligitur, vel bonum *Abulenſ.* aliquod ſperat. Secunda, virtus eſt moralis; tamen ſecundùm ſe non eſt meritoria in ordine ad vitam æternam, vt probat Abulenſis *quæſt.* 355. Tertia verò eſt perfecta virtus, & meritoria, quæ tendit in Deum, ex cuius conſpectu omne meritum comparatur.

125. *Chryſoſt. Paſchaſ. Abulenſ.* Chriſtus Dominus autem, dum ait hoc loco, quòd qui diligit diligentes ſe, nullam habet mercede, vt rectè explicant D. Chryſoſtomus *homil. 13. in Imperfecto.* D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Abulenſis *citato loco,* & alij, loquitur de diligentibus primo dilectionis gradu; *De quibus diligentibus loquitur hîc Chriſtus.* quia tali modo publicani, ac peccatores diligunt ſuos amicos, ac alios ob naturalem affectum, vel ob ſuum commodum, & vtilitatem; & taliter diligentes, non habent mercedem aliquam in ordine ad vitam, de qua Chriſtus Dominus hîc loquitur: ſicut & qui diligunt ſecundo modo ob virtutes morales ſine charitate, licèt promereantur aliqua bona temporalia, *Auguſt. D. Thom. Suarius. Abulenſ.* vt cum D. Auguſtino docent D. Thomas 1. 2. *quæſt. 21. art. 4.* Suarius *tom. 3. de gratia, in præludio. n. 5.* Abulenſis *citatus;* non tamen mercedem vitæ æternæ merentur.

126. Huiuſmodi mercedem vitæ æternæ illi habent, qui amicum diligunt ex charitate propter Deum. Et qui ita digiligit amicum, diligit etiam inimicum; nam in vtroque relucet imago Dei. *Palatius.* Vnde colligit Palatius, quòd videatur aſſerere Dominus, quòd, *Sine amore inimicorum non eſt perfecta charitas.* qui non diligit inimicum, nullam in cælo ſit habiturus mercedem: quanuis enim miſericordiæ, humilitati, patientiæ ſit merces in cælo; non tamen ſine charitate, dicente Apoſtolo *1. Cor. 13.* 1. Corinth. 13. n. 3. *Si diſtribuero facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil ſum.*



*Matth. 5. n. 48.* Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

*VERSIONES.*

*Vatablus, Euthymius.* Eritis igitur vos perfecti, quemadmodum Pater veſter, qui eſt in cælis, perfectus eſt.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 36.* Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

## *EXPOSITIO.*

127. ESTOTE *ergo vos,* ſeu, vt habet Græcus futurum imperatiui, *Eritis.* Ex omnibus ergo dictis concluſionem facit Dominus in fine huius capitis. *Vos.* *Franc. Lucas* Hæc expreſſio magnam emphaſim habet, vt notat Franciſcus Lucas Vos, qui ex omnibus gentibus in Dei ſeruitium eſtis ſegregati; qui virtute & publicanos, & Ethnicos anteceditis. *In quo ſit imitanda perfectio.* *Perfecti,* dilectione, ac benignitate erga omnes: non illum, qui non vos diligit, nec alterum à veſtro amore excludatis, ac in odio habeatis, quia vos odio perſequitur; ſed eſtote perfecti omnes diligentes, *Euthym.* quia, vt explicat Euthymius, imperfectus amor ſolùm amat amantes ſe; perfectus verò omnes, etiam inimicos, amplectitur. *Sicut & Pater veſter.* Particula *ſicut* quandam ſimilitudinem ſignificat, non verò æqualitatem cum Patre cæleſti; nam hæc in pura creatura eſt impoſſibilis. Proponitur ergo cæleſtis Pater, non quia ad eius perfectionem peruenire poſſimus, ſed vt quantum fieri poteſt, ipſum imitemur, vt tanquam eius filij nos exhibeamus, vt explicabo *quæſt. ſequenti. Perfectus eſt,* ob ſuam infinitam bonitatem in omnes ſua dona diffundit. Et nota, quòd tunc perfectio Dei prædicatur, cùm dilectionem ſuam oſtendit, non ſolùm erga amicos, ſed etiam inimicos, omniumque miſeretur. Et ita D. Lucas poſuit: *Sicut Pater veſter miſericors eſt,* ſeu ex radice Hebraica: *Sicut beneficus eſt.* *Radix Hebraica.* nam benefacere inimico, miſericordia eſt.

---

## QVÆSTIO XIX.

### *Quomodo nobis commendetur, vt ſimus perfecti, ſicut Pater cæleſtis perfectus eſt?*

128. *Difficultas quæſtionis.* DEVS eſt perfectiſſimus omni perfectione ſimpliciter ſimplici; creatura verò finita, & limitata. Quomodo ergo nobis mandatur, *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt?* Communis eſt ſolutio, & certa, vt docent D. Athanaſius *ſerm. 4. contra Arrianos.* *Athanaſ. Ambroſ. Nyſſen. Cæſarius.* D. Ambroſius *lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 10.* D. Gregorius Nyſſenus, Cæſarius, infrà

Paſchaſ.

infrà citandi. D. Paſchaſius, & alij, quòd Dominus hîc nobis mandat, non ad perfectionis æquationem,ſed ad proportionem quandam, vt quantum in nobis eſt,ipſum imitemur, vt nunquam perfectione aliqua ſimus contenti, ſed ſemper maiorem, & maiorem inquiramus. Sic Chriſtus

Ioan.17.

orans ad Patrem ait: *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me*,Ioan. 17.num. 21. Et ait etiam Chri-

Ioan.13.

ſtus ſuis diſcipulis:*Mandatum nouum do vobis:vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*, Ioan. 13. num. 33.Nos illam ſubſtantialem vnionem,quæ eſt,inter Patrem, & Filium, adæquare non poſſumus; nec illum Chriſti Domini erga genus humanum, amorem perfectiſſimum: nobis tamen hæc proponuntur,vt illa omnibus viribus imitemur,& ne, dum aliquem vnionis, vel amoris gradum ſumus aſſecuti,quieſcamus, ſed ſemper excellentiorem affectemus, & nunquam prætermittamus ſequi maiora, & ad vlteriora ſemper tendamus. In quo ſtat perfectio noſtra.

*Semper ad maiorem perfectionẽ tendamus.*

129. Nyſſen.

D.Gregorius Nyſſenus *lib. de vita Moyſis*, ſic ait: *Ita enim ſe habere, vt ad vlteriora ſemper in virtute homo velit aſcendere,id ipſum forſan humanæ naturæ perfectio eſt*. Et D. Auguſtinus *lib. de verbis Apoſtoli ſerm.*ſic ait: *Semper tibi diſpliceat, quod es,ſi vis peruenire ad id,quod non es.Nam vbi tibi placuiſti,ibi remanſiſti:ſi autem dixeris, ſufficit, periiſti*. Vnde pulchrè ait D. Bernardus Epiſtol. 253.*Iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur:nolle proficere,deficere eſt*.

Auguſt. *Noſtra perfectio, ſemper maiora ſequi.*

Bernard.

130. Philip.3.

Quod totum confirmo præeleganti loco Pauli *ad Philip.3.num.*12.Ait Apoſtolus,quòd totus ſe dedit ad habendam iuſtitiam, quæ eſt ex fide Chriſti Ieſu, & ad cognoſcendam virtutem reſurrectionis eius, *non quaſi iam acceperim, aut iam perfectus ſim*, ſed quòd, quæ retro ſunt obliuiſcens,ad ea,quæ ſunt priora, extendens ſe, ad deſtinatum brauium ſupernæ vocationis proſequitur. Et concludit num. 15. *Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. Vbi in tam paucis verbis videtur Apoſtolus contraria dicere. Nam primò ſe imperfectum fatetur: *Non quaſi perfectus ſim*. Secundò inter perfectos ſe annumerans, perfectum ſe eſſe teſtatur. Quomodo hæc cohæreant, in varias ſententias fecit abire ſacros Patres, atque Doctores. Tamen optimè ſoluitur nodus, quòd Magiſter Gentium ob ſuam eximiam humilitatem ſe imperfectum iudicabat, & multas ſibi perfectiones deeſſe exiſtimabat, ad quas acquirendas illi eſſe incumbendum, ſibi perſuadebat, & ideo ſemper ſe extendebat ad priora, ac excellentiora, quæ ante mentis oculos erant,vt ait *ibi* Theophylactus, *exiſtimans, illa ſibi deeſſe ad perfectionem*. Et in hoc, quòd ſe imperfectum agnoſcebat ad excelſiora intendens aſcendere,in hoc perfectus erat. Ita ait: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus*; id eſt: qui perfectionem aſſequi conamur, hoc ſentiamus, nos perfectos non eſſe.D.Auguſtinus *lib.3.contra duas epiſtolas Pelagianorum*. Poſtquam vtraque Pauli verba refert, ſic ſubdit: *Tunc enim eſt ſecundùm hanc infirmitatem pro ſuo modulo perfecta iſta parua iuſtitia,quando etiam,quid ſibi deſit, intelligit, ideoque Apoſtolus & imperfectum, & perfectum ſe dicit: imperfectum,cogitando, quantum illi ad iuſtitiam deſit, cuius plenitudinem adhuc eſurit,& ſitit: perfectum autem, quod & ſuam imperfectionem confiteri non erubeſcit, & vt perueniat, bene procedit*. Idem ferè docent. D. Hieronymus

Theophyl. *Noſtra perfectio ſtat in eo, quòd in aliquo illius gradu contẽti non ſimus.*

Auguſt.

Hieron. Chryſoſt. Theophyl. D.Thom.

*lib.1.aduerſus Pelag.*D. Chryſoſtomus, Theophylactus,S.Thomas *ibi*.

131. Cæſarius.

Huius rei optimam rationem aſſignat Magnus Cæſarius *Dialogo* 3. Poſtquam præſentia Chriſti verba citat,*Eſtote perfecti*,&c.poſt pauca ait: *Capeſſamus igitur pro viribus, virtutem leuibus, ac crebris ad ipſam ſaltibus aſſilientes, etiamſi ad ſummam nequaquam pertingere poſſimus:nam in iis, quæ præ cæteris pulchra ſunt, ipſum totum licèt conſequi nequeant, vel partem aſſequi, lucrum haud vulgare eſt*. Idem ferè habet D. Gregorius Nyſſenus *citato lib.de vita Moyſis*. Exhortatur nos Dominus, vt ſimus perfecti, ſicut & cæleſtis Pater perfectus eſt; non quia illam ſupereminentem perfectionem apprehendere valeamus, hoc enim apertè eſt ſupra noſtram naturam; ſed vt illam incomparabilem benignitatem pro viribus, quantum fas eſt, imitemur: quia magni animi eſt, magna quærere, ad magna vocat Dominus ſuos athletas. Deinde eos docet, vt ſublimia adipiſci curent,quia etſi totum obtinere non valent,ſaltem aſſequantur partem, quod eſt magnum emolumentum.

Nyſſen.

*Magna intendere, eſt animi magni.*

132. *Perfectio ex præcepto pro ratione ſtatus.*

Quæres,An perfectio, hîc à Chriſto commendata,præcepti ſit,vel conſilij?Reſpondeo. Partim eſſe ex præcepto, partim ex conſilio. Primò huiuſmodi perfectio eſt præceptum. Quia quilibet Chriſtianus tenetur,in ſuo ſtatu perfectè obſeruare præcepta, & mandata, quæ ad ipſum pro tali ſtatu, & officio pertinent. In primis fidelis tenetur,perfectè obſeruare legem Dei, ac inimicos diligere. Religioſus obligatur ad regulam ſuam implendam.Clericus,quæ ſunt illius ſtatus. Principes,miniſtri, milites ad ea, quæ ad ipſos pertinent.Et ita quilibet in ſuo ſtatu, ac gradu debet perfectioni ſtudere, iuxta illud Domini ad Iſraël: *Perfectus eris abſque vlla macula coram Domino Deo tuo*,Deuteron. 18. num. 13. Et illud Pauli, *Fratres gaudete,perfecti eſtote*, 2.Corinth.13.n. 11. & ad ad Coloſſenſ. 1. num. 18. *Vt exhibeamus hominem perfectum in Chriſto Ieſu*. Et illud Iacob.1.num.4. *Vt ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes*.

Deuter.18. 2.Cor.13. Coloſſ.1. Iacob.1.

133. *Perfectio ex conſilio.* Matth.19.

Secundò hæc perfectio eſt conſilij,prout reſpicit,non obſeruationem præceptorum tantùm, ſed etiam conſiliorum, vt renuntiare bona propter Chriſtum,Matthæi 19.n. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade,vende,quæ habes,& da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo,& veni,ſequere me*.

---

## QVÆSTIO XX.

### *Quomodo cohæreant ſacri Euangeliſtæ, cùm Matthæus ſcribat perfectionem, Lucas verò miſericordiam dicat?*

134. *Difficultas quæſtionis.*

MATTHÆVS, ſcribens hunc altiſſimum Domini ſermonem, ait: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt*.Lucas verò ita refert: *Eſtote miſericordes*, &c. Quod videtur inter ſe diſcrepare, præcipuè, ſi eam tenes ſententiam, quæ aſſerit, eundem eſſe ſermonem ab vtroque Euangeliſta relatum: nos autem diximus, eſſe diuerſum,ſuprà *cap.*10.*quæſt.*1.& 2.Et ita in noſtra ſententia facilè ſe exhibet ſolutio.



ſolutio. In illa verò prima maior poteſt eſſe difficultas.

135.

Et tunc poteſt dici, quòd eadem ſit ſententia, tum ex radice Hebraica, tum ex ſenſu elicito ab vtroque Euangeliſta. Nam in primis ex radice Hebraica videtur, quòd idem ſit miſericordem, Sanctum,ac perfectum eſſe. *Pedes Sanctorum ſuorum ſeruabit*, 1.Reg.2.n.9. transfert Caietanus ex Hebræo: *Pedes miſericordium ſuorum cuſtodiet*. Vbi ait P.Franciſcus de Mendoça *in Commentar. n.*3.Quis non videt,miſericordes idem eſſe,atque intrinſecè Sanctos,& perfectos.

1.Reg.2. Caietan. Mendoça.

136.

Ex verbis etiam Euangeliſtarum idem ſenſus elicitur; vterque enim agebat de dilectione inimicorum;Matthæus dicit perfectum,Lucas miſericordem,ſeu,iuxta radicem Hebraicam, beneficum,vt obſeruat Franciſcus Lucas. Et optimè inter ſe cohærent. Nam in remittendis, ac condonandis iniuriis, & in beneficiis largiendis erga ingratos,ac inimicos,pro eiſque exorare, magna miſericordia viſitur, ibique etiam eximia perfectio apparet,dum præexcellens bonitas declaratur,quæ nullius iniuria tangitur, nullius ingratitudine,vel malitia reprimitur,ſed in omnes beneficia ſua diffundit. Et rectè ſacri Euangeliſtæ dicunt. *Sicut Pater perfectus eſt; ſicut miſericors eſt*; quia in hoc negotio dilectionis inimicorum Dei perfectio,ac miſericordia mirificè relucet: & vbi Dei miſericordia reſplendet, ibi eius perfectio ſingulariter manifeſtatur, ac eius infinita bonitas irradiat,qua omnibus ſua dona communicat, beneficia largitur, gratiam confert. Et qui hanc benignitatem imitatur, veluti quadam imagine cæleſtem imitatur Parentem. D.Dorotheus *doctrina* 12.Poſtquam adducit citata verba Lucæ,ait:*Non dixit, Ieiunate,vt Pater cæleſtis ieiunat; non dixit. Pauperes eſtote, vt Pater cæleſtis inops eſt; ſed quid ait? Eſtote miſericordes, ſicut Pater cæleſtis miſericors eſt. Propriè enim virtus iſta imitatur Deum ipſum,exprimit,& ſignificat*.

Franc.Lucas.

*Cùm Dei miſericordia oſtenditur. tunc eius perfectio declaratur.*

Dorothæus. *Per miſericordiam Deũ imitamur.*

137.

Quantam verò perfectionem, ac excellentiam iſta Dei miſericordia declarat, nobis peroptimè explanat Regius Vates *Pſalm.* 70. vbi Deum multum benignum, & miſericordem fatetur in remittendis iniuriis, in reconciliandis ſibi inimicis,ac peccatoribus;& multum de eius miſericordia confidit, ac multum auxilium, & protectionem de manu eius ſperat;& *verſ.*14.ait, *Ego autem ſemper ſperabo: & adiiciam ſuper omnem laudem tuam*.Sed quid eſt,quod dicit: Adiiciam ſuper omnem laudem tuam? Omnis laus, omnis gloria debita eſt; quas ergo additiones promittit?Quid eſt,quod dicit,ſe adiecturum? Quamuis omnis laus Deo ſit debita in omnibus operibus ſuis, quòd ſit iuſtus, quòd ſit rectus, quòd ſit omnipotens; tamen, cùm ad eius miſericordiam deuenitur, tanta ibi apparet, & viſitur excellentia, vt in iſtis laudibus ſuper omnem laudem ſit adiiciendum. Hîc Regius Vates, vt explicat Lorinus, vult pluries ipſum laudare, maiori conatu,ac diligentia ipſum extollere. D. Auguſtinus ibi. *Videamus quid adiiciat. Poſſet eſſe omnis laus tua, & nihil omnino deeſſe videretur, ad laudem tuam: quia & nihil deeſſet, ſi damnes omnes iniquos, non enim non eſſet magna laus Dei iuſtitia ipſa, qua iniqui damnantur: magna laus eſſet, Feciſti hominem. Peccauit. Tu ſi maſſam iſtam iniquitatis damnes, quiſnam tibi dicet: Iniuſtè feciſti? Eſſes planè etiam ſic iuſtus,& omnis eſſet iſta laus tua. Sed quia liberaſti & ipſum peccatorem, iuſtificando impium, adiiciam ſuper omnem laudem tuam*.

Pſalm.70.

*Dei miſericordia ſuper omnia opera laudanda.*

Lorin.

Auguſt.

# CAP. XV.

## *Oratio Dominica.*

*Matth.6.n.*1. Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

### *VERSIONES.*

*D.Auguſt.l.*2. *de ſerm.Dom. & D.Paſch. lib.*4. Cauete, ne iuſtitiam veſtram,*&c.*

*Syriacus.* Attendite autem in eleemoſyna veſtra, ne erogetis eam coram hominibus, vt ſpectemini ab eis: alioquin nulla vobis futura eſt merces.

*Vatablus, Pagninus.* Attendite, ne eleemoſynam veſtram præſtetis coram hominibus:alioquin præmium non habetis.

*Arabicus.* Attendite, ne miſericordiam veſtram.

### *EXPOSITIO.*

1.

PROSEQVITVR Dominus ſuum admirabilem ſermonem in monte. Et poſtquam ſuperiori capite perfecit, & adimpleuit legem, & docuit, multa eſſe comprehenſa in lege contra id,quod Scribæ, ac Phariſæi ſibi perſuadebant; & admonuit ſuos ad perfectionem Euangelicam,atque ad inimicorum dilectionem, tanquam ad ſummam omnium virtutum charitatem,vt ait Theophylactus: nunc docet, rectam intentionem in operibus habendam, vt Deo ſoli placere ſtudeant, vt ita mercedem habeant apud Patrem cæleſtem;& ideo hîc monet, vanam gloriam fugiendam.Et de tribus hîc agit, eleemoſyna,oratione, ac ieiunio; quia cùm hæc tria ferè maxima ſint virtutum opera, quæ in actionibus exterioribus cõſiſtunt, in eis poteſt facile morbus vanitatis irrepere,vt latiùs dicam *quæſt.ſequenti*.

2. Auguſt. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

*Attendite*. hoc eſt, magnam conſiderationem adhibete; ſeu, vt legit Auguſtinus,*Cauete*.Et, vt inquiunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, ait:Cauete à vana gloria, tanquam à crudeli,

*Vana gloria crudelis fera.* Chryſoſt. Theophyl. Arias. Vatabl. Pagnin. Auguſt. Hieron. Paſchaſ. Chryſolog. Gregor.

deli, & fera beſtia, quæ bona virtutum opera deuorat, & *ne iuſtitiam veſtram faciatis*, Codices Græci, Chryſoſtomus, Theophylactus, etiam Arias, Vatablus, Pagninus habent *Eleemoſynam*; Arabicus verò habet *miſericordiam*. Tamen cum noſtra vulgata omnes Latini, D. Auguſtinus, D. Hieronymus, D. Paſchaſius D. Chryſologus *ſerm.* 9. D. Gregorius *lib.* 8. *in Iob.* 30. habent *iuſtitiam*, quamuis ex radice Hebraica quolibet modo legi poſſit, *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, Pſalm. 111. numero 9. Poteſt tranferri, *Eleemoſyna eius*; & aliis locis. Et ita hîc etiam poſſet accipi, præcipuè cùm Saluator ſtatim de eleemoſyna ſermonem inſtituat, & etiam eleemoſyna quædam ſit iuſtitiæ ſpecies, vt habet Gloſſa. Tamen rectiùs legendum eſt cum Latinis *Iuſtitiam*, prout ſignificat, quod iuſtum, ac rectum eſt; quam Dominus hîc ponit in genere, & poſtea deſcendit ad peculiaria iuſtitiæ opera, eleemoſynam, orationem, & ieiunium.

Gloſſa. *Iuſtitia quid ſignificet hîc.*

3. Chryſoſt. *Coram hominibus, vt videamini ab eis.* Non prohibet Dominus, vt ait D. Chryſoſtomus *homil.* 13. *in Imperfecto*, vt bona opera videantur, quia ſicut lampas, ſeu lucerna non poteſt abſcondi; ſic nec iuſtitiæ opera celari, quin irradient. Nec prohibet, vt ait D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domin. in monte*, ita videri noſtra opera, vt Deus laudetur in eis; ſed prohibet fieri ea intentione, ac fine, vt videantur ab hominibus ad vanam gloriam expiſcandam. Atque ex his patet ſolutio ad illam difficultatem: Quomodo Dominus mandat hîc, vt noſtra opera ab hominibus non videantur, cùm ſuprà dixiſſet: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Hoc latè explicaui ſuprà *cap.* 11. *quæſt.* 21.

Auguſt.

4. *Alioquin mercedem non habebitis.* Id eſt, ſi aliter, ac vobis dico, ad captandos hominum applauſus facitis, opera veſtra, quæ hominibus placent, Deo diſplicent. Ad Galat. 1. n. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* In noſtra Vulgata, ac Syriaco: *Non habebitis mercedem*, in futuro. At Vatablus, Pagninus, Arias, de præſenti: *Non habetis.* Qui enim Deo ſeruit, ei iam de præſenti eſt merces aſſignata. Et non dixit, vt ait Caietanus, Damnabimini: quia oſtenſio vanæ gloriæ eſt ſæpe veniale peccatum; & propterea tunc homo non in æternam damnationem incurrit, ſed priuatur illius operis præmio. *Apud Patrem*, dicit, quia ſi in ipſum ſint opera relata, vt notat Albertus Magnus, ille paterno affectu recipiet, & remunerabit. *Qui in cælis eſt.* Denotat quale ſit præmium exhibitum ſola intentione propter Deum, nimirum cæleſte, & æternum; ſecus verò quod ad hominum plauſus infertur, terrenum, & temporale: *Qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum*, Aggæi 1. n. 6.

Galat 1. Arias. Pagnin. *Deus dat mercedem de præſenti.* Caietan. Albert. Mag. Aggæi 1.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Chriſtus Dominus hîc agat de fugienda inani gloria?*

5. Abulenſ. INQVIRIMVS in præſenti: Cur Dominus potius hoc loco, quàm in alio, agat de bona intentione operis, ac de fugienda inani gloria? Rectè reſpondit Primò Abulenſis *quæſt.* 2. quòd Dominus ſuperiori capite inſtruxerat homines, tam prælatos, quàm ſubditos, tradens eis propria documenta, tum circa legem, tum circa Euangelicam perfectionem. Ne ergo quis erraret circa intentionem, hîc eos inſtruit de ea: quia, cùm opus ſit quid morale, in opus malitia intentionis refunditur, ac adeò non ſufficit, opus ex genere ſuo bonum operari, niſi bona intentione fiat, cùm opus aliàs ex genere ſuo bonum malitia intentionis vitietur, vt docent Philoſophus 3. *Ethicor.* & Theologi cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 8. Vt ergo ſit meritorium, non in fines, ac applauſus humanos, ſed in Deum debet tota ſua intentione dirigi. Hoc pacto eſt explicandum id, quod dicitur, *coram hominibus*; nam poteſt fieri coram hominibus, non tamen vt videamini ab eis, ſed vt glorificent Patrem. Et tunc opus eſt meritorium. Et poteſt abſentibus hominibus fieri; ſi tamen propter deſiderium gloriæ fiat, mercedem ſuam perdet. Quod docet D. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 38. *Opus noſtrum, cùm hominibus oſtenditur, in cordis priùs examinatione penſandum eſt, per eiuſdem oſtenſionis ſtudium quid quæratur? Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica noſtra opera in conſpectu illius occulta ſeruamus. Si verò per hæc noſtram laudem concupiſcimus, foras ab eius conſpectu iam fuſa ſunt.* Et ita etiam docet *lib.* 19. *Moral. cap.* 18. quòd Sancti aliquando laudes ſuas dicunt, *vt non ipſi eiſdem operibus, ſed Pater eorum, qui in cælis eſt, debeat glorificari.*

*Bona intentio in opere requiritur.* Philoſoph. S. Thom. Gregor.

6. *Iuſtitia diſcipulorum abundet.* Secundò Cardinalis Hugo ait, quòd Dominus docuerat ſuprà fugere vitia Phariſæorum, & quòd iuſtitia Apoſtolorum ſuper iuſtitiam Phariſæorum abundare debebat *Matth.* 5. *n.* 20. Quia autem Phariſæi maximè appetebant, omnia per inanem gloriam oſtentare, ideo, cùm ab eorum vitiis ſit fugiendum, hanc inanem gloriam declinare hortatur.

7. Auguſt. Chryſoſt. *Inanis gloria, vitium Phariſæorum.* Tertiò. Volebat Dominus agere de eleemoſyna, oratione, ac ieiunio; & quia hæc tria externorum virtutis operum ferè præcipua ſunt, vt docet Auguſtinus *lib. de perfectione, iuſtitiæ, ratioc.* 17. & Chryſoſtomus *homil. In quibus maximè ſolet inanis gloria illabi. Nam*, vt ait citatus Chryſoſtomus, *Phariſæus inflatus dicebat: Ieiuno bis in Sabbato; decimas do omnium, quæ poſſideo*, Luc. 1[illegible] n. [illegible] *& in ipſa precatione captabat vanam gloriam, oſtendendi gratia ea vſus.* Ergo antequam de tribus illis virtutibus agat, à ſuo vult grege inanis gloriæ arcere peſtem.

8. Chryſolog. Quartò. Inanem gloriam Dominus à noſtris actionibus ſummouet, vt mercedem apud Patrem habeamus. Quod eleganter explicat D. Chryſologus *ſerm.* 9. *Iuſtitia*, ait, *quæ ſe humanis oculis locat, diuini Patris non poteſt expectare mercedem. Voluit videri, & viſa eſt; voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem, quam voluit; præmium, quod habere noluit, non habebit.* Qui, vt ab hominibus glorificetur, ſua opera facit, ab hominibus mercedem recipiet: à Deo autem præmium non obtinetur, niſi opera noſtra in laudem, & gloriam eius ordinentur. Non quia aliquid ipſi laude noſtra accreſcat, qui noſtra maior eſt laude; ſed quia ita conſtituta ratio exigit, vt in illa ſumma bonitate laudanda omnes nos verſemur, & omnia in laudem, & gloriam ipſius referamus, vt optimè explicat Franciſcus Lucas.

*Per inanem gloriam homo à cæleſti præmio defraudatur.* *Laus noſtra Deo debita.*

Si



9. *Alienus ab inani gloria in regno cæleſti habet mercedem.* Si ergo, qui deſiderio videndi ab hominibus tenentur, ac temporales ſequuntur applauſus, cùm iam mercedem habeant, ab æterna expoliantur. E contra verò qui omnem humanam gloriolam abiiciunt propter Deum, & illi ſoli placere quærunt, magnam apud Deum inuenient gratiam, gloriam, atque coronam. Ait Ierem. 17. numero 14. *Sana me, Domine, & ſanabor; ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es. Ego autem non ſum turbatus, te paſtorem ſequens, & diem hominis non deſideraui.* Vbi à Deo petit obnixè, vt ſit ei in auxilium, ac medicamen, vt à crudelibus aduerſariorum ſuorum euadant vulneribus, & vt ipſum ſaluum faciat, vt gloria, & honore coronetur. Sed quid pro ſe allegat Propheta ad impetrandum id, quod optat? *Te ſequutus ſum, & diem hominis non deſideraui.* Sed cur non dicis opprobria, quæ ob Deum paſſus; cur non enumeras labores, quos in prædicatione ſuſtinuiſti; ſed tantùm ais: *Te ſequutus ſum, & diem hominis non deſideraui.* Qui dies hominis deſiderat, ab hominibus videri vult, hominibus placere cupit, & ſuam iam ibi habet mercedem; qui autem dies hominis non deſiderat, nil aliud, niſi à Deo videri, eique placere affectat; & ideo promiſſam mercedem confidenter ab eo poſtulare, ac expectare valet, cùm non deſiderauerit diem hominis, qui Dei diem excludit. Gillebertus Abbas ſerm. 1. in Cantica. *Diem hominis, inquit Propheta, non concupiui, Neſcio quo pacto ſibi aduerſantur, & alterutro ſe obſcurant dies Domini, & dies hominis, ſiquidem dum alter exoritur, alter reconditur. Diem inquit, hominis non concupiui: hoc eſt, humanum fauorem, hominum gloriam, & inter reliquos, imò præ reliquis ſpectabilis videri. Rectè hanc diem Propheta abiurat, quæ perturbationis miniſtrat materiam.*

Ierem. 17. Gillibert.

10. Baſilius. *Inanis gloria, bonorum ſpoliatrix.* Valde enim conſequens eſt, quòd homo per inanem gloriam, quæ omnium eſt deuaſtatrix bonorum, æternitatis corona priuetur. D. Baſilius *in Conſtitut. Monaſt. cap.* 11. ſic ait: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum, ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu fraudis ſui veneni coloratricem.* Vide ſuprà *cap.* 7. *n.* 101. & *cap.* 10. *n.* 196. & 197. & *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 19. & 85. & 116.

*Matth.* 6. *n.* 2. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quum igitur facturus es eleemoſynam, ne proclamaueris cornu coram te, vt faciunt accepteres vultus hypocritæ in Synagogis, & plateis, vt celebrentur ab hominibus.

*Vatablus.* Ne tuba clanxeris ante te quemadmodum hypocritæ faciunt, vt gloria extollantur ab hominibus. Amen dico vobis, abſtulerunt mercedem ſuam.

*D. Cyprianus.* Noli buccinare ante te.

*Pagnin. Arias.* Vt glorificentur ab hominibus.

### *EXPOSITIO.*

1. DOCVIT Dominus ſuprà, vitare finem malum, ac inanem gloriam in operibus iuſtitiæ in genere, provt iuſtitia dicit id, quod iuſtum, ac ſanctum eſt. Nunc verò ſpecificat in particulari in operibus iuſtitiæ, ſeu ſanctitatis. Et exorditur ab eleemoſyna, quia eſt quædam miſericordia, de qua ſuprà dixerat antè immediatè, cùm de dilectione inimicorum egerit: nam inimicis benefacere, & pro eis exorare, quædam miſericordia eſt, vt dicit Hugo: *Noli tuba canere ante te.* Sumit hîc *tubam* pro quolibet ſigno externo, quo quis manifeſtatur. de quo *quæſt. ſequenti.* Et magna emphaſi ait: *Noli tuba canere.* Non dixit, præſtrepere, clangere tuba, vt Numer. 10. n. 3. *Clangere tuba*, vt *Leuit.* 23. *n.* 24. *Nec buccinare tuba*, vt *Pſalm.* 80. *n.* 4. Sed. *Canere tuba*; quia illo ſonitu inanis gloriæ, ac humani applauſus, ita delectantur hypocritæ, ac in ſuauiſſimo cantu. Albert. Magnus. *Placentia talis ſoni delectantur, ſicut in cantico muſico.* Iob. 21. n. 12. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi.*

Hugo. Numer. 10. Leuitic. 23. Pſalm. 80. *Hypocritæ delectantur vana gloria.* Albert. Mag. Iob 21.

12. Auguſt. Paſchaſ. *Hypocrita quid denotet.* *Sicut faciunt hypocritæ.* Nomen eſt Græcum *hypocrita*, & ſignificat vt obſeruant D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte.* D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* hiſtrionem, ſeu ſimulatorem, qui in theatris, & tabulis alienam perſonam ſimulat; ſeu qui ficta perſona fabulam agit ad populum. Ex quo per tranſlationem in Scripturis ſacris ſanctitatis ſimulatores hypocritæ vocantur: nam hi, non proprias, ſed alienas perſonas fingunt; in ore, ac geſtu ſanctitatis ſpeciem ferunt, & intus ſunt vitiorum, ac peccatorum veneno repleti. *In ſynagogis, & vicis*; id eſt, plateis, ac ædibus publicis, quæ Synagogæ dicebantur, in quibus Iudæi conueniebant ad orandum, ac ad audiendam doctrinam de lege, ac Scripturas, & ad eleemoſynas etiam faciendas. *Receperunt mercedem ſuam*; ſuæque vanitati congruam: nam voluerunt ab hominibus videri; & hoc iam obtinuerunt, vt dixi *ſuperiori quæſt.* ex D. Chryſolog. Cætera vide *in ſuperiori expoſitione num.* 4.

Kk 4 QVÆS.

## QVÆSTIO II.

*Quare Dominus tam rigidè damnet, tubâ canere ad dandam eleemoſynam?*

14. IN hac re, quid ſit tubâ canere, duplex eſt principalis ſententia. Prima tenet, quòd tubarum vſus erat apud Iudæos vulgaris valde. Et ita apud eos hypocritæ tuba conuocabant pauperes ad loca publica, vt ad Synagogas, & plateas. Et licèt ipſi dicerent, quòd hoc edebant ad omnes congregandos, ne ex ignorantia aliquis ab eleemoſyna remaneret excluſus; erat tamen eorum intentio, vt omnes, quaſi ad ſpectaculum confluerent, ſcirentque, quiſnam eſſet eleemoſynas largiturus. Ita docent D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Strabus, Rupertus, D. Anſelmus, Lyranus, Caiet. Ianſenius, & fauet Gloſſa, vbi ait, quòd forſitan hoc fiebat, vt omnes irent, quaſi ad ſpectaculum. Et ita hîc Dominus deprauatam hanc damnat conſuetudinem, in qua ob inanem gloriam, hominumque applauſus dabatur eleemoſyna. Et hæc ſunt ſatis probabilia.

Paſchaſ. Strabus. Rupert. Anſelm. Lyran. Caietan. Ianſenius. Gloſſa.

14. *Probabilior explicatio.* Secunda ſententia, quæ mihi videtur probabilior, quòd hoc eſt figurata locutio. Et per illam reprobatur omnis modus eleemoſynam publicandi. Nam apud Iudæos ad ſonitum buccinæ omnes actiones publicæ fiebant. Tubis vtebantur ad conuocandum principes populi ad Concilium, *Numer.* 10. *num.* 4. Sic etiam ad ſacrificia, ad conuiuia, ad dies feſtos celebrandos, *ibidem. num.* 10. Et item ad exeundum ad bellum, *ibid. num.* 9. Et tandem ad conuocandum ad omnia ſolemnia. *Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum,* Ioël 2. num. 15. Inde factum eſt, vt per metaphoram *canere tuba,* ſignificet actiones, quæ quocunque modo diuulgantur, ac publicæ fiunt. Et ita in præſenti: *Cùm facis eleemoſynam, noli turba canere;* hoc eſt, noli, eam oſtentare, atque ante omnium oculos exponere. Et ita explicat Interlinealis: *Noli velle innoteſcere.* Et docent D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Abulenſis *quæſt.* 20. Fauet D. Auguſt. *lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte,* prout ita enucleat: Noli tuba canere; noli ſic velle innoteſcere, vt hypocritæ.

Ioel 2. Interlineal. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Abulenſ. Auguſt.

15. *Eleemoſyna vbique præſtanda recta intentione.* Chryſolog. Ex his ne inferas, quòd miſericordia exhibenda non ſit in platea, in foro, & in publico loco; vbique enim præſtanda eſt; ea tamen intentione placendi Deo, & non acquirendi gloriam apud homines. Eleganter D. Chryſolog. *ſerm.* 9. *Ergo in conuentu, in plateis, in triuiis neganda eſt miſericordia? non præbendus eſt victus? Planè & in omni loco, & in omni tempore facienda eſt miſericordia, præbendus eſt victus, nuditas eſt tegenda; ſed ſic, vt miſericordia, non terræ ſit nota, ſed cælo; non hominibus inſinuata, ſed Deo.*

16. Idem. Moraliter hoc mandatum Domini, ad eleemoſynam noli tuba canere, pulchrè explicat D. Chryſologus citato ſerm. 9. *Bene,* ait, *tuba, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis; verecundiam pauperum non releuat, ſed fatigat. Ergo homo daturus Deo, da ſecretò, vt quod dederis, non ſit oneris, ſed honoris.* Eleemoſyna, quæ in publico datur, hoſtilis eſt Deo, ipſimet operanti, ac proximis. Hoſtilis Deo, quia gloriam ei debitam, quam ipſe dicit, ſe non alteri daturum, *Iſaiæ.* 48. *n.* 11. creaturæ vult deferre, ac impendere, eamque ad popularem auram dirigere, ac ordinare. Hoſtilis eſt ipſimet operanti, quia cùm ipſe exhibeat opus, à ſuo præmio ſpoliatur, ac defraudatur. Hoſtilis etiam proximo, quia eum rubore, ac verecundia afficit. Da ergo ſecretò, vt quod dederis non ſit oneris, ſed honoris.

*Eleemoſyna, quæ publicatur grauis, & hoſtilis eſt.*

17. Ruth 2. Optimè calluit hoc ingenium Booz; non enim iubet Ruth dare ſpicas; ſed ſuis meſſoribus ait: *De veſtris quoque manipulis proiicite de induſtria, & remanere permittite, vt abſque rubore colligat, & & colligentem nemo corripiat,* Ruth 2. numero 16. Vult dare, ſed cum ſimulatione, ac induſtria, vt beneficium vndique ſit abſolutum, vt & neceſſitatem ſubleuet, & honori, ac pudori conſulat. D. Aelredus lib. de ſpirituali amicitia. *Booz cùm Ruth Moabitis aduertiſſet inopiam, verecundiæ eius ingenuè parcens, iubet meſſoribus etiam de induſtria ſpicas relinquere, quæ illa abſque pudore colligeret.*

*Eleemoſyna ne ſit cum pauperum verecundia.* Aelredus.

18. Gen. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam. Quos cùm vidiſſet Lot, ſurrexit, & iuit obuiam eis, & adorauit pronus in terram; & dixit: Obſecro, Domine, declinate in domum pueri veſtri,* Geneſ. 19. num. 1. Cùm eos vidiſſet, & ſtatim ad illos cucurrit, ſe ſeruum dicit, hoc enim ſignificat puer, *in domum pueri veſtri;* & ſe ſeruum, ac inferiorem geſtu corporis exhibet, dum ſe pronus inclinat in terram. Clementis viri magnum ingenium, eos non ſolùm ad hoſpitium inuitat, verùm etiam beneficium, quod tanquam Dominus exhibebat, ſerui nomine, ac notis occultat, atque abſcondit, ne aliquo verecundarentur rubore, ſi ad domum declinarent illius, qui in omnibus ſe eis minorem exhibebat, ac inferiorem declarabat. Quod notans Chryſoſtomus *homil.* 47. *in Geneſ.* ait: *Illos dominos vocat, & ſe ipſum ſeruum vocat: audiamus hæc verba, & diſcamus. Glorioſus nobilis tam abundans, tantus paterfamilias viatores hoſpites ignotos, & vt apparebant, viles, & nihil ad ſe attinentes, dominos nominat; & inquit: Diuertite in nomum pueri veſtri. Hanc gratiam donate mihi, & petitionem meam ne fruſtramini.* Dum enim oſtendit, ſe gratiam excipere, beneficium abſcondit, & ruborem ab illorum facie ſummouet, ac excludit.

*Beneficia exhibita occultanda verbis.* Chryſoſt.

| | |
|---|---|
| *Matth. 6. n. 3.* | Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. |
| *Num. 4.* | Vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. |

### VERSIONES.

| | |
|---|---|
| *Græcus num. 3.* | Ne permittas, vt ſciat dextera. |
| *Syriacus n. 4.* | Pater, qui videt in abſcondito, ipſe reſpondet tibi in propatulo. |
| *Pagninus.* | Reddet tibi in manifeſto. |

*EXTO*



### EXPOSITIO.

19. PRIVS Dominus ſuos popularem inanis gloriæ auram vitare docuit: & quia in laudatis eleemoſynis animus maximè periclitatur; in his, vt notat Caietanus, maximam iubet adhibere cautelam: *Neſciat ſiniſtra tua.* Eſt quædam figurata locutio, vt docet Chryſoſtomus. Hyperbolica, & parabolica, Syrorum more, qua ſignificatur, quòd eleemoſyna ſecretiſſima ſit, omniſque oſtentationis expers, vt eam, non ſolùm à proximis noſtris, ſed etiam à nobiſmetipſis, quantum fieri poteſt, abſcondamus, & occultemus, nec eam diutiùs in vtraque manu verſantes contemplemur, ne illicio vanitatis capiamur. Et non dixit: Quod facit dextera tua, neſciat ſiniſtra; ſed è contra priùs nominat ſiniſtram, cùm ſit ignobilior. Dextera, qua eleemoſyna datur, bonum, & pium denotat opus. Siniſtra autem, quæ dicitur, vt neſciat, denotat complacentiam, ac manifeſtationem ipſius, quod Dominus ita ſecretum, & abſconditum eſſe vult, vt prius nobis occultationis commendet cautelam, quàm exhibitionis ipſius operibus largitatem.

Caietan. Chryſoſt. *Eleemoſyna abſcondenda.* *Magna cautela in eleemoſyna abſcondenda.*

20. *Vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito.* Hypocritæ ad hominum applauſus obtinendos, ſuas coram omnibus eleemoſynas exhibent, & ſuam ita perdunt mercedem. *Pater tuus videt,* & ita apud eum mercedem lucraris. Ecce, ait D. Chryſoſtomus *homil.* 19. Quid deſideras, nónne habere aliquos tuorum operum ſpectatores? Ecce igitur habes, non Angelos, non Archangelos tantùm, ſed etiam horum omnium Deum. Vltima verba præſentis textus, *Reddet tibi.* Syriacus, Græcus, ſicut & D. Auguſtinus: *Reddet tibi in propatulo,* ſeu *manifeſto.* Quod tamen in noſtris codicibus, noſtráque vulgata non habetur; illud tamen additur in codicibus Græcis. Explicat D. Lucas cap. 14. n. 14. *In manifeſto,* hoc eſt, *in reſurrectione,* ſeu in die iudicij: quia tunc Chriſtus Dominus tuam eleemoſynam coram Angelis, & hominibus propalabit, ac æterna gloria præmiabit.

Idem. Syriac. Græcus. Auguſt. Luc. 14.

## QVÆSTIO III.

*Quare dicatur, quòd in dandis eleemoſynis neſciat ſiniſtra, quid facit dextera?*

21. Gallican. *Difficultas quæſtionis.* RECTE ait Euſebius Gallicanus *homil. in feria 6. poſt Cineres.* Si enim manus noſtras in his intelligere velimus, neſcio, quomodo vnius opera altera intelligat; non enim in manibus, ſed in mente eſt intellectus. Et etiam, vt plenè diſſerit D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* dirigens totum hoc negotium ad animam, quæ totum corpus informat, ait: *Quis vnquam dixerit, quòd anima, quæ tota vbique in omni loco corporis eſt, poſſit non ſentire ſiniſtra manu, quod agatur in dextera? nam ſicut compatiuntur omnia membra, ſi patitur vnum membrum: ita ſentiunt omnia per viuificantem animam. Anima enim, quæ eſt in omnibus membris, non minus ſcit in ſiniſtra, quid agatur in dextera, quàm quid in toto; quia vbique adeſt tota, & ideo ſcit, ac ſentit omnia.* Et tandem, vt ait Euſebius *citatus,* cur dextera opus ſuum ſiniſtra abſcondet, quæ tam conſors ei eſt, tamque fideliter ei in omnibus auxiliatur. Ideo hîc ſublimis ſenſus eſt inquirendus.

Paſchaſ. Euſeb.

22. *Germanus ſenſus.* Prima, & germana ſolutio eſt, vt dixi in expoſitione, hanc locutionem eſſe metaphoricam, ac figuratiuam, ad exprimendum, quòd res occultè fiat, noſque in eleemoſynis à teſtibus, ac intuentibus ita caueamus, vt ſi ſiniſtra oculos haberet, videre non poſſet, quid boni in hoc negotio dextera faciat. Ita docet D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Abulenſis *quæſt.* 21. D. Paſchaſius *citato loco.* Qui ait, hoc ita eſſe per figuram dictum, ſicut illud cap. 5. n. 39. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* Alios ad ſenſus non inutiles ad mores, deueniamus.

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Abulenſ.

23. Theoph. Secundò Theophylus Patriarcha hîc per *dexteram manum* intelligit populum Chriſtianum, & fidelem; per *ſigniſtram* verò infideles: ne fortè inde ſumant occaſionem inſurgendi contra nos. Meritò tamen D. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte,* hanc expoſitionem reiicit: quia, ſi opus ſit bona intentione, ob exemplum, tam coram fidelibus, quàm infidelibus exhibere debemus, 1. Petri 2. n. 12. *Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum.*

Auguſt. 1. Petr. 2.

24. Auguſt. *Vxor impedit eleemoſynā.* Tertiò ſunt aliqui, vt refert *citatus* D. Auguſtinus, qui dicunt, quòd per ſiniſtram intelligitur vxor; nam vxores ſunt tenaciores; & viri non debent, ſcientibus illis, eleèmoſynas facere, ne liti domeſticæ detur occaſio. Sed irridenda eſt hæc expoſitio, ait D. Auguſtinus, quia vir debet boni operis exemplum vxori præſtare, non verò opera bona ſua occultare ab illa.

25. Ambroſ. Quartò D. Ambroſius lib. 1. Officior. cap. 30. *Neſciat,* ait, *ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: non de corpore loquitur, ſed etiam vnanimus tuus, frater tuus, quod facis, neſciat.* Et quamuis, ſecundùm rei veritatem, omnibus ſit boni operis exemplum præbendum, vt ſuprà dixi; tamen ſecundùm D. Ambroſij mentem, optima eſt ad mores inſtructio. Cur Dominus in eleemoſyna largiènda, non ab extraneis, ac inimicis, ſed ab amicis præcauere iubet? ſi ob vanam gloriam, tam apud hos, quàm apud illos expiſcari poteſt. Sed ad hoc dic primò, quòd apud illos omnes non imminet æquale periculum: nam ſolus amicus, ac beneuolus tua egregia facta videt, & agnoſcit, vt ea laudet, & celebret; quæ inimicus, ac malè affectus nunquam percipit, & intelligit: & ideo non apud hos, ſed illos, à quibus laudari poteris, tibi inanis gloriæ occaſio, inſurgere valet. Vide ſupra *cap.* 8. *n.* 25. *& lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 60. *& lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 6. *&* 7. Vel aliter dic. Optimè agnouerat diuinus Magiſter, quòd contra noſtra bona opera ab amicis, conſanguineiſque noſtris impedimenta multa mouentur, atque excitantur, ab eis ergo monet eſſe cauendum, quia ad bona opera non præſtant auxilium, ſed impedimentum. Et hoc ſæpe faciunt liuore inuidiæ, quæ domeſticos maximè tangit; vel aliquando ambitione, quia in ſe omnia bona tua coarctari volunt, & in alios deriuari minimè patiuntur.

*A ſolo amico laudari.* *Tui contra dicunt, & te oppugnant.*

26. Galfrid. Quintò Galfridus *citatus* à Tilmanno, in allegoriis. *Quid eſt,* ait, *neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, niſi propterea non vacet ipſa? multi enim ſunt, qui peccata ſua eleemoſynis redimunt, & propterea beneficia, quæ impendunt, aſpera*

*ra*

*ra ſuſtinere refugiunt;ſi ergo quia eleemoſynam dextera facit , ſiniſtra vacat abſtinentia , nouit , & benè attendit ſiniſtra , quid faciat dextera.* Ne ſit homo contentus vno virtutis partu , ſed multis rectis actionibus, ac eleemoſynis applicetur:dextera opus miſericordiæ obiuit, ne quieſcat ſiniſtra, nec vacua maneat, ſed extendatur ad aliud, ac ſi penitus, ignoret, quid ſit à dextera geſtum ; vt ita omnibus ſuis membris , omnibuſque ſuis factis totus homo pietatis operibus impenſus ſit, ac reſolutus.

*Homo totis membris, & actionibus ſuis ad pietatis opera applicetur.*

27. Laur.Nou. Sextò D.Laurentius Nouarienſis homil.de eleemoſyna. *Quando*, ait,*bonum aliquid conatur facere dextera,id eſt,anima , non illam impediat ſiniſtra, quæ eſt caro;ſed tanquam dormiente ſiniſtra , feſtinet dextra,furtiuo more operari bonum,& expellere malum de membris , quod dicitur ſiniſtrum.* Intelligit per *dexteram* animam , ſeu eius portionem ſuperiorem ; per *ſiniſtram* verò appetitum carnis. Vult S.Pater,quòd homo fortis ſit,& expeditus, ne in operibus pietatis ſalutares animæ exercitationes impediantur à carne. Ne langueſcat animo,nec perplexus homo inhæreat, vt eleemoſyna impediri valeat ; ſed celeriter, & expeditè, ac veluti ſagaci furto quoddam exhibeat factum, ac ſi appetitus ipſe ſiniſter dormiens totum ignoret, vt cùm inſurrexerit caro,iam ſint in vanum conatus eius omnes , illudque malum facilè expellatur à membris.

*Bonæ exercitationes animæ ne impediantur à carne.*

28. Auguſt. Albert.Mag. S.Thom. Septimò D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm.Domin. in monte.* Albertus Magnus , S.Thomas , cuius appono verba. *Per ſiniſtram intentio peruerſa deſignatur vanæ laudis ; per dexteram intentio ſancta implendi præcepta Dei. Neſciat ſiniſtra tua : non ſe immiſceat peruerſa intentio laudis , vel ineptæ lætitiæ , vel elationis, quid facit dextera tua, cùm præcepta Dei implere contendis.* Per *dexteram* intelligunt rectam virtutis intentionem ; per *ſiniſtram* verò,elationem , & vanam gloriam. Tu ergo dexterum pietatis opus ita tacitus facias , vt ſiniſtra laudis , & vanæ gloriæ intentio totum in te ignoret , & neſciat, ne publicare valeat. Sua eloquentia , ait Chryſologus ſerm. 27. *Ergo vt opus eſt dexteræ , quod facit tacitus dator ; quod facit dator garrulus , hypocriſis eſt ſiniſtræ.* Et etiam in hanc ſententiam præſentem locum interpretantur D.Chryſoſtomus *homil.* 8. ex variis *in Matth.* & Euſebius Emiſſenus *citatus.* Cùm Dominus in Euangelio iuſtos à dextris, peccatores verò à ſiniſtris collocandos declaret ; quia quod dextera rectitudinis operatur, ſiniſtra vanitatis,ac elationis neſciat.

*Ne deperdatur meritum per intentionem vanitatis.*

Chryſolog.

Chryſoſt.

29. Clem. Alex. Octauò Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtromatum. *Si eleemoſynam facis, nemo ſciat ; ſed neque ipſe , qui miſeretur , debet ſcire , ſe miſereri : ſic enim erit aliquando quidem miſericors , aliquando verò non.* Ingenioſè quidem. Pietatis geſtum adeò ſit abſconditum , vt à nobiſmetipſis occultemus. Sed quomodo mandat Dominus ita occultare mirabile miſericordiæ factum , vt illud neſciamus, cum inſcientia , & ignorantia nullum eſſe poſſit laudabile , ac meritorium opus ? Quomodo ergo neſciat ſiniſtra tua ? Rectè ſanè ad meritum : *Neſciat ſe miſereri , ſic enim erit aliquando miſericors , aliquando non.* Homo ſcientiam habeat ad amplectendam miſericordiæ rectitudinem , vt ipſam valeat exhibere ; *& ſi aliquando ,* hoc eſt, ex parte, *erit miſericors.* At in ſua æſtimatione non ſe apretietur, vt miſericors ; *& ſic aliquando non,* hoc eſt , in reputatione ſua non ſe iudicet miſericordem,vt inde ſibi complaceat, ac euaneſcat. Et iſta conſcientia, ſeu bonitatis cautela plenam facit miſericordiam,integram,& incolumem ſeruat iuſtitiam.

*Pietatis opus à te ipſo abſconde.*

Cùm iuſti audiunt, quòd Chriſtum Dominum pauerint : *Eſuriui,& dediſtis mihi manducare ; ſitiui , & dediſtis mihi bibere* ; reſpondent ad hæc : *Domine , quando te vidimus eſurientem , & ſitientem ?* Matth. 25. num. 37. Sed quomodo electi, magna ſcientia condecorati , ac expoliti hæc dicunt ? Nónne in Eccleſia Chriſti illud eſt omnibus notum : *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis* ; & illud vulgare Auguſtini : *Quod pauperi dediſti , Chriſto impendiſti ; quod pauperi negaſti , à Chriſto ſubtraxiſti.* Si Dominus in paupere repræſentatur(& prætermitto Zachæum , ſocrum Petri , & alios , qui Dominum beneuolè hoſpitio receperunt ; ) cur ergo dicunt : *Quando te vidimus ?* Illi enim electi ita habebant virtutes ſuas à propriis oculis , ac æſtimatione ſemotas ; ita ſibi ignotas , & abſconditas , vt quando eas audiunt à rectiſſimo , ac veriſſimo iudice publicari adhuc eas in ſe ignorant , nec videant, nec percipiant. Paulus Oroſius in Apologia liberi arbitrij. *Iuſti in illa die iudicij,* ait , *operum ſuorum glorias audientes, adhuc tamen velut ignorantes interrogabunt : Domine, quando te vidimus , & hæc fecimus tibi.* Conſidera verbum, *adhuc eas ignorantes.* 30.

Matth. 25.

*Iuſti ſuas virtutes ignorant.*

Oroſius.

Iacob iter agens in Meſopotamiam , cùm in quodam loco requieſceret , vidit in ſomnis, ſcalam tangentem cælos, Angelos aſcendentes , & deſcendentes,& Dominum innixum ſcalæ, multa ipſi promittentem. Cumque euigilaſſet à ſomno, ait: *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Geneſ. 28. numero 17. Quomodo hæc dicis Iacob , quaſi quòd huiuſmodi viſio ratione loci obuenerit, cùm planè totum eſſet, quòd totum ratione dormientis referatum eſt. Cur potiùs non ait : Nunc ſcio verè, quia Dominus dirigit viam meam, vt dixit ſeruus Abrahabimi aui ſui, *Geneſ.* 24. *n.* 27. Cur non ait: Nunc ſcio verè , quia Dominus me in itinere comitatur, protector meus adeſt? Sed fatur : Dominus eſt in loco iſto? Magnus , & perfectus Iacob, ſanctitate, ac virtute plenus, tantæ viſionis cauſam in ſe nec intelligit , nec penetrat ; & ideo ad locum recurrit, & negotium alteri attribuit , atque adſcribit : hæc eſt enim propria perfectorum , ac iuſtorum conditio. D. Gregorius lib. 4. in cap. 9. primi Reg. *Spiritualia dona habent, ſed in iis , quæ habent, ſe non attendunt.* 31.

Geneſ. 28.

*Iuſti ita ſe ignorant , vt bona aliis attribuant.*

Gregor.

*Matth. 6. n. 5.* Cùm oratis , non eritis ſicut hypocritæ , qui amant in Synagogis , & angulis platearum ſtantes orare , vt videantur ab hominibus : Amen dico vobis , receperunt mercedem ſuam.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Cùm oras , ne ſis ſicut acceptores vultus hypocritæ.

*Vatablus.*



*Vatablus.* Et cùm oras , ne imiteris hypocritas, quia ſolent in Synagogis , & angulis platearum ſtantes orare.

*Euthymius.* Solent in conuenticulis, & angulis.

*Theophylactus, Pagninus.* Amant in conuenticulis, & in angulis platearum ſtantes orare , vt conſpicui ſint hominibus. Reſpiciunt mercedem ſuam.

*EXPOSITIO.*

32. ORDINATA intentione eleemoſynæ cum cautela à vana laude ; ordinat ſimili modo orationis intentionem. Et quanuis facilè ex ſuperioribus dictis hæc doctrina ſequatur *Attendite , ne iuſtitiam veſtram*; vt notat D.Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm.Domin. in monte, cap.* 3. Tamen quæ multum neceſſaria, ſunt multoties repetenda, & intimanda. Ait Dominus, *Cùm oratis*; omnia Græca exemplaria habent in ſingulari , *Cùm oras* ; ſicut & ſequenti *verſ.* 6. Quia autem noſtra vulgata habet in plurali, *Cùm oratis* ; ait D.Thomas: Non dixit : Cùm oras, ſingulariter, ſicut ſuperiùs : *Cùm facis eleemoſynam.* Reſponſio eſt. Pluraliter dicit: Cùm oratis ; quia omnium eſt orare ; quia ad hoc non exigitur res temporalis, niſi intentio : ſed eleemoſynam dare, non eſt omnium. Ita Thomas. Et circa orationem tria hîc docet Dominus. Primò rectam intentionem: *Non ſicut hypocritæ.* Secundò perfectionem orationis ad Patrem. Tertiò locum orationis : *Intra in cubiculum tuum.*

Auguſt. *Quæ neceſſaria, multoties repetenda.*

D.Thom. *Omnium eſt orare.*

33. Hugo. *Non ſicut hypocritæ.* Ait Hugo. Hypocritæ foris lucentes, intus fœtentes, ac pleni omni ſpurcitia. *Non ſicut illi* ; hoc eſt , eos ne imitemini. Et ipſo nomine apud omnes execrabili à vitij imitatione auocat. *Amant,* ſtudioſè ſcilicet affectant. Et rectè, notat D.Chryſoſtom. non dixit , *Orant , ſed amant ſtantes orare* ; quia huiuſmodi vanitatis venatores reuera non orant, ſed amant videri , ac ſi oraſſent. *In Synagogis , & angulis platearum* ; hoc eſt , in locis valde publicis. In vno homines ad doctrinam legis conueniebant ; in altero, ſcilicet in plateis , ad humana negotia congregantur.

Chryſoſt. *Qui vult in oratione videri, nõ orat.*

34. D.Thom. Hugo. Caietan. Ianſenius. Exod. 19. *Stantes orare.* Hoc ideo dicit, docent D. Thomas, & Cardinales Hugo , & Caietanus , & Ianſenius , quia Iudæorum mos erat , ſtando orare, nam ſtando legem receperunt. *Steterunt ad radices montis,* Exod. 19. num. 17. Et Iudæi aliquando ſtando orabãt, vt Publicanus ille, *Luc.* 18. *num.* 11. Tamen Iudæi quoque ſæpè ſæpiùs genu flexo orabant, vt Salomõ in dedicatione templi, 3. *Reg.* 8. *n.* *n.* 54. *& Daniel.* 6. *n.* 10. Michæas cap. 6. n. 6. *Curuabo genu Deo excelſo.* Et ita dixit Dominus ad Eliam, 3. Reg. 19. n. 18. *Derelinquam mihi ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curuata ante Baal.* Et ita etiam habetur *Iſai.* 45. *n.* 23. *&* 2. *Paralip.* 29. *n.* 30. & item *Aman genu flexo adorabant omnes,* Eſther 3. n. 2. Talis eſt, dictante natura, frequens modus deprecandi. Dicitur , *ſtantes orare* ; quia Phariſæi, ac Scribæ ob ſuperbiam ſuam ſic frequenter orabant; ipſi enim ſe cæteris digniores reputabant ; vel vt ita faciliùs ab omnibus conſpicerentur. Vel, vt vult Maldonatus , *ſtantes*, hoc loco denotat homines fixos , ac immobiles, quaſi animo in cælum raptos , quia tales in plateis Phariſæi ſe fingebant. *Amen dico vobis* ; hoc eſt, pro certo ſciatis. *Receperunt mercedem ſuam*; quia voluerunt videri, ait D. Thom. & non exaudiri à me.

Mich. 6.

3. Reg. 19.

Eſther. 3.

Maldonat.

## QVÆSTIO IV.

*Quare Dominus, dum hypocritas orationes reiicit, de angulis mentionem faciat ?*

35. Lyranus. PLATEAS hîc intelligit Lyranus atria templi: tamen multo accommodatiùs ad litteram, per angulos platearum hîc intelliguntur termini platearum, vbi ſunt inflexus viarum ; & ibi frequenter ſunt biuia, triuia, ac quadriuia. Cur ergo de angulis hîc Dominus facit mentionem ? eſt præſens quæſtio.

36. Chryſoſt. Reſpondet primò Chryſoſtomus in Imperfecto hom. 13. *Chriſtus,* ait, *non dixit in plateis , ſed in angulis platearum , vt ne, ſi in plateis, orauerint, quaſi Religionis ſimulatores vituperentur : ſed in angulis, vt videantur abſconditè orare. Aſtuta vanitas: ſciunt enim , quia hoc ipſum , abſconditè orare, laudabilius eſt; ideo fingunt ſe abſcondere, vt dupliciter laudentur ; primò, quia orant , ſecundò , quia abſconditè orant.* Gloſſa Ordin. D. Thomas , & alij hunc modum dicendi ſequuntur. Ad maiorem inanis gloriæ vanitatem in angulis orant , vt videantur abſconditè orare , & inde maiori laude extollantur.

Gloſſ. Ord. D. Thom.

37. *Vera ſolutio.* Secunda , & probabilior ſolutio eſt , quòd in angulis orabant, vt à pluribus viderentur. Nam in angulo ſunt inflexus viarum, platearum compita, biuia, & triuia , & ex vtraque linea videntur, qui ſunt in angulo. Ita docent D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domin. in monte.* D. Paſchaſius *lib.* 4. Euthymius, Albertus Magnus, Caietanus , Abulenſis. Erant enim anguli platearum loca valde communia, & publica. Vnde, vt notat ipſe Abulenſis, Iudæi, quando idololatrabant , in angulis platearum ponebant idolorum altaria , & ibi faciebant ſacrificia, vt factum fuit tempore Achaz , & aliorum Regum, 2. Paralip. 28. n. 24. *Fecit ſibi altaria in vniuerſis angulis Ieruſalem* ; & aliis locis apud Abulenſem. Vnde hypocritæ iſti turpitudine loci fœdabant ſuam orationem , quæ Deo erat valde inuiſa.

Auguſt. Paſchaſ. Euthym. Albert. Mag. Caietan. Abulenſ.

2. Par. 28.

38. Et alta ordinatione diſpoſitum eſt , vt hypocritæ in angulis orarent , locus idololatriæ conſecratus , vt proximè dictum eſt. Hypocriſis quandam veluti ſpeciem idololatriæ adumbrat. Et ita ait Theophylact. in cap. 18. Luc. n. 10. *Quum quis, non Deo , ſed ſibi ſua bona opera tribuit , quid eſt eſt aliud, quàm Dei negatio.* Ille reputatur idololatra, qui cultum, Deo debitum , creaturæ defert; iſti vanitatis oſores , orationem, reuerentiam, ac ſubmiſſionem , Deo debitam , ſuæ famæ , ac nomini deputare volebant : orabant , non vt Deum honorarent ; ſed vt ſe ipſos extollerent. Rectè ergo locum eligebant, vbi altaria idolorum

Theophyl.

*Hypocrita eſt veluti idololatra.*

rum

rum extiterant, vt ibi quoque ſuæ hypocriſis ſigna, ac monumenta ponantur.

39. Iob 1.

Quartò. In angulis orant. Anguli in domo Iob primò commouentur, ac concutiuntur à tempeſtate. *Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus*, Iob 1. numero 19. Sed cur totum hoc ædificium ab angulis incipit comprimi, ac deuaſtari? Cur anguli primò à tempeſtate impelluntur? Origenes in Catena Græca.

Origen. *Eo verò, quòd quatuor domus angulos ventus contigit, diſce in angulis platearum hypocritas ad orandum conſiſtere.* Anguli hypocritarum loca, & ibi ficta virtutum imago reſidebat; nil citiùs, potuit à tempeſtate, ruina, ac iactura inueniri, & comprimi: & vbi huiuſmodi obfuſcata facies apparebat, neceſſe fuit, vt vbi primò deſolationi, ac deuaſtationi aditus pateret, vt totum funditus euerteretur; talis enim vultus immutatus totius rei eſt iactura, atque mutatio; & tales oculi in cælum fictè erecti, totum ædificium euertunt in terram.

*Hypocriſis iactura totius rei.*

40. Sophon. 1.

Ait Dominus per Sophoniam 1. num. 15. *Dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris ſuper angulos excelſos.* Sed qui ſunt anguli iſti, ſuper quos Dominus tam dira ſupplicia comminatur?

Hieron. D. Hieronymus ibi. *Super angulos excelſos, opera peruerſa, & à recta via deuiantia. Vnde & à Saluatore arguuntur Phariſæi, quòd adorent in angulis platearum: via enim recta, & tendens ad Paradiſum, arcta, & anguſta eſt; via autem fracta, habens angulos, & tortuoſa, lata, & ſpatioſa eſt, quæ ducit ad mortẽ.* Omnia ſupplicia conglomerata diſtrictè vltione cadunt in angulos, hypocritarum ſedes; & inde via intortuoſa, & lata patet ad perditionem. Quid mirum, ſi inde ad bonorum omnium iacturam tantum exurgit malum, quòd etiam Dei ira ad vindictam exurgat. Hypocriſis, dum virtutes diſſimulat, perdit, & omnia ſupplicia in ſe ſolicitat.

*Hypocriſi omnia deperduntur.*

*Matth. 6. n. 6.* Tu autem, cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Græcus.* | Introito in locum ſecretum, ſeu penetrale. |
| *Vatablus.* | Introito in cellam tuam. |
| *Arias.* | Et claude oſtium tuum. |
| *Syriac. Pagninus, Vatabl.* | Pater tuus, qui videt in ſecreto, reddet tibi in propatulo. |

## *EXPOSITIO.*

41. Paſchaſ. *Vnitas Eccleſiæ.*

IN ſingulari loquitur Dominus: *Tu, cùm oraueris*; vt notat D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* vt vnitas totius corporis Eccleſiæ commendetur. Et ideo ſæpe vniuerſalia præcepta quaſi ad vnum diriguntur. *Intra cubiculum tuum.*

Auguſt. Hieron. Ambroſ.

D. Auguſtinus *lib. 2. de ſermon. Domin. in monte.* D. Hieronymus, S. Ambroſius *lib. de Cain. & Abel, cap. 9.* per *cubiculum* interpretantur cor, & mentem; quod, dum oramus, ingrediatur homo; & claudendum eſt oſtium cordis, ne cogitationes ab oratione alienæ aditum valeant inuenire. Vnde ait D. Auguſtinus citatus: *Quæ ſunt iſta cubicula, niſi ipſa corda: parum eſt intrare cubicula, ſi oſtium pateat.* Hæc expoſitio moralis, ac ſymbolica eſt.

*Ad rationem claudendum cor à mundanis.* Auguſt.

Tamen ſenſus litteralis propriè intelligit cubiculum, ſeu locum ſecretum, vt ſonat. Imò aduerte, quòd *cubiculum* apud veteres dicebatur locus precibus conſecratus, qui idem eſt apud nos, ac Oratorium, ſeu capella, vt aduertunt ad *cap. 8. Judith num. 5.* Lyranus, Gaſpar Sanchez, Sararyus *quæſtiunc. 3.* Baronius *in annot. in diem 11. Iunij, §. in Capellam, & anno Chriſti 57. num. 104.* qui omnes hoc videntur deſumpſiſſe ex D. Paulino *epiſt. 12. ad Seuerum.* Ait Dominus: *Intra cubiculum tuum*; id eſt, Oratorium tuum, ſeu locum ſecretum; per quod Dominus nos docet, vt, quantum opus ſit, vitemus vanam gloriam, & oſtentationem; & mentem ad ſolum Deum dirigamus. Accipe D. Cyprianum tract. de oratione. *Secretò nos orare præcipit, in abditis, & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod magis conuenit fidei, vt ſciamus, Deum vbique eſſe præſentem, audire mentes, & videre, & maieſtatis ſuæ plenitudine, in abditaque, & occulta penetrare.* Et ita in ſecreto eſt orandum, vt ſolus Deus audiat, & videat. Sic orabant Iudith 8. *num.* 5. & Tobias 3. *num.* 10. & Petrus *Actor.* 10. *n.* 9. 42.

*Quid ſit cubiculum.*

Lyranus. Sanch. Sararyus. Baron. Paulin. Cyprian.

*Et Pater tuus.* Ecce ſubdit promiſſum præmium: *Reddet tibi.* Non dicit, vt ait D. Thomas, dabit, *quia iam ſe debitorem conſtituit, id eſt, pro certo retribuet tibi mercedem.* Quod etiam confirmat ex Chryſoſtom. *Reddet tibi.* Græca exemplaria, Syrus Arabicus, Pagninus, & Arias addunt *in publico.* Quia, ſi oras in ſecreto, Deus ſpondet tibi publicam, manifeſtamque tuæ orationis mercedem. 43.

D. Thom. Græc. Syrus. Arabic. Pagnin. Arias.

---

## QVÆSTIO V.

### *Quomodo Dominus mandet ad orandum: Intra cubiculum: cùm oratio publica in Eccleſia ſit multum laudabilis?*

PVBLICA Eccleſiæ oratio, & Eccleſiaſticus chorus maximè laudabilis eſt, ac approbatus ſacra Scriptura, 3. *Regum* 8. *n.* 29. *Pſalm.* 189. *n.* 3. *Actor.* 1. *numero* 24. & 6. *n.* 6. Et ab Apoſtolo *ad Epheſ.* 5. *n.* 19. ſanctis Patribus, & vſu vniuerſali totius Eccleſiæ, de quo latè Suarius *lib. 4. de orat. cap.* 1. Nam illa oratione publica, primò maximè honoratur, ac veneratur Deus; ſecundò alij ad orationem optimo exemplo accenduntur, & excitantur; tertiò, vt omnes animo concordes poſtulata à Deo faciliùs impetremus. Et ita Chryſoſtomus in illud Pſalm. 149. numero 3. *Laudent eum in choro*; ait: *Ideo inſtituti ſunt chori, vt omnes ſimul concordibus animis laudes offerant.* 44.

Suarius. *Chorus laudabilis, ac multum efficax.* Chryſoſt.

Has autem preces in publico non reprobat, nec damnat hîc Dominus; ſed tantùm docet corrigendum inanis gloriæ appetitum, & vanam oſtentationem 45.

*Per orationẽ ſoli Deo placere intendamus.*



*Per orationem ſoli Deo placere intendamus.*

tationem fugiendam, itaut ſoli Deo tua oratione placere velis, ac ſtudeas; & hoc facias affectu tantùm, vt ab illo ſolo videaris, ac exaudiaris.

Theophyl. Theophylactus, *Quid igitur, in Eccleſia non orabo? Omnino, ſed recto animo, & citra oſtentationem; locus enim non nocet, ſed modus, & intentio.*

Chryſoſt. Et idem docet D. Chryſoſtomus homil. 6. in Matth. *Illas ego*, ait, *lachrymas requiro, quæ non oſtentationi proficiunt, ſed compunctioni.* Quod latè proſequitur, & comprobat exemplo Annæ, de qua dicitur: *Labia illius mouebantur, vox penitus non audiebatur*, 1. Reg. 1. num. 13.

1. Reg. 1.

46. Bernard.

D. Bernardus ſerm. 86. in Cantica. *Orare volentes iubemur, intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, fruſtretur effectum.* Et poſt pauca adducit Prophetam excitantem animas ad nocturnas preces: *Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*, Threnor. 2. n. 19. & ait: *Quam ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſupremo altari ſuſcipit præſentandam; quàm grata, & lucida, verecundo colorata rubore; quàm ſerena, & placida, nullo interturbata clamore: propter hoc ſponſa, non minus verecundè, quàm cautè, lectuli ſecretum petebat, & noctis, orare volens: In lectulo, inquit, meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea*, Canticor. 3. n. 1.

Thren. 2. *Oratio ſecreta placet Deo.* Cant. 3.

47. Pſalm. 149.

*Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubiculis ſuis*, Pſalm. 149. num. 5. ſeu, vt alij legunt: *Iucundabunt inter lectulos ſuos.* Sed quinam ſunt iſti Sancti, qui exultant in gloria? Nimirum illi, qui inter cubicula ſua, & inter lectulos ſuos, ac inter ſuam conſcienciam, & in ſui cordis ſecreto iucundantur in oratione, ac meditatione in Domino.

Paſchaſ. Paſchaſius lib. 4. in Matth. *Exultabunt Sancti de gloria pro gratia gratis percepta; lætabuntur in cubiculis ſuis, ſcilicet in conſcientiis ſuis; qua de cauſa monet Magiſter veritatis, vt ingrediatur vnuſquiſque cubile cordis, & ibi incipiat orare, & operari, quo poſſit poſtea lætari.*

*Matth. 6. n. 7.* Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.

*Num. 8.* Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis antequam petatis eum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus;* | Quum preces funditis, ne ſitis muſſitantes, vt hypocritæ. |
| *Theophylactus.* | Orantes autem ne ſitis battologi in precibus veſtris. |
| *Græcus.* | Putant enim in multa verboſitate exaudiri. |



## *EXPOSITIO.*

ALTERVM vitium, quod in oratione contingere poteſt, Dominus corrigit, quod in multa verboſitate euenire poſſibile eſt; nam oratio debet eſſe, non in multis verbis, ſed in puro ad Deum cordis affectu. Vnde, vt docent Diuus Auguſtinus *lib. 2. de ſermone Domin. in monte.* S. Thomas, non reprobat multam orationem; nam ipſe erat pernoctans in oratione Dei. *Luc 6. num.* 12. Sed damnat multiloquium de infidelitate, & non orationes, quas Sancti in cordis puritate fundunt. Theophylactus ait: *Orantes ne ſitis battologi in precibus veſtris. Battologia eſt nugacitas, vt exempli gratia, petere aliquid terrenum, gloriam, diuitias, victoriam. Battariſmus enim eſt inarticulata vox, qualis eſt puerorum.* Contemnit Dominus in oratione nugacitatem, & futilem verborum profuſionem, & repetitionem, tanquam illorum, qui rhetoricè loquuntur. Et etiam nugacem, ac futilem orationem dicit Theophylactus eorum, qui terrena, ac temporalia petunt, & battariſmo comparat: Battariſmus eſt vox inarticulata puerorum, ſignificationis expers, ex qua nihil audientes percipiunt. Oratio terrena petens, multiloquio ſe diſtendens, battologia eſt, veluti balbutie quadam nihil ſignificans; & Deus, qui orationis exauditor eſt, ita ſe habet ad illam, ac qui non intelligit, vt poſtulata concedat; nam illam verborum nugacitatem, ac affectum ad temporalia reiicit, & contemnit. *Sicut Ethnici*, hoc eſt, Gentiles, qui putant ſe in multa verboſitate exaudiri. 48.

Auguſt. D. Thom. Theophyl. *Oratio, quæ terrena petit, à Deo contemnitur.*

*Nolite ergo aſſimilari eis.* Nam Ethnici putant, Deum res ignorare, ſeu omnia non conſiderare; ac proinde multiloquio, ac clamore opus eſſe, ſibi perſuadent. Vt fecerunt Sacerdotes Baal in ſacrificio Eliæ 3. *Reg.* 18. *num.* 28. Ait ergo Chriſtus: Ne eis aſſimilemini. nam *Deus omnia nouit, antequam ſint*, vt dixit Suſanna *Daniel* 13. *n.* 42. & *Eccleſiaſt.* 23. *numero* 29. Et ipſe, vt ait D. Cyprianus tract. de orat. *Deus non vocis, ſed cordis eſt auditor*; non verba orantis, ſed animum; non vocem, ſed affectum obſeruat. Deinde, cùm ſit pater, blanda in filios viſcera habet. *Quid opus ſit vobis*; ſeu, vt eſt in Græco, quibus rebus opus habeatis. *Antequam petatis eum.* Vult tamen orari, vt homines ſuas miſerias, & Dei miſerationem agnoſcant, ſciantque, ſe, non ſuo merito, ſed Dei miſeratione beneficia conſequi; & ita ad accipiendum fiant idonei. D. Aug. epiſt. 21. c. 8. *Deum*, ait, *velle exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus, capere, quòd præparat dare. Illud enim valde magnum eſt; ſed nos ad accipiendum parui, & anguſti ſumus; tanto autem illius ſumus capaciores, quanto id & fideliùs credimus, & ſperamus firmiùs, & deſideramus ardentiùs.* 49.

Cyprian. Auguſt.

*Matth. 6. n. 9.* Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis; ſanctificetur nomen tuum.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Aug. lib. 2. de ſer. Dom.* | Sic orate vos. |
| *Arias.* | Sic ergo adorate vos. |

## ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 11.*n*.1. Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum.

## *EXPOSITIO.*

50. REPROBATA hypocritarum oſtentatione, Ethnicorumque in infidelitate multiloquio, trad t Dominus rectam, & admirabilem orandi formam, quam ob excellentiam ſuam Chriſtus non ſemel docet, ſed iterum repetit *Luc*. 11. *numero* 2. vt obſeruant *hîc* Euthymius, Rupertus, Abulenſis, & alij, vt rectè probant circunſtantiæ loci, ac ſermonis, vt vtrunque textum conſideranti patebit, vt ita maximè inſinuata in ſuorum alta eſſet mente repoſita.

Euthym. Rupert. Abulenſ.

51. Quàm autem excellens, & admirabilis ſit iſta oratio, tribus oſtenditur, vt obſeruant D. Paſchaſius *lib*.4.*in Matth*. Albertus Magnus, S. Thomas, & alij. Eſt breuis, myſteriorum plena, & valde efficax. Breuis paucitate verborum, quia Deus, non vocis, ſed cordis eſt auditor. Pſalm. 9.n.20. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua*. Myſteriorum plena; nam licèt aliis verbis vti inter orandum liceat; tamen, vt notat Diuus Auguſt. *epiſt*.121.*c*.12. quidquid à Deo rectè exorari, ac peti poteſt, hæc vna Dominica oratio continet. Vnde Tertull. *lib. de oratscap*. 1. & D. Cypr. *lib. de orat*. eam appellant *Euangelij breuiarium*. Officium Eccleſiaſticum, cùm ſit compendium totius Scripturæ, breuiarium dicitur: ſic & hæc oratio, cùm ſit compendium Euangelij, illius breuiarium nuncupatur. In hoc Euangelij breuiario, vt poſt D. Auguſt. *lib*. 2. *de verbis Dom.* notant omnes commentatores, ſeptem continentur petitiones. Tres primæ ad honorem Dei pertinent; reliquæ verò ad noſtram vtilitatem. Prima, *Sanctificetur nomen tuum*. Secunda, *Adueniat regnum tuum*. Tertia, *Fiat voluntas tua*. Quarta, *Panem noſtrum*, &c. Quinta, *Dimitte nobis debita noſtra*. &c. Sexta, *Ne nos inducas in tentationem*, Septima, *Sed libera nos à malo*. Quàm autem efficax ſit iſta oratio, docet Diuus Cyprianus *lib. de orat.* inquiens: *Oremus itaque fratres, ſicut Magiſter Deus docuit. Amica & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare, ad aures eius aſcendere Chriſti orationem. Agnoſcit Pater filij ſui verba, cùm precem facimus.* Et poſt pauca, *Etſi quodcunque petierimus ab eo in nomine Chriſti, dabit nobis*, Ioann. 16. numero 23. *Quanto efficaciùs impetramus, quod petimus in Chriſti nomine, ſi petimus ipſius Chriſti oratione.*

Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom. Pſal. 9. Auguſt. Tertull. Cyprian. Auguſt. Cyprian.

52. *Pater noſter*. Ecce perſona, ad quam noſtra oratio tendit, nempe ad Deum. Et ſanè præclarum orandi principium, magnam nobis ingerens ſpem impetrandi, quod petimus; ſiquidem ad Patrem petimus. Quid enim nobis Patris amor non dabit? Quid non impetrabit ſupplicantium filiorum affectus? Ait Paulus Rom. 5. numero 2. *Gloriamur in ſpe filiorum Dei*. Et ait Dominus, *Qui es in cælis*; vt ad cælum mens noſtra erigatur; & quia, vt ait Malach. 1. numero 6. *Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus?* Ideo ſtatim ſequitur prima petitio: *Sanctificetur nomen tuum*; id eſt, tua ſanctitas, maieſtas, ac Deitas glorificetur ab omnibus; ſeu cultus, ac veneratio tuæ diuinæ maieſtatis, & Chriſtianæ religionis, omni hæreſi, ac errore deſtructo, glorificetur, ac adoretur ab omnibus. Et non dicitur ſanctificetur, ſeu glorificetur Deus, ſed, *Sanctificetur nomen tuum*; quia in hoc ſæculo non cognoſcimus Deum viſu; ſed, cùm ambulemus per fidem, eum ex auditu agnoſcimus. Cætera in quæſtionibus.

Rom. 5. Malach. 1.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare in huius orationis principio Deum Patrem appellemus.*

53. TERTVLLIANVS *lib. de orat*. Diuus Cyprianus *eodem tractat*. Chryſoſtomus, Rupertus, & alij *hoc loco*, per *Patrem* hîc primam Trinitatis perſonam interpretantur; ad hanc enim vtpote Trinitatis primam videtur oratio dirigi. Tamen probabilius exiſtimo cum Euthymio, Alberto Magno, Franciſco Luca, Cornelio à Lapide, hîc intelligi totam Trinitatem; quia omnes tres perſonæ æquè ad extra omnia operantur; & ideo omnes æquè ſunt inuocandæ. Cur ergo ſub nomine Patris, & non alio exprimuntur.

Tertull. Cyprian. Chryſoſt. Rupert. *Pro quo ſupponatur Pater.* Euthym. Albert Mag. Franc. Luc. Cornel.

54. Reſpondeo primò ad quæſtionem cum Diuo Chryſoſtomo *homil*.20. quòd hoc nomine Patris recolimus beneficia eius eximij amoris in nos collata, creationem, conſeruationem, redemptionem, ac peccatorum remiſſionem, ſanctificationem, filiorum adoptionem, ac hæreditatem regni cælorum, & alia huiuſmodi, quæ omnia veri parentis, magno in filios amore æſtuantis demonſtant affectum. Secundò. Ad ſignificandam dignitatem noui Teſtamenti, vt obſeruat Abulenſis *quæſt*. 102. In quo Deus nobis dedit poteſtatem, filios Dei fieri. Ante Euangelium autem in ſtatu ſeruorum homines erant. Vnde notat D. Auguſtinus *lib*. 2. *de verbis Domini, cap*. 3. quòd in lege veteri, licèt multa fuerint dicta in laudem Dei; nunquam tamen inuenitur mandatum populo Iſraël, vt diceret: Pater noſter; erant enim in ſtatu ſeruorum, dicente Paulo ad Galat. 4. n. 1. *Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium.* At per Euangelium ſumus ad filiorum conditionem prouecti. Idem Paulus citato loco num. 5. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et per hoc oſtendit nobis, quanta bona ſimus aſſecuti, cùm facti ſimus filij Dei.

Chryſoſt. *Magna beneficia teſtātur parentis affectum.* Abulenſ. Auguſt. *Excellentia legis gratiæ.* Galat. 4.

55. Tertiò Chryſologus *ſerm*. 69. ſic fatur: *Dum Chriſtus ait, Pater noſter, quod ſuæ dignitatis eſt, tuæ eſſe voluit poteſtatis, iuxta illud: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri*, Ioann. 1. num. 12. Tantus fuit Chriſti amor, & benignitas, vt quantum fieri potuit, nos ſuæ ſummæ dignitatis participes redderet. Quartò Albert. Magnus. Non dicit, Dominus, non Deus, ſed *Pater*; nam ſi diceretur Deus, vel Dominus, nō haberemus fiduciam, ad magna, ſed parua petenda, quæ pertinent ad ſeruos: nomen autem patris dat animum ad magna poſtulanda. Deus autem vult, quòd magna ab eo obſecremus.

Chryſolog. Ioan. 1. Albert. Mag. *Deus vult, quòd ab eo magna petamus.*

56. Quintò. Ad conſolationem, ac fiduciam noſtram. Quia, eſto ſimus peccatores, libenter ad Patrem



Patrem accedamus. Et quanuis interceſſores non habeamus, ipſe paternus affectus pro nobis intercedit eleganter D. Chryſologus ſermon. 2. de Prodigo. *Apud patrem non intercedit extraneus, intus eſt in pectore patris ipſe, qui interuenit, & exorat affectus.* Nomen enim *patris*, quandam dicit naturalem in filios benignitatem, quæ interceſſoribus minimè indiget. Sextò Hugo. Pater dicitur, vt ſic excitetur homo ad orandum, & ſe honorandum. Eccleſiaſt. 3. num. 13. *Gloria hominis ex honore patris ſui.* Septimò idem Hugo. Non Deus, ſed Pater dicitur, quia potiùs vult amari, quàm timeri: nam Dei nomen timorem incutit, Patris verò amorem reconciliat.

*Cum fiducia ad Deum abſque interceſſoribus accedamus.* Chryſolog. Hugo. Eccli. 3. *Deus potius vult amari, quàm timeri.*

57. Octauo Diuus Gregorius Nyſſenus lib. de orat. *Cùm*, ait, *præcipit Chriſtus, vt patrem tuum Deum dicas, nihil aliud, quàm per diuinum vitæ inſtitutum te cœleſti Patri ſimilem fieri iubet.* Idem docent Diuus Cyprianus *tractat. de orat.* Diuus Chryſoſtomus *ſermon*. 68. vbi ait, quòd filij Dei nos probemus, ne degeneres ſimus. Dominus ſe patrem appellari iubet, vt ſe paterno ad opitulandum declaret affectu. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur*, Iſai. 49. numero 15. Et vt tu nomine ipſo obligeris ad cœleſtem parentem imitandum. *Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis*, per creationem, *& ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis*, per recreationem. Statim ſequitur, *Attendite ad Abraham*, ſcilicet Chriſtum; & ad Saram, quæ peperit vos ſcilicet Eccleſiam.

Nyſſen. Cyprian. Chryſoſt. Iſai. 49. *Deus à nobis eſt imitādus.*

58. Nonò Diuus Cyprianus *ſerm. de oratione Dominica*, ſic ait: *Qui factus eſt Chriſtianus, hinc debet incipere, vt profiteatur ſe Dei filium, dum nominat patrem ſibi in cælis Deum, conteſtatur quoque inter prima ſtatim natiuitatis ſuæ verba, renunciaſſe ſe terreno, & carnali patri, & patrem ſolum noſſe, & habere cepiſſe, qui in cœlis eſt.* Homo factus es Chriſtianus? Chriſto dediſti nomen? memento, te in cælis patrem habere, vt ſcias, te iam renunciaſſe terrenum; & omnia mundi huius à te iam eſſe abdicata, agnoſce, vt ſolum cœleſtem parentem aſpicias, vt eius voluntatem adimpleas, ac eius exequaris mandata.

Cyprian. *Chriſtianus qui terrenum renunciauit parentem, ſequatur cœleſtem.*

59. Moyſes ad obſeruantiam legis exhortans, ait Deuteron. 33. num. 9. *Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos; & fratribus ſuis, Ignoro illos; & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Hanc parentum inſcientiam vult Moyſes ad obſeruandum pactum Domini, hoc eſt, legem Domini; cùm in lege ſcriptum ſit: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, Exod. 20. numero 12. Honoratio, & reuerentia ſcientiam requirit; quomodo ergo inſcientiam commendat Moyſes? Significare volebat, quòd homo ita in Deum debet eſſe intentus, vt illius comparatione omnia alia contemnat; & ita à ſe dimittere inordinatum cognatorum affectum, ac ſi temporales ignoret parentes, vt æternus Parens agnoſcatur. Diuus Gregorius lib. 7. moral. cap. 14. *Ille*, ait, *ſcire Dominum familiariùs appetit, qui præ amore pietatis neſcire deſiderat, quos carnaliter ſciuit.*

Deut. 33. *Ita ſequatur parens, ac ſi terrenus ſit nunciatus.* Exod. 20. Gregor.



---

## QVÆSTIO VII.

### *Quare hîc potius inuocemus Deum ſub nomine Patris, quàm ſub nomine Verbi, vel Spiritus ſancti.*

60. SVPERIORI quæſtione multas dedi rationes, ob quas hîc Deum patrem dicamus. Tamen Albertus Magnus hîc excitat dubitationem hanc: Cur potiùs dicimus Patrem, quàm Filium, vel Spiritum ſanctum? Et rectè reſpondet, quia nomen *Patris* hîc ſupponitur pro tota Trinitate, vt dixi ſuperiori quæſtione in initio, cuius opera ad extra ſunt communia. Blandum enim Patris nomen dicit benignum affectum miſerendi, largiendi bona in filios; hic autem affectus communis eſt omnibus tribus perſonis per reſpectum ad nos. Iſai. 64. numero 8. *Et nunc, Domine, Pater noſter es tu, non verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Cùm autem oratio profertur ſub nomine Patris, ad omnes tres perſonas dirigitur: ſi autem diceretur Filius, vel Spiritus ſanctus, iam ad peculiares perſonas videretur ordinata.

Albert. Mag. *Solutio litteralis.* Iſai. 64.

61. Secundo. Pulchram huius rei rationem excogitauit Tertull. lib. de orat. cap. 2. *Appellatio iſta*, ait, *& pietatis, & poteſtatis. Item in Patre Filius inuocatur, nec mater quidem Eccleſia præteritur; ſiquidem in Filio, & Patre mater recognoſcitur, de qua conſtat, & Patris, & Filij nomen.* Non fit hæc oratio ſub nomine Dei, etiamſi omnibus prouideat creaturis; nec ſub nomine Verbi, quod caro factum eſt; nec ſub nomine Spiritus ſancti, qui donorum gratiæ eſt diſtributor: ſed ſub nomine Patris, in quo Filius intelligitur, & mater ibi recognoſcitur, ſcilicet Eccleſia ſancta Catholica, ſine cuius recognitione nullus poteſt Deum exorare; nec ſine fide, quam ipſa docet, à Deo exaudiri, vt ait D. Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ. *Deum habere non poteſt patrem, qui Eccleſiam non vult habere matrem.*

Tertull. *Sine fide Eccleſia Catholica non valet oratio.* Cyprian.

62. Ad inuocationem B. Virginis (ipſa enim eſt vera mater Filij Dei, materque pietatis omnium noſtrûm) hanc cogitationem Tertulliani transferamus. Docet ſapientiſſimus magiſter exorare oratione, diuina inſtitutione formata, vt valeamus Dei auxilia impetrare, non tamen ſub nomine Dei, nec Verbi, nec Spiritus ſancti; ſed in nomine Patris, in quo Filius intelligitur, & mater ibi tacitè inuoluitur: *Ne mater quidem præteritur; ſiquidem in Filio, & Patre mater recognoſcitur, de qua conſtat, & Patris, & Filij nomen.* Vt noſtra quotidiana, ac ſolenniſſima oratio ſit efficax, & multum coram omnipotente valeat obtinere, docemur ita Deum exorare, vt etiam, ſaltem implicitè Mariam inuocemus: tunc enim oratio noſtra ad Deum efficaciter euolat, cùm Mariæ auxilio adiuta, & patrocinata aſcendit. Accipe D. Bernardum ſerm. de Natiuitate. *Quidquid, ait, illud eſt, quod offerre paras, Mariæ commendare memento; vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia reddat, quò fluxit. Fortè manus tuæ, aut ſanguine plenæ, aut infectæ ſunt muneribus, quòd non eas ab omni munere excuſſiſti;*

*Oratio noſtra efficax eſt inuocatione Mariæ.* Bernard.

*Per manus Mariæ eſt offerendum.*

*ideoque modicum iſtud, quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare, cùm oratio Dominica fiat ab vnoquoque, non dicatur, Pater meus, ſed* Pater noſter?

63. Paſchaſ. S. Thom. Gloſſa. Albert. Mag.

PRIMA ſolutio eſt, vt docet D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Gloſſa, S. Thomas, Albertus Magnus, quòd Chriſtus Dominus hîc omnibus alloquitur; & docet nos orare, vt dicamus: *Pater noſter*; quia dicere, Pater mi, eſt proprium Chriſti Domini, qui eſt vnicus, ac naturalis filius Dei: per reſpectum autem ad nos, qui ſumus filij per adoptionem, eſt pater communis; nos autem multi ſumus, & ideo dicendum eſt: *Pater noſter.* Non dicit: Pater meus; quia Chriſtus voluit ſeruare, quod ſibi proprium eſt, qui quadam ſingularitate eſt filius Dei. Vnde *Ioann. 20. num.* 17. ait: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*; quia aliter meus, aliter veſter. Ita S. Thomas.

*Chriſtus ſingulariter filius Dei.* Ioan. 20.

64. *Nobiles ne ſuperbeſcant.*

Secundò. Per hoc inuitat nos ad humilitatem. Nemo ſibi applaudat de nobilitate generis, neque ſe extollat; omnes enim nos æqualiter dicimur filij Dei, & nulla poteſt eſſe maior nobilitas, quàm huiuſmodi filiatio. D. Chryſoſtomus homil. 20. *Cunctis vnam, eandemque donauit nobilitatem Deus, cùm dignatus omnium ex æquo Pater vocari.* Et D. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Domin. in monte*, ait: *Admonentur hîc diuites, & nobiles, non ſuperbire aduersùs pauperes, & ignobiles, quoniam ſimul dicunt Deo: Pater noſter.* Malach. 2. num. 10. *Nunquid non Pater vnus omnium noſtrûm? nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum.* Tertiò. Deus omnium filiorum adoptionis eſt pater communis: ergo nullus eum ſibi tantùm approprie t: quæ enim communia ſunt, non particularia dicenda, nec reputanda. Ideoque cùm omnes nos ex æquo ſimus filij Dei, æqualiter dicamus omnes, *Pater noſter.*

Chryſoſt. Auguſt. Malach. 2. *Communia ne facias particularia.*

65. Albert. Mag. *Mutua fraternitas.*

Quartò Albert. Magnus. Dum dicimus *noſter*, per hoc obligamur ad mutuum amorem, ac fraternitatem, quæ fit per ſuæ paternitatis communicationem; fratres enim ſumus ex vno patre nati, Ioan. 1. n. 14. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ex quo, Chriſtiane, conſidera, quomodo *Patrem noſtrum* dicis, ſi fraternitatem negas? Quomodo à Patre vis exaudiri, ſi filium in odio habes. Dilige proximum tuum, vt à Patre valeas impetrare. Et ita exhortatur Paulus Hebr. 13. n. 1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis.*

Ioan. 1. Hebr. 13.

66. Hugo. *Oratio communior, efficacior.* Chryſoſt.

Quintò Hugo. Per hoc inuitat nos Dominus ad orandum pro omnibus, quia quanto ratio eſt communior, tanto eſt acceptior. Vnde ait Chryſoſtomus in Imperfecto homil.... *Dulcior eſt ante Deum oratio; non quam neceſſitas rei tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.* Et ita ipſe etiam docet exorare pro inimicis, & perſequentibus nos. Et omnes petitiones, quas Dominus hîc docet, pro omnibus mandat: Pater noſter, panem noſtrum da nobis; ne nos inducas, ſed libera nos.

67. Cyprian. Ambroſ. Chryſoſt. Iacob. 5.

Sextò. Vult Dominus, vt ſinguli oremus pro omnibus; & omnes pro omnibus, & ſingulis; vt quilibet non tantùm ſuis, verùm etiam aliorum orationibus adiuuetur: quod magnum eſt ſpirituale emolumentum. D. Cyprianus tract. de oratione. *Orare vnum pro omnibus voluit, quo modo in vno omnes ipſe portauit.* Idem docent D. Ambroſius *lib. de Cain cap. 9.* D. Chryſoſtomus *homil.* 20. Et ita ait Iacob. 5. num. 16. *Orate inuicem, vt ſaluemini.* Vt oratio multum ſit efficax, non ſolùm pro te petas, ſed etiam pro aliis exores, vt ita tibi valeas impetrare.

68. Luc 15. Chryſolog.

Prodigus ille patrem exorat: *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam ſuam*, Luc. 15. numero 12. Magnificus pater ad quid vltra poſtulata concedit? Petit vnus ſuam portionem; ad quid etiam ſuam alteri dat hæreditatem? Vt notat D. Chryſologus ſerm. 1. *Petente vno, ambobus totam ſubſtantiam mox diuiſit.* Illa enim oratio iunioris filij non valebat ad patrem aſcendere, nec ab ipſo petita obtinere, ſi pro ſe ſolùm nudè exoraret; & ideo, dum pro ſe petit, etiam ſimulatè pro alio rogat. Poſtulat portionem ſuam; quod à patre concedi non poteſt, quin & ſubſtantia diuidatur, & ſua alteri aſſignata hæreditas maneat: & ideo, dum pro ſe conſequi affectat, etiam alteri vt tribuatur, exquirit. Dum ergo pro aliis poſtulamus, etiam pro nobis rogamus. Expende illam Apoſtolorum petitionem: *Domine, ſalua nos, perimus*, Matth. 8. n. 25. Perbellè ait Chryſolog. ſerm. 20. *Studeamus, nobis in noſtris fratribus ſubuenire.* Nam dum proximis præſtamus auxilia, nobis etiam ſubuenimus. Vide infrà qu. ſequenti *n.* 71.

*Dum pro multis petis, impetras.* Matth. 8. Chryſolog.

## Qvæstio IX.

### *Quare dicatur:* Sanctificetur nomen tuum?

69. *Cur hæc prima petitio.*

IN hac oratione ſeptem ſunt petitiones, vt iam dixi; & hæc eſt prima. Et meritò, quia ante omnia deſideranda, ac quærenda eſt à nobis Dei gloria, quæ in hac petitione, *Sanctificetur nomen tuum*, continetur. Deinde ſicut primum præceptum Decalogi eſt dilectio Dei ſuper omnia; ita & in hoc Euangelij breuiario hæc ſit prima petitio. In quo, vt notat Abulenſis *quæ.* 5. excellentia noſtri amoris, quem ad Deum habere debemus, facit, vt de honore, ac glorificatione illius potius, quàm de noſtro commodo ſimus ſoliciti.

Abulenſ.

70. Cyprian.

Primò D. Cyprianus *tract. de orat. Dominica*, ita explicat, quòd hîc petimus à Deo, vt ſāctificatio, quam in Baptiſmo accepimus, in nobis perſeueret. Opus eſt enim nobis, ait ipſe, ſanctificatione quadam, *vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſſidua repurgemus.*

71. Tertull. Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. Hilar. Nyſſen. Chryſolog. Paſchaſ.

Secundò explicant hanc petitionem Tertullianus *lib. de orat. cap.* 3. D. Chryſoſtomus *homil.* 20. Diuus Ambroſius *lib. 2. de Sacramentis, cap.* 4. D. Hieron. *hîc.* D. Hilar. *in Pſalm.* 134. Diuus Gregor. Nyſſenus *tract. de orat. Dominica.* D. Chryſologus *ſerm.* 67. D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Sanctificetur nomen tuum; id eſt, da nobis, ita purè, & ſanctè viuere, vt per bona opera noſtra laudetur nomen ſanctum tuum. Quo ſenſu dixit Chriſtus

*Deus per bona opera noſtra ſanctificatur.*



Matth. 5. 1. Petr. 2. Rom. 2. 2. Reg. 12.

Chriſtus Dominus: *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum*, Matth. 5. numero 16. & 1. Petr. 2. num. 12. *Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt vos conſiderantes glorificent Deum.* Sicut etiam per malam vitam nomen Dei blaſphematur, ad Rom. 2. numero 21. *Qui prædicas, non furandum, furaris.* Et ſtatim ſequitur: *Per vos nomen Dei blaſphematur.* Et Dauid ob ſuum peccatum dictum eſt, 2. Reg. 12. n. 12. *Quoniam feciſti blaſphemare nomen Domini.* Ita etiam per bona noſtra opera nomen Dei glorificatur, & ſanctificatur ab omnibus. Et hanc noſtram vitæ hîc ſanctitatem, puritatemque petimus. Et in hac ſua ſententia ingenioſè ponderauit Tertull. citato lib. de orat. *Suſpenſa*, ait, *enunciatione non dicentes, Sanctificetur nomen tuum in nobis, in omnibus dicimus.* Non enim petimus, vt nomen tuum ſanctificetur in nobis determinatè, ſed abſolutè dicimus; quia ipſam iuſtitiam, quam exoramus, non nobis tantùm, ſed omnibus quærimus, vt faciliùs quod oratio affectat, impetret totum, vt dixi *in fine ſuperioris quæſtionis.* Et hæc expoſitio tot, tantiſque Patribus probata, ſatis probabilis eſt.

Tertull. *Vt noſtra oratio ſit efficax, pro omnibus rogemus.*

72. *Contra prædictas ſententias difficultas.*

Verùm in vtraque ſententia illud mihi facit difficultatem, quòd ille, qui ſupradicta intentione rogat, non videtur immediatè exorare, ac petere ſanctificationem, ac glorificationem nominis Dei; ſed proximè expoſtulare propriam ſanctificationem, ac ſanctitatem, licèt hæc in nominis Dei gloriam, ac ſanctificationem redundet. Sicut autem Deus ſuper omnia eſt diligendus, ita eius honor, & gloria ſuper omnia primò, & immediatè intendenda, vt rectè admonet Diuus Ambroſius *lib. de Sacramentis, cap.* 5.

Ambroſ.

73. Chryſoſt. Auguſt. Abulenſ. *Vera expoſitio.*

Tertia, & verior intelligentia eſt, quam docent D. Chryſoſtomus *citata homil.* 20. D. Auguſtinus *epiſtol. 121. de orando Deo, cap. 1. & 12.* Abulenſis *quæſt.* 105. & alij, quòd ſumma huius petitionis hæc ſit: Fac, Domine, vt ita nomen ſanctum tuum per tuam gratiam, & lucem reſplendeat in toto mundo, vt omnes homines adorent, & celebrent nomen ſanctum tuum, vt dignum, & æquum eſt, vt celebretur, ac veneretur ab omnibus; vt ita omnis laus, honor, & gloria tibi tribuatur, ac referatur. Et in hoc ſenſu dixit Tertullianus *lib. de orat. cap.* 3. Sanctificetur nomen tuum, *hoc benedictionis vice fungitur.* Ac ſi dicat, dum patitur, ſanctificari Dei nomen, idem eſt, ac ſi dicatur benedici ab omnibus.

Tertull.

74. *Quid ſignificetur per nomen ſanctũ.*

Hîc autem per *nomen ſanctum* intelligimus Dei maieſtatem, bonitatem, puritatem, liberalitatem, cæteraſque Dei perfectiones, ac attributa eius. Ex cuius admirabili viſione obſtupefacti Seraphin clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena eſt omnis terra gloria eius*, Iſai. 6. numero 3. & *Pſalm.* 144. *numero* 3. dicitur: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua, magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.* Sic & B. Virgo: *Magnificat anima mea Dominum. Quia fecit mihi magna, & ſanctum nomen eius.* Et dixit *ſanctum*, quia, vt ait D. Bernardus *ſerm.* 4. *ſuper Miſſus eſt*, nihil magis propriè, & dignè habuit quo illud eximium nomen diceret: *hoc benedictionis vice fungitur*; & eſt quid valde pretioſum Deitatis, vt dicit Ambroſius. Vide *lib.* 1. *cap. 5. quæſt.* 50.

Iſai. 6. Pſal. 144. Luc. 1. Bernard. *Sāctitas Dei, magna excellẽtia eius.* Ambroſ.

75. *Dum Deum laudamus, gratiam cõparamus.*

Dum hîc petimus glorificationem, & ſanctificationem nominis Dei, etiam noſtram ſanctificationem conſequenter flagitamus: quia, dum Deum laudamus, & glorificamus, nobis ipſis accedit, & accreſcit ſanctitas, pura fides, eximia charitas, magna Dei religio, ſanctus Dei cultus, *&c.* per quæ nos intrinſecè ſanctificamur. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, ait Paulus 1. Corinth. 6. numero 20. Ac ſi dicat, dum Deum laudatis, ac glorificatis, ipſum per eius gratiam habetis in vobis ad ſanctificationem, ac iuſtificationem veſtram. Tertullianus lib. de Reſurrectione cap. 16. *Glorificate*, inquit, *& tollite Deum in corpore veſtro: certus, & hos conatus ab anima agi; idcirco tamen & carni eos mandat, quia & illi fructum repromittit.*

1. Cor. 6. Tertull.

76. 1. Reg. 2.

Ait Anna adepto filio: *Exultauit cor meum in Domino, dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos*, 1. Regum 2. numero 1. Qua connexione hæc dicta ſunt? quia ipſa exultauit in Domino Canticis, & hymnis, inde os eius eſt apertum, ac locutum contra inimicam ſuam Phenennam? minimè, vt ait Abulenſis: anima enim ſancta nemini improperat, neminem inſequitur verbis. Nomine *inimici* intelligitur malignus ſpiritus; & quia ipſa exultauit in diuinis laudibus, inde cœleſti gratia vires eius ſunt roboratæ ad omnes Diaboli impetus infringendos. D. Gregorius Magnus ibi. *Qui ſunt inimici electæ mentis*, ait, *niſi ſpiritus maligni? Quid ergo eſt: dilatatum os ſuper inimicos habere: niſi omnes malignorum ſpirituum ſuaſiones ampliſſima ſibi infuſæ gratiæ largitate reprobare.*

Abulenſ. *Si Deum laudas, inimicos vincis.* Gregor.

77. *Ex Dei laudibus multa noſtra vtilitas.*

Mandat ergo Deus, vt ipſum laudemus, & glorificemus, non quia laude noſtra ipſi aliquid accreſcat; ſed ob noſtrum commodum: quia dum ipſum laudamus, cœleſtia dona, ac diuina bona nobis comparamus, quibus iam veluti inuenimur conſortes cœleſtium ſpirituum. Pulchrè accipe Tertullianum lib. de orat. cap. 3. *Cæterum quando non ſanctum, & ſanctificatum eſt per ſemetipſum nomen Dei, cùm cæteros ſanctificet ex ſemetipſo? Cui illa Angelorum circunſtantia non ceſſat dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meminerimus candidati, iam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus.*

Tertull.

*Matth. 6. n.* 10. Adueniat regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.

*VERSIONES.*

*Vatablus.* Veniat regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita in terra.

S *Greg. Nyſſen. lib. de orat.* Adueniat ſanctus Spiritus tuus ſuper nos, & purificet nos.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 11. *n.* 2. Adueniat regnum tuum.

## EXPOSITIO.

78. Tertull.

ADVENIAT *regnum tuum.* Ecce ſecunda petitio. Tertullianus *lib. de orat.* hanc ponit tertiam. Sed noſtra Vulgata, omneſque Patres ſecundo loco ſcribunt. Quæ ſi intelligatur de cœleſti gloria, ac beatitudine, quam nobis petimus, tanquam filij, ac hæredes Dei, ad noſtrum commodum pertinet iam petitio. Multò verior intelligentia eſt, quòd hîc flagitamus perfectiſſimum illud regnum Dei, quando deſtructo Diaboli regno, peccato, ac morte, ſubiugatis impiis, ac æterno carcere recluſis, ipſe Dominus poſt Iudicij diem cum ſanctis ſuis, nullo aduerſario, aut iniquo contrariante, in æterna felicitate regnabit. Et hæc iſta petitio pertinet etiam ad gloriam, & honorem Dei, vt notat Maldonatus, & Cornelius à Lapide. *Fiat voluntas tua.* Quia quo magis fit voluntas Dei, eo magis regnum Dei propagatur. Et etiam per quandam conformitatem ad diuinum beneplacitum petimus, vt in omnibus fiat eius voluntas, *Sicut in cælo, & in terra.* Hoc eſt, ſicut in cælo tuis mandatis obtemperatur à Beatiſſimis ſpiritibus, de quibus ſcriptum eſt: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius*, Pſalm. 102. num. 21. ita & obediatur à nobis, qui ſumus in terra. vt explicant Diuus Auguſtinus, D. Hieronymus, & Caſſianus *collat.* 9. *cap.* 20.

*Legitima totius ſententiæ explicatio.* — Maldon. Cornel. — Pſal. 102. — Auguſt. Hieron. Caſſian.

## QVÆSTIO X.

### *Explicatur hæc petitio*, Adueniat regnum tuum, *de regno gratiæ, & gloriæ, cum varijs dubijs.*

79. *Regnum Dei quatuor modis ſumitur.* Pſal. 144.

REGNVM *Dei* quatuor modis ſumi poteſt. Primum regnum Dei denotat potentiſſimum, ac abſolutum dominium Dei in omnes creaturas, quibus ampliſſimè omnibus ipſe dominatur. Pſal. 144. n. 13. *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem.* Secundum eſt regnum Dei myſticum, quo per gratiam, & fidem regnat Deus in hominibus, ac in omnibus ſanctis ſuis. Tertium eſt cœleſte, ac beatum, quo cum ſuis electis feliciter regnat. Quartum eſt perfectiſſimum regnum Dei, quo inimicis ſuis carcere recluſis, in ſempiternum cum Sanctis ſuis regnabit in cælo. Conueniunt omnes, quòd *regnum* hîc non ſumitur primo modo, vt eſt planum, & manifeſtum.

80. De ſecundo regno locum hunc interpretantur Auctor Imperfectus *hom.* 14. D. Hieronymus *hîc*, Diuus Gregorius Nyſſenus *lib. de orat. Dominica.* D. Ambroſ. *lib. 6. de Sacramentis, cap.* 5. D. Chryſologus *ſerm.* 70. Euthymius, & alij. Ac proinde hac oratione petitur, vt deſtructo regno Diaboli Deus per fidem, & gratiam regnet in nobis: ſicut à contrario dicitur, peccatum regnare in corpore iniquorum, *Rom. 6. num.* 12. vt notat Abulenſis *quæſt.* 107.

ſſen. — yſolog. — hym. — ulenſ.

81. Dubitabis. Iuſti hanc quotidie petitionem faciunt, non tantùm pro aliis, ſed etiam pro ſe; quomodo ergo ſic exorant, cùm per fidem, & gratiam ſit intra eos Dei regnum, *Luc.* 17. *n.* 21. Quod pulchrè notauit Chryſolog. citato ſerm. 70. *Veniat regnum tuum. Ipſe dicit: Regnum Dei intra vos eſt: ſi inter nos eſt, veniat, vt quid oramus.* Multis eſt homo periculis, occaſionibuſque expoſitus: acquiſiuiſti regnum Dei iam per fidem, & gratiam; ne obtorpeſcas, ab operibus iuſtitiæ ne deſiſtas; ſed in conuerſatione ita ſolicitus, & affectuoſus te exhibe, ac te in acquiſitione præſtitiſti; ita age, ac ſi non haberes, vt habitum non deperdas: & ita perpetuò deprecare, vt ipſum regnum adueniat, vt ab illo non deponaris. Aliter Albertus Magnus reſpondet: *Sic petimus, quaſi continuè optemus, ipſum venire*; vt in ipſa gratia, ac donis cœleſtibus proficiamus, atque creſcamus.

Chryſolog. — *Eſto valde ſolicitus in conuerſatione donorum cœleſtium.* — Albert. Mag.

82. Cyprian. Chryſoſt. Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom.

De tertio regno explanant D. Cyprianus *tract. de orat. Domin.* Chryſoſtomus *in Imperfecto homil.* 14. D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Albertus Magnus, S. Thomas. Atque ita petimus cœleſtem beatitudinem, vt ibi cæteris cum Sanctis feliciter cum Chriſto collætemur. Ac ſi petamus cum Apoſtolo ad Philip. 1. num. 23. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Et quanquam regnum illud quæramus, ad quod tanquam filij hæreditarium ius habemus; tamen non dicimus, regnum noſtrum, ſed *regnum tuum*; quia iuſti, non ſuum, ſed Dei eſſe, agnoſcunt, totum, quod habent, & ita bona ſibi expoſcunt, & deſiderant, non vt ſibi retineant, ſed vt Deo referant, eique omnia integra retribuant, atque referuent. Tertullianus *lib. de orat. cap.* 5. ait: *Quidquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab ipſo expectamus.* Ita iuſti bona ſibi procurant, non vt ipſi habeant, ſed vt omnia referuent, in Deique gloriam, & laudem omnia cedant.

Philip. 1. — *Iuſti bona cupiunt, vt Deo retribuant.* — Tertull.

83. *Noſtra pigritia ad cœleſtia.*

Secundum dubium in hac ſententia eſt: Cur dicimus, Adueniat regnum tuum? Cur non petimus, vt nos in regnum eamus? Cur expectamus, vt ipſa cœleſtis beatitudo ad nos adueniat? Adeò enim ad cœleſtia homines pigritia torpeſcunt, vt ipſi ad illud attendere nolint, ſed expectant, vt ipſum ſe inclinet cælorum regnum, & ad eos capeſſendos deueniat, vt dixi ex D. Laurentio Iuſtiniano *lib. 3. cap. 2. quæſt. 4. numero* 12. Albertus Magnus aliter ſoluit hanc quæſtiunculam. *Non dicit*, ait, *nos veniamus ad regnum, quoniam virtutem non habemus ex nobis, ſed ſi ipſum primò venerit ad nos, tunc virtute ipſius veniemus nos ad ipſum.* Tota ſufficientia noſtra ad bonum ex Deo eſt; ideo petimus, vt regnum eius, ſcilicet eius gratia ad nos veniat, qua adiuti ad regnum ibimus. Et in hoc ſenſu explicat Diuus Auguſtinus, vt num. 2. *Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam.* Vbi enim regnum cælorum ſe parat ad homines capiendos, dicitur deſcendere. Ait Diuus Auguſtinus: *De cælo deſcendit iſta ciuitas cæleſtis, quæ eſt gratia.* De cælo venit primò gratia, vt homines ad cælum vadant. Vel etiam ad primam explicationem huius dubij reuoca locum Apocalypſeos. Quia vt homines ad cælum veniant, deſcribitur ipſa Ieruſalem noua deſcendere; aliter enim homines ad illam non ſe mouebunt.

Laur. Iuſt. Albert. Mag. — *Tota ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* — Auguſt. Ambroſ. Apoc. 21.

QVÆSTIO



## QVÆSTIO XI.

### *Explicatur præſens petitio de regno poſt diem iudicij.*

84. QVARTVM regnum Dei, vt dixi in principio ſuperioris quæſtionis, ſumitur pro illo perfectiſſimo regno, quod erit poſt diem iudicij. Et de hoc probabiliùs præſentem petitionem interpretantur Tertullianus *lib. de Orat. cap.* 5. qui ait: *Cùm regnum dicit, quod adueniat, oramus, ad conſummationem ſæculi tendat; optamus maturius regnare.* D. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap.* 6. D. Chryſoſtomus *in Imperfecto homil.* 14. Venantius, Saluianus apub Cerdam, Theophylactus, Rupertus, Ianſenius, Maldonatus, Barradas, Cornelius à Lapide. Ac proinde rogamus, quòd poſt diem iudicij ablata, ac in carcere recluſa omni poteſtate Dæmonum, ac hominum impiorum, qua ſeruos Dei perſequuntur; ipſe Dominus cum eis in æterna felicitate regnabit. *Nam licèt Dominus modò vbique regnet, non tamen pacificè, & ſine hoſte, ac bello regnat*, vt ait Maldonatus, nam multi rebelles intendunt reſiſtere, & repugnare contra ipſum. Tunc autem hoſtibus ſubiugatis, ac damnatis, amicis ab omni preſſura liberatis, nemine tunc contradicente regnare dicetur.

Tertul. Auguſt. Chryſoſt. Venantius. Saluian. Theophyl. Cerda. Rupert. Ianſen. Maldonat. Barradas. Cornel. — Maldonat.

85. *Hæc ſententia cæteris præferenda.* Auguſt.

Hæc ſententia ex eo præferenda eſt. Primò quia tunc iſta petitio procedit ex magno amore honoris ipſius Dei, nam cùm multi modò ipſum ignorent, tunc omnes eum, ſupremamque eius maieſtatem agnoſcent. Ita ait D. Auguſtinus citatus. *Adueniat*, inquit, *regnum tuum, id eſt, manifeſtetur hominibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cùm eius vnigenitus viſibiliter de cælo venerit iudicaturus viuos, & mortuos.* Secundò, quia regnum, vel ſi ſumatur pro gratia, vel pro gloria cum Beatis, ad nos pertinet: at hoc vltimo modo eſt petere regnum, vt Deus ipſe ſine aduerſario regnet, & vt omnes ei gentes ſubſternantur. Et ita dicimus, vt ait Maldonatus, Adueniat regnum tuum, quemadmodum ſi filius patri Regi pacificum regnum, & victoriam contra hoſtes precetur. Tertiò, quia ſicut ante primum Chriſti aduentum in omnium Sanctorum votis hoc erat, vt Chriſtus veniret in carnem, & hominum ſalutem operaretur; ſic poſtquam illam operatus aſcendit in cælum, omnium vota in hoc ſunt, vt ad iudicium redeat, vt docet D. Auguſtinus *concio. 20. in Pſalm.* 118. Et conſtat ex Paulo: *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ Magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti*, Ad Tit. 2. num. 13. Vt ipſe ſubiugatis inimicis, ac rebellibus incarceratis, nullo aduerſante, plenè regnet, vt argumentatur Franciſcus Lucas.

Maldonat. — Auguſt. — Ad Tit. 2.

86. *Cur in hac oratione ſit mentio de die Iudicij.* Cyrill.

Meritò tamen dubitabis: Cur Dominus in hac ſolenniſſima quotidiana oratione nobis iubet facere memoriam de regno poſt diem iudicij, ac conſequenter de ipſo iudicio? Rectè reſpondet D. Cyrillus *citatus* in Catena D. Thomæ ad cap. 9. Lucæ. *Mandauit autem*, ait, *& in oratione petere illud tempus reuera terribile, vt ſciant, quòd viuere decet eos non remiſſè.* Dum nos Dominus docet admirabilem formam orandi, vt valeamus cæleſtia dona à Patre impetrare, ibi ingerit memoriam Iudicij; illa enim ad Deum maximè præparat animum, diſponit ad cæleſtia dona accipienda, & magnam compunctionem præſtat, vt efficaciter volitet ad Deum. Ei ita nos orare docet D. Cyrillus Ieroſolymitanus in præfatione ad ſuas Catecheſes ad finem. *Cor tuum præpara ad ſuſceptorem diſciplinæ, frequenter ora, vt Deus te dignum efficiat: neque interdiu, neque noctu ſis otioſus: ſuſcipe iudicij ſalutarem commemorationem, & intende animum ad diſcendum.* Hac enim Iudicij memoria conditur oratio, vt ſit Deo periucunda, & ſe diſponat homo ad diſcenda accipiendaque cæleſtia.

*Memoria extremi Iudicij valde ſalutaris.* — Cyrillus.

87. Exod. 17.

*Profecta omnis multitudo filiorum Iſraël de deſerto Sin per manſiones ſuas, caſtrametati ſunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum*, Exod. 17. num. 1. Locus iſte, vbi caſtra ponunt; prope erat montem Sinai, vt obſeruat D. Hieronymus *lib. de locis.* Cur ergo Populus in hoc loco facit manſionem? quæſtionem excitat Abulenſis *quæſt.* 2. Et multo magis dubitandum: Cur per hanc partem tranſit ad montem Sinai, vbi legem, ac præcepta Domini accepit Populus? *Raphidim*, vt vult D. Hieronymus citatus interpretatur *Tentatio.* Origenes verò *homil. 11. in Exod.* ait, quòd Raphidim idem valet, ac *ſanitas iudicij.* Bene hæc duo inter ſe conueniunt; nam per memoriam Iudicij ſanatur homo à tentatione. Et ita ait Origenes: *In die Iudicij ſanus eris.* Illud maximè eſt expendendum, cur ex Raphidim feruntur in Sinai, vt ibi Dominus legem Populo daret; nullo enim alio meliori antidoto Populus poterat ſanari à ſuis murmurationibus, blaſphemiis, ac peccatis, vt in lege, ac præceptis Domini inſtrueretur, quàm loco, quo Iudicij memoria relucebat. Et bene ibi aqua non erat; quia ſi Iudicij recordatio mentem occupat, ſtatim omnia mundialia bona; in aqua ſignificata, diſparent, ac minimè comparent. S. Theophylus Alexandrinus Epiſtol. 3. Paſchali. *Cùm futurum tribunal, & formidoloſum Iudicij diem cogitauerint, amaros illius, ſcilicet* mundi, ac peccati, *fluctus, atque intumeſcentes gurgites, vſque ad ipſum fontem, venaſque ſiccabit.*

Hieron. — Abulenſ. — Hieron. — Origen. — *Per Iudicij memoriam à tentatione ſanamur.* — *Memoria Iudicij ad cæleſtia præparamur.* — Theophyl.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare dicatur*: Fiat voluntas tua?

88. S. Thom. *Duplex voluntas in Deo.*

SVPPONENDVM ex communi doctrina Theologorum cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 19 *art.* 11. & 12. quòd in Deo duplex conſideratur voluntas: vna, quæ dicitur beneplaciti, ſeu abſoluta, ſeu diffinitiua, qua Deus abſolutè aliquid determinat fieri: quæ voluntas ſemper impletur, & à nulla creatura impediri valet, iuxta illud Pſalm. 113. num. 6. *Omnia, quæcunque voluit fecit.* Et Eſther 13. num. 9. *Non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, ſi decreueris, ſaluare nos.* Altera verò eſt voluntas ſigni, ſeu optatiua, qua Deus ſignificat, & denotat, quid à nobis fieri vult, vt eius legi, præceptis, ac conſiliis obediamus, & illa adimplendo amplectamur. Sic videtur intelligi Pſal. 102. num. 7. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas.*

Pſalm. 113. Eſther 13. — Pſalm. 102.

89. Chryſoſt.

De hac ſecunda voluntate præſentem locum interpretantur communiter Patres. D. Chryſoſto-

 mus

Auguſt. Theophyl. Euthym. Paſchaſ. Albert.Mag. mus *homil.*14.*in Imperfecto.* D.Auguſtinus *lib.*2. *de ſerm.Dom.* Theophylactus, Euthymius, D.Paſchaſius, Albertus Magnus, & alij. *Senſus litteralis.* Ac ſi ſit ſenſus: Domine, da nobis tuam gratiam, vt per eam benè operantes, in omnibus tuæ voluntati obediamus, ac tua mandata, præcepta, & conſilia amplectamur. Et petimus, quòd hanc Dei voluntatem, ſicut faciunt Angeli in cælo, ſic & faciant homines in terra. Hic eſt ſenſus litteralis.

90. *Myſtici ſenſus.* Cyprian. Sunt etiam myſtici ſenſus. Primò D. Cyprianus *tract.de Orat.* Fiat voluntas tua ſicut in cælo, id eſt, ſicut in Sanctis, qui cælo ſimiles ſunt; ita fiat in terrâ, hoc eſt, peccatoribus, qui in terra adumbrantur. Idem. Secundò idem D. Cyprianus, Tertul. Tertullianus *lib.de Orat.* August. D.Auguſtinus: Sicut in cælo, & in terra, hoc eſt, ſicut voluntas tua fit in Spiritu, ita fiet & in carne. Tertiò D.Auguſtinus. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, id eſt, in Chriſto; ita & in terra, id eſt, in Eccleſia, ſeu filiis Eccleſiæ. Tanquam ſit ſenſus: Fac Domine, quòd, ſicut Chriſtus fecit tuam voluntatem in omnibus, ſic faciat & Eccleſia, hoc eſt, filij eius.

91. Idem. Dubitabis cum D. Auguſtino lib.de natura, & gratia cap. 18. *Quid ſtultius, quàm orare, vt facias, quod in poteſtate habeas.* Si nos poſſumus facere voluntatem Dei, ad quid oramus, vt fiat *Sine gratia nihil poſſumus operari ad ſalutem.* voluntas eius? Reſpondetur cum D. Auguſtino *citato*, quòd ad hoc, vt faciamus Dei voluntatem, neceſſarium eſt auxilium gratiæ, quæ facit, vt faciamus. Vndè ait ipſe Chriſtus: *ſine me nihil poteſtis facere.* Petimus ergo à Deo, vt nobis det ſuam gratiam, vt in omnibus eius voluntatem faciamus.

92. Secundò dubitabis. Oramus, ac noſtras preces fundimus coram Deo, vt noſtra poſtulata impetremus; ac vt Deus nobis concedat id, quod volumus, & deſideramus. Cur ergo non dicimus: *Cur non petimus, fiat voluntas noſtra.* Celada. fiat voluntas noſtra? Præclarè reſpondet R.P.M. Didacus de Celada *in cap.*4.*Iudith.*§.22.*num.*91. In re orationis ferè ſynonyma ſunt, mea, & diuina voluntas, tamque arctè concatenantur, aut prope arcana ſympathia ſibi conſentiunt, vt idem ſonet, *fiat voluntas tua; fiat voluntas mea.* *Orationis efficacia.* Tam efficax eſt oratio, & ita ad ſe inclinat, atque trahit Deum, vt in re orationis idem ferè videatur, fiat voluntas tua, fiat voluntas mea. Deinde hoc rectè explicabis de conformitate, ac reſignatione orantis cum ipſa diuina voluntate, cui maximè ſe ſubmittit. *Noſtra voluntas cum Deo conformanda.* Suam ingenioſam conſiderationem confirmat prædictus auctor illuſtri loco, quem aliter ſic explico. Dum per deſertum turba Chriſtum concomitans fame vexaretur, accepit Ieſus panem, *& diſtribuit diſcumbentibus, & ex piſcibus, quantum volebant*, Ioan. 6. Ioan. 6. n. 11. Alia exemplaria habent, *quantum volebat*; quod tunc ad Chriſtum refertur. Sed quomodo hæc cohærent: quantum volebant, ſcilicet turba; & Toler. quantum ipſe volebat, ſcilicet Chriſtus? Toletus annot. 5. ibidem. *Illud volebant, aliqui textus habent in ſingulari, vt ad Chriſtum referatur, qui pro ſua voluntate diſtribuit. Hæc tamen ſenſum non mutant.* Nam homines illi Chriſtum ſequentes ita erant addicti Chriſti voluntati, ac ad illam compoſiti, & adaptati, vt idem valeret, quantum ipſe volebat, ac quantum illi volebant.

*Matth.*6.*n.*11. Panem noſtrum ſubſtantialem da nobis hodie.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Da nobis panem indigentiæ noſtræ. |
| *Suidas.* | Panem ſubſtantiæ noſtræ, ſeu nutritioni congruentem. |
| *Arabicus.* | Panem ſufficientem, |
| *D.Hieron.in ſua tranſlatione.* | Panem ſuperſubſtantialem. |
| *Idem D.Hieron. ex Græco.* | Panem præcipuum, ſeu egregium. |
| *Symmachus.* | Panem electum. |
| *Pagnin Vatabl. D.Cypr.tract. de Oratione.* | Panem quotidianuum. |
| *Multi ex Græco.* | Panem inſtantem, ſeu aduenientem. |
| *Biblia Regia.* | Panem ad præſentem. |
| *Canin.lib.de nominib.Hebr. noui Teſtam.* | Panem craſtinum. |

ALTER TEXTVS.

| | |
|---|---|
| *Lucæ* 11. *n.*3. | Panem quotidianum da nobis hodie. |

## *EXPOSITIO.*

EXPLICATIS iam tribus illis primis petitionibus, quæ ad Dei honorem, & gloriam pertinent; iam exponimus ea, quæ nobis neceſſaria ſunt, quæ quaſi ſecunda eſt tabula formæ orandi. *Panem noſtrum.* Sex, vt notat Albertus Magnus, Albert.Mag. petimus in hac oratione. Primò Panem; ſecundò noſtrum; tertiò ſuperſubſtantialem; quartò de largitate dantis exoramus *da*; quintò *nobis*; ſextò *hodie.* Panem petimus, ſub cuius nomine intelligimus hîc omnia, quæ nobis neceſſaria ſunt, tam ad corporalem ſuſtentationem corporis, quàm ad ſpiritualem animæ nutritionem. His omnibus indigemus, & ea omnia hîc petere docemur. *Noſtrum*, non quaſi proprio iure ſit noſtrum, ſed quia vitæ noſtræ deputatus eſt è manu benigna Dei, ea prouidentia, quæ omnia conſeruat. Tertiò *ſuperſubſtantialem*, quod D. Hieronymus explicat Hieron. *præcipuum*, & eximium, per quod iſtius panis excellentia declaratur; cibum enim denotat non ſolùm corporalem, ſed etiam ſpiritualem. Et *Quomodo ſuperſubſtantialis.* etiam prout reſpicit alimoniam materialem, rectè dicitur ſubſtantialis, id eſt, ſuperſubſtantians, ſeu eas ſuperans; nam hic panis eſt datus è manu Dei. Ita Caſſianus Collation. 9. cap. 21. Caſſian. *Superſubſtantialis ſignificat qualitatem, qua ſcilicet ſuper omnes ſubſtantias ſit; ſublimitas magnificentiæ eius ac ſanctificationis excedit omnes creaturas.* 93.

Quartò, *Da nobis.* Non dicimus, vt notant 94. Caietanus, vende, commuta, ſed da, tanquam Caietan. filiis, & ex tua liberalitate. Quintò *nobis*, non canibus,



canibus, non alienis, ſed nobis filiis tuis. Et pro Albert.Mag. omnibus exoramus, vt ait Albertus Magnus, vt oratio maiori charitate aſcendat. Sextò *hodie*, quia omni momento Dei ſuſtentaculo egemus. Per quod denotatur & Dei in nos perennis prouidentia, & noſtra ſiml è manu Dei iugis exigentia.

95. *Concordia lectionum.* Syriacus. Suidas, Arab. Theophyl. Euthym. Hieron. Tota lectionum varietas optimè inter ſe cohæret. Syriacus habet, *noſtræ indigentiæ*; quia eo indigemus ad noſtram ſuſtentationem; ad quam eſt maximè *congruus & ſufficiens*, vt habent Suidas, & Arabicus, & exponunt Theophylactus, & Euthymius. D.Hieronymus poſuit *ſuperſubſtantialem*; vt verbum Græcum maximè exprimeret, & excellentiam iſtius panis declararet, vt ſtatim dicam. Cum quo optimè cohæret id quod idem D.Hieronymus, & Symmachus habent: *Panis præcipuus, egregius, electus.* Dicitur *quotidianus*, ſicut & habent Patres, qui ante Hieronymi verſionem ſcripſerunt, Cyprian. vt D.Cyprianus *tract.de Orat.* Abulenſ. D.Ambroſius *lib.*5. *de Sacramentis lib.*4. August. S.Auguſtinus *Enchirid.cap.*115. Sic & Lucas. habet Lucas, *Quotidianum*, ob neceſſitatem quotidianam, quam illius habemus. Et Ambroſius *citatus*, Leſſius. & Leſſius *lib.*2. *de Iuſtitia. cap.*37. *dub.* 4. legunt, *panem aduenientem*; quia quod Latinus dicit *quotidianum*, dicit Græcus, *aduenientem*, ſeu Biblia Regia *inſtantem diem.* Quod Biblia Regia habet *ad* Caninius. *præſentem*, Angelus Caninius, ſicut & D.Hiero- Hieron. nymus, ſcribit in Euangelio Hebræo Nazaræorum eſt *panis craſtinus*. In quo fortaſſe ſit alluſio ad morem Hebræorum, qui dum erant in deſerto, feria ſexta petebant panem craſtinum, quia Sabbato erat quieſcendum, & Deo vacandum. Ita, Domine, da nobis hodie panem craſtinum, ne vlteriùs ſimus ſoliciti, ſed tantùm mentem ad te intendamus.

---

## QVÆSTIO XIII.

### *Explicatur panis hic, quem petimus; & circa hoc varia dubia.*

96. Abulenſ. Toler. COMMVNIS eſt quæſtio: Quid nomine *panis* hîc denotetur? Abulenſis *quæſt.* 111. Toletus *in cap.*6.*Lucæ.* intelligunt panem materialem, ac noſtrum cibum corporalem. Ambroſ. Secundò D. Ambroſius *lib.*5. *de Sacramentis cap.*4. de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento explicat, ſicut & alij Patres; de quo *quæſt.* 15. Athanaſ. Tertiò D.Athanaſius *tractát. de Incarnatione Verbi*, cenſet, nos hîc Spiritum ſanctum petere, cuius gratia ſperamus diuino pane veſci, & frui in Caietan. cælo. Quartò Caietanus interpretatur per *panem*, vel ſacramentum Euchariſtiæ, vel verbum Dei, quod dicitur panis: Non in ſolo pane viuit homo.

97. Quintò communis Patrum conſenſus hîc per panem ſuperſubſtantialem intelligit, tam panem ſpiritualem, quàm materialem: quia vtroque pane indigemus ad nutritionem, ac conſeruationem Tertull. corporis, & ſpiritus. Ita docent Tertullianus Baſil. *lib.de Orat. cap.*6. D.Baſilius *in Interrogat. breu.* Chryſoſt. *reſponſ.*252. D.Chryſoſtomus *homil.*20.*in Matth.* Nyſſen. D.Gregorius Nyſſenus *tract.de Orat.* Cyprian. D. Cyprianus *eodem tractat.* August. D, Auguſtinus *Epiſtol.* 121. Caſſian. *cap.* 12. *& ſermon.* 135. Caſſianus *collatione* 9. Theophylactus, Euthymius, D.Thomas, & alij. Theophyl. Euthym. D.Thom.

98. *Panis omnia nobis neceſſaria hîc ſignificat.* Ex quorum omnium ſententia colligo, hîc intelligi panem ſpiritualem, & corporalem, nam vtroque indigemus; & hîc petimus ea omnia, quæ nobis neceſſaria ſunt: *panis* enim, ex communi Hebræorum vſu, ac phraſi Scripturæ ſignificat omnia, quæ requiruntur ad ſpiritualem animæ ſuſtentationem, vt communiter docent Patres, & Expoſitores. Pſalm. 36. Pſalm.36.num.25. *Nec ſemen eius quærens panem.* Et Ezechiel.44.num.3. *Prin-* Ezech.44. *ceps comedat panem coram Domino.* Significat etiam *panis*, quidquid exigitur ad victum corporis. *Matth.*15.*num.*2. De diſcipulis Domini obmurmurant Phariſæi: *Non lauant manus, cùm panem manducant*; id eſt, cibum. Nomine etiam *panis* denotatur veſtitus, habitatio, conſeruatio, ac cuſtodia omnium rerum. Hîc etiam petimus, vt ipſe panis ſit vtilis, ac corpori proſit. Et ita ait D.Auguſtinus citata Epiſtol. 121. *Nomine panis totum ſignificamus.* Auguſt.

99. *Omnes hanc orationem faciant.* Vnde hæc oratio facienda eſt etiam à diuitibus, ac potentibus: quia quanuis aliàs eis panis ſit datus; tamen hîc petimus conſeruationem, ſufficientiam, & vt ſanitati, ac viribus corporis ſeruiat. Et ita ait D. Auguſtinus *ſerm.* 135. *de* Auguſt. *tempore.cap.*3. In pane exhibitionem corpori neceſſariam petimus à Patre; cibum exoramus de manu Dei accipere, id eſt, ab illo ſanctificatum, ac temperatum, dimenſum, vt corpori proſit, & animæ non obſit.

100. Exod. 16. Dedit Deus populo Iſraëlitico præſtantiſſimum cibum Manna. Exod. 16. num. 20. *Dixit ad eos Moyſes: Nullus relinquat ex eo in manè. Qui non exaudierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque manè; & ſcaturire cœpit vermibus.* Manna cæleſtis eſca, Angelorum manibus præparata, omnem ſaporem, ac dulcedinem in ſe habens, ſi tamen die, qua de cælo cadebat, maducabatur: at ſi in aliam reſeruabatur, Sabbato excepto, iam putrida apparebat, ac vermibus madens; immo exitialis animæ, cùm eſſet detenta contra Domini præceptum. Sed vnde tanta rei differentia? *Quòd è manu Dei, ſalutare; è manu hominum, noxium.* Præſenti die manus Dei largiebatur, ad craſtinum verò manus hominis reſeruabat. Quod prouidentia Dei donabat, ſalutiferum, ac omni ſapore plenum; illud verò, quod hominis induſtria parabat, noxium reperiebatur, ac exitiale. Baſil.Seleuc. D. Baſilius Seleucus Orat. 33. *De cælo*, ait, *Manna quondam Iſraëliticis dabatur, neceſſitati quoque donum ſeruiebat, quodque reſiduum euaneſcebat, & cùm manus lectione Mannæ nequiret expleri, deficeretque.* Cœlum Manna dabat, & neceſſitati ſeruiebat; at ſi humana manus illo expleri, reſiduumque facere volebat, euaneſcens deficiebat.

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare in Oratione dicamus potius panem noſtrum, quàm meum, vel tuum?*

101. *Difficultas quæſtionis.* PETIMVS in oratione, & dicimus: Panem noſtrum; ſi panis eſt noſter, quomodo illum petimus; nemo enim, quæ ſua ſunt, petit, ſed ſua ſibi reſtitui, dicit. Ergo; aut iſta petitione negamus, Deum eſſe liberalem, ac iuſtum, ſiquidem aliena retinet, &, vt tribuat, orationem expectat, aut inanis eſt petitio iſta.

Diuina

102. Gregor. Diuina inſtitutione formata eſt petitio. Et reſpondet ad dubitationem. D. Gregorius lib. 24. Moral. cap. 7. *Ecce noſtrum dicimus, & tamen, vt datur, oramus: noſter quippe fit, cùm accipitur; qui tamen Dei eſt, qui ab illo datur. Et Dei ergo eſt ex munere; & noſter fit veraciter per acceptionem.* Panis liberaliter datur ex Dei dono, noſtrum tamen dicimus, quia ad noſtros vſus accipimus.

Paſchaſ. Secundò D. Paſchaſius lib. 4. in Matth. *Noſter quippe eſt, quia iam nobis in re debetur. Ideò oramus, vt quod noſtrum eſt per donum, quotidie tribuatur per affectum.*

*Dona à Deo data, exorandum, ne à miniſtris impediantur.*

Panis iam noſter eſt, iam nobis eſt deputatus ex Dei dono, ac diuina prouidentia; vt tamen panis hîc à nobis in effectu obtineatur; vtque ſecundæ cauſæ non impediant, neque prohibeant, hîc à Deo flagitamus. Et multum ſanè eſt exorandum, ne dona, à Deo, vel Principe conceſſa, per inferiores miniſtros intercludantur, vt illa in effectu obtineamus.

103. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſtomus in Imperfecto *hom.* 14. Noſtrum, ait: *Qui de iuſtitia acquiſitum panem manducat, ſuum panem manducat; qui autem cum peccato, alienum.* Non dicitur: Da panem tuum, ſed *panem noſtrum*; quia Iuſtus dum petit, ac manducat panem, ſuum de iuſtitia petit, ac manducat, at peccator, non ſuum, ſed alienum petit.

*Iuſtus panem ſuum manducat.*

*Quod in fide petimus noſtrũ iam eſt.*

Quartò. Petimus à Patre, & noſtrum dicimus, quia ita eſt efficax oratio in nomine, ac fide Ieſu facta, vt iam ſuum faciat, quod non habebat; & quodammodo idem ſonet, petere, ac noſtrum obtinere. Pſal. 33. num. 16. *Aures eius in preces eorum.* Vide ſuprà *quæſt.* 11. *ad finem.*

*In Dei prouidentia res eſt ſecurior, quàm in manu noſtra.*

Quintò. Petimus, & noſtrum dicimus, quia licèt hic panis non ſit nobis communicatus, tamen in diuina manu continetur: & multo meliùs, & ſecuriùs noſtra ſunt in diuina prouidentia, quàm in poſſeſſione noſtra; nam in illa tuta ſunt omnia; in poſſeſſione autem noſtra quodlibet amiſſioni, ac paruulis eſt expoſitum.

Ambroſ. Quod dixit D. Ambroſius in cap. 12. Lucæ. *Credas, hominem, ſi omnem ſui vſum in Deo collocet, nunquam egere poſſe, eo quòd iure præſumpſerit de fauore diuino.* Præſumptio eſt animoſa fiducia; & qui hanc de Deo concipit, ſecurus eſt, & nunquam egere poteſt.

104. Albert. Mag. Sextò. Optimè in his precibus exoramus *panem noſtrum*, & non panem meum. Quia, vt ait Albertus Magnus, homo non ſibi ſoli debet petere, ſed etiam aliis; omnis enim petitio in charitatis fraternitate fieri debet.

*Oratio pro multis efficacior.*

Septimò. In petitione dicamus *noſtrum*, non meum; panem quippe quilibet petat, ſibi, & indigenti communicandum: ita exoret, non vt auarus ſibi retineat, ſed vt liberalis, ac miſericors largiatur, & aliis, vt ita multum, ac faciliter impetret. Et ideo rectè Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædag. cap.* 12. Eleemoſynam appellat orationis modum, cum illa enim modum, & efficaciam ad Deum oratio habet.

*Si ad dandã eleemoſynam petas, efficacior erit oratio.*

105. Iob 31. Ait Iob 31. num. 14. *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum me Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? ſi negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus?* Maximè ponderandum eſt illud: *Quid reſpondebo?* Quid dicam? Quid exorabo? Ac ſi dicat: Nihil, ſi comedi buccellam meam ſolus. Nónne erant in eo multæ virtutes aliæ, quas in medium poterat adducere, ſuam patientiam, fortitudinem, rectitudinem, ac ſimplicitatem? Quomodo ergo ait: *Quid reſpondebo, ſi comedi panem ſolus?* Qui enim ſua pauperi viſcera claudit, diuinas ſibi, ſuæque orationi aures obtundit. Multum proſunt virtutes cæteræ; at benignitas in egenos diuinam maximè inclinat, & attrahit miſericordiam, vt ipſa, cùm ſit infinitè bona, homini non neget, quod homo homini liberaliter tribuit.

*Oratio eleemoſyna adiuncta multũ efficax.*

Odonius. S. Odonius ad illa Iobi verba: *Si negaui, quod volebant*; per hæc dicta ſanctus oſtenditur, *non ſolùm ad copiam pauperibus, ſed etiam ad habendi deſiderium deſeruiſſe.* Eleemoſyna non tranſit in ſinum pauperis, ſed etiam tuo deſiderio habendi deſeruit. Si das multum, tibi lucraris; & ipſa largitas confidentiam præſtat, vt quidquid optat, à Deo valeas exorare.

*Da pauperi, vt tibi deſeruias.*

Iſai. 58. Ita ait Iſaias 58. num. 7. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam.* Et ſtatim infert num. 9. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adſum.*

---

## QVÆSTIO XV.

### *Totam hanc petitionem de ſacra Euchariſtia explico.*

106. Chryſoſt. Tertul. Baſil. Auguſt. Cyprian. Ambroſ. Paſchaſ. TOTAM hanc petitionem de ſacramento Euchariſtiæ D. Chryſoſtomus, Tertullianus, D. Baſilius, S. Auguſtinus, Cyprianus, & alij Patres, citati *quæſt.* 13. in quinta ſententia cum D. Ambroſio *lib.* 5. *de Sacramentis. cap.* 4. D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Latè, & bene hoc diuinum Sacramentum panis dicitur. Nam tota ſubſtantia panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, & ibi accidentia panis remanent, & hoc Sacramentum veluti panis nutrit, ſuſtentat, ac corroborat animam.

Pſalm. 103. Et de hac eſca loquebatur Regius Vates Pſalm. 103. num. 16. *Et panis cor hominis confirmet.*

Paſchaſ. Et dicitur ſuperſubſtantialis, vt ait D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* ob nobilitatem iſtius panis, qui cæteras ſuperat ſubſtantias creatas.

Hieron. Et ita, vt notat D. Hieronymus *in Epiſtol. ad Titum. cap.* 2. à multis ex Græco legitur: *Panis præcipuus, eximius; & panis electus.* Iſte eſt enim frumentum electorum, *Zach.* 9. *num.* 17.

107. Sed primò quæro: Si patrem exoramus, cur non dicimus: Da nobis panem tuum, ſed panem noſtrum?

Paſchaſ. Reſpondet D. Paſchaſius, primò, & ait, *Orare docemur Panem noſtrum da nobis; id eſt, tales nos exhibe, vt eum ex te iure ſumamus.*

*Hic panis eſt Iuſtorum.*

Ac ſi petamus: Ita nos tua gratia perfice, vt hunc panem guſtemus, tanquam iure noſtrum. Hic panis datus eſt puris, & iuſtis; qui enim illum ſumit in rectitudine, ac integritate vitæ, vt noſtrum panem manducat; qui verò in peccato accedit, non ſuum, ſed alienum panem, nempe Iuſtorum, vſurpat: hæc enim eſca, non iniquis, ſed puris eſt conceſſa.

108. Paſchaſ. Secundò idem D. Paſchaſius citato loco. *Illum oremus, quaſi theſaurum noſtrum? oremus vt cibum noſtrum: noſter enim eſt, & ideo cum eo ſimul omnia noſtra ſunt. Propterea quòd noſtrum eſt, ante omnia, & ſuper omnia requiramus, quatenus ille ſit nobis panis, ille cibus, ille vita, pro cuius amore, quæ mundi ſunt, omnia poſtponentes, quaſi aliena deputemus.*

*Hic panis theſaurus noſter eſt.*

Hoc Sacramentum, noſtrum panem dicimus, nam illud, tanquam theſaurum noſtrum



habemus, in quo nobis eſt panis, cibus, vita, & omnia cæleſtia dona; ac vniuerſa bona, quæ Deus homini dedit, in hoc theſauro reconduntur.

*Hic panis fidelium.*

Noſtrum dicimus, *vt illum ante omnia, & ſuper omnia requiramus.* Illum ſuper omnia procuremus, eiuſque deſiderio affecti tanquam noſtrum recipiamus. Et noſtrum dicimus; quia hic panis ſanctus noſter eſt, cùm ſimus filij Dei per adoptionem. *Quæ mundi ſunt, omnia poſtponentes, quaſi aliena reputemus.*

109. Cyprian. Tertiò D. Cypr. tract. de Orat. *Panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt. Et quomodo dicimus: Pater noſter; quia intelligentium, & credentium Pater eſt; ſic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter eſt; qui corpus eius contingimus, panis eſt.*

*Chriſtus totus noſter.*

Hic panis Chriſtus eſt; & ſi purè, & caſtè ad Euchariſtiam accedimus, totus Chriſtus noſter eſt; & quidquid inuenitur in eo, totum noſtrum habemus.

Bernard. Iſai. 9. Ad hunc ſenſum explanat D. Bernardus homil. 3. ſuper *Miſſus* eſt: verba Iſai. 9. num. 6. *Paruulus datus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.*

110. Paſchaſ. Quæro ſecundò. Rectè dubitat D. Paſchaſius *citato loco.* Si hic panis quotidianus eſt, cur non quotidie illum comedimus, ſicut eum dari nobis, quotidie oramus? Reſpondet S. Pater primò. Quotidie non ſumitur ab omnibus, quia omnes parati non inuenimur ad hanc menſam. Dicitur ergo *panis quotidianus*, quia quotidie licet eum immolari in Eccleſia.

Idem. Secundò reſpondet idem S. Pater: *Aut quotidianum ideo, quia ipſe idem indeſinenter interiùs per fidem, & charitatem cultu religionis, ac ſpei reficit nos, & paſtu ſuæ dulcedinis conſolatur: nam ſine ipſo nunquam ſpiritualiter poſſumus viuere.*

Caſſian. Quæ vltima verba etiam docet Caſſianus *collatione* 9. *cap.* 21. Cum dicit quotidianum, *oſtendit, quòd ſine ipſo, nullo die ſpiritualem vitam capere valeamus.*

*Sine Euchariſtia non eſt vita ſpiritualis.*

Panis quotidianus eſt, quia ſine ipſo vitam ſpiritualem obtinere non poſſumus.

*Euchariſtiæ veneratio multum vtilis.*

Panis ergo iſte quotidie habendus eſt, aut dum realiter ſumitur in menſa communionis, aut dum per fidem, & religionem veneratur; vt ita tam ſalutiferi conuiuij fructu participes ſimus, vt omnem bonorum abundantiam habeamus, vt ait D. Chryſologus ſerm. 68.

Chryſolog. *Quotidianum, & in diem vult nos in Sacramento ſui corporis panis viaticum poſtulare, vt per hoc ad perpetuum diem, & ipſam Chriſti perueniamus ad menſam, vt vnde hîc guſtum ſumimus, inde ibi plenitudinem, totaſque ſatietates capiamus.* Ex guſtu ſacræ Euchariſtiæ omnes ſatietates, ac bonorum plenitudinem capimus. Et ideo hanc ſacram eſcam quotidie exorare docemur.

111. Quæro tertiò. Quare dicitur *panis craſtinus*; nam multi codices Græci pro *pane quotidiano* habent *panem craſtinum?*

*Ad Euchariſtiam præparatio.*

De Euchariſtico pane eſt ſermo; & ideo ſic inſtruimur poſtulare, vt non ſubitò homo conuolet ad ſacram menſam, ſed à præcedenti die ſe ad tantum conuiuium præparare incipiat, atque diſponere. Ait Dominus Moyſi: *Sanctifica illos hodie, & cras, lauentque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium: die enim tertia deſcendet Dominus coram omni*

Exod. 19. *populo*, Exod. 19. num. 10. Omnia illis contingebant in figuris. Si enim Iſraëlitici iubentur ſe præparari hodie, & cras, vt tertia die Dominum in nube excipiant, eiuſque verba audiant, nos quanto magis hodie, & cras præparari debemus, vt Chriſtum Ieſum intra nos cibo, & potu excipiamus?

Ambroſ. vt ponderauit D. Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 50. *Si in figura, ait, tanta obſeruanda, quanta in veritate? Diſce Sacerdos, vt mundum corpus celebrandis exhibeas ſacramentis. Si populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum prohibebatur accedere ad hoſtiam ſuam; tu illotus mente pariter, & corpore audes pro aliis ſupplicare; audes pro aliis miniſtrare?*

112. Quæro quartò. Quare petimus: Da nobis hodie? Cur illum non ad omne vitæ noſtræ tempus exoramus; multo enim felicius videtur, ſi panis hic, non ad vnum tantùm diem, ſed ad annos multos nobis daretur? Cur ergo ſic illum non poſtulamus? ſermo erat de Euchariſtico pane, qui ita ſumendus eſt, ac ſi hodie tantùm vitæ ſit dies, nullique alij reſtent.

Chryſolog. Eleganter Chryſologus proximè datus. *Quotidianum, & in diem vult nos in Sacramento ſui corporis panis viaticum poſtulare.*

*Communicandum cum mortis memoria.*

Viaticum accipit, qui iam proximus eſt morti. Ita compuncti, à ſæculoque abdicato animo toti in Deum reſoluti ad hanc ſacram menſam accedamus, ac ſi mors eſſet in proximo, iamque inſtaret vltimus dies.

113. Exod. 12. Præcepit Deus filiis Iſraël, vt agnum comederent ſub veſpertina hora: *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam, & edent carnes nocte illa aſſas igni*, Exod. 12. num. 6. Cur tantum ſacrificium non præcipitur fieri manè, vel meridie, quando Sol maximè nitet, atque reſplendet; ſed ad veſperam, quando iam dies declinat, & Sol ad occaſum tendit? Ideo tunc confici mandatur.

*Mortis memoria ad Euchariſtiam præparemur.*

Agebatur ibi typus Euchariſticus; & celebrabatur, occaſu Solis ante oculos poſito, vt inde homo, communis occaſus, ac mortis recordatus, atque totus animo à mundanis rebus alienatus, in Deumque conuerſus, dignus debita præparatione ad tantam menſam inueniatur.

Bernard. D. Bernardus tom. 4. ſerm. 39. part. 2. ſic ait: *Hora veſpertina comedendus eſt agnus, in qua Sol declinat, & tendit ad occaſum. Quod ſignificat, quòd tu debes cogitare de hora veſpertina, ſcilicet de tua morte, & deponere vanitates: quia ſi non deponas iſta, non poteris capere corpus Chriſti.*

*Matth. 6. n. 12.* Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus.

*Arabicus.* Et dimitte nobis peccata noſtra, ſicut & nos dimittimus his, qui peccauerunt in nos.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 11. n. 3.* Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.

*EXPO*

## *EXPOSITIO.*

114. IN primis quatuor petitionibus exoramus à Deo bona; in tribus verò vltimis deprecamur, vt mala euitentur à nobis, vtque ab illis eruamur. In hac quinta petitione dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſiue, vt Lucas poſuit, *peccata noſtra*. Et hæc per *debitum* ſignificantur in Scripturis, vt obſeruat Tertullianus *lib. de Orat. cap.* 7. D. Ambroſius *lib.* 5. *de Sacramentis cap.* 4. Euthymius, Albertus Magnus, & alij. Nam peccatum inducit reatum, ſiue obligationem, ac debitum ad exactionem, iuſtitiam, & pœnam. Hîc ſub nomine *debiti* intelliguntur etiam peccata venialia, vt docent D. Hieronymus *lib.* 3. *contra Pelagian.* D. Auguſtinus *lib.* 2. *contra Epiſtolam Parmeniani, cap.* 10. Ex quo Patres communiter refutant errorem Pelagianorum, aſſerentium, quòd Sancti hæc verba, *Dimitte nobis* non pro ſe dicebant, ſed pro aliis; vel hæc dicebant humilitatis ergo. Vtrunque eſt falſum. Non enim dicimus: Dimitte aliis, ſed *dimitte nobis*. Deinde abſit, vt Sancti coram Deo mendacium in oratione dicant; hoc enim eſſet quædam fictio. De his latè D. Auguſtinus *citato loco, & lib.* 2. *de peccat. meritis. cap.* 10. D. Cyprianus *tractat. de Orat.* Immo Concilium Mileuitanum II. *cap.* 1. & Africanum *cap.* 37. ſub anathemate prohibent, ne quis audeat aſſerere, quòd hæc verba dicantur à Sanctis humilitatis gratia, & non veraciter. Denique hîc ſub nomine *debiti* non ſolùm intelligo peccata mortalia, & venialia, ſed etiam pœnas, ad quas illorum ratione aſtringimur; Deo enim facimus orationem noſtram, à quo, cùm ſit magnificus, liberaliſque pater, omnium debitorum noſtrorum remiſſionem deprecamur.

Tertul. Athanaſ. Euthym. Albert. Mag.

Hieron. Auguſt. *Refellitur Pelagianorũ error.*

Auguſt. Cyprian. Mileuitan. African.

*Exoremus etiam remiſſionem à pœna.*

115. *Sicut & nos dimittimus.* Per hæc non ſignificamus certam menſuram, ſed quandam coram Deo rationem inductiuam dicimus, quæ ipſum ad dimittendum moueat. Et hæc eſt quædam, quam Deus à nobis exigit, conditio, vt illa interueniente ipſe noſtra peccata remittat. *Debitoribus noſtris*, iis, qui nos offenderunt, qui in nos deliquerunt. Et hæc non vni, vel alteri tantùm, ſed omnibus debitoribus, vt clariùs dicit Lucas, nos dimittimus omni debenti.

*Senſus litteralis.*

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare poſt petitionem panis de venia peccatorum hîc agatur?*

116. IN quarta, & antecedenti petitione panem exorauimus, in hac nunc quinta veniam peccatorum petimus, quod magnam quæſtionem facit Cardinali Toleto *in c.* 1. *Lucæ annot.* 13. cur ſcilicet, Chriſtus præpoſuit petitionem victus corporis petitioni remiſſionis peccatorum, cùm priùs ſint petenda ſpiritualia, quàm temporalia? Ad quod ipſe reſpondet, cùm exiſtimet, hîc per *panem* intelligi panem temporalem, quòd Chriſtus in hac oratione priùs egit de his, quæ pertinent ad integrum hominem ſanum; poſtea verò de his, quæ ad infirmitatem, ſi à ſanitate cadere contingat.

Tolet.

At in noſtra ſententia facilis eſt ſolutio, quia per *panem* non ſolùm temporalia, ſed etiam ſpiritualia intelligimus: & ideo priùs hæc petimus, licèt aliqua temporalia ſecum deuoluant; & poſtea accedimus ad deprecandum, vt a malis, ſeu peccatis eruamur, & liberemur. 117.

Secundò optimè, & ingenioſè reſpondet Fortunatus: *Bene*, ait, *poſt eſcam quæſitam poſtulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo paſcitur, Deo viuat.* Coniunctio hæc maximè notanda. Efflagitamus, cæleſtem panem nobis dari; & ſimul exoramus omnium macularum ablutionem, vt nihil in nobis, etiam minimum, maneat inquinatum. Chriſti præſentia in cæleſti pane tantam exigi puritatem, vt pectori ſordibus maculato, nec temporis momento adeſſe velit. Aliter hanc rem explico. In hac oratione, ſeu Euangelij breuiario poſtulamus, vt nomen eius ſanctificetur; vt diximus, *Adueniat regnum tuum*; quòd de regno gratiæ, & ſanctificationis explicant D. Chryſoſtomus, Nyſſenus, Hieronymus, Ambroſius, vt dixi *quæſt.* 10. Et conſequenter *ibi* exorauimus peccatorum noſtrorum remiſſionem, gratia enim, & ſanctificatio non datur ſine illa. Ad quid ergo iterum hanc remiſſionem exoramus: *Dimitte nobis debita noſtra?* Petiuimus cæleſtem panem: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, quod de ſacra Euchariſtia multi Patres intelligunt, vt iam dixi. Igitur etiamſi rogauerimus, vt regnum Chriſti in nos adueniret, per ſuam gratiam, & ſanctificationem, vtque regnum peccati, & Diaboli deſtrueretur in nobis, atque vt ab ipſis noxis mundaremur; cùm tam ad cæleſte conuiuium deuenitur, ſtatim iterum exoramus: *Dimitte nobis debita noſtra*, Quamuis enim quilibet ſit purus, ſanctificatus, ac gratia plenus, eſt tanta huius diuini cibi puritas, & ſanctitas, vt ad illius præſentiam quilibet, quantumuis iuſtus, adhuc ſe inquinatum agnoſcat, adhuc in ſe defectus videat, vt ab illis mundari neceſſarium iudicet. Nullus coram Deo iuſtus reputari valet. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*; Pſal. 142. num. 2. Vertit Vatablus: *Nullus enim viuens coram te iuſtus eſt.* Quod maximè militat in hoc Sacramento, in quo homo non ſolùm eſt in præſentia Dei, ſed etiam ipſummet Deum manducat, & in ſe recipit. 118.

Fortunat.

*Puritas ad Euchariſtiã.*

Chryſoſt. Nyſſen. Hieron. Ambroſ.

*Homo dum ad Euchariſtiam accedit, quanuis purus, in ſe defectus inuenit.*

Pſalm. 142.

Vatabl.

Tertiò prædictam Fortunati ſententiam ſic explico. *Bene poſt eſcam quæſitam poſtulatur venia peccatorum.* In pane intelliguntur omnia bona temporalia ad vitam neceſſaria vt docent Abulenſis, Toletus data *quæſt.* 13. *num.* 96. Obtentis terrenis rebus homo adeò eſt ad peccatum, præcipitiumque procliuis, vt poſt bonorum temporalium petitionem, ſtatim delictorum veniam incipiat exorare: *Dimitte nobis debita noſtra*; & ita ait Chryſoſtomus *citatus* in catena D. Thomæ. *Dimitte nobis debita noſtra. Poſt ſubſidium cibi petitur & venia delicti.* Facilè ex temporalium poſſeſſione in peccatum prolabitur homo; & ita iam pro venia preces effundit. 119.

Fortunat.

*Per temporalia homo ad peccatum procliuis.*

Chryſoſt.

Cur hæc petitio ſit hoc loco, ſeu ad finem orationis: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* Pulchram dubitationem mouet D. Gregorius Nyſſenus. Vt iam notaui cum Expoſitoribus communiter, ſeptem hîc petitiones continentur. In primis quatuor exoramus bona; in aliis, vt noſtra remittantur peccata, vtque à malis liberemur. Sed cur tam paucas petitiones facimus? Cur à Deo non plura bona exoramus? Cur tam paruis terminis noſtras petitiones coarctamus? Sicut nos dimittimus debitoribus noſtris: deuentum eſt in hoc puncto ad ſummum perfectionis apicem; dum inimicis noſtris, noſque offendentibus iniurias illatas remittimus, iam ſuprà naturæ terminos euehimur, cæleſtique parenti aſſimilamur, *Matth.* 5. *num.* 48. cùm ad eius imitationem inimicis benefaciamus; & tunc noſter appetitus veluti nihil habet, quod iam vlterius deſideret. D. Nyſſenus tract. de Orat. *Sermo venit*, ait, *ad ipſum extremum punctum virtutis: præſcribit enim per verba orationis, qualem velit eſſe eum, qui ad Patrem acceſſurus ſit, qui propemodum non ampliùs inter terminos humanæ naturæ conſpicitur, ſed ipſi Deo per virtutem aſſimilatur, vt alius ipſe Deus eſſe, videatur, dum facit ea, quæ ſolius Dei eſt facere; debitorum enim remiſſio proprium eſt Dei munus.* Expende pulchra vltima verba. Proprias iniurias remittendo, offenſoribus parcendo, valde ſupra proprios noſtræ naturæ terminos ſublimamur: *Vt alius ipſe Deus eſſe videatur, dum facit ea, quæ Dei ſolius eſt facere.* Vide *capite* 14. 120.

Nyſſen.



*Dilectio inimicorum cõſummatio virtutum.*

Nyſſen.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare petamus, quòd Deus dimittat nobis, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris?*

121. HOc, vt iam in expoſitione dixi, certam non ſignificat regulam, quam Deus habeat in dimittendis peccatis; multo enim maiora à Deo nobis dimitti petimus, quàm nos aliis dimittamus, ipſique nobis debeant, ſolùm enim quandam motiuam ſignificat cauſam, qua ad dimittendum diuina bonitas moueatur, vt expreſſiùs habet Lucas 11. num. 4. *Dimitte nobis debita noſtra, ſiquidem & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et hæc cauſa motiua, eſt veluti quædam conditio, qua poſita Deus facile remittet peccata; ea verò deficiente non remittet, vt dicitur infrà num. 15. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis, non dimittet.* Ac proinde hoc eſt veluti quoddam pactum, quod Deus cum peccatore iniit; quòd ſi homo dimittit debita, iniurias, ac offenſiones, & ipſe dimittet; ſi autem peccator non dimittat, nec Deus dimittet. Hoc pactum notat Diuus Auguſtinus *in Enchiridion.* 73. *& homil.* 4. Diuus Chryſologus *ſerm.* 71. D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Albertus Magnus, & alij. Vnde D. Cyprianus tract. de Oration. *Addidit Dominus legem, ait, certa nos conditione, & ſponſione conſtringens, vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundùm quod & ipſi dimittimus, ſcientes, impetrare nos non poſſe, quod pro peccatis petimus, niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus.*

Lucæ 11.

*Pactum inter Deum, & homines de iniuriis remittendis.*

Auguſt. Chryſolog. Paſchaſ. Alb. Magn. Cyprian.

122. Quinque hinc maximè ponderanda veniunt. Primò magna Dei clementia. Pro quo accipe D. Paſchaſium lib. 4. in Matth. *Diligentiùs vnuſquiſque petitionem cautionis dignoſcat; quia ſicut promptus ad indulgentiam circa ſuos debitores extiterit, ſic Deum in ſuis propitium habebit. Hoc enim ſperare docemur à Domino, & in noſtra ponitur poteſtate.* Quod etiam docet D. Chryſoſtomus. Iniuriæ in Deum grauiſſimæ ſunt; vt tamen de iis veniam habeamus, in noſtra eſt poſitum poteſtate, ſi fratri noſtro dimiſerimus.

Paſchaſ.

*Deus in noſtra manu reliquit, vt ipſe nobis dimitteret.*

Chryſoſt.

123. Secundò. Magna Dei liberalitas, vt docet Diuus Gregorius Nyſſenus *tractat. de Orat.* Quæ enim nos dimittimus, minima ſunt; & tamen ob illorum dimiſſionem petimus, vt maxima à Deo nobis dimittantur. Tertiò diuina bonitas, vt ait citatus Nyſſenus. *Ordo quodammodo inuertitur, vt audeamus ſperare futurum, vt Deus noſtra facta imitetur, vt dicas: Quod ego feci, Domine fac; ſolui, ſolue; dimiſi, dimitte.* Et Theophylactus hîc: *Habet me Deus, vt exemplar, & quod facio aliis, facit & mihi.* Tanta eſt diuina bonitas, vt Deus ipſe quodammodo imitatorem noſtri ſe facere velit; proinde enim dicere docemur, *Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus*; quaſi, Imitare nos; fac ſicut nos fecimus. Vt etiam ponderat Cardinalis Toletus *in cap.* 11. *Luc. annot.* 14. Vide quæ dixi *capite* 14. *quæſt.*....

Nyſſen.

Idem.

Theophyl.

*Magna Dei bonitas.*

Toletus.

124. Quartò, Dei æquitas. Idem Nyſſenus *Iudicium de proximo; quod in tua poteſtate eſt, qualecunque fuerit, ſententia par erit, & reſpondebit. Quæ enim apud te ſtatueris, hæc tibi per Deum in diuino iudicio confirmabuntur. Tuam affectionem Deus ad bonum pro exemplo eſſe vult, vt tu ad Deum dicas, quod ego feci, fac*, &c. Tanta eſt Dei æquitas, vt quidquid boni proximo feceris, par à Deo te accepturum expectes. Et ita quæ volumus, vt nobis veniant à Deo, ſimilia & nos proximis exhibeamus.

Nyſſen.

*Talis tibi Deus, qualis tu proximo.*

125. Quintò. Eximia Dei beneuolentia. D. Bernardinus tom. 1. ſerm. 6. in prima feria 6. Quadrageſimæ. *Sicut nos dimittimus debitoribus noſtris, vt oſtendatur, quòd in præſenti vita amoris actus, prout in Deum abſolutè refertur, non vtique eſt perfectus, ac per conſequens nec Deo perfectè gratus, niſi ad dilectionem proximi, vſque ad inimicos, & vſque ad indulgentiam offenſorum ſe patenter oſtendat.* Valde mirum, quod non dicimus: *Dimitte debita noſtra, ſicut ſanctificamus nomen tuum*; ſicut petimus, vt fiat voluntas tua; vel ſicut optamus, vt pacificum tuum regnum deſtructis aduerſariis veniat; ſed dicimus: *Sicut dimittimus debitoribus noſtris.* In illis enim petitionibus, vt ſanctificetur eius nomen, vt fiat eius voluntas, vt adueniat eius regnum, noſtrum erga Deum explicamus amorem; hîc verò cùm dicimus: *Sicut dimittimus debitoribus noſtris*; noſter ſignificatur erga proximum amor: non enim datur perfectus Dei amor, niſi & amorem proximi ſecum deuoluat, ac inimicorum dilectionem importet.

Bernard.

*Non datur perfectus Dei amor ſine proximi amore.*

126. Quæres: Vtrùm mentiatur, ac contra ſe deprecetur, qui ſuis offenſoribus iniurias dimittere nolit, dum hanc orationem dicit, *Sicut dimittimus debitoribus noſtris?* Sunt multi, qui dicunt, quòd iſte in tali oratione mentiatur. Ita Imperfectus *homil.* 14. D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domin. in monte. cap.* 8. Et D. Chryſologus *ſerm.* 69. ait: *Qui ſic petit, & debita noſtra relaxat, iſte ſe etiam, per quod orat, accuſat.* Rectè tamen reſpondendum eſt primò cum D. Thoma, quòd iſte nec mentitur, nec contra ſe deprecatur. Oratio enim fit in perſona Eccleſiæ, quæ debitoribus debita

*An qui inimicis nõ parcit, in hac oratione mẽtiatur?*

Imperfect. Auguſt. Chryſolog.

D. Thom.

dimittit; & in qua, vt ait Abulenſis *quæſt.* 116. ſunt multi, qui debitoribus debita dimittunt. Non enim dicimus: Dimitte, ſicut ego dimitto; ſed ſicut nos dimittimus. Vel dic, quòd hæc verba proferimus tanquam formulam orandi à Chriſto præſcriptam; per quam, ad dimittendas iniurias, gratiam petimus, & etiam monemur dimittere debitoribus noſtris.

*Matth.6.n.* 13. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.

*VERSIONES.*

*D. Aug. lib. 2. de ſerm. Dõ. c.* 9. Et ne nos inferas in tentationem.
*Tertull. lib. de Orat. cap.* 8. Sed euehe nos à malo.
*Multi ex Græc.* Sed libera nos à re mala.
*Syriacus.* Sed libera nos à malo. Quia tuũ eſt regnum, & potentia, & gloria in ſæcula ſæculorum.

ALTER TEXTVS

*Lucæ* 11 *n.*3. Et ne nos inducas in tentationem.

## *EXPOSITIO.*

127. SEXTA petitio. Obtenta venia à peccatis commiſſis, docet nos Dominus petere à futuris malis præſeruationem, ne deinceps in peccata incidamus. Et petimus? *Ne nos inducas in tentationem*; hoc eſt, Domine, ne patiaris, vt nos à tentatione vincamur, ac ſuperemur; ſed vt cum victoria ab illa euadamus, vt clariùs dicam quæſt. ſequenti. *Sed libera nos à malo.* Ecce ſeptima petitio, vt docet Diuus Auguſtinus. Et in ea deprecamur, vt Deus liberet nos ab omni re mala, quæ ad peccatum trahit, & virtuti obſtaculum eſſe poteſt, *Amen.* Diuus Hieronymus. (Hieron.) Hoc eſt ſignaculum Dominicæ orationis, approbantis, ac orantis, vt fiat id, quod petimus. Et de hac voce plura dixi ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 11. Illa autem verba, quæ adduntur in textu Syriaco: *Quoniam tuum eſt regnum*, &c. nec ab Eccleſia, nec à Latinis Patribus adhibentur, ſed fortè Græci poſt orationem Dominicam illa addebant. Et ea explicant Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus *hîc*. (Chryſoſt. Euthym. Theophyl.)

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quid exoremus à Deo, dum petimus:* Ne nos inducas in tentationem.

128. VARIÆ ſunt in hac re Patrum ſententiæ, quas ad triplicem ordinem reduco. Primò Diuus Chryſoſtomus (Chryſoſt.) *homil.* 14. *in Imperfecto*, Euthymius, Diuus Gregorius *lib.* 3. *Moral. cap.* 3. (Euthym. Gregor.) interpretantur: Ne permittas, nos tentari vltra id, quod poſſumus, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 10. (1. Cor. 10.) *Fidelis Deus, qui non patitur, vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Secundo D. Hilarius *can.* 31. *in Matt.* Diuus Chryſoſtomus *hom.* 20. & Maldonatus eam tribuit Tertulliano, D. Cypriano, qui (Hilar. Chryſoſt. Maldon. Tertull. Cyprian.) docent, quòd nos conſcij, ac memores fragilitatis noſtræ, petimus à Deo, ne tentemur, nec in tentationem incidamus, multum enim fragiles ſumus. Vnde Chriſtus Dominus dixit ſuis diſcipulis: *Orate, ne intretis in tentationem*, Matth. 26. n. 41. (Matth. 26.) Tertiò D. Baſilius *in Moralibus regula* 62. *cap.* 2. Tertullianus *lib. de Orat. cap.* 8. D. Chryſoſtomus *citatus*, (Baſil. Tertull. Chryſoſt.) ita explicant, vt petamus, ne Deus permittat, vt ob noſtram fragilitatem nos tentationibus ingeramus, ſed ab eis maximè diſtemus.

129. (Iacob. 1.) Hæ ſententiæ probabiles ſunt. Tamen Iacobus ait cap. 1. num. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis*; nam certamine coronamur, illoque probatur, exercetur, ac perficitur virtus. Et ſolus miles ignauus petit à duce, ne in prælium mittatur. (*Miles ignauus vult, in prælium non mitti.*) Illud autem, quod dicitur, quod petimus, ne ſupra noſtras vires tentemur, verum eſt, quòd hoc eſt beneficium omni petitione dignum; tamen eſt plus petendum à nobis, multi enim tentati, non ſupra, ſed infra id, quod poſſunt, tentatione vincuntur. Et ideò abſolutè exorandum eſt auxilium ad omnem tentationem vincendam. Tertia etiam explicatio ſuam habet difficultatem, vt ponderat. Toletus *annot.* 15. (Tolet.) Nam illa doctrina: Ne patiaris, vt ingeramus nos tentationi; non accommodatur verbis huius petitionis; potius enim dicunt paſſionem, quàm actionem. Deinde in hac ſententia oratio fertur ad caſum particularem, vt, ne homo ingrediatur tentationem, frequentiſſimè tamen tentationes nobis obueniunt, ac ſe obuiam præbent, & nos prouocant.

130. (*Probabilior explicatio.*) Quarta, & longè probabilior explanatio, quòd in hac oratione petimus: *Ne nos inducas in tentationem*; hoc eſt, ne patiaris, nos à tentatione vinci, ac in peccatum incidere. Id docent Diuus Auguſtinus *lib.* 2. *de verbis Dom. capite* 9. Diuus Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Albertus Magnus, D. Thomas, Abulenſis, Lyranus, Caietanus, D. Bonauentura *in capite* 11. *Lucæ.* Carthuſianus, & alij. (Auguſt. Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom. Abulenſ. Lyran. Caiet. Bonauent. Carthuſ.) Veriſimilius enim eſt, Chriſtum Dominum non docuiſſe, ſuos milites petere, ne in certamen venirent, nam in certamine perficitur virtus; ſed petere victoriam, & trophæum in pugna. Et ita ait Diuus Paſchaſius (Paſchaſ.): *Non oramus vt non tentemur, ſed ne inducamur in tentationem, hoc eſt, ne tentatio ad modicum vincat, hoc quippe eſt dicere, ne nos inferas in tentationem. Non enim beatificatur quiſpiam, quòd non tentatur; ſed quia poſt tentationem victor diuinitus coronatur. Petimus ergo, ne nos tuo deſtituas auxilio, vt tentatio vincat.* Ita Diuus Paſchaſius. (Paſchaſ.)

131. (Tertull.) In hoc ſenſu explana lectionem Tertulliani: *Ne nos inducas in tentationem, ſed euehe nos à malo.* Qui euehitur, in eminentiori, ac altiori loco ponitur. (*Homo, cum in tentatione vincit, ſublimatur.*) Qui enim tentationem vincit, ac ab illa victor egreditur; iam euehitur ad altiorem locum, vt inde faciliùs omne malum, ac peccatum valeat profligare, atque deſtruere. Et ita contra hos



hos fortes milites Diabol. inſurgere timet. Nam, vt rectè ait D. Ambroſius (Ambroſ.) *in cap.* 4. *Lucæ*, ad illa verba: *Diabolus receſſit ab illo*, ait S. Doctor: *Inſtare formidat*, ſcilicet Diabolus, *quia refugit triumphare.*

## QVÆSTIO XIX.

### *A quo malo liberari deprecemur?*

132. VARIE explicatur ab auctoribus, quid *malum* hîc ſignificet, dum dicimus: *Libera nos à malo.* Et ad hoc præbuit occaſionem radix Græca, (Radix Græc.) quæ anceps eſt ad maſculinum, & neutrum genus. Primò Græci, vt D. Chryſoſtomus, D. Gregorius Nyſſenus, Theophylactus, Euthymius, & D. Chryſologus *ſerm.* 70. (Chryſoſt. Nyſſen. Theophyl. Euthym. Chryſolog.) per *malum* interpretantur Diabolum; nam ipſe per antomaſiam eſt malus. Et à D. Chryſologo *citato* origo totius mali appellatur. Et multum fauet aliquorum lectio, *libera nos à maligno.* Ac proinde oratio hîc idem valet, ac libera nos à Diabolo, qui per malos homines nos tentat.

133. (*Verior ſententia,* Beda. Cyprian. D. Thom. Abulenſ. Caietan. Carthuſ.) Secunda, & vera ſententia, quam docent D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domin.* D. Cyprianus *tract. de Orat.* D. Thomas, Abulenſis, Caietanus, Catthuſianus, & alij. Per *malum*, non Diabolum, ſed omne malum intelligunt, quod poteſt nos ad peccatum inclinare, ac impellere, & à via virtutis, ac perfectionis retrahere. Ac proinde Græcè idem valet, ac libera nos ab omni re mala. Et ita hîc non ſolùm petimus, vt aliqui interpretantur, vitationem culpæ, ſed etiam liberationem pœnæ.

134. (Auguſt. *Liberari à luxuria exoramus.* Hugo.) Anagogicè verò D. Auguſtinus *Epiſtol.* 121. exiſtimat, nos hîc petere, vt liberemur à malo, id eſt, à concupiſcentia. Hugo de ſancto Victore *lib.* 2. *Allegoriarum cap.* 14. exiſtimat, noſtram orationem eſſe, vt liberemur à luxuria. Sic ait ille. *Libera nos à malo. Hæc eſt ſeptima petitio, quæ contra vitium luxuriæ opponitur. Ecce ad te clamamus captiui, qui te contempſimus liberi. Turpitudo captiuos nos tenet, vt confundatur præſumptio. Libera ergo nos à malo. Malum eſt hoc, Domine, non ſicut cætera mala, crudeliùs perſequitur, profundiùs nocet, efficaciùs lædit; blanditur, vt fallat; lenocinatur, vt perimat: mentitur dulcedinem, vt amaritudinem infundat. Ideo, Domine, difficiliùs vincitur, tardiùs extirpatur, quia noſtris deſideriis aduerſùs nos pugnat.* (*Luxuria malum grauiſſimum.*)

135. (*Difficultas inſurgens.*) Sed tunc inſurgit difficultas: Cur clariùs non docet nos Dominus, vt dicamus: Libera nos à fornicatione, ſeu luxuria; nam etiam puriſſimum Chriſti os, ad nos docendos, huiuſmodi verbum protulit aliquando Matth. 5. num. 33. (Matth. 5. & 19.) *Qui dimiſerit vxorem, excepta fornicationis cauſa.* Et cap. 19. num. 9. *Qui dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem.* Cur ergo hîc etiam talia verba non exprimit? Magna ſapientia diuinus Magiſter omnia diſponit. In his vltimis locis ita fatur; quia ſi vocabulum generale, & latum habens ſignificatum promeret, homines in leui cauſa arriperent occaſionem habendi vxores inuiſas, ac earum conſortium vitandi; ideo vt talis anſa amputaretur, valde congruum fuit reſtrictè fornicationis verbum declarare. At verò in oratione hac, in qua talis neceſſitas non vrgebat, verbum *luxuriæ* redolens prætermittit, & aliud magis genericum. *Libera nos à malo*, profert. (*Luxuriæ nomina ablegãda ab ore puro, & ab oratione.*) Tum quia pudiciſſimum Chriſti os nuda libidinis verba, quantum fieri poterat, deuitabat; tum etiam, vt in oratione, excluſis illis impudicæ cupiditatis vocabulis, noſtræ preces dulciùs, & ſuauiùs aſcenderent ad Patrem; & ne fornicationis vocibus diuinæ aures exaſperarentur; ideo inuertuntur verba; & pro, libera nos à fornicatione, apponitur, libera nos à malo. Vide ſuprà *c.* 13. *n.* 6. *&* 7.

*Matth.* 6. *n.* 14. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.

*Ibid. num.* 15. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

*VERSIONES.*

*Syriacus, Vatablus.* Si enim remiſeritis hominibus errata eorum.
*Græcus.* Offenſas, quibus vos offenderunt.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 11. *n.* 25. Et cùm ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habebitis aduerſùs aliquem: vt *&* Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.

## *EXPOSITIO.*

REDDIT Dominus cauſam, ob quam nos præcepit, in oratione dicere: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; 136.
quia eſt veluti quædam conditio, & pactum, vt qualis ſe homo proximo ſuo exhibuerit, veluti pari iure Deum apud ſe inueniet. Remittentibus offenſas ſuas, remittuntur & illis peccata. Vindicantes verò viciſſim Dei vindictam contra ſe prouocant. Illud tamen notandum, quòd maximè Dominus nobis commendat hîc remiſſionem iniuriarum, ac inimicorum dilectionem, vt ponderauit D. Chryſoſtomus (Chryſoſt.) homilia 20. *Abundantiùs*, ait, *oſtendere volens, quantam huius rei curam gerat: id ipſum ſpecialiter inculcauit. Et poſt impletam orationis formulam, nullius prorſus mandati meminit, niſi iſtius certè, quod ad dandam nos veniam concitauit.* Vult Dominus, vt tam inſinuata ſit in cordibus noſtris inimicorum dilectio, (*Inimicorum dilectio maximè inculcatur à Domino.*) quòd inter omnes ſeptem petitiones, tam quæ ad Dei honorem, quàm quæ ad noſtrum commodum ſpectant, eam ſolam iterum, aſſignata ratione, repetit, & inculcat.

# CAP. XVI.

## *Ieiunandum abſque hypocriſi.*

*Matth.6.n.16.* Cùm autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam,

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ne ſitis atrati, ſicut acceptores vultus, hypocritæ, deturpant enim vultus ſuos, vt appareant. |
| *Vatablus, Pagninus.* | Sicut hypocritæ tetrici, obſcurant enim facies ſuas, vt videantur hominibus ieiunare. Abſtulerunt mercedem ſuam. |
| *Multi ex Græco.* | Sicut hypocritæ vultuoſi, vel obſcuri, ſeu auſteri. |
| *D. Zeno ſerm. de Ieiunio.* | Cùm ieiunatis, nolite effici triſtes, ſicut hypocritæ faciunt. |
| *D. Hieronymus.* | Demoliuntur facies ſuas. |
| *D. Chryſoſtom. homil. 21.* | Corrumpunt facies ſuas. |
| *D. Hilarius.* | Conficiunt facies ſuas. |
| *Alij ex Græco.* | Labefactant, obliterant facies ſuas. |
| *Arabicus.* | Vt appareant ieiunia eorum. |

### *EXPOSITIO.*

1\. Chryſoſt. DOCVIT Dominus in ſuperioribus formam eleemoſynæ, ac orationis; nunc docet ieiunandi modum: quia, vt ait Chryſoſtomus homil. 21. *Infirma eſt oratio ſine ieiunio.* Et antequam de hoc diſſereret, præmiſit tractationem de eleemoſyna, vt patet *in hoc cap.6.n.2.* Quia, vt ait D. Chryſologus ſerm. 8. *Fratres, eſurit ieiunium, ieiunium ſitit, quod non pietatis cibo paſcitur, quod potu miſericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, deficit, quod non eleemoſynæ vellus tegit.* Ieiunio coniunge eleemoſynam. Et ſicut Chriſtus Dominus in eleemoſyna, ac oratione malum hypocriſis deteſtandum dixit; ita hîc etiam in ieiunio docet. Et peculiariter in his tribus virtutibus hoc vitandum expreſſit, quia maximè conſiſtunt in actionibus exterioribus, vt iam notaui ſuperiori cap. *num.1.& 5.*

Chryſolog.

*Ieiunio eleemoſyna coniungenda.*

2\. *Quatuor hîc notanda.* *Nolite fieri ſicut hypocritæ.* Quatuor hîc docet Dominus. Primò hypocritarum vitium fugiendum. Secundò illorum modum. Tertiò illorum intentionem. Quartò condemnationem. Vitium malignum hypocritarum fugiendum; eſt enim gens ficta, & ſimulata, vt dixi *ſuperiori cap. num.* 12. Et ait Dominus: *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Rectè notant D. Thomas, & Hugo, quòd, dum dicit, *nolite*, prohibet, non ſolùm facere, ſed velle; quia in voluntate radix merendi, & demerendi eſt. Et non ait: Nolite eſſe; ſed *nolite fieri*; quia in hypocrita nihil eſt in veritate rei eorum, quæ apparent, ſed tantùm in apparentia, ac ſimulatione. Vnde ait Chryſoſtomus homil. 21. *Dum fingunt, ſe ieiunare, non ſunt triſtes, ſed fiunt.* Et non dixit Saluator: Nolite eſſe triſtes, vos ô Diſcipuli mei, ſicut hypocritæ; ſed nolite fieri. Idem Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 15. *Sciens Dominus*, ait, *quia non poteſt fieri, vt ſit hilaris, qui ieiunat: ideo non dixit, Nolite eſſe triſtes, ſed, nolite fieri triſtes.* Parcimonia, ac cibi defectus ſæpe triſtitiam generat; non vetat eſſe triſtes, ſed fieri per impoſturas, ac falſas apparentias.

D Thom. Hugo.

*Voluntas radix merendi.*

Chryſoſt.

Chyſoſt.

*Ex cibi defectu triſtitia.*

3\. Secundò illorum modus. *Exterminant facies ſuas. Exterminare*, hoc eſt, extra terminos ponere. Hypocritæ dicuntur exxerminare facies, vt explicat Simon Caſſianus *lib.10. cap.36.* Abulenſis; quia extra terminos facierum humanarum ponunt facies ſuas, vt videantur effigies mortuorum. Et ad hunc ſenſum conducunt cæteræ lectiones: *Demoliuntur, corrumpunt, conficiunt, obſcurant facies ſuas.* Et quanuis ex ieiunio naturaliter ſequatur maceries, vt notat Albertus Magnus; tamen hæc non debet eſſe intentio noſtra, ſed vt Deo placeamus in gaudio. Tertiò, eorum intentio. *Vt appareant hominibus ieiunantes*, hominibus, qui vident ſolùm exteriora, *1.Reg.16.num.7.* Iſti autem hypocritæ, vt ait D. Maximus homil. in die Cinerum, *non Deo ieiunant, ſed hominibus*, quibus placere volunt. Quartò. Eorum condemnatio. *Receperunt mercedem ſuam*, nempe hominum laudem, quam quærebant, vt explicaui *ſuperiori cap. quæſt. 1. num. 8.* ex D. Chyſologo. Seu, vt explicat Albertus Magnus, receperunt mercedem iuſtitiæ vindicantis, quam ſuis culpis meruerunt.

Caſſian. Abulenſ.

Albert. Mag.

1.Reg.16. Maximus.

Chryſolog. Albert. Mag.

## QVÆSTIO I.

### *Quare Dominus hîc non præcipiat, ſed ſupponat ieiunium.*

4\. *Difficultas quæſtionis.* COMMVNIS eſt omnium Expoſitorum vox, quòd Dominus hoc loco non præcipit, ſed ſupponit, aliquando ieiunandum eſſe. Non enim dixit: Ieiunate, ſed ait, *cùm ieiunatis.* In quo apertè ſupponit; aliquando ieiunandum eſſe; non tamen determinat, nec explicat tempus, quando eſt ieiunandum, nec modum ipſius ieiunij.

5\. Abulenſ. Reſpondeo primò cum Abulenſi hoc loco *in Commentario*, quòd Dominus hîc non præcipit, ſed



ſed loquitur abſolutè, ſupponendo ieiunium, quia modò agebat tam de ieiuniis ſpontaneis, ex deuotione aſſumptis, quàm de illis, quæ per Eccleſiam imponuntur; quia in omnibus tenenda eſt iſta forma, quam Dominus hoc loco tradit, vt ieiunium ſit vtile. Ne quis ergo erraret, ſibi perſuadens, quòd hoc tantùm militabat in ieiunio ex præcepto; non verò in illo, quod ex deuotione aſſumitur, ideo Dominus de eo abſolutè diſſerit.

*Hypocriſis vitanda in omni ieiunio.*

6\. Secundò. Dare ieiunandi præcepta, quo ad tempus, & modum: ſeu determinare, quibus diebus ſit ieiunandum, & à quibus cibis abſtinendum, ad regimen Eccleſiæ ſpectat. Cùm autem eius gubernaculum Petro, ac eius ſucceſſoribus eſſet committendum, noluit Dominus ſe in huiuſmodi diſpoſitione intromittere: non enim ſolet Deus functiones, ſuis miniſtris datas, interrumpere, ſed eorum munera integra obire ſinit: nec enim officia conceſſa interpollanda ſunt; quandiu miniſter in munere non deficit. Dum Sara audit à Domino promiſſum de filio habendo, riſit occultè. *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara?* Gen. 18. num. 9. Sed cur Dominus ipſam non reprehendit? Cur non ait ad illam: Quare riſiſti? Sed hoc ait viro ſuo. Diuino ſanè conſilio. Nam à mundi exordio datum eſt viro imperium ſuper mulierem: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi*, Gen. 3. num. 16. Ne ergo dominium, ſuper mulierem, viro datum, Dominus vſurpare videretur; ideo non eam ad ſe aduocat, ac reprehendit, ſed viro permittit, vt functiones ſuas adimpleat, atque vt eam arguat, & illius riſus ſuggillet. Hugo de S. Victore in annot. in Gen. *Quare*, ait, *riſit Sara vxor tua? virum increpat, quòd eius eſt, caſtigare vxorem ſuam.* Vide *lib. 1. cap. 5. num. 16. & in hoc lib. cap. 1. num. 118. & cap. 2. n. 5. & c. 5. n. 18.*

*Officia, miniſtro data, non ſunt interpollanda.*

Geneſ. 18.

Geneſ. 3.

Hugo.

7\. *Exemplum multum mouet.* Vertiò. Videbat Dominus, quòd ante ſuorum oculos erat poſitum ſuum ieiunandi exemplum; & tanti Domini documentum, efficaciſſimum erat mandatum ad huiuſmodi obſeruantiam amplectendam. Quartò. Non curat Dominus, præcipere, vt ſui ieiunent; ſed quomodo abſque hypocriſi ieiunent, ſciebat enim, ſuos ſpiritu accepto, ac cæleſti gratia infuſa, ieiunaturos; maximè enim ipſum ieiunium, tanquam medium valde proportionatum, requiritur ad vincendos mundanos inſultus, carnis appetitus, & Diaboli inſtigationes.

*Ieiunium ad vincendas tentationes efficaciſſimū.*

8\. Luc. 18. Aiebat Phariſæus: *Non ſum, ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri: ieiuno bis in Sabbato; decimas do omnium, quæ poſſideo*, Luc. 18. num. 11. Gloriatur Phariſæus, quòd à vitiis ſit alienus, & totius legis obſeruator. Sed ad hæc quid primum dicit? quid primum iactat? *Ieiuno bis in Sabbato*, ait. Sciebat enim: quòd vbi ieiunium regnat, ibi & vitiorum propulſatio, & omnium virtutum corona ineſt. D. Ephrem in Catena Græca. *Adulterij à ſe crimen remouens, ieiunium iactauit, ſatietas enim ſtupri pater eſt, & in ſaturitate reperietur laſciuia.*

*Ieiuniū mala depellit.*

Ephrem.

9\. In turpiſſimum idololatriæ ſcelus prolabitur populus adorans vitulum. Et cùm ira diuina in ipſum vellet ſæuire, eumque omnino perimere, dicitur Moyſi: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam*, Exod. 32. numero 10. Moyſes verò vehementer pro eis exorat, ac omnium aliarum nationum clauum ſpernit, vt populum ſuum regat, & tueatur. Immò diuinæ iræ pro eis ſe offert: *Dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo*, ibidem num. 31. At verò, cùm poſtea Iſraëlitæ deſiderio carnium æſtuarent, Moyſes eo regimine ita grauatum ſe ſentit, vt ab ipſo liberari vehementer à Deo expoſcat: *Non poſſum ſolus*, dicebat, *ſuſtinere hunc populum, quia grauius eſt mihi, ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me*, Numero 11. num. 13. Cur ergo Moyſes, gentem illam idoiolatriæ ſcelere videns infectam, adhuc pro ea rogat, & illius regimen à ſe excutere non patitur; at verò, gula in omnibus debacchante, ita Iſraëlitico gubernaculo moleſtatur, vt etiam vitæ commutatione ab illo commutari, deponique velit? Nónne idololatriæ ſcelus eſt multo grauius? Certiſſimum. Quis dubitat? Tamen cùm gula omnia peccata catenatim ruunt; nam ipſa iram acuit, furorem excitat, libidinem inflammat, in idololatriam, ac in omne malum animos impellit, & ſcelus vnum cùm ſit, omnium eſt incitatiuum vitiorum. Cùm populus in idololatria eſſet detentus, adhuc Moyſes concipiebat de illius melioratione fiduciam; quam tamen amiſit, dum ipſum gulæ deliciis, tanquam immedicabili malo, vidit irretitum. Caietanus ad citatum locum Numerorum, *Magna afflictio eſt paſtoris animarum, peccatum quaſi incorrigibile.* Et hac de cauſa Moyſes modò ſe ita illius regimine affligebat, illudque à ſe executere affectabat.

Exod. 32.



Numer. 11

*Gula immedicabile malum, & omnium vitiorū incitatiuum.*

Caiet.

## QVÆSTIO II.

### *Quare Dominus hypocriſis malum tam vehementer à ſuis ſummouere velit?*

QVANVIS Dominus ſuis ſermonibus vitiorum turpitudines dānaret; de hypocriſis tamen deteſtatione frequentiùs ſermonem habet, tam hoc loco, quàm in hoc *cap. 6. n. 2. & 5. & cap. 7. n. 5. & 15. num. 7. & 22. num. 18. & 23. num. 3. 14. 15. & 24. n. 51. Lucæ 6. n. 42. & 12. n. 56.* & ſæpe alibi. Et hoc Dominus tam inſtanter docebat, vt ita ſuis maximè inſinuaret, ac commendaret, vt ab huiuſmodi hypocriſis peſte procul eſſent. Adeò mortiferus eſt morbus iſte, vt dicat Simon Caſſianus lib. 10. cap. 36. *Quid huic dementiæ poſſet æquari in malo, penitus non inuenio.* Et D. Petrus Chryſologus ſerm. 7. *Hypocriſis*, ait, *ſubtile malum, ſecretum virus, vehemens malum, virtutum fucus, tinea ſanctitatis.* 10.

*Hypocriſis inter omnia mala grauiſſimum.*

Caſſian.

Chryſolog.

11\. Miſſis multis, quæ dici poſſunt de hoc malo, de quo iam etiam ſuperiori *cap. 15. numero 38.* vbi dixi, hypocriſim quoddam eſſe idololatriæ genus. Hîc breuiter tria noto. Primò. Eſſe gentem fictam; & ideo, vt iam expendi in expoſitione, dicitur: *Nolite fieri*; quia in eis nihil eſt in veritate rei. Secundò. Virtutis ſpecie virtutem impugnante. *Exterminant facies ſuas*; vt illa pallida facie, tanquam imagine mortis contra virtutem belligerent. Tertiò. Simulata religionis vmbra: *Vt appareant hominibus ieiunantes*; contra virtutem armantur; & ita receperunt in hoc ſæculo mercedem ſuam, vt habeant in futuro æternam damnationem.

*Hypocriſis multa mala generat.*

12. Cassian. *Hypocritæ Diaboli pictores.* *Hypocritæ gaudiũ breuiter tranſit.* Iob.20.

Primò. Simulatio hypocritarum quàm graue malum ſit, optimè deſcribit citatus Simon Caſſianus. *Nolite*, ait, *in ieiunio hypocritis ſimiles fieri, qui ſunt pictores Diaboli, periti ſua doctrina in arte pingendi. Non enim pictores, cùm aliquam ex diuerſis ſubiectis coloribus volunt formare imaginem, de interioribus curant, quomodo ſtomachus, cor, pulmo, iecurque locentur, aut qua ſerie inteſtina cætera diſponantur; ſed dumtaxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora reddantur. Deteſtabile quidem eſt hypocritarum genus, qui exterminant facies ſuas, illas præ triſtitia, ſeu aliquo artificio immutantes, non vt rectè agant à virtute in mentibus prius acti, ſed vt hominibus appareant ieiunantes.* Talis eſt ſimulatio hypocritarum, ſolùm de exterioribus agunt, cùm interiora omni vitio, atque immunditia plena ſint. Et ideo eorum gloria, atque lætitia breuiter tranſit. Iob. 20. num. 5. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.*

13. Matth.22. Hilar. Chryſoſt. Hieron. *Simulatores ſuſtineri non poſſunt.* Ambroſ.

In ſolenni celebritate nuptiali dilecti filij ſui vidit Rex inter conuiuantes hominem non veſtitum veſte nuptiali; ſtatim mandat ſeruis ſuis: *Ligatis manibus, & pedibus mittite illum in tenebras exteriores*, Matth. 22. num. 11. Meritò dubitabis, cur Rex inter nuptialia conuiuia rigidas exequitur tormentorum ſententias, & inter feſtiua gaudia dira mortis ſupplicia immiſcet? Cur Rex non permittit, priùs finiri conuiuium, & capitalem ſententiam tunc in hominem fert? Sed vbi primum ipſum vidit, ſtatim ſuppliciis alligari imperat? Ille homo non habebat interiorem veſtem virtutibus, ac bonis operibus intextam, vt explicat D. Hilarius, Chryſoſtomus, ac Diuus Hieronymus; & tamen exteriùs fingebat in illo regali conuiuio exultari, ac lætari: & clementiſſimus Rex, qui alios peccatores patienter ſuſtinet, talem ſimulatorem nec patitur ad temporis punctum, ſed indilatè debita pœna multari mandat D. Ambroſius ſerm. 3. de Natiuit. in Homiliario. *Propterea ergo*, ait, *ſublatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non ſolum quia peccator erat, ſed quia peccator cùm eſſet, ſanctitatis ſibi meritum vendicabat.*

14. Chryſolog. *Hypocrita virtute virtutem impugnat.* Hilar. Exod.10. *Summa malitia iuſtitiam iuſtitia impugnare.*

Secundo. Hypocriſis virtute virtutem impugnat. Quod eleganter dixit D. Petrus Chryſologus ſerm. 7. *Hypocriſis*, ait, *crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat; miſericordiam miſeratione proſternit.* Crudele vitium, grande malum, vt virtutem virtute impugnet. & contra iuſtitiam iuſtitiæ ſpecie armetur. Hoc argumento grauiter D. Hilarius *lib. contra Conſtant. Auguſtum*, aduersùs ipſum hæreticum vtitur, & vehementer illum ſic pungit: *Chriſtum confitetur, vt neget virtutem*, ait, *procurat, ne pax ſit; hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint; Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint; Eccleſiæ tecta ſtruit, vt fidem deſtruat; nulla grauior iactura, quàm ſub religionis ſpecie Chriſtum opprimere.* Cùm Pharao plagis vexaretur, ait ad Moyſem: *Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos*, Exod. 10. num. 17. Sed ipſe cùm putridus eſſet, omnique malitia plenus, vt docent communiter Patres, quomodo oſtendit pœnitentiæ ſigna, qua Deus maximè pacatur, atque ad miſericordiam flectitur? Cùm Pharao omni eſſet repletus nequitia, hoc in eo malum non defuit, vt ſpecie virtutis iuſtitiam impugnans contra illam belligeraret. Et ideo oſtenſione pœnitentiæ contra Dei mandatum, ac Moyſem armatur, vt ſuam tyrannidem in populum Iſraëliticum exerceat. Sic & Saul, qui infernus, ſcilicet malorum interpretatur, vt teſtantur, Delrius *in Adagiis veteris Teſtamenti, Adagio* 197. Venatus *tom.* 1. *de hiſtoria ſacra. ſect.* 8. *problem.* 453. Religionis prætextu oues ad ſacrificia contra Dei mandatum ex Amalech adducit 1. *Reg.* 15. *num.* 20. Pergit citatus Hilarius contra hæreticum. *Oſculo Sacerdotes excipis, quo & Chriſtus proditus eſt; caput benedictioni ſubmittis, vt fidem calces, conuiuio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egreſſus eſt; quæ tua ſunt relaxas, vt quæ Dei ſunt amittantur; hæc tua, falſa ouis indumenta ſunt.*

Delrius. Venatus. Hilar.

15. Maximus. 2.Reg.21. Lyran. Abulenſ. Caiet. *Grande malum, peccare religionis prætextu.* Carthuſ.

Tertiò. Dum ſub religionis vmbra contra iuſtitiam pugnant, æterna ſupplicia ſibi acquirunt, vt docet Chriſtus: *Receperunt mercedem ſuam*; & notat D. Maximus *homil. in die Cinerum.* Inter omnia peccata illud, quod fit ſub religionis prætextu, diuinam iram maximè ſolicitat, ac mouet. Dauidis temporibus graui fame vrgetur populus. Ipſi autem oraculum Domini conſulenti dictum eſt: *Propter Saul, & domum eius ſanguinum quia occidit Gabaonitas*, 2. Reg. 21. num. 1. Sed cur punitur Populus ob peccatum Saulis tam antiquum, ac domum eius ſanguinum, id eſt, quæ multum effudit ſanguinem, vt explicant Lyranus, Abulenſis, Caietanus. Et ſi ob Saulis peccatum ſupplicium eſt infligendum, cur non ob vſurpatum ſacerdotale munus; cùm enim Sacerdos non eſſet, holocauſta obtulit? Vel cur non ob Sacerdotum necem? Vel ob iniuſtas contra Dauidem perſecutiones? Sed affligitur Populus ob Gabaonitas à Saule interfectos? Rationem inſinuat textus ibidem num. 2. *Voluit Saul percutere eos zelo, quaſi pro filiis Iſraël.* Tam grande nefas eſt, ſcelus prætextu religionis commiſſum, Deoque tam abominablile, vt poſt multum temporis ſuper omnia turpiſſima Saulis flagitia diuinam iram, ac vindictam promeruerit. Carthuſianus ibid. *Saul*, ait, *Gabaonitas percuſſit, fingens, & ſimulans, ſe hoc facere zelo legis, in qua Moyſes dixit, Amorrhæos omnino exterminari ad vtilitatem vndecim Tribus. Verumtamen zelus Saulis fuit indiſcretus.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare Dominus iubeat, in ieiuniis noſtris ne ſimus triſtes ſicut hypocritæ?*

16. Albert.Mag. Hugo. *Littoralis ratio.*

RESPONDEO primò ad quæſtionem cum Alberto Magno, Cardinali Hugone, Dominum in ſuis non prohibere triſtitiam; nam triſtitia, quæ oritur ex contritione, ac compunctione peccatorum, bona, & ſancta eſt. Deinde, vt ipſi aiunt, longum ieiunium naturaliter facit triſtitiam; & hoc eſt conſequens ad naturæ diſpoſitionem: non prohibet ergo Dominus, eſſe triſtem, ſed fieri triſtem, quod eſt quid diuerſum. Et ita ait: *Nolite fieri, ſicut hypocritæ, triſtes*; fieri autem triſtem, eſt effectus vanitatis, & talis fit homo per impoſturam, vel hypocriſim, vt pallens appareat.

Secundò



17. *Lætitia occultandum ieiunium.* 2.Cor.9. Gen.22. Ephrem.

Secundò. Vult Dominus omnem à ſeruis ſuis expellere vultus mœſtitiam, vt faciem oſtendant lætam, atque iucundam, vt ipſa vultus amœnitas, atque hilaritas occultet ieiunium, quædamque ſit abſtinentiæ diſſimulatio, vt ita, non ieiunantes, ſed lautè conuiuati eſſe videantur. Tertiò. Quia Dominus ſeruos ſuos lætos vult, atque iucundos; *hilarem enim datorem diligit Deus*, 2. Corinth. 9. num. 7. Abraham cum filio ſuo ad ſacrificium pergit; & tamen nato nil pater manifeſtat; imò de victima interrogatus ait: *Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi*, Geneſ. 22. num. 8. Sed cur pater totam filio rei ſeriem non aperit? Noluit eum contriſtari, ne ipſa mœſtitia holocauſtum minus gratum redderetur, cùm Deus perfuſos lætitia ſuos amet ſeruos. D. Ephrem in orat. de Iona. *Non myſterium reuelauit Abrahamus, ne illo triſtitia affecto, ipſius donum inquinaretur.*

18. Zeno. *Vbi eſt ieiunij triũphus, triſtitiæ locus non datur.*

Quartò D. Zeno ſerm. de Ieiunio, *Tali ergo*, ait, *affectu ſuſcipiamus ieiunij gratiam, ſicut Dominus docet: non triſtes, & mœſtos vultu, tanquam horreſcentes neceſſitatem dierum; ſed læti, hilares, & cum exultatione rem gerere debemus, quæ nobis cauſa victoriæ, & ſalutis exiſtit. Et quis eſt, qui triſtis coronetur? Quis mœſtus, & demerſo vultu triumphet? præſtò eſt enim, per ieiunia carnem vincere, & de eius vitiis poſt victoriam triumphare. Quis vnquam triſtis eſt, quòd ſanus efficitur? aut quomodo non probroſum eſt, maiorem de ciborum caſtigatione recipere mœrorem, quàm gaudium de animæ ſalute? Qualis illa mens eſt, quam plus contriſtat interitus libidinis, quàm lætificat vita virtutum? Læti itaque, & exultantes accedamus ad medicum noſtrum, medicamentum ieiunij ſuſcipientes.* In ieiunio, carniſque mortificatione procul abeant triſtitiæ ſigna; nam ibi eſt noſter triumphus, noſtraque victoria de carne, animæque noſtræ contrariis; luctus autem, ac mœror triumphum minimè decet, ſed cuncta lætitia, ac gaudio debent eſſe plena.

19. Luc.24. *Triumphum non decent triſtitia, & lamenta.* Albert.Mag.

Ipſa Reſurrectionis die duo Chriſti diſcipuli ad Emaus caſtellum tendunt; quibus Dominus apparens ait: *Qui ſunt hi ſermones; quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes*, Luc. 24. num. 17. Dominuſque cum eis ſermonem conſerens, eos de ſtultitia, ac in credendo tarditate reprehendit: *O ſtulci, & tardi corde ad credendum*, ibid. num. 25. Sed cur Dominus in eis priùs triſtitiam ſuggillauit, eoſque poſtea carpit, quòd tardi, ac ſegnes eſſent ad credendum, & conſiderandum ea, quæ Prophetis de Chriſto erant prædicta? Cur ergo huiuſmodi inconſideratio priùs in eis non arguitur, ſed triſtitia ante omnia eis obiicitur? Aderat ſolenniſſimus Reſurrectionis dies, quo Chriſtus deuicta morte glorioſus triumphauit; & vbi tanta erat capitis lætitia, non decebat, vt membra triſtitia contabeſcerent, ſed vt cuncti diſcipuli cum magiſtri victoria exultarent in gaudio. Albertus Magnus ſerm. de Reſurrect. *Ad hanc diem nos inuitat Dauid, vt nullius ſit triſtiſia, ſed cunctorum gaudium, in qua Saluator noſter deſtructa morte victor glorioſus exurgit ad vitam; & vbi tantus eſt triumphus, in hac die omnium ſit exultatio, & lætitia. Exultemus, & lætemur in ea.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quare reprehendantur hypocritæ exterminantes facies ſuas?*

20. *Senſus litteralis.* Chryſoſt. *Mortis imago acuit viſum.* Origen. Chryſoſt. *Reprehendũtur mulieres pingentes faciem.*

IAM explicaui in expoſitione; quid ſit *exterminare facies ſuas*, ſeu, vt legit Chryſoſtomus, *corrumpere*; ſeu vt alij habent, *conficere*, ſeu *obſcurare*; ſignificat enim, quòd hypocritæ ſtudioſè immutant natiuum faciei colorem ficta macie, affectato mortis pallore, ac triſti vultus ſeueritate, ita vt conſpici non ſinant priorem faciem: *vt appareant hominibus ieiunantes*; abſtinentes, ac pœnitentes ad captandam vanitatis gloriam. Et ex hoc maximè hîc à Chriſto reprehenduntur. Obiter nota, quòd exterminaat facies cauernoſa mortis imagine, vt appareant: nil enim magis acuit viſum, atque ad ſe attrahit, quàm vbi effigies mortis relucet, ac menti obiicitur. Ad noſtrum intentum. Si hypocritarum vanitas, quæ aliquando venialis eſſe poterit, ita obiurgatur; quanto erit fundamento increpanda petulantium fœminarum conſuetudo, qua facies ſuas pingunt. Vt notant hîc Origenes, & Chryſoſtomus *homil.* 21. qui ait: *Si verò faciei corruptio eſt, propter inanem gloriam pallidum apparere quenquam: quid dicendum eſt de fucis, atque picturis corrumpentibus facies fœminarum in perditionem iuuenum? nam hi quidem, qui oſtentant pallorem ieiunij, ſemetipſos tantummodo; hæ verò & ſe ipſas, & eos, à quibus videntur, interimunt.*

21. *Proponitur quædam quæſtio.* *Memoria mortis vtilis.* Clem.Alex.

In quæſtionem tamen voco: Cur damnantur hypocritæ mortis imagine obſcurantes facies ſuas, cùm Eccleſia in die Cinerum puluere repræſentationem mortis nobis in facie, vel capite imponat? Si cauernoſam mortis effigiem in facie exprimere, damnabile eſt, quomodo ſancta Eccleſia præcipit, hanc vmbram mortis in vultu ſuorum fidelium imponere? Reprobantur hypocritæ exterminantes faciem necis macie, vt appareant hominibus ieiunantes docentur fideles, puluerem in capite habere, vt inde ad animam tranſeat, & dies mortis intimè in anima ſit defixus. Et ita nobis dicitur ab Eccleſia: *Memento homo, quia puluis es.* Vmbra mortis in vultu, ac facie tantummodo, vt appareat hominibus, detrimentum generat; & inde maximum, quia medicina ſalutis, fit morbi incitamentum. At ipſa mortis repræſentatio in vultu appoſita, & inde ad mentem tranſiens, ac ibi retenta, & affixa, valde vtilis, & ſalutifera. Huc reuoco illud, quod ſapienter dixit Clemens Alexandrinus: *Sepulchrum eis*, ſcilicet nationibus barbaris, *eſt ſupplicium, monumentum verò nos*, ſcilicet Chriſtianos, *ducit ad ſalutem.* Ita dicam: Effigies mortis hypocritis ſepulchrum eſt; nobis verò, ſi eam memoria fixam habemus, via ad ſalutem.

22. Gen.3. Auguſt.

Ob peccatum commiſſum dicitur primo homini, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Geneſ. 3. num. 19. Pulchram quæſtionem excitat magnus Auguſtinus *lib.* 13. *de ciuitate Dei, cap.* 4. Quomodo homo adhuc ſit aſtrictus mortis legi; nam ille ob primi hominis peccatum mortis ſententia eſt damnatus: at Chriſtus Dominus, dum pretioſam ſuam in Cruce vitam dedit, priſtina omnia generis humani damna reſtaurauit; multo

Mm 4 enim

enim efficacior eſt ſanguis Chriſti, quàm Adami peccatum: ergo ſi per peccatum Protoparentis mors eſt illata in mundum, per ſanguinem Chriſti ablegari debuit, atque excludi. Quomodo ergo adhuc mors ipſa perſeuerat? Reſpondet S. Pater: Chriſtus venit in mundum, vt hominibus ſalutem donaret, eiſque remedia præpararet ad vitam: non fuit ergo conueniens, vt à mortis ſententia genus liberaretur humanum; eſt enim eius memoria, ac repræſentatio multum per omnem modum ad vitam vtilis, atque ſalutem. Et ita eleganter concludit Auguſtin. *Tantam Deus præſtitit gratiam, vt mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur in vitam.* Dei virtute factum, vt mors, quæ erat pœna peccati, ad vitam conſequendam fieret medium.

*Mors remedium ad vitam.* Auguſt.

23. Iam ab aliquibus eſt notatum, quòd Dauid multis à Saule perſecutionibus afflictus, eius tentortum ingreſſus, nimio Regem reperit ſopore detentum: *Inuenit Dauid Saul iacentem, & dormientem in tentorio,* 1. Reg. 26. num. 7. Occaſionem Dauid nactus tam opportunam, qua hoſtem ſuum crudeliſſimum interficere facilè poſſet, ſuiſque laboribus finem imponere, ac ſibi coronam regni præparare; nil tamen mali in eum molitur. Sed ait: *Propitius ſit mihi Dominus, non extendam manum meam in Chriſtum Domini.* Sed vnde potuit Dauid omnes ſui motus ita comprimere? Repræſentabatur in dormientis effigie vmbra mortis, ad cuius intuitum, facilè euanuerunt, & contempta ſunt omnia, quæ ſæculi erant. D. Chryſoſtomus homil. de Dauide, & Saule. *Conſpiciebat illum dormientem*, ait, *& de morte, omnibus communi, philoſophabatur.*

1. Reg. 26. *Repræſentatio mortis ſæcularia contemnere facit.* Chryſoſt.

24. Illud tamen hîc maximè perpende, quòd Dauid Saulem inuenit ſecretis locis occaſione duplici, qua ipſum facilè interimere poterat. Primò quadam in ſpelunca, qua Saul vigilans, armatuſque erat; & tunc Dauid in eum nil mali molitur; tamen præcidit oram chlamydis Saul 1. *Regum* 24. *num.* 5. Et de hoc euentu Dauid ipſe loquens ad Saul fatetur: *Cogitaui, vt occiderem te,* ibidem num. 11. Iterum verò cùm ipſum ſomno ſepultum Regem iacentem inuenit, vt modò notaui *ſuperiori* §. Sed tunc non legitur, quòd Dauidi in mentem venerit, vt occideret Saul. Cur ergo in primo euentu Dauidis animum hæc pulſat cogitatio, vt interficiat Saulem vigilantem, fortiſſimiſque armis indutum; non verò in ſecundo, quando ipſum in caſtris inuenit ſopore depreſſum? Saul in prima occaſione aderat ſuis fortiſſimis viribus vigilans; in caſtris autem dormiens morientis imaginem exprimebat. Et ad refrænandos animi motus efficacior fuit quædam mortis in dormiente adumbrata figura, quàm militaribus armis munitæ; ac conſtipatæ vigilantis crudeliſſimi hoſtis robuſtiſſimæ vires. D. Iſidorus lib. 5. de morte. *Aſſidua memoria mortis prodeſt, Domine Ieſu Chriſte, ad deprimenda carnalia deſideria, & ad abigendas tentationes varias, & diuerſas, quæ ſeparant animam à te; nihil enim tantum valet ad domanda deſideria, quantum cogitare, qualis ſit ipſa futura mors.*

1. Reg 24. *Memoria mortis fortiſſima ad tentationes ſuperandas.* Iſidorus.

25. Dum vltimus filius Iacob in lucem editur, ob partus difficultatem mater emoritur; & natum ipſum parcens appellat *Beniamin, id eſt, filium dexteræ,* Geneſ. 35. num. 17. Dicitur autem filius dexteræ, id eſt, fortis, & felix, vt explicant Hebræi, & referunt Lyranus, Abulenſis, Oleaſter, Cornelius à Lapide. Sed cur iſte nuncupatur filius fortis, & felix? Cur hoc nomine non inſignitur Tribus Iuda, ex quo orti ſunt Reges, & præſtantiſſimi duces? Cur tribui Leui, ſacerdotali dignitate inſignitæ, hoc nomen non aſcribitur? Vel Tribui Dan, ex qua ortus eſt Sanſon? Sed Beniamin tali nomenclatura nobilitatur? Beniamin inter omnes natos hoc habuit peculiare, quòd Rachelis mortem occaſionauerit, ac ſecum attulerit: & natus, mortis ingerens repræſentationem, ac inducens, fortis, & felix optimè dicitur; fortis pluſquam omnes alij duces, & Reges, ad animi inſultus, atque appetitus ſuperandos; felix ſuper omnes ad multa bona obtinenda, quæ frequenter ex memoria mortis reſultant. Lyppomanus, *Pater*, ait, *conſtantiam, & fortitudinem conſiderans, qua omnia ferre patienter didicerat, filium dexteræ maluit appellare, contriſtatus ex morte chariſſimæ coniugis.* Ex morte matris, illius fortitudinem conſiderans, filium dexteræ appellauit.

Gen. 35. Lyran. Abulenſ. Oleaſter. Cornelius. *Memoria mortis fortes ad ſuperanda, obtinendaque multa.* Lyppom.

## QVÆSTIO V.

### *Quare Chriſtus Dominus non loquatur abſolutè de ieiunio hypocritarum, ſed ait*: Vt appareant ieiunantes?

DE ieiunio hypocritarum eſt hîc ſermo; de eis tamen Dominus non abſolutè ait, quòd ieiunant, ſed quòd apparent ieiunantes. Nónne multi hypocritæ in rigido ieiunio, in tenuiſſimo pane, & aqua macerantur? Cur ergo eorum abſtinentia, non ſimpliciter ieiunium nuncupatur; ſed tantùm de eis dicitur, quòd apparent ieiunantes? Nam ipſi, vt ait S. Maximus datus in expoſitione, non ieiunant Deo, ſed hominibus; non vt Deo placeant, & ſeruiant, ſed vt apud homines vanam gloriam captent: & ideo cùm intentioni, ac oneri ieiunij minimè ſatisfaciant, eorum ieiunium totam ſuam nobilitatem, ac eſſe deperdit, & ſolùm quandam impoſitam apparentiam habet. Qui enim ab iniuncto munere deficit, totum ſuum eſſe amittit. 26.

*Qui ſuo muneri non ſatisfacit, totum ſuum eſſe deperdit.*

Primò homini ob ſuum peccatum dicitur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Geneſ. 3. num. 19. Seu, vt legit Caietanus, *Puluis es tu, & ad puluerem reuerteris.* Grauis tamen exinde oritur difficultas in vera Philoſophia: Quomodo dicatur, quòd homo conuertatur in terram: nam ad conuerſionem requiruntur duæ ſubſtantiæ diſtinctæ; & ideo Theologi cum D. Thoma docent, quòd in Sacramento Altaris datur vera conuerſio; nam ibi ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti; & etiam in nuptiis Cana vera extitit conuerſio; nam ibi aqua in ſubſtantiam vini mutata eſt. Ergo, ſi homo eſt puluis, quomodo conuertitur in puluerem? Ad quæſtionem reſpondet Caietanus ad citatum locum Geneſis. *Puluis tu, non ſub forma pulueris, ſed ſub forma corporis.* Ac ſi dicat: modò homo viuens eſt puluis ſub forma rationali, per mortem verò abibit in puluerem ſub propria ipſiuſmet forma. Sed adhuc inſtat dubium; Quare eodem modo nunc homo 27.

Geneſ. 3. Caietan. Idem.



homo præſtantiſſima ſpirituali, intellectualique anima informatus, dicitur puluis; ſicut quando erit ſub illa vili, ac abiectiſſima propria terra? Quare non diuerſo modo appellatur nunc puluis? Meritò ſanè, quia habere nobiliſſimam animam ſpiritualem, ac intellectualem, & illi non proportionari, nec ſecundùm illius dictamen agere, idem valet, ac illa carere, & humili, terrenaque incorporari. D. Gregorius 12. mor. cap. 3. *Quid autem pulueris nomine, niſi peccator accipitur, cui voce conditoris dicitur: Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nota illud, *niſi peccator accipitur.*

Gregor.

28. Confirmatur præſens annotatio. Quia homini in pœnam peccati dictum eſt: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; vt eſt communis ſententia omnium Patrum Chryſoſtomi, Hieronymi, Eucherij, D. Auguſtini *lib.* 13. *de ciuitate Dei, cap.* 15. D. Proſperi *de prædictionibus.* Et ita ait D. Gregorius lib. 19. moral. cap. 5. *Homini peccanti dictum eſt: Terra es, & in terram ibis.* Et apertè patet ex textu. Primam partem huius ſententiæ expendo. Homo ideo de præſenti terra dicitur, *Puluis es*; quia ex illa eſt formatus; ſed etiam in ſtatu Innocentiæ ex illa conſiſtebat compoſitus; quomodo ergo in pœnam peccati ei dicitur: *Terra es.* nam eodem modo videtur, quòd de præſenti ſit terra, ac erat in illo feliciſſimo ſtatu? Meritò tamen ſupplicio multatus ob peccatum terra nunc dicitur; nam in Innocentiæ ſtatu ita totus pulcher, ac iuſtitiæ donis condecoratus, gratiæ habitibus inſignitus, & à terrenis affectionibus expeditus, vt non terra, ſed quid ſuperexcellens ſuper terrenam miſeriam conſiſteret. At vbi in peccatum eſt prolapſus, ita illius labe fœdatus, ac coinquinatus, tot, tantiſque malis eſt addictus, vt nihil aliud appareat, niſi abiectus, infimuſque puluis. Et ita notat Moyſes Barcepha 1. p. de Paradiſo. *Sicut conditionem Adami mirificè extulerat Deus, dum ipſum crearet, vt eum ad ſuam imaginem, ſimilitudinemque fingere diceret; ita, vt affectauit diuinitatem, illam eandem ad terram vſque deprimit, demonſtrans, ex puluere conſtare.* Homo ante peccatum adeò erat pulcher, atque elegans, vt diceretur ad imaginem, ac ſimilitudinem Dei factus: at poſtquam peccauit, totam ſuam nobilitatem ita diſperdidit, ab illáque eſt euacuatus, vt dicatur puluis, & terra publicetur.

Chryſoſt. Hieron. Eucher. Auguſt. Proſper. Gregor. *Magna nobilitas, vbi non eſt peccatum, quæ per ipsũ deperditur.* Barceph.

29. Benedicens Iſaac filium ſuum ait: *Ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni* Geneſ. 27. num. 27. De ſponſa tamen conſurgente ex hoc ſæculo dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum,* Cant. 3. num. 6. Iacob dicitur ager plenus; & tamen totus mundus deſertum nuncupabatur? Iacob totus virtutibus inſignitus, itaut Chriſtum Dominum adumbraret: in mundo autem vagabantur Gentium errores, abominationes, ac idololatria, vt citato loco bene aduertunt Caſſiodorus, Philo Carpath. Iuſtus Orgelitanus, Aponius, Beda, Anſelmus. Vbi ergo iuſtitia, ac morum rectitudo, atque optima compoſitio reſplendebat, ibi totus plenus fœcundiſſimus ager; at vbi vitium dominabatur, & peccatum regnabat in mundo, ibi deſertum, & totum eſt euacuatum. Gilebertus ſerm. 15. in Cantic. *Quomodo*, ait, *vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ ſentire te reputas? Odorem vitæ Chriſti ſpirat vbertas. Ipſe enim eſt ager verè plenus, ager fertilis, ager cui benedixit Deus Pater. Alium præter iſtum agrum ſponſa neſcit, ſed deſertum reputat, & terram ſalſuginis.*

Geneſ. 27. Cant. 3. Caſſiod. Carpath. Orgelit. Aponius. Beda. Anſelm. Gilebert.

Ait Chriſtus Dominus. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum,* Ioan. 12. n. 32. Sed quomodo Dominus in Cruce dicit à ſe omnia eſſe trahenda, ſiquidem ad ſe non traxit peccatores deperditos, ac perfidos Iudæos, vt *ibi* rectè ponderant Chryſoſtomus, Auguſtin. Rectè tamen dicitur, à Chriſto in Cruce omnia ad ſe eſſe tracta; nam ibi ſibi acquiſiuit Sanctos, ac electos, in quibus omnia reperiuntur, ac continentur. Qui autem ob ſuam malitiam repulſi remanſerunt, peccatores ſunt, atque iniqui, in quibus totum vacuum, & nihil inuenitur. Noſter D. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Ioan. cap. 17. *Verùm, ait, cùm non omnium ſit fides, quomodo omnia ſe tracturum eſſe dicit ad ſe ipſum? Atqui non hoc ad vniuerſitatem hominum retulit, ſed ad ipſius hominis integritatem.* 30.

Ioan. 12. Chryſoſt. Auguſt. *Iuſtus eſt omnia.* Cyril. Alex.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare hic omnis ſpes præmij hypocritis intercludatur?*

VEHEMENTI aſſertione Dominus ab hypocritis omnem ſpem obtinendi præmij repellit. Ait enim: *Receperunt mercedem ſuam.* Vt ita ipſi animaduertentes, ſe incaſſum laborare, facile ſe conuertant ad ſuam malitiam, ac ſimulationem deponendam. Nil enim magis nos impellit, ab aliquo opere, ac labore deſiſtere, quam ſi ſemel in animum induxerimus, quòd vana eſt ſpes, & irritus omnis labor. Nam ſicut certa ſpes audaciam præbet, vireſque miniſtrat; ſic & illius aperta repulſa, manifeſtaque interclusio animum debilitat, roburque frangit. 31.

*Repulſa præmij animam debilitat.*

Perpende principem Ionatham quàm diſpari modo ſe præbuit duobus in euentibus. Caſtrametabatur exercitus Philiſthinorum in Galgala contra Iſraël; & tam copioſa erat militum multitudo, vt dicat Scriptura: *Philiſthiim congregati ſunt ad præliandum contra Iſraël, triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus ſicut arena, quæ eſt in littore maris plurima,* 1. Regum 13. num. 5. Et conſiſtebant Incircumciſi in loco eminenti, ac penè inacceſſibili. Tamen Ionathas cum armigero ſuo audenter ad eos pertranſiuit, multos interfecit, & facta eſt in eis cædes magna, 1. *Reg.* 14. poſtea verò. In montibus Gelboe Saul, & Ionathas congregarunt vniuerſum Iſraël, vt notat Abulenſis, ad præliandum contra Philiſtiim. Et tamen Ionathas ſecum hebens totum Iſraël conſternitur, vt ponderant D. Auguſtinus, Angelomus, Lyranus, & alij; ac tandem victus cadit, & moritur, 1. *Reg.* 31. *num.* 6. Dic mihi: Quid difficilius, quàm quòd vnus homo magnum exercitum inuadat? Quid verò facilius, quàm quòd peritiſſimus dux cum plurimis copiis hoſtem proſternat, & ſuperet? Et tamen Ionathas vnà cum ſuo armigero inimicorum phalanges ſolus petit, atque adoritur, multoſque glorioſè necat: & tamen ipſe cum toto Iſraël vincitur, ac interficitur. Vnde ergo eſt exorta diuerſitas tanta? 32.

1. Reg. 13. Abulenſ. Auguſt. Angelom. Lyranus.

In primo euentu pro comperto habebat Ionathas, quòd ipſe tanquam princeps, ac primogenitus 33.

*Spes dat vires, qua cadente & ipsæ cadunt.*

nitus Regis filius, regnum in hæreditatem eſſet, accepturus; & tunc animoſè, quandiu regnum quod affectabat, tuebatur. At in montibus Gelboë certiſſimè agnoſcebat, ſceptrum, ac coronam Iſraël, non ad ſe, ſed ad alium eſſe deuentura; tunc totum animi robur ab eo pertranſiit: ſpes enim, & vires magno fœdere ſociantur; nam quandiu illa viget, hæ etiam magno vigore florent; at ſi illa marceſcit, hæ quoque ſtatim contabeſcunt. Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 18. *Expectatio retributionis*, ait, *incitat mentem in beneficentiam; promptior fit omnis operarius ad perferendos labores, ſi præmium laborum præuiderit. Qui verò ſine præmio laborant, & anima, & corpus illis concidit. Miles expectans præmia, alacris eſt in bello. Nemo verò tam indiſcreto regi militauerit, qui non ſoleat brauia laborum exhibere, vt fruſtrà ſit paratus mori, ſcilicet miles.* Vide ſuprà *c.*11. *n.*17. 18. & 19. & *n.*106. & 107. & *c.*7. *n.*85. & *cap.* 10. *num.*67.

Cyril, Ieroſ.

## QVÆSTIO VII.

### *Ex dictis incidens dubium circa illa verba*, Memento homo, *explicatur.*

34\. SI vera, ac certa diſſuaſio omnis emolumenti, vt vulgò dicitur, *deſengaño del melhoramento* facit, vires, ac animum elangueſcere, quid fieri poteſt, vt Eccleſia volens calcaria addere, nos in noſtrimet cognitionem retorqueat, nobiſque ante oculos obiiciat, quid ſumus, & ad quid regrediamur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Si Eccleſia mentem excitat ad perſpiciendam materiam, in quam poſthac homo abibit, cur ad pulueris conſiderationem nos mouet: nam ſub illa pulueris forma erit homo per certum, ac limitatum tempus, nempe vſque ad diem iudicij. Cur ergo Eccleſia mentem noſtram non erigit ad eum ſtatum, quem habituri ſumus per omnem æternitatem, vtpote immortales, ac incorrupti; tales enim omnes in die iudicij reſurgemus. Cur ergo nos non prouocat ad huius ſtatus animaduerſionem? Sed ad pulueris conſiderationem nos recipere curat? Meritò ſanè, ex triplici fundamento. Primò, vt ſuorum malorum cauſam conſideret homo. Secundò, vt in appretianda ignobilitate, ac exiguitate ſua non erret. Tertiò, vt pulueris conſideratione ad magna intellectum acuat.

*Triplex ratio.*

35\. *Homo à via ſibi noxia fugiat.*

Primò dicitur: *Memento homo, quia puluis es.* Expende illud, *quia*, hoc eſt, quare, ob quam rationem. Vt ita homo reducat in memoriam peccatum, ob quod homo in hanc miſeriam deuenit, vt dicatur, puluis es, & in puluerem reuerteris. Nam in ſtatu Innocentiæ homo conſiſtebat liber à legibus mortis, & corruptionis; at per peccatum in has pœnas incidit. Hoc vult Eccleſia, vt homo conſideret, vt à via perditionis, ex qua tot mala contraxit, fugiat, atque declinet. Poſt Reſurrectionem interrogat Petrus de Ioannis fine: *Domine, hic autem quid?* Cui Chriſtus rigidè reſpondit: *Quid ad te, tu me ſequere*, Ioan. 21. num. 22. His auditis tacet Petrus. Sed cur ipſe non reſpondet, ac inſtat, quòd ſua intereſt per omnem modum de Ioanne ſcire, tum ob eximiam eius amicitiam, tum quia ſenior erat, ac princeps, & caput Apoſtolorum. Agnouerat Petrus, quòd infortunatè ſibi contigit, dum in cœnaculo dictis Chriſti circa negationem ſuam replicat, ac repugnat *Matth.* 26. *n.*32. *Marc.* 14. *n.*31. ideoque tanquam prudens, ab huiuſmodi inſtantiis, ac obiectionibus in poſterum cauet. Vnde pulchrè D. Ambroſius *lib.* 1. *de Abrahamo, c.*6. ait, quòd viro ſapienti vnum peccatum magiſterium cautionis eſt.

Ioann. 21.

Ambroſ.

36\. Secundò. Dicuntur hæc verba, *Memento homo*, &c. ne homo in ſui appretiatione erret. Dicitur ei, quòd ſit puluis, & in puluerem reuertatur: quòd vendicabit homo vſque ad diem iudicij. Et tamen ei non exprimitur, quòd erit immortalis, cùm hoc per totam æternitatem poſt carneam reſurrectionem obtinebit. Et meritò ſanè. Nam in puluerem conuerti, homo ex ſua importat natura, qua corruptibilis eſt; eſſe verò immortalem poſt reſurrectionem, ex Dei liberalitate, ac potentia aſſequetur. Et quia homo facilè in ſui conſideratione decipitur, ante oculos hîc tantùm ei obiicitur, quod ex ſua habet natura, vt poſtea factus prouectus maiora ex Dei dono percipiat, atque intelligat. Nam ſi totum ſimul ei diceretur, quod eſt ex Dei dono, & ex ſua natura, puluis, & immortalis, cùm in ſui æſtimatione ſupra ſe homo ſapere, ac intelligere velit, poterat ſibi perſuaderi, eſſe immortalem ex natura. Ne ergo turpiter in huiuſmodi errorem incideret, ſe ipſum ſupra ſe appretiando, hîc ei tantùm declaratur, quòd ſua ei natura concedit, vt ſit puluis, & in puluerem reuertatur.

*Homo in ſui appretiatione decipitur.*

37\. Superbeſcens Angelus dixit: *In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo*, Iſai. 14. num. 13. Angelus diuinum hîc appetiuit honorem: & tamen ipſe ſemper eſt naturaliter in actuali ſui, & Dei cognitione, vt docent Caietanus, Ferrar. cum Diuo Thoma 1. *part. quæſt.* 58. *art.*3. Suarius etiam *tom. de Angel. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 3. Si ergo Angelus ſemper eſt in ſui cognitione, & Dei, ſemper ſe ipſum intelligit, vt creaturam, & Deum, vt creatorem. Quomodo ergo fieri potuit, vt ſibi diuinum arripere honorem, Angelus cogitaret. Et ita ait D. Anſelmus *lib. de caſu Diaboli, cap.* 4. alibi alia intentione datus. *Si Deus cogitari non poteſt, niſi ita ſolus, vt nihil illi ſimile cogitari poſſet, quomodo potuit Diabolus velle, quod non potuit iudicare?* Huiuſmodi conſideratio ad propriam Angeli appretiationem, ac æſtimationem ſpectabat, & ideo in ea turpiſſimè præcipitatur, ac labitur. Mens creata in huiuſmodi negotio facilè decipitur.

Iſai. 14.

Caietan. Ferrar. D. Thom. Suarius.

Anſelm.

*In ſe appretiando creatura ad impoſſibilia fertur.*

38\. Tertiò. Vt homines pulueris conſideratione intellectum ad magna myſteria erigant: mortis enim repræſentatio mentis noſtræ aciem maximè acuit; nam dum homo ſe intimè penetrat, atque cognoſcit, ad multa percipienda, & ad magna conſequenda optimè aptatur. Ideo hanc omnibus Eccleſia mortis recordationem proponit in exordio Quadrageſimæ, per quam filios ſuos ad celebrandam Chriſti paſſionem diſponit, vt pulueris agnitione compuncti, ad veneranda, indagandaq; Chriſti myſteria, efficaciter moueantur. Vidit Nabuchodonoſor celebrem illam ingentem ſtatuam ex quatuor metallis conflatam: & poſtea quòd abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & factus eſt mons magnus. Cùm autem nullus

*Conſideratio mortis ad magna intelligenda diſponit.*



nullus eſſet ſapiens in Babylonia, qui hoc ſomnium poſſet enarrare, ac explicare Regi, *Egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur*, Daniel. 2. num. 13. Daniel verò Dei ſpiritu confortatus totum ſomnium Regi aperit, ac explanat. Sed quare in hoc euentu, quando inſtabat mortis ſententia, Propheta totam ſeriem rei enucleat? In illo lapide ſine manibus annuntiabantur Chriſti myſteria; & in illo monte magno regnum eius glorioſum: & optimè hæc promulgantur, dum ante oculos mors obiicitur, vt illius conſideratione, atque memoria animi aptentur ad percipienda Chriſti myſteria, eiuſque ampliſſimum regnum obtinendum Rupertus *lib.* 6. *de victoria Verbi, cap.*13. poſtquam prænotauit, quòd in illa viſione Saluatoris arcana exponebantur, ſic ait: *Egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur, dum interim quæritur Daniel, & ſocij eius vt pereant, cuncti ſapientes ſub gladio pendent morituri, niſi ſaltem ille referendo ſomnium communi periculo ferat præſidium. Per hæc cuncti à maiore vſque ad minimum, cum Rege ipſo attoniti fiunt ad audiendum, parati ad ſuſcipiendum, & valde dociles ad intelligendum.*

Daniel. 2.

Rupert.

*Matth.* 6. *n.* 17. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.

*Ibid. num.* 18. Ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito. Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *D. Aug. lib.* 2. *de ſerm. Dom. cap.* 12. | Vos autem ieiunantes vngite capita veſtra, & facies veſtras lauate. |
| *Syriacus.* | Tu verò, cùm ieiunas, ablue vultum tuum, & vnge caput tuum. |
| *Arabicus n.*18. | Ne appareant hominibus ieiunia tua. |
| *Vatablus.* | Et Pater tuus, qui videt in occulto, reſpondebit tibi in propatulo. |

## *EXPOSITIO.*

39\. SVPERIORI verſu docuit Dominus, à quo fugiendum erat; modò vt aduertit Albertus Magnus, explanat, quid amplectendum. Et quanquam D. Auguſtinus & Chryſoſtomus *homil.* 10. ex variis *in Matth.* in plurali legant; tamen noſtra Vulgata in ſingulari habet: *Tu cùm ieiunas*, mutato numero ab antecedenti verſu. Et hoc eſt valde frequens apud Hebræos; ſicut infrà *num.* 20. & 21. Nam, vt ait D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Conſuetudo eſt Scripturarum, *vt ſic omnibus, quaſi vni; & ſic vni, quaſi omnibus loquatur.* Deinde ait Cardinalis Hugo. Hic dicit Dominus; quid faciendum; & inquit: Tu cùm ieiunas: *Iſte enim dignus eſt demonſtratione, alius non: propter hoc dictum eſt in plurali ſuprà: Cùm ieiunatis; mali enim ſunt, in pluralitate.* De iuſtorum ieiunio in ſingulari; de hypocritarum verò in plurali, iuſtus rarus, iniqui multi: *Tu autem cùm ieiunas.* In præſenti notantur, vt ait Albertus Magnus, primum quod pertinet ad abſconſionem coram hominibus; ſecundum, quod facit placere Patri; tertium de remuneratione mercedis.

Albert. Mag.

Auguſt. Chryſoſt.

Paſchaſ.

Hugo.

*Iuſtus rarus, peccatores multi.*

Albert Mag.

40\. Primò circa abſconſionem: *Tu cùm ieiunas*; ſupponit noſtrum ieiunium voluntarium. *Vnge caput tuum.* Mos erat apud omnes Palæſtinos, vt in lætitia, ac rebus proſperis vngerentur vnctionibus odoriferis. Chriſtus hîc non præcipit, vt tali modo caput vngamus; ſed vt triſtitiam declinantes, lætitiam referentes, ieiunij oſtentationem fugiamus; vt latiùs explicabo quæſt. ſequenti. *Ne videaris hominibus.* non prohibet, ait D. Thomas, videri, ſed velle videri. Secundò, quòd placeat Patri; *ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito.* Patrem dicit, vt blandum eius declaret affectum. *In abſcondito*, id eſt, vt explicat D. Anſelmus, quia ſi ipſe in ſua ſanctitate, gloria, ac maieſtate eſt in abſcondito, tu cœleſtem parentem etiam imitare, vt in tuo ieiunio, & abſtinentia ſis in abſcondito. Aliter D. Remigius explicat: Qui videt in abſcondito, id eſt, qui videt tuam conſcientiam abſconditam. Tertiò. De remuneratione: *Reddet tibi*, ieiunij mercedem. Et hoc *in propatulo*, ſeu manifeſto, vt explicaui ſuperiori capite *num.*19.

*Ieiunium occultandum.*

D. Thom.

Anſelm.

Remig.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quid ſignificet ad litteram*, Vngere caput, & lauare faciem?

41\. FREQVENS fuit apud Orientales, ac Palæſtinos conſuetudo, in diebus ſolemnibus, lætis, ac conuiuialibus lauare faciem, caputque oleo vngere, vt ita gratioſiores, nitidioréſque prodirent. Illa enim regio valde calida, ac æſtuoſa, ac proinde incolæ nimium ſudant; qui ſudor faciem deturpat, parum gratum ſpirat odorem, præcipuè ex capite, atque capillis. Lauant ergo faciem, vt ſudorem abluant, vngunt verò odoriferis tum vultum, tum caput, vt fœtori occurrant. Hoc patet ex *Ruth* 3. *num.* 3. *Iudith.* 10. *num.* 31. *Eſther* 2. *num.* 12. 2. *Reg.* 12. *num.* 20. *Luc.* 7. *num.*4. Vngebantur ergo tum in ſignum lætitiæ, *vt exhilaret faciem in oleo*, Pſalm. 103. num. 15. tum recreationis, ac ſanitatis cauſa. Et ita dicitur de Rege Ezechia, quòd Legatis Babyloniis oſtendit domum aromatum, & pigmenta varia, 3. *Reg.* 19. *num.* 10. & 25. Tum etiam hæc adhibebant in odorem, atque fragrantiam. Et ita dicitur de Magdalena Chriſtum vngente: Domus impleta eſt ex odore vnguenti, *Ioan.* 10. *num.* 3. In triſtitia, ac mœrore ab his abſtinebant antiqui, vt notat Albertus Magnus.

*Conſuetudo vngēdi apud Orientales.*

Pſalm. 103.

Albert. Mag.

42\. Quanuis hic vnguentorum vſus apud Hebræos fuerit frequentiſſimus, &, ſi parcè adhibitus, in bonam partem acceptus: tamen illum nobis hîc Chriſtus non iubet; nec enim ipſe, vt ait Euthymius, cùm ieiunauit, vnguentis vſus eſt; & maximè volebat, vt ſui à talibus moribus exularent; &

*Virtutis, non vnguentorum ſit odor.*

& non aromatibus, ſed morum probitate exha-
Clem.Alex. larent odorem. Clemens Alexandrinus lib.1.Pæ-
dag. cap.8. *Oportet*, ait, *viros in primis apud nos
vnguenta non olere; ſed vitæ probitatem. Spiret
autem fœmina Chriſtum, qui eſt regalis vnctio;
non vnguenta.* Et talem vnguentorum vſum ho-
Chryſoſt. die reprobant D.Chryſoſtomus *concione 1.de La-*
Hieron. *zaro.* D. Hieronymus *lib.2. aduersùs Iouinianum.*
Nazianz. D.Gregorius Nazianzenus *orat.43.* D.Anſelmus
Anſelm. *in præſenti.* D.Ambroſius *lib. de Elia, & ieiunio.*
Ambroſ. Abrahamus Cethuræ filiis noluit communicare
ſuam magnam hæreditatem, eoſque ſeparauit ab
Iſaac filio ſuo, *Geneſ.25. num.6.* Cuius rei opti-
mam ad præſens inſtitutum rationem profert
Idem. S. Ambroſius lib.1. de Cain, & Abel, cap.6.
*Chriſtiani procul ſint ab odoriferis.* *Cethura*, ait, *quæ odorifera ſignificatur, hæres non
eſt. Odore aſperſus, non fructu expletur.* Qui enim
delitioſis odoribus incumbunt, à cœleſti hære-
ditate ſeparantur. De hoc multa inuenies apud
Diogenes. prophanas litteras. Sufficiat nunc illud Diogenis
43. dictum: *Caue, ne capitis odor, ſit vitæ fœtor.*
*Senſus litteralis.* Præcipit ergo hîc Dominus, non veram capi-
tis vnctionem, ſed in vultu quandam hilarita-
tem, ac iucunditatem, cùm ieiunamus, vt ſimu-
lationem, ac occultationem quandam ieiunij
præbeamus. Nam cùm abſtinentia triſtitiam præ
ſe ferat, Phariſæi ieiunantes valde mœſtos, lu-
gentes, ac ſuperciliosos ſe exhibebant, vt ita in
omnium oculis ſuum ieiunium oſtentarent. Cùm
ergo hanc vanam oſtentationem Chriſtus vitare
moneat, nobis mandat, vt in tempore ieiunij læti,
ac hilares incedamus, tanquam in die feſtiuo, &
Chryſoſt. periucundo. Ita communiter Patres, D.Chryſo-
Hieron. ſtomus *homil.21.& in Imperfecto hom.15.* D.Hie-
Euthym. ronymus, Euthymius, Theophylactus, D.Anſel-
Theophyl. mus, D.Paſchaſius *lib.4. in Matth.* Rupertus,
Rupert. Beda. Beda, D.Thomas. Dicitur, *lauare facies*, ne triſtis
D.Thom. eſſe videaris. Et ita Ioſeph lauit faciem, ſuam ne
triſtis videretur, *Geneſ.43.num.41.*
44. Dicebat ſancta anima: *In lectulo meo per no-*
Cant.3. *ctes quæſiui, quem diligit anima mea*, Cantic.3.
num.1. Iam per noctes quærit, quem antea in me-
ridie concupierat: *Indica mihi, vbi paſcas, vbi*
Cant.1. *cubes in meridie*, Cant.1. num.6. Quæ antea ſui
*In ſecreto inuenitur Deus.* dilecti deſiderio meridie ipſum inueſtigabat, &
non inueniebat, per ſecretum noctis quærit, vt
Gillibert. facilè inueniat. Abbas Gillibertus ſerm.1.in Can-
tica, *Nox*, inquit, *illuminatio mea in deliciis meis.
Quid ſi ad inuentionem ſponſi nox operatur? Coo-
peratur ſanè, & accommodatè ſatis.* Hîc tamen eſt
expendendum, quod in lectulo quærit, qui flo-
tidus eſt, *Cant.1. num.15.* Cur ſponſa non ipſum
inueſtigatur in cilicio, & cinere, vt orabant Sa-
cerdotes? Cur non in media nocte, ac lachrymis
ſtratum ſuum rigans, vt Dauid *Pſalm.6.num.7.*
*Virtus ſimulatis deliciis occultanda.* ſed in lectulo florido ipſum tenere affectat? Ani-
ma hæc ad ſummum erat ſanctitatis apicem eue-
cta; & ideo ſimulatis floribus, ac deliciis, & le-
ctuli ſecreto abſcondebat perfectionem ſuarum
virtutum, ac actuum amoris Dei, & Religionis
cultus, quibus dilectum ſuum tenere affectabat.
Idem. Idem Gillibertus Abbas. *In lectulo enim*, ait, *&
ſecreta quadam mentis quiete, poteſt inueſtigari
liberiùs, inueniri citiùs, & tutiùs teneri, fortè &
diutiùs, ſi tamen diu morari in deliciis illis, quæ
ferè ſolent in ipſis intercipi principiis.* Vt citiùs
inueniat, & tutiùs teneat, in lectulo florido, qui
delicias ſignificat, quærit.
45. Totum erat Sanſonis robur in capillis conſti-
tutum; quam veritatem ipſe fatetur; & ait: *Fer-
rum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia
Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo, ſum de vtero
matris meæ. Si raſum fuerit caput meum, recedet
à me fortitudo mea*, Iudic.16.num.19. Et ita fa- Iudic.16.
ctum eſt, vt detonſis capillis tota eius fortitudo
ab eo diſceſſerit, *ibid. num.19.* Sed cur diuinæ
omnipotentiæ placuit, vt totum eius robur po-
tius capillis eſſet addictum, quàm manibus, ac
lacertis, quibus tot, tantaque mirabilia eſt ope-
ratus? Crines duo tenent. Primò, vt ait D. Pau-
lus 1. Corinth.11. num.15. *Capilli pro velamine* 1.Cor.11.
*dati ſunt.* Secundò. Capilli ſunt capitis orna-
mentum, & apud antiquos pro inſigni fuerunt
honore, atque decore, vt latè probant Cerda Cerda.
*tom.2. in Maronem, in verſ.103.* Alexander ab Alexander.
Alexandro *lib.5. Genial. cap.18.* Pineda *de rebus* Pineda.
*Salomonis, lib.6. cap.4. §.3.* Alphonſus de Men- Alphonſus.
doça *quæſt.5, expoſitiuu, num.3.* Proſper Stellatus Proſper.
*lib.1. de coronis, & tonſuris, cap.3.& 4.* Vnde *Decoris ſpecie occultanda virtus.*
caluities apud veteres magnum erat opprobrium.
Placuit ergo Deo, vt tota Sanſonis fortitudo in
capillis eſſet appoſita, vt ipſimet capilli, qui ca-
pitis erant honorificum ſignum, velamen etiam,
atque operimentum virtutis extiterint, ac proin-
de vt ipſomet ornatu eſſet occultata, & abſcon-
dita virtus. D.Auguſtinus ſerm.107. de tempore
ad finem, *Sanſon*, ait, *in capillis virtutem habebat.* Auguſt.
*Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in
pectore, non in ipſo capite; ſed in capillis. Quid
ſunt capilli? Apoſtolus reſpondet nobis. Coma ve-
lamentum eſt. Et in velamento Chriſtus habebat
virtutem, quando vmbræ veteris legis eum tege-
bant. Coma ergo Sanſon in velamento erat.* Vide
*cap.15.num.29.30.& 31.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Quid moraliter ſignificet*, Vngere caput, lauare faciem?

AB hoc ſecundo incipiamus. Præcipit 46.
Dominus *lauare faciem*, hoc eſt, con-
ſcientiam, vt explicat D.Chryſoſtomus Chryſoſt.
*hom.15.* Quod quatuor modis fieri poteſt, ait
D. Thomas. Primò laua per veram contritionem D.Thom.
aqua lachrymarum. *Laua à malitia cor tuum Ie-* Ierem.4.
*ruſalem*, Ieremiæ 4.num.14. Secundò, per con-
feſſionem. Iſai.1.num.16. *Lauamini, mundi eſtote.* Iſai.1.
Tertiò, per tribulationum patientiam. Apocal.7.
num.14. *Lauauerunt ſtolas ſuas in ſanguine* Apoc.7.
*Agni.* Quartò, per deuotam orationem. Gen.18.
num.4. *Afferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes* Gen.18.
*veſtri*; hoc eſt, affectus veſtri
Vngere autem caput multiplex habet ſignifi- 47.
catum. Primò D.Chryſoſtomus *homil.15. in Im-* Chryſoſt.
*perfecto*, ait: *Caput tuum Chriſtus eſt, eſurientem
ciba, ſitientem pota, & ſic oleo miſericordiæ vnxi-
ſti caput tuum, id eſt, Chriſtum, qui clamat in
Euangelio: Quod vni ex minimis meis feciſtis,
mihi feciſtis.* Vnde benè infert ipſe Chryſoſto- *Caput vngendum eleemoſynis.*
mus, quod rectè dicitur: *Laua faciem, vnge ca-
put*; quandiu enim ſumus in corpore, conſcien-
tia noſtra ſemper ſordida eſt in peccatis; & ideo
lauanda facies quæ conſcientiam deſignat. Ca- *Cur lauare faciem, & caput vngere.*
put autem noſtrum Chriſtus lauationem neceſſa-
riam non haber, ſed ſolam vnctionem in paupe-
rum



rum eleemoſynis; quia ipſe peccatum non fecit.
Et eodem ferè modo præſentem textum: *Vn-
ge caput tuum*, explicat D.Bernardus ſermone
Bernard. de Quadrageſ. *Petit ſine dubio, aut certè repe-
tit magis. Ad fontem enim, vnde exeunt flumi-
na, reuertuntur, vt iterum fluant: Non verò vt
minus habens, quod dederat, Chriſtus repetit; ſed
ne tibi pereat, quidquid ad eum referre volueris.
Siquidem etiam fluminis aqua, ſi ſtare cœperit, &
ipſa putreſcet; ſic planè, ſi gratiarum ceſſat de-
curſus, vbi recurſus non fuerit, nec modo nihil
augetur ingrato, ſed & quod acceperat, vertitur
*Ingratitudo fugienda, vt multa bona aſſequi mereantur.* ei in perniciem.* Tam vehementer nobis Domi-
nus commendat, vt caput eleemoſynis, ac donis
vngamus, non quaſi quod velit recipere, quæ no-
bis communicauit, ſed ne ingratitudine data pu-
treſcant, ſed imò vt diutiùs conſeruentur, & ma-
gno emolumento augeantur: nam aliàs nihil au-
getur ingrato, ſed omne ei malum, incommodúm-
que accedit.
48. Secundò D.Auguſtinus *lib.2. de ſermone Do-*
Auguſt. *mini in monte cap.12.* per *vnctionem capitis* acci-
*Operandum cum lætitia.* pit lætitiam mentis, quæ adiuugenda eſt in om-
Pſalm.46. ni opere bono. *In ſtillicidiis eius lætabitur germi-
nans*, Pſalm.64.num.11. Dum quis cæleſti gratia
Pſalm.44. germinat in virtute lætatur. *Vnxit te Deus, Deus
tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*, Pſalm.44.
Hieron. num.6. Tertiò D.Hieronymus per vnctionem
*Ieiuniũ cum cæteris virtutibus.* intelligit operationem omnium virtutum. Vt
enim ieiunium ſit frugiferum, cæteris virtutibus
debet eſſe aſſociatum; vt ait D. Leo ſermone 6.
Leo. de Quadrageſ. *Impleri debet ieiunium, non ciborum
tantummodo parcitate, ſed maximè priuatione vi-
S. Thom. tiorum.* Quartò D.Thomas: *Vnge caput tuum*, id
eſt, mentem oleo nitoris conſcientiæ, ne Diabo-
lus per capillos, id eſt, cogitationes, introeat ad
Idem. cor tuum. Quintò idem, Vnge oleo miſericordiæ,
& compaſſionis, quo debent Prælati inungi. Ec-
Eccl.9. cleſiaſt. 9. num. 8. *Oleum de capite tuo non de-
ficiat.*
49. Sextò Palatius. Oleo vngebatur caput in die
Palat. *Dies ieiunij, dies feſtiuus.* feſtiuo; tempore ergo ieiunij, tanquam tibi ſo-
lenniſſimo, oleo perunge caput tuum; tunc enim
vincis carnem, & glorioſum triumphum de hoſte
referes: ergo tanquam diem feſtiuum, & victoriæ
Palat. tuæ celebra. Septimò. Vngebantur, ait idem au-
ctor, Sacerdos, Rex, & Propheta: cùm ergo ieiu-
nas, offers Deo ſacrificium de tuo corpore; præbes
te etiam vt Rex, cùm imperium exercearis ſuper
corpus tuum ad illius appetitus refrænandos; es
etiam Propheta, quia non verbis, non digito, ſed
toto corpore prænuntias, vitam eſſe futuram, pro
qua vitæ præſentis bona contemnis.
50. Octauò. Vnguentum eſſe aduersùs peſtem an-
tidotum, teſtatur Herodianus lib.1. de Romanis
Herodian. ciuibus: *Quocirca*, ait, *in ipſa quoque vrbe,
de Medicorum ſententia, plerique vnguentis ſua-
uiſſimis nares, atque aures opplebant, vt meatus
ſenſuum odoribus illis occupati, neque admittant
aëra tabificum, etſi maximè admiſerint, tamen
eum maiore quaſi vi longè ſuperari, quidem di-
*Virtutibus vngendum, vt vitiorum odorem euitemus.* cunt.* Præcipit Dominus, vngere caput in die ie-
iunij, vt ſalutifero pœnitentiæ odore ſenſuum
meatus claudamus peſtifero aëri vitiorum, ac
peccatorum, quæ Bacchanalia adduxerunt. No-
nò. Olim laſſi oleo refouebantur, vt teſtatur Iſaac
Iſaac Presb. Preſbyter lib. de contemptu mundi cap.45. *Si de
via feſſus* ait, *oleo paulùm vnge, propter itineris*
*Vt fugiamus à Diabolo.* *laborem.* Si de via ſæculi laſſus es, vnguenta tibi
pœnitentiæ adhibe, tum ad conſolidandum cor-
pus aduersùs vitia, tum etiam vt lubricus fias,
more luctatorum, ne habeas, quo poſſis appre-
hendi à Diabolo. Decimò. Apud Orientales mor-
tui vngebantur. Et ita dicitur de Magdalena à
Chriſto Domino, Marc.14.num.8. *Præuenit vnge-* Marc.14.
*re corpus meum in ſepulturam.* Ieiunantes man- *Ieiunandum cum mortis memoria.*
datur vngi, vt in ipſis exercitiis, ac virtutibus ita
viuant, ac ſi mortis tempus adeſſet, & huiuſmodi
ſanctis actionibus ad illius conſiderationem ſe
recipiant, ad illámque intendant.
Vndecimò D. Zeno ſermone de ieiunio. *Qui* 51.
*Chriſto crucifixus eſt, & non ſolùm crucifixus eſt,* Zeno.
*ſed & conſepultus eſt ei. Hic ergo eſt, qui vngit
caput ſuum, ieiunans à vitiis, & in operibus bonis
Chriſti odor bonus efficitur.* In ieiunio mandatur *In ieiunio noſtro mẽtem erigamus ad Chriſti paſſionem.*
vngi caput noſtrum vnctione, qua Magdalena
corpus Chriſti in ſepulturam vnxit. Ille verè, &
perfectè ieiunat, qui memoria paſſionis, ac ſepul-
turæ Chriſti ſe ipſum componit, ac communit;
nam illius guſtu, ac recordatione maximè reſplen-
dent virtutes, ac promptiſſimè omnes difficulta-
tes ſuperantur. Ac proinde vt maximè fructuo-
ſum ſit ieiunium noſtrum, ad memoriam paſſio-
nis Chriſti intendantur, ac deſtinentur cogitatio-
nes, ſenſuſque noſtri, vt ita ſuauis, ac facilis nobis
reddatur pœnitentiæ rigor.
Pergit Elias in deſertum. *Et cum veniſſet, & ſe-* 52.
*deret ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ,* 3.Reg.19.
*vt moreretur*, 3.Regum 19. num.4. Et cùm dor-
miſſet, ab Angelo excitatur, vt comederet, ad ca-
put enim eius erat ſubcinericius panis, & vas
aquæ. In quo rigida, & auſtera pœnitentia de-
monſtrabatur, vt notat S.Eucherius. Et ita exin- Eucher.
de Elias ieiunus quadraginta diebus vſque ad
montem Dei Horeb tendit. Sed cur tam ſeueram *Ieiuniũ cõſiderata Chriſti paſſione leue.*
abſtinentiam inchoat Elias ſub vmbra iuniperi?
Cur non potiùs ſedens propè aliquem fontem,
vel ſpeluncam, ſeu aliam arborem? Arbor illa,
Chriſti crucem, mortem, ac paſſionem repræſen-
tabat; meritò ergo Elias ad illius vmbram, & fi-
guram ſedens, ad illamque oculos eleuans, ma-
gnam abſtinentiam in pane, & aqua obſeruat, &
ſuum initiatur quadraginta dierum ſolenne ieiu-
nium, vt ſub aſpectu tam admirabilis ſacramenti
omnem carnis macerationem leuem, ac ſuauem
ducat. Carthuſianus: *Per ſpinoſam iuniperum,* Carthuſ.
ait, *cuius vmbra fugat ſerpentes, & ſub cuius cine-
ribus dicitur ignis conſeruari per annum, intelligi-
tur crux Saluatoris, in qua ipſe mortis aculeos to-
lerauit; ſub hac arbore ſedere debemus, hoc eſt,
amorosè reuoluere corde, quid, & quanta propter
nos paſſus ſit filius Dei.* Idem docet Rupertus
*lib.5. de Trinitate, & operibus eius, cap.10.*
Arida, & ſterilis extabat in deſerto petra, vbi 53.
primum tamen per Moyſis virgam eſt percuſſa,
ſtatim aquarum torrentes profudit, vt ait Regius
Vates Pſalm.104.num.41. *Dirupit petram, & flu-* Pſalm.104.
*xerunt aquæ.* Sed ad quid virga, vt petra det
aquam? Cur aliud non eligitur ſignum, verbi
gratia, verbum, vel benedictio ad petram? Ad
quid lignum ad hanc aquarum redundantiam?
Præfigurabatur ibi crux, & paſſio Chriſti; & tanti
myſterij vmbra eleuantur petræ ad effectus ad-
mirabiles, ac ad abundantiam aquarum ſuper
totam ſuam naturam. D. Macharius orat de
cruce: *Hoc ſignum*, ait, *petra conſpicata, regiam-* Machar.
*que imaginem ſibi impendere contuita, ea, quæ ſu-
per naturam ſuam erant, præſtitit, &* quæ

*Conſiderata Chriſti paſſione, nullus ad pœnitentiam debilis.*

*non habebat,præbuit.* Si durum ſaxum, dum in ligno, quo percutitur, ſentiens Crucifixi vmbram, ſuper propriam imbecillitatem dat aquam, quam non habebat, nullus ad Dominicæ paſſionis præſentiam dicat,ſe viribus deſtitutum, ac infirmum ad pœnitentiæ aquas; tanto enim quilibet armatus ſacramento corroboratur, vt ſuper propriam audeat naturam, ac ſuper ea,quæ ei difficilia videntur.

## QVÆSTIO X.

### *Quare,cùm Chriſtus hîc præcipiat, in die ieiunij vngere caput, Eccleſia in eo cinerem ponat?*

54. *Ratio difficultatis.*

CHRISTVS mandat hoc loco: *Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua*, vt in die noſtri ieiunij caput vngamus. Hoc fiebat antiquitus aromatibus odoriferis in ſignum lætitiæ in diebus feſtiuis, & ſolemnibus. Et vt etiam faciem mundaremus aqua, quod fiebat ad remouendum omne mœſtitiæ ſignum, vt ſatis eſt explicatum. Quomodo autem cum his cohæret ſolemnis Eccleſiæ conſuetudo, quæ in prima ieiuniorum Quadrageſimæ die cinerem nobis imponit in capite, quo pro graui luctu, & magna triſtitia vſa eſt tota antiquitas,vt teſtantur *hoc loco* Rupertus,& Albertus Magnus.Et ita ob magnum mœrorem ſuper caput ſuum ſpargunt cinerem Thamar 2.*Regum* 13.*n.* 19. *& Eſther* 4. *n.*1.Et ad hoc ſignificandum ait Ieremias *Threnor.*2.*n.*10.quòd filiæ Sion *conſperſerunt cinere capita ſua.* (Rupert. Albert.Mag. Thren. 2.)

55. *Solutio quæſtionis.*

Reſpondeo ad difficultatem, quòd optimè omnia conueniunt. Nam Chriſtus hoc loco loquitur de ieiunio particulari, quod quilibet ſibi voluntariè aſſumit.Et ideo,vt notat D. Paſchaſius *lib.*4.*in Matth.*non dixit:*Cùm ieiunatis*,ſed in ſingulari:*Tu autem,cùm ieiunas*;quia non de vniuerſali ieiunio,ſed de particulari, ac ſpeciali agebat. At Eccleſia in prima Quadrageſimæ die capiti noſtro cinerem admouet; quia huiuſmodi abſtinentia, ac pœnitentia publica eſt, & vniuerſalis cunctis, ad illamque Eccleſiaſticis mandatis aſtringimur.Et quando ieiunium,ac carnis maceratio particularis eſt, & vniuſcuiuſque propria voluntate electa,tunc debet eſſe occultata, & abſcondita virtus:*Ne videaris hominibus ieiunans.* At quando ipſa pœnitentia ex generali, ac communi præcepto,& obligatione omnibus incumbit;tunc manifeſtis, & publicis mortificationis ſignis in omnium conſpectu exeat,& prodeat. (Paſchaſ. — *Quæ ſunt ex obligatione publica, publicè facieda.*)

56. Cant.3. Cant.1.

Iterum veniat examinandus locus ſuprà datus. Dicebat illa ſancta anima: *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea*, Cantic. 3. num.1.Et tamen ipſa antea dixerat: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.*Cantic.1.num.6.Si quærebas in meridie, in publico, & manifeſto, quomodo iam abſconditè, & occultè per noctes inueſtigas? Expende vtriuſque rei circunſtantias. Per noctes quærit in lectulo ſuo, ſeu, vt explicat D. Bernardus ſermone 82. *in deſiderio meo.* At, dum in meridiana luce eum intendit inuenire, vide eius verba: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui. Indica mihi vbi cubes, vbi paſcas in meridie.* Dum eum exquirit in particulari affectu ſui amoris, ac deſiderij, ſub caligine noctis vult tenere. Vbi autem ſibi ex proprio munere, tanquam vinearum cuſtodi, ac Præſuli, agnouit incumbere,vt ſuum dilectum inueſtigaret, non nocte,non occultè, ſed publicè, ac manifeſtè ipſum exquirit. In lectulo ſuo, in iubilo, ac amore ſui cordis cum ſponſo delectari affectat; at cum proprio officio tenetur,patenter,& meridianè ad eum ferri intendit. (Bernard. — *Virtutes particulares occultandæ, ex obligatione, manifeſtādæ.*)

57. 3.Reg.19.

Apparet Angelus Eliæ dormienti ſub vmbra iuniperi. Pergit ad montem Horeb. Quandam ſpeluncam ingreditur. Ibi audit diuinum mandatum:*Egredere, & ſta in monte coram Domino*, 3. Regum 19.num. 11. Angelus loquitur cum Elia ſub vmbra iuniperi. Et tamen Deus non eligit, cum eo habere ſermonem in cauernarum latebris, ſed patenter & publicè in cacumine montis.D.Aëlredus ſermone 28. *Cum Elia ſub vmbra iuniperi angelico delectaris colloquio, vbi omnia opera tua quaſi in nocte celebrantur.* Angelus in vmbra iuniperi verba habet cum Elia de his,quæ ſpecialiter ad ipſum attinebant,vt quòd comederet panem, & aquam ad peragendum longam viam. At Deus non in ſpelunca, ſed patenter in monte loquitur cum Propheta; deſtinandus enim erat: *Vnges Hazaël Regem ſuper Syriam, Iehu Regem ſuper Iſraël, Eliſæum verò vnges Prophetam pro te*,ibidem num. 26. Occultè ſub arboris vmbra de particularibus Eliæ fit ſermo. At cùm de regnorum regimine, ac Prophetarum cœtu agitur,non abſconditè, ſed patenter verba dicuntur,atque habentur. Nam, quæ ſpecialia ſunt, abſconſionem deſiderant;quæ verò communia,ac generalia,communem, & vulgarem aurem expoſtulant. (Aelred. — *Tua particularia ſint in ſecreto.*)

*Matth.*6.*n.*19. Nolite theſaurizare in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

*Ibid.num.* 20. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

*Ibid. num.* 21. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Ne reponatis vobis theſauros in terra, loco vbi tinea & ærugo corrumpunt.

*Pagninus.* Ne recondatis theſauros in terra.

*D.Cypr.Auctor Imperfectus homil.*15. Vbi tinea, & comeſtura exterminant.





*Euthymius.* Vbi perditio corrodit.

*Syriacus.Vatablus,n.*41. Vbi eſt theſaurus veſter, ibi eſt etiam cor veſtrum.

### *EXPOSITIO.*

58.

POSTQVAM Dominus damnauit ſtudium inanis gloriæ, damnat & hîc auaritiam vſque ad finem capitis. Et rectè, vt inquiunt D.Chryſoſtomus, Theophylactus, & Abulenſis, poſt damnatam vanam gloriam docet diuitiarum contemptum, quia homines ob vanam iſtius ſæculi oſtentationem multa concupiſcunt. Aliter Hugo explicat hanc connexionem. Quia non eſt ieiunandum tibi,ac parcimonia cibi vtendum, tanquam auaro, vt terrena bona multiplices, ac coacerues in terra,ſed vt per eleemoſynas in cælo reponas. Tamen, vt exiſtimo, plana eſt littera textus. Dixerat Dominus ieiunandum,non vt appareas hominibus, ſed Patri cæleſti, ideo ſubiungit, quòd non eſt theſaurizandum in terra,ſed in cælo:nec enim opera noſtra ſunt facienda affectu terreno,ſed cœleſti deſiderio. (Chryſoſt. Theophyl. Abulenſ. Hugo. — *Non ieiunandum ad multiplicandas opes.*)

59.

*Nolite theſaurizare.* Multi dicunt,poſitum eſſe, *Nolite*; vt noſtræ libertatis admoneamur. Tamen phraſis, & loquendi modus Hebræorum eſt. Quid hîc per theſauros intelligat, dubitari poteſt. D. Hilarius, humanam laudem, quæ non apud homines, ſed apud Deum eſt quærenda. D. Chryſoſtomus. *homil.*21.*& in Imperfecto homil.*15.D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſermon. Domin.* D. Valerius *homil.*7.*&* 8. D. Cæſarius Arelaten. *homil.*16.*&* 21. de opibus, ac bonis terrenis,quæ ſi in domo, vel arca recondantur, amittuntur; ſi verò in manibus pauperum per eleemoſynas, in cælo coaceruantur. Vnde ait Chryſoſtomus citata homil. 21. *Non ſolùm,ait,ſi dediſti, conſeruas; ſed ſi non das, perdes.* Et ideo ad exhortandum ad eleemoſynam Patres hoc frequenter vtuntur loco. Probabilior mihi videtur expoſitio D. Hieronymi, D.Paſchaſij *lib.*4. *in Matth.* Ioannis Caſſiani *collat.*1. *cap.*22. qui per theſauros interpretantur omnes noſtras actiones.Nam omne, quod pro terrenis commodis gerimus, ait Paſchaſius, in terris theſaurizamus; & omne, quod propter Deum, in cælum tranſponimus. *In terra*, hoc eſt, in vitiis, & nimiis cupiditatibus veſtris terrenis. Et qui ita ſua recondit, vt ait Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus *lib.* 1. *ad Eccleſias Catholicas*, in Inferno ſuas opes, ac deſideria collocare agnoſcat. (Hilar. Chryſoſt. Auguſt. Valerius. Cæſar. Chryſoſt. — *Probabilior explicatio.* Hieron. Paſchaſ. Caſſian. Paſchaſ. Saluianus.)

60. Cyprian. Imperfect.

*Vbi ærugo, & tinea demolitur*; ſeu, vt habet Cyprianus, & Imperfectus, *Tinea, & comeſtura exterminant*,ſeu *perdunt*.Tinea veſtes, comeſtura, vti eſt rubigo ferro, ærugo æri, & auro, ea ſenſim exedit, & corrodit. *Et fures effodiunt, & furantur.* Verbi gratia, Gemmæ, imò & aurum, argentum, ac veſtes, ſi aliqua induſtria à tinea, ac ærugine euadunt, furentium manibus, & arti ſunt expoſita. Denotat Dominus, quòd nihil eſt terrenum adeò pretioſum, ac nobile, adeò forte, ac durum, quod multis non ſit periculis ſuppoſitum, atque ſubiectum. Et ita ſtatim infert, quòd à terrenis iſtis mentem auertamus. Moraliter D. Thomas ait, quòd ærugo, cùm ſit apparens, ſignificat peccata corporalia; tinea verò, cùm lateat, ſignificat ſpiritualia delicta; fures verò hæreticos, ac Dæmones exprimunt. Cardinalis Hugo, inquit, quòd notatur hic tripelx tentatio Diaboli, mundi, & carnis. (*Moralis explicatio.* D Thom. Hugo.)

61.

*Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Præcipit Dominus, vt bona noſtra opera reponamus in cælo. Quia, vt notat Rupertus, ibi in tuto ponuntur; nam cœleſtes opes ſunt æternæ, & inamiſſibiles. Et nota cum D. Paſchaſio, quòd non ait: *Theſaurizate mihi, ſed vobis, quia quidquid boni operis pro eius amore facitis, non illi, ſed nobis proſumus.* Ad theſaurizandum in cælo maximè nos exhortatur Chyſoſtomus, & ait: *Quæ ſtultitia, illinc relinquere, vnde exiturus es, & non illuc præmittere, quò iturus es? theſauriza, vbi patriam habes.* Expende,quòd priuſquam Dominus erigat mentem noſtram ad cœleſtes theſauros, explicat damna, quæ ſunt in terrenis; *vbi ærugo, & tinea demolitur*; quia adeò affectuoſus eſt homo ad temporalia, vt niſi citiſſimè agnoſcat eorum incommoda, mens ab eis non ſeparanda,vt ſurſum tendat. (Rupert. Paſchaſ. Chryſoſt. — *Homo temporalia maximè æſtimat.*)

62.

*Vbi eſt enim theſaurus tuus.* Theſaurus eſt illud, quod homo maximè æſtimat, ac ei eſt in pretio. Cor autem ſumitur pro cura,ac cogitatione mentis noſtræ. Et hoc argumento ſuadet Dominus,ne theſaurizemus in terra,atque ne in ea omnes cogitationes noſtræ ſint defixæ. Euolemus ergo ad cælum,vt ibi ſit noſtra mens. Nam, vt ait D.Leo ſerm.6.de Natiuitate. *Si deorſum ſunt, quæ amas, ad ima deſcendes: ſi ſurſum ſunt, quæ diligis, ad ſumma peruenies.* Non prætermittam hîc apponere, id quod notat D.Fulgentius ſerm. de confeſſoribus. *Vis noſſe, vbi theſaurizas? attende, quid amas. Vis noſſe, quid amas? attende, quid cogitas. Ita fiet, vt theſaurum tuum ex tuo amore cognoſcas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas.* (Leo. Fulgent.)

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Dominus præcipiat,non theſaurizare in terra,ſed in cælo?*

63. D.Thom. Caietan.

NOTANDVM eſt ex D.Thoma, ac Caietano, quòd Dominus hîc non prohibet id, quod eſt de more omnium ferè nationum: vt homines ſibi,ac filiis ſuis,& reipublicæ recondant terreſtres theſauros.Nam Paulus 2. *Corinth.* 12.*n.*18. ait,quòd parentes theſaurizant filiis. Et multi boni Reges multa congregarunt Reipublicæ. Et hoc eſt, valde conueniens, tum, vt alij timeant, bellum illis mouere; tum ne cogantur grauare populum. Deinde ne ipſe Rex vileſcat, petendo mutuum. Illa ergo theſaurizatio damnatur in terris, quæ contraria eſt cælo;quæ tunc fit, quando homines congregant diuitias terrenas, confidentes in illis tantùm,ita vt non curent, nec cogitent prouidere ſibi in cælo: & horum ſalus, vita, & Deus,theſaurus in terra eſt.Baruch 3.num. 16. *Vbi ſunt prinicipes gentium, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines.* (*Quomodo poſſit theſaurizari in terra.* Baruch 3.)

64.

Mandat ergo Deus, nos theſaurizare in cælo, vt ad ipſum dirigamus noſtras cogitationes, & actiones, ac in Deo ponamus noſtram ſpem, atque fiduciam; ac vt figamus mentem ad æterna, & non ad peritura. Quod deinde peculiaribus rationibus, confirmo. Primò D. Chryſoſtomus in

Imperfecto homil. 15. *Qui collocat theſauros in terra, non habet, quid ſperet in cælo. Vt quid enim aſpiciat cælum, vbi nihil repoſitum habet.* Homo in omnibus ſuis actionibus ducitur intuitu proprij commodi, ac emolumenti; ſi ergo theſaurizat in terra, cùm omnia ibi retineat, nihil cogitabit de cælo, ſed omnes ſui ſenſus erunt in terra depreſſi. Secundò idem Chryſoſtomus citato loco. *Qui congregat in cælo, dupliciter iuſtitiam facit. Primò, quia bene fœnerat.* In theſauro terreno nil lucraris; at ſi in cœleſti reponis, duplicatum habes. Pergit Chryſoſtomus. *Qui theſaurizat in cælo, ipſa concupiſcentia ſpiritualis facit eum ſollicitum, non ſolum vt non perdat; quæ habet, ſed vt adhuc augeat ſuper id, quod habet.* Vide, quantum diſtat theſaurus cœleſtis à terreno: nam tuum deſiderium in theſauro terreno nihil addit; at in cœleſti multiplicat opes; quia deſiderium habendi, meritum eſt, vt habeas, & Deus ipſam tuam voluntatem pro magno merito appretiat.

*Homo ducitur ſuo commodo.*

*Qui congregat in cælo, bene fœnerat.*

*Deſiderium habendi cœleſtia, meritum.*

65. Chryſolog. Tertiò D. Petrus Chryſologus ſerm. 8. *Miſericordia, & pietas, ieiunij ſunt alæ; per quas tollitur, & portatur ad cælum; ſine quibus iacet, & volutatur in terra. Ieiunium ſine miſericordia non eſt virtus, ſed hypocriſis, dicente Domino: Cùm ieiunatis,* &c. *Qui non ieiunat pauperi, Deo fingit: qui ieiunans, prandium ſuum non erogat pauperi, ſed deponit, cupiditati probatur ieiunare, non Chriſto.* Ieiunandum eſt, non ad euitandos pecuniæ ſumptus, vt in theſauro reponas, ſed vt des pauperi, ac in cælo deponas: præclara enim eſt virtus, ſi tuo cibo defraudes, vt pauperi largiaris. Imò hoc eſt Regi valde illuſtre, ſi parca menſa vtatur, vt milites, ac clientes ſuos alat, & ſubditos tributis non fatiget. Diuitias habes, non vt poſſideas, ſed vt aliis diſtribuas.

*Pietas, & miſericordia, ieiunij alæ.*

*Glorioſum Regi, parcè vti, vt aliis largiatur.*

66. Idem. Quartò D. Chryſologus ſerm. 7. *Theſaurum*, ait, *qui non abſcondit, prodit virtutes: ſicut proditores ſuos deſerunt; ſic ſuos inſtant cuſtodire cuſtodes.* Et poſt pauca ſubdit: *Qui ergo inter tineas, rubiginem, fures ſua ponit, exponit, quæ ſua ſunt, non reponit.* Perſuadebat Dominus, ne in conſpectu hominum noſtra opera fierent; modò ſubdit: *Nolite theſaurizare*, &c. Pretioſa, non inter latrones, ſed in loco tuto reponenda, vt immunia ab eis, ac libera ſint. Quæ ergo opera ante hominum oculos fiunt, in latronum conſpectu ponuntur, vt ab eis depopulentur. Repone igitur ea in cœleſti theſauro ante conſpectum æterni Parentis, vbi omnia tua ſunt ſalua.

*Virtutes abſcondendæ.*

67. Rupert. Quintò Rupertus Abbas hoc loco. *Cauſa iſta cœleſtis eſt, & proinde qui hanc habet, rectè in cælo theſaurizare dicitur, nimirum tuto in loco, quia fures ibi non effodiunt, nec furantur.* Qui in cælo omnia ſua theſaurizat, & vt cœleſti Parenti placeat, ſic operatur, omnia ſua ſalua ſunt, & in tuto, ac ſecuro loco poſita. Quæ verò in hominum oculis, ac manibus reponuntur, omnia perditioni expoſita manent. Ait Paulus ad Coloſſenſ. 3. num. 1. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt.* Non ſolùm nos exhortatur Apoſtolus, vt ſuperiora quæramus; ſed inſuper appoſuit *vbi Chriſtus eſt.* Non ſat eſt, ſuperna affectare, ad quid inſuper addit, *vbi Chriſtus eſt?* Quia omnia bona, quantunuis illuſtria, perditioni ſunt ſubiecta, niſi ea intentione fiant, vt ponantur vbi Chriſtus eſt. Quantunuis ſublimis ſit locus, vtpote Paradiſus, cuncta inimicis, ac furibus ſunt obnoxia, niſi ſub Chriſto ponantur, quo cuſtode nullus patet aditus latrunculis, ac inſidiatoribus. D. Chryſologur ſerm. 23. *Quod habes, in cælo cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui ſeruo credis: & magis Deo, quàm homini commenda, vt tali cuſtode dormias tu ſecurus; quia vbi ille eſt, ibi locus nullus eſt furi.*

*Vt noſtra ſecura ſint, in Chriſti manibus reponantur.*

Coloſſ. 3.

*Vbi Chriſtus, omnia ſecura.*

Chryſolog.

68. Cant. 5. Ait ſponſa: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium mihi cuſtodes murorum*, Cantic. 5. num. 7. Sed quomodo anima ſancta greſſibus ſanctis deambulans, Deum quærens, in latrones, ac percuſſores, totque mala incidit? Ex eo ſine dubio tot incommodis eſt affecta, quia ſuum dilectum exquirebat per plateas, ac loca publica; ſi enim affectaret, ipſum in lectulo, ac ſecreto ſuo tenere, non fures, non aduerſarios inueniret, ſed cuncta ſua ab omni eſſent damno tuta. D. Paſchaſius lib. 2. in Threnos. litter. Lamed. *Quæ profectò*, ait, *ſi ſponſi fruetur intus amplexibus, foris vulnerata non eſſet. Sed qui longiùs plateas huius ſæculi requirunt, peruagando vnà cum prodigo ex Euangelio filio, vniuerſis expolientur bonis.*

*Virtus in ſecreto ſecura, in publico periculoſa.*

Paſchaſ.

69. Iſai. 21. Clamat homo apud Iſaiam 21. num. 11. *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? Dixit cuſtos: Si quæritis, quærite, conuertimini, & venite.* Sed dum homo ad Deum clamat, cur ipſum non appellat Deum, Dominum, Creatorem, ſed cuſtodem dicit? Nomen enim Dei, vel creatoris infinitam importat excellentiam. Cuſtodis autem appellatio analogica eſt ad Deum, ac creaturas. Cur ergo illis omiſſis, cuſtodem vocat? Agebatur ibi de quærente Deum ſtudioſè, vt ait D. Hieronymus, & de ſe conuertente in toto corde, vt explicat D. Thomas. Afflatu ergo Spiritus ſancti cuſtos appellatur, quia erga talem ſuprema Dei maieſtas non ſolùm habet nomen commune, vt Deus, Dominus, ac Creator vocetur, ſed etiam vt cuſtos cenſeatur, vt omnia quærentis ipſum ab omni perditione, ac interitu cuſtodiat, ac tueatur. Richardus de S. Victore lib. 2. de Emanuele cap. 21. *Creatura loquitur creatori ſuo. Cur igitur, creatorem inuocando, non dicit, Creator, creator? Quis, inquam, hoc audit, vel à quo? Dominus à ſeruo. Cur ergo ei non dicitur: Domine, Domine? Certè quòd eum creatorem, Deum, Dominum habebant, commune cum omnibus erat. Sed quod latam perditionis viam cum cæteris non incedebant, eis præ cæteris ex cuſtodia Emanuelis erat.*

Hieron.
D. Thom.
*Quærẽs Chriſtum, cuſtodem ipſum habet ad omnia ſua.*

Richard.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Chriſtus præcipiat, non theſaurizare in terra, cùm Eccleſia doceat, nos eſſe terram?*

70. CVM Chriſtus præcipiat in Euangelio, non theſaurizare in terra; & tamen Eccleſia in die cinerum apertè clamet, nos eſſe terram, in terramque tranſmutandos: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; quomodo hæc Eccleſiæ verba cohærent cum Chriſti doctrina? nullum enim efficacius

*Ratio dubitationis.*



caciùs videtur poſſe excogitari motiuum ad excitandos homines, vt theſauros ſuos in terra recondant, quàm eis aperire, quod terra ſint, in terramque abituri. In quo enim meliùs poteſt homo theſaurum ſuum abſcondere, quàm in ſe ipſo, ac, in illo, in quod ipſe eſt tranſmutandus, ac deſinendus.

71. *Homo ſibi ipſi non fidat.* Reſpondeo primò, quòd optimè Eccleſia, vt nos adhortetur ad Chriſti doctrinam, ne theſauros ponamus in terra, docet, nos eſſe terram: à nullo enim magis homo cauere debet, quàm à ſe ipſo; nulli minus conuenit fidere, quàm ſibi ipſi: hominis enim maximus inimicus eſt ipſe homo. Secundò. Puluis es, & in puluerem reuertendus, Noli ergo theſaurizare in terra, ſed in cælo, vt ab ipſa terrena miſeria liber exeas, & ad cælum tranſeas. Magna eſt enim prudentia, ac ingenij ſagacitas, quòd ille, qui ex ſe humilitatem habet, abiectionemque importat, non ſemper attendat ad ſuam vilitatem, ac paruitatem, ſed aliquando etiam oculos coniiciat ad magnitudinem, & ſublimitatem, ad quam aſcendere valet, vt ſuam ita poſſit cum meliori ſorte contemptibilem conditionem commutare.

*Homo ne ſit animi abiecti, ſed magni, vt illuſtria aſſequatur.*

72. Pſalm. 76. Ait Regius Vates Pſalm. 76. num. 5. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus; cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Seu, vt habet D. Auguſtinus, *Memor fui annorum æternorum.* Dauid multitudine, ac varietate negotiorum regni premebatur; inter hæc tamen non eſt turbatus, neque locutus, quòd ipſe eſſet quaſi tenerrimus ligni vermiculus, 2. *Reg.* 23. *num.* 8. Nec item, quòd cùm eſſet vnus homo fragilis, ac terrenus, tot, ac tantis curis anxiari non poterat, vt dixit Moyſes: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi*, Num. 11. n. 14. At Dauid nihil horum dixit: *Et non ſum locutus.* Tanquam magnanimus mentem non defixit ad ſuam terrenam, & paruam conditionem, ſed ad magnitudinem cœleſtis æternitatis, quam conſequi poterat. Non loquitur de ſua exiguitate, ſed tantùm cogitat celſitudinem in cœlo paratam, vt ſuos ibi theſauros reponat. Brunonius. *Turbatus ſum ſicut homo, & non ſum locutus, & annos æternos in mente habui; quia ſicut iſti dies, in quibus ſumus, momento pereunt; ſic futuri dies, & anni in cælo perenni longæuitate conſiſtunt; in illis mors dominatur, in iſtis vita regnat perpetua.*

Auguſt.

Num. 11.

*Homo in paruis ne moretur, ſed ad magna tendat.*

Brunon.

37. Homo in Dei obſequio, ac famulatu ne ſit fracti, abiectique animi; ſed magna, & alta concipiat. Prodigus ille, vt veniam à patre impetraret, longa diſpoſitione præparatur. Dixit enim, ſurgam. *Ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*, Luc. 16. n. 18. At latro vno verbo delictorum abſolutionem habet. *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. num. 42. Prodigus ille tot habet verba, tantaſque diſpoſitiones præmittit, vt ſurgat, veniat per longum iter ad patrem, fateatur, ſe peccaſſe, ac indignum tanti parentis ſe agnoſcat filium; at latro paucis verbis totum Deum ad ſe beneuolum inclinat. Prodigus abiecti erat animi, vt ſolùm expoſtularet, inter mercenarios computari: *Fac me ſicut vnũ de mercenariis.* Quod perbellè notauit Gillibert. Abbas ſerm. 3. Cant. *Modeſtè quidem*, ait, *pro meritis, ſed de paternæ miſerationis copia, humiliter nimis, & iniurioſè ſentiens; verè famelici dans in hoc animis indicium, & inedia confecti.* At latro generoſo ſpiritu animatus regnum affectat: *In regnum tuum*; ſæpe magnanimus promptiſſimè obtinet, quod exilis animus, ac macilenta ſpes non audet concipere. Qui enim in minimis moratur, neſcit volitare ad alta.

Luc. 16.

Luc. 23.

Gillibert.

*Magna intende, vt promptè adipiſcaris.*

74. Matth. 16. Cum ſuis diſcipulis aſcendens Ieruſalem Chriſtus Dominus dixit eis: *Quia oportet eum ire Ieruſalem, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & occidi, ac tertia die reſurgere*, Matth. 16. num. 21. Audiens hoc Petrus, ait: *Abſit à te, Domine: non erit tibi hoc.* Quod videns Chriſtus, nimis aſperè fatur Petro dicens: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Omnibus facit quæſtionem, cur Dominus Petrum tam rigoroſè obiurgatur, vt ei dicat: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Duo dixerat Chriſtus, ſe à Scribis eſſe occidendum; & à mortuis reſurrecturum. Et tamen Petrus, non ad reſurrectionis gloriam, ſed tantùm ad mortis opprobrium oculos coniicit. Et qui ſolùm miſerias mente apprehendit, vt in eis conſiderandis inhæreat; & ad glorias, & reſplendores, vt ſua eos inuoluat cogitatione, neſcit aduertere, duriſſimè à Chriſto increpatur, vt Satanas, & ſcandalum dicatur D. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 3. *Humano quippe*, ait, *timore perterritus paſſionem Domini formidabat. Et quomodo audiens, multa pati, & occidi timebat: ſic audiens, & tertia die reſurget, gaudere debuerat, & triſtitiam paſſionis reſurrectionis gloria mitigare.*

*Qui paruis immoratur, obiurgandus.*

Hieron.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Chriſtus in Euangelio, mentem ad cælum erigere, mandat, cum Eccleſia nos exhortetur, de terra, & puluere meminiſſe?*

75. AIT Dominus in Euangelio, quòd theſaurizemus in zelo. Per quod denotat ſapientiſſimus Magiſter, ſe ordinare, omnes noſtros ſenſus, & actiones ad cælum eſſe erigendos, ac ſubleuandos, vt de ipſis cœleſtibus cogitemus, noſtraſque ibi mentes defixas habeamus; vt iam ſuprà dixi *q.* 11. Et ita ait Chryſoſt. in Imperfect. hom. 15. *Qui theſaurizat in cælo, ſpem habet in Deo, ſemper, quæ Dei ſunt, cogitat, & meditatur, & non quæ terræ.* Quomodo ergo Eccleſia nos exhortatur in die cinerum ad memoriam noſtri pulueris, & terræ: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et ita videtur, quòd Eccleſia vult, quòd noſtra memoria non euolet ad cælum, ſed in terreno puluere inhæreat.

Chryſoſt.

76. *Memoria mortis animam ad cælum maximè eleuat.* Reſpondeo tamen, quòd nullum eſt efficacius medium, vt mens noſtra erigatur ad cælum, quàm hominem recordari, ſe eſſe puluerem, & in puluerm reuertendum: vbi primum enim hæc cogitatio mentem ſubierit, ſtatim ab eo cadet omnis æſtimatio rerum temporalium, vt ſolùm cœleſtia apprecientur, ac magni habeantur. Poſtquam Pharao multis plagis extitit vexatus, ait, Deus Moyſi: *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet: media nocte egrediar Ægyptum, & morietur omne primogenitũ in terra Ægyptiorum*, Exod. 11.

Exod. 11.

num. 1. Sed cur infinita Dei ſapientia diſponit, quòd quando Populus exit de Ægypto ad Terram promiſſionis, tantus planctus pro interemptis abundet in vniuerſa terra, tot mortuorum cadauera ante oculos obiiciantur? Optimè ſanè, ſola enim memoria mortis ante conſpectum appoſita poteſt egredi à captiuitate Pharaonis, & haberi tranſitum ad cœleſtem Ieruſalem; ad æternam quippe beatitudinem memoria mortis maximè diſponitur homo. Albert. Magnus ſerm. 74. *Qui ſe credunt quotidie morituros, certè tales dignos ſe efficiunt, vt ad Chriſti nuptias introire mereantur, quicunque enim mortis ſuæ efficaciter recordantur, ſtudent eſſe patientes, continentes, & obedientes.*

*Mortis recordatione tranſitur ad cælum.*

Albert. Mag.

77. Magnum omnium rerum temporalium contemptum parit mors ante oculos viſa. Et ab ipſo egreſſu filiorum Iſraël ne diſcedamus. Interfectis primogenitis Ægyptiorum, *vrgebant Ægyptij Populum de terra exire velociter*, Exod. 11. n. 33. ſeu, habent Septuaginta, *cogebant*. Pagninus, *vim fecit Ægyptus*. Et notandum, quòd Dominus dedit gratiam filiis Iſraël coram Ægyptiis, vt eis accommodarent omnia bona. Huiuſmodi bonorum ſpoliatio, aut facta eſt ante mortem primogenitorum, vt vult D. Auguſt. *q. 45. in Exod.* aut poſt illam, vt ſentit D. Chryſoſt. *in Pſal. 135.* Sed quomodo Ægyptij vrgebant exire homines, à quibus videbant omnia ſua aſportari, & ſe expoliatos agnoſcebant? Cur eos non detinent, vt priùs accommodata reſtituant? Dicitur Num. 33. num. 3. *Profecti ſunt de Ramaſſe filij Iſraël in manu excelſa, videntib. cunctis Ægyptiis, & ſepelientibus primogenitos.* Inſpecta ſuorum filiorum morte, ita omnia bona temporalia viluerunt apud Ægyptios, vt minimè reluctauerint, quòd filij Iſraël, illis omnibus aſportatis, exirent. Frequentiſſimè mors temporalium contemptum ingerit. Ita ait D. Hieronym. in epiſt. ad Paulinum, *Facilè contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum.*

Exod. 11. Septuagin. Pagnin. Auguſt. Chryſoſt. Num 33.

*Mortis memoria parit rerum contemptum.*

Hieron.

*Matth. 6. n. 22.* Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.

*Ibid. num. 23.* Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt.

### *VERSIONES.*

*Syriacus, Vatablus, Pagninus.* Lucerna corporis eſt oculus. Si oculus tuus igitur fuerit ſimplex.

*Ibid. num.* Si oculus tuus fuerit malus.

ALTER TEXTVS

*Luc. 11. n. 34.* Idem habet.

## *EXPOSITIO.*

78. SVMPTA metaphora ab oculo corporeo, explicat Dominus ſuam admirabilem doctrinam. Nam ſi oculus corporeus fuerit ſimplex abſque admixtione alicuius humoris, aut qualitatis impedientis viſum, totum corpus erit lucidum, quia omnia corporalia officia erunt lucida, itaut ab ipſo operante, corporalis oculi beneficio agnoſcantur: videt enim talis, quid agit, quò tendit, quid comedit, aut bibit. *At ſi oculus eſt nequam,* id eſt, malè affectus, vitioſo humore imbutus, totum corpus tuum tenebroſum erit; quia, cùm careas illuſtratione, ac directione oculi, vniuerſa officia non clarè exerces; ſed operaris, ſicut exiſtentes in tenebris, qui ſe non vident. *Si ergo lumen, quod in te eſt*, hoc eſt, ſi lux oculorum, quæ in te eſſe debebat, *tenebræ ſunt*, commutata eſt in tenebras. *Ipſæ tenebræ quantæ erunt*. Quanta in te erit tenebrarum confuſio, cùm lumine careas. Et ita ait hic D. Hilarius. *Quantas, neceſſe eſt, ipſarum in te tenebras eſſe tenebrarum.* Per *oculum* autem parabolicè intelligit intellectum, vt ait Chryſoſtomus *homil. 21.* A corporalibus iſtud addiſce. *Quod enim oculus corpori, hoc intellectus eſt animæ.* Sicut ergo oculus dirigit corpus; ſic intellectus, ſecundùm ſuum dictamen practicum, animum gubernat. Si ergo lumen intellectus fuerit in te tenebroſum, conſidera, quantæ tenebræ errorum, ac falſitatum in te erunt.

*Verus ſenſus.*

Hilarius.

Chryſoſt.

79. Tria hîc notanda ſunt. Primò, quòd oculus tuus, eſt lucerna corporis tui; ac proinde ipſum corpus dirigat, tanquam ſuum proprium, ſciens, quòd mala corporis, ſeu omnium tuarum actionum perniciem eius reddunt. Et bene *oculus* Prælatum ſignificat, qui ſubditos regat, tanquam partes ſui ipſius, vtque corpus ſuum. Secundò cum Abulenſi, quòd *oculus* dicitur lucerna corporis; quia oculus non ſolùm videt ad vtilitatem ſui ipſius, ſed & totius corporis; & ideo tenetur cauere, quæ noxia ſunt corpori. Tertiò nota cum Hugone, quòd non dicuntur *oculi* in plurali, ſed in ſingulari *oculus*. Quia intellectus debet eſſe vnus, & ſimplex in fide, & veritate, ſine duplicitate. Nam, vt ait hîc D. Hieronymus, *Lippientes ſolent lucernas videre numeroſas: ſimplex oculus, & purus ſimplicia intuetur, & pura.* Et ita intellectus ſit purus ad verum intelligendum, & vt vnum intelligat, ac loquatur.

*Oculus dirigit corpus, tanquam ſuũ proprium.*

Abulenſ. *Oculus videat ad ſui, & corporis vtilitatem.*

Hugo. *Intellectus ſit purus, & ſimplex ad vnũ.*

Hieron.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Dominus poſt traditam doctrinam agat de puritate oculorum?*

80. DVÆ ſunt in hac materia ſententiæ celebres. Prima, per oculum interpretatur intentionem operis; ſecunda verò intellectum, vt latiùs explicabo *quæſtione ſequenti*. Ideo præſentis textus connexio in vtraque ſententia eſt enucleanda cum antecedentibus verbis: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.*

Prima



81. Prima ſententia per *oculum* hîc intelligit intentionem operis. Et rectè, poſtquam Dominus egit de operibus iuſtitiæ, ſcilicet Eleemoſynæ, Orationis, Ieiunij, commendat rectitudinem intentionis, quæ debet eſſe ad vnum; & ideo poſuit exemplum in ſingulari: *Si oculus tuus*. Intentio igitur ne tendat partim in mundum, partim in Deum, ſed tota feratur in Creatorem. Et ideo ipſa intentio, vt ait Albertus Magnus, dicitur ſimplex: *Si oculus tuus fuerit ſimplex*, quia non debet habere partes, vt ſecundùm quid propter Deum ſit, & ſecundùm quid propter vanam gloriam, ac lucrum, vt ait Hugo. Et ſtatim poſt data documenta virtutum, Dominus commendat intentionem, quia ab illa omnis operatio ſuam habet perfectionem, atque valorem, & ſine bona intentione perfectum virtutum opus non datur.

*Intentio operis vna ſit tota in ſuum Creatorem intendens.*

Albert. Mag.

Hugo.

82. Secunda ſententia, quam, vt probabiliorem, ſecutus ſum, per *oculum*, intellectum interpretatur. Sed quid habet oculus, ſeu intellectus cum theſauro? Vt poſtquam Dominus tradiderit doctrinam de non theſaurizando in terra, ſtatim ingerat ſermonem de puritate oculorum? Quia ſi oculus ſit à theſauris liber, purus, & lucidus eſt; ſi verò ad illos propenſus, & inclinatus, maximè ab illis obnubilatur, & obſcuratur, ne videat. Theophylactus, *Hoc dicit*, ſcilicet Dominus, *quòd ſi adieceris animum opum ſolicitudini, extinxiſti lucernam, obtenebraſti tuam animam.*

*Intellectus terrenus datus totum hominem reddit terrenum, & tenebroſum.*

Theoph.

83. Duos celebres iudices, gubernatores, ac Sacerdotes habuit Iſraël, Heli, & Samuelem. De Heli ait Scriptura, quòd *oculi eius caligauerant, nec poterat videre*, 1. Reg. 3. num. 2. De Samuele nil tale dicit Scriptura; immò eius viſus laudatur *Eccleſiaſt. 46. num. 18.* ibi dicitur de eo, *Vidit Deum lucis*. Vterque regni iudex ſenex, immò apud multorum computationem, Samuel prouectiori ætate moritur. Cur ergo oculi Heli deficiunt, viſus autem Samuelis non caligat? Heli rerum temporalium appetitu tenebatur, vt tradunt Petrus Damianus *Epiſtol. 16.* quæ dicitur, *Liber gratioſus, cap. 18.* & habetur in proprio *tom. 1. Opuſculorum opuſc. 6.* Cæſarius Arelatenſis *homil. 15.* Et ita ipſe extitit lenis, & remiſſus in arguendis peccatis, & rapinis filiorum. At Samuel ab omni cupiditate, ac acceptione munerum fuit alienus, vt ipſe eſt coram omni populo teſtificatus 1. *Reg. 12. à num. 1.* Et ita dicitur de eo Eccleſiaſt. 46. num. 22. *Pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit.* Vbi terrenorum deſiderium æſtuabat, terreno puluere oculi obfuſcati, & excæcati erant. At in animo, in quo temporalia vileſcebant, purus, clarus, & excellens viſus erat.

1. Reg. 3.

Damian. Arelatenſis.

Eccli 24.

*Temporalia mentem excæcant.*

84. Peſſimus Balaam aduocatur à Rege Balac ad maledicendum Populum. Qui de ſe loquens, ait: *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt*, Num. 24. num. 3. Vbi duo fatetur Balaam. Primò, quòd habeat oculum obturatum, ſeu obſcuratum, vt habet Vatablus; ſeu occluſum, vt ex Hebræo legit Lorinus. Secundò, quòd præclaras à Deo habuiſſet viſiones ad denuntianda bona Iſraël. Valde contraria ſunt iſta, vendicare oculos obturatos, ſeu occluſos; & potiri magnis viſionibus. Quomodo hæc cohærent? ac quomodo ſtant? Multas ſolutiones circa præſentem difficultatem affert Lorinus. Illa valde optima ad præſens inſtitutum, quòd quando Rex vocauit Balaam, dicitur: *Perrexerunt ſeniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus*, Num. 22. num. 7. Dum Propheta ille, à terrenis exiens, mentem ad Deum eleuabat, bonas viſiones habebat. At verò prout cogitationes ſuas ſubmittebat in munera, ac in promiſſa defigebat, obſcurabantur oculi eius. Rupertus in Num. cap. 21. *Duo prædicta, cuius obturatus eſt oculus, & qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, contraria, vel repugnantia ſibi videntur. Nunc autem planum intellectu ſit, quia per propheticam quidem ſcientiam auditor ſermonum Dei eſt, & viſionem omnipotentis intuitus eſt; ſed per auaritiam cor cæcum habet, & in cupiditatem quidem cadit.*

Num. 46.

Vatablus. Lorin.

*Propenſio ad auaritiam, & pecunias obcæcat.*

Num. 22.

Rupert.

## QVÆSTIO XV.

### *Quid ſignificetur hoc loco per oculum?*

85. DVÆ graues ſententiæ ſunt in hac materia. Prima per *oculum* accipit intentionem. Ita D. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte.* D. Gregorius Magnus *lib. 28. Moral. cap. 6.* D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Beda, Rupertus, Albertus Magnus, Hugo, & alij. Nam intentio, veluti oculus, ac lucerna, regit, & gubernat actionem in finem. Et ſi ipſa intentio fuerit bona, & ſimplex, facit totum corpus lucidum, nempe omnem congeriem actionum reddit bonam, & integram. Si autem ipſa intentio fuerit mala, actiones etiam fiunt malæ, atque iniquæ. Et quanuis Dominus in ſuperioribus huc vſque egerit de recta intentione in Eleemoſyna, Oratione, ac Ieiunio; iterum eam hîc maximè commendat, at inculcat, tanquam quid maximè neceſſarium; quia ab illa omnes noſtræ actiones informantur, vt bonæ, vel malæ ſint.

Auguſt. Gregor. Paſchaſ. Beda. Rupert. Alb. Magnus Hugo.

*Bona intentio totũ opus nobilitat.*

86. Secunda ſententia, & mihi probabilior, quam ſecutus ſum in expoſitione, docet, per *oculum* interpretandum eſſe intellectum. Ita D. Chryſoſtom. *hom. 21. & in Imperfect. hom. 15.* Euthymius, Theophylactus, D. Thomas, Caietanus, Ianſenius, Toletus *in cap. 11. Luc. annot. 79.* Maldonatus, Beaulxames, Cornelius à Lapide, & alij. Et ita germana explicatio eſt: Si mens eſt ſana, & pura, ſine vllo errore, ac vitio, etiam exteriora opera ſunt bona, & ſecundùm rectum dictamen, ac legem Dei facta. Ita ait Chryſoſtomus citatus: *Sicut enim poſtquam corporalium oculorum lumen extinctum eſt, pleraque membra ſuo vſu, ac officio carent, lumine ipſis extincto; ita etiam mente cæcata, innumeris prorſus malis vita noſtra cumulatur.* Vnde meritò ait idem Chryſoſtomus *homil. 18. in Geneſim*, quòd vera intelligentia, *virtutis eſt ſchola*. Origenes, ac Hugo per *ſeptem columnas*, ſuper quas ædificatur domus Sapientiæ, *Prouerb. 10. num. 1.* accipiunt ſeptem liberales ſcientias Intellectus, quibus ipſe maximè perficitur, & expolitur. In hac autem ſententia illud maximè notandum, quòd poſt datam doctrinam de operibus Iuſtitiæ, ſcilicet Eleemoſynæ, Orationis, & Ieiunij, ſtatim Dominus nobis maximè commendat puram, & ſimplicem Intellectus

Chryſoſt. Euthym. Theophyl. D. Thom. Caietan. Ianſenius. Tolet. Maldonat. Beaulxames. Cornel. Chryſoſt.

Idem.

*Vera intelligentia, ſchola virtutis.*

Prou. 10. Origen. Hugo.

cognitionem ; quia hæc maximè conducit ad theſaurizandum in cælo.

87. *Probabilitas ſecundæ ſententiæ.* Hæc ſecunda ſententia mihi eſt probabilior. Nam immediatè antea dixerat Dominus : *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Illud *cor* explicat modò, quod eſt Intellectus, qui purius ſi fuerit, nullo obfuſcatum errore, ſed vt clarè intelligat, ſecundùm rectum dictamen ; totum corpus tuum, hoc eſt, vt explicant. Albertus Magnus, S. Thomas, Caietanus ; omnis congeries tuarum actionum erit lucida, & bona. Si autem oculus mentis fuerit auaritia, ac cupiditate terrenorum obcæcatus, totum corpus tuum erit tenebroſum, hoc eſt, omnes tuæ actiones erunt tenebroſæ, & ſine luce diuinæ legis, Prauo intellectus errore omnes actiones obfuſcantur, ac deturpantur. Deinde, quia Dominus ab exordio capitis ſermonem habuerat de intentione operis ; & poſtea ab illis verbis : *Nolite theſaurizare vobis theſauros* ; auaritiam excludit vſque ad finem capitis, vt notat Franciſcus Burg. Cornelius à Lapide. Et ita ait in ſequentibus verbis : *Non poteſtis ſeruire Deo, & mammonæ*. Non videtur ergo, hîc congruè iterum interponere ſermonem de intentione, ſiquidem de ea iam egerat, & aliam materiam erat exorſus.

Albert. Mag. S. Thom. Caietan.

Franc. Burg. Corn. à Lap.

88. Gloſſa. D. Thom. Hugo. *Fides lucerna noſtra.* Tertiò exponitur, & moraliter, à Gloſſa, S. Thoma, à Cardinali Hugone, vt per *oculum* intelligatur fides ; vnde, ſi ſimplex eſt, itaut tendat in Deum, id eſt, non vacillet ; facit totas noſtras operationes lucidas, & fulgidas. At ſi ipſa lucerna fidei obtenebratur, noſtræ operationes obſcurantur. Quartò cum eodem D. Thoma, per *oculum* ſignificatur Prælatus, qui eſt oculus ſubditorum. Et recole, quod dixi in expoſitione ex Abulenſi, quòd oculus non ſolùm ad ſui, ſed etiam ad totius corporis vtilitatem videt. Si ergo Prælati bene diriguntur, plebs tota populi lucet virtutibus. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius*, Eccleſiaſtici 10.

S. Thom. *Prælatus lucerna populorum.* Eccli. 10.

89. *Oculorum modeſtia in animum trãſit.* Quintò. Si oculus fuerit ſimplex, purus, & modeſtus, totus homo, ac animus erit integritate, ac rectitudine purus, & compoſitus : nam oculorum modeſtia, ac turpitudo maximè refunditur in animum, & cor. Præclarè Saluianus *lib. 3. de Gubernatione Dei*, explicans illa Chriſti verba : *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, Matth. 5. num. 28. ſic ait : *Hinc intelligere plenè poſſumus, quàm caſtos nos eſſe, Saluator iuſſerit, qui etiam licentiam viſionis abſcidit. Sciens enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium lumen oculorum ; & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos introire : extinguere eas penitus foras voluit, ne intus orirentur, & lethaliter creſcentibus fibris conualeſcerent fortaſſe in animo, ſi germinarent in viſu.* Et poſt pauca ſubdit ; *Quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſt Chriſtani hominis vita.*

Saluian. Matth. 5.

90. *Oculorũ modeſtia modeſtum animum facit.* Ad noſtrum intentum ſimplicitas, ac modeſtia oculorum animi ſimplicitatem, ac puritatem generat, & comprobat. Cùm in ſpelunca Saul incidiſſet in manus Dauid, à quo facile poterat occidi ; reprimens Dauid proprij animi ſui motus à percuſſione ſe abſtinuit. Poſtea loquens cùm Saul ait : *Cogitaui, vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus*, 1. Reg. 24. num. 11. Cogitatio actus eſt noſtri intellectus, qui dirigit, & gubernat per ſuum dictamen practicum noſtras actiones. Oculus verò tantùm eſt potentia cognoſcitiua, & naturalis, ſpecies viſuales ab obiecto accipiens. Quomodo ergo actus intellectus, qui ex ſuo munere habet dirigere, non obtinet ſuum cogitatum, & effectum ; ſed potiùs illum oculus præſtat, vt Saul eſſet illæſus, cùm tamen potentia viſiua nullum in hoc haberet imperium? Tanta fuit modeſtia, ac ſubmiſſio oculorum Dauid erga Saulem, tanquam ſuum dominum, ac Regem, vt commotum animum circa occiſionem tranquillaret, atque placaret, ne ipſum, tanquam hoſtem interficeret, ſed potiùs vt Chriſtum Domini veneraretur : illa enim oculorum pietas reuerentiam in animum ingerebat. Carthuſianus. *Oculo exteriori reſpexi te piè ; & oculus meus interior, vtpote ratio, refrenauit iracundiæ motum.* Si oculus exterior piè videt, & oculus interior piè intelligit.

1. Reg. 24

Carthuſ.

At ſi intemperantia eſt in oculis, facile ſecum animum rapit. Ait Dominus Moyſi : *Azyma comedetis ſeptem diebus, non apparebit apud te aliquid fermentatum*, Exod. 13. num. 7. Ad quid prohibetur fermentati conſpectus? In lege autem dicebatur : Non comedes azyma ; & ſi adderetur nec fermentatum, aliàs qui comederit, exterminabitur de populo, plana erat intelligentia, & nulla difficultas. Sed ad quid apponitur : Non apparebit, non conſpicietur fermentatum? Tanta eſt connexio inter oculorum viſus, & mandatorum tranſgreſſionem, vt idem ferè reputetur, aſpicere rem illicitam, ac actionem prohibitam circa eam exercere. Et ita ait D. Auguſtinus *lib. 10.* Confeſſion. cap. 34. *Reſiſto ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei.* 91.

Exod. 13.

Auguſt.

## Qvæstio XVI.

### *Quare Eccleſia cum hoc Euangelio in prima de Quadrageſimæ adiungit memoriam mortis?*

Eccleſia in hac prima ſolenni die Cinerum cum præſenti Euangelio memoriam mortis nobis adiungit : *Memento homo, quia puluis es*, &c. his volens ſuos filios ad viam ſalutis perducere. Sed cur ſtatim in hoc exordio non proponit alia efficaciora media, quæ dantur in militia Chriſtiana, verbi gratia, actum amoris Dei, actum contritionis, actum fidei? Cur ad hos actus in limine huius ſancti temporis nos non exhortatur, ſed ad ieiunium, ac ad memoriam mortis? Meritò ſanè : nam noſtrorum malorum origo ex triplici radice pullulauit. Primò ex quadam mortis diſſuaſione, quam Diabolus propoſuit Euæ. *Nequaquam moriemini*, Gen. 3. num. 4. Secundò ex quadam Adami gula : *Deditque viro ſuo, qui comedit*, ibidem. Tertiò ex quadam immoderatione oculorum : *Vidit mulier, quòd bonum eſſet ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* Volens Eccléſia origini noſtrorum malorum efficax adhibere remedium, diſſuaſioni mortis apponit certam, & veram illius aſſertionem. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Adami gulam forti antidoto ieiunij excludit : *Cùm ieiunatis.* Immoderationi oculorum apponit viſus cautelam. *Si oculus tuus fuerit ſimplex.* Qui enim ſanare affectat, ac viuida medicamina exhibere, non tantùm agit de remedio omnium vehementiſſimo, ſed potiùs de illo, quòd decens, & proportionatum eſt morborum origini, ægrotantium diſpoſitioni, tempori, loco ac occaſioni. 92.

*Ratio difficultatis.*

Gen. 3.

*Medium, vt efficaciter operetur, debet eſſe proportionatum diſpoſitioni, ac tempori.*



93. Ioan. 18. Cùm Iudæi acceſſiſſent, vt Chriſtum Dominum tenerent, dixit eis noſter Saluator : *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt impleatur ſermo, quem dixit : Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam*, Ioan. 18. num. 8. Vult Dominus, vt ſui diſcipuli dimittantur, & non occidantur à Phariſæis, vt adimpleatur verbum dictum, quòd ex diſcipulis ei traditis nullum eorum ipſe perdidit ; quod non ſolùm de corporis, ſed etiam de animæ perditione interpretantur S. Thomas, D. Auguſtinus, & ait : *Hoc, quod dicitur, eſt intelligendum etiam quantum ad perditionem animæ, quia Apoſtoli nondum ſic credebant, quomodo credunt, qui non pereunt. Et ideo, ſi tunc exiſſent de hoc mundo, fuiſſent de illis, qui pereunt.* Profuſio propriæ vitæ conſcribi, ac annumerari inter Chriſti aſſeclas, ſocios, & Apoſtolos, ſed valde efficaciter conducit ad ſalutem aſſequendam. Et ob hanc cauſam candidati Martyres glorioſa morte pro Domino occiſi, inſigni laurea triumphant in cælo. Et tamen ſi paſſionis tempore ſimul cum Domino cruciatibus occumberent Apoſtoli, perirent, ac in perditionem abiiſſent. S. Philippus Abbas Epiſtol. 14. *Ex his, quos ad ſaluandum Pater ei dederat, quempiam non amiſit, quia occidi eos immaturo tempore non permiſit.* Interfici in odium Chriſti, efficaciſſimum medium ad ſalutem his, qui credunt, vt oportet, vt credunt illi qui ſaluantur. Occidi autem tempore Paſſionis, Apoſtolis erat mors immatura, & eorum diſpoſitioni non erat ſatis proportionatum, cùm adhuc non eſſent multum firmi in fide, nec enim, vt ait S. Thomas, *ſic credebant, quomodo credunt, qui non pereunt.* Ideo diuina prouidentia reſeruantur in aliud tempus, nempe poſt aduentum Spiritus ſancti, quando ipſi iam tanquam immobiles, ac firmiſſimæ columnæ in fide, & in diuina gratia confirmati, chlamyde Apoſtolica, ac inſigni martyrij palma ad præclaras cæleſtis beatitudinis ſedes auolarunt.

D. Thom. Auguſt.

S. Phil. Abb.

*Applicãdum medium tempori, ac occaſioni accommodatum.*

94. Semper ex alto dictamine prudentiæ proportionatum medium tempori, occaſioni, ac diſpoſitioni rerum exoptandum eſt. Apparet Deus Abrahamo, & Moyſi. In habitu, & forma peregrini Abrahamo ſe exhibet, Gen. 18. num. 2. *In flamma ignis in medio rubi*, Moyſi ſe videndum præbet, *Exod. 3. num. 2.* Tam diuerſas præſentias Dominus in his apparitionibus aſſumit, cùm tamen vtriuſque finis magnam inter ſe porportionem haberet : nam ad Moyſem venit, vt Populum eximat de captiuitate Ægyptiorum ; Abrahamo autem ſe dat obuiam Dominus, vt cum eo agat de altiſſimo Incarnationis myſterio in remedium totius generis humani. Si inter has apparitiones tanta interueniebat conuenientia, quomodo externæ circunſtantiæ ita inter ſe diſcrepant? D. Chryſologus ſerm. 69. *Cùm Abraham velut hoſpes aduentat, inuitatus tota dignatione ſuccedit, & diuina collatione velut egens ſuſcipit, & acceptat humana. Ad Moyſem igneus Deus glomeratur in rubo, deinde confert facienda cum ſeruo.* A Moyſe, diſponit, ſe aſpiciendum in medio ignis, veniebat enim, vt flamma ſui furoris, ac iræ contunderet ſuperbiam, ac contumaciam Pharaonis. At Abrahamo, forma ſerui indutus, ac multis benignitatis ſignis accedit ; nam agebatur ibi de remedio humanæ miſeriæ. Et ſi ſuperbia acrimoniâ ignis refrænatur ; fragilitas tamen humanitate, ac tenera affabilitate redintegratur, fouetur, ac erigitur. Et ita pro opportunitate rei, ac occaſionis diuerſimoda media erant eligenda. Vide ſuprà *cap. 2. num. 45. & cap. 5. num. 225. & num. 279. & cap. 7. num. 14. & cap. 14. num. 33.*

Geneſ. 18.

Chryſol.

*Pro diuerſitate temporis diuerſum medium eligendum.*

# CAP. XVII.

## *Duobus dominis non ſeruiendum.*

*Matth. 6. n. 24.* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget ; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.

### *Versiones.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Aut vnum honorabit, & alterum contemnet : non poteſtis Deo ſeruire, & mamouno diuitiis. |
| *Pagnin. Euthy. Theophylact.* | Aut vni adhærebit, & alterum contemnet, |
| *D. Aug. lib. 2. de ſerm. Dom.* | Aut vnum patietur, & alterum contemnet. |
| *Arias.* | Aut vnum amplexabitur, & alterum deſpiciet. |

### Alter Textvs.

*Lucæ 16. n. 13.* Nemo ſeruus poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum odiet, & alterum diliget : aut vni adhærebit, & alterum contemnet : non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.

## *Expositio.*

Dixerat Dominus ſuprà num. 19. *Nolite theſaurizare vobis in terra.* Quod comprobat, ac confirmat triplici ratione. Primò, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, n. 21. Secundò, *Si oculus tuus fuerit ſimplex*, &c. Nunc adhibet tertiam : *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Suam doctrinam Dominus, non poteſtate 1.

*Res diſponenda, non vi, ſed ſapientia.*

poteſtate præcipiebat, ſed rationibus ſuadebat. Communis enim magiſter res, non vi, ſed ſapientia diſponebat, ac conficiebat. Hoc communi adagio, vt notat Chryſoſtomus, tacitè occurrit Dominus cuidam obiectioni, qua auarus tueri ſe poterat; nempe quòd ipſe volebat ſeruire mundo, & non abſtinere à Dei obſequio. Hanc cogitationem excludit Dominus: *Non poteſtis duobus dominis ſeruire*; diuerſa, & contraria imperantibus, vt ait Chryſoſtomus. Nam ſi æquè, & ſubordinatè mandent, facilè eis obſequi poteſt, vt aduertit D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Et ita vnus homo ſeruire poteſt patri, & filio; Regi, & præſidenti. Denotat Dominus *hîc*, vt docent Interlinealis, Haymon, D. Anſelmus, quòd non poſſumus ſeruire Deo, & Diabolo; Religioni, & auaritiæ, ſeu mundo; virtutibus, & vitiis, tanquam contraria imperantibus. Vnde nos exhortatur Chromantius, vt conſideret homo ſuam miſeriam, quia cùm ſit creatus, vt Deo ſeruiat, per peccatum ſe conſtituit Diaboli ſeruum.

Chryſoſt. Idem. Paſchaſ. Interlin. Haymon. Anſelm.

2\. *Aut enim vnum odio habebit.* Probat ſapientiſſimus Magiſter, quòd vnus homo non poteſt ſeruire duobus dominis, diuerſa imperantibus: nam cùm duo illi domini diſcrepent moribus, & imperatis, fit, vt amborum ſeruus, ſi ſponte ſeruit, vt ait, Caietanus, vnum diligat, & alterum odiat; nam amor vnius contrarij, odium eſt alterius. At verò ſi cogitur ſeruire, neutrum diligit, amor eſt valde ſpontaneus, & non fit à coactione. *Aut enim vnum odio habebit*, ſcilicet Diabolum, & hominem iniquum, non creaturam, vt ait Hugo, ſed vitium. *Et alterum diliget*, ſcilicet Deum, vt eſt communis intelligentia Patrum, ac expoſitorum. Qui verè Deo ſe conſecrat, & ipſum diligit, odio habet mundum, & Diabolum. *Aut vnum ſuſtinebit.* Agit de homine addicto obſequio Diaboli. *Suſtinebit*, ſeu *patietur*, durum ſcillicet Diaboli iugum patietur, vt legit D. Auguſtinus, cùm non amore, ſed timore ſeruiat. Seu, vt legit Syriacus, *honorabit*; quia ſæpè ob timorem multos honoramus. *Et alterum contemnet*, ſcilicet Deum, ac eius præcepta deliciis, & concupiſcentiis poſtponendo. Et nota, quòd, cùm de auerſione à Deo ſit ſermo, non ait, *odiet*, ſed contemnet, quia cùm Deus ſit ſummè bonus, nulla creatura eum odio habet in affectu, vt notant D. Anſelmus, Carthuſianus, Hugo, & alij.

Caiet. Hugo. Auguſt. Syriacus. *Sæpe ob timorem multos honoramus.* Anſelm. Carthuſ. Hugo.

3\. *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Applicat iam ſuperiorem doctrinam Dominus, & infert quandam concluſionem ad præſens inſtitutum: non poteſt ſeruire Deo, & diuitiis, ſunt enim duo domini contrariis iuſſis, & mandatis. Et ideo neceſſe eſt, vt qui adhæret Deo, neget ſeruitium diuitiis; aut ſi vult duram diuitiarum tyrannidem ſuſtinere, Dei obſequium contemnat. Notandum, quòd non ait Dominus: Non poteſtis habere diuitias: nam illas habuerunt Abrahamus, Iſaac, Iacob, & Iob; ſed damnat, & condemnat, ſeruire diuitiis, ſeu eſſe ſeruum, ſeu captiuum diuitiarum, vt eſt auarus. Accipe D. Hieronymum, *Non dixit Chriſtus, qui habet diuitias, ſed qui ſeruit diuitiis, Qui enim diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit, vt ſeruus: qui autem ſeruitutis excuſſit iugum, diſtribuit eas, vt dominus.* Idem latè explicat Euſebius Emiſſenus *homil. in Dom. 15. poſt Pentecoſten.* Ille ſeruire dicitur diuitiis, qui eas, vt ſeruus, cuſtodit, ſeruat, ac expendere non audet; ſed eis obſequitur, & famulatur. *Diues effectus ſum, inueni idolum mihi*, Oſeæ 12. num. 8. Et Paulus ait: Auarus, *quod eſt idolorum ſeruitus*, ad Epheſ. 5. n. 5. Ita enim multi ſeruant, & venerantur diuitias, tanquam idolum ſuum.

*Nullus ſit ſecurus, & captiuus pecuniarum.* Hieron. Euſeb. Emiſſ. Oſeæ 12. Ant. Vlyſſip.

## QVÆSTIO I.

### *Quare inter hæc quatuor verba primò ponatur odium, ſecundo loco dilectio?*

4\. NOTAT D. Antonius Vlyſſiponenſis *in Domin. 15. poſt Trinit.* quòd quatuor verba hîc apponuntur: *Odiet, diliget, ſuſtinebit, contemnet.* Vnde ait S. Pater: *Si diligis vitam, odis vitam. Si ſuſtines ſuperiorem, contemnis inferiorem, ſcilicet mundum. Et è conuerſo, diligit te, qualem te Deus fecit: talem enim dilexit te; odit te, qualem tu feciſti te: ſuſtine tuum ſuperius, contemne tuum inferius*, ſcilicet mundum. Hæc S. Pater. Singillatim verba magis explicemus.

Ant. Vlyſſip.

5\. Primum verbum: *Aut vnum odio habet*, & deinde dicitur, *diliget alterum.* Tamen primum eſt, *odio habet.* Noſtra enim propenſio maximè inclinata in odium, atque malum. Dimiſſo Iſraële ab Ægypto, cùm Pharao magna excandeſceret ira, atque odio, ait de eo Moyſes: *Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea.* Exod. 15. num. 9. Certum eſt apud Philoſophos, quòd omne agens priùs intendit finem, & deinde accedit ad eligenda media: finis hic intentus à Pharaone erat, implere animam ſuam, diuidere ſpolia Iſraël inter ſuos, vt ait Abulenſis, vtque illa ſuis militibus daret in præmium, vt tradit Ioannes de la Haye *in expoſitione.* Perſequi autem, & comprehendere, medium erat ad illum finem. Quomodo ergo medium prius elegit, priuſque ei venit in mentem. *Dixit inimicus, Perſequar, & comprehendam?* Nam, vt ait D. Athanaſius in Apologia pro ſua fuga. *Perſequi, diabolicum eſt inuentum, & ab omnibus ille hoc nomine accuſatur.* Pharao indole peſſimus, etiam contra omnem naturæ diſpoſitionem, ad illud primò rapitur, & illud primò intendit, quod odium, & malum importabat, ac diabolicum inuentum erat.

*Homines in odium propenſi, ac in malum.* Exod. 15. Abulenſ. Ioan. de la Haye. Athanaſ.

6\. Deinde ſecundo loco ponitur aliud verbum, *diliget*, ſcilicet Deum. Notandum tamen eſt, quòd antequam dicatur: Diligat Deum; priùs traditur, Odio habeat vnum, ſcilicet diabolum, mundum, & vitia. Vt enim homo dilectioni Dei incumbat, omnique virtuti indulgeat, neceſſe eſt, vt priùs ab anima vitiorum vepres euellat. Interfecto Ægyptio *Exod. 2. num. 12.* Moyſes ad Dei colloquium venit, & vocatur, *Exod. 3. num. 2.* Sed cur non potiùs eum occidit poſt viſam Dei præſentiam, quando iam iudiciariam poteſtatem habebat? Alto conſilio totum eſt diſpoſitum. Quia vt Moyſes aſſequeretur Dei familiaritatem, & allocutionem, priùs ei Ægyptius occidendus erat, hoc eſt, mundus cum ſuis cupiditatibus. D. Ambroſius lib. 2. de Abel cap. 4. *Cùm interficitur impius, Chriſtus infunditur. Et vbi abominatio aboletur, ſanctificatio cumulatur.* Quod confirmat S. Pater *Numer. 3. num. 3.* ait Dominus: *Meum eſt omne primogenitum, ex quo percuſſi primo*

*Vt ad Deum venias, peccata depone.* Ambroſ. Num 3.



*primogenitos in terra Ægypti.* Vt Deus ſibi conſecraret primogenitos Iſraël, priùs occidit primogenitos Ægyptiorum, hoc eſt, mundanorum. Sic ait S. Doctor. *Cùm renuntiatur improbitati, ſtatim adſciſcitur virtus. Egreſſus malitiæ virtutis operatur ingreſſum, eodemque ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Et confirmat aliis exemplis, ac concludit. *Aliter non ingreditur Chriſtus, niſi vt vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.*

*Egreſſus malitiæ, virtutis ingreſſus.* Ambroſ.

## QVÆSTIO II.

### *Quare de dura diaboli ſeruitute dicatur, quòd eam homo ſuſtinebit, ſeu patietur?*

7\. TERTIVM verbum in textu appoſitum, *vnum ſuſtinebit*; ſeu, vt legit D. Auguſtinus, *patietur.* Homo, qui ſe committit mundo, Diabolo, & vitiis, duram eorum tyrannidem ſuſtinet, & patitur. Quot opprobria, calamitates, ac anxietates in his inueniat potius experientia comperiuntur, quàm verbis explicari queant. Petunt viri Iabes fœdus à Naas Ammonites. Quibus ille ait: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrûm oculos dextros, & ponam vos opprobrium in vniuerſo Iſraël*, 1. Reg. 11. num. 11. Naas Diabolum ſignificat, vt tradunt D. Gregorius, Beda, Rupertus, Rabanus, Carthuſianus, Lyranus, Hugo, & alij cum D. Nîlo *ſerm. de Aſcetico*, & Petro Damiano *lib. 6. Epiſtol. 5. ad Abbates, & Monachos.* Qui ita ait. *Naas cum Iabes fœdus aliter dedignatur inire, niſi oculum dextrum paciſcatur eruere: quia quiſquis, vel antiquo hoſti in peruerſa ſuggeſtione ſubſternitur, vel mundi huius inquietis actionibus implicatur, dum ſe tanquam ſuperbo regi turpiter fœderat, neceſſe eſt, vt dextrum oculum, hoc eſt, lumen contemplationis amittat. Et ſic opprobrium in Iſraël ponitur: quia dum à contemplationis arce ad terrena, vel immunda quælibet exequenda deuoluitur, conſequens eſt, vt in Eccleſia probroſæ deriſionis obtrectationibus mordeatur.* Qui cum Diabolo, ac mundo fœdus init, ac eorum obſequio mancipatur, lumine oculorum priuatur, vt ſuam miſeram conditionem non videat; & in opprobrium, contumeliam, ac deriſionem coram omni mundo datur.

Auguſt. 1. Reg. 11. Gregor. Beda. Rupert. Rabanus. Carthuſ. Lyran. Hugo. Nilus. Damian. *Qui ſeruit Diabolo, omnibus ſit in opprobrium.*

8\. Secundò. Dicitur, quòd homo, qui ſeruit mundo, & Diabolo, eorum dominatum ſuſtinebit, & patietur. Per quod denotatur, quòd multas afflictiones, miſerias, ac cruciatus tolerabit homo in mundi, & Diaboli ſeruitute. Et meritiſſimè ſanè, quòd ille, qui obſequium Mundo, ac Diabolo præſtat, ab ipſiſmet affligatur, crocietur, ac mille miſerias ſuſtineat. Qui enim indignis defert honorem, iuſto Dei iudicio, ab ipſiſmet moleſtatur, inſectatur, ac caput eius peſſundatur, & calcatur. Poſt primorum parentum peccatum ait Deus loquens cum ſerpente: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum*, Geneſ. 3. num. 15. Sed quomodo dicitur, quòd ipſa mulier conteret caput tuum? Potiùs videbatur dicendum, quòd ipſe filius eius conteret caput tuum. Quod dubium attingens Procopius ait. *De viro, qui non deceptus erat, ſecundùm Apoſtoli teſtimonium, prædicari conueniebat, ipſe conteret caput tuum, vir nanque fortior erat, & magis idoneus ad debellandum ac faciliùs præcauere potuit, ſi afferret dolos. At oportebat de infirmiori dici, inimicitias ponam, & ipſa conteret caput, vt fraudi, & dolo nullus daretur locus.* Moraliter locum explico. Diabolus cum muliere agens, & immediatè loquens, diuinum ei omnino repugnantem, ac improportionatum obtulit honorem: *Eritis ſicut Dij.* Optimè ergo ſerpenti in pœnam dicitur: *Ipſa conteret caput tuum.* Nam mulier, ô Diabole, quàm indigniſſimè ad altum diuinitatis faſtigium extolli, te velle in affectu declarabas, ipſa peſſundabit, comminuet, ac confringet caput tuum. Ita enim fieri ſolet, vt ab ipſis, quos immeritò ſublimaſti, ſæpe conculceris; eorumque aſcenſus, tuus ſit deſcenſus, ac præcipitium. Hæc videant homines, vt ab indignis promotionibus abſtineant, & ita *fraudi, & dolo nullus detur locus.*

*Quem indignè ad dignitatem ſublimaſti, caput tuum ipſe frangit.* Procop.

9\. *Ierunt ligna, vt vngerent ſibi Regem*, &c. *Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit: Si verè me Regem vobis conſtituitis, ſub vmbra mea requieſcite; ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani*, Iudic. 9. n. 8. & 15. Vbi obiter ponderandum eſt: *Si verè me Regem conſtituitis*; nam, cùm ſe indignum imperio agnoſceret, putabat, fictitiè honorem eſſe oblatum. Abulenſis. *Non dixit hoc aliqua de arboribus prænominatis, ſed dixit Rhamnus, eo quòd, cùm nullam haberet excellentiam, putauit, quòd non vero corde alia ligna ſumebant eum in Regem, ſed illuſoriè.* Sed illud eſt expendendum ad rem noſtram, quòd ait: *Egrediatur ignis, & deuoret cedros.* Nonne omnia ligna te Regem conſtituerunt, cur cedros vis igne conſumere? Rhamnus eſt valde humilis, & abiectus, ac indigniſſimus imperio; & ideo nihil aliud primò affectauit, quàm ſuos promotores primò conſumere, eradicare, ac in nihilum redigere. Gloſſa Moralis, *Per Rhamnum*, ait, *ſignificantur homines indigni promotione, & grauiter pungunt, & ignem diſſenſionis emittunt, quo promotores ſui deſtruuntur.*

Iudith. 9. Abulenſ. *Indignus ſuos promotores interimit.* Gloſſ. Mor.

## QVÆSTIO III.

### *Quomodo peccator audeat, Dei mandata contemnere?*

10\. QVARTVM verbum appoſitum, *Alterum contemnet.* Qui enim mundi deliciis, ac Diaboli lenociniis indulget, contemnit. D. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, cap. 14. *Alterum contemnet, dicit, non odio habebit; nullius enim ferè conſcientia Deum odiſſe poteſt. Contemnit autem, id eſt, non timet eum: qui quaſi de eius bonitate ſecurus eſt.* Vilis homo, dum peccat, ac diuinam violat legem, ſupremam Dei maieſtatem contemnit. Sed quomodo miſer homo non timet, tantum Dominum aſpernere? Quomodo eius iuſtitiæ timore non percutitur? Agnoſcit peccator ſummam Dei clementiam; ac de eius bonitate ſecurus in peccandi licentia multam ſibi confidentiam aſſumit, ſeque iudicans à præteritorum facinorum pœnæ immu

Auguſt. *Homo ex Dei bonitate ad peccandum anſam aſſumit.*

immunem, in alia ſe præcipitare audet, neſciens, quòd in diem vltionis theſaurizat.

11\. O miſera, & deplorata hominum conditio, quod à mera benignitate, ac pietate, qua diſſimulantur aliquando delicta, nouam peccandi anſam audeat ſibi arripere. De populo Iſraëlitico conquerítur Deus per Iſaiam *cap. 1. num. 2.* & ait: *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Vt Dominus explicaret eorum crimen, culpamque ipſorum declararet, ſat erat, dicere, quòd ipſum contempſerint ſupremum Numen, ad cuius venerationem omni iure tenebantur. Ad quid vltrà additur, quòd, vt filij enutriti ſunt, atque exaltati? Pulchrè D. Zeno ſerm. 5. de Iſaia. *Iudaicum populum vniuerſum ſalutis ſuæ omiſiſſe præſidium, diuini carminis textus oſtendit, in quo eum non ſeueritas apud omnes condemnat, ſed pietas; & filios appellat, vt exaggeret crimen; exaltatos autem, vt ingratos oſtenderet.* Expende illa verba: *Non ſeueritas condemnat, ſed pietas.* Filij, & exaltati dicuntur, vt eorum miſera conditio exprimatur; quia ipſos condemnat, non ſeueritas iudicij, ſed pietas benignitatis, qua abuſi ſunt, vt Dei clementiam illuderent.

Iſai. 1. *Valde durũ, quos non ſeueritas, ſed pietas condemnat.*

Zeno.

12\. Veniat iterum ille Naas Ammonites. Ait viris Iabes: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrûm oculos dextros*, 1. Reg. 11. num. 11. Cur crudeliſſimus hoſtis ambos non vult eruere oculos? Si enim hoc feciſſet, crudelior videretur. Cur vno contentus eſt? Petrus Damianus citata Epiſtola 5. ad Abbates. *Notandum,* ait, *quòd iniquus Rex, non duos inimicis eruere, ſed vnum duntaxat oculum flagitat: quia ſæpe malignus hoſtis conſentienti ſibi cuilibet reprobo homini potiorem partem ſanctitatis, ac lucidi operis adimit; minorem verò artificioſa quadam ſuæ calliditatis induſtria derelinquit. Vt in eo, quod tollitur, ſit occaſio damnationis, vt pereat: in eo verò, quòd remanet, de ſpe fiduciæ præſumatur, vt peccator ad pœnitentiam non recurrat.* Naas Diabolum ſignificat, vt ſatis eſt dictum in hac re. Et vt crudelis hoſtis eruit oculum dextrum, hoc eſt, dexteram cognitionem, qua homo poſſit conſiderare Dei celſitudinem, timorem, & reuerentiam, quam ei omnes exhibere tenemur; & qua etiam valeat miſeram peccati proſpicere conditionem. Relinquit tamen ſiniſtrum oculum, id eſt, ſiniſtram cognitionem, qua nimium fidens de Dei bonitate, peccandi audaciam ſumat, vt maioribus inquinamentis, ac peccatis deturpetur; & de pœnitentia, vt reſurgat, non curet. *De ſpe fiduciæ præſumatur, vt peccator ad pœnitentiam non recurrat.*

1. Reg. 11.

Damian.

*Diabolus ſolicitat, vt habeas fiduciã de diuina bonitate, vt liberius pecces.*

## QVÆSTIO IV.

### *Conferuntur inter ſe quatuor verba proximè relata?*

13\. AD probandam concluſionem aſſumptam, quòd *nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, duas explicationes, ſeu duo exempla adducit Dominus; & in vnoquoque duo ſunt verba. In prima cõparatione ait: *Vnum odio habet*; deinde, *alterum diliget.* In ſecunda combinatione primò dicitur: *Vnum ſuſtinebit,* ſeu *patietur*; & deinde, *alterum contemnet:* Vnde maximè ponderandum eſt, quòd verbo in prima comparatione, *odio habet*, correſpondet in ſecunda, *ſuſtinebat*, ſeu *patietur.* Et verbo in prima combinatione: *diliget eum*, correſpondet ei in ſecunda, *contemnet eum.* Quomodo hæc cohærere, & ſtare poſſunt, quòd qui odit dominum ſuum, eius iugum patiatur, ſuſtineat; & qui diligit Dominum, contemnat? Quomodo cum odio datur pati, & ſuſtinere; cùm dilectione verò contemptus? Ex D. Chryſoſtomo notat Abulenſis *quæſt.* 178. quòd ille, qui odit Dominum, eius tamen imperium patitur, & ſuſtinet, hoc præſtat ex timore, ac metu pœnæ, quo ſeruit. Qui verò diligit; aliquando tamen contemnit: hîc ad obſequium Domini amore, vel obligatione beneficiorum inducitur. Non ergo mirum, quòd cum odio ſufferentia, ac patientia Domini interueniat; & cum amore contemptus. Sæpe enim plus homines cogit timor pœnæ, quam amoris affectus, ac beneficiorum memoria. Homo quippe ad ſuum tantùm attendit proprium commodum, lucrum, ſuique ipſius amorem: ſi pœnæ imminet timor, maximè ſui commodum aſportat, ſi dolorum afflictiones effugiat. At in amore, & obligatione ad alterum, non proprium ibi commodum, ſed alterius, nempe amici, ſeu benefactoris interuenit; & ideo facile quilibet totum hoc contemnit, & parui facit.

*Difficultas quæſtionis.*

Chryſoſt. Abulenſ.

*Plures trahit metus pœnæ, quam amor.*

14\. Ait Eccleſiaſticus 1. num. 8. *Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis.* Deum Creatorem omnipotentem fatetur: ergo potius dedebat exhortari, vt eſſet amandus, quàm timendus. Quis beneficium non magis amet, quàm timeat? Et quod maius beneficium dici poterat, quàm creationis, qua ex nihilo nos produxit Deus, à quo totum eſſe noſtrum habemus acceptum? Cur ergo Eccleſiaſticus, creatorem timere potius, quàm amare, iubet? Volebat ille, omnes homines ad Dei cultum, reuerentiamque adducere; & ideo proponit, non amorem, ſed timorem; & non quemlibet, ſed timorem *nimis*; ſciebat enim, quòd homines plus timore, quàm amore trahuntur, pluſque apud eos præualet metus pœnæ, quàm affectus amoris; illo enim maximè homines retrahuntur à peccatis, Deique conſecrantur obſequio. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. *Diuinè*, ait, *mihi videtur lex valuiſſe, vt metus impenderet neceſſariò, vt cautione, & attentione hoc ſibi pararet Philoſophus, vt eſſet à lapſus alienus, & peccato non affinis.*

Eccli. 1.

*Plures timore, quã amore trahuntur.*

Clem. Alex.

15\. Egreſſis filiis Iſraël de mari rubro, ait textus Exod. 14. num. 31. *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos, timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius.* Nunc, cùm vident Iſraëlitæ mortuos, timent, & credunt Domino? & antea cùm egreſſi eſſent ex Ægypto, inter tot mirabilia, atque prodigia, quæ Deus pro eorum patrocinio, ac defenſione erat operatus, cùm ſupra ſe vidiſſent venientes Ægyptios, *Exod.* 14. *num.* 10. Clamauerunt contra Dominum, & Moyſem, in voces deſperabundas erumpunt, & contra Moyſem, increduli fantur, nihil aliud niſi propriam interemptionem cogitantes, vt tradunt Lyranus, Lippomanus, Abulenſis, Cornelius à Lapide & alij. Inter tam præclara beneficentiæ, ac benignitatis monumenta tam citò diffidit Iſraël; & hîc, cùm

Exod. 14.

Lyranus. Lippoman. Abulenſ. Cornel.



cadauera mortuorum intuetur, timet, & credit? *Timebat*, ait Oleaſter, *ex pœna, & ſupplicio viſo, ne taliter plecteretur, ſi in eadem delicta, vel ſimilia incideret.* Et ideo tunc *crediderunt Domino, & Moyſi.* Plures enim timore pœnæ, quàm blanditiis amoris trahuntur. Et qui inter amoris ſigna diffidunt, inter pœnæ flagella credunt. D. Auguſt. Epiſt. 5. ad Bonifacium, *Sunt*, ait, *meliores, quos dirigit amor; ita plures ſunt, quos corrigit timor.*

Oleaſter.

*Plus poteſt timor, quàm amor.*

Auguſt.

## QVÆSTIO V.

### *Quare homo non poſſit ſeruire Deo, & Mammonæ?*

16\. QVATVOR mihi occurrunt rationes principales; ob quas homo non poteſt ſeruire Deo, & Mammonæ. Prima ex parte ipſius hominis. Secunda ex parte Dei. Tertia ex parte diuitiarum. Quarta ex magna repugnantia circunſtantiarum, quæ in obſequio vtriuſque interueniunt. Quæ omnia breuiter explico.

17\. Primò ex parte hominis: Quia, vt ait Albertus Magn. cùm homo ſit vnus, non poteſt eſſe diuiſus; ac proinde non poteſt tendere, niſi in vnum; nec poteſt habere duos fines, ſed vnum. Et ita, qui occupatur, ſeruiendo vni domino, eum cõſtituit finem ſui obſequij; ac proinde non poteſt alteri ſeruire, & occupatus totaliter circa vnam rem, nõ poteſt alteri vacare, cùm omnes ſuas actiones dirigãt ad illam rem, circa quam occupatur. Et ita, qui ſeruit Mãmonæ, ſeu auaritiæ, omnes actiones ſuas ponit in congregandis diuitiis, ac proinde Deo obſequi non poteſt; nec enim poteſt habere duos vltimos fines, vt eſt cõmunis omnium vox.

Albert. Mág.

*Homo in duos fines tendere non poteſt.*

18\. Deinde, vt ait Scholiaſtes Tertulliani lib. 4. in Marcionem. *Bene Dominus mammonam veluti dominum quendam cum Deo componit, vt oſtendat eos, qui ſtudio pecuniarum occupantur, rei mortuæ ſeruire, cui maximè deberent imperare.* Sub pedibus hominum ſubiecit Deus omnia, huius ſæculi diuitias, ac bona temporalia: valde ergo durum eſt, vt ipſe pecuniæ ſeruiat; nulla enim maior miſeria, quàm ſeruire ei, cui debebas imperare; & illius iugum ſufferre, cuius imperiũ tenebas. Poſtquam Iacob impetrauit à patre benedictionem, venit Eſau, & cùm agnouiſſet, quod geſtum erat, pro ſua benedictione inſtat ad patrem. *Cui reſpondit Iſaac, dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui;* Gen. 27. num. 37. Quod cùm accepiſſet Eſau, ait Scriptura: *Cùmque eiulatu magno fleret*, ſeu, vt habet, *leuauit vocem ſuam, & maximè fleuit.* Sed quomodo Eſau, qui erat homo durus, ferox, & aſper, atque, vt notat Abulenſis, erat vir magnæ auctoritatis, & ætatis quinquaginta, vel ſexaginta annorum, ita lachrymas effudit, tãquam tener puer pro ſua benedictione, quã pro exiguo pulmento tradidit fratri, parui pendens, quòd primogenita vendidiſſet *Gen.* 25. *n.* 32. Agnoſcebat Eſau, quòd, cùm ipſe in domo patris ſui eſſet ſenior, habebat ſecundùm naturæ leges principatum in iuniorem fratrem: dum autem ſe videt illius ſeruituti iugoque ſubiectum, atque addictum, magno dolore percutitur, in fletus, lachrymas, ac clamores prorumpit. Philo Hebræus relatus in Gloſſa, *Eſau,* ait, *non tam cordi erat paterna benedictio, quàm ne frater ſibi præferretur. Dolebat maximè, iuniori fratri ſeruire.* Nam, vt ait Egeſippus lib. 1. de excidio, *Duriſſimus cruciatus, tuorum ſeruorum dominatus.* Vt ſummam, extremamque miſeriam Dominus diceret in Babyloniam, quæ olim dominauerat Hebræis, prædicit, quòd ipſis ſeruiret, Iſai. 14. num. 3. *Poſſidebit eos Domus Iſraël in ſeruos, & ancillas: & erunt capientes eos, qui ſe ceperant: & ſubiicient exactores.*

Tertull.

*Valde miſerum, ſeruire ei, cui imperaſti.*

Gen. 27.

Abulenſ.

*Valde durum, ſubiici ſeruis tuis.*

Philo Hebr.

Egeſipp.

Iſai. 14.



19\. Secundò ex parte Dei. Quia, cùm ipſe ſit omnium Creator, & Saluator, atque omniũ vltimus finis, vult coli, & amari ſuper omnia; & non patitur, aliquem ſibi in amore comparari, aut adæquari. Quod in rem præſentem optimè dixit D. Gregor. Magn. 1. Reg. c. 7. *Quia Deus totum hominem condidit, habere eum communem cum aduerſario non dignatur.* Cùm ergo homo teneatur, ſe totum Deo aſcribere, extrema malitia eſt, velle diuidi in partes inter mundum, & Deum. Ingreditur Ieſus Zachæi domum. *Et murmurabant omnes, quòd ad hominem peccatorẽ diuertiſſet. Et ſtans Zachæus dixit ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quãdo aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt*, Luc. 19. n. 7. Valde mirum, quòd Zachæus, in quo tanta inerat charitas, vt dimidium bonorum ſuorum daret pauperibus, & iuxta legis mandatum redderet quadruplum ei qui in aliquo erat defraudatus (ita enim lex præcipiebat) tamen eſſet peccator! Chriſti autem aduentu iuſtificatur. Qui enim dimidium dabat pro Deo, non iuſtus, ſed peccator erat. Vbi verò totam ſuam Chriſto tradit, & condonat domum, iam non peccator, ſed iuſtus inuenitur. D. Chryſoſt. citatus in catena D. Thomæ. *Quodlibet autem vnitum eſt validum, diuiſum autem debile, & ideo bipartit ſubſtantiam,* ſcilicet Zachæus. Vide ſuprà *cap.* 3. *n.* 34.

*Non eſt ſimul Deo, & alteri ſeruiendũ.*

Gregor.

Luc. 19.

Chryſoſt.

20\. Tertiò ex parte diuitiarum. Quia Mammona, ac diuitiæ ita ad ſe cor, ac curas auari attrahunt, vt non ſinant, illa Deo impendi, perfectéque in ipſum dirigi: nam diuitiæ dictæ ſunt, eo quòd diuidant mentem, ac ad ſe rapiant. Illi duo iuſti Abraham, & Loth, amicitia, ac conſanguinitate coniuncti, cùm eorum ſubſtãtia nimis creſceret. *Non eos poterat capere terra, vt habitarent ſimul,* Gen. 13. n. 6. Vnde propter contentionem inter eorum paſtores diuiſi, ac ſeparati ſunt in diuerſas terras. Vbi enim dabantur diuitiæ, valde conſequens erat, vt diuiſio interueniret. D. Ambroſ. lib. 1. de Abrahamo. *Non capiebat illos terra habitare ſimul, quia nimirum diuites erant. Sæculare vitium, vt diuites terra non capiat, nihil enim ſatis eſt diuitum cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior ad poſſidendum eſt. Extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere.*

*Diuitiæ diuidunt cor à cæteris, & ad ſe rapiunt.*

Gen. 13.

Ambroſ.

21\. Quartò. Hæc impoſſibilitas non prouenit ex ſola occupatione in ſeruitio vtriuſque, ſed ex repugnantia circunſtantiarum; quia Deus, & diuitiæ in contrarium trahunt. Nam Deus mouet ad ſuperiora ſibi ſeruientem; hoc eſt, qui ſeruit Deo, cogitat de cœleſtibus, & terrena omnia in oculis eius vileſcunt, omniaque ſua pro Deo tribuit; vel ſaltem dare deſiderat. Diuitiæ verò ad inferiora inclinant; & qui eis ſeruit, ſemper cogitat de terrenis, & hæc ſunt ei pretioſa nimis, pro iiſque acquirendis omnia contemnit. Hanc diuerſitatem ponderat D. Chryſoſtom. hom. 39. in Ioann. *Non poteſtis*, ait, *ſeruire Deo, & Mammonæ, quæ contraria Chriſto præcepit. Siquidem Chriſtus di-*

*Deus ad ſuperiora, diuitiæ ad inferiora inclinant.*

Chryſoſt.



cit:

*cit : Da indigentibus. Mammona, Rape ab indigentibus. Ille, pius eſto, & manſuetus; hæc, crudelis, & immanis.*

22. *Quanta diſtantia inter ſeruire Deo, & mundo.* Bonauent. Pſal. 144.

Contrarietates, diuerſitateſque multas inter Deum, & Mammonam ponderat optimè, atque deſcribit D. Bonauent. in præſenti ſermon. 1. in Dom. 14. poſt Pentecoſt. *O quàm diſſimiles*, ait, *ſunt iſti duo domini, Deus, & Diabolus. Primus enim eſt ſuauiſſimus, iuxta illud : Suauis eſt Dominus vniuerſis*, Pſalm. 144. num. 9. *Secundus crudeliſſimus, teſte Propheta : tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium*, Iſai. 19. num. 4. (Iſai. 19.) *Deo ſeruitur, flendo per pœnitentiam, Diabolo, ridendo per laſciuiam. Vnde ait Chriſtus Dominus : Plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit*, Ioan. 19. num. 20. (Ioan. 19.) *Deo ſeruitur vigilando in cuſtodia contra Diabolum, Diabolo ſeruitur, dormiendo in negligentia contra Dominum. Hinc Apoſtolus ait : Non dormiamus ſicut & cæteri : ſed vigilemus, & ſobrij ſimus*, 1. Theſſal. 5. numero 6. (1. Theſſ. 5.) *Deo ſeruitur, aſcendendo de virtute in virtutem vſque in cælum; Diabolo, deſcendendo de vitio in vitium vſque ad infernum. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi*, Pſalm. 103. numero 8. (Pſal. 103.) *Et illi quidem aſcendunt vſque ad cælos; & iſti deſcendunt vſque ad abyſſos. Cùm ergo nemo poſſit duobus dominis ſeruire, repudiemus alterum, ſcilicet Diabolum, vt ſoli Domino ſeruiamus.*

23. Rupert.

Præclarè Rupertus *lib. 6. de gloria, & honore filij hominis*, aliam conſiderat hîc contrarietatem. Et ait : *Non poteſtis, Deo ſeruire, & Mammonæ. Hi enim ſunt duo domini valde ſibi contrarij, ſicut veritas, & mendacium. Mammon autem princeps huius mundi, falſus eſt dominus, & iniquè dominatur, & omnia mentitur.* In Deo totum eſt ſumma veritas; in diuitiis falſitas, ac mendacium : ergo Deus, & diuitiæ contrariantur, vt veritas, & falſitas : ac proinde Deo, & diuitiis ſimul homo ſeruire non poteſt; nam qui ad veritatem accedit, à falſitate recedit; & qui mendacio incumbit, à veritate ſeparatur omnino. Et inquit Rupertus: *Mammon princeps huius mundi falſus.* nam apud Idololatras antiquos erat quædam pecuniarum Dea, quæ inter Diuos colebatur, cuius meminit Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, de qua aliquid dicam *quæſt. ſequenti.*

*Inter Deum. & mammonam diuerſitas, vt inter virtutem, & falſitatem.*

24. Iacob. 4.

Optimè totus hîc diſcurſus confirmatur ex verbis Iacobi 4. n. 4. *Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur. Neſcitis, quia amicitia huius mundi inimica eſt Deo?* Quæ verba bene componit cum noſtro textu : *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Didymus. (Didymus.) Et ſic ait : *Qui peccando amat mundum, inimicus Dei eſſe monſtratur; ſicut è diuerſo, qui non peccando amicitias apud Deum pietate confirmat, continuò mundi aduerſarius inuenitur. Vnde ſicuti impoſſibile eſt, ſeruire Deo, & Mammonæ, ita amicum Dei eſſe ſimul, & mundi.*

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare hîc Chriſtus potius vtatur nomine* Mammona, *quàm alio? Et quid ſit ſeruire Mammonæ?*

25. Hieron.

NOMEN *Mammona* valde grauidum eſt ſenſibus. Significat, teſte D. Hieronymo hîc, Syriaco ſermone *diuitias*. Et, vt contendit optimè Franciſcus Lucas, à radice Syriaca *Mammono* denotat lucrum, ſeu omne id, quod ad ſubſtantiam, ſeu pecuniam pertinet. (Franc. Luc.) Cornelius à Lapide vult haberi Hebraicè *Matmon*, & deduci à radice Hebraica *Tamen*, id eſt, *abſcondere*; ac proinde innuuntur diuitiæ, quæ in tuto, & ſecreto loco reconduntur, atque occultantur. (*De Etymologia nominis mammona.* Cornel.) Diuus Irenæus *lib. 3. cap. 10.* Mammonas idem valere dicit, ac cupidum. Scholiaſtes autem Irenæi *citato loco*; Mammona deducit ex nomine Hebræo *Mum*, hoc eſt, macula; & ex nomine *Hon*, id eſt, opes. (Irenæus. Scholiaſtes.) Vt *Mammona* idem ſit, ac *macula diuitiarum*. Nam ipſæ diuitiæ, nimia cupiditate retentæ, ac abſconditæ, in anima maculam generant; erogatæ verò in pauperes æternam comparant felicitatem,

36. Angel. Can.

Angelus Caninius de nominibus Hebraicis noui Teſtamenti deriuat à nomine *Aman*, hoc eſt, firmare, ſeu ſtabilire. Quia diuites ſuis opibus firmantur, ac ſtabiliuntur, vt multa contra iuſtitiam, & veritatem faciant, vtque pauperes opprimant, atque inſolenter viuant. Vltimò Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromat.* ait : (Clem. Alex.) *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo, & Mammonæ: non pecuniam dicens, ſic nudè dicit; ſed ſuppeditationem, quæ fit à pecunia in varias voluptates.* Exiſtimat ergo, quòd *Mammona* non dicit præcisè diuitias, ſed ipſas expenſas, ac ſuppeditatas in diuitiis, ac voluptatibus indulgendis.

27. *Quid denotet mammona.*

Explicata etymologia nominis Mammonæ, explicandum eſt etiam quid hîc ſignificet. Et tria poſſe denotare, affirmat Abulenſis *quæſt.* 180. (Abulenſ.) Primò accipitur pro auaritia, qua diuitiæ congregantur. Secundò, vt docent etiam D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* citans D. Irenæum, & idem habet Albert. Magnus, (Paſchaſ. Albert. Mag.) hoc nomen ſignificat Dæmonem, qui tentet homines de auaritia; quia ſicut datur quidam dæmon, qui principaliter tentat homines de luxuria, & vocatur Aſmodæus, qui occidit ſeptem viros Saræ filiæ Raguelis, *Tob. 3. n. 8.* ita eſt dæmon, qui principaliter tentat de auaritia, & iſte dicitur Mammona. Et ita ait *hîc* Gloſſa : (Gloſſa.) Per *Mammonam* intelligitur Diabolus, qui præeſt diuitiis, non quòd poſſit eas dare, niſi quando Deus permittit; ſed quòd per eas homines fallit. Tertiò notant aliqui recentiores, quòd *Mammona* poteſt etiam denotare Deam pecuniæ, quam Gentilitas colebat, de qua meminit D. Auguſtinus *lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 21.* & ait, (Auguſt.) *Gentiles commendabant ſe Deo honori, vt honorarentur, Deæ pecuniæ, vt pecunioſi eſſent.*

28.

Quartò, & valde communiter, per *Mammonam* intelliguntur diuitiæ, vt hîc interpretantur D. Hieronymus, Diuus Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 14.* D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Rupertus, Beda, D. Thomas & alij; (Hieron. Auguſt. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Rupert. Beda. D. Thom.) & qui ſeruit diuitiis, etiam, vt notat D. Auguſtinus *citatus*, ſua cupiditate implicatus, Diabolo ſeruit, & ſæpe etiam in eis congregandis, auaritiæ ſeruit, vt ait Abulenſis. Non dixit Dominus diuitias, vel opes, ſed Mammonam (vt ad noſtram quæſtionem veniamus;) quia *Mammona*, iuxta varias nominis interpretationes, in principio appoſitas, non dicit ſolummodo diuitias; ſed primò eas denotat, vt abſconditas in theſauro, ſeu ſecreto loco, ſeu nimia cupiditate retentas, & tunc maculam peccati in anima generant; (*Diuitiæ recond.tæ nociuæ.*) at erogatæ in pauperes æternam felicitatem





tem comparant. In theſauro diuitiæ dantur æruгini, ac tineæ: in manibus pauperum à corruptione illæſæ collocantur in cælo. Quod eleganter dixit Chryſologus ſerm. 137. (Chryſolog.) *Ille* (ſcilicet qui abſcondit veſtes) *ſepelit, non reponit; non credit diligentiæ, ſed ſepulcris : qui, quod negat pauperi, dat tineis.* Quod non datur pauperi, ſepulchro, & tineis datur.

29. *Peſſimum, in diuitiis ſpem ponere.*

Secundò Angeli explicationi inhærendo, Mammona exprimit diuitias, in quibus firmantur, ac ſtabiliuntur diuites, vt multa iniqua contra legem, ac iuſtitiam agant, opprimendo pauperes, & humiles. Et in hoc ſenſu Rodulphus, & Ianſenius explicant locum Prou. 10. num. 15. (Rodulph. Ianſen. Prou. 10.) *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius; pauor pauperum egeſtas illius.* Ita firmantur opibus diuites, ac in ciuitate tutiſſima, omni murorum, militumque præſidio cincta. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël, qui ſeparati eſtis in diem malum*, Amos 6. num. 1. & 3. (Amos 6.) Vbi conqueritur Deus de diuitibus purpuratis, vt notant D. Hieronymus, Theodoretus, Hugo, & alij. (Hieron. Theodor. Hugo. Ribeyra.) Et ait de eis : *Qui confiditis in monte Samariæ : Hi ſunt*, vt explicat *ibi* Ribeyra, *diuites, & ſuperbi, qui ſpem ſuam in diuitiis, & potentia collocant.* Et ingrediuntur pompaticè, hoc eſt, veſtiti auro, & argento. De iis tamen dicitur, quòd ſunt ſeparati in diem malum, quod moraliter poteſt intelligi de die damnationis, ac captiuitatis æternæ. Sed valde mirum, quòd, cùm Propheta immediatè antea *cap. 5. vſque ad finem num.* 26. de grauiſſimis peccatoribus, ac Idololatris ageret : (Amos. 5.) *Portatis tabernaculum Molocho veſtro*, non comminatur eis tam expreſſam pœnam in diem malum, vt confidentibus in diuitiis affigitur. Meritò ſanè, hoc eſt enim grauiſſimum malum, vt omnibus liqueat, quòd ex repoſitione ſpei in opulentia diuitiarum nihil aliud reſtat, quàm dies vltionis, & damnationis repoſitus.

30. *Diuitiæ ad voluptates datæ, nociuæ.*

Tertiò, iuxta mentem Clementis Alexandrini, non ſolùm dicit diuitias nude ſumptas, ſed ipſas erogatas, ac expenſas in varios appetituum, ac voluptatum, & delectationum vſus. Ait Angelus Ioanni : (Apoc. 17.) *Veni, & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati Reges terræ*, Apocal. 17. num. 1. Et ſtatim ait : *Abſtulit me in ſpiritu, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam; & mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis*, num. 3. Totus eſt Angelus ad oſtendendam mulierem damnatam. Ad quid ipſa apparet tota deaurata, & lapidibus pretioſis exornata? Quando aliquis damnatus in publicum prodit conſpectum, totus eſt indutus lubrico, ac ſqualido pœnitentiæ habitu. Si iſta mulier damnata manifeſtabatur, ad quid omni ditiſſima ſupellectili circundata incedit? Meritò ſanè. (*Qui diuitiis, vol ptatique indulget, perian.*) Nam in ipſamet diuitiarum opulentia, tota in ornatu ad delectationes, & voluptates expenſa, atque data, vt cum omnibus Regibus terræ fornicaretur, ibi damnationis præco alta voce proclamabat mulierem damnatam ad omnem congeriem tormentorum. Accipe eleganter Tertullianum *lib. de cultu fœminarum. cap.* 12. (Tertul.) de huiuſmodi mundanis diuitiis, loquens. *Quid munus habent infeliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ. Illa ciuitas valida ſuper plurimas aquas præſidet, cùm proſtitutæ à Domino appellationem meruiſſet, quali habitu appellationi ſuæ comparata eſt? Sedet certè in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioſo, quæ maledicta ſunt, ſine quibus non potuit maledicta, & proſtituta deſcribi.* Expende vltima verba. Sine vanitate vſus diuitiarum non potuit eius maledictio deſcribi, in quibus eius damnatio erat conſcripta.

Ex his ergo ſatis patet totius quæſtionis ſolutio. 31. Non dicit Dominus diuitias, ſed Mammonam, quia diuitiæ, ſecundùm ſe, poſſunt eſſe bonæ, ſi ad bonos vſus applicentur, vt illis vſi ſunt Abraham, Iſaac, Iacob, & Iob. Qui verò opes, ac diuitias poſſidet ad malum medium, & finem, vt ſatis eſt explicatum, hic perit, ac damnatur, & non poteſt ſimul Deo, & Mammonæ ſeruire. Pulchrè notauit Ansbertus in ſuprà citata muliere *Apocal. 17. num. 3.* dicitur, quòd *circundata erat purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo.* (Apoc. 17.) At de muliere forti, ac ſponſa Chriſti: *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus, & purpura indumentum eius*, Prouerb. 31. num. 21. Et Pſalmiſta 44. num. 10. (Prou. 31. Pſalm. 44.) *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.* Sed quomodo fieri poteſt, quòd dum proponitur damnatio meretricis, dicitur circundata purpura, & inaurata auro, & ſponſa Chriſti, cùm exornata deſcribitur, byſſo, & purpura induta, & inaurata auro narratur? (*Diuitiæ in malũ vſum mortiferæ; in bonum ſalutiferæ.*) Diuitiæ meretrici damnationis præcipitium, nam inde dabatur aditus ad luxuriam, ac licentioſas voluptates, & ita dicuntur Reges terræ cum ea fornicati : mulieri verò forti decus, & fulgor meritorum, nam inde radiabat charitate in cultum Dei, & in ſubleuamen pauperum, & egenorum. Et ita *omnes domeſtici eius veſtiti duplicibus : manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*, ibidem num. 20. Quod notauit Ansbertus: (Ansbert.) *Illa, quæ reproborum mala ſignificant, ſignificant bona electorum; cùm & ea, quæ in parte Eccleſiæ deſignent reprobi ſe habere contendant, de hac meretrice dicitur; Mulier erat circundata purpura, & coccino; de ſponſa verò Chriſti Salomon loquitur, dicens : Byſſus, & purpura indumentum eius.*

*Matth. 6. n. 25.* Ideo dico vobis: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis; neque corpori veſtro, quid induamini. Nónne anima plus eſt, quã eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Propterea ego dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid eſuri ſitis, & quid bibituri, nec corpori veſtro, qua re ſitis induendi.

*Vatablus.* Ne ſoliciti ſitis pro vita veſtra, quid edatis, & quid bibatis : neque

pro corpore veſtro, quid induamini: Nónne vita plus eſt, quàm cibus?

*Arias.* Ne anxiemini.

*Syriacus in Lucam.* Quandoquidem anima præſtantior eſt cibo, & corpus indumento.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 12. n.22.* Dixit ad diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis, nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manduce-tis: neque corpori, quid induamini. Anima plus eſt, quàm eſca; & corpus plus, quàm indumentum.

## EXPOSITIO.

32. Chryſoſt. *Connexio verborum.*

RECTE Diuus Chryſoſtomus *hom.* 22. hanc ſententiam connectit cum ſuperioribus: *Non poteſtis ſeruire Deo, & Mammonæ;* & inde infert: *Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis.* Ac ſi apertè dicat: Nimia ſolicitudo de temporalibus, de veſtitu, & cibo, ad mammonam pertinet; qui ergo Deo ſe dedicare optat, ab ea ſe abſtinere debet, vt Deo ſeruire valeat. Nam, vt bene ait Diuus Paſchaſius lib. 4. in Matth. *Solicitum eſſe pro temporalibus, ſeruire eſt; & ideo, ne ſerui ſitis pecuniarum, prohibeo ſolicitudinem gerere cibi, aut veſtimentorum.* Et ita docet Dominus, vt ſui liberi ſint à ſeruitute, ac cura diuitiarum, vt ſolis ſint cæleſtibus rebus dedicati.

Paſchaſ. *Solicitudo diuitiarum ſeruitus eſt.*

33. Abulenſ. *Ne ſoliciti ſitis.* Damnat Dominus immodicam temporalium ſolicitudinem, vt notat Abulenſis, & clariùs dicam quæſt. ſequenti. *Animæ veſtræ,* id eſt, pro anima veſtra; *quid manducetis;* non quòd anima indigeat cibo, ſed, vt ait Chryſoſtomus *citata hom.* 22. Euthymius, Theophylactus, quòd anima in corpore ſine cibo non valet permanere. Seu, vt ait D. Auguſtinus *lib. 2. de ſermon. Dom. in monte, cap.* 15. D. Thomas, Hugo, & Caietanus, *anima* more Hebraico ponitur pro vita; & vt etiam legit Vatablus. Tamen graues Recentiores, vt Barradas, tenent, quòd accipitur pro ipſa anima, & non pro vita. Fundantur, quia verbis ſubſequentibus ſic accipitur: *Nónne anima plus eſt, quàm eſca.* Et duas Dominus commemorat hominis partes, animam, & corpus, quarum fecerat mentionem. Et tunc ait Chryſoſtomus citatus, *non quia anima indigeat cibo, ſed iuxta communem hoc eſt morem locutus.* Et hoc ſanè prudentis eſt magiſtri, Deinde. Anima præeſt corpori, ipſumque gubernat; optimè ergo indigentia corporis de anima dicitur; nam inferioris egeſtas, ſit & ſuperioris neceſſitas.

Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Auguſt. D Thom. Hugo. Caietan. Vatablus. Barradas. Chryſoſt. *Egeſtas inferioris, neceſſitas ſuperioris.*

34. Syriac. Hieron. *Quid manducetis.* In aliquibus codicibus, verbi gratia, in Syriaco, vt notat Hieronymus, additum eſt: *Neque quid bibatis.* Sed Interpres ex radice Græca in noſtra vulgata illud non appoſuit. Et propter duo non exprimitur potus. Primò, vt ait Albertus Magnus. Quia potus ſub nomine cibi intelligitur, & ad ipſam eſcam, eiuſque diſpoſitionem, ac coctionem ordinatur. Secundò, vt ait Abulenſis, ſolicitudo datur de eo, quod eſt difficile haberi: potus facile, & ſine labore inuenitur; cibus verò ſine labore non comparatur.

Albert. Mag. Abulenſ.

35. *Nónne anima plus eſt.* Multis argumentis probat Dominus, ſuos diſcipulos non debere eſſe ſolicitos de eſca, ac veſtimento, vt dicam *quæſt.* 8. Nunc primum ponit. Et hæc ſententia reddit hunc ſenſum, vt explicant Chryſoſtomus *homil. in Imperfecto.* D. Hieronymus, S. Antonius Vlyſſiponenſis *ſerm. in Dom.* 15. *poſt Pentecoſtem.* Anima plus eſt, ſeu pretioſior eſt, quàm eſca; & corpus pluſquam veſtimentum: qui ego ſine veſtra ſolicitudine dedit, quod maius eſt, ſcilicet animam, & corpus, dabit etiam, quod minus eſt, ſcilicet eſcam, & veſtimentum. Qui enim dedit vobis vitam, dabit & neceſſaria ad illius conſeruationem. Alienum eſt à diuina benignitate, beneficia elargiri, & in eorum deficere conſeruatione, *quandiu vult eſſe, quod fecit,* vt ait Chryſoſtomus *citatus.*

Chryſoſt. Hieron. Ant. Vlyſſip. *Qui dat beneficia, conſeruare debet.* Chryſoſt.

36. Illud tamen hìc eſt aduertendum, quòd, quanuis per eſcam cibus materialis intelligatur, tamen Palatius *hoc loco,* & Benedictus Fidele *in ſuo lib. de ſacra Euchariſtia in Pſalm.* 22. *verſu* 2. *Theoremat.* 1. per *eſcam* moraliter ſacram Euchariſtiam interpretantur. Sed tunc vrget difficultas, quomodo anima dicatur pluſquam illa diuiniſſima eſca; nam anima noſtra, entitate ſua, inter ſubſtantias ſpirituales in humili gradu reponitur; in ſacra Euchariſtia eſt Deus, qui eſt ſuper omnia entia? Reſpondet Palatius. *Planè ſicut placuit tibi miniſter noſter eſſe, & inter nos verſari, non ſicut qui maior eſt, ſed ſicut qui miniſtrat: ita placuit hac ratione minor videri, quòd cibus noſter eſſes.* Summa Dei benignitas, ac miſericordia, cum nobiſcum verſaretur in terris, non dedignatus eſt, ſe nobis exhibere miniſtrum; nunc verò reſidens in cælo animarum noſtrarum cibus effectus, quodammodo infra nos ſe demittens ac humilians, nobis vitam, & ſalutem ſpiritualem, omniaque cæleſtia dona miniſtrat. Ipſe dixit: *Anima plus eſt quàm eſca.*

Palatius. Fideles. Palatius. *Sũma Chriſti benignitas in ſacra Euchariſtia noſtrã ſalutem miniſtrat.*

---

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Dominus tam ſtrictè nobis vetet ſolicitationem circa eſcam, & veſtitum?*

37. *Difficultas quæſtionis.*

DOMINVS nobis intercludit ſolicitationem circa tẽporalia, & tamen nobis eſt agendum de his, quæ ſunt neceſſaria ad vitæ ſuſtẽtationem. Et hac de cauſa Paulus teſtatur de ſe, laboraſſe ſuis manibus: *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ,* Actor. 20. n. 34. Et Chriſtus D. admiſit in Collegio Apoſtolico loculos, in quibus aliquid reſeruabatur ad vſus neceſſarios, *Ioan.* 13. *n.* 28.

Actor. 10.

38. *Quid ſit ſolicitudo? Quid prouidentia?*

Pro ſolutione huius difficultatis aduertendum eſt ſolicitudinẽ diſtingui à prouidentia, & cura. Solicitudo dicit quandam animi anxietatem, atque angorem circa euentum alicuius rei procedentem ex dubitatione, ac incertitudine talis euentus;



trahentem, & mouentem omnes cogitationes, curas, & ſenſus, ac vehemens ſtudium circa talem rem; & ita detinet animum; vt non ſinat aliis rebus attentè vacare. Prouidentia autem, & cura conſulit de futuro abſque animi perturbatione, & anxietate.

39. Non vetat hìc nobis Dominus curam, & prouidentiam circa noſtrum alimentum, non enim miraculoſam à Domino ſuſtentationem expectare debemus; & ideo omnium Dominus ad vſus neceſſarios in Collegio ſuo loculos admiſit. Et Salomon *Prouerb. 6. numero 6.* ait: *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius; & diſce ſapientiam. Parat in æſtate cibum, & congregat in meſſe, quod comedat.* Illa verba, *Conſidera vias eius,* legunt Septuaginta: *Æmulare vias eius.* Prouidentiam autem formicæ imitari, multis nos exhortantur Diuus Baſilius *in Hexaëmeron. homil.* 9. D. Chryſoſtomus *ſerm. de Pentecoſt.* D. Ambroſius *lib. 6. in Hexaëmeron. cap.* 4.

Prouerb. 6. Septuaginta. Baſil. Chryſoſt. Ambroſ.

40. Secundò. Non vetat Dominus laborem procurandi cibum, ſatiſque neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem; vt hanc Domini ſententiam voluerunt interpretari Euchitæ, aſſerentes, ſemper eſſe orandum, & nunquam laborandum. Contra hos ſcripſit D. Auguſt. *librum de operibus Monach.* Et facilè Hæreticorum error refutatur auctoritate Apoſtoli, in principio quæſtionis citata. Et 2. Theſſal. 3. n. 10. *Qui non vult operari, non manducet.* Et, vt notant D. Hieron. & D. Paſchaſius *hìc* Adamo dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Vnde ait Chryſoſtomus homil. 16. in Imperfecto. *Dominus loquens ad Adam, non dixit: Cum ſolicitudine facies tibi panem; ſed cum labore, & ſudore faciei tuæ. Ergo non ſolicitudinibus ſpiritualibus, ſed laboribus corporalibus acquirendus eſt panis: ſicut laborantibus, pro præmio diligentiæ, Deo præſtante, panis abundat; ſic dormientibus, & negligentibus, pro pœna negligentiæ, Deo faciente, ſubducitur.*

Auguſt. 2. Theſſal. 3. Hieron. Paſchaſ. Chryſoſt. *Deus non vult, nos eſſe negligentes, ſed laborantes.*

41. *Solicitudo dicit quatuor.*

Prohibet ergo Dominus ſolicitudinem, quam ſuprà explicaui in hac quæſtione. Et dicit quatuor. Primò animi anxietatem, & perturbationem. Secundò quandam incertitudinem, & dubitationem de euentu. Tertiò curam ſuperfluam. Quartò quandam inquietudinem, ad ſe trahentem omnes cogitationes. Primò vult Dominus, vt in ſuis non ſit animi anxietas, & perturbatio; nam hæc tollit mentem, & non ſinit attendere ad ea, quæ neceſſaria ſunt. *Matth.* 13. *numero* 22. ait Chriſtus Dominus. *Solicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Anxietas, & perturbatio ſæculi *ſuffocat verbum;* hoc eſt, iuxta Hieronymum, Rabanum, Paſchaſium, obruit, & perimit omne verbum bonum, vt illud non valeat homo concipere, nec ad illud attendere; & ita *ſine fructu efficitur.* Animus enim debet eſſe quietus, & ſedatus, vt magna cogitet, & agat. Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *numero* 82.

*Animus perturbatus, non attendit ad neceſſaria.* Matth. 13. Hieron. Rabanus. Paſchaſ.

42. *Spes noſtra in Deo collocãda.*

Secundò excludit Dominus hìc à ſuis dubitationem, & incertitudinem cum diffidentia quadam: vult enim, vt in omnibus operibus noſtris fidem, & ſpem habeamus in ipſum, vt *hìc* notant D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* & S. Marcus *exercitor. in diſputat. cum quodam cauſidico.* Quod comprobat ex Paulo ad Philipp. 4. num. 6. *Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Dominum.* Hoc eſt, non ſitis in anxietate, ac diffidentia, ſed cum multa ſpe, vt explicant D. Anſelmus, S. Thomas, & ita petitiones veſtræ innoteſcant apud Dominum, ita appareant, vt ab ipſo agnoſcantur, vt explanat *ibi* Chryſoſtomus. *Has preces, ait, agnoſcit Deus, alias verò ne noſſe quidem vult, huiuſmodi igitur res precamini, quæ agnoſcantur.* Diſponit Deus, vt negotiatio, & oratio noſtra ita in ſpe, ac fiducia fiat, vt ſine hac ſpe etiam ab eo noſtra non agnoſcatur petitio, tanquam ſi cum eo non eſſet habitus ſermo.

Paſchaſ. Marc. Ad Philip 4. Anſelm. D. Thom. Chryſoſt. *Oratio ſine ſpe non agnoſcitur à Deo.*



43. *Superflua amputanda.* Remig.

Tertiò. Solicitudo dicit quandam nimiam curam ſuperfluam, quam Dominus hìc excludit à ſuis. D. Remigius *in cap. 4. ad Philipp.* ad illa verba proximè citata: *Nihil ſoliciti ſitis;* ita ait: *Solicitudo eſt ſuperflua cura, ſed iuſti non debent ſuperfluam curam aſſumere de rebus tranſitoriis, ſed in Domino omnem ſpem habere.* Iuxta quod Pſalmiſta ait 54. num. 23. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Idem apertè conſtat Eccleſiaſtis 2. num. 6. *Peccatori autem dedit Deus afflictionem, & curam ſuperfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo: ſed hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo mentis.* Ea ſemper Domini eſt intentio, vt à ſuis ſuperflua ablegentur. Ergo, cùm ſolicitudo dicat ſuperfluam curam, à ſuis amputanda eſt. Et ita illud ſuprà citatum Prouerb. 6. n. 6. *Vade, piger, ad formicam, diſce ſapientiam, &c. parat in æſtate cibum,* &c. rectè ponderat D. Baſilius *homil. 9. in Hexaëmeron.* quòd formica habet curam, non ſuperfluam, ſed conuenientem, vt pro tempore proportionato in horrea congreget.

Pſal. 54. Eccleſiaſt. 2. Prouerb. 6. Baſil.

44. *Omnes noſtræ cogitationes in Deum,* Caſſian.

Quartò. Solicitudo de temporalibus trahit ad ſe omnes ſenſus, & cogitationes: quæ ideo deteſtanda eſt à nobis, vt docet Ioannes Caſſianus *Collat.* 23. *cap.* 5. Nam quanuis nobis ſit laborandum, vt ait Paulus ad Theſſalon. 2. cap. 3. num. 8. *Fuimus inter vos in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes;* tamen mens noſtra debet eſſe ab ipſis terrenis rebus ſeparata, & in Deum affixa, vt in ipſum meditemur die, ac nocte, omneſque noſtras ad ipſum cogitationes dirigamus. Et ita Petrus 1. cap. 5. num. 7. *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* In eum igitur ſit omnis noſtra ſolicitudo, & cogitatio.

2. Theſſ. 3. 1. Petr. 5.

45. Rom. 12.

Obiiciet aliquis. Paulus ait Rom. 12. num. 8. *Qui præeſt in ſolicitudine.* Reſpondet D. Thomas *in Commentario in cap. 4. ad Philipp.* ad illa verba: *Nihil ſoliciti ſitis;* quòd *ſolicitudo quandoquidem importat diligentiam quærendi, quod deeſt, & hoc eſt commendabile, & opponitur negligentiæ: & quandoquidem anxietatem animi cum defectu ſpei, & timore de obtinendo id, circa quod ſolicitatur; & hanc rem prohibet Dominus* Matth. 6. *& hìc Apoſtolus, quia non debet deſperare, quin Dominus det neceſſaria, ſed loco ſolicitudinis debemus habere recurſum ad Dominum, & hoc ſit orando; & ideo dicit, in omni oratione petitiones veſtræ.* Vbi Angelicus Doctor totam noſtram doctrinam tradit; & anteà etiam præmiſerat, quòd mens noſtra ſit quieta, omnem ſuperfluam amittens ſolicitudinem.

## Qᴠæѕᴛɪᴏ VIII.

### *Explicantur quædam rationes morales, ob quas Dominus ſolicitationem ſuis prohibet.*

46\. Vperiori difficultate rationem litteralem huius quæſtionis dedi; nunc tres rationes morales appono.
Palatius.
Et primò, vt ait Palatius, Dominus ſpeciatim cum ſuis Apoſtolis, & Prædicatoribus loquitur. Et ita hanc ſententiam referens Lucas ait: *Dixit ad diſcipulos ſuos.* Cùm ergo diſcipuli ab eo eſſent conſtituti Prælati, Paſtores, ac doctores Eccleſiarum, vult Dominus, vt ſolicitam curam de eſca, ac veſtitu deponant. Nam Prælati, ac doctores ſæcularibus negotiis, ac temporalibus curis implicari non debent, vt ita per ea ab officio ſuo non retardentur: ſed nullam penuriam metuentes (nam cæleſtis Pater ſpecialiſſimam de eis habet prouidentiam) rectè, & diligenter in ſuo officio exequendo ſe gerant; ne de ipſis Dominus conqueratur, Ezech. 34. n. 8. *Neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant.*

*Prælati Eccleſiaſtici à temporalium ſolicitudine ſint alieni.*

Ezech 34.

47\. Secundò. Diſcipuli omnia ſua pro Domino abiecerunt, ac reliquerunt, & in poſterum à ſe omnium rerum poſſeſſionem abdicarunt; & inde maximè videbantur expoſiti periculo ſolicitudinis eorum, quæ neceſſaria erant ad vitæ alimentum magis, quàm ij, qui res ſuas non dimiſerant: ideo ad eos Dominus hanc ſententiam profert, vt quieto ſtent animo, cùm ſub cura ſint cæleſtis parentis; nam rerum temporalium pro Domino abiectio, magnum eſt omnium bonorum incrementum.

*Temporalium pro Domino abiectio, magna negotiatio.*

48\. Tertiò. Eleganter Tertullianus lib. 4. in Marcionem. *Quis enim nollet curam nos agere animæ de victu, & corporis de veſtitu, niſi qui iſta homini antè proſpexit: & exinde præſtans, merito curam eorum tanquam æmulam liberalitatis ſuæ prohibet.* Deus ita creauit hominem, vt humana vita ſine alimento non poſſit ſubſiſtere. Cur ergo vetat ſolicitudinem eorum, quibus indigemus? Inde hæc ſolicitudo Deo diſplicet, quaſi videatur habere æmulationem, ac contentionem cum diuina liberalitate, ac ſi hæc non omnes commoditates homini proſpexerit, neque ſatis copiosè omnia neceſſaria dediſſet: *Meritò curam eorum, tanquam æmulam liberalitatis ſuæ prohibet*; nulla enim poteſt diligentia noſtra liberalitati aſſimilari diuinæ, hæc enim abundantiſſimè omnem noſtram ſuperat curam, atque diligentiam euincit.

Tertull.

*Diuina liberalitas omnẽ noſtrã tranſcendit curã.*

49\. Pulchram dubitationem excitat Theodoretus *quæſt. 79. in Geneſim.* Ad quid Deus tam longam rerum tragœdiam præmiſit, vt Iacob à patre benedictionem impetraret? facile hoc fieri poterat, afflante Deo Iſaac, vt Iacobo benedictionem daret; ſicut ipſimet Iacobo inſpirauit, vt regalem Iudæ conferret dignitatem, *Gen. 49. num.* 10. cùm inter natos quartum locum haberet. Ad quid ergo tot rerum ſeries hac in benedictione ordinantur? pater enim eam totis affectibus Eſau dare volebat, nam ideo eum vocat, & ait ille: *Sume arma tua, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, vt benedicat tibi anima mea,* Geneſ. 27. num. 73. Deinde poſtea hac de cauſa tot facit inquiſitiones: An Eſau, vel Iacob eſſet, qui cibos afferebat. Et Eſau, cùm eſſet venatione peritiſſimus, diligentiſſimè prædam quærit, & inuenta cibos parat. Iacob verò, quanuis aſſuetus, vt habitaret in tabernaculis, priùs inuenit, & patri eſcam exhibet, atque benedictionem obtinet. Ad quid in hoc negotio tot rerum complexiones? Iaciebantur electi à Deo Iſraëlitici populi ibi fundamenta; & voluit Deus ibi declarare, quòd diuinæ prouidentiæ liberalitas plus quàm quæcunque humana ſolicitudo præualebat: nam, vt Eſau benedictione nobilitaretur, toto affectu parentis pugnabat cura, induſtria, ars, eximiaque diligentia eius; at Iacob ferè his omnibus deſtitutus, ſpecialiſſima Dei prouidentia protectus, benedictionem eſt aſſecutus; diuina enim prouidentia omnem noſtrum conatum, atque feruorem maximè ſuperat, atque euincit. Theodoretus. *Vt pateſieret, ait, prouidentia Dei erga Iacob, non reuelauit ipſi Iſaac voluntatem ſuam: quod ſatis ex eo conſtat, quòd Iſaac omnibus modis conabatur benedicere Eſau; ſed gratia Dei, contra quam putaſſet Iſaac, tranſtulit benedictionem ſuper Iacob, quod etiam intellexit ipſe Iſaac.* Et hac de cauſa Iſaac non ſuo, ſed Dei nomine benedictionem profert: *Det tibi Deus de rore cæli*, infrà *num.* 28.

Theodor.

Gen. 27.

*Diuina prouidentia omnem ſuperat humanam ſolicitudinẽ.*

Theodor.

Cùm Apoſtoli Domini in eius verſantur comitatu, omnia ſua abiecerunt: & tamen, cùm prædicationis cauſa per caſtella, & varia loca mittebantur, nullius rei penuria laborabant. Ideo Chriſtus Dominus eis dixit: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil,* Luc. 22. numero 35. Et tamen, cùm Dominus ab eis diſceſſit, die, ac nocte, laboribus, ac operationibus inſtant. Ad Theſſalon. 2. cap. 3. num. 8. *Fuimus inter vos labore, ac fatigatione, nocte, & die operantes.* Et Actor. 20. num. 34. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Et tamen cum tanta induſtria, fatigatione, ac labore, ipſe Apoſtolus de ſe fatetur 2. Corinth. 11. num. 27. *In labore, & ærumna, & vigiliis multis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate.* Sed quomodo fieri potuit, vt Apoſtoli in Chriſti comitatu, omnibus dimiſſis, nullam indigentiam patiantur: at verò poſtea cum labore, ac operatione ſua, ſiti tamen, & fame vexentur. O quantum humanam omnem diligentiam diuina prouidentia ſuperat! Vbi nitet diuina prouidentia, quæ omnia intuetur, nullus apparet defectus, ſed in promptu ſunt neceſſaria omnia. At humana diligentia, cùm omnia præuidere non valeat, multorum penuriam non effugit. Et ideo dum ſunt diſcipuli in ſchola Chriſti, nullã ſuſtinent indigentiam; cùm verò ſuæ curæ committuntur, multis laborant. Euthymius ad cap. 22. Lucæ. *Primum quidem ipſe tenebat illos, non ſinens, vt aliquo egerent propter eorum imbecillitatem. Poſtmodum verò dimiſit illos, vt ſibi ipſis eſſent auxilio. Cùm ergo prohibuit eos habere loculos, & peram, nullo indiguerunt, vt eius potentiam, ac gratiam agnoſcerent: quando verò permiſit, vt illa haberent, tunc eſurierunt, & ſitierunt.* Theophylactus. *Illorum curam habens, ait, faciebat eis*

50.

Luc. 22.

2. Theſſ. 3.

2. Cor. 11.

*Vbi noſtra ſolicitudo, neceſſitas; vbi diuina prouidentia, abundant omnia.*

Euthym.

Theoph.



*omnia neceſſaria affluere abundè citra eorum curam, nunc autem opus eſt eis, vt curent ea, quæ virorum ſunt, & prouideant ſibi ipſis. Opera enim veſtra non erunt tam facilia, & à labore aliena: ſed obnoxij eritis fami, ſiti, & multis aduerſis.* Optimè in confirmationem huius rei ponderat Albertus magnus *in hoc capite 6.* infrà ad illa verba: *Hæc omnia gentes inquirunt*, quòd Prodigus ille *Lucæ numero* 16. dum eſt ſub cura parentis, omnibus abundat; at dum ſuæ prouidentiæ, ſolicitudinique ſe committit, omnium penuria affligitur, atque neceſſitate laborat.

Albert. Mag.

## Qᴠæѕᴛɪᴏ IX.

### *Quare Dominus ſuis dictis tantas adhibeat rationes?*

51\. Eptem hîc Dominus rationes appenit, vt temporalium ſolicitudinem à noſtris cordibus, atque mentibus amputet, atque euellat. Prima in hoc verſu: *Nónne anima plus eſt, quàm eſca; & corpus pluſquam veſtimentum?* Si enim Deus curam gerit animæ, & corporis, etiam illam habebit, de cibo, ac indumento, quod eſt minus. Secunda *verſ.* 26. deſumpta ab auibus, quas Deus ſua prouidentia curat, & paſcit. Tertia *verſu* 27. quòd omnis noſtra ſolicitudo caſſa, & irrita ſit ſine Deo. Quarta *verſu* 28. à liliis, & fœno, quæ Deus creat; veſtit; & fouet. Quinta *verſu* 32. declarans, quòd hæc ſolicitudo ſit gentium, ſeu paganorum, non verò Chriſtianorum, qui in fide nominis Chriſti ambulant. Sexta *verſu* 33. Quòd ad Dei prouidentiam pertinet dare omnia neceſſaria ad vitam, quærentibus regnum Dei, & iuſtitiam eius. Septima *verſu* 34. Quòd non ſimus ſoliciti in craſtinum; nam ſufficit diei malitia ſua, ſeu labor ſuus. de quo *infrà*.

*Septem rationes apponit Dominus ſolicitudinem excludẽdam.*

52\. Quærimus in præſenti: Cur Dominus ſuis dictis tot adhibet rationes, cùm ea, quæ ab ipſo dicta ſunt, maioris ſint auctoritatis, quàm quælibet humana ratio? Reſpondet primò Albertus Magnus, quòd Dominus ponit rationes, non propter ſe, ſed propter nos, quia familiarius coniunguntur intellectui noſtro, quæ humana ratione accipiuntur, quàm quæ ſimpliciter ponuntur, & mandantur. Et ideo tot parabolas dixit Dominus, in quibus humanas propoſuit ſolicitudines. Secundò. Quia hæc ſolicitudo cibum, ac veſtitum comparandi maximè eſt vniuſcuiuſque menti affixa; nihil aliud cogitat homo, niſi quomodo hæc valeat obtinere: & ideo Dominus tot rationes, argumentaque adhibet, vt hanc à nobis ſolicitudinem amputet, atque eradicet.

Albert. Mag
*Quæ ratione fiunt, optimè cum intellectu coniunguntur.*

53\. Tertiò. Chriſtus, cùm ſit omnium Dominus, qui ſua ſuprema poterat imperare poteſtate, tot rationes in medium profert, vt cunctis fiat manifeſtum, quòd ipſe, non vi, ac potentia, ſed ratione, & prudentia diſponit omnia, atque gubernat. Effuſo Spiritu ſancto ſuper Apoſtolos; hi variis loquuntur linguis. Et cùm à Iudæis, aliiſque multis diuerſarum nationum viris audirentur, aliqui ex eis irridentes dicebant, *Quia muſto pleni ſunt iſti,* Actor. 2. numero 13. Eorum falſam calumniam refutat Petrus, alta voce dicens: *Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia.* Quòd argumentum multum efficax erat; Iudæis enim diebus feſtiuis, vt erat illo ſolenniſſimo die Pentecoſtes, non licebat, ante horam ſextam, ſcilicet meridianam, prandium ſumere, neque comedere, vt obſeruant Lyranus, Lorinus, adducens Ioſephum, & alios. Et Apoſtolus profundiſſimo diſcurſu, multis corroborato teſtimoniis Scripturæ, Pſalmorum, ac Ioëlis procedit, vt ignominioſam illam refutaret ſuſpicionem, veritatemque demonſtraret. Sed ad quid Apoſtolus tot, tantaque argumenta in medium producit? Cur ſua non vtitur poteſtate, & aliquo oſtenſo prodigio, vel inflicto ſupplicio irriſores coercet? Maius erat opprobrium, quod ebrij dicerentur Apoſtoli, quàm quòd Eliſæus caluus appellaretur; iſte tamen, auctoritatem ſuam oſtendens, pueros duobus vrſis enecat, 4. *Reg. 2. numero* 24. Cur ergo Petrus, vt temperantiam, & auctoritatem collegij Apoſtolici oſtendat, ad rationes confugit? Cùm ipſe eſſet paſtor, & Præſul Eccleſiæ, quæ tunc in exordio, ſuaque in infantia erat, decreuit Petrus, totum negotium, non poteſtate, ſed ratione peragere; nam homines potentia deterrebat, ad ſe autem ratione alliciens attrahebat. OEcumenius. *Ratione viam illis muniebat ad conuerſionem; & pœnitentiam.* Viam ad conuerſionem, non prodigiis, non potentiæ ſignis, ſed rationibus præparabat.

*Res ratione, & non potentia, eſt agenda.*

Actor. 2.

OEcumen.

54\. Ait Iob 31. numero 13. *Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea, cùm diſceptarent aduerſum me.* Rex, & dominus erat Iob; & tamen cum ſuis inferioribus in arenam deſcendere non recuſabat, ſed cum eis volebat iudicio, ac diſceptatione contendere. Cur abſolutè non imperabat, vt alij Reges faciunt? ſed omnia diſcuſſis perpenſiſque rationibus diſponebat? Iob, virtute, ſanctitatéque inſignis, non poteſtate, vt dominus, ſed ratione, vt æqualis, cuncta peragebat: & cùm potentiam in ratione contineret, certè cunctis Regibus potentior erat. Diuus Gregorius, libro 21. moral. capite 10. *In quo tanta eſt auctoritas regiminis, vt ad ſilentium reſtringantur duces? Tanta humilitas cordis, vt ex æquo ad iudicium venire permittantur ancillæ? Ecce apparet miro modo in poteſtate principibus potentior, in certamine ſeruis æqualis.* Ex eo quòd in rationis certamine cum ſeruis ſe præberet æqualem, cæteris principibus excellentior erat.

Iob 31.

*Rex agat ratione, vt æqualis, & non potentia, vt Rex.*

Gregor.

| | |
|---|---|
| *Matth. 6. n. 26.* | Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis? |
| *Ibid. num. 27.* | Quis autem veſtrûm cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Aduertite ad volucres cæli, quæ nec ſerunt, &c. Et Pater veſter, qui eſt in cælis, alit eas. Nónne |

vos eſtis eis præſtantiores?

*Vatablus.* Intuemini volucres cæli, *&c.* Nónne vos longè præcellitis illas?

*Syriacus n.27.* Quis autem ex vobis, qui ſolicitus, poſſit addere.

*Arias.* Qui anxiatus poteſt adiicere.

*Alia littera, vt teſtatur Hugo.* Ad ætatem ſuam.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 12.n.24.* Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos: quanto magis vos plures eſtis illis.

*Ibid. num.25.* Quis autem veſtrûm cogitando poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum.

*Ibid. num.26.* Si ergo neque quod minimum eſt, poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?

## *EXPOSITIO.*

55. SECVNDVM, & tertium argumentum ponit Dominus cum ſuis exemplaribus rationibus, quæ multum mouent. In ſecundo agit de cibo; in tertio de veſtitu: & procedit de minori ad maius. De cibo agens ait: *Reſpicite*, quod magnam habet emphaſim; nam hoc verbum idem valet, ac retroflectere oculos: peccator enim, ob ſui miſeriam, poſt tergum habet, quæ ad ſui documentum, ac ſalutem pertinent. Vide lib.3.cap.4.num.66. *Volatilia cæli*; de minori ad maius procedit Dominus; quia ſi Deus alit aues irrationales, de victu non ſolicitas, quanto magis habebit prouidentiam de hominibus rationalibus, Chriſti ſanguine redemptis, ac hæredibus cælorum. *Non ſerunt, neque metunt*. Rectè ponderat Chryſoſtomus *homil.22.* Non enim dixit: Reſpicite, quia volant aues, quod nobis certè impoſſibile eſt prorſus imitari: *Sed quòd abſque ſolicitudinis ſuæ præparatione paſcantur, quod nos quoque, ſi volumus, facilè quimus implere.* Deus non vult à nobis impoſſibilia; & ideo non præcipit, vt attendamus ad aues, quòd volant, quod excedit noſtram naturam, ſed quòd ſine ſua ſolicitudine paſcuntur, quod à nobis facilè præſtari poteſt.

*Quæ ſunt ſalutis, peccator poſt tergũ habet.*

Chryſoſt.

*Deus à nobis, quæ ſunt poſſibilia petit.*

56. D.Thom. *Et Pater veſter.* Ait, Pater veſter, non illorum, vt aduertit D. Thomas, quia propriè pater eſt creaturæ rationalis, ſiquidem homo dicitur per gratiam adoptatus in filium. Et valde ſignanter dicitur *Pater veſter*, vt agnoſcamus, ſi illis Deus, quorum creator, & Dominus eſt, ad vitam neceſſaria præbet; quanto magis vobis id facturum, quorum & pater eſt: vt ita, inquit Abulenſis, nobis ingerat magnam confidentiam, quia Pater miſeretur filiis, & non poteſt obliuiſci illorum; ita Deus, cùm ſit Pater, non poteſt obliuiſci illorum; ita Deus, cùm ſit Pater, non poteſt ſe continere, quin miſereatur. Pſalm.102.num.13. *Sicut miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Paſcit illa.* Euthymius. Qui corpus cibo indigens vobis aptauit, ipſius quoque alimentum omnino præbebit. *Et paſcit illa*, ait Carthuſianus per ſuas cauſas ſecundas, tanquam per miniſtros ordinatos, & deſignatos ad hoc. *Nonne vos magis plures eſtis illis*; id eſt, *præſtantiores eſtis illis*, vt habet Syriacus; *ſeu longè illa præcellimis*, vt ait Vatablus, cùm ſitis filij, & hæredes regni cælorum.

Abulenſ. *Deus, vt pater miſeretur.*

Pſalm.102.

Euthym.

Carthuſ.

Syriacus. Vatabl.

*Quis autem veſtrûm cogitans.* Lucas hæc enarrans addidit: *Si ergo quod minimum eſt, non poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis.* Et procedit à minori ad maius. Et oſtendit Dominus, quòd omnis noſter labor eſt irritus, & inanis, niſi Deus aſpiret, & proſperet. Et agit hîc Dominus, vt rectè explicant Caietanus, Franciſcus Lucas, contra ſolicitudinem multorum de cibo, qui ſerunt, metunt, congregant timentes, ne defectu cibi eorum vita minuatur, atque deficiat. Et probat Dominus ex motu augmenti. Quamuis enim quis ſit ſolicitus omni anxietate, & conatus non poteſt adiicere cubitum vnum ſuper ſtaturam ſuam iuſtam, & determinatam à Deo: ita etiam vana eſt omnis circa effectum cibi ſolicitudo in motu nutritionis, nulla enim annonæ, opumque congeſta copia poteſt adiicere ad annos tuos diem vnum. Ergo ſicut Deo reſeruatum eſt augmentum corporis ad ſtaturam iuſtam; ita etiam ad eum pertinet, conſeruare, ac perdurare vitam vſque ad metam ab ipſo ordinatam; ad quæ, tanquam prouidus pater, neceſſaria miniſtrat. 57.

Caietan. Franc.Luc.

*Omnis noſtra ſolicitudo vana, niſi Deus faueat.*

Aduertit autem Euthymius, hîc potius dici cubitum, quàm digitum, vel palmum; quia per cubitos ſolet fieri hominis menſura: nam quilibet homo, rectè, & aptè compoſitus, tot habet cubitos ſuos in altitudine, quot in latitudine, ſi expanſis brachiis apponatur. Atque ita ex hac ratione fit, vt homo ſit quadratus, cùm æqualem habeat longitudinem, ac latitudinem, vt ita in virtute, conſtantia, ac perſeuerantia, quadratus, firmus, ſolidusque ſit. 58. Euthym.

*Homo ſit in ſuis actionibus conſtans.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare Dominus potiùs adducat in exemplum, non homines illuſtres, ſed aues cæli?*

VT Dominus explanaret diuitias bonitatis diuinæ, ac amplitudinem ſuæ infinitæ prouidentiæ, quæ homines paſcit citra omnem eorum ſolicitudinem, non adducit in exemplum Iſraëlem per quadraginta annos alitum in deſerto *Deuter.8. num.3.& 4.* non Eliam, non Ioannem Baptiſtam, aut ſimiles heroas, ſed cæli aues. 59.

*Ratio difficultatis.*

Rectè reſpondet primò D. Chryſoſtomus *homil.22.* Cùm hominum proponere poſſet exempla, Moyſem, & Eliam, & Ioannem, cæteroſque proferre, qui eorum ſimiles de victu non fuerunt ſoliciti. Vt magis audientium conſcientias verberaret, *de irrationalium illos ſecuritate monuit. Si enim iuſtos illos memorare voluiſſet, dicturi iſti continuò fuiſſent, nec dum ad eorum virtutis cacumen aſcendimus. Nunc verò eis cæli volatilia proponens, omnem prorſus occaſionem huiuſmodi contradictionis incidit.* Si Dominus illos viros adduceret in medium, ſtatim auditores facilè reſponderent, quòd illorum virtutes non habebant, nec perſimiles eorum fauores à Deo promerebantur. Vt Moyſes quadraginta diebus eſſet ſine cibo ieiunus; Elias paſceretur à coruis; Ioannes ita eſſet auſterus, vt de eo dicatur: Venit Ioannes, nec manducans, nec bibens. Vt ergo Dominus omne impiis amputaret ſubterfugium, omnemque obiectionem præoccuparet, de auibus adducit exemplumo, quæ ſine ſua ſolicitudine paſcuntur, vt ita eus magis verberaret, ac confunderet, vt ait Euthymius, exemplo irrationabilium animalium. 60. Chryſoſt.



*Impiis omne ſubterfugium amputãdum.*

61. Chryſoſt. Secundò idem Chryſoſtomus ad propoſitam difficultatem reſpondens: *In hoc quoque legem imitatus antiquam: nam vetus quoque lex & ad apem*, Eccleſiaſt.11. num.3. *& ad formicam*, Prouerb.6. num.6. *homines remittit, & ad turturem aliquando, & ad hirundinem*, Ieremiæ 8. num.7. In tradenda ſua doctrina à volatilibus aſſumit Dominus exempla, antiquam legem imitatus, quæ multa documenta præbet, irrationabilia animalia nobis obiiciendo, citato loco Prouerbiorum: *Vade ad formicam, piger diſce vias eius*; vt hoc fieret in noſtram eruditionem, quòd ſemper probata dicta, & facta maiorum, ac antiquorum ſequamur, ac imitemur, & ab eis non declinemus: nam in approbata via ſecuritas eſt, in noua periculum. Vide ſuprà *cap.12. num.29. 30.& 31.*

Eccli 11.

Prou.6.

Ierem.8.

*Maiorum facta ſequenda.*

62. Euſeb. Tertiò Euſebius Emiſſenus homil.in Dom.15. poſt Pentecoſtem. *Si igitur, ait, ea, quæ propter hominem facta ſunt, & quæ ad ipſius comparationem, aut parua, aut nulla ſunt, ſine labore, & ſolicitudine Deus omnipotens paſcit, quanto magis eos non derelinquet, qui ad eius imaginem facti eius gratiæ ſunt reconciliati.* Si magna ſua prouidentia Deus alimenta præbet, ac paſcit animantia bruta, quæ ad obſequium hominis ſunt creata; quanto magis non deſeret, ſed alimoniam homini ſuppeditabit, quem in tanto condidit honore, tantaque gratia inſigniuit? Quos enim Deus condecorat, non derelinquit, ſed ſemper ad maiora promouet.

*Qui attendit ad parua, à fortiori & ad magna.*

63. Theophyl. Quartò Theophylactus. *Potuiſſet afferre in exemplum, ait, Eliam, & Ioannem, & meminit auium; vt admoneat nos etiam illis brutiores eſſe*, Homo omnium creaturarum Magiſter, ac dominus conditus eſt à Deo; tamen ita per peccatum à ſuo honore decidit, ac inſipiens factus, vt iubeatur multa diſcere, ac documenta accipere ab animantibus irrationalibus; nam per ſuum peccatum eis brutior factus eſt. Ieremiæ 8. num.7. *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Comparat eos paruis auiculis, vt ait D. Hieronymus, & dicit, deteriores factos eſſe, vt Iſaias de inſipientibus animalibus teſtatur cap.1. num.3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, & populus meus non intellexit.* Non comparat eos cani, ſed his duobus animalibus, quæ ſunt valde inſipientia, vt notat D. Hieronymus. Et ait: Ego eos adoptaui in filios, & feci populum peculiarem, & partem meam, ac funiculum hæreditatis meæ, appellauique eos primogenitos: illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt animalia, vt beneficiis vincerentur, & intelligerent paſtorem, ac nutricium ſuum.

*Homo per peccatum inſipientior, & deterior brutis.*

Ierem.8.

Hieron.

Iſai.1.

Hieron.

Ait Scriptura Geneſ.7. num.11. quòd *menſe ſecundo rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt.* Vnde infert D. Ambroſius, quod diluuium contigerit ingrediente verno tempore, verbi gratia, vt computat Cornelius à Lapide, in fine Aprilis; vel in exordio menſis Maij; nam hoc tempus erat ſecundus menſis apud Hebræos; eorum enim annus menſe Martio ſuum habebat initium. Cur ergo aſpirante verno tempore diluuium diffunditur ſuper vniuerſam terram? Pulchram rationem reddit D. Ambroſius lib. de Noë, & Arca, cap.14. *Non deeſt terra, ait, obſequiis ſuis, non beſtiæ deſunt muneribus ſuis, quæ ſolennes ſoluuntur in partus, vt homini nihil deſit: homò ſolus partibus ſuis deeſt, neſcit auctorem ſuum, à quo omnia ei miniſtrantur, negligit conditorem.* Quando flaueſcunt ſegetes, floreſcunt prata, vites, ac arbores producunt fructus ſuos, animalia dant partus ſuos; tunc inundatio aquarum totam ſuperficiem terræ cooperit, vt videatur iuſta pœna homini inflicta; nam cùm omnia inſenſibilia, ac bruta animantia ſua munera perſoluant, ſolus homo, brutis animantibus deterior factus per peccatum, in obligatione ſibi iniuncta deficit, vt ſuum creatorem deſpiciens, non agnoſcat; nec reuereatur. 64. Geneſ.7. Ambroſ.

Cornel.

Ambroſ.

*Homo peior brutis.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Dominus adducat in exemplum potius animalia volatilia, quàm terreſtria?*

AD quæſtionem reſpondent primò Albertus Magnus, Abulenſis. Quia volatilia non quærunt cibos pro longo tempore, nec congregant, & ideo non ſunt tam ſolicita de cibo, ac quædam animalia greſſibilia, tam terrena, quàm aquatica, quæ cibos pro longo tempore conſeruant, vt formica, mus, montanus, ac multi piſces in ſuis antris. Et ratio differentiæ in his animantibus eſt. Quia natura, iuxta vniuſcuiuſque conditionem, & indigentiam, dedit eis maiorem, vel minorem vim prouiſiuam. Nam volatilibus maior eſt facilitas habendi cibum, quàm greſſibilibus; quia volatilia poſſunt ſe transferre in partes longinquas orbis, ſi hîc non inueniant alimoniam ſibi conuenientem, vt ſæpe faciunt. Greſſibilia non poſſunt facilè mutare locum; & ita eis natura dedit inſtinctum ad maiorem ſolicitudinem; præcipuè cùm inter hæc animalia greſſibilia, quibuſdam ſit motus difficilior, vt patet in formica, quæ, cùm ſit tardi motus, non valet diſcurrere per loca longinqua. 65. Albert.Mag. Abulenſ.

*Deus prouidet iuxta vniuſcuiuſque neceſſitatem.*

Secundò D. Ambroſius in cap.12. Lucæ. *Illis.* ſcilicet 66.

Ambroſ. ſcilicet volatilibus cæli, *Idcirco inelaborati pabuli vſus exuberat, quòd fructus ſibi communes ad eſcam datos ſpeciali quodam neſciunt vindicare dominatu: nos communia amiſimus, cùm propria vindicamus: nam nec proprium quicquam eſt, vbi perpetuum nihil eſt; nec certa copia, vbi incertus euentus. Aues cæli ſpeciale ſibi nil vindicant, & ideo pabulis indigere neſciunt.* Adducuntur aues in exemplum, quia cibus illis exuberat, faciléque per campos, ac prata inueniunt, abſque eorum magna anxietate; & tamen huiuſmodi cibus ſæpe deficit homini multum ſolicito, & minimè ab eo inuenitur. Sed quænam huius rei cauſa? Auibus, ac hominibus dati ſunt fructus communes ad eſcam: ſed aues, cùm nullius rei habeant dominatum particularem, nec ſpecialiter ſibi aliquid vendicent, omnia veluti habent in promptu, & nullius indigentia laborant; homines verò, cùm velint ob ſuam ambitionem, communia facere propria, ac omnia in ſe anguſtari, omnibus ſpoliantur, ac omnia amittunt: *Nos communia amiſimus, cùm propria vendicamus.*

*Qui nihil ſibi acquirit, omnia poſſidet.*

67\. Maximus. Tertiò D. Maximus *homil. 2. de non timendis hoſtibus carnalibus*, ſic ait: *Aues propter viles eſcas gratias agunt; tu pretioſiſſimis epulis paſceris, & ingratus es? Quis igitur non erubeſcat, ſenſum hominis habens, ſine Pſalmorum celebritate diem claudere, cùm ipſæ aues ad gratificandum pſalterij ſuauitate perſultent, & eius gloriam, non verſuum dulcedine perſonare, cuius laudes volucres modulata cantilena pronunciant? Imitare ergo, frater, minutiſſimas aues, manè, & veſperè creatori gratias referendo.* Ponuntur aues à Chriſto in exemplum; nam, cùm quoddam gratitudinis ſymbolum præ ſe ferant, & ſuo ſuauiſſimo cantu, manè, meridie, ac veſpere, veluti gratias perſoluant ſuo creatori, quantum eis permiſſum eſt à natura, inde fit, vt maiori facilitate, ac minori ſolicitudine inter cætera animantia paſcantur per campos, & prata, ciboque abundent. Quanto magis gratitudo apparet, tanto magis beneficiorum largitas diffunditur. Laudantes, & gratificantes creatori aues imitemur, vt omnis bonorum copia nobis largiatur, ac cumuletur.

*Gratus cumulatur beneficiis.*

68\. Quartò. Facilè vnuſquiſque de his loquitur, quæ ei ſunt iucundiora, cùm autem volatilia gratiora eſſent Chriſto, quàm animalia terreſtria; ideo de illis crebrò fatur Dominus, ac eorum exempla in medium profert, tam hîc, quàm *Matth.* 8. *num.* 20. & 13. *num.* 4. & 32. *Marc.* 4. *num.* 32. & *Luc.* 3. *num.* 34. Aſſumptum ex eo verificatur, ac probatur, quia in molimine orbis Dominus volatilibus benedixit, *Gen.* 1. *num.* 22. quam benedictionem non legitur eſſe terreſtribus animantibus datam, *ibid. num.* 25.

*Quilibet loquitur de his, quæ ei ſunt grata.*

69\. Gloſſa. De cuius rei differentia multa diſſerunt ſacri Doctores. Et primò Gloſſa ordinaria ait: *Fortè animalibus ſextæ diei non benedixit, quia inter ea erat ſerpens, cui poſt paulùlum erat ipſe maledicturus.* Ob vnius mali ſocietatem omnia terreſtria benedictionis dono priuantur. Secundò Anaſtaſius Synaita *in Hexaëmeron*. Ex eo deducit rationem, quia volatilia producta ſunt ex aquis, ac proinde præfigurabant animas, quæ ex lauacro Baptiſmatis renaſcuntur, quæ benedictionem conſequuntur à Deo. At verò terrena ex terra ſunt procreata, ac proinde denotant homines huic ſæculo deditos, qui cupiditate ſua cœleſti benedictione priuantur. Ita ait S. Doctor. *Quæ ex aquis ſunt genita, omnia Deus benedixit; à terra verò genita animantia priuauit benedictione; nam præfigurabatur generatio per Baptiſmum ex aquis, & proinde genitas animas, id eſt, regeneratas per Baptiſmum, benedixit: animantibus, & iumentis, & feris, ac venenatis hominibus, qui ſunt peregrini, & alieni à regeneratione baptiſmi, nequaquam impertiit benedictionem, ſed eos relinquit abſque benedictione.* Theophylactus Antiochenus *lib.* 2. ait, quòd per volatilia denotantur homines ſpirituales, qui benedictionem à Deo impetrant: per terrena verò interpretantur homines terrenis deditos, qui malitia ſua à Dei benedictione ſubtrahuntur.

*Iniqui ſocietas nocet.* Anaſtaſius. Theophyl. *Spirituales à Deo benedicentur.*

70\. Ambroſ. Quartò D. Ambroſ. lib. 3. Hexaëmeron. cap. 7. *Forte mirentur aliqui, quòd priùs pecori pabulum, quàm cibus homini ſit creatus; in quo profundum Dei conſilium debemus aduertere, quòd etiam minima quoque non negligat: ſicut in Euangelio Sapientia dixit: Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, nec congregant, & Pater veſter paſcit illa.* Valde litteralis mihi eſt hæc ratio. Obiicit Dominus nobis bruta animantia; ſed non leones, elephantes, & vrſos, aut alia ſimilia grandia animantia, ſed animalium minima, auiculas ſcilicet, quæ corpore, & viribus paruiores ſunt: vt ita nobis aperiat, & manifeſtet ſapientiſſimus magiſter, quòd Dei Patris prouidentia, non ſolùm ad magna ſe extendit, ſed etiam ad parua, & minima, vt omnium vtilitati conſulat, atque prouideat. Quod optime confirmat S. Pater, conſiderans illa verba: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen*, Geneſ. 1. num. 11. Et poſtea irrationabilia animantia creata ſunt. Herba pabulum beſtiarum; animalia tam volatilia, quàm terreſtria, & aquatica hominum cibus. Cur ergo Deus prius producit irrationabilium paſcua, quàm hominum eſcas? Vt ita cunctis ſit manifeſtum, quòd Deus non ſolùm magnis, ſed etiam paruis; non ſolùm homini, ſed etiam brutis prouidet, ac proſpicit.

*Diuina prouidentia ad minima etiã ſe extendit.* Geneſ. 1.

71\. Vidit Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælos, *Geneſ.* 28. *num.* 12. Per hanc ſcalam diuinam prouidentiam interpretatur Theodoretus *quæſt.* 82. quæ cælum, & terram attingit; & ad ſublimia, ac infima ſe extendit. Et ita illud Sapient. 8. num... *Attingit à fine vſque ad finem*; explicans D. Auguſtinus *lib. de gratia, & libero arbitrio*, ait, *id eſt, à cælo vſque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo vſque ad minimum vermiculum.* Sed illud eſt notandum, quod ſcala, ſeu hæc diuina prouidentia, priùs dicitur, quòd erat ſuper terram; & poſtea, quòd cacumen attingebat cælum. Cur cælum primo loco non nominatur ob ſuam magnam nobilitatem, cùm ibi reſideant Angeli, ac beatiſſimi illi ſpiritus: ſed priùs dicitur, quòd erat ſuper terram, in qua habitant ſerpentes, reptilia, ac bruta animantia? Adeò ſolicita eſt diuina prouidentia circa minima, & abiecta, vt ne quis erret, cogitando, quòd ipſa ſolùm attendit ad magna, & excelſa, priùs dicatur, quòd ſcala, ſeu ipſa diuina prouidentia, erat ſuper terram, ſuper parua, & infima, quàm dicatur, quòd illius cacumen attingebat cælum, hoc eſt, ſummam celſitudinem, & præexcellentiam. Ad illa verba Luc. 12. num. 7. *Nónne quinque paſſeres veneunt, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo.* Geometra *in Catena Græca*, ait: *Hoc dictum*

Theodor. Sapient. 8. Auguſt. *Deus curam habet de minimis.* Luc. 12. Geomatr.



*dictum oſtendit, ne quidem minimum paſſerculum in obliuione eſſe coram Deo. Igitur accuratio diuinæ prouidentiæ, quæ procedit vſque ad minima, per hoc ſignificatur.* Et de hoc diſſerit Chryſoſtomus *homil.* 23. *hoc loco.*

Chryſoſt.

---

## QVÆSTIO XII.

### *Tres quæſtiunculæ reſoluuntur.*

72\. *Quid per aues.* Hilar. Palat. QVÆSTIVNCVLA prima: Quid per volatilia hîc intelligatur? D. Hilarius, & Palatius in ſenſu valde allegorico Dæmones intelligunt, quia Deus aliquando permittit, & dat locum, vt fiat, quod ipſi petunt. Vt ad tentandum *Iob* 1. *num.* 12. & ad decipiendos Prophetas 3. *Reg.* 22. *num.* 22. Et etiam eis conceſſit ire in gregem porcorum, *Matth.* 8. *num.* 31. Vnde ait Palatius: *Audi Chriſti validiſſimum argumentum. Si Dæmones, etiam hoſtes Dei, Deus ipſe paſcit, non defraudans eos deſideriis ſuis, quanto potiùs paſcet vos, ſibi amicos, & ſeruos.* Secundò D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* per volatilia iuſtos interpretatur. Tertiò, D. Hieronymo teſte, *in ſuo commentario*, Angelos hîc denotari per *volatilia*, quidam exiſtimarunt. Quartò, & ſimpliciter dicendum eſt, hîc volucres cæli intelligi. Eſt communis Patrum ſententia, Chryſoſtomi, Auguſtini, Hieronymi *hîc*, & D. Antonij Vlyſſiponenſis, & Euſebij Emiſſeni *homil. in Dom.* 14. *poſt Pentecoſten.* Et hoc euidenter apparet ex textu quia huiuſmodi volatilia ſine cura ſuperflua paſcuntur.

Idem. Paſchaſ. Hieron. Chryſoſt. Auguſt. Hieron. Ant. Vlyſſip. Euſeb.

73\. *Matthæus ſcribit volatilia, Lucas verò coruos.* Abulenſ. Quæſtiuncula ſecunda: Quomodo cohæreant Matthæus, & Lucas: nam D. Matthæus ponit volatilia cæli, D. autem Lucas ſcribit coruos: Ad præſentem difficultatem tripliciter reſpondet Abulenſis *quæſt.* 183. Primò quòd Chriſtus vtrunque dixit, verbi gratia: *Reſpicite volatilia cæli*; & ſpecificando addidit, *& coruos*, quia hi ſunt voraciſſimi, & tempore famis miniſtrarunt cibum Eliæ, 3. *Reg.* 17. *num.* 6. & tamen non multam habent ſolicitudinem. Secundò. Fortè Dominus ſolùm dixit coruos, & Matthæus poſuit genus pro ſpecie. Tertiò. Quia hæc fuerunt dicta diuerſis vicibus, & vna vice dixit: *Reſpicite volatilia*; & altera: *Reſpicite coruos.* Et hoc eſt valde probabile, vt colligitur ex circunſtantia vtriuſque textus: nam Matthæus hanc ſententiam refert dictam in ſermone in monte; Lucas verò, poſt parabolam de diuite auaro.

*Triplex ſolutio.*

74\. Chryſoſt. Quæſtiuncula tertia. Circa prouidentiam, quam nos debemus habere: nam, vt rectè notat Chryſoſtomus *hom.* 22. non dixit Dominus, quòd ſeminare non oporteat, cùm ſeminare debeas; ſed ait, quòd ſolicitus, ac anxius ne ſis nimia, & ſuperflua ſolicitudine: non enim dixit, non oportet operari; ſed ait, non oportet curarum angore diſtendi; & ita dixit, ne ſoliciti ſitis. Nam, vt rectè ait Ericus *in homiliario*, quærere cibos, colligere grana, ſecundùm naturalem inſtinctum permiſſum eſt auibus; ſic & hominibus, naturæ inſtitutione, committitur labor, & prouidentia, non verò ſolicitudo iniqua, & auaritia theſauros recondendi.

Ericus. *Nobis laborandum pro victu.*

*Matth.* 6. *n.* 28. Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent.

*Ibid. num.* 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis:

*Ibid. num.* 30. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei?

### *VERSIONES.*

*Pagninus.* Cognoſcite lilia agri.

*Franciſc. Lucas.* Perdiſcite lilia agri.

*Syriacus n.* 29. Dico vobis, nec Shelemoum quidem in tota gloria ſua ſic amictum.

*Arabicus.* Nec Salomon in vniuerſa gloria ſua veſtitus eſt.

*Alia litt. apud Hugonem.* Nec Salomon in omni regno ſuo.

*S. Nilus in Aſcetico.* Et tamen maiori, quàm Salomon, gloria circundatur.

*Euthym. n.* 30. Si herbam agri Deus ſic veſtit, quanto magis vos, ô homines modicæ fidei.

*Theophylactus.* Si gramen agri, multo magis vobis id faciet, parum fidentes.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 12. *n.* 27. *& 28.* Idem habet.

## *EXPOSITIO.*

EST iam quartum argumentum, & à victu tranſit ad veſtimentum; eſt etiam neceſſarium ad vitam humanam. Et eſt vis argumenti: Si Deus tanta pulchritudine, & decore exornat lilia agri, quanto magis homines in ſe confidentes. Et ait, *Conſiderate*, ſeu, vt habet alia littera, *Perdiſcite*, ſeu ſumite exemplum, *lilia agri.* Inter flores lilia ſingulari pollent gratia, decore, candore, ac odore. De quorum elegantia multa Plinius *lib.* 21. *cap.* 5. Et lilia ita ſuis inuolucris creſcunt, & nutriuntur, tanquam veſtibus obuoluta, atque amicta. Vnde magna elegantia hîc ponuntur in veſtimentorum exemplum. Et, vt notat D. Chryſoſtom. *homil.* 23. non adducit ex auibus pauum, 75.

Plinius. Chryſoſt.

pauum, vel cygnum; ſed lilia ob maiorem eorum vtilitatem. Et ait, *lilia agri*. Apud Palæſtinos in locis horridis, & incultis lilia pullulant, vt teſtatur Brocardus 2. *part. deſcriptionis Terræ ſanctæ, cap.* 1. Et peculiari energia *hîc* dicuntur potius *lilia agri*, quàm hortorum, vt notat Abulenſis *quæſt.* 182. ad oſtendendam minorem ſolicitudinem, nam lilia, quæ in hortis, vel domibus naſcuntur, per humanam artem, & culturam plantantur & creſcunt; quæ verò in agro ſunt, ſine alicuius cultura pullulant, & eorum pulchritudo abſque alicuius ſolicitudine acreſcit: *Non laborant neque nent*; ſcilicet, vt ait Hugo, coloribus ſe exornando. Et ait. *Non laborant*, quod ad viros pertinet: *Neque nent*, quod ad fœminas ſpectat, vt ita vtriuſque ſexus ſolicitudinem nimiam excludat.

Abulenſ. Hugo.

76. *Dico enim vobis, quoniam nec Salomon.* adducit Dominus hîc Salomonem in exemplum, quia inter Iudæorum Reges maximè floruit diuitiis, auro, & argento, ac varietate domeſticæ ſupellectilis, 3. *Reg.* 10. *num.* 27. Et ita ipſe ait: *Supergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ieruſalem*, Eccleſiaſt. 2. num. 9. *In omni gloria ſua*; ſeu, vt habet alia littera, vt teſtatur Hugo, *In omni regno ſuo*; ſeu, vt explicat Abulenſis, *In omni ornatu, & apparatu ſuo exteriori*, in quo Salomon fuit abundantiſſimus; ſeu in omni gloria ſua diuitiarum, ſcientiarum, & potentiarum. *Coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis.* Salomon cum tanta gloria, & maieſtate non eſt tam pulchrè, & decorè indutus, ſicut vnum ex iſtis. Primò, quia ars non dat tam viuos colores, vt natura. Secundò, quia, vt ait Chryſoſt. Salomoni homines miniſtrabant veſtes; iſtis autem liliis Deus: & quæ à Deo ſunt, ab iis ſemper quæcunque exceduntur humana. Tertiò Hugo. *In Salomone fuerunt veſtes alienæ: in lilio verò propriæ veſtes, quas natura dedit ei.* Et quæ propria, ſemper ſuperexcedunt, quæ ex alieno habentur.

Eccli. 2. Hugo. Abulenſ. *Alienæ nunquam condecorant.* Chryſoſt. Hugo.

77. *Si autem fœnum*, Græcè *herba*. Egerat ſuprà diuinus Magiſter de auibus, & de liliis; nunc ad fœnum agri deſcendit. Et arguit Dominus à minori. Si Deus, vt ait Chryſoſtomus *homil.* 23. herbam campi, quæ tam minimi eſt valoris, ſic veſtit & exornat; quid erit de vobis. Et egit priùs ſapientiſſimus Magiſter de auibus; deinde de liliis, nunc ad minimam herbam deſcendit. *Quod hodie eſt*, per vnum diem; *& cras*, ſcilicet breui tranſit; *& in clibanum mittitur*, hoc eſt, ſiccatur, fitque fœnum, ac in clibanum, ſeu furnum mittitur ad ignem ſuccendendum. Palatius ait, quòd per fœnum intelliguntur impij, qui hodie tantùm ſunt. Vnde iniqui in Inferno dicunt: *Nos nati, continuò deſiuimus eſſe*, Sapient. 5. num. 13. *Deus ſic veſtit*, dando eis tantam pulchritudinem, & elegantiam; *Quanto magis vos*, qui eſtis ad eius imaginem creati, amici, ac adoptati in filios, & hæredes, veſtiet, exornabit; *modicæ fidei*, ſeu, vt habent Græci, *parum fidentes*. Ex hac Chriſti increpatione rectè colligitur, quòd tota noſtra anxia ſolicitudo de cibo, & veſtimento prouenit à nimia diffidentia diuinæ prouidentiæ; nam ſi in illa homines eſſent nimis firmati, non eſſent tam vehementer ſoliciti, ſed in ea ſecurè conquieſcerent; nam Deus laborantibus moderate, ac ſibi fidentibus de omnibus neceſſariis ſufficienter prouidet.

Chryſoſt. *Gloria impij breui tranſit.* Palat. Sapient. 5. *Diuinæ prouidentiæ fidendum.*

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Dominus de liliis tantam prædicet pulchritudinem?*

78. VERITATIS Magiſter aperta voce aſſeuerat, liliorum pulchritudinem magno interuallo ſuperare pretioſam Salomonis ſupellectilem, veſtem, ac ornatum, totum ex ſerico, auro, argento, & lapidibus pretioſis in textum. Et primò eorum gloria, & excellentia viſitur in viuaci colore, ſiue albo, ſiue violaceo; nunquam enim ars omni ſua induſtria poteſt adæquare naturam, vt rectè ex Chryſoſtomo, ac Hieronymo obſeruat *hîc* Abulenſis quæſt. 182. *Quia*, ait, *tinctores, & pictores non poſſunt ita puros, & viuos colores conficere, & rebus dare, ſicut natura dat: ſed imitantur aliqualiter naturam, vt poſſunt, multum tamen imperfectè.* Deinde in lilio nitet magna elegantia, eximia pulchritudo, ac ſuauiſſimus odor, vt ponderat D. Ambroſius *lib.* 3. *Hexaëmeron. cap.* 3. Et ideo lilia inter flores maximè celebrantur in ſacra Scriptura Eccleſ. 39. num. 19. *Florete flores quaſi lilium, & date odorem.* Iſai. 35. num. 1. *Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium*; & *Cant.* 2. *num.* 1. ait Dilectus: *Ego flos campi, & lilium conuallium.*

*Ars nunquã adæquat naturam.* Chryſoſt. Hieron. Abulenſ. Ambroſ. Eccli. 39. Iſai. 35. Cant. 2.

79. Secundò D. Chryſoſt. hom. 23. *Cuius rei gratia tanto etiam herbas decore veſtiuit? Vt ſuam, ſcilicet, ſapientiam, creator oſtenderet, copiamque virtutis: vt vndique illius gloriam diſceremus. Non enim cæli tantummodo gloriam narrant, verùm etiam terra. Nam hoc quoque ipſe Dauid dixit*, in Pſalm. 148. num. 9. *Laudate Dominum ligna fructifera, & omnes cedri. Alia quippe de fructu, alia de magnitudine, alia de decore laudem creatori videntur emittere. Id autem ipſum maximas profectò deſignat diuitias ſapientiæ, quando etiam in hæc, quæ ſunt vtique viliſſima, tantùm decoris effudit.* Lilia agri, & herbas Deus ſic veſtit, & exornat, vt omnem Salomonis apparatum ſuperent; vt ipſe Dominus oſtendat diuitias magnitudinis ſuæ, ac vt nobis etiam aperiat ſuam prouidentiam, vt etiam ait *citatus* Chryſoſt. *Quæ omnium rerum curam gerit, magnarum ſcilicet, ac minimarum.* Vide ſuprà *quæſt.* 11. *ad finem.*

Chryſoſt. *Flores, & lilia Dei gloriam manifeſtant. Deus etiam de minimis prouidẽtiam habet.*

80. Tertiò. Etſi omnes flores ſpem præ ſe ferant, ſiquidem viſis floribus ſtatim de fructibus concipimus ſpem: tamen lilium præ cæteris floribus hoc habet peculiare, teſte Pierio Valeriano *lib.* 55. *cap. de lilio*; vt ſpem denotaret, ac illius eſſet celebre hieroglyphicum apud priſcos. Vnde in antiquis Imperatorum nummis ex vna parte videmus inſculptum Deum, dextera lilium tenentem, cum hac inſcriptione: *Spes publica*, ſeu, *Spes auguſta*, ſeu, *Spes Populi Romani*. Et, vt Poëta *Æneidos* 6. magnam ſpem habitam denotaret de Marcello, ita eum hoc ingenti encomio celebrat.

*Lilium ſymbolum ſpei.* Pierius.

*Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos*
*In tantum ſpe tollet auos.*

Et ſtatim ſubdit:

*Si qua fata aſpera rumpas*
*Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.*

Meritò ergo Chriſtus Dominus, vt noſtram diffidentiam argueret, atque damnaret, in exemplum apponi



apponit lilium, ſpei ſymbolum; quia ſi hanc ad Deum erigas, omni ornatu, ac abundantia rerum, Salomonis gloriam ſuperabis. Spes omnium in nobis eſt felicitatum ſeminarium. Quod argumentum latè proſequitur D. Laurentius Iuſtinianus *tractat.* 8. *de ſpe, cap.* 2. Et ait: *In præſenti tempore ſpes eſt quædam vigilia ſolennitatis æternæ, nam eſt arrha æterni præmij, & ponderatio futuræ ſuauitatis, cui datur intrare in hortum ſpiritualis voluptatis.*

*Spe bona cœleſtia veniunt.* Laur. Iuſt.

81. Quartò S. Nilus in Aſcetico. *Animus perfectus ab omni eſt ſolicitudine vacuus. Impius ſolicitudinibus teritur. De animo perfecto dicitur: Lilium eſt inter ſpinas*, Cantic. 2. numero 2. *Hoc namque inter curas tranquillè degentem indicat. Lilium enim & in Euangelio, quietum animum, ac minimè ſolicitum ſignificat: Non laborant, neque nent. De illo autem, qui magnam in rebus corporis curam, & ſolicitudinem ponit, ſcriptum eſt: Tota impij vita in ſolicitudine.* Lilium multoties, & valde frequenter in Palæſtina, vt iam dixi ex Brocardo, inter ſpinas naſcitur, à quibus eorum folia dilacerantur, vt clariùs habet Chaldæa Paraphraſis: *Comparata ſunt roſæ, quæ germinat inter ſpinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia eius.* Cùm lilium ſit inter inſidiantes ſpinas, non laborat, nec fatigatur; ſed ſua quieta, ac tranquilla natura creſcit, germinat, ac floret. Vnde in hieroglyphicum animi quieti, ac ſecuri lilium aſſumitur; & etiam à multis pro Martyrum ſymbolo ponitur inter furentium perſecutiones. Meritò ergo Chriſtus D. ad excludendam ſolicitudinem ab animis noſtris, ac vt placidum, & tranquillum animum ingereret, lilia nobis obiicit, quæ inter ſpinarum aculeos non laborant, neque nent, ſed ſecura eorum pullulante natura in ſuos flores erumpunt, & ita Salomonis gloriam ſuperant; quam etiam facile vincit quilibet noſtrum, qui inter rerum huius ſæculi voragines quieto, ac placato animo degit.

Nilus. Cantic. 2. Chaldæa Paraphraſis. *Animus in aduerſitatibus quietus magna gloria extollitur.*

82. Quintò. Maximè Dominus hic extollit liliorum faſtigium ſuper Salomonis opulentiſſimum apparatum. Sed vnde tanta gloria liliis? Diuus Antonius Vlyſſiponenſis *in Dom.* 15. *poſt Trinitat.* ait, quòd in liliis tria ſunt, medicina, candor, & odor; medicina in radice, candor, & odor in flore. Medicina pœnitentes denotat, à quibus medicamen in radice, ac origine malorum adhibendum eſt. Candor autem, & ſinceritas animi appareat in flore noſtrarum actionum. Odor autem boni nominis, & famæ in vita, ac operatione. Hæc autem lilia ſunt in agro, hoc eſt, in deſerto, ac ſolitudine, & ſeparatione tumultus huius ſæculi. Et cum his, ait Diuus Antonius *citatus*, Iuſtorum lilia creſcunt de virtute in virtutem; & non laborant voluptatibus ſæculi; neque nent, hoc eſt, diuerſa fila cogitationum non retorquent in temporalibus; ſed vincunt Salomonis gloriam, in quo potentes, ac diuites huius ſæculi ſignificantur, quorum tota maieſtas friuola, ac tranſitoria eſt.

Antonius. Vlyſipon. *Medicina in radice, candor boni nominis in operatione.*

83. Sextò. Lilia maximis encomiis hic ſublimantur à Chriſto, ita ut eorum comparatione omnis Salomonis apparatus vileſcat. Sed ex quo tantam gloriam potuerunt lilia comparare? Diuus Paſchaſius lib. 1. in Pſalm. 44. *Virginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia quàm ſæpe in Scripturis ſacris præfiguratur. Et ideo dixerit Dominus, quòd nec Salomon in omni gloriæ ſua coopertus ſit, ſicut vnum ex iſtis. In quibus nimirum floribus renitentibus floris veri incorruptio, & pulchritudo per charitatem integræ caſtitatis. Propter quod velim, vos conſiderare, virginitas quàm præclara ſit, quæ tantis, & talibus attollitur præconiis.* Lilia in tantum faſtigium gloriæ creſcunt, vt etiam opulentiſſimi, ac ſapientiſſimi Regis lautus, ac magnificus apparatus illis inferior iudicetur. In liliis virginitatis candor denotatur, cuius ſplendor ita nitet, ac fulget, vt omnis aliorum ornatus vileſcat, vilis, ac minor appareat etiam qualibet virginitatis vmbra.

Paſchaſ. *Vmbra virginitatis quælibet aliorum ornatum ſuperat.*

84. Duos illuſtriſſimos heroas inuenimus valde celebres in Scriptura, Moyſem, & Eliam. Moyſes totius Populi dux, princeps, ac præfectus; imò Ægypti conſtitutus Deus. Elias verò per antra deſerti in pellibus caprinis degens. Et tamen Moyſes legitur morti ſubiectus, terræ ſepulturæ traditus. Elias autem æternitatis candidatus, vt eum appellat Tertullianus *lib.* 2. *de reſurrectione cap.* 58. magnifico curru, igneis equis, triumphali pompa ſuper omnes, quos in veteri Teſtamento inuenimus ſcriptos, glorioſè in cœlum aſcendit. Sed vnde tanta gloria Eliæ! Accipe Diuum Hieronymum lib. 2. contra Iouinianum. *Quòd ſi contentioſè*, ait, *in Moyſe nuptias, in Elia virginitatem dixerint demonſtrari, breuiter audiant, Moyſem mortuum, & ſepultum; Eliam, igneo curru raptum, ante immortalem eſſe cœpiſſe, quàm mortuum.* In Moyſe celebrantur nuptiæ; in parente Elia decantatur virginitas: & vbi puritatis candor nitebat, conueniens erat, vt maiori pompa, ac ornatu, cæteris glorioſior ſuperincederet, ac triumphali curru per aëra euolaret.

Tertull. Hieron. *Virginitatis palma magno triumpho incedit.*

85. Ait diuinus Sponſus: *Ego flos campi, & lilium conuallium, ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, Cantic. 2. num. 1. & 2. Illud maximè eſt ponderandum, quòd cùm ſumma charitate, ac amore ſe diligant ſponſus, & ſponſa. Cur ergo ipſe Rex ſe appellat florem, & lilium; dilectam verò ſuam lilium tantùm dicit? Autor eſt Auguſtinus *lib. de ſalutaribus documentis cap.* 34. *tom.* 4. Quòd Chriſtus dicitur flos campi ob decorem ſanctitatis, & donorum; lilium verò ob virginitatem. Vnde inferunt Diuus Gregorius Nyſſenus *homil.* 4. Diuus Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus*, quòd dilecta anima lilio æquiparatur, vt eius virginitas exprimatur. Dicatur diuinus Sponſus flos, & lilium: at ad ſanctam animam extollendam, ac ad eam perſimilem ſuo ſponſo declarandam, ſat eſt, vt decantetur tamquam lilium, virginitatis ſymbolum, in virginitatis enim encomiis omnium magnalium laus, omniumque virtutum decus, ac ornamentum celebratur, ibique tamquam in compendio omnia recapitulantur. Vnde de ea eleganter ait Hildebertus Turon. Epiſtol. 35. *Virginitas curarum eſt ſilentium, pax carnis, virtutum principatus, naturæ obliuio, vitiorum redemptio.* Virginitatis excellentias pulchrè deſcribit Bernardus Epiſtol. 42. ad Henſenonenſem Epiſcopum. *Quid caſtitate decorius*, ait, *quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum Angelum, Deumque de homine facit. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolennia morem illius beatæ vendicat rationis,*

Cantic. 2. Auguſt. Nyſſen. Ambroſ. *In virginitatis encomiis omnis laus celebratur. In virginitate recapitulantur omnia.* Hildebert. *Virginitas quodammodo vt princeps celebratur.*

*in qua non nubunt, neque nubentur, præbens quodammodo terris cœleſtis iam illius conuerſationis*

*Virginitas Angelos, ac Deum imitatur.*

*experientiam.* Quid maius poteſt dici de virginitate, quàm quod angelicam, ac diuinam naturam imitetur, & viuens in terra more cœleſtis patriæ iam degat.

*Matth.6.n.31.* Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.

*Ibid.num.32.* Hæc enim Gentes inquirunt: ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Ne igitur anxij ſitis, neve dicatis: Quid edemus, &c.

*Ibid.num.32.* Hæc enim omnia gentes huius mundi quærunt ſibi: Pater autem veſter, qui eſt in cœlis, nouit, quòd vobis requiruntur hæc omnia.

*Vatabl.Pagnin.* Pater cœleſtis.

*D. Cypr. tract. de orat. Dom. & lib. 3. ad Quirin. c. 11.* Hęc omnia nationes mundi inquirunt.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 12.n.29.* Et vos nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in ſublime extolli. Hæc enim omnia gentes quærunt, Pater autem veſter ſcit, quoniam his indigetis.

*EXPOSITIO.*

86. SVPRA exemplo volatilium reprobauit Dominus nimiam ſolicitudinem circa victum, ac alimoniam. Deinde ſuperiori ſententia exemplo liliorum, atque herbarum eandem ſuperfluam curam excluſerat. Nunc verò ex his præmiſſis ponit concluſionem, vt indicat illa particula *ergo*, prohibens omnem timidam curam circa victum, ac veſtitum. Et quanuis hoc videatur repetitio dictorum, tamen, vt ait S. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* Quæ multum neceſſaria ſunt multoties dicenda; nam ſi vna vice non percipiuntur, altera apprehendentur. Et ita dicitur per Iſaiam: Clama, ne ceſſes. *Dicentes.* Hoc magnam ſolicitudinem indicat, vt ait Hugo, quæ non ſolùm retinetur in corde, ſed etiam erumpit in ſermonem. Lucas addidit:

*Concluſio ex ſupra dictis.*

Paſchaſ. *Quæ neceſſaria repetenda.*

Hugo.

*Nolite in ſublime extolli*, hoc eſt, vt explicant Toletus, Franciſcus Lucas: nolite Aſtrologiæ obſeruatione ventura proſpicere, vt in multum tempus futuris corporis neceſſitatibus conſulatis ac prouideatis. Illud hîc eſt obſeruandum, quod monet Euthymius, dicens. *Tu verò conſidera, quòd ſi nobis iuſſum eſt, ne de rebus etiam neceſſariis ſimus ſoliciti: quam ſperabimus veniam, cùm de his etiam, quæ neceſſaria non ſunt, anxij ſimus.*

Tolet. Franc. Luc. *Non fidendum aſtrologicis obſeruationibus.* Euthym.

87. *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Eſt quintum argumentum: Hæc nimia ſolicitudo de cibo, potu, ac veſtitu infidelis eſt, pagana, idololatra, & non Chriſtiana. Ethnici enim, cùm Deum ignorent, ac de reuelatis non habeant cognitionem, totam ſuam ſolicitam cogitationem defigunt in his terrenis. At vos, qui eſtis diſcipuli mei, vera Dei fide illuſtrati, aliter debetis facere, vt de futuro ſæculo ſoliciti multam confidentiam habeatis de diuina prouidentia; de quo vide ſuprà numero 49. *Scit enim Pater veſtor.* Alij addunt: *Qui in cœlis eſt*, ſeu *cœleſtis.* Et eſt ſextum argumentum: Nolite multum eſſe anxij, ac ſoliciti de cibo, potu, & veſtitu, habetis enim Deum patrem, qui ſcit, ac nouit veſtram indigentiam, vt vobis prouideat; & ideo omnem veſtram curam, ac cogitationem in eum ponite. Ipſe vt Deus, ſcit omnia; vt Pater, vult ſuccurrere; vt Dominus, ac Rex cœleſtis præpotens eſt ad ſubueniendum. Nota, quòd non ait: Pater veſter ſuccurret, ſeu prouidebit; ſed *ſcit*; quia cùm ipſe ſit Pater, Rex, ac Dominus, non poteſt noſtras indigentias ſcire, & videre, quin eis opem ferat, ac auxilietur. Illud etiam bene aduertit Euthymius, quòd poſtquam eos obiurgauit, ne eſſent ſoliciti; *hoc enim gentes inquirunt*; ſtatim eis leuamen dat: *Scit Pater veſter cœleſtis. Eſt enim*, ait Euthymius, *præceptoris officium, & obiurgare, dum expedit, & conſolari, ac vtrinque excitare.*

*Homo ſub Dei cura omnibus abundat.*

*Deus, vt pater, aliquando corripit, aliquando conſolatur* Euthym.

QVÆSTIO XIV.

*Quare hîc gentes ponantur in exemplum?*

88. ILLVD in limine huius quæſtionis eſt obſeruandum, quòd Dominus ad excludendam, ac ſummouendam ſolicitudinem ab animis noſtris de cibo, & veſtitu primò nobis ponit in exemplum noſtram animam, & corpus: *Nónne anima plus eſt, quàm eſca, & corpus plusquam veſtimentum?* ſuprà *numero* 25. Et ſtatim ordinatim deſcendendo, volucres cœli nobis obiicit numero 26. *Reſpicite volatilia cœli.* Deinde venit oratio ad flores, ac lilia campi: *Conſiderate lilia agri*, numero 28. Et poſtea peruenit oratio ad fœnum, ſeu herbam agrorum: *Si autem fœnum*, ſeu, vt habet Syriacus, *herbam Deus ſic veſtit*, numero 30. Et tandem in vltimo loco Gentes, ſeu Gentiles adducuntur, cùm enim ſint ſine fide, ac vera cognitione Dei, etiam inferiores, ac viliores fœno, & herba reputantur, ideoque poſt illa in deteriori loco commemorantur.

*Qui ſine fide eſt, brutis, ac fœno campi inferior, exiſtit.*

89. Chryſoſt.

Ad quæſtionem ergo: Cur hîc Gentes memorantur? Reſpondet primò Chryſoſtomus *hom. 23.* Quòd



Quòd hoc argumentandi genus in Scriptura frequenter eſt in vſu. Matth. 5. n. 47. *Si ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis, non ne Ethnici hoc faciunt.* Et Matth. 6. num. 7. *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici.* Itaque in medium repetere mores Gentilium, erat valde efficax argumentum ſuadendi apud Iudæos. Nam Iudæi contemnebant Gentiles, tamquam rudes, & ignorantes; & ideo erubeſcebant, ac in magnum opprobrium reputabant, dici illis ſimiles in aliquo, vt obſeruat Abulenſis *q.* 184. Et ſi hoc erat vulgare apud Iudæos, vt Gentilium mores fugerent, ac declinarent, multo maiorem vim habebat ratio apud Chriſti diſcipulos, quorum iuſtitia non ſolùm debebat abundare ſuper Gentes, ſed etiam ſuper ſcribas, & Phariſæos, vt dixit Dominus *Matth. 5. num.* 20.

Matth. 5. Matth. 6.

Abulenſ. *Ex Gentibus argumentum ad Iudæos valde efficax.*

9. Abulenſ.

Secundò Abulenſis *q.* 184. Dominus hoc loco, errorem Gentium refutando, ſuos maximè exhortatur ad omnem ſolicitudinem deponendam. Quia Gentiles, cùm non haberent cognitionem de futuro ſæculo, nihil ſperabant; ſed plurimi eorum credebant, poſt hanc vitam nihil eſſe; & conſequenter nullum bonum manere homini, niſi comedere, & bibere, & frui delectationibus in vita. Et vita dixerunt Sapient. 2. num. 8. *Coronemus nos roſis, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra, quoniam hæc eſt pars noſtra, & ſors noſtra.* Et ideo Gentiles tam ſoliciti erant de cibo, potu, ac veſtitu. *Et Gentes inquirunt.* At fideles, & Chriſti diſcipuli, qui non tantùm Deum, ſed etiam futurum ſæculum agnoſcunt expectantes, cœleſtiumque promiſſione ſunt repleti, maximè debent à ſuperflua cura terrenorum abſtinere, & omnem ſuam ſolicitudinem in Deum deuoluere, vt ſolum ipſum cogitent, & ſolum in eum habeant ſuam confidentiam, ac ſpem.

Sapient. 2.

*Chriſtiani, cùm expectēt venturū ſæculum, de tēporalibus ne ſint multum ſoliciti.*

91. Caietan.

Tertiò Caietanus: *Hæc omnia Gentes inquirunt*; ait: *Hoc eſt, Gentilis erroris circa diuinam prouidentiam, eſt, inquirere dubia, & timida cura hæc omnia. Ac ſi apertè diceret: Gentilis erroris participes vos facitis, ſi ſoliciti de iſtis fueritis circa victum, & veſtitum.* Et ita ait D. Paſchaſius lib. 4. in Matth. *Qui de his*, ſcilicet temporalibus, *ſolicitus eſt, infidelis cenſetur.* Sed quomodo Chriſtianus ſua ſolicitudine fit particeps Gentilis erroris, qui eſt Idololatria, & infidelitas, verum Deum negans? Gentiles pro victu, & veſtitu nimis ſoliciti erant, adorabant Deos lapideos, ferreos, & æreos, qui nulla compaſſione commoueri poſſunt; qui non habent aures, vt voces aliorum audiant; nec oculos, vt eorum neceſſitates videant; nec intellectum, vt quibus prouidendum ſit, intelligant. Ergo qui nimis ſolicitus eſt, Deum cogitat ferreum, vel lapideum, ſine hominum cura, & tunc fit particeps Gentilis errroris. Nam quodammodo ipſa ſua exceſſiua ſolicitudo, quædam Idololatriæ ſpecies eſt, verum Deum denegans, cuius natura eſt ſumma bonitas, pietas, ac miſericordia, intelligens ſuper egenum, & pauperem, in cuius precibus ſunt aures ipſius Dei, vt cunctorum neceſſitatibus, tanquam verus pater, prouideat.

Paſchaſ.

*Nimis ſolicitus de temporalibus fit particeps erroris Gentilium.*

92. Cùm Populus deueniſſet in Cades, ac magna aquarum penuria laboraſſet, ſeditionem commouet contra Moyſem, qui ex Dei iuſſione ad petram accedit, & ait ad Populum: *Audite rebelles, & increduli*, Numer. 20. n. 10. ſeu, vt habet Paraphraſis Chaldaica: *Audite proterui, & contumaces.* Græcus verò: *Audite diffidentes, & increduli.* Sed cur Moyſes tam rigida cenſura hîc in Populum inuehitur, vt alibi talem ab ipſo in eum inflictam non legas? Cur eos rebelles, & incredulos non appellat, quando ſibi perſuadent contra Dei verbum, ac promiſſum, è manu Ægyptiorum, quos poſt ſe videbant venire armatos, non poſſe euadere, ac effugere, *Exodi* 14. *numero* 10. Vel quando diffidunt de obtinenda, ac ſubiuganda Promiſſionis terra, *Numer.* 14. *nnmero* 3. Cur ergo rebelles, & increduli hic tam aperta voce publicantur? Aqua maximè prærequiſita eſt ad vitæ ſuſtentationem; & illius penuria maximè Populus perurgebatur: & tamen ſibi perſuadebat, diuinam prouidentiam poſſe deficere, opem non ferendo, & neceſſaria non ſuppeditando; ideo turpiſſimè in incredulitatis, ac diffidentiæ peccatum eſt prolapſus: nam qui tam parum ſapit de diuina prouidentia, vt diffidat de eius auxilio, vrgente indigentia, hic incredulus, ac rebellis cenſendus eſt. Abulenſis quæſt. 4. *Quia experti fuerant immenſam Dei clementiam, debebant confidere, quod non deficeret in neceſſitatibus ſuis. Et ob hoc ſi aliquando non immediatè prouideret illis in neceſſitatibus, debebant æquanimiter tolerare, expectantes certiſſimam prouiſionem. Accidebat autem illis è contrario, quia quidam non credebant, Deum poſſe illis prouidere, quamquam aliquando vidiſſent contrarium. Alij autem, quamquam crederent, Deum poſſe illis prouidere, dubitabant tamen, an prouideret. Et iſti diffidebant immenſæ bonitati Dei, ex quo ſequebatur deſperatio.*

Numer. 20.

Chaldaic. Græcus.

*Qui de diuina prouidentia diffidit, valde incredulus.*

Abulenſ.

*Matth.6.n.33.* Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis,

*Ibid.num.34.* Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum; craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi; ſufficit diei malitia ſua.

*VERSIONES.*

*Arias.* Quærite autem primùm regnum Dei, & iuſtificationem eius, & hæc omnia proponentur vobis.

*Syriacus n. 34.* Ne ſitis igitur anxij de craſtino: nam craſtinus dies curām habebit ſui ipſius; ſufficit diei malum ſuum.

*Codex Victorin.* Craſtinus dies ſolicitus erit de ſe ipſo.

*Pagnin. Vatabl.* Nam craſtinus dies curabit, quæ ſua ſunt; ſufficit ſua diei afflictio.

### Alter Textus.

*Lucæ* 12.*n.* 31. Veruntamen quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis.

## EXPOSITIO.

93. Hactenus docuit Dominus, ſolicitudinem noſtram à rebus temporalibus eſſe depellendam. Nunc verò oſtendit, in qua re ſit conſtituenda, ac collocanda. Et ait: *Quærite primùm*. Et non dixit, vt notat Caiet. Eſtote ſoliciti, ſed *Quærite*. Quia nec etiam circa regnum cœlorum, vult, nos dubiam adhibere curam, ſed ſecuram, vtpote innixam fidei, ac ſpei infallibili. *Primùm*. Hoc aduerbium non eſt accipiendum cum Lyrano relatiuè ad ſecundum; ac ſi dicat: Quærite primùm regnum Dei, & ſecundo loco temporalia, ſed ita eſt explicandum abſolutè cum Chryſoſtomo, Gloſſa, Alberto Magno. *Primùm*, id eſt, ante omnia, ac ſuper omnia, omni cura, labore, ac æſtimatione. *Regnum Dei*, hoc eſt, æternam vitam, ac felicitatem, quam, vt ait Albertus Magnus, ſuis communicat. Et regnum Dei dicitur; nam iuſtis benefacere, ac eos locupletari cœleſtibus, Regnum Dei eſt. *Et iuſtitiam eius*, ſcilicet Dei, Græcè enim eſt maſculinum. Et *iuſtitia* hîc denotat media, ſcilicet virtutes, ac opera, per quæ regnum Dei comparatur; nam qui intendit finem, debet & eligere media proportionata ad illum.

Caiet. Lyran. Chryſoſt. Gloſſ. Albert.Mag.

*Deus habet pro regno, benefacere.* Græcus.

94. *Et hæc omnia*, ſcilicet quæ neceſſaria ſunt ad vitam humanam, *adiicientur vobis*. Non dixit, vt notat Chryſoſtomus *homil.* 23. dabuntur, quia nihil ſunt, vt etiam ait Hugo; ſed inquit, *adiicientur*, ſeu, vt legunt Græci Codices, & Auguſtinus, & Cyprianus, *apponentur*, tanquam appendices, ac quid adiectum, & conſequens ad ſpiritualia bona; quia illa temporalia neceſſaria ſunt in hac vita homini mortali, quærenti æterna. Et ideo præter mercedem ſupernæ fœlicitatis hæc minima vobis non deerunt. Et ita Euangelij Prædicatoribus, ac Eccleſiæ operariis Deus omnia neceſſaria ſuppeditat, vt latè comprobat *hoc loco* Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte*. Ex quo perpende, quantum lucratur quærens regnum cœlorum; nam præter illud, habet etiam & temporalia: at, qui terrenis indulget, amittit æterna, & hæc mundana; nam, vtpote caduca, facilè cum vita tranſeunt, & finiuntur.

Chryſoſt. Hugo. Græcus. Auguſt. Cyprian. Auguſt.

85. *Nolite ergo ſoliciti eſſe*. Vt Dominus altiùs ſuam doctrinam in noſtris mentibus ingerat, eam hîc iterum repetit ob magnam eius neceſſitatem; & quia maximè vult à noſtris mentibus euellere omnem ſolicitudinem de temporalibus. Et eſt hîc ſeptimum argumentum; *ſoliciti eſſe in craſtinum*. Per *craſtinum* Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domin.* intelligit temporalia. Auctor Imperfectus *homil.* 16. ſuperflua. Tamen D. Hilarius, S. Hieronymus, Diuus Paſchaſius, Albertus Magnus, & alij futurum tempus interpretantur, quod in Scriptura frequenter per craſtinum ſignificatur. Ioſue 22. numero 24. *Cras dicent filij veſtri filiis noſtris*, id eſt, futuro tempore. *Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſui ipſius*; ſeu, vt legit Syriacus, *curam habebit ſui ipſius*. Et ſenſus eſt: ſinite futuro tempori curam, & ſolicitudinem ſui ipſius. Vt quid tot anxietatibus opprimitur mens veſtra? Vt quid onera oneribus, cogitationes cogitationibus adhibetis? Separate, & diuidite ipſa onera, ait ſapientiſſimus, & pius Pater, & vnicuique tempori ſua ſolicitudo aptetur, hodierno hodierna, craſtino craſtina. Et ita ipſa ſolicitudo diſtincta, ac diuiſa in partes, leuior eſt, portatuque facilior; nam diuiſus labor ſuauior eſt oneri. Deinde, vt ait Chryſoſtomus, *Nequaquam vlterioris diei cura te conterat, cuius enim diei ſpatium te viſurum neſcis, quam ob cauſam illius ſolicitudine torqueris?* Aduertit autem Diuus Hieronymus, quòd, dum Dominus hîc dixit, *in craſtinum*, de præſentibus conceſſit, debere eſſe ſolicitos, qui futura prohibet cogitare. Sed, vt iam dixi, Dominus prohibet omnem nimiam, ac ſuperfluam ſolicitationem, ſiue hodiernam, ſiue futuram, de quo q. *vltima*.

Auguſt. Imperfect. Hilar. Hieron. Paſchaſ. Albert.Mag. Ioſue 22. Syriacus.

*Labor, vt ſuauis, per multos diuidendus.* Chryſoſt. Hieron.

96. *Sufficit enim diei malitia ſua*, ſeu, vt alij legunt, *afflictio ſua*, id eſt, cura, ſeu ſolicitudo diei. Hoc eſt, vt clariùs dicam, vnuſquiſque dies ſuam habet malitiam, id eſt, ſuum laborem, ſuamque ſolicitudinem de victu quærendo; cur ergo illam vultis augere cum cogitationibus de futuro tempore, ſat eſt vnicuique diei ſuus labor, ſuaque cura. Quod eleganter ait Chryſoſtomus homil. 23. *Si enim hodie cures de craſtino, & rurſus craſtino ipſo die cures, nónne ſuperfluo, ac nimio temetipſum deprimes onere curarum? Cur cogis diem pluſquam ipſe ſortitus eſt, afflictionis accipere, & ſupra proprios eius labores, etiam ſequentis diei pondus ei imponis. Labor* autem, quem vnuſquiſque dies ſecum affert, vocatur à Domini *malitia*, quia huiuſmodi labor prouenit ex pœna, quæ nos comprehendit ex malitia noſtri peccati. D. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domino cap. 17. *Neceſſitatem vocat malitiam, quia pœnalis eſt nobis: pertinet enim ad mortalitatem, quam peccando meruimus.*

*Solicitudo nõ eſt augenda in hodierno die cum cogitationibus de futuro.* Chryſoſt.

*Cur labor diei dicatur malitia?* Auguſt.

### Quæstio XV.

*Quomodo temporalia dicantur adiicienda quærenti regnum cœlorum, cùm multis Sanctis videantur hæc defuiſſe?*

97. Præsens difficultas in eo ſtat, quod ait hîc Chriſtus D. *Hæc omnia*, ſcilicet neceſſaria ad victum, ac veſtitum, *adjicientur vobis*; cùm multis Sanctis hæc non videantur adiecta, ac data. Ait D. Paulus de Patribus antiquis ad Hebræos 11. numero 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* Imò ipſe Apoſtolus de ſe teſtatur 2. Corinth. 11. numero 27. *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate.* Et tamen quis Paulo regnum Dei quæſiuit ardentiùs, ac vehementiùs?

Hebræos 11. 2. Corint. 11.

98. Ex D. Auguſtino reſpondet D. Thomas, quòd *ſicut medicus aliquando abſtrahit cibum, & potum infirmo, vt curet eum, ſic Dominus, qui habet*

D. Thom.



*prouidere, permittit, hominem pati, vel, vt curetur, (ſi curanda ſunt aliqua,) vel, vt alij exemplum recipiant.* Ex profundo, ac alto conſilio Deus hanc penuriam permittit aliquando in ſuis ſeruis. Primò, ſi aliqua in eis curanda ſunt, his habeant medicamen, ac purgentur. Secundò ob exemplum aliorum, vt in talibus preſſuris videntes ſeruorum Dei patientiam, etiã in ſimilibus & illi habeant tolerantiam. Tertiò, vt omnibus fiat notum, quòd via ad cælum non eſt per delectationes, & oblectamenta, ſed per abſtinentias, labores, ac ærumnas. Quartò, vt cuncti ſciant, & videant egregia merita ſeruorum Dei, quòd in tanta egeſtate, ac penuria rerum, ſumma conſtantia, ac patientia ſe præbent, vt ita omnibus ſit manifeſtum quanta gloria, ac honore digni ſint. Vide ſuprà *cap.* 10. *n.* 78. 79. & 80.

*Deus labores permittit, vt aliquando, ſi ſunt, curentur defectus.*

*Si merita tua videntur, plauſibiles aliis ſunt tibi collati honores.*

99. Quintò reſpondet Palatius quærens, quiſnam dicatur, cibum habere, qui cum cibo, quem habet, dolet, an qui cum cibo, quo caret, gaudet? Cibus quæritur, vt animus cibo contentus ſit: qui igitur fame contentus eſt, is magis habet, quàm qui cibo contentus eſſe neſcit. Et ita qui regnum cælorum quærit, ſi in aliqua ciborum penuria ſit, tamen quid cibo excellentius, & pretioſius habet, nempe animum quietum, hilarem, & periucundum; & in illa penuria ſummam ſuauitatem, & dulcedinem inuenit. Audi Apoſtolum, quem fame, ſiti, & nuditate confectum proponebas. Ad Philippenſ. 4. num. 12. *Scio & humiliari, & abundare; vbique, & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati; omnia poſſum in eo, qui me confortat.* In quem locum ita Diuus Remigius: *Ait Apoſtolus: Scio humiliari, id eſt, penuriam humiliter ſuſtinere; & ſcio abundare, id eſt, in abundantia temperans eſſe, ne corripiar ab ea; in omnibus doctus ſum & abundare, & penuriam pati, & omnia iſta in eo poſſum implere, qui me confortat, id eſt, in Chriſto, qui mihi poſſibilitatem tribuit.*

Palat.

*Serui Dei in fame, & ſiti miram ſuauitatem habent.*

Philip. 4. Remig.

100. Sextò. Quamuis enim quærentes regnum cælorum, videantur egeſtate, fame, ſiti, ac nuditate vexati, vt ita eorum charitas cũctis pateat; tamen ipſa fame, & ſiti non opprimuntur, ſed Deus, multis, & variis modis, illis alimoniam præbet. Corui deferunt panes parenti Eliæ. Et noſtro inſigni Martyri Angelo in deſerto Angeli cibum miniſtrant. Nec enim eſurire poteſt, qui Chriſtum omnia habentem habet, qui eſt verus panis. Hoc argumentum latè, & multis præclaris rationibus probat Diuus Paulinus Epiſtol. 5. ad Seuerum: *Quid igitur*, ait, *à me famem metuis, ſi fidem habes? Panis tuus tecum eſt; ſi verbo Dei paſceris, non deſiderabis eſcam ventris; Deus enim hunc, & illam deſtruet, dum ſe ædificat in nobis, ſi nos in ipſius charitate fundati conſiſtamus.* Et poſt pauca ſubdit: *Veni ad nos, & ſi potes, aduola. Nihil habemus, niſi Chriſtum; & vide ſi nihil habemus, qui omnia habentem habemus.*

*Qui Chriſtũ habet, omnia habet.* Paulin.

101. Et hoc præclarè confirmat Diuus Cyprianus *tractat. de orat. Domin.* dicens: *Quærentibus regnum, & iuſtitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cùm Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit. Sic Danieli in leonum lacu, iuſſu Regis,incluſo prandium diuinitus procuratur, & inter feras eſurientes, & parcentes homo Dei paſcitur.* Vltima verba maximè ponderanda: *Inter feras eſurientes homo Dei paſcitur.* Tenentur incluſi in carcere Daniel *cap.* 14. *num.* 38. & leones, omnes fame tabeſcentes: Daniel ſub Dei cura; leones verò ſub miniſterio Regis: imò & ipſe Daniel datus erat eis in cibum. Et tamen feræ fame tabeſcunt: homo autem, Dei ſeruus panes, carnes, ac pulmenta habet, ita vt ei nihil deſit, ſed omnia abundè ſuppeditentur.

Cyprian.

*Qui Deum habet, nullius neceſſitate laborat.*

Dan. 14.



### Quæstio VI.

*Quænam ſolicitudo de craſtino hîc prohibeatur à Domino?*

102. Christus hîc abſolutè ait: *Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum*, id eſt, in futurum, vt communis Patrum ſententia interpretatur; & tamen recta prouidentia œconomica dictat, prouiſiones annuas, vel menſtruas frumenti, olei, vini, & aliarum rerum neceſſariarum facere. Quod ſatis multis exemplis comprobatur. Sic laudabiliter fecit Ioſeph in Ægypto *Geneſ.* 41. *numero* 39. & Apoſtoli *Actor.* 11. *numero* 29. Et Salomon, vt diſcamus de futuro ſoliciti eſſe, nos ad formicam mittit, *Prouerb.* 6. *num.* 6. & 30. *numero* 25. Quomodo ergo hîc, ait Chriſtus: *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum?*

103. Reſpondendum eſt cum Diuo Chryſoſtomo *homil.* 23. Diuo Auguſtino *lib. de operibus Monach. cap.* 23. & 24. Diuo Paſchaſio *lib.* 4. Alberto Magno, S. Thoma, & aliis, hîc non prohiberi ſolicitudinem de cibo, & potu, quæ eſt ſecundùm rectam rationem, conuenientem tempori, & occaſioni. Nam dominus dixit: *Reſpicite volatilia cæli*, quæ tamen naturæ inſtinctu quærunt ſibi neceſſaria. Et hoc rectè probant exempla adducta in principio. Intendit ergo Dominus *hîc*, diuellere ſolicitudines de futuro inutiles, nimis anxias, ſuperfluas, ac intempeſtiuas. Quæ tunc dantur, quando in his rebus terrenis quis conſtituit ſuum finem, & diffidit de prouidentia Dei, & talibus cogitationibus impeditur à quærendo regnum Dei, & ipſa temporalia ſupra modum æſtimat. Vnde ait Gloſſa: *Non labor, & prouidentia damnatur, ſed ſolicitudo mentem ſuffocans.* & latè explicat Abulenſis *quæſt.* 189. & 192. Vide ſuprà *quæſt.* 7. & 8.

Chryſoſt. Auguſt. Paſchaſ. Albert.Mag. D. Thom.

*Solicitudo ſuperflua damnatur.* Gloſſa. Abulenſ.

104. Dices: Si Dominus hîc intendit, prohibere ſolam ſolicitudinem ſuperfluam, cur hoc non exprimit? Cur apertè non dicit: Nolite ſuperfluè ſolicitari, ſed tantùm ait abſolutè, *Ne ſoliciti ſitis?* Reſpondendum eſt cum Abulenſi *quæſt.* 188. quòd, ſi Dominus dixiſſet: Nolite ſuperfluè ſoliciti eſſe, cùm homines ſint maximè propenſi ad temporalia, modicum diſtraherentur à ſolicitudine; quia propter naturalem inclinationem putarent, non eſſe ſuperfluum ſibi id, quod deſiderabant. Et ita aptius fuit, prohibere ſolicitudinem abſolutè, quàm exprimere ſuperfluam. Tamen ex modo loquendi Chriſti Domini, ac ex Scriptura apparebat, quòd Dominus non intendebat prohibere omnem ſolicitudinem, ſed ſuperfluam, & immodicam.

Idem.

*Homines ad ſolicitudinẽ rerum valdè propenſi.*

# CAP. XVIII.

## *De proximis non temerè iudicandum.*

*Matth.7.n.1.* Nolite iudicare, vt non iudicemini.

*Ibid.num.2.* In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

### *VERSIONES.*

*D.Aug. lib. 2. de ſer. Dom. cap.18.* Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.

*Euthymius.* Et qua menſura metiemini, remetientur alij vobis.

*Ex radice Græca, & Hebraica.* Qua menſura menſi fueritis, viciſſim metietur vobis, ſeu par pari referetur.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6.n.37.* Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.

*Marc.4.n.4.* In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

## *EXPOSITIO.*

1\. *Qui temerè iudicat, temerè iudicatur.*

NOLITE *iudicare.* Ne iudicetis quemquam temere, & detractoriè: nam de priuatis hominibus eſt ſermo, vt dicam *quæſt.* 2. & non conſtituti ſitis aliorum iudices, ſed ſocij; ne ergo tranſiliatis ordinem veſtrum, vt iudicando, malam de proximis opinionem habeatis. *Vt non iudicemini*, ſeuerè, & temerè etiam. Seuerè à Deo, vt eius exactam, & rigidam ſententiam experiamini; ipſe enim, cùm ſit iuſtus iudex, nihil impunitum relinquit. Et temerè, Dei iudicio permittente in pœnam tuæ temeritatis, vt homines fiant tuæ vitæ cenſores tales, qualis tu extitiſti alienæ. Rectè ait *hîc* Auguſtinus: *Temeritas, qua punis alium, ipſa te puniet: nocet ſemper iniquitas iniuriam facienti.* Maldonatus *hîc* addit: Nolite condemnare, & non condemnabimini: ſed nec noſtra vulgata, nec Græca exemplaria, nec Tertullianus *lib. de patientia*, nec Chryſoſtomus, nec D. Auguſtinus, Hieronymus, Paſchaſius, Euthymius, Theophylactus, Hilarius, Anſelmus hoc habent, ſed tantùm illud legitur in textu *Lucæ 6.num.37.*

Auguſt. Maldon. Tertull. Chryſoſt. Auguſt. Hieron. Paſchaſ. Euthym. Theophyl. Hilar. Anſelm.

2\. *Temerarius temerario iudicio punitur.*

*In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini*; quali enim iudicio vos fueritis in alios, tale & vos ſubibitis: ſi ſeuero, & rigido, tale & vos à Deo reportabitis; ſi temerario, temerarium, & detractorium, ac infamans apud homines inuenietis, *Conuertetur dolor in caput eius*, Pſalm.7.nu.17. *Væ tu, qui prædaris, nonne & tu prædaberis*, Iſai.33. num.1. Si autem aliorum facta beneuolè, & amicabiliter accipias, omnia in bonam partem referendo; etiam beneuolum, de tuis dictis, & factis, iudicium Dei, & hominum excipies. *Et in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Eſt prouerbialis ſententia, menſura pro menſura, par pari relatum ſignificans; quali enim modo, & menſura iudicaueris alios, tali & tu viciſſim iudicaberis, vt proximè eſt explicatum. In quo loco linxerunt canes ſanguinem Naboth, & Iezabel lambent 3.*Regum* 21.*num.*23. Dauid dormiuit cum vxore proximi ſui, ait ei Deus: *Tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius*, 2. Regum 12. numero 11. *Exæquabit gratiam gratiæ*, Zachar.4. num.7. Quando autem hîc dicitur menſura pro menſura, intelligendum, vt obſeruat Franciſcus Lucas, de menſura, non æquali, ſed ſimili; Dei enim cenſura, ſiue ſeueritas, ſiue benignitas, longè noſtram ſuperat.

Pſal.7. Iſai.33. *Iniquus, per quod peccat, punitur.* 2.Reg.12. Zach.4.

---

### QVÆSTIO I.

#### *De connexione huius ſententiæ cum ſuperioribus.*

3\. PROSEQVITVR Dominus ſuum admirabilem ſermonem in monte. Et quantum ad connexionem horum verborum cum ſuperioribus, Imperfectus *hom.*17. exiſtimat, quod hæc conſequenter fuerint dicta ad orationem Dominicam: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Qui enim non iudicat proximum propter peccatum commiſſum in ipſum, ſed dimittit, etiam Deus non iudicat eum ad damnationem, ſed dimittit eius debitum. D. Auguſtinus verò *lib.2. de ſermone Domini in monte cap.* 17. in fine ſuperioris capitis ait, Prohibuit Dominus ſolicitudinem temporalium. Admonet ergo hîc, vt temporalia contemnentes, ne iudicent malè de quærentibus; nam illa bono, vel malo fine quæri poſſunt; & de proximis, quantum fieri poteſt, ſemper præſumatur bonum. Sic ait Paulus Rom.8.n.3. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Tertiò Abulenſis ait, quòd in antecedentibus Chriſtus ordinauit nos, dirigendo in Deum affectionem noſtram; hic verò regulat affectum noſtrum ergo proximum. Alium modum explicandi hanc connexionem ex D. Hilario apponam *quæſt. ſequenti*, quamuis hæc probabiliter ſint dicta.

Imperfect. Auguſt. *Qui probus ſe exiſtimat, de aliis malum non iudicet.* Rom.8. Abulenſ.

4\. Tamen obſeruandum eſt cum Recentioribus Ianſenio, Maldonato, Beaulxame, Barrada. In omnibus non ſemper debemus eſſe ſolicitos in connexione rerum cum ſuperioribus; ſiquidem in concione de diuerſis rebus tractari ſolet, quas omnes non oportet eſſe concatenatas; ab vna enim re ad aliam fit tranſitus omnino diuerſam. Deinde incertum eſt, an ſententiæ prolatæ in concione, eo ordine ab Euangeliſtis referantur, quo à Domino dictæ ſunt. Quemadmodum enim in deſcribendis, rebus & factis ordinem temporis ſæpe non tenent, quo factæ ſunt; ita etiam fortè in concionibus referendis ſeriem verborum, qua eructa ſunt, non retinent. Ex quo primò patet reſponſio ad quandam obiectionem, quam aliqui excitant, teſte Abulenſe *quæſt.*1. Quomodo Matthæus, & Lucas tam diuerſo ordine narrent hunc ſermonem? Sed ad hoc facilior eſt reſponſio, quòd ſunt diuerſi ſermones, diuerſiſque temporibus habiti. Vide *cap.* 10. *quæſt.*1. vt ibi dixi.

Ianſen. Maldon. Beaulxam. Barradas. *Sæpe Euangeliſtæ ordinem temporis non obſeruãt.* Abulenſ.



---

### QVÆSTIO II.

#### *De quo iudicio Dominus hîc loquatur?*

5\. DVPLEX eſt iudicium, vnum publicum, alterum particulare. Certum eſt, quòd Chriſtus Dominus hîc non prohibet publicum iudicium Prælatorum Regis, ac Senatus, quo condemnat reos, & abſoluit innocentes; nam hoc eſt neceſſarium in omni republica. Et Chriſtus Dominus conſtituit ſuos Apoſtolos iudices, *Sicut miſit me viuens Pater, ego mitto vos*, Ioan.20.num.21 Et quodcumque ſolueritis, aut ligaueritis ſuper terram, ſolutum, aut ligatum erit in cælo. Et Petrus iudicat Ananiam, Paulus Corinthium. Quæſtio præſens eſt: de quo iudicio hîc loquatur Dominus?

Ioan.20.

6\. Primò etiam de iudicibus locum interpretantur D. Chryſoſtomus homil.4. *Noli vtique iudicare, hoc eſt, noli effici iudex amarus.* Euſebius Emiſſenus, Hugo, & alij. *A Domino*, ait Euſebius, *iudicandi licentia non aufertur, non iuſtitia prohibetur; ſed temeritas, ambitio, ac crudelitas interdicitur. Tale eſt igitur, ac ſi diceret Dominus: Nolite iudicare ſine miſericordia, vbi miſericordia haberi, ac cuſtodiri poteſt: Nolite præcipites eſſe, expectate, dum ira tranſeat, diu deliberate ſententiam, vt nocentes, & impios condemnetis.* Iudex es conſtitutus: eſto compatiens iudicandis, & reos iudica miſericordia, veritate, ac prudentia, & præcipitatum, celeratumque iudicium deuita. Secundò D. Paulinus *Epiſt.*12. *ad Seuerum*, & Lucifer Caralitan. *lib.*1. *pro S. Athanaſio*, præſentem ſententiam interpretantur de paſtoribus, ac iudicibus, qui auſterè, & ſeuerè ſe habent in ſuos ſubditos, ac in alios; in ſe verò, ac in ſuis toto placido, & quieto animo ſunt, & nil rigoris volunt experiri. Tertiò Rupertus: Nolite iudicare fratrem veſtrum cum odio, ac mala voluntate: nam qui ita iudicat, rigoroſo iudicio iudicabitur. Et his omnibus dicitur: Nolite iudicare tali iudicio, vt ſimili non iudicemini.

Chryſoſt. Euſeb.Emiſſ. Hugo. *Iudicemus proximos cũ miſericordia.* Paulinus. Caralitan. *Prælatus non ſit in alios ſeuerus, & in ſe ſuauis.*

7\. Secundò D. Hilarius *in Matth.* D. Irenæus *lib.4.cap.*49. Abulenſis *quæſt.*1. locum interpretantur de diuinis ſponſionibus, ac promiſſis. Dixerat Dominus in fine ſuperioris capitis: *Nolite ſoliciti eſſe, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis*; quia verò interdum videmus, aliquos homines penuriam pati, fame, ac ſiti vexari; ne tunc quis dicat: Ecce quomodo Deus non adimplet promiſſa ſua; hoc tamen iudicium Deus vetat, quia nos non poſſumus capere. cur Deus ſingula faciat, & ſic non poſſumus intelligere, quando, vel quomodo promiſſiones ſuas obſeruet, nec poſſumus apprehendere inueſtigabiles vias eius.

Hilar. Irenæus. Abulenſ. *De diſpoſitionibus diuinis non iudicandum.*

8\. Tertiò D. Hieronymus *hoc loco.* D. Chryſoſtomus *homil.*24. qui ait. *Hîc generaliter peccata omnia non prohibuit iudicari: ſed his profectò ſolis, qui, cùm flagitiis abundent innumeris, alios de leuiſſimis quibuſque delictis tota temeritate condemnant.* Et Euthymius: *Monet*, ſcilicet Dominus, *ne qui propria debent inſpicere, ac ſeipſos diiudicare, inſpiciant aliena, ac diiudicent alios.* Arguuntur illi, qui, cum multis criminibus ſint implicati, ſua delicta non vident, vt ſeipſos iudicent, ſed alios acriter, & amarè, etiam de leuioribus condemnant. Et ita ait infrà: *Qui vides feſtucam*, &c.

Hieron. Chryſoſt. Euthym. *Obiurgãtur, qui cũ multa peccata habeãt, alios arguunt.*

9\. Quintò. Eſt probabilior, & verior ſententia. quam tradunt D. Baſilius *in reg. breuior. reſp.*194. D. Auguſtinus *lib.*2. *de ſermone Domini in monte cap.*17. *& ſermone* 102. *de tempore.* D. Ambroſius *in cap.6. Luc. & ſermone* 20. *in Pſalm.*118. D. Paſchaſius *lib.4. in Matth. hîc* Beda, D. Anſelmus, Albertus Magnus, S. Thomas 2.2.*quæſt.*60. Qui omnes præſentem ſententiam de iudicio temerario interpretantur. Et ita hac doctrina inſtruimur, vt ea facta, quæ dubia videntur, in meliorem partem accipiamus. Et in hunc ſenſum explicant ea verba: *Qui vides feſtucam in oculo fratris tui.* Sunt enim multi, qui aliorum minima vident, & tanquam magna iudicant; cùm aliorum opera debeamus inſpicere pio, & beneuolo oculo, & non maleuolo, inimicóque animo. Vnde pulchrè dixit D. Chryſoſtomus: *Væ autem etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.*

Baſil. Auguſt. Ambroſ. Paſchaſ. Beda. Anſelm. Albert.Mag. D.Thom. *Vita hominis beneuolo animo diſcutienda.* Chryſoſt.

10\. Optimè tamen aduertit D. Auguſtinus *lib.2. de ſermone Domini*, quòd prohibemur, de aliis iudicare, quando facta ſunt dubia; non verò quando opera ſunt manifeſta, ſigna clara & nota. Et ita dixit Chriſtus Dominus infrà in hoc cap.7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*; quod, ait Auguſtinus, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri; ſicut ſunt ſtupra, vel furta, vel ebrietas, & alia ſimilia, quæ ſunt materia correctionis fraternæ, quæ hîc non prohibetur, vt notat D. Irenæus *lib.4.cap.*49. Correctio autem fraterna eſſe non poteſt ſine præuio iudicio.

Auguſt. *De apertis factis ferri poteſt iudicium.* Irenæus.

11\. Huiuſmodi mala ſuſpicio, ac temerarium iudicium maximè fugiendum eſt; fomentum enim eſt odij & charitatis, ac amicitiæ venenum. D. Bonauentura ſtimulo amoris cap. 10. *Eſt*, ait, *hæc mala ſuſpicio occulta peſtis, ſed grauiſſima, qua Deum fugat, & fraternam lacerat charitatem* Pro confirmando hoc argumento multa præclarè D. Auguſtinus *ſerm.*102. *de tempore.* Et communiter Doctores ad illa verba Pauli Rom. 14. num.4. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum.*

Bonauent. *Mala ſuſpicio, venenum charitatis.* Auguſt. Rom.14.

12\. Poſtquam prouidus Paterfamilias ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, inimicus homo ſuperſeminauit zizania, quod videntes ſerui dicunt Domino: *Vis imus, & colligimus ea?* Quibus ille ait: *Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum: ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*, Matth.13.num.28. Iniectum eſt malum in medio tritici; & tamen bonus pater non vult, vt euellatur. Quomodo cohæret hæc ſententia cum illa Apoſtoli 1. Corinth.5. n.13. *Auferte malum ex vobis?* Optimè ſanè omnia

Matth.13. 1.Cor.5.

*In dubiis proximorum factis abſtinendum iudiciũ.*

conueniunt. Nam Apoſtolus loquitur de manifeſtis criminibus, de quibus licitum eſt iudicare: Chriſtus Dominus autem de dubiis ; nam zizania, quandiu herba, magnam ſimilitudinem habet cum tritico. Quod præclarè explicat D. Paſchaſius lib.7. in Matth. (Paſchaſ.) *Illud Apoſtoli*, ait, *Auferte malum ex vobis, huic loco contrarium ſonare videtur; ſed aliud eſt, de manifeſtis, apertiſque criminibus iudicare in Eccleſia, aliud, de his, quæ adhuc quaſi in herba latent: nam zizania, antequam in culmum veniant, dum in herba ſunt, tanta ſimilitudo in eis eſt, vt diſcerni vix, aut nunquam poſſit; & ideo Dominus, Sinite, inquit, vſque ad meſſem, quoniam poteſt fieri, quòd hodie zizania videtur, cras triticum fiat, & quod ad præſens apparet triticum, in futuro vertatur in lolium, dum aliud protenditur in ſpecie, & aliud miniſtratur in flore.*

## QVÆSTIO III.

### *De quo iudicio, ac menſura intelligenda ſit præſens ſententia?*

13. Oreſieſis. SANCTVS Oreſieſis de inſtitut. Monach. *Quæ eſt iſta iuſtitia*, ait, *vt fratres labore affligamus, & ipſi otio vacemus; aut imponamus eis iugum, quod ipſi ferre non poſſumus. Legimus in Euangelio: Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis; vnde & laborem, & refrigeria cum ipſis habeamus communia; & ne diſcipulos ſeruos putemus, & illorum tribulatio ſit noſtra lætitia.* Præſentem ſententiam Prælatis dictam intelligit, quòd illo iudicio, ac menſura, qua ſuos ſubditos tractauerint, talem menſuram, & iudicium apud Deum inuenient. Quod exiſtimat dictum ad reprimendam inſolentiam multorum Prælatorum, qui ſuos ſubditos, non filios, ſed ſeruos reputant.

*Prælati agãt cum ſubditis, non vt cum ſeruis.*

14. Auguſt. Beda. Secundò D. Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Domini cap.* 17. Beda, ſic hanc ſententiam explicant, ipſummet noſtrum iudicium temerarium, ac iniuſtum, quos alios iudicamus, de nobis eſſe iudicaturum, id eſt, cauſam futuram, vt de nobis iudicetur. Tertiò D. Chryſoſtomus *homil.* 24. quòd, (Chryſoſt. Rom. 2.) qui aliena facta aut dicta iudicat, propria ſua, ſi ſimilia faciat, aut dicat, eo ipſo iudicat, à Deoque ſuo proprio iudicio iudicabitur. Quod dixit Paulus Rom. 2. num. 1. *Inexcuſabilis es, ô homo, omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas.* Vnde aduertant illi, qui ita temerariè iudicant, quòd in manibus eorum ponitur, quid eis ſit euenturum; ac proinde ſupplicia ſuis proximè adiudicata ipſi patienter ſuſtineant Quod eleganter dixit Chryſoſtomus citatus: *Vt diligentius*, ait, *peccata examinentur tua, legem primus ipſe poſuiſti, ſeuerius de his, quæ proximus peccauerat, iudicando. Ne igitur graue eſſe crediderꝭ, ſi talia ſuſtineas etiam ipſius ſupplicia.*

*In eo, quo quis alterum iudicat, ſe ipſũ iudicat.* Chryſoſt.

15. *Vera ſententia.* Quarta, & vera ſententia, quam ſecutus ſum in expoſitione, quòd eo modo, quo quis iudicat ſuum proximum, & ipſe iudicabitur, & tale iudicium ipſe inueniet apud Deum, & homines, vt ſatis in expoſitione explicaui. Apud Deum infallibiliter, cùm ipſe ſit vniuerſalis omnium iudex. Apud homines verò, ordinariè loquendo, Deo ſic permittente. Et quamuis hoc ſecundum, vt aduerti, vtplurimum ſit verum, nõn tamen ſemper. Nam Chriſtus, Apoſtoli, ac Domini diſcipuli neminem malignè, ac temerè iudicarunt; & tamen iniuſtè, & peruerſè à Iudæis, à Diaboli miniſtris iudicati, ac damnati ſunt. Econtra aliquando fieri poteſt, vt aduertit Toletus *in cap. 6. Luc. annotat.* 67. (Tolet.) quòd ille, qui alios iudicat, non iudicetur in hoc mundo ab aliis hominibus, vt confirmari poteſt multis exemplis de illis, qui opinione ſanctitatis deceſſerunt, quod Deus ob occulta arcana ſuæ ſapientiæ aliquando permittit. Sed hi incidunt infallibiliter in manus iudicij Dei viuentis, vt iuſta menſura, ſuis delictis proportionata, pœnam recipiant.

## QVÆSTIO IV.

### *Quomodo inferni pœna ſit ad menſuram pro iudicio temerario?*

DVBITANT D. Auguſtinus *lib. 1. de ciuitate Dei cap.* 11. D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Albertus Magnus, D. Thomas, Abulenſis *quæſt.* 3. & alij. 16. (Auguſt. Paſchaſ. Albert. Mag. S. Thom. Abulenſ.) Verbis Auguſtini proximè citato loco dicam: *Dicunt aliqui, quomodo verum eſt, quod ait Chriſtus: In qua menſura menſi fueritis remetietur vobis: ſi temporale peccatum ſupplicio punitur æterno.* Temeraria, & iniurioſa ſuſpicio de proximi crimine, breuis, & temporalis eſt; at pœna inflicta à Deo eſt æterna, & nullo durationis termino circunſcripta. Quomodo ergo menſura eſt æqualis? Reſpondetur cum D. Auguſtino *citato loco.* D. Gregorio 4. *Dialogorum cap.* 44. D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 87. *art.* 3. & etiam hoc loco *in Matth.* & optimè explicat N. Petrus Cornejo *tom. 1. tract. 6. quæſt.* 18. *diſp.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. (Auguſt. Gregor. S. Thom. Cornejo.) quòd peccator, dum mortaliter delinquit, auertit ſe à Deo infinito bono: ergo, ait D. Thomas, infinitè puniri debet. Deinde, quia, ipſum peccatum ingerit maculam, quæ quantum eſt ex natura ſua, irremiſſibilis perſiſtit: ergo inducit reatum pœnæ æternæ. Alias rationes tradunt Theologi *ad citatum locum* 1. 2.

*Germana ſolutio.*

17. Illud hîc peculiariter eſt aduertendum, quòd, dum Chriſtus Dominus egit de temerario iudicio, facit mentionem de menſura æquali: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Et moraliter explico locum. Quomodo æterna damnatio gehennalis ignis eſt æqualis menſura vni prauæ temporali ſuſpicioni? Inferno nil durius, nil acerbius, ac ignominioſius; quomodo menſura ad menſuram? Ingenioſo viro fortè tam rigidum tormentum, tam ignominioſa queres ac gehennalis flamma, iniurioſa ſui ſuſpicio, infamiáque ſui nominis deuagata, qua maximè torquetur, ac dedecoratur, vt qui eam intulit, pro æquali menſura, æternas inferni pœnas, ac probroſam eius damnationem ſuſcipiat, atque ſuſtineat.

*Mala ſuſpicio, æquale tormentum, ac infernus.*

18. Temeraria præſumptione, malignaque audacia Core, Dathan, & Abiron ſe erexerunt contra Moyſem, & Aaron, affirmantes, quòd ipſi ſe volebant eleuare, ac ſublimare ob ſuam ambitionem vt latè ponderant Lyranus, Abulenſis, Lorinus, (Lorin. Abulenſ. Lyranus.) ſuper populum Dei; & quod cùm non eſſent electi à Deo, ſe principes, & duces populi conſti



conſtituebant. Quod audiens Moyſes cecidit pronus in faciem ſuam, & clamat ad Dominum; ex cuius mandato denunciat iſtis ſeductoribus (Num. 16.) terribilem, horrendúmque interitum. *In hoc ſcietis ait, quòd Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa, quæ cernitis; ſi conſueta hominum morte interierint, non miſit me Dominus: ſin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum, ſcietis, quòd blaſphemauerint Dominum*, Numer. 16. num. 30. Et ita factum eſt, vt viui deſcenderint in infernum. Sed cur tam noua pœna, nunquam antea audita, perimuntur? Cur non gladio, vt idololatræ vitulum adorantes? Vel in patibulo, vel igne deuorante, ſeu ignitis ſerpentibus, vt aliis delinquentibus contigit: ſed confeſtim viui ad infernum deſcendunt? Tam dura, ac acerba extiterat moleſtia, atque afflictio, quam ſua temeraria detractione, ac maligna præſumptione intulerant Moyſi, & Aaroni, vt ad menſuram alia pœna ſoluenda non eſſet, niſi gehennali flamma, ac ignominioſo æternæ damnationi ad infernum deſcenſu. D. Iſidorus, (Iſidor.) *Ob temeritatis audaciam, terræ compagibus ruptis, viuentes abſorbentur, nec tantùm duces, ſed omnes complices, & fautores æterno igne præparata vltione peribunt.*

*Iudicium temerarium velut infernus torquet probum.*

19. Iob 14. Obnixè Iob poſtulat à Domino: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei*, Iob 14. n. 13 Sed cur ſanctus Iob inferni eligit locum, vt ipſum poſtulet, *donec pertranſeat furor*, ſeu ira Domini? Reſpondebat ſanctus Patriarcha Sophat Naamathites, qui de eo, tamquam peccatore, ac multis criminibus obſtricto opinionem conceperat: (Iob 11.) Et ita ei dixerat: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia; tunc leuare poteris faciem tuam*, cap. 11. num. 14. Et ſanctiſſimus Patriarcha, conſcius ſuæ puritatis, ac innocentiæ, hoc probroſo iudicio, ac ignominioſa opinione ita afflictus cruciabatur, vt potius eligeret inferni clauſtra, quàm inter hæc ignominioſa iudicia degere, & ita poſtulabat, etiam in inferno abſcondi, donec pertranſiret furor, & ira Domini, quandiu diſpoſitum erat, quòd illa mala ſuſtineret. Gloſſa, Græca, & S. Odonius. (Gloſſa. Odonius.) Donec pertranſeat furor tuus, quoad ſupplicia, mala, ac ignominias, quibus viuentes demerguntur.

*Maximè affligitur iuſtus ſuſpicione ſui mala.*

| | |
|---|---|
| *Matth. 7. n. 3.* | Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? |
| *Ibid. num. 4.* | Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine, eiiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo. |
| *Ibid. num. 5.* | Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo; & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. |

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Euthymius.* | Quid autem inſpicis feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ eſt in oculo tuo, non conſideras. |
| *Radix Græca.* | Quid autem curioſè à lynceis oculis intueris feſtucam in oculo fratris, & trabem in tuo non animaduertis. |
| *Vatablus.* | Cur autem vides feſtucam. |
| *Syriacus n. 5.* | Acceptor vultus, perſonate, educito primùm trabem de oculo tuo; & tunc perſpicies ad educendam feſtucam de oculo fratris. |

ALTER TEXTVS.

| | |
|---|---|
| *Lucæ 6. n. 41.* | Quid autem vides feſtucam in oculo fratris; trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras. |
| *Ibid. num. 42.* | Aut quomodo poteſt dicere fratri tuo; Frater, ſine, eiiciam feſtucam de oculo tuo; ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo; & tunc perſpicies, vt educas feſtucam de oculo fratris tui. |

## *EXPOSITIO.*

EX temerario iudicio ſæpe oritur illicita correctio. 20. Et ideo ſicut Dominus, vt notat Hugo, (Hugo.) ab omnibus excludit iudicium temerarium; ſic etiam ab omnibus remouet illicitam correptionem. Illicita autem eſt correptio, quando non fit amore iuſtitiæ, ſed odio, ac ſimulatione, vt iuſtus videatur, qui corripit malum, vt quando quis in grauibus peccatis detentus corripit in proximo leuiora. Talis iniquus, ait Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 18. (Chryſoſt.) *Quomodo fratri tuo dicis, id eſt; quo propoſito, putas ex charitate cordis dicis, vt ſalues proximum tuum? Non, ſed vt te ſimules iuſtum. Si autem vere ex charitate cordis argueres proximum tuum, vt ſaluares, te ipſum ante ſaluares. Nunquid poſſibile eſt, vt beneuolentior ſis alteri, quàm tibi? Vt quid, cùm te ipſum nolis ſaluare, alterum velis? Omnis ergo Doctor, qui alterum in qualicumque reprehendit delicto, & ipſe, in eodem conſtitutus, non ſe priùs expurgat;*

*Arguitur doctor peccã, qui alios reprehendit.*

*purgat ; certum eſt , quia alloquens in Eccleſia , non alios vult ſaluare , ſed per bonam doctrinam malos actus ſuos celare.*

21. *Quid vides.* Illa particula *quid* , per modum interrogationis cur , quare , quod magnam habet emphaſim , id eſt , ad quid fruſtrà , & incaſſum , ac ſine vllo fructu *vides* curioſè , ac lynceis oculis ; & vides per iudicium , ac intentionem, vt explicat Albertus Magnus, *feſtucam* minimam ligni , ſeu paleæ particulam, *in oculo fratris tui* , ad exaggerandum crimen ; nam iſte talis per odium videt feſtucam, vt aduertunt Chryſoſtomus *homil.* 24. D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſermone Domini cap.* 2. in oculo illius, quem , vt frater, debebat diligere. Et totus hic ſermo eſt parabolicus. Feſtuca ſignificat leuiora peccata ; trabs autem grauiora , & maiora. Et eſt communis ſententia , & explicant D. Auguſtinus, & Chryſoſtomus *citati*. D. Hilarius *can.* 7. D. Hieronymus, D. Paſchaſius *lib.* 4. D. Gregorius 3. *Paſtoral. c.* 10. & alij.

Albert.Mag. Chryſoſt. Auguſt. *Sermo parabolicus.* Auguſt. Chryſoſt. Hilar. Hieron. Paſchaſ. Gregor.

22. *Aut quomodo*, id eſt, qua fronte, & ſine rubore. Lucas verò habet : *Quomodo potes dicere* ; ac ſi ſignificet : Qui eſt in peccato, non poteſt dicere, nec alium arguere ? *Sine , eiiciam feſtucam de oculo*, &c. Si enim tu totus es in peccato, quomodo potes alium emendare. Quomodo poteſtis loqui bona, cùm ſitis mali. *Hypocrita.* Hypocritas vocat , eo quòd alios corripiendo , immunes à peccato volunt videri , cùm re vera ipſi toti ſint in peccatis putrefacti. Chryſoſtomus homil. 24. *Liquet omnino* , ait , *quòd fratrem ipſe odio iudices , non ſtudio diſciplinæ : nec emendare illum cupias, ſed notare. Eiice primùm trabem* , hoc eſt, corrige priùs in te grauiora ſcelera. *Et tunc videbis* , quia antea nube, & caligine peccati cæcus eras. *Eiicere* , hoc eſt ad eiiciendum *feſtucam de oculo fratris.* Interlinealis : *Non enim eſt priùs idoneus doctor aliis mederi , niſi priùs ſe ſanauerit. Medice cura te ipſum* , Luc. 4. num. 23. Et D. Hilarius loco allegato : *Ex natura rerum eſt*, ait , *non prius aliquem purgandi de oculo fratris idoneum effici poſſe doctorem : quàm de mentis ſuæ lumine crimen grauantis perfidiæ eiecerit.*

Chryſoſt. Interlin. Luc. 4. Hilar.

## Qvæstio V.

### *Quomodo trabs poſſit eſſe in oculo, & ipſe cum ea videre ?*

23. Palat. *Prima difficultas.*

DVo breuiter hîc inquiro. Et primò. Meritò dubitat Palatius : Quomodo dicatur trabs in oculo , nam trabs ſuper humeros poni frequens eſt ; at in oculo valde mirum , nam oculus , cùm ſit exiguus , trabis, quæ eſt res grandis , & grauis , non poterit eſſe capax ? De ſenſu litterali plana eſt intelligentia: nam ſermo eſt parabolicus , vt iam dixi *in expoſitione.* Moraliter rem expendo. Et primò. Per *trabem* hîc ſignificatur peccatum mortale , quod eſt in anima : rectè ergo dicitur , trabem eſſe in oculo ; quia tam incapax eſt oculus trabis, quàm anima peccati mortalis ; & tantum grauat peccatum mortale animam , ac ſi ingens trabs eſſet poſita ſuper oculum , rem tenuem , & exiguam. Tamen malitia humana totum hunc tranſuertit ordinem , vt ingentia , ac ponderoſa peccata recondat in anima. Pſalm. 37. num. 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum* , id eſt, mentem meam. *Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*

*Anima maximè grauatur peccatis.* *Malitia humana vald præpotens ad peccandum.* Pſalm. 37.

24. Secundò. Dum peccatum comparatur trabi, ac feſtucæ , demonſtratur , quam impatiens illius eſſe debeat anima noſtra. Nam , cùm oculus ſit res tenerrima , minutiſſima re læditur ; eaque adeò affligitur , vt in lachrymas ſe diffundat, quoad vſque à ſe ipſam feſtucam proiiciat, atque dimittat ; ita anima in ſe non debet etiam minutiſſimum ſufferre peccatum , ſed in lachrymas prorumpere quoadusque ipſum à ſe dimittat , atque mundetur ab illo.

*Anima prorumpat in lachrymas ad excludendũ peccatũ.*

25. Inquiro ſecundò cum Abulenſi *quæſt.* 5. Quomodo habens trabem in oculo poſſit videre feſtucam in oculo alterius , nam trabs oculum occupat , & excæcat , vt paruam feſtucam videre nequeat ; nam ad hanc perſpiciendam acutiſſimus , & valde perſpicax requiritur viſus ? Reſpondet ipſe Abulenſis , quòd non poteſt videre ad arguendum iuſtè , quandiu trabem in oculo habet ; &, ſi arguit , iniuſtè facit. Reſpondeo ſecundò, quòd iſte, qui, cum trabe in oculo, videt feſtucam in oculo fratris ſui , videt propter odium , ac malam voluntatem , quam habet in proximum : & adeò præpotens eſt odium , vt etiam ingentem trabem , ac magna impedimenta prorumpat , & penetret , vt aliorum defectus deprehendat, vt ita valeat notare, anſamque habere ad detrahendum , ac obmurmurandum. Et maximè ad hunc ſenſum facit , quod in textu dicitur : *Qui vides feſtucam in oculo fratris.* In radice Græca hanc reddit vim : *Qui vides curioſè, ac lynceis oculis.*

Abulenſ. *Inimicus valde præpotens, & acutus ad videndum defectus.*

26. Ait Sapiens Eccleſiaſtic. 10. num. 20. *In cogitatione tua Regi ne detrahas , & in ſecreto cubiculi tui ne maledicas diuiti , quia aues cæli portabunt vocem tuam,* Sed quæ ſunt aues iſtæ , quas ea etiam , quæ dicuntur in abdito tuæ cogitationis , ac intimo cubili tuo, non latent , vt ea audiant , percipiant , ac Regi deferant , vt tibi noceant ? Bene poſſunt interpretari garruli inimici ; nam etiam, Hugone, & Carthuſiano teſtibus, per aues , ac volucres cæli ob ſuam velocitatem intelliguntur & Dæmones , *Matth.* 13. *num.* 4. & *Luc.* 8. *num.* 5. Inimicorum ſagacitas , etiam maximè abdita , & abſcondita penetrat , vt tuos defectus deprehendat , indeque in te inſultare valeat.

Eccleſ. 10. Hugo. Carthuſ. *Inimicus omnia penetrat , vt te detrahere valeat.*

*Matth. 7. n. 6.* Nolite ſanctum dare canibus : neque mittatis margaritas veſtras ante porcos , ne fortè conculcent eas pedibus ſuis , & conuerſi dirumpant vos.

### *VERSIONES.*

*Vatablus.* Ne dederitis , quod ſanctum eſt, canibus.

*Syriacus.* Et conuerſi dilacerent vos.

*Radix*



*Radix Græca.* Et conuerſi laniant.

*Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 5.* Nolite margaritas veſtras porcis iactare , ne conculcent eas , & conuerſi vos quoque euertant.

### *EXPOSITIO.*

27. *Connexio textus præſentis.*

IN ſuperiori doctrina docuit Dominus , quòd temerè non erat de proximo malum iudicandum. Poterat facile quis putare : Si non debeo leuiter malum in corde meo de proximo opinari ; ergo generaliter omnia bona omnibus hominibus ſunt largienda, & danda , candida ſimplicitate præcipit Dominus diuinus Magiſter. Vult tamen in ſuis miniſtris magnam prudentiam , vt hominibus prophanis , ac publicis peccatoribus ſacra myſteria non proſtituantur. Nam quando peccata ſunt publica , licitum eſt , de eis diiudicare, vt ſuprà dixi *num.* 10. Deinde priùs Dominus egit de cautela habenda in non iudicando temerè de proximo ; ſecundo loco de cautela retidenda, vt ſua ſacra non aperiantur, nec euulgentur mundanis , vt ita maximè commendaret charitatem fraternam, ne proximorum honor, ac fama læderetur.

*Honor proximi maximè æſtimandus.*

28. *Nolite ſanctum dare.* Per parabolas loquitur Dominus. Et duo communia prouerbia idem ſignificantia hîc ponit : *Dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Quidam has duas ſententias voluerunt diſtinguere, ita vt per *ſanctum* intelligerent ſacramenta , & per margaritas myſteria diuinæ Scripturæ , ac ſacræ prædicationis. Tamen idem ſignificatum habet ſanctum hîc, ac margaritæ , vt docent D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſermone Domini cap.* 20. & *lib.* 1. *de adulter. coniug. cap.* 27. Gregorius Nazianzenus *orat.* 1. Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Imperfect.* D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Albertus Magnus. Vtrunque enim denotat ſacramenta , ac etiam cæremonias ſacras , & arcana diuinæ Scripturæ, ac cœleſtis doctrinæ. Et ita ait Euthymius : *Sanctum appellauit , vtpote diuinum ; margaritas: propter pretioſa dogmata.* Pſalm. 118. num. 127. *Dilexi eam ſuper aurum , & topazion.* Et , vt ait Chryſoſtomus *citatus*, Margarita eſt id, quod inuenitur in oſtrearum conchis incluſum; & ſignificat myſteria ſacra incluſa in multis rebus viſibilibus; & denotat intellectum ſacrarum Scripturarum , in littera incluſum. Per *canes & porcos* ſimul etiam ſignificantur ij, qui peruerſi, & obſtinati , immedicabili impietate conſiſtunt. Canes dicuntur ob rebellem, oblatrationem; porci propter immunditiam.

Auguſt. Nazianz. Chryſoſt. Paſchaſ. Albert.Mag. Euthym. Pſalm. 118. Chryſoſt.

29. *Ratio ſupradictorum.* *Ne fortè conculcent eas pedibus ſuis.* Suæ ſententiæ rationem reddit Dominus. Illa particula, *ne fortè* , non eſt dubitantis, ſed pro more ponitur , ad indicandam noſtram libertatem. *Conculcent eas*, quia illi, tamquam porci , quorum proprium eſt , pedibus terere , margaritæ pretioſitatem non intelligentes , ſed valde ſtolidi , ac impudentes , diuina myſteria, ac ſacram doctrinam ſuis vitiis contrariam, ſuis appetitibus, tamquam ſuis pedibus calcantes contemnunt. *Et conuerſi dirumpant vos.* Hoc ad canes reducit Caietanus. Ad porcos Barradas. Alij verò, quod mihi videtur probabilius , ad vtroſque. Et facit hunc ſenſum. Et ipſi tamquam canes rabidi , ac etiam vt porci agreſtes , dignitatem ſacræ doctrinæ non percipientes, conuerſi, ſeu verſi, ſeu inſurgentes in vos conuiciis, opprobriis, verbis, ac factis lacerent, ac perſequantur.

Barradas. Caiet.

## Qvæstio VI.

### *Quare Dominus vetet , dare ſancta canibus , & margaritas porcis ?*

30. IDem ſignificare margaritas, ac ſancta, dixi in expoſitione, ſcilicet Sacramenta , ac ſacram doctrinam , quæ omnia Dominus prohibet , dare canibus , & porcis, hoc eſt, obſtinatis, ac impiis hominibus. Et hoc ex triplici fundamento. Primò ob excellentiam ipſarum rerum. Secundò ob malitiam conuenientium. Tertiò propter obligationem ipſorum miniſtrorum.

*Triplex ratio proponitur.*

31. Primò ob nobilitatem ipſarum rerum. Perbellè Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Imperfecto* , ait: *Mandaui vobis , inquit Dominus , diligere inimicos , & benefacere eis de veſtris corporalibus bonis , non tamen de meis ſpiritualibus paſſim : quoniam in natura vobiſcum communes ſunt , non in fide ; & Deus carnalia beneficia dignis , & indignis præſtat, non autem gratias ſpirituales,* Quamquam enim corporalia , quæ ad vitæ alimentum pertinent , omnibus ſint largienda : *Benefacite iis , qui oderunt vos* ; tamen quæ ad ſpiritualem ordinem ſpectant, verbi gratia, Sacramenta, non inimicis communicanda ſunt, ſed, ob eorum excellentiam, domeſticis, ac fidelibus. Deinde vt ait Abulenſis quæſt. 9. *Inhoneſtum eſt , rem honorabilem inutiliter exponi.* Meritò Eſau paterna benedictione priuatur , quia eam paruipendit , quod pretioſiſſimam primogenituram pro exiguo edulio vendiderit, *Geneſ.* 25. *num.* 34.

Chryſoſt. *Temporalia omnibus dãda, ſpiritualia paucis, & dilectis.* Abulenſ. *Pretioſa non paruipendenda.*

32. Secundò ob malitiam conuenientium, ſeu circunſtantium. Nam, vt ait citatus Abulenſis, non ſolùm non proficiunt, ſed etiam ipſas margaritas conculcant pedibus ſuis, ſacra contemnunt, & argumentis, ac calumniis contra ipſa inſurgunt, vt dilacerent fidem ; ac ſuo malo exemplo multis nocent , ipſique ſæpe magis obdureſcunt in nequitia ſua.

Idem. *Qualis homo ad Deum ſe præbet , talis & Deus ipſi.*

33. Tertiò ob ipſos miniſtros. Quia ſi illi ſint inobedientes , ac impij , vt dent ſancta canibus, quid erit ? *Ipſi conuerſi dirumpant vos.* Canes etiam erunt impij in vos, vt ipſos inuadant, dilacerent , ac dirumpant. Qualis enim tu Creatori tuo te exhibueris, tales & omnes creaturas inuenies. Quomodo audet Diabolus tentare mulierem , quam in tanto honore gratiæ , & donorum conditam videbat ? Dixit ei mulier : *De fructu ligni , quod eſt in medio Paradiſi , præcepit nobis Deus , ne comederemus* , Geneſ. 3. num. 3. Vbi ipſa venenoſo ſerpenti, ac immundo porco ſanctum Dei mandatum aperuit , ac dedit ; ſtatim tortuoſus coluber in eam conuerſus in eius pectore ſe inſinuat , & totam mulieris nobilitatem dirumpit, dilacerat , eamque in miſerrimum

peccatum

Chryſoſt.

peccatum detrudit. D. Chryſoſtomus homil. 16. in Geneſ. *Omne*, inquit, *mandatum illi detexit, & margaritas porcis obiecit, impleturque quod à Chriſto dictum eſt: Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent illas pedibus ſuis, & conuerſi vos dirumpant: id, quod hîc factum eſt, appoſuit enim porco, huic malæ beſtiæ, Dæmoni videlicet, qui per ſerpentem operabatur, diuinas margaritas; & non ſolùm illas conculcauit, & dictis ſe oppoſuit; ſed & conuerſus, non ipſam ſolùm, ſed cum ipſa protoplaſtum quoque in morbum inobedientiæ perduxit. Audiant, qui ſine diſcrimine cum omnibus colloquuntur.* Liceat etiam mihi hîc exclamare, & dicere: Audiant, audiant hoc Prælati, & Epiſcopi, ne ad ſacerdotium, ac Sacramenta indignos admittant, vt contra eorum manus clamemus cum Tertulliano lib. de Idololatria cap. 7. *Adlegunt*, inquit, *in ordinem Eccleſiaſticum artifices idolorum. Proh ſcelus! ſemel Iudæi Chriſto manus intulerunt: iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præſcindendæ!*

*Arguuntur Epiſcopi, qui indignos ad ſacerdotium promouent.*

Tertull.

## Qvæstio VII.

### *Quare Dominus prohibuerit, dare Sancta canibus, cùm ipſe, omnibus eſſe prædicandum dixerit?*

34. *Difficultas quæſtionis.*

DOMINVS hoc loco vetat, dare Sanctum canibus, & margaritas porcis. Per *Sanctum*, ac *margaritas*, vel intelliguntur Sacramenta, vel myſteria ſacræ doctrinæ. Et tamen Chriſtus D. qui eſt ipſe Sanctus, & ipſa ſanctitas, ſe dedit in ſacra Euchariſtia Iudæ, à quo, vt à cane, erat lacerandus. Si autem per Sanctum non dandum canibus Euangelium interpretetur, etiam Euangelium canibus dandum eſſe, Dominus dixit: *Ite, docete omnes gentes*, Marc. 16. num. 15. quas canes fuiſſe appellatas hoc loco, bona pars Interpretum tenet, vt dicam *quæſt. ſequenti*. Et ita Dominus dixit Chananææ: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus*, Matth. 15. num. 25. Et planè Euangelium rete nuncupatur, quod mittitur in mare. Vbi nullus delectus habetur, congregat enim rete hoc ex omni genere piſcium.

Marc. 16.

Matth. 15.

35. Chryſoſt.

Reſpondet primò cum Chryſoſtomo homil. 14. *Canes autem*, ait, *hîc ſignificantur homines in impietate viuentes immedicabili, ſpemque omnino conuerſionis in melius non habentes. Porci verò in luto infrænis luxuriæ iugiter commorantes, quos ſanè omnes huiuſmodi doctrinæ pronunciauit indignos*, Prudenti ratione Chriſti miniſtri cuncta diſponant. Si in auditoribus, ac in populo circunfluente fructus ſperatur, ſanctum Dei Euangelium omnibus eſt prædicandum. At ſi nulla ſit vtilitatis ſpes, ab huiuſmodi exhibitione, ac prædicatione abſtineatur. Sic Chriſtus D. dixit ſuis diſcipulis Ioan. 16. num. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*. Sic Paulus, & Timotheus communes magiſtri prohibentur à Spiritu ſancto, prædicare verbum Dei in Aſia, quia auditores erant obſtinati, & non recepturi, *Actor. 16. num. 6.* Sic Paulus, & Barnabas, conſtituti Prædicatores in vniuerſum mundum, dimittunt prædicare Iudæis Antiochenis, quia verbum Dei non recipiebant, ſed Apoſtolos iniuriis, ac opprobriis inſectabantur. Et ita eis dixerunt: *Vobis quidem oportebat primùm prædicare verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*, Actorum 13. num. 46.

*Sine vtilitatis ſpe, laborandum non eſt.*

Ioan. 16.

Actor. 13.

36. Auguſt.

Secundò D. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 20. *Dominus noſter*, ait; *quædam dixiſſe inuenitur, quæ multi, qui aderant, vel reſiſtendo, vel contemnendo non acceperunt; non putandus eſt, Sanctum dediſſe canibus, aut margaritas miſiſſe ante porcos: non enim dedit eis, qui capere non poterant, ſed eis, qui capere poterant, & ſimul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat.* Similiter D. Thomas. *Nónne Chriſtus multa bona dixit infidelibus; & illi dirumpebant verba ſua? Dico, quòd hoc fecit propter bonos, qui cum malis erant, qui inde proficiebant.* Dominus noſter, cùm ſit natura beneficus, & clementiſſimus, propter aſtantes malos non prohibet ſua dona bonis, ſed pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, vt ſuos electos ditet, ac cœleſtibus beneficiis accumulet, vt inde maximè proficiant. Erat valde expediens, vt in vltima Cœna, quando Dominus erat diſceſſurus ad Patrem, vt inſtitueret Euchariſtiæ ſacramentum, omnium myſteriorum maximum, vt tali cœleſti cibo ſuos communiret, quanuis adeſſet perfidus traditor Iudas, cœleſte donum non omittit, nec transfert, ſed etiam ipſi cani rabido, ac porco immundo ſacratiſſimam, ac puriſſimam margaritam præbet, vt eſt communior ſententia. Erat ipſe peccator, ſed occultus; & ſacro edulio ſpecialiter negato, non fuit indicandus, ac publicandus, ne inde fortè etiam mors Chriſti, noſtræ redemptionis pretium, impediretur.

*Boni ob impios cæleſtibus donis non defraudantur.*

S. Thom.

37.

Tertiò. Vt graues Recentiores reſpondent, hanc Chriſti D. doctrinam intelligendam eſſe per ſe: nam per accidens, Chriſtus D. Petrus, Paulus, ac Apoſtoli, & alij Sancti obduratis, ac impiis Iudæis, & infidelibus conſtanter Euangelium prædicarunt, & eorum deperditos mores obiurgarunt, quanuis ſcirent, quòd ab eis morte, & contumeliis erant afficiendi. Hoc tamen præſtiterunt, vt publicum veritati, Deique gloriæ teſtimonium perhiberent, vtque etiam omnibus manifeſta fieret inexcuſabilis impiorum iniquitas, & obſtinatio. *Quid enim vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci.*

*Homines, propter ſuam obdurationem, cæleſtiū donorum redduntur incapaces.*

38. Chryſoſt.

Quartò ait Chryſoſtomus homil. 24. *His enim, qui benigno ſunt animo, atque prudenti, honeſtiſſima apparent, cùm fuerint reuelata; imprudentes verò, ac imperiti magis ea ignorata reuerentur.* Qui amicabili, ac beneuolo ſunt affectu, eis eſt prædicandum; quanto enim magis ſacra eis myſteria proponuntur, ac fiunt cognita, tanto magis ea reuerentur, ac adorant. At verò obſtinatis, & animo obduratis ſacra diuini eloquij non detur margarita, eius enim ignorantia cauti redduntur, vt eam magis timeant, & reuereantur; illius verò cognitione impudentiores, vt tamquam porci eam pedibus ſuis conculcare præſumant.

*In auditoribus bonus adſit affectus, vt verbum percipiatur.*





39. Prouerb. 19.

*Diuina ſapientia clamat: Si quis eſt paruulus, veniat ad me; & inſipientibus locuta eſt*, Prouerb. 19. numero 4. Sed cur Dei infinita ſapientia, cuius veritas eſt infallibilis, & immenſus theſaurus ſuper omnem humanum cogitatum, non quærit potentes mundi, ac primos ſapientes huius ſæculi; ſed paruulos, & inſipientes? Nam illi, vt inflati, & ſua ſuperbia, ac contumacia multùm præſumentes, diuinum verbum contemnent: at iſti, vt humiles, & ſimplices, illud benignè reciperent, ac venerarentur. Ipſa ſapientia ſic reſpondet ibid. numero 7. *Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit.* Ad quæ verba ita ait Beda: *Quaſi interregares, cur ſapientia præ cæteris ad ſuas epulas inuitaſſet paruulos, & inſipientes? Ideo, inquit, feci, quia fruſtrà laborat, qui verbum ſapientiæ inculcare nititur ei, qui audire contemnit, ſapientiorem ſe, doctiorem, & maiorem exiſtere credens.*

*Bonæ affectio in auditoribus.*

Beda.

## Qvæstio VIII.

### *Quid per canes, & porcos ſignificetur hoc loco?*

40. Paſchaſ.
*Quid canes, & porci ſignificent.*
Hieron.
Hilar.

VARIÆ poſſunt eſſe huius rei acceptiones. Nam D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* per *canes* accipit impugnatores veritatis; per *porcos*, contemptores. Secundò. Quidam, vt refert D. Hieronymus *hoc loco*, per *porcos*, infideles; per *canes*, Chriſtianos, qui poſt receptam fidem, ad vomitum reuertuntur. Tertiò D. Hilarius per *canes* interpretatur Gentiles; & per *porcos* hæreticos. Et Chriſtus Dominus ſignificauit, per *canes* Gentiles denotari, vt ſuprà dixi ex Matth. 15. num. 26. *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus.* Verior eſt interpretatio D. Auguſtini *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, c. 20.* D. Chryſoſtomi *homil. 24.* Euthymij, & aliorum. Quòd idem hic ſignificatur per *canes*, & *porcos*, nempe homines obſtinatos, & obduratos in ſua malitia. Eſt enim duplex metaphora, & duplex prouerbium, idem denotans, & ſignificans; quibus etiam vtitur D. Petrus epiſt. 2. cap. 2. n. 22. *Tanquam canis reuerſus ad vomitum ſuum, & tanquam ſus lota in volutabro luti.*

Matth. 15.

Auguſt.
Chryſoſt.
Euthym.

2. Petr. 2.

41. *Multa per canes deuorata.*
Franc. Luc.

*Canes* ſpecialiter ponuntur à Domino in exemplum. Sunt enim valde abominabiles, & à Sanctis, vt notat Franciſcus Lucas, maximè arceri ſoliti, vſque adeò, vt in veteri lege neque pretium canis in domo Dei offerri poſſet, non magis, quàm merces proſtibuli: *Quia*, ait lex, *abominatio eſt vtrunque apud Dominum Deum tuum*, Deuteron. 23. num. 18. Cuius rei multas rationes *ibi* tradunt Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, Hugo, Cornelius à Lapide. Eſt nanque *canis* immundum animal: idque duplici ratione, ſecundùm legem demonſtratur. Quia nec vngulam findit, nec ruminat, *Leuitic. 11. num. 26.* Deinde aliis rationibus hoc comprobatur; quia omnia comedit, etiam putrida, & immunda; ſalaciſſimus eſt, turpiſſimoque libidinis ſpectaculo notatus; inter homines natus, ac educatus, nec ab humana carne abſtinet; aliorum ſanguinis lingẽdi eſt auidiſſimus, eoque maximè recreatur; ſæpiſſimè, & vbique ſuis immunditiis loca deturpat; reſumit vomitum ſuum. Tandem, vt ex Chryſoſtomo *in Imperfecto homil. 17.* notat Albertus Magnus, canis inter omnia animalia hoc habet, quòd vix emittit voces, niſi ad abigendum ſuperuenientes, cùm alia animalia ad hoc non vociferent; quaſi ipſi ſoli velint comedere, degere in loco, ac illum tenere. Meritò ergo arcentur à diuinis canes: nam per ipſos denotantur homines ambitioni, auaritiæ, turpitudini, immunditiæ, ac vitiis dediti.

Deut. 23.

Lyran.
Abulenſ.
Carthuſ.
Hugo.
Cornel.



Imperfect.
Albert. Mag.

*Arcentur à diuinis, qui loca ſibi ſolis volunt.*

42. *Per porcos multa denotantur.*

Porci etiam abominabiles habentur. Eorum carnes prohibitæ erant Iudæis, *Leuitic. 11. numero 7. Deuteron. 14. numero 8.* Porci ſunt valde immundi, in luto ac cœno ſuffodiunt, & volutantur; maximè luxurioſi; inter omnia animantia valde brutales, & indociles, itaut apud Ægyptios eſſet hieroglyphicum, ac ſimulacrum hominis carentis ſenſus, ac intellectus, vt teſtatur Pierius Valerianus *lib. 9.* roſas diſpergit, vt lutum quærat; valde nociui, ſemen, & meſſem ſubuertunt. Vnde porcum Deæ Cereri immolabat Antiquitas menſe Aprili. Hiſpido vultu, dimiſſo dorſo ſemper in terram intendunt, & oculos ad cælum non eleuant, vt ponderat S. Abbas *in vitis Patrum, lib. 6. cap. 1. numero 8.* Tandem aliqui notarunt apud Diuum Polycarpum *epiſt. ad Philipp.* Quòd ſus, cùm comedit, ita vorat, vt non agnoſcat dominum ſuum; quodque, cùm eſurit, grunnitum edat ad dominum. Et ita per porcos ſignificantur homines impuri, voluptatibus dediti, valde indociles in doctrina cœleſti, contemptores diuinorum, terrenorum amatores, qui ſolùm terrena meditantur; valde ingrati, qui ſoli ſuo commodo ſunt intenti.

Pierius.

*Vitæ Patrum lib. 6. cap. 1.*

Polycarp.

*Ingrati, qui dum eis bene eſt, nullos agnoſcunt.*

*Matth. 7. n. 7.* Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. *Ibid. num. 8.* Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur.

### *VERSIONES.*

*D. Fulgentius epiſt. 1. c. 10.* Pulſate, & aperietur vobis, quia veritas eſt, & mentiri non poteſt.

### Alter Textvs.

*Lucæ 11. n. 8.* Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis.

## *EXPOSITIO.*

43. Hilar.
Chryſoſt.
Euthym.
Theophyl.

DIVVS Hilarius *can. 6.* Chryſoſtomus *homil. 24.* Euthymius, Theophylactus ita connectunt hæc verba cum ſuperioribus. Chriſtus in antecedentibus docuerat ea, quæ erant valde difficilia, vt non eſſent ſoliciti de cibo, & potu; vt de proximis non temerè diiudicarent: nunc oſtendit, qua ratione poſſint illa teneri, nempe oratione, ac petitione ad Deum. Multi alij, vt eſt Maldonatus, contendunt, quòd

Maldon.

Euangeliſtæ in referendis Chriſti verbis, ordinem non ſemper obſeruant, vt notaui in principio huius capitis. Et ita hæc verba forſitan poſt orationem Dominicam dicta fuere, vt refert Lucas *citato cap.*11.*n.*8.

44. *Dominus dat nobis ad petendum confidentiam.*

Ait Dominus, vt eſt apud Lucam: *Ego dico vobis*; quod magnam habet energiam; & veluti ſuo verbo interpoſito dat nobis confidentiam petendi, appoſita ſecuritate impetrandi. *Petite, & dabitur.* Non determinat, quid petendum, nec quo loco; quia vbique orandum, & omnia oratione impetrantur. *Dabitur.* Non dicit, ait Caietanus, dabit Deus; ſed *dabitur*, abſolutè, quia, vt inferiùs ipſe Dominus declarat, noſcit Pater cœleſtis, inutile eſſe quandoque dari, quod petimus; & ideo ipſe aliquando non concedit poſtulata. *Quærite*, cum ſedulitate, ne ſitis pigri in rebus veſtræ ſalutis. Tertullianus *lib. aduersùs Hæreticos, cap.*8. notat, quòd Chriſtus hæc verba protulerit in primitiis ſuæ doctrinæ, quando adhuc dubitabatur, an ipſe eſſet Chriſtus; & Petrus adhuc filium Dei non erat confeſſus. *Quærite, & inuenietis.* Qui enim quærit Chriſtum, ipſum inuenit. Non ait, reperietis, ſed *inuenietis*; inter quæ verba hoc eſt diſcrimen, quòd *reperire*, fortunæ; *inuenire* autem, opus conſilij eſt, *Rom.* 10.*num.*20: ex Iſaia 65.num.1. *Inuentus ſum à non quærentibus me*; quæ enim à Deo veniunt, non fortuitò, ſed alto conſilio fiunt. *Pulſate*, quod fit, non ſolùm voce, & clamore, ſed & manibus, id eſt, operibus. Et ita, *Aperietur vobis.*

Caietan. Tertull. Iſai.65. *Quæ à Deo ſunt, ex alto conſilio veniunt.*

45. *Omnis enim, qui petit, accipit.* Plena omni fiducia ſunt hæc verba, prout reſpiciunt homines; & repleta omni miſericordia, prout ad Deum ordinantur. Non enim ait: Quicunque ex Apoſtolis, vel amicis; ſed indiſtinctè & abſolutè; *omnis*, quicunque ſit, ſi poſtulat, vt oportet. Et ait: *Accipit* ſuum poſtulatum. Quod aliter apud homines contingit; nam ſæpe apud eos fruſtrà fundimus preces; vel quia non poſſunt præſtare, quod rogatur; vel quia non volunt. At Deus, qui eſt diues in miſericordia, poteſt, & vult. Et ita ait D. Auguſtinus lib. de ſalutaribus monitis, cap. 28. *Oratio iuſti, clauis eſt cæli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio.* Pro exacta explicatione huius ſententiæ vide *quæſt.* 10. vbi explicabimus, cur Deus noſtris precibus aliquando non abnuit.

Auguſt. *Oratio iuſti, clauis cæli.*

## QVÆSTIO IX.

*Tria verba hic appoſita explicantur.*

46. TRIA verba hîc ponit Euangeliſta maximè notanda. Petite, quærite, pulſate. D. Chryſoſtomus *homil.* 24. & D. Gregorius *lib. 6. indictione* 15. *cap.* 197. ita explicant: Petimus orando, quærimus legendo, ac ſacræ Scripturæ lectioni incumbendo; pulſamus, quod non ſolum fit voce, ſed etiam manibus, id eſt, operibus. D. Remigius. Petimus orando, quærimus rectè viuendo, pulſamus perſeuerando. D. Gregorius etiam, vt refert Abulenſis *quæſt.*12. ita explicat: Petite fide, quærite ſpe, pulſate charitate, his debet eſſe oratio communita, vt ſit efficax. D. Auguſtinus *lib. 2. de ſermon, Domin. in monte cap.* 2. *Petite*, ait, pertinere ad exonerandas vires, quibus præcepta Dei impleamus: *Quærite*, ad inueniendam veritatem: *Pulſate*, ad aperiendum cælum, quod eſt noſtra patria, & poſſeſſio Multò tamen accommodatior explicatio eiuſdem Auguſtini *lib.*1. *Retractat. cap.* 19. D. Chryſoſtomi, Abulenſis *locis citatis.* Toleti *in Lucam*, & aliorum. Quòd hæc tria verba idem ſignificant, ſcilicet orationem inſtantiſſimam, feruore, conſtantia, ac ſtudio plenam, qua à Deo abſque vlla intermiſſione neceſſaria quærimus. Ita ait Auguſtinus citato loco Retractat. *Operosè*, ait, *tria iſta, quòd inter ſe differant, exponendum putaui; ſed longè meliùs ad inſtantiſſimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe oſtendit, vbi eodem verbo cuncta concluſit, dicens: Quanto magis Pater veſter dabit bona petentibus, & quærentibus, & pulſantibus.* Dona enim Dei, cùm ſint valde pretioſa, non vult Dominus, vt nimia inueniendi facilitate vileſcant; & ideo ſedulum, ac ſolicitum negotiatorem requirit.

Chryſoſt. Gregor. Remig. Gregor. Abulenſ. Auguſt. Idem. Chryſoſt. Abulenſ. Tolet. Auguſt.

*Matth.*7.*n.*9. Aut quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei.

*Ibid.num.*10. Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentẽ porriget ei.

*VERSIONES.*

*Vatablus.* An quiſquam eſt ex vobis homo.

*Syriacus.* Sed quis eſt vir ex vobis, &c.

*Alius.* Et ſi piſcem petierit, num colubrum porriget ei.

*Arias.* Nunquid ſerpentem indiet ei.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 11.*n.*10. Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi?

*Ibid.num.* 11. Aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem?

## EXPOSITIO.

47. MAGNAM ſecuritatem accipiendi, & qualitatem rei accipiendæ nobis Dominus hîc declarat, vt notat Caietanus. Et vtrunque nobis aperit, ac manifeſtat ſimilitudine, ac metaphora carnalis parentis, quando filij ab eo petunt panem, vel piſcem, nam, vtpote pater, non poteſt claudere viſcera; & petenti filio panem, pater non dabit lapidem inutilem; nec petenti piſcem dabit ſerpentem noxium. Ex quo duo conſidera. Primò ſecuritatem impetrandi, quia poſtulamus à parente noſtro. Secundò qualitatem rei accipiendæ, *porriget* nempe, id quod eſt vtile, & neceſſarium, vt exprimit metaphora panis, & piſcis. Et ideo Deus aliquando noſtra poſtulata non concedit, quia petimus id quod eſt inutile, & nociuum; & ſi illud nobis dediſſet non præberet panem neceſſarium, & vtilem piſcem, ſed rem inutilem, atque nociuam. Pulchrè autem pani opponit lapidem, & piſci ſerpentem ob nimiam perſimilitudinem, quam habent inter ſe. Per panem, & piſcem communes cibi materiales intelliguntur. Tamen de eorum ſenſu morali ait Chryſoſt. *homil.* 24. & D. Thomas *hîc* per panem intelligit cœleſtem cibum, ſcilicet Chriſtum Dominum in Euchariſtia. Et qui talem panem petit, promptiſſimè impetrat à Deo ſuo poſtulata.

Caietan. *Legitimus ſenſus totius metaphoræ.*



Chryſoſt. D. Thom. *Qui Euchariſtiam deſiderat, omnia impetrat.*

## QVÆSTIO X.

*Quare ſæpè poſtulata non impetremus, cùm Dominus hîc dicat:* Petite, & accipietis?

48. CHRISTVS Dominus hîc facit promiſſionem: *Petite, & accipietis*; & tamen multa petimus, quæ non impetramus à Deo. Et ideo ad obtinendum per orationem, notat Abulenſis *quæſt.* 15. quòd quatuor conditiones hîc apponuntur ad orationem, quibus interuenientibus orans impetrabit petita. Primò, vt pro ſe petat. Secundò piè. Tertiò perſeueranter. Quartò de neceſſariis ad ſalutem, quas conditiones latiùs explico, & colligo textu.

Abulenſ.

49. *Prima conditio.* Primò, *vt pro ſe petat.* Innuitur in textu: *Accipietis, inuenietis, aperietur vobis.* Et ſermo eſt hic de merito de condigno; quia vnus non poteſt alteri mereri ſuam beatitudinem de condigno, vt docet D. Thomas 1.2.*quæſt.* 114.*artic.* 6. & 2.2.*quæſt.*83.*artic.* 15.*ad* 2. quod ibi latè omnes Theologi explicant. *Vnuſquiſque referet propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*, 2. Corinth. 5. num. 10. de his latè agit Suar. *lib.* 12. *de gratia, cap.* 16. *à numero* 3. Aliter dicendum de merito de congruo, quo vnus poterit alteri multa ſupernaturalia impetrare, vt docet D. Thomas *citato artic.* 6. Secunda conditio: *Piè*; hoc eſt, vt fiat oratio in fide, ſpe, & charitate, ac cum obſeruatione mandatorum Dei, vt notant Chromantius? Chryſoſt. *homil.* 24. Et ita dixit Chriſtus Dominus, Ioan. 15. num. 7. *Si feceritis, quæ præcipio vobis, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Tertia conditio: Perſeueranter; vt indicant tria illa verba: *Petite, quærite, pulſate*; vt dixi in expoſitione. Quarta. Quod optimè probat D. Baſilius *lib. de conſtitutionibus Monaſticis, cap.* 2. exemplo illius amici, petentis tres panes. de quo ait Chriſtus Dominus. *Si perſeuerauerit pulſans. Dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens, eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi, quotquot habet neceſſarios*, Luc. 11. n. 8. Quarta, & vltima conditio. *Vt petamus neceſſaria ad ſalutem. Pulſate, & aperietur vobis*; quod de cœleſti beatitudine communiter explicatur. Et, vt bene notarunt D. Baſil. *loco proximè citato.* & D. Auguſt. *tract.*102.*in Ioan.* A magno, & omnipotenti Domino, non minima, ac modici valoris, vt temporalia exiſtunt; ſed magna, ac eximia, ſpiritualia nempe petenda ſunt: aliquando verò temporalia etiam obſecranda, prout ordinantur ad bonum honeſtum, ac ſpiritualem finem.

D. Thom. 2. Cor. 5. Suarius. D. Thom. *Secunda conditio.* Chromant. Baſil. Ioan. 15. *Tertia conditio.* Baſilius. Luc. 11. *Quarta conditio.* Baſil. Auguſt.

50. Ex quo fit, quòd Deus ſæpe non det petentibus id, quod obſecrant; quia, quanuis ipſi exiſtiment, bona, ac conuenientia petere, ignorant tamen id, quod affectant; Deus autem, qui omnia penetrat, & agnoſcit, tanquam verus, & piiſſimus pater, illa non concedit, nec præſtat, ne eis ſint in ſcandalum, & laqueum; quia, ſi tunc talia concederet, non daret panem neceſſarium, ſed inutilem; nec daret vtilem piſcem, ſed noxium ſerpentem; nec daret accommodatum ouum naturæ, & medicamini, ſed venenoſum, & malum ſcorpionem. Quando ergo expoſcimus ea, quæ ſunt nobis diſconuenientia, ſi Deus illa concederet, potius eſſet, nos punire, quàm fauore proſequi: & dum illa negat, noſtræ vtilitati conſulit: & tunc adhuc reuera exaudit noſtram orationem, non quoad voces, ſed quoad animum, & intentionem, qua affectamus id, quod eſt nobis conueniens, atque bonum.

*Deus, vt miſericors pater, dum non concedit, quod petimus, exaudit.*

51. De Deo dicebat ſanctus Iob 9. num. 16. *Cùm inuocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam.* Valde contraria videntur iſta. Si ſe aſſerit exauditum à Domino, quomodo fatetur, vocem ſuam non fuiſſe auditam? Optimè ſanè. Nam quanuis vox ſua, qua aliquid optatum obſecrabat, non fuerit audita; tamen eius affectus internus, & intentio, quibus volebat, in via ſalutis, in omnique perfectione virtutum profici, & augeri, maximè ſunt exaudita. D. Thomas citato loco in Iob. *Contingit*, inquit, *quòd Deus hominem exaudiuit, non ad votum, ſed ad profectum, Sicut Medicus non exaudit infirmum ad votum, poſtulantem amouere medicinam amaram; exaudit tamen ad profectum, quia per hoc ſanitatem inducit, quam maximè infirmus deſiderat. Ita Deus homini, in tribulationibus conſtituto, tribulationes non ſubtrahit, quanuis deprecanti, quia ſcit, eas expedire ad ſalutem; & ſic, licèt Deus verè exaudiat, tamen homo ſe exaudiri non credit.*

Iob 9. *Deus ſuos exaudit, non quoad voces, ſed quoad profectum.* S. Thom.

52. Ait Apoſtolus de ſe 2. Corinh. 12. num. 9. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.* Ter, ſeu, vt vult D. Thomas, multoties exorat Apoſtolus, vt inimicus hoſtis, ac ſtimulus concupiſcentiæ ab eo diſcedat; & tamen ſpiritus ille ab eo non recedit, vt colligitur ex data reſponſione: *Sufficit tibi gratia mea*; tantus Apoſtolus non eſt auditus, ſed repulſam habet in oratione; minimè; ſed maxime eius oratio cælum penetrat, & exauditus eſt, non quoad voces, ſed quoad profectum, & affectum. Ipſe exorabat, quòd ille ſtimulus recederet, vt ipſe ſine pugna ad obſequium Dei magis incumberet. Sed Apoſtolus adhuc totum negotium non callebat: *nam virtus in infirmitate perficitur.* Relinquitur ergo hoſtis cum omnibus ſuis lanceis, ac ſtimulis; & Apoſtolus magna gratia corroboratur, vt ſuperato, & calcato hoſte, ipſe glorioſus triumphator magis in Dei famulatu creſcat, & proficiat. D. Ambroſius. *Ter Dominum deprecatum ſe fuiſſe, & non impetraſſe, teſtatur;*

2. Cor. 12. S. Thom. *Homo inſcius, aliquando contra ſe petit, ſed Deus exaudit ad bonum.* Ambroſ.

*non quia deſpectum ſe dicit ; ſed quia inſcius contra ſe petebat , vt ceſſarent ab eo tentationes , per quas perfectior fiebat.* Ferè ſimiliter explicant D.Thomas,Remigius,& alij. D.Thom. Remigius.

*Matth.7.n.*11. Si ergo vos , cùm ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris , quanto magis Pater veſter , qui in cælis eſt , dabit bona petentibus ſe.

*Ibid.num.*12. Omnia ergo quæcunque vultis , vt faciant vobis homines , & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.

*VERSIONES.*

*Tolet.in cap.*11.*Lucæ,an.* 28. *ex Græco.* — Vos,cùm ſitis maligni.

*Syriacus.* — Noſtis munera bona dare filiis veſtris.

*Vatablus n.* 12. — Vt faciant vobis homines , talia & vos facite illis.

*Tertull. aduerſùs Gnoſticos cap.*10. — Quomodo vultis , vt faciant,

*D.Auguſt.lib.*2.*de ſer. Dom. cap.*22. — Vt faciant vobis homines bona.

*Theodulph. Aurelianenſis in ſua epiſt.* — Hæc eadem facite.

*S. Sixtus Papa in epiſtol. de malis doctoribus.* — Et vos facite illis ſimiliter.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 11. *n.*12. Si ergo vos , cùm ſitis mali,noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.

*Lucæ* 6. *n.* 31. Et prout vultis , vt faciant vobis homines , & vos facite illis ſimiliter.

## *EXPOSITIO.*

53. ARGVMENTATVR Dominus à minori ad maius ; à terreno parente ad cœleſtem. Et ait:*Si ergo vos,* per modum concluſionis , *cùm ſitis mali* , hoc ait, dicit Hieronymus , quia non ſolùm cum Apoſtolis , ſed quia cum omnibus loquebatur , vel , vt dicunt Chryſoſtomus *homil.* 24. Euthymius , Theophylactus, Caſſianus *collatione* 23.*cap.*4.homines appellantur mali comparatione bonitatis diuinæ. *Omnes iuſtitiæ noſtræ , quaſi pannus menſtruatæ* , Iſai. 64. num. 6.Vel,vt etiam ait Hieronymus, mali , non ob actum , ſed ob propenſionem , & inclinationem naturæ. Seu,vt explicant S. Auguſtinus , & S. Thomas , non dicitur : Vos eſtis mali, ſed *cùm ſitis* , ſeu quanuis mali , tamen *noſtis dare bona data*,hoc eſt, bona ſalutifera,& vtilia , *data,* hoc eſt,conceſſa vobis à Deo,*filiis veſtris* , id eſt, veſtris liberis , quia ſunt filij , & paterno affectu eos diligitis.

Hieron. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Caſſian. Iſa. 64. Hieron. Auguſt. S.Thom.

54. *Quanto magis Pater veſter* , qui omnis malitiæ eſt expers , & cuius natura ſumma bonitatis eſt. Et nota , quòd homines primò dicit malos; nunc verò filios appellat ; quia malos dicit , eorum propenſionem ex corrupta natura arguens, & obiurgans ; nunc autem eos filios nominat, dum ſe Patrem dicit,vt ipſos condecoret, & nobilitet. *Qui eſt in cælis* , id eſt , quia ſuis beatis in cælo manifeſtatur , & cuius dona ſunt de cælo, & ad cælum ordinantur. *Dabit bona petentibus ſe.* Non dixit , dabit petita , quia ſæpe homo inſcius ſuis vocibus petit id , quod ſibi eſt noxium; Deus autem, vt miſericors , dat id , quod eſt bonum. D.Remigius notat, quod dicit bona abſolutè,quia vera, & ſolida bona ſunt, quæ conducunt ad beatitudinem. D. Lucas autem poſuit: *Dabit ſpiritum bonum* ; quia omnia bona per gratiam ſancti Spiritus dantur.

*Deus , ſi increpat, etiam honorat.* *Homo multoties petit, quod ſibi noxium,*

55. *Omnia ergo.* Duas connexiones ad antecedentia ponit Chryſoſtomus *homil.* 24. Et primam, quam ſequuntur Euthymius , Theophylactus, Albertus Magnus , & alij. Vt hoc dicatur veluti per compendium , & epilogum omnium , quæ hactenus dicta erant. Nam ſuprà dixerat Dominus , non eſſe iram concipiendam aduersùs proximum,mulierem alienam non concupiſcendam; non eſſe hominem odio habendum ; neminem temere iudicandum : concludit ergo,*omnia , quæcumque vultis , vt faciant* , &c. Secundò connectit Chryſoſtomus. Si cupitis exaudiri , præter illa , quæ dixi , etiam iſta perficite , vt *quæcunque vultis , vt faciant* , &c. Quia verò homo in ſuo proprio commodo cæcitat, & non cogitat , quæ ſunt aliorum,ideo Dominus domeſtico magiſtro nos erudit , vt vnuſquiſque ſibi regulam conſtituat iuſtè,ac rectè cum proximis viuendi,ac agendi. Vnde eſt commune principium naturalis legis : Quod tibi non vis , alteri ne facias ; quod coincidit cum hac ſententia: *Omnia quæcunque vultis,vt faciant vobis*,&c.

Chryſoſt. Euthym. Theoph. Alb.Magnus. Chryſoſt. *Senſus totius ſententiæ.*

56. *Hæc eſt lex,& Prophetæ* ; hoc eſt, hæc eſt ſumma,& recapitulatio præceptorum,quæ in lege,& Prophetis mandantur,id eſt,in veteri Teſtamento ; nam per *legem* intelliguntur quinque libri Decalogi ; per *Prophetas*,reliquos omnes , etiam libros Regum , & Paralipomenon , vt vult Maldonatus. Et hoc dicitur ſumma legis , vt ponderat Diuus Auguſtinus, nullus enim ſibi vult eripi vitam,famam,honorem,vxorem;ac opes : ergo & tu hæc noli ab aliis adimere. Dubitant tamen Diuus Auguſtinus *lib*,2.*de ſermon.Domin.cap.*22. *& lib.* 8. *de Trinit. cap.* 7. Euthymius , Albertus Magnus Diuus Paſchaſius ; quia , cùm dicatur , totam legem in duobus mandatis conſiſtere. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & proximum ſicut te ipſum.* Quomodo hîc de

Maldon. Auguſt. Euthym. Albert.Mag. Paſchaſ.



de vno mandato dicitur: *Hæc eſt lex ?* Reſpondet primò D. Auguſtinus *citato loco,lib.* 1. *de ſermon. Domin.* hîc non dici totam legem , ſed legem in hoc principio ſitam eſſe. Illic verò dici, hanc totam eſſe legem. Præclarè etiam reſpondet *citato loco de Trinit.* Totam legem hîc denotari ; nam vera dilectio proximi dilectionem Dei includit, & ab illa , tanquam à ſua radice procedit. Dilectio enim proximi verè , & propriè fit propter Deum primò, & per ſe ſummè dilectum. Et ſimilis eſt locus apud Paulum *ad Galat.* 5. *numero* 14. & ad Rom. 13. numero 8. *Qui diligit proximum,legem impleuit.*

*Dilectio proximi totam legem includit.* Rom. 13.

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quomodo intelligenda ſit hæc ſententia:* Quæcunque vultis , vt faciant vobis homines , vos facite illis.

57. OBIICIT hic magnus Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm.Domin.cap.* 22. Poteſt enim aliquis velle prouocari , vt immoderatè bibat,vt ſe ingurgitet epulis,vt ad luxuriam promoueatur ; ridiculum autem eſt, ſi iſte exiſtimet, implere hanc ſententiam, erga alios ſimilia præſtando.

Auguſt. *Difficultas quæſtionis.*

58. Reſpondet primò Auguſtinus *citato loco.* Ad manifeſtationem ſententiæ legendum eſſe:*Quæcunque vultis , vt faciant vobis bona* ; & ideo cum illo additamento *bona* tollitur omnis controuerſia. Secundò reſpondent idem Auguſtinus , D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* Albertus Magnus, S.Thomas, quòd non eſt neceſſe facere illud additamentum *bona*;quia Dominus ait : *Quæcunque vultis*;voluntas enim non eſt, niſi bonorum ; cupiditas autem malorum eſt ; & ideo dum dicit *vultis*,de bona intentione,ac opere agit.

Auguſt. Paſchaſ. Albert.Mag. S. Thom.

59. Tertiò D.Fulgentius *lib.* 1. *de Remiſſione peccatorum , cap.* 17. notat , quòd non dixit Dominus:Quæcunque vobis fecerint homines, eadem illis facite ; ſed , quæcunque vultis , vt faciant; quod de voluntate recta , ac ſecundùm debitum naturæ eſt intelligendum , vt obſeruat Abulenſis *quæſt.* 21. Ac proinde noſtra voluntas erga nos , ſit regula de ea,quam debemus habere erga fratres noſtros. Quod eleganter dicit Chryſoſtomus homil. 13. ad populum. *Chriſtus* , ait, *poſt multas illas beatitudines dicebat : Quæcunque vultis , vt faciant vobis homines , hoc & vos facite ipſis : Non eſt opus multis ſermonibus , aut legibus; voluntas tua ſit lex. Vis beneficia capere ? Confer beneficium alteri. Vis, miſericordiam conſequi ? miſerere proximi. Vis laudari ? Lauda alium. Vis amari , ama. Vis, partibus primis potiri ? Crede illis prius. Tu ſis iudex;tu ſis viæ tuæ legiſlator,*

Fulgent. Abulenſ. Chryſoſt. *Quod ſibi homo vult,præſtet aliis.*

60. Inſurgit hîc difficultas. Chriſtus hîc mandat ſuis : *Quæcunque vultis , vt vobis homines faciant, vos facite illis.* Vbi Chriſtus præcipit , vt ita attendamus ad ea , quæ ſunt proximorum , ſicut attendimus ad ea , quæ noſtra ſunt ; ac proinde concedit , & ſupponit , quòd quilibet agere valeat de his , quæ ad ſe pertinent. Apoſtolus Paulus 1. *Corinth.* 10. *numero* 24. ait : *Nemo , quod ſuum eſt,quærat.* Et etiam 1.Corinth. 13. numero 5.*Charitas non quærit , quæ ſua ſunt.* Chriſtus permittit,vt quilibet valeat cogitare de his , quæ ad ſe pertinent ; & Paulus hoc vetat ; imò expreſsè ait ad Philipp. 2.numero 4.*Non , quæ ſunt ſinguli, conſiderantes,ſed quæ aliorum ?* Chriſtus Dominus permiſit hominis fragilitati , vt de ſuis cogitet, ad miſeram hominum conditionem condeſcendens. At Apoſtolus , tanquam bonus famulus, Domini veſtigia ſequebatur , & ad apicem perfectionis euectus , totus aliorum commodis erat impenſus. Saluianus de gubernatione Dei , præfata Chriſti verba cum Apoſtolo componens, ita ait : *Vides , quàm fideliter præceptum Chriſti fuerit executus,vbi , cùm Saluator,ſi nos pro aliis , ſicut pro nobis, iuſſerit cogitare;ille plus aliorum nos commodis iuſſit conſulere , quàm noſtris : boni ſcilicet Domini famulus , & ſingularis magiſtri præclarus imitator, qui in veſtigiis Domini ſui ambulans , patentiora quodammodo , & expreſſiora pedibus ſuis fecit Domini ſui eſſe veſtigia.*

*Incidens dubium.* 1.Cor.10. 1.Cor.13. Philip.2. Saluian.

*Matth.7.n.*13. Intrate per anguſtam portam , quia lata eſt porta, & ſpatioſa via , quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt , qui intrant per eam.

*Ibid.num.*14 Quàm anguſta porta , & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.

*VERSIONES.*

*S.Valerius homil.*2. — Quàm ampla , & ſpatioſa eſt via.

*Lucifer Caralitan.lib.* 1. *S. Athanaſ. & Theophylactus.* — Quæ ducit ad interitum, multi ingrediuntur per illam.

*Theophylactus, num.* 14. — Quid?anguſta eſt porta.

*S Leo ſerm.*11. *de Quadrag.* — Anguſta,& ardua eſt via.

*Syriacus.* — Quàm parua eſt porta , & ſtricta via.

*S.Maximus homil.de S.Michaele.* — Arcta , & anguſta eſt via, quæ ducit ad regnum.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 12.*n.*24. Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi,dico vobis , quærent intrare,& non poterunt.

## *EXPOSITIO.*

61. Augꝰſt. Paſchaſ. Albert. Mag. DIXERAT Dominus ſuprà: *Hæc eſt lex, & Prophetæ*; ſeu, hæc eſt ſumma legis, dilectio proximi, prout procedit à dilectione Dei ſummè dilecti. Et in his mandatis includitur tota lex, non furandi, non occidendi, dandi vnicuique, quod ſuum eſt. Nunc autem exhortans nos ait: *Intrate per anguſtam portam*, nempe obſeruationem mandatorum legis, vt explicant Diuus Auguſtinus, Paſchaſius; Albertus Magnus, & alij. Et hanc adimpletionem appellat portam, hæc eſt enim ianua regni cælorum. Anguſtam, & arctam dicit, quia hominum cupiditates, ac inclinationes arctat, & conſtringit virtutum terminis. Et ait hic: *Intrate*; cùm ſuprà, agendo de

Hugo. *Obſeruatio legis dat ingreſſum ad vitam.* oratione, vt aduertit Hugo, dixiſſet: *Pulſate, & aperietur vobis*; quia orationum vocibus clamamus ad Deum, ac pulſamus, vt aperiat; at obſeruatione mandatorum ita ianuam apertam facimus, vt iam valeamus intrare abſque vlla pulſationis remora.

Auguſt. Albert. Mag. S. Thom. Ioan. 10. Diuus Auguſtinus etiam, Albertus Magnus, S. Thomas, per portam etiam Chriſtum Dominum interpretantur, Ioann. 10. num. 7. *Ego ſum oſtium*; quia per ipſum ingreditur ad regnum cælorum. Hæc verò porta eſt anguſta per humilitatem, quia humiliauit ſe vſque ad mortem. *Verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram*, Rom. 9. num. 24.

Rom. 9. D. Thom. Vnde ait D. Thomas. Intrate per anguſtam portam, id eſt, per Chriſtum humilem. Tandem per portam, intelligunt etiam multi charitatem, quæ eſt arcta lege diuina.

62. *Quàm lata porta, & ſpatioſa via.* Hæc porta, ac via eſt ordinarius viuendi modus, quem mundus tenet, & ſequitur.

*Delectationes mundi breuiter tranſeunt.* Et bene dicitur porta, & via, in qua non ſubſiſtit homo, ſed tranſit breuiter, & celeriter ad terminum, ac finem. *Lata* appellatur ob licentioſam, quam præbet, viuendi libertatem, eundique poſt delectationes, ac cupiditates; & inde *ſpatioſa* dicitur ob varia vitiorum genera, quibus hæc via plena eſt; & ideò *multi ſunt, qui intrant per eam*, decepti delectationibus, & cùm faciliter deorſum tendant, ad quod pondere ſuæ malitiæ homo inclinatur, vt ponderat

Baſil. D. Baſilius *in Pſalm.* 1.

63. *Sensus totius ſententiæ.* *Quàm anguſta porta.* Hæc dicit per contrapoſitionem, vt magis impreſſa remaneant in hominum animis. Cœleſtis mandatorum obſeruatio dicitur etiam porta, & via, quia ibi non ſiſtit homo, ſed inde tranſit ad beatitudinem, & regnum. Et ſicut via ſæculi dicitur lata ob latam ſegetem vitiorum; è contra porta ducens ad vitam anguſta, quia virtutum terminis circuncingitur.

Hugo. Seu, vt ait Hugo, dicitur anguſta porta in ingreſſu, arcta in proceſſu. *Pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Multi eam non vident præſentem, & plures inuentam non ingrediuntur, difficultate deterriti, iſti; illi verò ſuis cupiditatibus cæci; multi denique non inueniunt hanc viam, qui

D. Thom. eam non quærunt. D. Thomas ait: Eam inueniunt, qui ab illa non recedunt.

Luc. 9. De quibus Luc. 9. numero 62. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quomodo Chriſti lex dicatur via arcta, & porta anguſta, cùm ipſe dicat:* Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue?

64. Matth. 11. IPSE Dominus de ſua ſacratiſſima lege ait Matth. 11. numero 10. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quomodo ergo ipſam viam mandatorum ſuorum appellat arctam, & portam anguſtam? Reſpondent primò

Chryſoſt. Auguſt. Euthym. D. Chryſoſtomus *homil.* 24. D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte cap.* 23. Euthymius, Chriſti iugum durum eſſe temporalia quærentibus; ſuaue verò, & leue ſpiritualia meditantibus. Nam, ſi aliqua difficultas apparet in obſeruatione mandatorum Dei, hæc eſt,

Chryſoſt. vt ait Chryſoſtomus, tanquam in porta, & in via, quæ breuiter tranſit, & breuis fit ſpe æterni præmij.

Euthym. Euthym. *Alibi dicit Dominus ſuaue iugum mandatorum ſuorum, & onus præceptorum ſuorum leue, ob ſpem æternorum bonorum. Virtus quidem grauis eſt propter laborum moleſtiam, leuis autem propter retributionem.*

2. Cor. 4. Et ita dicebat Paulus 2. Cor. 4. num. 17. *Et quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in cælis.* Et de Patribus antiquis narrans multas perſecutiones in gladio, igne, fame, ſiti, nuditate, leuia tamen aſſerit, illis fuiſſe omnia; ſubdit enim: *Aſpiciebant in remunerationem*, Hebr. 11. numero 26. Et ex multis aliis locis confirmatur *Rom. 9. num.* 18. 2. *Corinth.* 11. *numero* 23. Vbi certa eſt ante oculos remuneratio, omnia facilia reputantur, & leuia.

65. Abulenſ. Secundò Abulenſis *quæſt.* 27. Via ſæculi dicitur lata, quia nullus eſt certus modus operandi ad agendum malum; ex defectu cuiuſcunque circunſtantiæ fit malum, vt dicitur 2. *Ethicorum.* Et ideo peccare multis modis contingit. At via cæli arcta dicitur, quia per vnam ſemitam mandatorum debet homo dirigere greſſus ſuos, vt

*Via cœleſtis arcta, ſed ſuauis.* iam explicaui in expoſitione. Hæc tamen via ſuauis, & leuis eſt odore virtutum, dulcedine cœleſtium donorum, recreatione ſpiritualium conſolationum, ac amœnitate fontium diuinorum Sacramentorum. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*, Pſalm. 99. num. 5. Pſal. 99.

66. Valerian. Tertiò Diuus Valerianus homil. 2. de arcta, & anguſta via, *Facilem ſe volentibus*, ait, *præſtat hæc via*, ſcilicet cæli, *ſi non, aut vanitas impediat, aut fallax huius mundi ornatus obſiſtat.*

*Omitte mũdi fallacias, & via leuis erit.* Via hæc cœleſtis leuis, & ſuauis eſt; tamen fallacia huius mundi nos decipit, vt duram, & grauem exiſtimemus. Nam hæc via cœleſtis nos liberat à ponderoſo onere peccatorum, quod eſt grauiſſimum. *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*,

Pſal. 27. Pſalm. 27. numero 5. Deponamus hæc terrena, & via erit leuis, ad montemque facilè aſcendemus.

Valerian. Proſequitur citatus Diuus Valerianus, *Liberum autem, & exutum omnibus impedimentis illum eſſe conuenit, qui iter ardui montis adgreditur.*

67. Vt ergo ad hoc montis cacumen deueniamus, abiiciamus terrenarum rerum ornatus: nam primus parens Adamus non commoratur in paradiſo,



*Vt ad cælum aſcendas, depone terrena.* niſi nudus, & à ſarcina temporalium denudatus. Et ita adoleſcentulo illi, affirmanti, ſe ſeruaſſe diuina præcepta, dicitur, vt omnia, quæ habebat, diuideret, ac in pauperes diſtribueret, & tali modo theſauros in cælo aſſequeretur, *Matth.* 19. *num.* 21.

Maximus. Quæ omnia eleganter ponderat S. Maximus citata homil. de S. Michaële: *Vſque adeò enim*, ait, *nuda virtus apta cælo eſt, vt quamuis iuſtus, quamuis ſanctus, aurum, vel diuitias poſſidens: non poſſit eſſe perfectus. Talem voluit adoleſcentem illum Dominus ad paradiſum redire, qualis Adam fuerat de paradiſi ſublimitate deiectus: nudus enim Adam incola paradiſi fuit.*

68. *Via cæli arcta.* Vt homo per hanc arctam cæli viam valeat tendere, quantum debeat, terrena omnia à ſe ablegare, & ab illis extenuari, apertè nobis declarauit diuina Sapientia, cuius verba cum præſenti textu componit Paſchaſius.

Cant. 3. Ait diuina Sapientia de anima tendenti in cælum: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, Cantic. 3. num. 6. Vbi anima comparatur cum fumo, qui ex terrenis re-

*Dimitte terrena, vt ad cælum venias.* bus combuſtis, & à ſe dimiſſis, ac ablegatis conſurgit, & ab ipſa terrena ſarcina iam liber eſt; & non aſſimilatur fumo, prout glomeroſè huc, & illuc tendit, ſed virgulæ, quæ directè cælum petit,

Hugo. vt ponderat Hugo *lib.* 1. *Erudit. Theolog. cap.* 210. Et non dicitur procedere, vt virga, ſed vt virgula; nam, vt eſt communis ſolutio multorum cum

Richard. Richardo, *Nam aſſimilatur virgis, quæ creſcendo groſſantur, & non nimis in altum ducuntur, ſed virgulæ, quæ velocius, & ſurſum creſcunt, ſubtiliores, & minores ſunt.* Quæ Canticorum verba cum præſenti textu: *Quàm arcta, & anguſta*

Paſchaſ. confert D. Paſchaſius lib. 4. in Matth. *Quaſi virgula fumi ex aromatibus. Ac ſi dicatur, quæ eſt iſta, quæ aſcendit viam, quam pauci inueniunt, etſi inuenerint. Quomodo ergo ſic dirigitur, & attenuatur, vt fumi virgulæ comparetur? Et non qualicunque, ſed ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Quæ nimirum aromata Chriſtus docuit, vt mortificationem eius in corpore noſtro circunferentes, ſacrificium thuris Deo ſimus, ita extenuati, vt virgulæ odoramentorum iure comparemur.*

*Via cæli arcta, & ſuauis rectè ambulantibus.* Ita arcta via cæli, vt ad illius ingreſſum debeas extenuari à vitiis, tanquam virgula fumi, & tunc via ita erit ſuauis, & periucunda, vt fumus odoramentorum.

## QVÆSTIO XIII.

### *Si hæc porta, per quam intramus, eſt Charitas, quæ eſt valde ampla, quomodo hîc dicitur arcta, & anguſta?*

69. HANC portam arctam, & anguſtam, cuius hîc meminit Chriſtus, charitatem

D. Thom. Pſalm. 117. eſſe, interpretantur multi cum D. Thoma; iuxta illud, Pſalm. 117. num. 20. *Hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam.* Sed inde hinc

*Difficultas.* exurgit difficultas: Quomodo charitas poſſit dici porta anguſta, cùm ipſa ſit valde lata, alta, ac profunda, vt ipſa ab Apoſtolo deſcribitur ad

Ad Epheſ. 3. Epheſios 3. num. 18. *In charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.*

70. D. Thom. Reſpondet primò D. Thomas, quòd via charitatis dicitur via arcta lege diuina; & per hanc debemus intrare, ſeruando legem, & præcepta Domini.

Paſchaſ. Secundò pulchrè, & eleganter hanc difficultatem explanat D. Paſchaſius lib. 4. in Matt. *Charitas lata ſæpe in Scriptura eſſe monſtratur: ſatiſque excelſa eſt, dum vſque ad amorem Dei erigitur; ſatis verò deorſum anguſta, cùm etiam pro amore proximi nos mori velle, atque inimicum diligere iubet. Vnde quamuis Charitas lata dicatur, anguſta tamen eſt.*

*Charitas lata, & anguſta, cùm ad inimicorum dilectionem ſe extendit.* Charitas ſatis alta, & ampliſſima eſt, dum Deum omnium creatorem diligit, omniaque eius opera ſuo ſinu amplectitur. Arcta verò, & anguſta, cùm præcipiat, vt inimicum, perſecutorem, ac odio habentem nos diligamus. Quod adeò eſt anguſtum naturæ humanæ, vt eleganter dicat

Valer. D. Valerianus *homil.* 12. *de bono conſeruandæ pacis*, in hæc verba. *Infinita autem virtus eſt, odia viciſſe beneficiis; nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit.* Et ita Chriſtus Dominus, dum de inimicorum dilectione egit, ſubdit, *vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt*, Matth. 5. num. 44. Matth. 44.

Paſchaſ. Vbi ait D. Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Facite opera, ne degeneres ſitis.* Qui hoc non præſtat, degenerat ab alta Dei filiatione. De hoc multa dixi *cap.* 14.

# CAP. XIX.

## *Attendite à falſis prophetis.*

*Matth. 7. n. 15.* Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

### *VERSIONES.*

*Syriacus, Vatablus, Pagnin.* Cauete à pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos.

*D. Ambroſ. in Hexaëm. lib. 6. c. 1. Tertul. adu. Hær. c. 4.* Attendite vobis à falſis prophetis, qui veniunt in pellibus ouium.

*D. Gaud. tract. 5. de Exodo.* Ab intus autem ſunt lupi.

*Radix Græca.* Cauete, attenta, & peruigili mente cuſtodite vos à pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtibus ouium, intrinſecus autem ſunt lupi graues, & feroces.

## EXPOSITIO.

1\. Auguſt. Albert.Mag. Caietan. Hugo.

DIvvs Auguſtinus *lib. 2. de ſerm. Domin.* Albertus Magnus, Caietanus, Hugo, & alij hanc connexionem cum ſuperioribus faciunt. Dixerat Dominus ſuperiori *num.* 14. quòd pauci inueniunt viam vitæ; & quia quærentibus viam morale eſt, alios expertes interrogare; ne ergo decipiamur, occurrit Dominus, dicens: *Attendite*, ſeu diligenter cauete *à falſis prophet.s*; vt ita hos fugiamus, & bonos magiſtros quæramus. Bonus enim magiſter, & ſocius magnum adiuuamen ad ſalutem. Tamen in hac interpretatione facit difficultatem, quòd Dominus non dixit: Nolite ire ad falſos prophetas, ſed quòd ipſi veniunt ad vos. Probabilior mihi videtur intelligentia D. Maximi Confeſſoris quæſtione de Verbo Incarnato. Docuit Dominus ſuprà, viam cæli eſſe arctam, & anguſtam; nunc ſubdit: Cauete à falſis prophetis, qui dicunt, viam cæli eſſe latam, & laxam, vt ait S. Pater citatus: *Extenuant peccatum, veniam facile promittunt*; & vos in tartara ducunt. Quo enim tanti ponderis ſunt, non in paruo negotio, ſed in multo appretianda, vt totis viribus laboremus.

*Bonus Magiſter magnum adiuuamen ad ſalutem.*

Maximus.

*Res magni ponderis in multo negotio habenda.*

2\. Chryſoſt. Hilar. Origen. Anſelm. Palat.

*Attendite à falſis prophetis.* Hoc vnicuique fidelium eſſe dictum, conſtans eſt Patrum ſententia, Chryſoſtomi, D. Hilarij. Origenis, Anſelmi, & aliorum. Palatius tamen vult, hanc Domini admonitionem ad Epiſcopos, & Prælatos ſpectare, vt videant, ac conſiderent, quos rectores, ac miniſtros præficiant ſuis Eccleſiis. Et ita eis ait: *Attendite à falſis prophetis.*; magna conſideratione, & indagine attendite, ne hos falſos prophetas præficiatis veſtro gregi; ſed examinate, an ſit ouis, vel intrinſecus lupus rapax. Et ita dicebat Paulus Actorum 20. num. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos.* Et ait Dominus, iuxta D. Ambroſium: *Attendite vobis*, hoc eſt, in vtilitatem veſtram; nam hoc negotium veſtrum eſt, & vobis, & non aliis intereſt. *A falſis prophetis*, ſeu, vt eſt in Græco, *Pſeudoprophetis*, per quos intelliguntur, vt aduertit D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* falſi, & mendaces doctores. Et cùm munus antiquorum Prophetarum non ſolum eſſet, futura prædicere, ſed etiam populum docere, & inſtruere de agendis: inde fit, quòd apud Hebræos Magiſtri, & doctores Prophetæ dicebantur. Per falſos prophetas interpretantur hîc Chryſoſtomus, *homil. 19. in Imperfecto*, Euthymius, & alij veritatis impoſitores, ſeu hypocritas, etiam non hæreticos, qui ſuis compoſitis verbis, ac falſis operibus, nempe ſimulato ieiunio, oratione, ac eleemoſyna, multos decipiunt, & fallunt. Tamen D. Chryſoſtomus *citato loco.* Origenes, D. Hilarius, D. Anſelmus, Euſebius Gallicanus, S. Antonius Vlyſſiponenſis *in Dom. 8. poſt Penteceſtem.* Berengoſius *lib. de myſterio ligni Domin.* Tertullianus *lib. de præſcript.* de Hæreticis interpretantur; falſa enim docere, & prædicare, proprium eſt Hæreticorum.

Actor. 20.

Ambroſ.

Græcus. Paſchaſ.

Chryſoſt. Euthym.

Chryſoſt. Origen. Hilar. Anſelm. Euſeb. Ant. Vlyſſip. Berengoſius Tertull.

3\. Ierem. 23.

*Veniunt ad vos*, non miſſi à Deo, ſed à ſe ipſis, ac à ſua ambitione, & deprauata cupiditate. Ieremiæ 23. num. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* Textus: *In veſtimentis ouium*, hoc eſt ſpeciem ſimplicitatis, & lenitatis ſimulantes. *Intrinſecus autem*, id eſt, in animo, *ſunt lupi rapaces*, id eſt, auidiſſimi ad prædam, & ferociſſimi, vt etiam dicitur *Actor. 20. num. 29.* Vbi pro rapacibus habetur in Syriaco, *Graues feri.*

---

## QVÆSTIO I.

### *Cur nobis non mandet Dominus, falſos prophetas aſpicere, vel punire, ſed tantùm ait,* Attendite *ab eis?*

4\. Chryſoſt.

RESPONDET primò Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 19. *Sciens Dominus, ait, quia non erant manifeſti Gentiles, ſed abſconditi nomine Chriſtiano: ideo non dixit, Aſpicite, ſed, Attendite. Aſpicere enim eſt, ſimpliciter videre. Attendere autem eſt, cautè conſiderare. Vbi enim certa res eſt, & indubitabilis, aſpicitur; vbi autem incerta, & dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Chriſtus, quia eſt in illis aliquid, quod aliis pro alio videbatur, aliud deſuper poſitum: aliud intus incluſum: ideo dixit, Attendite: vt ſcias, quia non corporali attendendum eſt, ſed vigilantia ſpirituali.* Aſpicere, vt etiam ait Abulenſis, eſt ad illud, quod palàm videtur. Attendere autem eſt, cum perſpicacia, ac magna conſideratione intueri. Et quia iſti falſi prophetæ non palàm venturi erant, & diſſimulato habitu, ac in veſtimento ouium, itaut ad eos deprehendendos magna ſagacitas requiratur: ideo attentionis verbo vſus eſt, cùm in hoc negotio prudentia eximia cum ſingulari animi aduertentia ſit adhibenda. Vt ita maximè circunſpecti ad eos excutiendos redderemur. Nam, vt bene ait Chryſoſtomus, *Magna virtus eſt, hominum cognoſcere malum: & firma tutela ſalutis eſt, ſcire, quem fugias.*

Abulenſ.

*Magna diligentia adhibenda ad fugiẽdum malum.*

Chryſoſt.

5\. Idem.

Quantum ad ſecundum. Non dixit Dominus, Punite, ſed, *Attendite.* Ad quod optimè reſpondet idem Chryſoſtomus *homil. 24. in Matth.* ſic inquiens: *Conſidera lenitatem Domini: non ait, punite tales ſed tantummodo, ne ab eis lædamini, præcauete, & ne incircunſpecti, atque immuniti in eorum inſidias incidatis.* Magna Domini manſuetudo præcipit, ab his falſis prophetis nos cuſtodiri; non tamen mandat nobis eos punire; vt ita conſultum ſit vtilitati animæ noſtræ abſque vllius iniuria, & offenſione. Eorum autem ſupplicium Deo, omnium iudici, relinquamus.

*Quilibet ſine alterius iniuria de ſuo quomodo agat.*

6\.

Secundò. Hæc verba: *Attendite à falſis prophetis*, vt dixi in expoſitione cum communi Patrum ſententia, dicta ſunt vnicuique fidelium: nam quilibet hoc opus habet. Hæc eſt Domini diſpoſitio, vt vnuſquiſque ſuum ordinem, ac gradum ſeruet, & eum non tranſiliat, in alienum ſe intromittendo. Ab his falſis prophetis præcaueri, omnium erat, omnibus hoc negotium incumbebat. At hos falſos prophetas ſupplicio afficere, non omnium res eſt; ſed tantùm ad ſuperiores, ac maiores hoc ſpectabat. Cum autem hæc doctrina generaliter eſſet dicta ad vniuerſos fideles; ideo dixit, *Attendite*, ſeu præcauete: quod ad vnumquemque pertinebat; non autem, Punite, quod determinatas perſonas reſpiciebat. Hanc Euangelicam doctrinam iam obſeruauit Dauid ſuis temporibus; nam infeſtiſſimum ſuum hoſtem Saulem in ſpelunca noluit occidere, ſed totum negotium Deo remittit, ad quem ſolum ſpectare credebat, vt vnctum Regem interficeret, vt ponderat Abulenſis *quæſt.* 21. Et ita dixit: *Iudicet Dominus inter me, & te*, 1. Reg. 24. n. 13. Ipſe tamen, quod ſuum erat, præſtitit; inimicum præcauens aſcendit ad tutiora loca, *ibidem num.* 23.

*Vnuſquiſque præcaueat ſui malum, & non ſe intromittat in alieno officio.*



Abulenſ. 1. Reg. 24.

7\. Iudæ Epiſt.

*Cùm Michaël Archangelus, cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus, iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Increpet tibi Deus*, Iudæ num. 9. Si Archangelus diſputat cum Diabolo, cur ei non impingit cenſuram, vt ſæpe altercantes faciunt; ſed hoc diuino iudicio ſubmittit? Agnouerat Michaël, quòd argumentationes facere, ad militem, & inferiorem pertinet; ad iudicium proferre, ad dominum, & iudicem: & Archangelus, quæ ſui muneris erant, præſtitit; quæ verò ad dominum ſpectabant, diuino iudicio, ac ſententiæ refert. OEcumen. *Ex Archangelo Michaële manifeſtum eſt, cùm aduersùs Diabolum diſceptaret de corpore Moyſis, ac poſſet eum ob impudicitiam maledictis iure inceſſere; id minimè ſibi faciendum cenſuit, ſed tantummodo dixit: Increpet te Deus.*

*Non te ingeras in alieno officio.*

OEcumen.

8\. Geneſ. 1.

In primò molimine Orbis ait Deus: *Germinet terra herbam virentem, & pomiferum lignum*, Gen. 1. num. 11. Iubetur terra, omnibus ſuos fructus parturire, tam iuſtis, quàm iniuſtis, ſed cunctis indiſtinctè, cùm iniuſti, ob ſua ſcelera, omnium ſint incapaces; iuſti verò omnium digniſſimi. Deinde terra multoties ob peccatores exciccata cæleſti rore priuatur; ob iuſtes verò frequentiſſimè conuenienti pluuia irrigatos fœcundatur: & tamen omnibus indiſtinctè iubetur germinare. D. Chryſoſtomus in cap. 6. Matth. *Terra miſſa eſt miniſtrare, non iudicare.* Ac ſi dicat: Terra præſtet ſuum munus, quod eſt parturire fructus (non autem iudicium proferre) cuinam ſunt communicandi. Vide ſuprà *cap.* 10. *num.* 27. 28. 29. 30. & *cap.* 11. *n.* 59.

Chryſoſt.

*Terra miſſa eſt, germinare, non iudicare.*

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare Prælati, & doctores dicantur Prophetæ?*

9\. *Ratio difficultatis.* D. Thom. Matth. 11.

AIT Dominus: *Attendite à falſis prophetis.* Quid hîc per Prophetas intelligat, communiter quærunt omnes. Qui & fatentur, quòd hîc non eſt ſermo de rigoroſis prophetis, qui futura prædicebant. Quia, vt aduertit D. Thomas, *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem*, Matth. 11. num. 13. *Vnde in tempore illo non erant Prophetæ de Chriſto, quia in ipſo finiuntur.* Et ideo communis eſt omnium interpretatio, quod hîc per Prophetas intelliguntur doctores, ac Prælati Eccleſiaſtici. In qua ſignificatione multis aliis in locis ſumitur, 1. *Corinth.* 14. *num.* 3. Quod aliis exemplis confirmat hîc Abulenſis. Quærimus hîc tamen: cur Prælati, & doctores dicuntur Prophetæ?

Abulenſ.

10\. Albert. Mag. S. Thom. Abulenſ. Caiet. Exod. 7.

Communis ſolutio eſt Alberti Magni, D. Thomæ, Abulenſis, Caietani, & aliorum, quòd, ſicut aliquis participatiuè etiam Deus dicitur, quia vicem Dei habet, vt fuit Moyſes Exod. 7. num. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*; prout habebat poteſtatem faciendi bonum, vel malum Pharaoni, prout ipſe vellet, ſicut Deus facit omnibus rebus. Ita etiam per quandam catecheſim Prælati, & doctores dicuntur Prophetæ, non quia futura arcana penetrent, ſed prout erudiunt populum in his, quæ ipſe ignorat; & prout habent officium aperiendi, & declarandi ea, quæ multis ſunt abſcondita, vt prædicando faciebant Prophetæ, qui videntes dicebantur. Vnde bonus Prælatus dicitur bonus Propheta, malus, falſus propheta. Et ſæpe, vt moraliter dicam, iſti mali Prælati & doctores ſunt Prophetæ erga ſe, vt ſibi vtilia, ac conuenientia præuideant, erga alios falſi, vt ipſos decipiant, & ſeducant.

*Multi Prælati, ſunt erga ſe Prophetæ, erga alios falſi, & deceptores.*

11\.

Tertiò, in ſenſu morali. Prælati Prophetæ dicuntur, quia ita debent eſſe de ſuo grege ſoliciti, vt prouideant, quæ eis ſunt neceſſaria. Quartò. Verus Propheta non ſequitur ſuum dictamen, ac ſpiritum, ſed inſufflationem Dei, vt ab ipſo reuelata doceat, & prædicet. Ita Prælatus non ſequatur impulſum ſuæ voluntatis, vt erga quoſdam ſit affabilis, & placidus; erga alios rigidus, & auſterus, ſed omnia diſponat, ac gubernet, iuxta Dei nutum, ac beneplacitum.

*Prælatus æqualiter gubernet, iuxta Dei nutum.*

12\. Cant. 4. Ghiſler.

Inquit dilecta anima: *Surge Aquilo, veni Auſter, & perfla hortum meum*, Cantic. 4. num. 16. In hac breui ſententia, vt aduertit Ghiſlerius, multa ſunt notatu digna. Poſtulat duos ventos ſibi maximè contrarios, nempe Aquilonem, tempeſtuoſum, & rapidiſſimum; ac ſimul Auſtrum blandum, & lenem. Et cùm duos ventos efflagitet, ait: *Perfla hortum*; cùm dicendum eſſet in plurali: Perflate. D. Paulinus *Epiſtol. 3. ad Aprum.* Et S. Ambroſius *lib. 3. de virgin. circa medium*, adducti in Appendice ab ipſo Ghiſlerio, docent, quòd ſancta anima vinearum cuſtos conſtituta deſiderabat in hortum ſuum diuinum Spiritum, qui aliquando ad nos venit in tenui, ac blanda aura, 3. *Reg.* 19. *num.* 12. aliquando verò in ſono, ac tonitru vehementi, *Actor. 2. num.* 1. Et ideo ſponſa, cùm loqueretur de diuino Spiritu, in ſingulari ait: *Perfla hortum meum.* Sed ſi ipſa agnoſcit lenitatem, ac vehementiam in diuino Spiritu, cur non præſcribit oratione ſua modum, quo erat aduenturus? Rectè ſanè; illa enim in horto ſuo, non ſuam voluntatem, ſed diuinum beneplacitum requirebat; & ideo tantum negotium diuino iudicio committit. Iuſtus Orgelitanus, *Aquilo, atque Auſter ſunt diuerſa vocabula, vnius Spiritus ſancti inſinuant dona: Aquilo. dum æſtuantibus refrigeria præbet, Auſter, dum duros ad credendum, vel benefaciendum reſoluit. Et quoniam in duobus vnus aduertitur, non ait, perfla hortum meum, inſpira credentem populum, & redundent bona opera eius.*

Paulinus. Ambroſ. Ghiſler.

Orgelit.

13\. Pſalm. 77.

Ait Regius Vates Pſalm. 77. num. 67. *Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda.* Maximè inquirendum eſt; cur ille repellitur, & iſte eligitur, cùm Ephraim eſſet caſtiſſimi Ioſeph filius, & aui benedictione maximè adauctus, vt ponderat D. Auguſtinus. Ait Oſeas cap. 10. num. 11. *Ephraim vitula docta, diligere trituram. Arabit Iudas.* Per has metaphoras magna documenta nobis exprimit diuinæ hiſtoriæ veritas, vt ait D. Hieronymus. Vitulus in area, dum trituræ incumbit, abſque domini nutu pro ſua voluntate accipit, & comedit, ſiue multum, ſiue parum, prout ei placet. At dum vitulus eſt ſub iugo, & in aratro verſatur, glebas terræ proſcindens,

Auguſt. Oſeæ 10.

Hieron.

*Illum Dominus ab officio reſpuit, qui pro nutu ſuo gubernat.*

dens, nec requieſcit, nec accipit, nec comedit, prout ipſe vult, ſed prout Dominus ei apponit, ac diſtribuit. Meritò ergo ad regni clauum non eligit tribum Ephraim trituræ deditum, ſed tribum Iuda ſub iugo arantem. Nam Dominus eos miniſtros reſpuit, qui pro ſua cupiditate abſque Domini nutu à populo accipiunt, & comedunt: eos autem diligit, qui, omni voluntate ſua depoſita, Domini beneplacitum ſequentes, illius diſpoſitione in cibis, alimentis, & in omnibus contenti ſunt.

---

## QVÆSTIO III.

### *Quare Dominus non dixerit :* Attendite *à falſis hominibus, ſed* à falſis prophetis? *Et quotuplex ſit falſus propheta?*

14. NON dixit Dominus, attendite, ſeu cauete à falſis hominibus, quia, vt ſic poterant intelligi particulares homines; ſed ait, *Attendite à falſis prophetis*, per quos interpretantur Prælati, & doctores, quorum error eorũ auctoritate munitur, quorum doctrina falſa tegumento veritatis inuoluitur; & quorum malum exemplum multos ſeducit, & ad ſe trahit. Vide ſuprà *cap.* 4. *num.* 21. & 22. & *cap.* 11. *num.* 10. & *cap.* 14. *num.* 34.

15. Albert. Mag. Quantum ad ſecundum, quotuplex ſit falſus propheta? Hoc dubium excitat Albertus Magnus & pro ſolutione notat, quòd propheta falſus dupliciter poteſt dici. Primò à falſitate doctrinæ, quia falſum dicit, vt fuit Sedechias, qui, cùm haberet ſpiritum mendacem in ore ſuo, decepit Achab, vt iret in Ramoth Galaad ad ventilandos Syros, à quibus victus eſt, 3. *Reg.* 22. *num.* 11. (3. Reg. 22.) Et hi prophetæ maximè fugiendi ſunt, quia ſuam falſam doctrinam tanquam veram volunt ab aliis reputari, vt eſt in exemplum ipſe Sedechias, qui magna ira commotus eſt contra Michæam, verum dicentem contra ſua falſa vaticinia, itaut in maxilla eum percuſſerit. Et tales contra rei veritatem apparentiæ, ac oſtentationes in verbis, operationibus, & habitu, maximè fugiendæ, ac deteſtandæ ſunt.

16. Matth. 27. Cùm Ieſus deueniſſet ad Caluariæ locum, *Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum, & cùm guſtaſſet, noluit bibere*, Matth. 27. num. 34. Maximè quæres: Cur Dominus, qui auidiſſimè tormenta ſitiebat, cur, inquam, hunc cruciatum guſtatum noluit haurire, ſed tantùm primis labiis attigit? Multa in eo Chriſto diſplicuerunt: nam potus ille vinum videbatur; & tamen ſolum vinum non erat, ſed fellis miſturam habebat; & cùm in apparentia tantùm à rei veritate diſcreparet, totum à Chriſti veritate alienum erat; ideoque tanquam quid maximè diſplicens, haurire, ac bibere noluit. Deinde, vt notat Franciſcus Lucas, mos erat apud antiquos, vt ſceleratis ad locum ſupplicij adductis propinaretur vinum optimum, & præſtantiſſimum; vt ita ex itinere fatigati animum reciperent. Iudæi igitur, eâdem quidem ſpecie, qua pium morem obſeruarent, re autem vera Ieſu rurſus illuderent, vini loco vappam acidam afferri curarunt. Cùm ergo ibi tot diſſimulationum mixturæ præexiſterent, valde erant alienæ à puro, vero, ac ſimplici Chriſti animo; & ideo illud à ſe reiicit, excludit, neque recipit. *Cùm guſtaſſet, noluit bibere.* D. Chryſoſtomus homil. 2. de Reſurrectione. *Acetum*, ait, *quoque amaro felle propinaſti Domino commixtum, ille tamen accepit, non quoòd biberet, ſed quòd potiùs reprobaret.*

*Fictio, & diſſimulatio contra rei veritatem eſt maximè fugienda.*

Franc. Luc.

Chryſoſt.

17. Albert. Mag. Secundò ait Albertus Magnus, & directè reſpondet ad quæſtionem. Propheta etiam dicitur falſus, non à falſitate doctrinæ, ſed ab intentione fallendi, & ſeducendi, quanuis aliàs vera dicat, tamen ſecundùm alium modum, nempe ab intentione decipiendi eſt falſus propheta, vt fuerunt falſi prophetæ Balaam, & Caiphas; nam Balaam vera, & bona dixit, *Num.* 23. & 24. & tamen pergens ad populum ſuum dedit conſilium, vt Iſraël deciperetur per idolum. *Apocal.* 2. *num.* 14. Caiphas vera dixit *Ioan.* 11. *num.* 51. & tamen malitioſè intendebat Chriſti nomen delere. His duobus modis explicatis dicitur falſus propheta. Ieremiæ 23. num. 14. *In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij.* Albertus Magnus ait: *Adulterantium ſimilitudo, quoniam veritatem, quam docent, adulterant, per ſeductionis intentionem. Iter autem mendacij, quando mendacia, vel falſa proponunt.*

*Falſus propheta dicitur ab intentione.*

Ierem. 23.

Albert. Mag.

18. Ab his falſis prophetis eſt maximè præcauendum. Errores ſub tegumento veritatis ſeminati maximè nocent, tunc enim valde leniter potiſſimè ſerpunt, cùm in hac permixtione difficillimum ſit, verum à falſo diſcernere. Vendito Ioſeph in Ægyptum, vt fratres ſuum crimen celarent erga parentem, *Tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hœdi tinxerunt eam, mittentes, qui ferrent ad patrem, dicentes, Hanc inuenimus, vide, vtrùm tunica filij ſit, an non?* Gen. 37. num. 32. Valde mirum, quòd iſti homines cogitauerint hoc ſuum ſcelus Iacob abſcondere; nam ipſi agnouerant, ſuum parentem eſſe virum ſanctum, plenum ſpiritu propheriæ, perſpicacique ingenio, vt ex his, quæ apud Laban contigerant, omnibus erat notum; & tamen illi intentant, obiecto mendacio patrem decipere. Cùm, vt bene ait Lippomanus, *nihil diuturnum, quod falſum, fictum, ac violentum eſt.* Et ita Iacob totum negotium deprehendit, vt vult Rupertus ibi. *Illa beſtia ſæuiſſima, quæ, quantum in ſe fuit, deuorauerat filium, qualis eſſet, non omnino patrem latere poterat.* Quomodo ergo illi in eam cogitationem fallendi patrem deueniunt? Submiſerunt miniſtros aſportantes veram tunicam, & pallium Ioſeph, qui dicerent: *Hanc inuenimus*, &c. Cùm mendacium prolatum eſſet aliqua inuolutum, contextumque veritate, apud ſe ſtatuêre; quòd magnus ſpiritus tantis donis ditati, nobilitatique parentis, illud minimè calleret, altius enim lumen requiritur ad introſpiciendam, ac diſcernendam veritatem fallaciis, ac mendaciis inuolutam, quàm ad quæque abdita penetranda, ac futura prædicenda.

*Valde difficile, veritatem mendaciis inuolutam dignoſcere.*

Gen. 37.

Lyppom.

Rupert.

19. Cellenſis. Ita difficile eſt, verum falſis permiſtum agnoſcere, vt dicat Petrus Cellenſis lib. de panibus. cap. 16. *Elaboratum mendacium, tunicis pelliceis retectum, pompa ambitioſiori gloriatur, quàm ſimplex veritas.* Vide igitur, quantum neceſſe erit, vt vnum ab altero diſcernere, ac diſtinguere valeas.

20. Iacto tritico in agro, venit inimicus homo, & ſuper



ſuperſeminauit zizaniam, quam videntes ſerui patrisfamilias, ſe offerunt ad eam colligendam. Quibus ille: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizaniam*, Matth. 13. num. 30. Sed cur bonus pater ſinit, zizaniam eſſe cum tritico; cui eam à ſuis ſeruis eradicari non mandat? D. Auguſtinus Epiſtola 48. per zizaniam intelligit mendacium; per triticum verò, ſeu per bonum ſemen veritatem. Chryſoſtomus homil. 47. *Liquidò autem hinc apparet, poſt veritatis ſeminatiam collecta, erroris fraudem pullulaſſe. Quod euentus quoque rerum confirmauit, falſi etiam prophetæ poſt Prophetas apparuerunt.* Per meſſores verò Theophylactus, Euthymius, Hugo Angelos interpretantur. Noluit Dominus, à ſeruis quantumuis peritiſſimis, zizaniam colligi; quia hoc, quod eſt, verum à falſo diſtinguere, non cuiuſcunque, ſed ſolius eſt intellectus Angelici, vt miſſus, & deſtinatus à Deo ad hoc negotium, tanquam ad quid arduum, ac difficile.

Matth. 13.

Auguſt.

Chryſoſt.

Theophyl. Euthym. Hugo.

*Diſtinguere verum à falſo, intellectus angelici eſt.*

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quare non explicet Dominus, quid à falſis prophetis præcauere debeamus?*

21. AIT Dominus: *Attendite à falſis prophetis*; non tamen exprimit, quid ab eis debemus attendere, ſeu præcauere. Cur non ait: Fugite à falſis prophetis eorum verba, doctrinam, exempla, opera: ſed abſque alicnius expreſſione abſolutè ait, *Attendite*, ſeu *præcauete à falſis prophetis?* Per quod denotat Dominus, quòd ab iſtis deprauatis magiſtris omnia eorum, quæcunque illa ſint, à nobis eſſe declinanda, ac euitanda, ſiue verba, ſiue opera: qualiacunque exiſtant: nam quanuis aliàs aliquod verbum ſit verum, aliquod opus bonum, à fonte tamen hæreticæ prauitatis, impiæque falſitatis veneno procedit infecto. Vnde ait S. Theophilus Alexandriæ Epiſcopus Epiſtola 1. *Siue iſte, ſiue alij Heretici ſcripſerint aliqua, quæ Eccleſiaſticæ fidei non repugnent, tamen non erunt abſque crimine.*

*Omnia falſi doctoris, & mali magiſtri fuge.*

Theoph.

22. Anaſtaſius. Huc pertinet illud, quod ſapienter dixit D. Anaſtaſius Synaita *lib.* 3. *in Hexaëmeron.* Vbi doctrinam iniquorum præceptorũ appellat aquam amaram, & perturbatam: nam licèt aqua in ſuo ſit lucida, dulciſque fonte; ſi tamen defluat per locum fœtidis, amariſque radicibus plenum, aliquem ſemper fœtorem, amaritudinemque participat; & doctrina, quanuis in Scriptura, ac ſanctis Patribus aqua pura, & lucida ſit; tamen prout cadit ab hæretico, & deprauato ore, ſemper habet aliquem malum odorem, & permiſtionem ſuorum errorum. Vnde illorum omnia tibi ſint ſuſpecta.

23. Exod. 32. Videns Moyſes Populum idololatrantem in adoratione vituli, *Arripiens vitulum, quem fecerat, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem*, Exod. 32. num. 20. Sat erat ad idolum extinguendum, illius formam, effigiemque delere: cur Moyſes hoc non exequitur, & ipſam puriſſimam auri materiam, quæ in magna quantitate erat, ad alios vſus, & munera non reſeruat, ſed totum combuſſit; & contriuit vſque ad puluerem? Illa enim quantitas, quanuis eſſet pretioſum aurum, ſeruierat iam idololatriæ, ac proinde illius ſemper odorem redderet, atque fœtorem; & ideo vult Moyſes, vt illius nihil ſuperſit, ſed totum eradicare mandat, atque delere. D. Ambroſius Epiſtol. 56. ad Romulum, *Moyſes*, ait, *comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis aboleret veſtigia.*

*Res, quæ aliquando ſeruiuit peccato, illius reddit odorem.*

Ambroſ.

---

## QVÆSTIO V.

### *Quare præcipiat Dominus, attendere ab his falſis prophetis, cùm habeant bonam apparentiam, & veniant in veſtimentis ouium?*

24. D. Thom. NOTANDVM eſt ex D. Thoma, quòd quanuis lupi ſe tegant pellibus ouium, non tamen, propter hoc, tegumentum illud perdit naturam pellis ouium. Hæc autem veſtis in his falſis prophetis, vt notant D. Chryſ. *in Imperfecto hom.* 19. D. Anſelmus, D. Paſchaſius *lib.* 4. *in Matth.* S. Thomas, ſunt quædam bona opera, vt ieiunium, orationes, eleemoſynæ, & ſimilia, quæ licèt, ſecundùm ſe, ſint bona; tamen prout fiunt ab iſtis falſis prophetis, & ab eorum deprauata intentione, vt notant citati Patres, procedunt, fugienda ſunt à nobis. *Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Non enim illa exhibent, vt Deum laudent, ſed vt cum Deo pugnent, non vt proximum ædificent, ſed vt deſtruant, non vt miſeriam alterius ſubleuent, ſed vt decipiant, ac ſeducant. Vnde iſti habent exteriùs lenitatem, & ſuauitatem lanæ ouium; intrinſecus verò vngulam, dentemque luporum. Cyrill. Catecheſi 4. *A pelle quidem*, ait, *manſueta induti, ſpecie probitatis decipiunt, pernicioſum verò impietatiis venenum ex dentibus emittunt.* Et de iſtis dicunt Etherius Epiſcopus, & Beatus Preſbyter lib. 2. *Foris homo videtur, intus beſtia fremit.* Ita dicitur Apocalypſis 13. num. 11. *Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo agni ſimilia, & loquebatur quaſi draco, & omnem poteſtatem prioris beſtiæ faciebat.* Per duo cornua agni intelligunt plures manſuetudinem, & innocentiam ſimulatam D. Gregorius verò *lib.* 33. *Moral. cap.* 36. hypocriſim ſanctitatis, & ſapientiam mentitam. *Et loquebatur, vt draco.* Et ita ait D. Gregorius. *Aſſumit agni ſpeciem, vt draconis exerceat operationem.* Intellige, vt facilius exerceat, & omnia ſubiiciat.

Chryſoſt. Anſelm. Paſchaſ. S. Thom.

*Mala cum bona apparentia fugienda.*

Cyrill.

Etherius. Beatus.

Apoc. 13.

Gregor.

25. Secundò. Damnantur iſti falſi prophetæ habentes veſtitam pellem demortuæ ouis; intus verò viget in eis viuida ferocitas, ac voracitas luporum? Quàm parum prodeſt demortua virtus, vbi multo vigore vitæ regnat iniquitas. In illa beſtia, ſuprà commemorata, erant duo cornua agni in capite, ſcilicet manſuetudo, & ſimulata innocentia: hoc autem caput erat illud demortuum in priori beſtia. *Apocal.* 13. *num.* 3. vt vult Anſbertus. *Illam poteſtatem*, ait, *hæc beſtia coram beſtia facit, quam draco priori beſtiæ aſcendenti de mari in illo capite tanquam occiſo dederat.* Cùm autem in beſtia eſſet mortuum caput, & conſequenter demortua manſuetudo, ac lenitas; vox autem draconis viuida, vitales opera

*Parum prodeſt virtus mortua, vbi regnat iniquitas viua.*

Ansbert.

operationes exercens, quid mirum, quòd ipſa beſtia tendat in mortem, & damnationem. Ex hoc infer, quòd parum prodeſt virtus parentum defunctorum, vbi vegetat, & graſſatur iniquitas viua filiorum. Quod multis exemplis, Iſmaëlis, Eſau, ac aliquorum filiorum Iacob latè comprobat D. Ambroſius *in cap.11. ad Roman.* Vide ſupra *cap.5. num.45.*

*Parum prodeſt virtus parentũ, vbi viua ſtat filiorum iniquitas.* Ambroſ.

26. *Quilibet ſuis, non alienis operibus reſplendeat.*

Tertiò. Reprobantur falſi prophetæ, dum, non ſuis meritis, ſed alienis operibus volunt probi, ſimplices, & mites reputari. Audita morte filij Sunamitidis mandat parens Eliſæus Giezi, vt pergat cum ſuo baculo, & eum imponat ſuper puerum. Qui adimplens mandatum *præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, nec ſenſus,* 4.Reg.4.num.31. Sed ipſe Propheta veniens, puerum in amplexu tenens, eum è mortuis ad vitam reuocat. Sed cur Prophetæ mandatum non adimpletur? Dum Giezi ſibi iniuncta exequitur, cur miraculum non operatur? ſed veniens Propheta ipſum reſuſcitat, vt ponderat Rupertus lib.5. de Trinit. & operibus eius cap.25. *Puer ab Eliſæo,* ait, *miſſus cum baculo, non ſuſcitauit puerum; per ſemetipſum Eliſæus veniens, ſeque ſuper mortuum ſternens, ipſum animauit.* Totum alta Dei prouidentia diſpoſitum eſt. Ibat Giezi per viam cunctis, dicens, vt tradunt Rabini, Theodoretus, Carthuſianus, Lyranus, & alij, ſe pergere ad reſuſcitandum mortuum. Noluit ergo Deus, vt Giezi alieno baculo, ac operibus Eliſæi niteret, ac reſplendeſceret; ſed miraculum edidit Propheta, in quo ipſa virtus, tanquam ſibi propria inerat. Vide *cap.11. num.151. & 152. & cap.12. num.23.*

4.Reg.4. Rupert. Theodor. Carthuſ. Lyranus.

27. *Damnatur, malum opus ſpecie bonæ intentionis diſſimulare.*

Quartò. Inde maximè iſti falſi prophetæ diſplicent, quia ſua turpia, & iniqua facta, quæ exhibent, tanquam lupi rapaces, aſtutè, ac ficta ſimulatione rectæ, & bonæ intentionis volunt celare, exterius veluti quendam animi candorem, ac ſimplicitatem oſtendentes in veſtimentis ouium, ſpeciem ferentes tanquam ſoliciti de tua ſalute, qui te maximè perdere volunt. Defert Amalecites nuntians Saulis mortem, & narrans rem geſtam Dauid ait: *Et locutus eſt mihi Saul: Sta ſuper me, & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ: ſtanſque ſuper eum occidi illum, ſciebam enim, quòd viuere non poterat poſt ruinam;* 2. Reg. 1. num. 10. Audiens hoc Dauid, ipſum Amalecitam iubet interfici. Sed quomodo ad capitalem ſententiam eum diiudicat Dauid; cùm puer, Regis mandatum ſe exercuiſſe, affirmet; & cùm aliàs ita Rex eſſet vulneratus, vt iam eius vita deſperata. Meritò tamen Amalecites damnatur ad mortem, quia factum turpe, & iniquum voluit obumbrare, ac contegere, quadam veluti bona intentione obiecta: *Sciebam enim, quòd viuere non poterat.* Abulenſis quæſt. 2. *Poſuit autem nuntius ad excuſationem ſuam, quia poterat dicere Dauid, quod iſtè malè occiderat Saülem, non poterat viuere aliquomodo, ſi iſte non occidiſſet eum, ideo ait: Sciebam, quòd viuere non poterat poſt ruinam. & ob hoc occidi eum, tanquam faciens ei gratiam, ne occideretur à Philiſthinis.*

2.Reg.1. Abulenſ.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare falſi prophetæ potius dicantur lupi, quàm leones, vel vrſi?*

NON leones, non tigres, non vrſos, quanuis ſint ſæuiſſimi, adducit Dominus in exemplum, ſed lupos apponit. Ad quod reſpondet primò Druthmarus. *Lupus ex etymologia à nomine Græco ſic dicitur à moribus, eo quod rapacitati ſit ſemper deditus, & cruori; ſimiles ſunt, qui alios Chriſtianos ſemper cupiunt deprædare, aut per violentiam, aut etiam quaſi per legem mundanam.* Quanuis alij animantes reperiantur robuſtiores, & velociores, tamen lupus inter omnes ſæuitiæ, ac prædæ eſt maximè deditus, itaut per ſuam indeficientem voracitatem, nunquam ſatietur, ſed ſemper cruori incumbat: hoc modo ſunt multi Chriſtiani, qui ſemper malum in alios moliuntur, non animaduertentes, quòd ab eodem parente ſunt geniti, vt ait citatus author, ſed veluti quadam inſatiabili ſiti humani cruoris tenentur, vt ſemper omnem cruciatum in nos machinentur. 28.

Druthmar. *Crudelis inimicus, qui nunquam ſatiatur cruore.*

Secundò Etherius, & Beatus lib. 2. *lupi*, ait, ſunt ſcilicet Hæretici. *Qui inſidiantur ouibus Chriſti, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quàm diurno: nocturno, quia inter ignorantes prædicant, quod per diem facere non poſſunt, quia à ſapientibus deprehenduntur. Nox ignorantia eſt, & dies ſapientia; ſemper enim perfidis nox eſt, qui lucem Chriſti ſuis nebuloſis interpretationibus obducere, & quantum in ipſis eſt fuſcare conantur.* Non leones, non vrſos, ſed lupos dicit, ſiquidem eorum ingenium eſt, non per diem, ſed per noctem prædam facere. Ita Hæretici, ac falſi magiſtri animas enecare intentant inter tenebras, & nebulas ſuarum falſitatum, ac errorum; & puram lucem Chriſti fugiunt, ne deprehenſi in ſuis mendaciis arguantur, ac confundantur à ſapientiotibus, ac veris magiſtris. 29.

Etherius. *Hæreticus inter nebulas errorum ſeminat ſuam doctrinam.*

Tertiò D. Ambroſius *in cap.10. Lucæ*, ad illa verba: *Ecce ego mitto vos: Lupi,* ait, *beſtiæ ſunt, quæ inſidiantur ouibus, abſentiam, aut deſidiam paſtoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt citò ſtrangulent, feri rapaces. Tum præterea ſi quem priores hominem viderint, vocem ei quadam naturæ vi eripere memorantur.* Lupi crudeliſſimi inter cætera animantia; nam non ſolùm ouem occidunt, dilacerant, & comedunt, ſed etiam citiſſimè, ac primò ſuffocant; & quos primò vident, eorum voces eripiunt. Ita etiam ſunt quidam crudeliſſimi tyranni, qui alios, non ſolùm omni malo afficiunt, ſed etiam ſuffocant, atque os conſtringere volunt, vt eos nec loqui, nec conqueri, nec gemitum dare, ſinant. 30.

Ambroſ. *Crudelis inimicus, qui nõ ſolùm lacerat, ſed etiam non ſinit loqui.*

Quartò. Non leones, non vrſos eos vocat, ſed lupos; nam lupus eſt maximè ſæuus, vafer, ac doloſus. Et ita inquiunt Etherius, & Ambroſius citati. *Inſidiantur ouibus, abſentiam paſtoris explorant.* Et ille inimicus inter omnes crudeliſſimus, qui inſidias molitur, aſtutia, ac ingenio malum, ac nocumentum machinatur. Ex Dei mandato dixit Samuël ad Saul. *Hæc dicit Dominus: Recenſui quæcunque fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto; nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire* 31.

Ether. Ambroſ. *Inimicus inſidiis pugnãs, valde deteſtabilis.*

*vniuerſa*



*vniuerſa eius: non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & aſinum,* &c. I.Reg.15. num. 2. Præcipit Dominus, omnia Amalec omnino delere, ac extinguere, mulierem, puerum, lactentem, bouem, & aſinum, itaut nulli rei detur venia, nec aliquid ex eis concupiſcatur, ſed ominia perimi iubet. Graues, & crudeliſſimos hoſtes habuit Iſraël; & tamen in nullum eorum tam auſterum, & rigidum ſupplicium legimus inflictum, vt in Amalec. Quod nam crimen eius? Vbi noſtra Vulgata habet, *Quomodo reſtitit ei in via*, Chaldæus legit: *Inſidiatus eſt ei in via.* Et Hebræus apud Caietanum tenet: *Quomodo poſuit ei in via*: Rabi Dauid interpretatur *Inſidias*; Amalec aſtu, ac ſtratagemate quodam pugnauit contra Iſraël percutiens extremam partem, dum laſſi reſidebant, *Deuteron.25. num.18.* Et inimicus, qui dolis, ac fraudibus bellum ingerit, inter cæteros crudelior, & ſæuior; & ideo maiori ſupplicio ſuper reliquos fuit multandus Amalec pro inſidiis appoſitis contra Iſraël.

Chaldaeus. Caietan. Rabi Dauid.

32. Pſalm.72. Theodor.

Ait Regius Vates Pſalm.72. n.18. *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos, dum alleuarentur.* Theodoretus legit: *Propter dolos diſpoſuiſti eis mala.* Sermo eſt de Chaldæis, & Babylonicis, vt exponunt Euthymius, & Nicephorus: de omnibus peccatoribus, & Hæreticis, Incognitus, Caſſiodorus, Lorinus, & alij. Sed valde mirum, quòd, cùm in his iniquis omnia peccata regnarent, Idololatriæ, hæreſis, blaſphemiæ, ac omnia vitia, non dicantur impoſita eis mala propter impietatem eorum, ſed propter dolos, ſeu propter doloſitatem, vt habet Auguſtinus. Adeò fraus, & dolus abominantur à Domino, vt in omnium malorum congerie maximè ſolicitauerint diuinam iram, quòd illos qui ſe exiſtimabant ſuis inſidiis ſuper alios omnes exaltari, deieciſti eos, ſeu, vt habet alia littera, *Corruere facies eos, in deſolationes, ruinas, & extremas miſerias.* D. Remigius. *Quaſi dicat Propheta: licèt dixerim eos puniendos in nouiſſimis eorum, tu autem in præſenti iam damnaſti eos propter dolos, quibus videlicet conuictores ſuos decipere ſolent, & in hoc ipſo, quo ſe putabant eleuari, miſeria, deiectione depreſſi ſunt, & ſubitò defecerunt, perierunt, propter iniquitatem ſuam.* Ex quo nota, quòd propter dolos, & fraudes eorum pœna anticipata eſt.

Euthym. Nicephor. Incogn. Caſſiod. Lorin. Auguſt. *Doloſitas diuinam iram maximè prouocat.* Remig.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare hîc Dominus præcipiat nobis attendere à lupis, non verò à canibus, & porcis, de quibus ſuprà egerat?*

33. Matth.7. *Ratio difficultatis.*

IN hoc *cap.7. Matth. num.6.* ait Dominus: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Quod ſatis latè explicaui ſuperiori cap. *num.27.* Mandat Dominus, quòd non demus ſancta, ſcilicet ſacramenta, res diuinas, ac arcana ſacræ Scripturæ, canibus, & porcis, hoc eſt, obſtinatis, & peruerſis hominibus. *Et conuerſi dirumpant vos,* hoc eſt, inſurgentes contra vos, ſuis iniquis factis vos lacerent, ac membratim diſcerpant. Et tamen ab iſtis crudelibus perſecutionibus, non mandat Dominus nos præcauere, ſicut hîc præcipit à lupis, ſeu falſis prophetis.



34. Chryſoſt.

Ad quod reſpondet primò Chryſoſtomus homil. 24. *Ecce,* ait, *cum canibus, ac porcis, aliud quoque inſidiarum genus, multo illis profectò efficacius ad nocendum. Illi quippe profeſſi ſunt, & omnino manifeſti; iſti verò fraudulenter obtecti: & idcirco ab illis quidem imperat abſtinere; iſtos verò etiam diligenter examinari, atque diſcerni, quaſi omnino difficile ſit, ad primum illos intelligere congreſſum, propter quod dixit: Attendite, vt nos ad eos excutiendos redderet acriores.* Canes, & porci, ſaltem montoſi, inimici crudeliores, & vehementiores ad nocendum; & tamen cùm de canibus, & porcis eſt ſermo, ſolùm nobis Dominus mandat, vt eis bona, ac margaritas non demus: at cùm de lupis agit, altiùs nobis imperat, magna cura ab eis præcauere. Nam illi ſunt manifeſti inimici, iſti verò occulti, & obtecti; & inde nequiores, & promptiores ad malum ingerendum. Idem etiam docet Euthymius *hîc.*

*Crudelior hoſtis occultus, quàm manifeſtus.* Euthym.

35. Chryſoſt.

Secundò idem Chryſoſtomus citato loco. *Deinde,* ait, *ne cùm audiſſent arctam, atque anguſtam viam: & quia illos multis aduerſantibus per eam oporteret incedere: porcos quoque, & canes eſſe cauendos: cumque iſtis aliud quoque malitioſius genus luporum: ne, inquam, tot triſtium rerum aggreſſione conciderent, tam multis inſidiantibus iter tale conficere.* Vult Dominus ſuos milites adiuuare, non multis difficultatibus obruere, ne eorum vires tabeſcant. Erant diſcipuli adhuc teneri infantes in Chriſti ſchola; & eis erat dictum, arctam, & anguſtam eſſe viam cæli, ſuprà *num.14.* Si autem eis Dominus etiam imperaſſet, vt cauerent à lupis, canibus, & porcis, cùm viderent tot inimicos, inſidias, ac difficultates à ſe eſſe ſuperandas, eorum animus conſternatus poterat retrocedere, & deficere. Vt ergo eos foueret, à lupis, tanquam crudeliſſimis hoſtibus, ſolùm præcipit attendere.

*Incipientes nõ ſunt multis difficultatibus deterrendi.*

36. Ambroſ.

Tertiò. Hanc rationem colligo ex D. Ambroſio *lib.6. in Hexaëmeron cap.6.* Attendite vobis à falſis prophetis. *Illi enim,* ait Ambroſius, *animam debilitant.* Iſti falſi prophetæ, ſeu lupi rapaces inferunt nocumentum animæ, ſeducendo à veritate: at canes, & porci, *dirumpent vos*; hoc eſt, veſtrum corpus lacerabunt, & in fruſta cædent: ideo non ab iſtis, ſed ab illis nos iubet præcauere. Quia bona ſpiritualia animæ ſuper omnia temporalia corporis bona ſunt omni animi conatu affectanda, & procuranda à nobis, qui Chriſti veſtigia ſequimur.

*Pro ſalute animæ omnia corporalia contemnẽda.*

37. Actor.7.

De beato Stephano dicitur Actor.7. num.55. *Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Valdè mirum, quòd ſolùm in cælum intendit, ſolum Ieſum vidit. Cur non etiam oculos in ſe conuertit? Vel cur etiam eos non coniicit in perſecutores ſuos? Sed totus eſt in cælum intendens? Perpende, quod antea immediatè dicatur: *Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto.* Cùm ergo diuino Spiritu ageretur, totus erat defixus in conſideratione cæleſtium donorum, nil cogitans de corpore, quod expoſitum erat porcis, ac canibus, vt illud lapidibus dirumperent, ac dilacerarent. Petrus Damianus ſerm. de S. Stephano. *Simul ſignanter intellige conſecutionem verborum: Plenus eſt Spiritu ſancto; & ſic intendit in cælum:*

Damian.

Rr *quia*

*quia qui ſpiritu diuinitatis afflantur, conculcatis terreſtribus, cæleſtibus inhiant, & æternis.*

38.
Matth.24.
Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis Matth. 24. num.15. *Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit intelligat. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendat, tollere aliquid de domo ſua.* Graſſante illa miſera abominatione in loco ſancto, docet Dominus, quòd qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes; & qui repertus fuerit in tecto, non deſcendat inde; ſed ſi neceſſitatem alicuius rei ad ſuſtentationem paſſus fuerit, ſuſtineat, & non deſcendat: ita enim debet eſſe defixus ad ſalutem animæ, vt omnia, quæ ſunt corporis, contemnat.

*Pro ſalute animæ, omnia corporis contemne.*

Chryſoſt.
Chryſoſtomus in Imperfecto homil.49. *Quicunque tempore illo,* ait, *fuerit ſuper tectum, id eſt, in rebus ſpiritualibus viuens, quæ ſunt aut in capite, aut in corde, quæ tecta dicuntur corporis noſtri, & faſtigia prima: non deſcendat ad inferiores corporis ſui partes, vnde aliquid tollat; id eſt, non deſcendat ad aliquas res carnales, vt deſideret aliquid, quod eſt corporale. Alioquin comprehendet eum abominatio deſolationis. Et vide, quia quotquot pereunt de Chriſtianis, propter aliquam corporalem cauſam pereunt conſtitutam deorſum.*

*Matth.7.n.16.* A fructibus eorum cognoſcetis eos, Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus.

*VERSIONES.*

*Pagninus.* A fructibus corum agnoſcetis eos.

*Tertull. lib. de Præſcription.* Ab operibus ſuis reuincuntur.

*EXPOSITIO.*

39.
PRÆCEPERAT Dominus, cauendos eſſe hos lupos, ſcilicet falſos doctores, hæreticos, ac etiam hypocritas, vt alij exponunt, latentes ſub ouina pelle, hoc eſt, ſub compoſito, & ſimulato exteriori: & quia occulta cordis ſunt abſcondita homini, dat Dominus ſignum, per quod eorum malitia deprehendatur. *A fructibus eorum.* Duplex autem eſt eorum fructus. Primus mendacis, & impiæ doctrinæ. Secundus verò prauorum morum, & ſcelerum. Etſi aliquando in ore eorum inueniantur aliquot verba, quæ appareant bona; tamen his non eſt fidendum, vt ait Euſebius Gallicanus homil. in Domin.8. poſt Pentecoſten. *Qui in verbis non diſcernuntur, in operibus comprehenduntur.* Vnde dixit Dominus Matth.23. num.3. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; quæcunque dixerint vobis, facite; ſecundùm opera eorum nolite facere.*

Euſeb.
Matth. 23.

40.
*Nunquid colligunt,* ſcilicet homines, *de ſpinis vuas.* Et ponit Dominus exemplum, ac ſimilitudinem ad ſuam doctrinam declarandam. Qualis enim fuerit arbor, talis & fructus: malæ ſpinæ non producunt bonas vuas; & mali tribuli, ſpinarum genus, teſte Plinio *lib.18. cap.17.* non ferunt dulces, & ſaporiferos ficus. Ita qualis Propheta, talis & fructus, malus, falſus, & hæreticus Propheta, malos opere, & doctrina fructus præbet. Tamen, vt ait Hugo, ſicut vitis aliquando exuberat ſuper ſpinas, & facit ibi vuas; vnde notat Interlinealis. *Si ſuper ſpinas pendent vuæ, non ab eis,* ſed ſcilicet à vite proxima. Sic & Hæretici aliquando, bonum aliquod externum opus, aut verbum præbent; ſed hoc non à ſe ipſis, cùm ſint lupi rapaces, ſed à veſtimento ouium. Vnde, inquit idem Hugo, *ſi aliquid dulcedine verborum vngunt, in fine tamen aculeis ſpinarum, pungunt.* Vnde omnia eorum ſint tibi ſuſpecta. Tamen pro aliqua occaſione circa ea, quæ aliquando vides in peccatore, vel hypocrita, nota, quod dixit ſapienter Auguſtinus, 46. in Ioan. *Botrum carpe, ſpinam caue.*

Plinius.
Hugo. Interlin.
Hugo.
*A malo homine cape bonum, relinque malum.*
Auguſt.

QVÆSTIO VIII.

*Quomodo iſti falſi prophetæ agnoſcendi ſint?*

41.
Paſchaſ.
Abulenſ.
AD quæſtionem reſpondet D.Paſchaſius *l.4. in Matth.* Abulenſis *hoc loco quæſt.* 88.& alij communiter. Quòd iſti falſi prophetæ, quanuis veniant in veſtimentis ouium, ſuum venenum produnt, & manifeſtant per ſua opera, & doctrinam. Opera enim eorum ſunt opera carnis. Quæ, vt ait Apoſtolus ad Galat.5.n.19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ,* &c. His enim vitiis abundant iſti falſi doctores, & hæc mala ſemina ſpargunt in populo, vt præclarè proſequitur D.Anaſtaſius Sinaita *in ſuis quæſtionibus quæſt.20.* Iſtorum etiam iniquorum prophetarum mala doctrina deprauatum eorum animum indicat. Nam, vt rectè comprobat D.Chryſoſtomus *homil.24.* ex Paulo ad Rom.16.n.18. *Per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda.* Maximè hæreticus, ac hypocrita deprehenditur in ſua doctrina, ſuiſque verbis. Et hoc ſignum præbet *Ioannes 1.cap. 4.num.1.* ad hos lupos agnoſcendos, & cauendos, *Nolite,* ait, *omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus, qui confitetur, Ieſum Chriſtum ir carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt.*

Gal.5.
Anaſtaſ.
Chryſolog.
Rom.16.
1.Ioan.4.

42.
D.Thom.
Secundò. Hoc multis explicat D. Thomas. *Quia vix,* ait, *aliquis hypocrita poteſt eſſe compoſitus, quin appareat aliquid malitiæ, vel verbo, vel facto.* Prouerb.27.num.19. *Quomodo in aquis reſplendent vultus reſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* In duobus autem manifeſtantur. In his, quæ ſubitò agendo occurrunt, quia in his, quæ cum deliberatione quis facit, cauet ſibi. Item in tribulationibus, & laboribus facile deficiunt, Eccleſiaſt.6. num.8. *Eſt enim amicus, ſecundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Item manifeſtantur, quando non poſſunt conſequi, quod volunt, vel cùm iam conſecuti ſunt. Vnde principatus virum oſtendit. Hæc D. Thomas.

Prou.27.
*Multa ſigna ad hos agnoſcendos.*
Eccl.6.

43.
Hugo.
Tertiò. Hugo magis explicans illa proximè citata verba D.Thomæ. *Principatus virum oſtendit,* ait Cardinalis: *A fructibus eorum cognoſcetis eos, quando ſcilicet ſunt in dignitatibus, tunc ex*



*fructu apparent, quales prius extiterint.* Nam multi antequam obtineant dignitatem, ſe præbent in veſtimentis ouium, vt eam valeant comparare; at poſt obtentam malitia, quæ intus latebat, prodit, & ſe exhibent, tanquam lupi rapaces, vt omnia deuorent, omneſque mordeant, atque dilacerent.

*Ante dignitatem humilis pòſt lupus ferox.*

44.
3.Reg.2.
Poſtquam Salomon clauum regni tenuit, Adonias frater eius obſecrat Bethſabee, dicens ei, *non confundas faciem meam,* 3.Reg.2.n.16. vt pro ſe loquatur ad Regem, vt detur ei Abiſag Sunamitides in vxorem. Quod tanquam rem paruulam exiſtimauit ipſa Bethſabee *ibidem num.20.* Quod Salomon audiens, Adoniam iubet occidi. *Miſitque Rex Salomon per manum Banaiæ, qui interfecit eum, & mortuus eſt.* Magna ſanè quæſtio exoritur ob quam cauſam Salomon occiderit ob illam petitionem, quam ipſe valde ſubmiſsè edidit, & Bethſabee mulier valde prudens eam paruulam iudicauit. Vnde Caietanus Salomonem, vt peccati reum condemnat. Abulenſis verò *quæſt.27.* melius à peccato liberat. Nam Salomon, cùm eſſet ingenio acutus, & multa ſcientia illuſtratus, calluit malitiam Adoniæ, qui illa humili, ac ſubmiſſa petitione, quæ paruula videbatur, affectabat in coniugem Abiſag, quæ fuerat vxor Dauid, & Regina, vt eâ adepta, vt ponderat Theodoretus, tyrannidem exerceret, Regnum vſurparet, & Salomon occideret. Vnde eum meritò iubet interficere. Quapropter ait Lyranus. *Quod aduertens Salomon,* malitiam ſcilicet Adoniæ, *qui erat perſpicacioris ingenij, quam mater ſua, reſpondit Poſtula ei regnum; contra animam ſuam locutus eſt Adonias.* Multi enim ſunt, qui dum degunt in Republica vt homines particulares ſubmiſsè, ac ſub ouiua pelle, ac tanquam re paruula contenti, dignitates machinantur. Poſtea verò illis adeptis, ſe produnt tanquam lupi rapaces, tyrannidem exercent, & omnes volunt interimere. O vtinam Salomonis haberemus ingenium ad huiuſmodi malum expiſcandum, ac euitandum.

Caiet.
Abulenſ.
Theodor.
Lyranus.
*Multi, dum dignitates ambiunt, vt oues ſunt, poſtea vt hoſtes.*

45.
3.Reg.12.
Regnante Roboamo, cùm maximè Reſpublica vexaretur, ait textus 3.Reg.12.num.3. *Venit Ieroboam, & omnis multitudo Iſraël, & locuti ſunt ad Roboam, dicentes.* Vt multitudinem tributorum impoſitam minueret. In quo hoc maximè pondera, quòd primus zelator boni populi, & qui immodicam Regis contra Rempublicam ambitionem vult reprimere, eſt Ieroboam: *Venit Ieroboam.* Et tamen de hoc populi zelatore, Rege facto, dicitur: *Fecit de nouiſſimis populi Sacerdotes excelſorum: quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum,* 3.Reg. 13. num.33. Quod explicant Carthuſianus, & Hugo *Impleuit manum Regis, dando ei pretium, ſiue pecuniam pro Sacerdotio obtinendo.* Et de eo teſtatur Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quòd Ieroboamus fuit peſſimus, maximè ambitioſus, & omnia ſuo tempore erant venalia; ac proinde maximè Rempublicam vexauit ad ſua propria bona multiplicanda. Et ideo fortaſſe inter alias rationes etiam in Samaria fecit vitulos aureos, vt donaria populi acciperet. Sed iſte nónne primus pro populo zelator erat, & qui pro illius commodo ſtabat coram Rege? Verum eſt. Sed hoc, quandiu erat vnus è populo, ac ſupremam affectabat dignitatem. At creatus Rex iam alium ſe exhibet; & qui antea ſub ouina pelle zelator reipublicæ erat, nunc iam factus lupus, illius eſt deuaſtator. Claudianus lib.2. in Eutropium.

3.Reg.13.
Carthuſ.
Hugo.
*Sæpe homo, vt ſubditus, zelat pro populo; & factus princeps, eſt illius tyrannus.*

Claudian.
*Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum.*

46.
1.Reg.18.
1.Reg.20.
Vidente Ionatha Dauidem, conglutinata eſt anima eius cum anima illius, & inierunt amicitiæ fœdus, 1.*Reg.*18.*num.*3. Poſtea verò ſuccedentibus rebus ait Ionathas ad Dauid, iuramento interpoſito: *Si vixero, facies mihi miſericordiam Domini: ſi verò mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuam à domo mea vſque in ſempiternum. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid,* 1.Reg.20.n.15. Sed ſi iam fœdus erat antea celebratum, ad quid ſecundò repetitur, ac iteratur? Nunquid præſumendum erat, quòd Dauid à ſuo verbo, ac fœdere dato reſiliret? Primum pactum celebratum eſt, cùm Dauid, tanquam homo vulgaris, ac particularis reputabatur. Poſtea verò multis ſignis, ac iudiciis demonſtratis, iam agnoſcebatur tanquam Rex, & princeps futurus. Ideo tunc ſecundum firmatur pactum: *Si vixero, facies mihi miſericordiam,* &c. Agnouerat Ionathas, tanquam prudens, quòd homines officio, ac dignitate maximè mutantur à priſtina conditione, itaut omnium, quæ antea præceſſerant, obliuiſcantur; ideo, vt apud ſe ſtatuit Regem futurum, minimè acquieſcit primò fœderi, ſed aliud inire, ac interponere cum eo, tanquam Rege, neceſſarium iudicat. Abulenſis quæſt.23. *Iſtud,* ait, *ſecundum fœdus fuit initum, quia Ionathas iam cognouerat, Dauid exaltandum ad Regium principatum, & nullum regnaturum de ſtirpe Saulis.*

*Homines officio mutantur.*
Abulenſ.

QVÆSTIO IX.

*Quare iſtæ malæ arbores dicantur agnoſcendæ ex fructibus, & non ex floribus?*

47.
Euthym.
RESPONDET ad quæſtionem primò Euthymius. *Quemadmodum enim,* ait, *bona, & generoſa arbor, non à floribus, ſed à fructu cognoſcitur; ita ſanè & hos, non à ſermonibus, ſed ab operibus eorum cognoſcemus.* Vult, quòd quanuis iſti falſi doctores ab operibus, ac doctrina deprehendantur; ab operibus tamen eorum iniquitas potiùs detegitur, iuxta illud ſuprà citatum Chriſti Domini. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ,* &c. Sed illud preme ad intentum noſtræ quæſtionis, *Quod non à floribus, ſed à fructu cognoſcitur.* Qualitas enim, & natura arboris bona, vel mala, in flore etiam latet, clarè, ac patenter manifeſtatur in fructu. Non ego à floribus, ſed à fructu conditio arboris deprehenditur. Vnuſquiſque bonus, vel malus; fidelis, vel hæreticus; iuſtus, vel hypocrita, non eſt iudicandus, nec cenſendus per id, quod occultatur, ſed per id, quod patenter, & clarè exit, ac prodit in publicum. Vnde de iſtis falſis prophetis, cùm ſint intrinſecus lupi rapaces, ait Dominus, quòd à fructibus, qui foras erumpunt, agnoſcentur. Chryſologus ſtatim citandus. *Quod latet in herba, manifeſtatur in ſpica; & quod celatur in gramine, aperitur in fructu; ſic quos credentes putamus pares, fide diſpares inuenimus; ſic iudicij prodiit meſſis, quod Eccleſiæ germen occultat, iuxta illud dictum Dominicum: A fructibus eorum cognoſcetis eos.*

*Quilibet iudicandus, non per id, quod occultatum, ſed per id, quod eſt manifeſtum.*
Chryſolog.

48\. *Chryſolog.* Secundò D. Chryſologus ſerm. 97. *Ait Dominus: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Flores multi multitudinem fructuum pollicentur; ſed examinati ventorum flabris ad fructum pauciſſimi perſeuerant. Sic credentes in Chriſto multi in Eccleſia videntur in pace; vbi autem perſecutionis procella perflauerit, pauci martyres reperiuntur in fructu.* Arbores in multos flores erumpentes in ſerenitate temporis multos fructus promittunt: tamen irruente tempeſtate agitantur huc, & illuc rami arboris, multi flores decidunt, & pauci remanent ad fructum. Agnoſcendæ ergo arbores, ſeu doctores in Eccleſia, ait Dominus, non à floribus, ſed à fructu: multi enim in ſerenitate temporis multos flores oſtendunt, multoſque fructus promittunt; ſæuiente tamen tempeſtate perſecutionis pauciſſimi perſeuerant ad fructum.

*Multi magna promittunt, in tempeſtate deficiunt.*

49\. *Cantic. 4. Septuag.* Ait Chriſtus Dominus de anima dilecta: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Cantic. 4. num. 3. Seu, vt habent Septuaginta, *Sicut cortex mali punici.* Vbi illud maximè eſt ponderandum, quòd eam non comparat cum integro malo punico, ſed cum rudi cortice. Cur non potiùs cum ipſis granis, quæ ſuo purpureo colore maximè viſum attrahunt? Caſſiodorus, Iuſtus Orgelitanus, & Beda exiſtimant, hîc laudari conſtantiam Iuſtorum, ac ſanctorum Martyrum. Et bene cum cortice, & non cum granis aſſimilatur: nam inter illa, hæc eſt differentia. Dum malum punicum aperitur, grana in ſerenitate temporum mira elegantia, ac pulchritudine rubent, & apparent, ac valde periucundum aſpectum videntibus præbent; tamen ſi irruit tempeſtas, & concutitur arbor, facile decidunt, & cadunt. At verò cortex, in quacunque ventorum aduerſitate, firma adhæret, & infixa conſiſtit in arbore. Bene ergo Iuſti non comparantur cum granis, ſed cum cortice: nam eorum perfectio viſitur, non in eo, quod in lenitate rerum multa promittant, & elegantem verborum aſpectum præbent, ſed quòd in altercatione temporum immobiliter perſeuerantes, Chriſto veræ viti adhæreant. Catena trium Patrum. *Cortici mali punici ſimiles ſunt genæ tuæ, vt ſeueritatis amantes, atque ab omni diſſolutione remotæ.* Et rectè dicitur, *Genæ tuæ, ſicut cortex:* nam ſicut homo per genas, ac faciem agnoſcitur; ita verus, & fidelis ſeruus Chriſti, tanquam per faciem, ac vultum cognoſcitur in perſiſtentia, ac permanentia ſæuiente perſecutione.

*Caſſiodor. Orgelit. Beda.*

*Multi ſtant in ſerenitate temporũ, qui in tempeſtate decidunt.*

*Catena.*

50\. *Matth. 3.* De Chriſto Domino ait Ioannes: *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam,* Matth. 3. num. 12. Eſt in area triticum, & palea, dum omnia ſunt in quietudine, ac ſerenitate: immò in area maiorem locum occupat fœnum, quàm triticum, & magis ſe conſpicabile præbet; at dum ventilantur, flante vento, triticum in area remanet; palea verò diſpergitur, ac per aëra rapitur. In Eccleſia ſunt Iuſti, & peccatores; at ſi perſecutionis ardor accenditur, Iuſti remanent in Chriſti area; paleæ verò peccatorum fugiunt, & diſparent. Tertullianus lib. de fuga in perſecut. cap. 1. *Domini iudicium eſt perſecutio,* ait, *per quam quis, aut probatus iudicetur. Hæc eſt palea illa, quæ nunc dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet, confuſum aceruum euentilans, frumentum martyrum, & paleas negotiatorum.*

*Reprobi in ventilatione diſparent.*

*Tertul.*

## Qvæstio X.

### *Quare Dominus hîc adducat in exemplum potius vuas, & ficus, quàm alia poma?*

51\. *Chryſoſt.* Ad quæſtionem rectè reſpondet primò Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 19. *Vua,* ait, *myſterium in ſe Chriſti habet: ſicut enim botrus multa in ſe grana, ligno mediante ſuſpendet; ſic Chriſtus multos ſibi fideles per lignum Crucis tenet adiunctos. Similiter & ſicut ficus multa grana vno tegmine tenet incluſa; ſic & multos fideles quodam dulci charitatis amplexu vna tenet Eccleſia. Et ſunt in ficu ſigna hæc, charitatis quidem in dulcedine, vnitatis autem in coniunctione granorum.* Optimè ergo ad agnoſcendum fructus veri, vel falſi prophetæ ponuntur in exemplum vuæ, vel ficus, quæ vnionem, & charitatem adumbrant. Verus enim Propheta, ac bonus Prædicator huiuſmodi fructus profert, qui maximè intendit eructare doctrinam, quæ vnionem præſtet, tam in ipſis fidelibus, quàm cum ſuo capite Chriſto Ieſu, ac eius ſponſa Eccleſia ſancta Romana. Hos autem fructus minimè producit falſus propheta, ac hæreticus, qui nihil aliud ſcit niſi ſeminare diuiſiones, ac diſſenſiones; & tribulos, & ſpinas dare.

*Bonus Magiſter ſeminat pacem.*

52\. *Chryſoſt.* Secundò idem Chryſoſtomus citato loco. *Et ſunt in ficu ſigna hæc: Charitatis quidem in dulcedine; vnitatis autem in coniunctione granorum. In vua quidem eſt patientiæ ſignum; quia in torcular mittitur: gaudij autem in ſpe; quia vinum lætificat cor hominis: ſynceritatis autem, quia non eſt aqua permixtum: & delectatio ſuauitatis. De his autem ſcriptum eſt,* ad Galat. 5. num. 19. *Fructus autem ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia,* &c. *Spinæ autem ſunt hæretici. Ergo non poſſunt ſpinæ, & tribuli Eccleſiaſticos fructus proferre; ſed quid proferunt? Vulnera, tribulationes, & cætera mala.* Fructus Prælatorum, doctorum Eccleſiaſticorum rectè per vuas, & ficus ſignificantur; nam ſua dulcedine, ac ſapore animum recreant, cor lætificant, & cum ſua ſinceritate hominem mira ſuauitate replent. At falſi prophetæ, iniqui paſtores, & magiſtri huiuſmodi fructus non producunt, ſed ſpinas, & tribulos, qui ſolum hominem vulnerant, ac lacerant; & ſimulata quadam malitia promittunt ſubditis dulcedinem vuarum dantes ſpinarum aculeos; vt idem S. Pater ponderat. *Tandem ſpinæ non dant vuas, & ficus, quæ cunctis dant ſuauitatem: nec omnibus animantibus dant vmbram, ſicut bonæ arbores. Sed ſpinæ, tanquam mali Prælati, ſolùm ſub vmbra ſua ad requieſcendum recipiunt venenoſos, & peſtiferos ſerpentes.* Sub malo paſtore ſolùm inueniunt requiem, & leuamen mali, & venenoſi ſerpentes. Pergit idem Chryſoſtomus. *Sub arbore bona beſtiæ, & animalia requieſcunt, ſub ſpinis autem nullum animal requieſcere poteſt, niſi tantummodo ſerpentes: ſic iuxta fideles homines boni, & mali pacem habere poſſunt: iuxta autem infideles nemo poteſt pacem habere, neque requieſcere in eis, niſi tantùm ſerpentes.*

*Boni Prælati dulcedinem, mali aculeos ſpinarum præbent.*

*Sub malo paſtore inueniunt ſolum venenoſi ſerpentes.*





53\. *D. Thom.* Tertiò D. Thomas. *Per vuas,* ait, *ex quibus fit vinum, intelligitur ſpiritualis lætitia.* quia vinum lætificat cor hominis, *Pſalm.* 103. Per ficus dulcedo Eccleſiaſticæ pacis, quæ eſt charitas: hæc non poſſunt naſci de tribulis, id eſt, peccatoribus, quia ſpinas, & tribulos germinabit tibi, *Geneſ.* 3. Dulcedinem pacis, & vnionis non dant iniqui peccatores præfigurati in ſpinis, & tribulis. Quartò Cardinalis Hugo per ſpinas, & tribulos intelligit peccata, peccatores, ac diuitias huius ſæculi, ex quibus dulces vuarum, ficorumque fructus colligi nequeunt.

*Dulcedinem charitatis, & vnionis non dant iniqui.*

*Hugo.*

54\. Quintò. Non dixit Dominus, quòd ſpinæ non poſſunt germinare malogranata, & nuces, ſed vuas, & ficus: nam hæc eſt differentia; quia fructus in malogranatis, & nucibus cortice ſunt contecti; at in vua, & ficu fructus eſt apertus, & manifeſtus, nullo putamine inuolutus. Optimè ergo Catholica, & ſancta doctrina, non cum illis, ſed cum iſtis comparatur; Chriſtianæ enim doctrinæ veritas non abſconditur, nullo enim inuolucro operitur, ſed clarè, & patenter prodit, ac exit in publicum.

*Chriſtiana veritas inuolucris non tegitur.*

55\. Innumerabilia ſunt diſcrimina inter Chriſtum Ieſum, ac Phariſæos, vtpote inter filium Dei, ac Diaboli membra. Illud tamen maximè ponderandum, quod Chriſtus Dominus aperta, & alta voce loquebatur Ioan. 7. num. 37. *In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat.* At Phariſæi furtiuè, & ſubmiſſa voce loquebantur. Phariſæus, qui Dominum inuitauerat, *Ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet Propheta,* Luc. 7. num. 39. Et frequenter mala cogitabant, & dicebant in cordibus. Et ita eis Dominus dicebat: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris, *Matth. 1. num. 4. & cap. 21. num. 25. Luc. 5. num. 21.* Et frequenter intra ſe murmurabant, *Luc. 15. num. 2. & 19. num. 7. Ioan. 6. num. 41. & 43. & cap. 7. n. 32.* Ratio huius diuerſitatis aperta, & clara. Nam Chriſtus Dominus veram, & ſanctam doctrinam eructabat; & ideo non poterat abſconditè detineri, ſed patenter, & alta voce prodibat. At Phariſæi mendacia, & falſa machinabantur; & ideo eorum dicta abſcondita, & perfoſſa latibula quærebat. Diuus Chryſologus ſerm. 31. *Bonitas virtutum mater,* ait, *malitia origo vitiorum; virtutes comitatur gloria; inhæret vitiis cognata confuſio: ſicut vitia teguntur dolis; ita illuſtrantur libertate virtutes. Hinc eſt, quòd Chriſtus virtutum lux agèbat liberè, loquebatur purè, præſtabat vt Deus, patiebatur vt parens, vt Dominus arguebat. Iudæi verò, progenies viperarum ſummittebant capita, adulabantur lingua, vulnera dabant, dolis, & blaſphemiis venena fundebant, & tota cupidi ſimulatione valebant.* Vide *lib. 1. cap. 6. num. 47. & lib. 3. cap. 1. num. 62. & 63.*

*Ioan. 7.*

*Luc. 7.*

*Veritas publicum quærit, falſitas latibula.*

*Chryſolog.*

*Matth. 7. n. 17.* Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

*Ibid. num. 18.* Non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.



### *Versiones.*

*Euthym. n. 17.* Sic omnis arbor vitioſa.

*Pagninus, Vatablus.* Putris autem arbor malos fructus gignit.

*Syriacus n. 18.* Impoſſibile eſt, arborem bonam, malos fructus facere.

*Arias.* Neque arbor carioſa fructus pulchros facere.

### Alter Textvs.

*Lucæ 6. n. 43.* Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.

### *Expositio.*

56\. *Albert. Mag.* Explicat Dominus, vt ait Albertus Magnus, naturam, & proprietates arboris ex eius potentia, & fructu, ſeu operatione. Et cùm potentia, ſeu qualitas arboris ſit nobis occulta ex eius fructu cognoſcenda eſt: nam ſemper fructus, & operatio proportionatur naturæ rei. Et vtinam, vt hoc contingit in arboribus, ſic & in hominibus. Nomine autem arboris hoc loco intellige etiam fructus omnes. Et ſicut vuæ non colliguntur, niſi à ficulnea, ita & boni fructus non capiuntur ex mala arbore, ſed ex bona. Et per hanc parabolam denotat Dominus, quod à bono, & vero doctore, quandiu talis, bona, & non mala doctrinæ documenta eructantur. A malo autem magiſtro, vt talis eſt, non niſi mala ſemina proueniunt. Quod clariùs explicabo cum aliis expoſitionibus *quæſt. ſequenti.*

## Qvæstio XI.

### *Quomodo intelligendum in hominibus, quòd arbor bona non poſſit fructus malos facere; nec arbor mala bonos fructus facere?*

57\. Qvanqvam enim in arboribus, & plantis hæc vera ſint, cùm naturaliter producant; non enim arbor bona malos fructus, nec mala bonos edere poteſt: quomodo autem hæc vera ſint in hominibus, maximè dubium eſt, nam libere operantur. Homo enim bonus aliquando in malos germinat fructus, vt in verba otioſa, peccata venialia; immò & aliquando à virtute deficit, & in grauia peccata præcipitatur. Homo autem malus aliquos etiam bonos fructus ex genere ſuo edere poteſt, vt eleemoſynam, ieiunium, parentibus reuerentiam. Et ideo præſenti difficulate variæ poſſunt eſſe ſententiæ. Nam D. Cæſarius Arelaten. homil. 24. per hanc arborem intelligit diuitem. Sic ait: *Timeat diues illud*

*Ratio difficultatis.*

*Cæſarius.*

*quod ſequitur : Omnis arbor , quæ non facit fructum bonum , excidetur , & in ignem mittetur. Extendat ergo manus ſuas ad eleemoſynas , vt poſſit euadere æternas flammas. Omnes ergo diuites timeant exemplum illius arboris infructuoſæ, & ſterilis, id eſt, illius, qui purpura , & byſſo induebatur.* In hac quæſtione duæ ſunt celebres ſententiæ, ad quas cæteræ reduci poſſunt.

58. Prima hîc per arborem bonam intelligit voluntatem bonam, ſiue charitatem : & per arborem malam, malam voluntatem , ſeu deprauatam cupiditatem. Ita D. Chryſoſtomus *homil.* 24. D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Dom.* Theophylactus, Beda, Albertus Magnus, S. Thomas, Caietanus, & Hugo. Fructus autem bonæ voluntatis , vt iam ſuperiùs dixi , enumerat Apoſtolus ad Galat. 5. num. 22. *Fructus autem ſpiritus eſt : charitas, gaudium, pax , patientia, benignitas , bonitas ,* &c. Fructus autem arboris malæ ibidem appoſuit Apoſtolus num. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio , immunditia , impudicitia,* &c. In hac autem ſententia eſt Petrus Damianus *lib.* 3. *Epiſtol.* 9. vbi ait, quòd *caſta voluntas exhibet honeſtatem pudicæ conuerſationis.* Et *lib.* 6. *Epiſt. etiam* 9. ait, quòd , *de voluntate ſuperba , quæ proculdubio mala eſt , nunquam mera , & incontaminata procedit humilitas.*

Chryſoſt. Auguſt. Theophyl. Beda. Albert. Mag. D. Thom. Caietan. Hugo. Gal. 5.

*A mala voluntate operatio mala.* Damian.

59. *Secunda ſententia.* Secunda ſententia , per arborem bonam , vel malam interpretantur doctorem verum , vel falſum docentem. De his præceſſerat , ac proinde conſequenter ad litteram hi ſunt intelligendi. Ita Abulenſis *hîc* , & alij , qui etiam aduertunt , quòd per arborem malam hypocritæ accipiantur, vt eos denotat D. Luc. *cap.* 6. *num.* 43. de eis enim agebat Euangeliſta. Fructus autem arboris, ſeu doctoris eſt doctrina, quæ à bono eſt bona, & vera ; à malo mala , & falſa , vt explicat D. Lucas *cap.* 6. *num.* 45. Fructus item huius arboris ſunt etiam opera , vt explicant D. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus, D. Hieronymus , Paſchaſius. Nam vera fides , & recta intelligentia , ex natura ſua , in bono Magiſtro puram vitam , ſanctoſque mores progignit. E contra verò error , ac deprauata cognitio in malo doctore , per ſe , & ex natura ſua, turpem vitam , peſſimoſque mores producit.

Abulenſ.

Chryſoſt. Auguſt. Hieron. Paſchaſ.

60. *Obiectio.* Obiicies contra has ſententias. Ex hac doctrina ſequitur, quòd eſt difficultas initio propoſita, quòd voluntas bona non poſſit progignere mala opera : nec mala voluntas bonos parturire effectus , verbi gratia, eleemoſynam : nec quòd bonus doctor non poſſit aliquando falſa docere ; & quòd falſus magiſter non poſſit aliquando vera dicere. Reſpondetur primò cum D. Chryſoſtomo *in Imperfecto homil.* 19. D. Auguſtino lib. 2. de ſerm. Dom. cap. 24. *Quandiu* , ait , *quiſquis malus eſt , non poteſt facere fructus bonos : ſi enim bonos fructus fecerit , iam malus non eſt.* Ac proinde in ſenſu compoſito voluntas bona , prout bona non poteſt facere malum ; aliter verò in ſenſu diuiſo poteſt à ſua bonitate deficere. Eodem modo bonus Magiſter , quatenus bonus, in ſenſu formali, & compoſito , non poteſt falſa eructare, nec falſus doctor vera proferre : at in ſenſu diuiſo , & materiali poteſt bonus Magiſter à ſua bonitate deficere , falſa docendo ; & malus poteſt aliquid verum dicere. Ita Scribæ, & Phariſæi mali doctores bona docebant , & deprauata faciebant, *Matth.* 23. *num.* 2, & 3.

*Solutio.* Chryſoſt.

Auguſt. *Solutio ad obiectionem.*

61. Secundò reſpondet Abulenſis *quæſt.* 29. quòd illud Chriſti verbum , *non poteſt,* non dicit impoſſibilitatem , ſed difficultatem. In quo ſenſu huiuſmodi verbum frequenter ſumitur in Scriptura, vt ipſe probat. Ac proinde denotatur, quòd valde difficile ſit, vt malus doctor , ac deprauata voluntas benè operetur , ob ſuos habitus inclinantes eum ad malum.

Abulenſ.

62. Tertiò, & multo probabiliori modo reſpondent ipſe Abulenſis, Beaulxames , Ianſenius, Maldonatus, Barradas, ac alij , quòd Chriſtus Dominus hîc fatur iuxta ordinarium loquendi modum : & dat commune, & vulgare ſignum agnoſcendi bonum, vel malum doctorem ; virum ſimplicem , & hypocritam : nam bonus , ordinariè loquendo, bene operatur ; &, vt ait Ianſenius, *non poteſt fieri , vt hominis boni fructus omnes , vel plures , & potiores , ſint mali : nec etiam poteſt fieri, vt hominis mali omnes , vel plures , & potiores fructus ſint boni.* Vnde, quanuis bonus Magiſter aliquando proferat aliquid à vero recedens ; tamen ordinariè verum dicit. Et malus , quanuis aliquando quid bonum faciat, tamen ſuus conſuetus modus operandi , in malum tendit. Vnde aduerte, quod non inueni notatum , quòd Chriſtus non dixit de arbore mala , non poteſt facere fructum, ſed *fructus* in plurali , quia licèt per accidens vnum faciat, non tamen multos.

Abulenſ. Beaulxames. Ianſenius. Barradas.

Ianſenius.

*Cur non dixit fructum, ſed fructus.*

63. Nec aliquid hinc ſequitur contra veram expreſſionem parabolæ , vt ponderant Maldonatus, Cornelius à Lapide. Nam per parabolas non ſignificatur id, quod ſemper fit, ſed id, quod ſæpe, & frequentur accidit : nec enim quæcunque in parabolis, dicũtur, exactè, & ad amuſſim iis rebus, quas ſignificant, ſunt adaptanda. Sat eſt ergo , vt ea ſint accommodata , in quibus vis, ac ſimilitudo parabolæ conſtituitur. Quod viſitur in ordinario, & conſueto modo operandi, quod cernitur in bono doctore in operibus ſuis ; & in malo in ſuis malis fructibus : non enim fieri poteſt , vt talis lupus ſub ouina pelle deliteſcat , quin per ſua opera ſe prodat , & manifeſtet.

Maldon. Corn.

*In parabolis non ſunt adamuſſim aptanda omnia.*

64. Quod præclarè dicebat Seneca. *Nemo poteſt quis diu fictam gerere perſonam.* Quod etiam eleganter dicebat Rex Gothorum , vt teſtatur Caſſiodorus *lib.* 9. *variar.* Dum quendam ad palatij munus , ac dignitatem ſubleuat, ſic eum admonet de puritate morum : *Sicut Sol ortus* , ait , *corporum colores fugata nocte detegit ; ita ſe morum tuorum qualitas aſſiduè viſo principe , non celabit : mens tua , & oculis noſtris patebit, & auribus. In vultu , & in voce cognoſcimus ſeruientium mores. Superbus variatis greſſibus patet ; iracundus lumine feruore declaratur; ſubdolus terrenum ſemper amat aſpectum.* Quanquam enim malignus ſe velit occultare, tamen geſtus corporis , oculorum, ac vultus eius mali iam indicant, quæ facile conuerſatione deprehenditur. *Aſſiduè viſo principe non celabit.*

Seneca. *Simulata malitia durare nequit* Caſſiodor.

*Matth.* 7. *n.* 19. Omnis arbor , quæ non facit fructum bonum, excidetur ; & in ignem mittetur.

*Ibid. num.* 20. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

*VER*



## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quæ non facit fructus bonos , excidetur , & in ignem cadet.

*Vatablus , Græcus.* Omnis arbor , quæ non gignit fructum bonum, exciditur , & mittitur in ignem.

## *EXPOSITIO.*

65. PROSEQVITVR Dominus ipſam metaphoram de arbore , & ad incutiendum timorem falſis prophetis pœnam, & ſupplicium apponit. *Excidetur , & in ignem mittetur.* Græcus verò habet in præſenti : *Exciditur , & mittitur in ignem.* nam iniquus , dum malè operatur , ſuamet præuaricatione cadit, & præcipitatur in ignem inferni. Et vtitur *hîc* Dominus verbis Baptiſtæ, Matth. 3. num. 10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum , excidetur , & in ignem mittetur.* Vnde rectè admonet Hugo. *Hic ſuggillantur Prædicatores , qui dicta aliorum dedignantur dicere.* Vide *lib.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 19. *n.* 59. *& cap.* 5. *num.* 39. D. Chryſoſtomus *homil.* 24. notat , quòd duæ ſunt pœnæ , excidi , & in ignem mitti ; & priuari feliciſſima Dei viſione. Intolerabilis res eſt gehenna ; ſed multò intolerabilior, ac grauior pœna eſt , à ſumma illa Dei viſione, ac gloria expelli, ac excludi. Tamen Dominus de igne gehennæ facit mentionem , vt ſimilitudinem , ac parabolam arboris proſequatur. Deinde , quia homines huius ſæculi , vtpote imperfecti, maximè ſupplicia, ac pœnas corporis timent, & formidant, illorumque metu frequenter cohibentur. Et ita ait Chryſoſtomus citatus. *Illos verò deterrens , pœnam ab ipſo infligendam eis circunduxit.*

Græcus.

Matth. 3. *Prædicator aliorum dicta repetere ne vereatur.* Hugo. Chryſoſt.

*Pœna peccatores maximè deterret.*

Idem.

66. *Igitur ex fructibus eorum.* Et præſuppoſita ſimilitudine arboris infert Dominus concluſionem, quòd nempe iſti falſi Prophetæ , & doctores cognoſcentur ex ſua doctrina, ſuiſque operibus. Notat Hugo, quòd bonus fructus debet eſſe vtilis , integer , & non ex parte putridus , & ex parte ſapidus. Ita fructus boni doctoris proficiat aliis, & non ſit mixtus putredine malæ doctrinæ, ac peſſimorum morum ; nec habeat amaritudinem malæ, & peſtiferæ conuerſationis.

Hugo.

---

## QVÆSTIO XII.

### *Quare arbori bonæ non deputetur præmium, ſicut & malæ aſcribitur pœna?*

67. *Ratio difficultatis.* AGIT Dominus in hac parabola de arbore bona, & mala. Et arbori malæ duplex aſſignatur pœna , *Excidetur, & in ignem mittetur.* Cur ergo etiam arbori bonæ vnum ſaltem non aſſignatur præmium : nam ſicut ob ſuam malitiam digna eſt pœna ; ita etiam & hæc ob ſuam bonitatem condigna omni præmio?

68. Reſpondeo primò ad quæſtionem , quòd arbori bonæ nullum deſignatur præmium ; nam ſuamet bonitas , ac excellentia ſatis ſufficiens eſt præmium. Arbori autem peſſimæ duplex infligitur pœna ; & meritò , planta enim , quæ appoſito, ac viſo exemplo bonæ, ac præclaræ radicis, non proficit, nec in optimos fructus prorumpit , in ſui condemnationem omne ſupplicium, paruum , ac diminutum videtur ; & ideo non vna pœna , ſed duplici multetur. Breuiter hæc omnia illuſtro.

*Qui viſo bono exemplo non proficit puniendus.*

69. Bonitas arboris , ac eius virtus ſibi ſufficiens præmium. Præſuli Eccleſiæ Sardis dicitur Apocal. 3. num. 4. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua , & ambulabunt mecum in albis , quoniam digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis.* Omni notatu dignum eſt , quòd in illa Eccleſia dicatur , quòd ſint aliqui iuſti , quorum veſtimenta ſunt puriſſima , & abſque ſorde fœdata : & tamen in præmium poſt adeptam victoriam , & poſt hoſtem debellatum , nullum aliud indumentum eis promittitur , niſi amictus albus : *Sic veſtietur veſtimentis albis.* Si enim ipſi habent iam veſtes puras abſque macula, & inquinamento , quomodo eis pollicetur veſtimentum album ſine ſorde, quod iam habent ? Cur, cùm Deus ſit largiſſimus in ſuis remunerandis iuſtis , eis non promittuntur ſtolæ depictæ purpura , byſſino, auro, & lapide pretioſo ? Meritò ſanè : nam tam præclara, & excellens eſt virtus , ac puritas , vt homini iuſto poſt partam victoriam iam triumphanti , ac in paradiſum ſubleuato nullus alius pretioſior , ac ſplendidior ornatus conferatur, quàm animi puritas , ac integritas ſine ſorde , & macula : nam licèt iuſtus hac veſte in mundo eſſet indutus, illa etiam poſt triumphum & induetur in gloria. Nullus enim illuſtrior ornatus virtutis, quàm ipſa virtus. Aretas Cæſariæ Epiſcopus. *Per indumentorum munditiem corporis integritas innuitur. Qui vicerit affectus , paſſiones carnis. Hîc igitur veſtietur virtutum ſuarum veſtimentis , quæ Deo gratis laboribus emundauit , & fulgebit ſicut Sol in futuro ſæculo.*

Apoc. 3.

*Virtus ſibimet præmiũ, eximiuſque ornatus.*

Aretas.

70. Arbor autem mala , quæ fructiferæ plantæ exemplo in vberes fructus non parturiuit, meritò excidetur, & eiicitur in ignem. Ait Apoſtolus ad Hebræos 2. num. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Satis commune , & ventilatum dubium , cur Dei ſapientia potius humanam naturam ad ſe attraxerit , atque vnierit , vt hominem deperditum reſtauraret, quàm angelicam naturam ſibi aſſumpſerit , vt lapſos Angelos eriperet ; in vtraque enim natura Dei imago relucebat : imò angelica natura ob ſui nobilitatem non erat contemnenda. Cur ergo Angelis dimiſſis de humanæ naturæ remedio peragitur ? Peccauerunt Angeli , peccauit & homo ; ſed magna cum differentia in vtroque caſu. Nam Angeli defecerunt , ac delictum commiſerunt videntes ſanctos Angelos permanentes in charitate , virtute , ac Dei obſequio ; quo tanto propoſito exemplo facilè poterant à lapſu reuocari : At homo delinquit cùm nullus remaneret in humana natura, cuius veſtigia , ac integritatem imitari poſſet. Inclinauit ſe ergo diuina bonitas ad ſubueniendum homini , cuius tota natura corrupta , ac maculis infecta erat ; non verò Angelis adhibet remedia, in quibus aliter res euenerat: nam mali corruerunt, cùm bonorum exemplar ante conſpectum haberent ; vnde meritò eiiciuntur è cælo , ac in ignem mittuntur. Præ-

Hebr. 11.

*Graue illius delictũm, qui viſo bono peccat.*



clarè

Iouius.

clarè Iouius Monach.lib.9.de Verbo Incarnato, cap.4. *Ad hæc verò*, ait, *cùm nos lapſi ſumus, nullum reliquum fuit exemplar, quod eandem naturam integram retineret. At lapſis dæmonibus innumerabiles nihilominus incorporeorum acies inuariatæ conſiſtunt, quæ & diuinæ ordinationis exemplum, & nunquam flexæ rectitudinis ſpecimen exhiberent. Quapropter qui omnia ſapienter præuidet, cùm iam natura humana prolapſa eſſet, non hanc ſolùm ex infinita ſui in homines amoris vi adſumit, ſed per eam quoque omnibus, qui eiuſdem naturæ eſſent, correptionem, incorreptionem, & alia iſta innumerabilia dona largitur, cùm dæmonis tamen genus adſumere, neque iuſtum, neque vtile eſſe, iudicet.*

## Qᴠæstio XIII.

### *Quomodo à fructu cognoſcendæ ſint arbores, cùm multæ ſint, quæ nullum producant?*

*Valde deterius, quod abſque fructu in otioſitate eſt.*

71\. PERSISTENS Dominus in parabola de arbore ait, quòd *à fructibus eorum cognoſcetis eos*. At, cùm multæ arbores ſint, quæ nullum proferunt fructum: quomodo hæ cognoſcendæ, quæres? Adhuc earum natura è fructu penetranda eſt; ſeu, vt clariùs dicam, à negatione, ſeu carentia fructus. Nihil enim peius, ac deterius excogitari poteſt, quàm illud, quod in otiſitate, ac torpore degit, abſque eo, quod alicui rei inſeruiat, & vtilis inueniatur.

Geneſ.1. Caietan.

72\. In prima creatione mundi ait Deus, Geneſ.1. num.9. *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida: & vocauit Deus aridam terram.* Caietanus pro *appareat arida*, ita legit, *appareat ſiccum*. Maximè autem eſt aduertendum, quòd, dum terra ſupra ſe continet omnem molem aquarum, quibus maximè erat irrigata, ac humiditata, arida, ſeu ſiccum appelletur, quod nomen videtur ei parum conueniens, vt ipſa lympharum continentia indicat. Stabat terra pro tunc otioſa, & infructifera abſque eo, quod aliquod germen proferret, & alicui vtilis eſſet. Optimè ergo arida, & ſiccum nuncupatur, tanquam quid emotuum abſque vllo fœcunditatis vigore: poſtea verò, tanquam communis omnium mater, terra appellatur. D. Anaſtaſius Sinaita in Hexaëmeron. *Diuino myſterio*, ait, *terram in profundo ab aquis ſuffocatam nominat aridam; cùm verò aquæ ab eo receſſerunt, non amplius nominat eam aridam, ſed terram.*

*Aridum, ac penè mortuũ, quod eſt ſine fructu.* Anaſtaſ.

Baſilius. Prou.10. Rabbini Hebr. Salazar. *Otioſitas nociua.*

73\. O quàm nociua eſt iſta otioſitas, quæ fructum tollit, & nullum germen producit! Vnde rectè ait D. Baſilius homil.8. in Hexaëmeron. *Omnem malitiam docuit otium.* Ait Sapiens Prouerb.10. num.4. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa*, multi Rabbini legunt: *Virus operata eſt manus remiſſa*; & ex radice Hebraica, vt ibi contendit Salazar, legendum eſt: *Venenum, ſeu toxicum operata eſt.* Manus, quæ otioſitati indulget, & nullum opus, ac fructum profert, ſua inutilitate venenum ſibi acquirit, quo non tantùm ſibi, ſed etiam aliis eſt exitialis, atque mortifera? Qui verò laborat, multis, & pinguibus fructibus repletur. Eleganter D. Chryſoſtomus homil.5. in epiſt.1. ad Corinth. *Nemo*, ait, *erubeſcat ex his, qui ſunt artifices: ſed hi, qui nihil agentes aluntur, & ſunt otioſi, qui multis vtuntur miniſtris: perpetuum enim opus facientem inde ali genus eſt Philoſophiæ: eorum ſunt animæ puriores, eorum mentes robuſtiores, ac firmiores. Nam qui eſt otioſus, multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & toto die nihil operatur torpore, & veterno mentem repletam habens.* Chryſoſt.

*Matth.7.n.21.* Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, introibit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.

*Ibid. num.22.* Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Non quiſquis dicit mihi. Domine mi, Domine mi, intraturus eſt.

*S. Iuſtin. Martyr. Apolog.2.* Sed qui Patris mei, qui in cælis eſt, voluntati obtemperat.

*S. Hippolytus Martyr. orat. de conſummatione mundi.* Qui dicit: Domine, ſaluabitur.

*Vatablus n.22.* Domine, Domine, nónne nomine tuo prophetauimus?

*Arias.* In nomine tuo efficientias multas fecimus.

*Græcus.* In nomine tuo potentias multas fecimus.

*Cæſarius V.C. Dialog.3.* Domine non tuo nomine prodigia fecimus.

Alter Textvs

*Lucæ 6.n.46.* Quid autem vocatis me: Domine, Domine, & non facitis, quæ dico.

## *EXPOSITIO.*

74\. Hieron. Hilar. Imperfect. Auguſt. Paſchaſ. Hugo.

SVNT, qui hæc Chriſti verba ad omnes auditores dicta referant. Sed accommodatiùs D. Hieronymus, D. Hilarius, Imperfectus *homil.19.* D. Auguſt. *lib.2. de ſerm. Dom. in monte.* D. Paſchaſius *lib.4.* Hugo, & alij



falſos prophetas ſubintelligunt, de quibus erat præſens ſermo, qui quanuis nomen Domini habeant in ore; operibus autem negant. Ac proinde tanquam quædam arbores veluti habent ſpecioſa verborum folia; operum autem fructibus carent. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine.* Ponitur iſta repetitio ex parte hominum clamantium, quam explicant D. Chryſoſtomus, S. Thomas, Abulenſis, quæ propria eſt timentium, ac anguſtias patientium, ac proinde ob timorem multiplicant voces. Accommodatiùs explanandum eſt cum S. Hieronymo, D. Paſchaſio, Euthymio, Theophylacto, Caietano, quòd illa geminatio vocis ſignificat quandam frequentem inuocationem nominis Domini; ac ſi dicat: Non omnis, qui me, vt Deum, ac Dominum credit, & inuocat, ac frequenter habet in ore, *intrabit in regnum cælorum*; ſed ille, *qui facit voluntatem Patris mei*, hoc eſt, eius præcepta ſeruat, & adimplet. Nam, vt ait D. Hilarius *hîc*. *Regnum cælorum ſola verborum officia non obtinent.* Et Gloſſa. *Iter regni Dei eſt obedientia, & non nominis nuncupatio.* Et dum Chriſtus ait: voluntatem Patris, conſequenter & ſuam intelligit, cùm eadem ſit voluntas Patris, & Filij. Et potiùs dicit voluntatem Patris, quàm meam, modeſtiæ cauſa. Theophylactus. *Non dixit*, ait, *voluntatem meam, ne offenderet auditores, ſed Patris mei.*

Chryſoſt. S. Thom. Abulenſ. Hieron. Paſchaſ. Euthym. Theophyl. Caietan. Hilar. Gloſſa. *Non nominis inuocatio, ſed operis obediẽtia ſaluat.*

75\. *Multi dicent mihi.* Ad confirmationem eius, quod antea dixerat, quòd quanuis multi credant, cùm tamen non habeant opera, non admittuntur ad regnum. *Multi dicent*, vel voce, vel cogitatione, vt vult D. Auguſtinus lib. de ciuitate Dei, cap.14. *in illa die*, ſcilicet extremi iudicij. Et per excellentiam dicitur illa dies, cùm poſt eam dies alia futura non ſit, vt ait Abulenſis; tum quia erit terribilior omni die, cùm in eo cunctorum opera, & conſilia cordium fient manifeſta, quæ toto tempore antecedenti facta fuere; & vnuſquiſque, prout geſſit, recipiet. Ex hoc autem oſtendit Chriſtus, ſe iudicem eſſe futurum, dum ſubdit: *Multi dicent mihi.* nam ſi ipſe non haberet poteſtatem abſoluendi, & condemnandi, fruſtrà hæc ad illum dicerentur.

Auguſt. *Illa dies cur dicatur dies iudicij.* Abulenſ.

76\. *Domine, Domine.* Repetitio magnam vehementiam indicat. *In nomine tuo*, ſeu, vt alij habent, *nomine tuo*, hoc eſt, lumine tuo, ſeu potentia tua, *prophetauimus*, id eſt, futura prædiximus, & ex tua commiſſione verè prædicauimus. *Dæmonia eiecimus.* Habent munera publica, legitimè collata, ſuam auctoritatem, & efficientiam, etiamſi boni non ſint, qui huiuſmodi miniſteriis funguntur. Vnde dicebat Dominus, Luc.10.n.20. *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Et proſequitur textus. *Virtutes multas fecimus*, id eſt, multa miracula, quæ diuinam virtutem teſtantur, 1. Corinth. 13. num.2. *Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Vnde ait D. Gregorius lib.20. Moral. cap.8. *Probatio ſanctitatis non eſt, ſigna facere, ſed proximum, vt ſe, diligere; de Deo vera, de proximo meliora, quàm de ſe, ſentire.*

*Munera publica ſuam habent auctoritatem.* Luc.10. 1.Cor 13. *Probatio virtutis non eſt ſigna facere, ſed proximũ diligere.* Gregor.

## Qᴠæstio XIV.

### *Quomodo iſti inuocent nomen Domini, & regnum cælorum non conſequantur?*

77\. EX duplici capite naſcitur difficultas huius quæſtionis. Primò, quia, vt ait Apoſtolus 1. Corinth.12. num.3. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Qui autem habent Spiritum ſanctum, vitam æternam habent. Reſpondetur ad difficultatem, quòd nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, vt oportet, ad ſalutem, niſi in Spiritu ſancto. Et ita ait D. Auguſtinus *lib.2. de ſerm. Dom. cap...* quòd Apoſtolus accipit, *dicere*, propriè, prout mente, verbo, & opere aliquid dicitur. Et tunc, qui dicit Dominum Ieſum, per Spiritum ſanctum dicit. Chriſtus Dominus autem accipit hîc, *dicere*, largè prout eſt dicere ore, non autem corde, & opere. De his ait Apoſtolus, ad Tit.1. num.16. *Confitentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Secundò reſpondet Abulenſis *quæſt.31*. Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, quia etſi quis peſſimus ſit, in quantum bonum aliquod facit, à Deo mouetur: & quia Chriſtum vocare Dominum, eſt in ſe bonum quoddam, nemo poteſt hoc dicere, niſi Deus moueat ipſum. Et tamen non propter hoc oportet, quòd ſit bonus, quia non efficitur homo bonus, niſi per gratiam; poteſt tamen ſine gratia ſanctificante moueri ad aliquod bonum dicendum; imò & ad illud pronunciandum cogi à Deo, ſicut fuit Balaam, *Numer.24.* Et ita poteſt homo malus moueri à Deo ad dicendum bonum; tamen non poteſt aliquis vitam æternam habere, niſi gratiam habeat. Ideo multi poſſunt dicere, Domine, Domine, qui non intrent in regnum cœlorum.

1.Cor.12. Auguſt. *Verè, & propriè dicitur Dominus ore, & opere.* Tit.1. Abulenſ.

78\. Tertiò Ioel.2. num.32. *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Quomodo iſti inuocant, & ſalutem non conſequuntur? Reſpondet Gloſſa cum Alberto Magno, quòd perfecta inuocatio conſurgit ex tribus: ex fide cordis, ex confeſſione oris, & operis atteſtatione: & tunc perfecta eſt inuocatio; aliter eſt mendax. Pſal.77. num.36. *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo; nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius*, Iſai.29.n.13. *Populus iſte labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me.* Ierem.12.n.2. *Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.*

Ioel.2. Gloſſ. Albert. Mag. Pſalm.77. Iſai.29. Ierem.12.

## Qᴠæstio XV.

### *Quare inquis concedatur virtus ad multa mirabilia perpetranda?*

79\. INIQVOS multa mirabilia operaſſe legimus: nam Saul, & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, neſcientes, quid dicerent: Pharao, & Nabuchodonoſor ſomniis futura cognoſcunt. In Actibus Apoſtolorum 19.*n.*14. filij Sceuæ videbantur eiicere dæmonia. Sed & Iudas Apoſtolus cum animo proditoris multa ſigna inter

Hieron. Paſchaſ. Euthym.

inter cæteros Apoſtolos feciſſe narratur, vt ponderant D.Hieron.S.Paſchaſius,Euthym.& alij.

80. *In confirmationem erroris non fit miraculum.*

Certum eſt, quòd nunquam vllum verum miraculum factum fuerit, nec poteſt fieri in confirmationem erroris, vel falſitatis. Ratio à priori eſt. Nam miraculum eſt quædam operatio particularis, ac ſingularis ſolius Dei: quare, ſi Deus exaudiret doctorem inuocantem ſe pro miraculo ad fulciendum ſuum errorem, videretur illi cooperari, & errori atteſtari, quod eſt omnino impoſſibile,cùm ipſe ſit prima veritas,quæ nec falli, nec fallere poteſt. Vnde quando falſi magiſtri, verbi gratia, Antichriſtus fecerit aliquot prodigium, hoc non erit verum miraculum, ſed phantaſticum, vel arte dæmonis ex applicatione cauſarum naturalium, vt docent 2.*ad Theſſalon*.2. D.Chryſoſt. D.Ambroſ. S.Remig. D. Thom. de quo Suarius *tom*.2.*ad* 3.*p.diſp*.54.*ſect*.4.§.*quartò*, *& vltimò*. Quærimus ergo: Cur Deus concedit malis miniſtris virtutem ad facienda huiuſmodi miracula?

Chryſoſt. Ambroſ. Remig. D.Thom. Suarius.

81. Hieron. Abulenſ.

Reſpondent primò D.Hieronymus, & Abulenſis *quæſt*.33.*&* 34.quòd aliquando iniqui virtute diuina faciunt miracula, dæmonia eiiciunt, quia interdum non eius eſt meriti, qui operatur; ſed vel inuocatio nominis Chriſti hoc agit; vel interdum fit propter fidem eius, in quo miraculum perpetratur; vel propter fidem eorum, qui eum repræſentant; vel etiam ob condemnationem ipſorum, qui nomen Chriſti inuocant, qui cùm eſſent tantis donis inſigniti, damnati ſunt. Secundò D.Paſchaſius lib.4.in Matth. *Hæc ideo*, ait, *per eos, licèt reprobi ſint,poteſtate diuina fiunt, vt diſcant fideles Chriſti, virtutes operari, non magnopere ſtudere, ſed Chriſtum in omnibus imitari, charitatemque eius ſectari.* Vult Deus, vt etiam iſti iniqui miniſtri, huiuſmodi miracula perpetrent, vt inde erudiantur fideles, vt potiùs incumbant ad Chriſti virtutem obtinendam, quàm ad huiuſmodi poteſtatem aſſequendam. Non poteſtate illa inſigniti multi damnati ſunt: virtutem autem Chriſti amplexantes, imitatoreſque illius omnes ſunt ſaluati. Dicebat Dominus, Luc.10. num.20. *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur; gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ.* Tertiò, vt ait Albertus Magnus, illa conceduntur fieri ob honorem ipſius dignitatis, verbi gratia, quia Iudas inter Apoſtolos erat conſcriptus. Sic Caiphas prophetauit,quia erat Pontifex anni illius.

Paſchaſ. *Pluris æſtimanda virtus, quàm poteſtas.* Luc.10. Albert.Mag.

82. *An hîc ſit ſermo de veris, vel falſis miraculis.*

Ex his patet reſolutio illius quæſtionis,An iſti loquantur de veris,vel falſis miraculis? Ad quam reſpondemus, de veris miraculis hîc eſſe ſermonem: oſtendit enim Chriſtus Dominus, nec prophetiam, nec miracula abſque bonis operibus ad conſequendum regnum cælorum conducere;nam nulla poteſtate, nullaque dignitate inſignitus,rectis operibus ad regnum habet ingreſſum. Quidam, vt refert D. Chryſoſtomus *homil*.25. opinantur, illos mentiri,iſta dicendo. Quibus fauet Imperfectus *homil*.19.Sed de veris miraculis eſſe ſermonem, iam dixi, quia hoc maximè conducit ad intentum, quod nempe tali poteſtate damnentur.

Chryſoſt. Imperfect.

83. Sed moraliter in illa ſententia Imperfecti. Quomodo iſti præuaricatores, ſe dicunt miracula feciſſe ob reuerentiam diuini nominis, cùm eius maieſtatem,& excellentiam ignorauerint, ac contempſerint. Quomodo audent in illa celebri iudicij die coram peſpicaciſſimo iudice, qui etiam minimas cordium cogitationes manifeſtas in promptu habet, tam diſertè mentiri, ac falſa proferre? Tanta eſt hominis mendaciis aſſueti inuerecundia, ac præuaricatio, vt etiam poſt mortem in extremo iudicio coram Domino,omnium agnitore, neſciat à mendaciis abſtinere; ſed falſa permiſcet, & Deum fallere intentat. Imperfectus homil.19. *Propoſito mendax, nunquam deſinit eſſe mendax, neque poſt mortem: nam mors quidem animam à carne ſeparat, animæ autem propoſitum non immutat. Vis ſcire? Conſidera eos etiam poſt mortem mentientes: Domine,in nomine tuo hoc, & hoc fecimus. Nunquid neſciebant ipſi apud ſe, quia nunquam nec dilexerant Chriſtum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant, ſe ſicut in hoc ſæculo homines deceperant, ſic & ibi Deum fallere poſſe. Et ideo non dixit, qui operati eſtis iniquitatem, ſed, qui operamini.*

*Mendax à mendaciis, etiam poſt mortem non ceſſat.* Imperfect.

Giezi cupiditate poſſidendi aliquid ex his,quæ Naaman obtulerat Eliſæo, cucurrit poſt eum,& ex Eliſæi parte mendosè fingens petiit ab eo duo veſtimenta, quæ Naaman libentiſſimè dedit, inſuper & duo talenta argentea. Reponens illa in domo ſua,ingreſſus ſtetit coram domino ſuo, qui cùm ab eo quæſiuiſſet, vnde veniret, reſpondit: *Non iuit ſeruus tuus quoquam*, 4. Regum.5. n.25. Giezi ex tam diuturna Eliſæi conuerſatione, ac ſodalitate optimè agnouerat,ipſum eſſe magnum Prophetam,futura,& abſentia ſcire,& penetrare. Quomodo non veretur coram tanto viro mendacia dicere? Giezi mendaciis detentus verſabatur; nam falsò veſtes petiit ab Naaman ex Eliſæi mandato; & mendax ita fit inuerecundus, & audax, vt etiam coram oculatiſſimo Propheta, atque Vidente non recuſet, veritatem abſcondere, fallacias texere,& mendacia dicere. Carthuſianus. *Concupiſcentia victus putauit, ſe poſſe tantùm latere,atque decipere vatem.* 84.

4.Reg.5. *Mendax etiam coram vidente, à mẽdaciis non deſiſtit.* Carthuſ.

*Matth*.7.*n*.23. Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: diſcedite à me,qui operamini iniquitatem.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Tunc autem profitebor eis. |
| *Vatabl. ex Hebræo.* | Apertè dicam. |
| *Chryſoſt. in Imperfect. homil.*19. | Tunc iurabo illis, nunquam. |
| *Arias.* | Abſcedite à me omnes operantes iniquitatem. |
| *Sedul.in cap*.8. *ad Rom.* | Nunquam cognoui vos operarij iniquitatis. |

*EXPOSITIO.*

TVnc; in illa die vniuerſali. *Confitebor.* Hoc eſt, coram Patre meo palàm dicam: nam modò diſſimulat, vt patientia ſua nos ad pœnitentiam adducat.Et,vt notat Diuus Hieronymus, falſæ confeſſioni iniquorum Prophetarum 85.

Hieron.



opponit Dominus ſuam veram confeſſionem, qua aſſeuerat,eos non agnoſcere. Imperfectus verò *homil*.19. habet: *Iurabo eis*;quod idem valet, ac ſi dicat, Amen, amen dico vobis: quod ponitur ad maiorem expreſſionem teſtificationis. *Quia nunquam noui vos.* Rationem reddit huius teſtificationis, *nunquam noui.* Bene Caiet. ita explicat: Etiam, cùm prophetandi munere fungeretis,& cùm ſigna, & prodigia ederetis, adhuc tunc nunquam vos cognoui,vt meos electos, & prædeſtinatos.Nouerat eos Dominus tanquam miniſtros ſuæ Eccleſiæ; & ea de cauſa per eos miracula fuerat operatus;non nouerat autem eos tanquam ordinatos, & electos ad regnum, 2.Timoth.2.n.19.*Cognouit Dominus, qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* Et bene dicitur,*non cognoui*; nam,vt ait Hugo, tunc aliquis non cognoſcitur ab alio, quando ab eo longè diſtat: iniquus ob ſuam malitiam longè diſtat à Deo; ideo ab eo non cognoſcitur. Hæc autem vox, *non cognoui*, non eſt ignorantiæ, ſed reiectionis. D.Auguſt.*ſerm*.23. *de verbis Dom.*ſic ait: *Qui nouit omnia, quid eſt ergo, Non noui vos? Improbo vos,reprobo vos. Hoc eſt autem magnum, & neſcit vitia, & iudicat vitia: neſcit faciendo, iudicat arguendo.*

Imperfect. Caietan. 2.Timoth.2 Hugo. Auguſt.

86. Albert.Mag.

*Diſcedite à me*, ſeu, vt alij habent, *procul abſcedite à me*,id eſt, vt explicat Albertus Magnus, ſeparamini à me, & à gaudiis viſionis beatæ. *Qui operamini iniquitatem*, id eſt, operantes iniquitatem. Frequenter Hebræi vtuntur formaliter participiis pro nominibus, vt dicam infrà. Et hîc innuitur ratio, ob quam nunquam nouerit eos, quia iniquitati dediti erant, & à voluntate ſui Patris receſſerant.

QVÆSTIO XVI.

*Quare Chriſtus Dominus hîc interponat iuramentum?*

87. EX lectione Chryſoſtomi *in Imperfecto homil*.19. vt iam dixi, habetur pro *confitebor illis*, *Tunc iurabo illis, quia nunquam noui vos.* Quod dicitur ad maiorem expreſſionem, & aſſertionem veritatis. Et idem valet, ac *Amen, amen dico vobis.* Tamen moraliter D. Chryſoſtomus *citato loco homil*.19.*in Imperfecto*,pulchram huius rei excogitauit rationem, dicens: *Iurat autem Chriſtus, non vt ſuam veritatem commendet, ſed vt illorum incredulitatem condemnet. Non enim, ſi non iurauerit Chriſtus, mentitur; ſed vt illi ampliùs confundantur firmiori reſponſo. Quoniam qui mendax, neminem putat dicere veritatem, neque ipſum Deum.* Ad quid Deus, cùm ſit prima veritas, ſuis dictis adhibet iuramentum?Nónne ſufficiebat ſimplex Domini verbum? Quando enim ipſe cum ſuis electis loquitur, & eos vocat ad regnum: *Venite, poſſidete vobis paratum regnum ab origine mundi*; nullo interpoſito iuramento, ſed ſimplicibus verbis hoc dicit. Ad quid ergo hîc iuramentum? Loquitur Dominus cum impiis prophetis, mendacio, ac falſitati deditis: & tanta eſt hominum mendacium impudica nequitia,vt à nemine, nec etiam ab ipſo Saluatore præſumant,poſſe verum proferri. *Qui mendax, neminem putat dicere veritatem, neque ipſum Deum.* Et ideo ad eorum impiam opinionem profligandam, iuramentum interponit.

Chryſoſt. *Mẽdax ſemper præſumit alios eſſe mẽdaces.*

Cùm Pharao maximè eſſet vexatus plagis illatis à Moyſe, obſecrabat, vt pro ipſo Dominum exoraret; & promittebat, ſe dimiſſurum Populum ad ſacrificium.Ita fecit, quando premebatur multitudine muſcarum,*Exod*.8.*n*.28.& quando grandine mixta igne cuncta peribant, *Exod*.9. *num*.28. & quando locuſtæ omnia vaſtabant, *Exod*.10.*numero* 17.Et tamen poſtea liberatus à plagis Populum retinebat; & veniebat Moyſes multa grauiſſima mala denuntians, quibus ipſe parui factis Populum dimittere nolebat. Ingrediebatur Moyſes; dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi; quod ſi rennis, & retinueris eos, ecce manus mea erit ſuper agros tuos,equos, & camelos*, &c. Exod.9.numero 2.& 10. numero. 2. Tamen Pharao, illa contemnens, Populum à ſua ſeruitute eximi nolebat.Si,dum plaga ſæuit, à Moyſe obſecras, vt oret,ad eam auferendam, quomodo comminationes tot malorum non times, ac formidas,ſed impudica obſtinatione obduratus perſiſtis?Pharao, cùm eſſet omni mendacio, ac fallacia imbutus, etiam contra id,quod videbat, & experiebatur,non poterat ſibi perſuadere,à Moyſe verum dici;ſed exiſtimabat,illas comminationes fallacia interpoſitas. Lucas Tudenſis Epiſcopus lib.3.contra errores Albigen. *Rex ille*, ſcilicet Pharao, *Diaboli membrum, vt eius pater, in veritate non ſtetit,in dolo loquitur, mendacia promiſcet,& cuncta falſa credit.* 88.

Exod.9. *Mendax cogitat, alios non dicere verum.* Tudenſ.

QVÆSTIO XVII.

*Quare in hoc tempore dicat Dominus, quòd eos non cognoſcat?*

HVIVS rei planus eſt ſenſus. Nam Deus, qui numerat multitudinem ſtellarum,& penetrat hominum corda, ac cogitationes;iſtorum iniquorum omnia apertè intuetur,& comprehendit.Dicitur tamen eos non cognoſcere,cùm damnat,& reiicit à ſe;ac proinde non cognoſcit eos tanquam electos, & prædeſtinatos. Quæ eſt frequens phraſis Scripturæ,vt Matth.25. num.12. *Neſcio vos.* Sicut è contra Deus dicitur agnoſcere, quos cuſtodit,& quibus benefacit.Et ita de Iſraël dicitur Oſeæ 13.n.12. *Ego cognoui te in deſerto.* Legit D. Hieronymus, *Paui te in deſerto.* Chaldæus, *Ego tribui vobis neceſſaria in deſerto.* Quos tantis beneficis afficiebat, dicitur cognoſcere: ſicut neſcire, quos damnat, vt ponderat D. Paſchaſ. lib.4. in Matth. *Non noſſe Dei*, inquit, *magis figuratè accipitur; non nouit autem eos, quos perimit,& damnat.* 89.

*Deus, quos damnat, dicitur neſcire.* Matth.25. Oſeæ 13. Hieron. Chald. Paſchaſ.

90. Aponius.

Secundò reſpondet Aponius lib.1.in Cantica. *Non ignorat, quos creauit.* Et ſubdens poſt pauca reſpondet: *Quid tam rectum, niſi vt in iudicando nulla veritati præponatur perſona.* In illa die apparet Dominus,vt vniuerſalis omnium iudex: & quanuis, vt creator, omnia cognoſcat; tamen, cùm vices iudicis agit ita omnia rectè, & exactè abſque vllo odij, vel amoris affectu diſcernit, ac exequitur,oculoſque ab vnoquoque auertit, nulli inclinatus, vt verè dicatur: Nunquam

*Iudex ab omni perſonarũ affectu ſit alienus.*

quam agnoui vos; veſtras perſonas non cognoſco. Ita alienus ab omni ſe affectu, propenſioneque exhibet.

91. Chryſoſt.

Tertiò D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 19. *Sciendum*, ait, *quia peccatores neſcit Deus, quia indigni ſunt, vt cognoſcantur à Deo. Quomodo te Deus cognoſcat, cùm tu Deum cognoſcere nolis? Sicut enim omnes homines naturaliter cognoſcunt Deum, non autem videntur verè cognoſcere, quia non dignè colunt, ſicut ſerui Dominum, ſicut factura factorem; & hoc eſt ſecundùm naturam quidem cognoſcere, non autem ſecundùm voluntatem: ſic & Deus naturaliter omnes cognoſcit, ſed non videtur eos cognoſcere, quia non eos diligit, quaſi factor facturam, quaſi Dominus proprios ſeruos*. Non cognoſcit eos Deus, quia digni non ſunt tanta excellentia, vt cognoſcantur à Deo. Et ſicut iniqui ob ſuam deprauatam malitiam nolunt Deum agnoſcere, vt ei ſeruiant, & obtemperent; ſic etiam Deus iuſta pœna dicitur eos ignorare, vt beneficiis proſequatur, ac ad gloriam ſuam eligat.

*Deus in pœnam iniquos nō cognoſcit, quia ipſi eū non cognoſcunt, vt ſeruiant.*

92. Quartò. Iſti falſi prophetæ deambulabant in mundo induti veſtimentis ouium, cùm intrinſecus eſſent lupi rapaces: in illa autem extrema die iudicij cuncta manifeſta apparebunt; & ideo intrinſeca eorum malitia iam palàm in oculos cunctorum prodibit, & in pellibus luporum patenter venient. Quapropter eis Dominus ait: Nunquam noui vos; id eſt, veſtra opera nunquam agnoui, vt facta ab ouibus, nunquid Deum iudicem fallebant? Sed vt perpetrata ex malitia luporum, ob quorum nequitiam diſcedite à me, inquit: nemo enim confidat, quòd occulta ſit malitia ſua; Deo enim aperta ſunt, manifeſtaque omnia.

*Deo non eſt occulta malitia noſtra; ſed omnia manifeſta.*

93. Quintò. Pondera, quòd in illa vltima die hanc repulſam, & pœnam infert Dominus in hos falſos prophetas. Pulchrè D. Chryſoſt. in Imperfect. hom. 19. *Vſque tunc ſuſtinebo, quia grandem iram grandis dilatio præcedere debet; & grandis dilatio iuſtius facit eſſe iudicium Dei, & digniorem interitum peccatorum*. Deus differt iram, vt eius iuſtitia videatur exactior, iniquitas peccatoris obduratior, cùm bene vſus non fuerit conceſſo tempore ad pœnitentiam. Maximè tamen expende illa prima verba, *Grandem iram grandis dilatio præcedere debet*. Vnde eſt illud celebre dictum Auguſt. *Deus differt iram, quia in æternum damnat*. Deus ergo ſuſtinet noſtra delicta, non quia obliuiſcitur, ſed quia homo theſaurizat ſibi iram in vltimum diem, vt acerbiſſimè puniatur.

Chryſoſt.

*Quanto diutiùs pœna differtur, tātò rigidiùs deſcendit.*

Auguſt.

94. Eccli. 5. Græcus.

Ait Sapiens Eccleſiaſt. 5. n. 4. *Ne dixeris, peccaui: & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor*. ſeu, vt alij legunt ex Græco, *patiens exactor*. Tanquam ſi dicat: Etſi poſt tuum peccatum videas Deum immediatè diſſimulare, hoc fit, vt pœnitentiæ detur locus; quam ſi non præſtiteris ſeueriùs, & rigoroſiùs fiet exactio: quanto enim magis patiens ſuſtinet, tanto ſeueriùs fiet iudicium, infligeturque pœna. D. Laurent. Iuſtin. in ligno vitæ de timore cap. 4. *Lento*, ait, *gradu ad vindictam tui diuina procedit ira, tarditatemque ſupplicij grauitate compenſat. Altiſſimus enim eſt patiens redditor, quia quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuerſos durius damnat: & quanto diutiùs expectat, vt emendentur, tanto* [illegible] *iudicabit, ſi neglexerint*. De ciuitate illa [illegible], quæ erat mater abominationum, cum qua Reges, & mercatores terræ fornicati ſunt, dicitur de ea: *Vna die venient plagæ eius, mors, luctus, & fames, & igne comburetur*, Apocal. 18. num. 8. Per quæ intelligitur vniuerſitas ſuppliciorum. Si enim illa ciuitas per tot annos extitit florentiſſima diuitiis, & potentia, quibus dominabatur in purpura, & auro, ac byſſino. Cur non paulatim verberabatur, ſed in vna die veniunt omnes plagæ eius? Quanto Deus ob ſuam pietatem ſuſtinet, ac differt iram, tanto diſtrictior, ac ſeuerior deſcendit ſententia, quando proceditur ad iudicium.

*Pœna dilatata ſeuerior.*

Laur. Iuſtin.

Apoc. 18.

---

## Qvæstio VIII.

### *Quare, dum Deus reprobos damnat, eis improbret mala ſua, non quæ fecerunt, ſed quæ de præſenti faciunt*: Qui operamini iniquitatem?

95. Qvanqvam aliquæ lectiones habeant, *Operantes iniquitatem*; tamen noſtra Vulgata, & antiquiſſimi codices habent, *Qui operamini iniquitatem*. Cuius rei vera eſt ſolutio, quam dedi in expoſitione, quia Hebræi ſemper vtuntur participiis, & verbis pro nominibus; & idem valet, *Qui operamini iniquitatem*, ac operarij iniuſtitiæ, ſeu iniquitatis. Quod nihil aliud ſignificat, quàm iniqui, & peruerſi homines. De hac re ad magnam eruditionem noſtram addamus Patres.

96. Hieron.

Primò D. Hieron. *Non dixit*, ait, *qui operati eſtis iniquitatem, ne videatur tollere pœnitentiam: ſed qui operamini, id eſt, qui vſque in præſentem horam, cum iudicij tempus aduenerit, licèt non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habeatis affectum*. Similiter Cardinalis Hugo. Deus, dum iuſtitiam exercet, non dicit, ſe damnare ob crimina antea facta, ſed ſolùm exprimit delicta actuali operatione commiſſa, ne pœnitentiam deuenuſtare videatur; cuius magnalia, ac excellentiæ ſemper in magna apud Dominum veneratione exiſtunt; & ita delicta per pœnitentiam ita ſunt expuncta, vt ampliùs eorum non recordetur. Si autem Dominus promulgaſſet, reprobos in ignem mittere ob crimina iam commiſſa, forſitan alicui in mentem veniret, quòd etiam ob illa peccata, quæ iam pœnitentia deleta erant. Ne ergo aliquis quid cogitet contra priuilegia tantæ virtutis, ideo cauet Dominus, cōmemorare delicta iam facta, & ſolum ad ea, quæ erant in actuali operatione, conuertit ſermonem: *Ne videatur tollere pœnitentiam*; & peccata per eā condonata punire. Secundò. Ne videatur peccata, caſtigatione pœnitētiæ expurgata, iterū caſtigare, & punire, cùm Deus non puniat bis in idipſum.

Hugo. *Deus maximè veneratur pœnitentiæ priuilegia, ne quis contra eius immunitatē cogitet.*

97. Secundò D. Anſelmus. *Diſcedite à me*, ait, *qui operamini iniquitatem. Non dicit, qui operati eſtis, quia licèt modò non habeant facultatem operandi, tamen adhuc peccare vellent, ſi adhuc viuerent*. De præſenti ait, *Qui operamini*; ſemper Dominus in noſtris actionibus maximè ponderat affectum noſtræ voluntatis, pluſquam ipſas actiones, ac opera. Et ideo eos damnat, & reiicit à ſe, quia ſi adhuc viuerent, vel ad hoc ſæculum reuerterentur, tota ad peccandum in eis perſeuerabat inclinatio; & ita ipſe voluntatis affectus pro

*Voluntas pro operibus reputatur erga Deum.*



pro operibus reputatur, tamquam ſi actuali exercitio in peccaminoſa facta prodirent, cùm ipſa voluntas omni operi ſit æquiualens. Et ideo non dicitur; qui operati eſtis, ſed *qui operamini*.

98. Chryſoſt.

Tertiò Diuus Chryſoſtomus homil. 19. *Non dicit*, ait, *Diſcedite à me qui operati eſtis iniquitatem, ſed qui operamini. Quia iniqui etiam poſt mortem non deſinunt eſſe iniqui, quia etſi peccare non poſſunt, tamen peccandi propoſitum tenent*. Tam obſirmata eſt in malo iniquorum voluntas, vt nec mors, nec flamma, nec frigus, nec omnia tormentorum genera poſſint illam in eis malam reſecare, & extinguere inclinationem, ſed ſemper inſatiabilis durat, ac perſeuerat. *Sapient. 22. numero 6.* dicitur: *Nix, & glacies ſuſtinebat vim ignis, & non tabeſcebant, vt ſcirent: quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine*. In inferno torquentur miſeri reprobi; & ita obſirmata eſt malitia, vt eorum pectus ita inconcuſſum perſiſtat, vt lapis, & grando, quæ liquefieri, ac emolliri non valet. Et ita peccatorum frigore, eorum membra contabeſcunt, vt diuturno, ac perpetuo igne calorem non ſuſcipiant. Obduratior eſt ergo iniquus, & reprobus, quàm ferrum, plumbum, & æs; ſiquidem hæc igne molliuntur, ac tandem conſumptione perimunt, eſſeque deſinunt. Diuus Hieronymus in cap. 6. *Defecit ſufflatorium*, ait, *in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtrà conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ*,

Sap. 22.

*Iniquus ferro, ac plumbo durior.*

Hieron. I

*Matth. 7. n. 24.* Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilatur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram.

*Ibid. num. 25.* Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Quiſquis igitur audit hos ſermones meos, eoſque exequitur; aſſimilatur viro ſapienti, qui quidem extruxit domum.

*Pagnin. Vatabl. Arias.* Aſſimilabo illum viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam.

*Vatablus n. 25.* Deſcendit imber, venerunt flumina.

*Syriacus.* Neque cecidit: quippe eius fundamenta ſuper petram iacta fuerunt,



*Arabicus.* Quoniam fundamenta eius firma erant ſuper petram.

*Philo Carpath. in c. 8. Cant.* Flauerunt venti, in eamque impetum fecerunt; nec ipſa tamen corruit; fundata enim erat ſuper petram.

### Alter Textvs.

*Lucæ 6. n. 47. & 48.* Omnis, qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos: oſtendam vobis, cui ſimilis ſit: ſimilis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram; inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi: fundata erat ſupra petram.

## *Expositio.*

Oncludit Dominus iam ſuum admirabilem ſermonem. Et vt attraheret homines ad eius obſeruantiam, proponit præmium adimplenti verba hęc, & pœnam contemnenti. *Omnis ergo.* Indiſtinctè cum omnibus loquitur: *Quicumque audit verba hæc*, ſcilicet doctrinam hîc à me traditam. Ad illam referunt hanc ſententiam Chriſti. Imperfectus *homilia* 20. Diuus Paſchaſius *lib. 4. in Matthæum* Euthymius, Albertus Magnus, S. Thomas; Maldonatus verò hoc etiam refert ad omnia Chriſti verba. Sed probabilior eſt prima ſententia, cùm Chriſtus dicat, *verba hæc, & facit ea*, hoc eſt; conſtanter obſeruat: quia non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. *Aſſimilabitur viro*, ſeu, vt ex Græco communiter legitur, *Aſſimilabo eum viro prudenti*, qui ſcit, rebus prouidere in futurum, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, ad indicandam firmitatem fundamenti, hoc enim nihil aliud eſt, quàm quædam parabola, per quam denotatur animæ conuerſatio, quæ dum innititur verbis Chriſti, fundatur ſuper firmam petram, quæ eſt Chriſtus Ieſus. Ait Iacob benedicens Ioſeph Geneſ. 49. numero 24. *Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum eius, & manuum illius per manus potentis Iacob. Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël.* Pineda *in cap.* 29. *Iob numero* 25. ait: *Arma mea, atque defenſionem apud turrim meam munitiſſimam, quæ Deus eſt, repoſitam habeo.* 99.

Imperfect. Paſchaſ. Euthym. Albert. Mag. S. Thom. Maldonat.

Græcus.

*Firmiſſimè opera noſtra in Chriſto fundantur.*

Gen. 49.

Pineda.

100. Paſchaſ. Albert. Mag. D Thom. Abulenſ. Caietan. Iſai. 28.

*Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti.* Per hæc ſignificantur omnes aduerſitates, contrarietates ac tentationes, vt aduertunt Paſchaſ. Albertus Magnus, S. Thomas, Abulenſis, Caietanus, & alij. Et per procellas hæc frequenter denotantur in Scriptura. Iſai. 28. numero 2. *Ecce validus, & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis; turbo confringens, ſicut impetus aquarum multarum, & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam.* Et *Pſalm. 49. numero 3. Sapientiæ 5. num.* 18. ponit Dominus hîc tria, pluuiam, flumina, & ventos, quia his tribus potiſſimum ædificia labefactantur, & concutiuntur. Moraliter verò.

Interlinealis

Per *pluuiam*, quæ deſcendit, ſignificantur, vt ait Interlinealis, impugnationes, ac tentationes Diaboli habitantis in aëre. Et quia huiuſmodi tentationes ſemper ſunt, vt deſcendamus; vel,

Hugo.

vt ait Hugo, pluuia emollit terram; ita tentationes, ac peccata carnalia emolliunt multos.

Iſai. 8.

Iſai. 8. numero 7. *Adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas.* Proſequitur textus: *Venerunt flumina.* hoc eſt, potentium perſecutio,

Albert. Mag.

vel tormenta, vt ait Albertus Magnus, diuitiæ, potentiæ, ac honores, quibus ſuper alios volunt inundare, ac eos operire. Ita ait Iſaias *citato cap.* 8. *numero* 8. quòd ſcilicet Rex Aſſyriorum ibi *inundans ſuper riuos Iuda.*

Sapient. 8. Pſal 92.

Et Sapient. 5. numero 23. *Flumina concurrent duriter.* Et Pſalm. 92. numero 3. *Eleuauerunt flumina, Domine, eleuauerunt vocem ſuam.* Textus ſequitur: *Flauerunt venti*; hoc eſt, minæ, blanditiæ, detractiones, ac promiſſiones.

Amos 4.

Amos 4. numero 9. *Percuſſi vos in vento vrente.* Proſequitur textus: *Et non cecidit: fundata erat ſuper petram*; quæ petra præbuit domui ſtabilitatem, ac firmitatem, vt contra omnia aduerſa immobilis perſiſteret.

Eccleſ. 25.

Eccleſiaſt. 25. numero 24. *Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.*

Chryſoſt.

Vnde ait hîc Chryſoſtomus: *Qui ſe ædificat ſuper Chriſtum, nulla aduerſitas eum diruere poteſt.*

*Matth. 7. n. 26.* Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam.

*Ibid. num. 27.* Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illa magna.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et quiſquis audit hos ſermones meos, & eos non exequitur, aſſimilatur viro ſtulto, qui extruxit.

*Chryſoſtomus homil. 25.* Viro ſimilis iudicabitur ſtulto.

*Euthymius.* Aſſimilabitur viro fatuo.

*Vatablus n. 27.* Deſcendit imber, venerunt flumina.

*Theophylactus.* Spirauerunt venti, & irruerunt.

*Arias.* Proruerunt domui illi, & cecidit.

*Arabicus.* Et percuſſerunt domum illam.

*Gildas Sapiens Increpatione in Eccleſ. ordin.* Flauerunt venti, & impegerunt in domum illam.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 6. n. 49.* Qui autem audit, & non facit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamento: in quam illiſus eſt fluuiſus, & continuò cecidit: & facta eſt ruina domus illius magna.

## *EXPOSITIO.*

101.

PONIT Dominus ſententiam contrariam ſuperiori: *Omnis, qui audit verba hæc, à me dicta, & non facit,* quia non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. *Similis erit viro ſtulto.* Ita etiam habet hîc noſtra Vulgata, & Codices Græci.

Græcus. Theophyl.

At in ſuperiori ſententia eſt: *Aſſimilabo eum.* Quod bene notauit Theophylactus: *Non dixit,* ait, *aſſimilabo eum, ſed per ſe ipſum aſſimilabitur ſtulto ille, qui credit quidem, non autem operatur.*

*Vbi virtus, ibi Deus eſt auctor, vbi peccatum, ibi homo.*

Vbi virtus, iuſtitia, ac corona eſt, Deus eſt auctor, ac totum præſtat; & ideo ait: *Aſſimilabo enim viro ſapienti, qui ædificauit ſuper petram.* Vbi autem iniquitas, peccatum, ac damnatio ingreditur, homo per ſe ipſum ruit, ac totum operatur.

Euthym.

*Et meritò ſtultum illum dicit*, ait Euthymius: *Quid enim inſipientius eo, qui domum ſuam ſuper arenam ædificat; & cùm laborem ſuſtineat, priuatur tamen fructu, quem inde colligere oportuit.*

*Magna ſtultitia, ſuſtinere labores, & præmio defraudari.*

Quid miſerius? Labores ædificationis ſuſtinere, & præmio defraudari: multi enim patiuntur miſerias, labores, ac afflictiones; & cùm ædificent ſuper arenam, nempe ſuper mundanas vanitates, nil præmij æternæ ſalutis recipiunt: meritò ergo talis ſtulto viro comparatur.

102. Chryſoſt. Paſchaſ. Albert. Mag.

*Ædificat domum ſuam ſuper arenam.* Quæ, cùm ſit fluxa, & mobilis, nullam ſtabilitatem domui præſtat. Arena, vt ait D. Chryſoſtomus *homil.* 25. D. Paſchaſius *lib. 4. in Matth.* Albertus Magnus, & alij, ſterilis eſt, arida, fluxa, puluis minutus, & grana ſibi non conueniunt, nec adhærent: ſic & omnes ſub Diabolo, ac peccatis ſunt ſicut arena ſterilis ad fructum ſalutis, arida, cùm

*Arenæ peccatorum figurã præ ſe fert.*

nullum habeat ſuccum virtutis; fluxa, cùm peccans ſit mobilis, & inconſtans, & valde fluxus, vt in turpitudinem, ac peccatum cadat: puluis minutus



minutus, nam facile æſtu tentationum, ac cupiditatum rapitur: & grana ſibi non adhærent; omnes enim ſub Diabolo nec ſunt vnum, nec vnum ſapiunt, ſed ſunt per opiniones diſperſi, vt Hæretici, qui valde in ſuas ſectas, & errores diuiſi ſunt.

103.

*Deſcendit pluuia, & venerunt flumina, ac venti irruerunt in domum illam.* Hoc iam eſt explicatum in ſuperiori expoſitione. *Et cecidit.* Qui enim in ſola fide, & ſcientia enixi opera negligunt, miſerè corruunt in infernum, & damnationem. *Et fit ruina magna*, abſque vlla ſpe reſtaurationis, quia ab imo tota ſtructura euerſa

Iob 22.

eſt. Iob 22. numero 16. *Viri iniqui ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluuius ſubuertit fundamenta eorum.*

Hugo.

Non ſolùm de viro Catholico, qui opera negligit, hæc intelligit Hugo, ſed etiam de Prælato, qui malè agit; quanto gradus altior,

Auguſt.

tanto caſus grauior. Diuus Auguſtinus: *Quanto quis in loco altiore, tanto in periculo maiori verſatur.*

*Matth. 7. n. 28.* Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.

*Ibid. num. 29.* Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et factum eſt, quum abſoluiſſet Ieſchua hos ſermones, vt obſtupeſcerent turbæ.

*Vatablus.* Et euenit, cùm finiſſet Ieſus ſermones hos.

*Enthym. Theophyl. n. 29.* Erat autem docens eos, vt auctoritatem habens.

*Syrus.* Ius, & dominium habens.

ALTER TEXTVS.

*Marc. 1. n. 22.* Et ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat autem docens eos, quaſi poteſtatem habens; & non ſicut Scribæ.

*Lucæ 4. n. 32.* Et ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.

## *EXPOSITIO.*

104.

CONSVMMAVIT Chriſtus Dominus ſuum admirabilem ſermonem in monte. Explicat Euangeliſta, quid inde ſecutum eſt, nempe vt turbæ, quæ huic ſermoni aderant, vt dix[1] *cap. 10. quæſt. 2. num. 10.* ſupra modum admiratæ fuerint; hanc enim vim habet

Syriac. Vatabl. Chryſoſt.

verbum Græcum, quod bene exprimunt Syriacus, Vatablus: *Obſtupeſcerent.* Et turbæ, id eſt, vulgaris populus, admirantur, vt ait Chryſoſtomus *homil.* 25. & non principes, nec Scribæ, ſeu doctores, quia iſti nunquam ſciunt, alicuius celſitudinem, ac ſapientiam laudare. *Super doctrina eius*, nempe tam admirabili, noua, ſolida, firma, ac clara, & diuina: ideoque ea audita omnes obſtupeſcebant.

105. Franc. Luc.

*Erat enim docens.* Eſt periphraſis Hebræa pro *docebat*; & eſt familiaris Græcis. Et, vt aduertit Franciſcus Lucas, ſæpe denotat perſeuerantiam in re aliqua. *Sicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ.* Et in hoc innuitur ratio admirationis, vt denotat illa particula *enim*, quia erat docens cum tanta poteſtate, ac excellentia ſuper omnes Scribas, Phariſæos, ac Patres eorum.

---

## QVÆSTIO XIX.

### *Quomodo Chriſtus Dominus erat docens in poteſtate, non ſicut Scribæ, & Phariſæi?*

106. Chryſoſt. Hieron. Beda. Abulenſ.

AD hanc difficultatem reſpondent primò Diuus Chryſoſtomus *homil.* 25. D. Hieronymus, Beda, Abulenſis *quæſt.* 39. quòd Chriſtus Dominus docebat, vt Dominus, & vt legiſlator, ſua propria auctoritate, ac pro libertate voluntatis ſuæ. At Scribæ, & Phariſæi, vt poſt Chryſoſtomum aduertit Abulenſis, non audebant, aliquid à ſe dicere; ſed dicebant: Hoc dicit Moyſes; hoc dicunt Prophetæ. At Chriſtus Dominus ad nullum referebat ſuum ſermonem. Non dicebat, Moyſes dicit, ſed vbique oſtendebat, ſe eſſe eum, qui dominium ha-

Theoph.

bebat. Vnde Prophetæ, vt ait Theophylactus, dicebant: *Hæc dicit Dominus,* Chriſtus aiebat: *Ego dico vobis.*

107. Auguſt. D. Thom. Caietan. Theoph.

Secundò Diuus Auguſtinus *lib. 2. de ſermone Domini in monte.* S. Thomas, Caietanus, Chriſtus Dominus erat docens cum poteſtate miraculorum: nam, quæ docebat, miraculis confirmabat: nil tale Phariſæi præſtare poterant. Tertiò Theophylactus. Docebat, non facundia verborum,

*Libertas in dicendo ſignum magnæ auctoritatis.*

ſed mira libertate, qua reprehendebat, miro ſpiritus feruore, ac efficacia, qua perſuadebat, & exteriùs docens interiùs luce ſuæ gratiæ hominum mentes illuminabat, ac eorum affectum inflammabat.

108. Caſſian.

Quartò Ioannes Caſſianus *lib. 2. de Incarnatione Domini.* Chriſtus erat docens in manſuetudine, ac humilitate, qua ad ſe homines trahebat, ac deuincebat; Scribæ verò in ſuperbia, ac arrogantia, quæ cunctos expaueſcebant.

*Sermo potens in humilitate.*

Quintò. Chriſtus Dominus docens quærebat Dei gloriam, & ſalutem animarum; Scribæ verò hominum applauſus, ac inanem iactantiam.

109. Rupert.

Sextò Rupertus de operibus Trinitat. lib. 1. in Euangel. cap. 19. *Poteſtate ſe priuant,* ait, *qui, cùm quippiam ab aliquo accipiunt, illum cenſent militem bonum; qui autem non dederint aliquid in ore eorum, ſanctificant ſuper eos bellum. Hoc Rex iſte non faciebat*; *idcirco ſic dictum erat: Erat docens eos, ſicut poteſtatem habens,* &

*& non ſicut Scribæ, & Phariſæi, id eſt, non ſua quærendo contemptibilem faciebat docendi auctoritatem, quemadmodum illi.* Chriſtus erat docens in poteſtate, non ſicut Scribæ, & Phariſæi: nam iſti accipiendo munera, veritatem ſententiarum corrumpebant, & auctoritatem magiſteria vilipendebant, vt ab aliis contemneretur; at Chriſtus Dominus, cùm alienus eſſet ab omni munerum acceptione, ideo eius excellentia, & auctoritas apud omnes illæſa, & integra conſeruabatur. Sicut enim munerum acceptio auctoritatem publici miniſtri valde minuit, & contemptibilem facit; ita integritas præſtat, vt apud omnes in magna veneratione ſit.

*Munerum receptio contemptibilem facit Prælati auctoritatem*

110. Gregor. Septimò. D. Gregorius lib. 23. cap. 7. *Cum imperio docetur, quod prius agitur, quàm dicatur. Nam doctrina ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam. Vnde de Domino etiam ſcriptum eſt: Erat enim docens, ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ, & Phariſæi: ſingulariter namque, & principaliter ſolus ex poteſtate bona locutus eſt, quia ex infirmitate nulla mala commiſit.* Chriſtus id, quod docebat verbis, faciebat operibus: ideo Chriſti ſermo tantam habebat auctoritatem, & poteſtatem; quia factis adimplebat id, quod verbis eructabat. E contra verò Scribæ, & Phariſæi totam ſuam doctrinam operibus contradicebant; & ita eorum ſermo nec poteſtatem, nec auctoritatem habet. Ezechieli dicitur cap. 10. n. 2. *Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manus tuas prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper ciuitatem.* Prunæ illæ ſunt ſancta, & ignita documenta ad purgandam ciuitatem, vt bene explicat *ibi* D. Hieronymus, qui etiam aduertit, quòd non iubentur vna manu aſſumi, ſed vtraque. *Imple manus tuas prunis ignis.* Quia Prædicator, vt ſanctæ doctrinæ verba, cum fructu diſpergat, & ſeminet, priùs debet ſuis operibus, ac manibus exequi, & hoc non ex vna manu, & dimidietate; ſed vtraque, ac ex omni parte. Vnde ait Caſſiodorus collat. 11. cap. 4. *Nunquam erit efficax inſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis ſui cordi affixerit audientis.*

*Doctrina cũ opere coniungenda eſt.* — Ezech. 10. — Hieron. — Caſſiodor.

# CAP. XX.

## *Mundatur leproſus.*

*Matth. 8. n. 1.* Cùm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Vatablus.* | Cùm deſcendiſſet autem ipſe de monte. |
| *Arias.* | Deſcendente eo de monte. |
| *Syriacus.* | Cùm deſcendiſſet de mõte, circundederunt eum turbæ multæ. |

### *EXPOSITIO.*

1. TVRBÆ cum diſcipulis audierunt ſermonem Domini in monte, vt notaui *cap. 10. quæſt. 2. num. 10.* Poſt finitum admirabilem illum ſermonem, ipſæ turbæ ſecutæ ſunt Dominum in Capharnaum deſcendentem, vt aduertit Abulenſ. In quo conditio optimi auditoris exprimitur; qui ita Chriſti Domini verba audiat, vt finito ſermone à Chriſto Domino non diſcedat, ſed eum ſequatur, ac ei firmiter, & immobiliter adhæreat. Turbæ autem ſequebantur Dominum, vt explicant Euſebius Gallicanus *homil. in 3. Dominica poſt Epiphaniam*, & Hugo; alij propter amorem; alij propter doctrinam; & alij vt curarentur à languoribus ſuis; alij denique, propter admirationem, vt curioſi.

Abulenſ. *Bonus auditor finito ſermone à Chriſto non diſcedit.* Euſeb. Hugo.

2. Vel aliter poteſt cum Abulenſi explicari; quia pars magna illarum turbarum, quæ ſermonem Domini in monte audierat, eum ſequebatur, quamuis aliqua illarum pars iam receſſiſſet, quia fortè curationes ægritudinum habuerant, pro quibus venerant; nam antequam prædicaret, ægrotos etiam curauit, *Matth. 4. in fine*, in quo illorum ingratitudo notatur, qui adepto beneficio à benefactore recedunt. Et tunc turbæ multæ ſequebantur, tam illorum, qui concionem in monte audierant, quàm illorum, qui creſcente in dies fama aduenerant. Et nota cum Chryſoſtomo *homil. 26.* Euthymio, & aliis, quòd turba ſequebatur, quæ erga Chriſtum Dominum deuota erat; non autem principes, Scribæ, ac Phariſæi, vt per diſcurſum Euangelij videmus. Nam iſti ſua falſa ſcientia inflati, veram, ac ſolidam Domini ſapientiam contemnebant: frequenter accidit, quòd ille, qui de honore magiſterij præſumit, alterius doctrinam, quamuis multò excellentiorem, tamen vellicare, & carpere volunt.

Abulenſ. *Notatur ingratus.* Chryſoſt. Euthym. *Vnus magiſter, alium etiam præſtantiorem carpit.*

### QVÆSTIO I.

*Quare turbæ ſecutæ ſunt Dominum, deſcendentem de monte?*

3. RATIONEM litteralem huius quæſtionis iam explicaui in expoſitione, quæ non eſt repetenda: ad ſenſus morales ex ſanctorum Patrum ſententia ad noſtram eruditionem deueniamus.

4. Nazianz. Reſpondet primò D. Gregorius Nazianzenus oratione 31. *Si in ſpecula ſua manſiſſet, ſi ad hominum infirmitatem minimè ſe demiſiſſet, ſi id, quod erat, manſiſſet, inacceſſibilem ſe ipſum, & incomprehenſibilem cuſtodiens, pauci fortaſſe ſecuti fuiſſent: atque haud ſcio an pauci, fortaſſe Moyſes ſolus, idque etiam hactenus, vt Dei poſteriora ægrè videret. Verùm quoniam noſtra cauſa exinanitur; quoniam cælitus deſcendit (exinanitionem autem voco, quaſi gloriæ ſubmiſſionem, & imminutionem:) idcirco perceptibilis, & comprehenſibilis efficitur.* Dum Dominus erat in monte, ac ſublimitate ſuæ maieſtatis, pauci diſcipuli eum comitabantur; *Inacceſſibilem ſe ipſum cuſtodiens, pauci ſecuti fuiſſent.* At poſtquam noſtri

cauſa



cauſa à ſublimitate ſua condeſcendit, & ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, ac noſtræ infirmitati ſe adaptauit: *Cælitus deſcendit perceptibilis, & comprehenſibilis efficitur.* Et tunc multi ei adhærent, ac ab eius latere non diſcedunt: & ideò turbæ non ſequuntur, dum Dominus erat in monte maieſtatis cum diſcipulis ſuis, ſed dum deſcendit ad planitiem noſtræ infirmitatis.

*Princeps ſi vult ſuos ad ſe trahere, ſit communicabilis, & non inacceſſibilis.*

5. Pſal. 47. Diſcant Principes, & Magnates huius ſæculi; qui volunt, vt multi eis adhæreant, non cuſtodiant in ſe quandam inacceſſibilitatem, qua ſe negant omnium oculis, ſed fiant ſuis communicabiles, vt amicitia ſua eos allicere, ac ineſcare valeant. Ait Regius Vates Pſalm. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius: Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam*; & tunc Dominus magnus, ac valde laudabilis, in monte ſancto ſuo; & tamen à nullo dicitur cognitus; at poſtquam *ſuſcepit eam*, vt explicat Diuus Auguſtinus: *Tanquam Medicus ægrotum condeſcendens ad eius infirmitatem*; ſtatim agnitus publicatur, *in domibus eius cognoſcitur.*

Pſal. 67. — Auguſt.

6. Origen. Secundò. Origenes homil. 5. in diuerſos: *Docente Domino in monte*, ait, *diſcipuli erant cum ipſo, quibus datum erat cæleſtis doctrinæ noſcere ſecreta. Nunc verò deſcendente eo de monte, turbæ ſecutæ ſunt eum. In montem ſcilicet aſcendere nequaquam poterant, quia quos delictorum ſarcina deprimit ad myſteriorum ſublimia, niſi abiecto onere ſcandere minimè valent. Idcirco, & filij Iſraël aſcendere in montem primitus non poterant, ad obuiandum Deo, quia Ægyptiaca grauati conuerſatione præpediebantur, ſed ſolus Moyſes aſcenderat.* Aſcendit Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis in montem, turba deſcenſum expectat; cur etiam ad apicem montis non petit? Turba ſuæ infirmitatis conſcia abſtinet ſe intromittere in altis ſecretis, quæ diſcipulis, vt excellentioribus, erant communicanda. *Diſcipuli erant cum ipſo, quibus datum erat cæleſtis doctrinæ noſcere ſecreta*; vnuſquiſque intendat apprehendere, ac ſcire, quæ ad ſuum ordinem pertinent. Deinde: Aſcendit Chriſtus in montem, qui alienus erat ab omni peccato; aſcendunt diſcipuli, qui iam Chriſti Domini doctrina onus peccatorum depoſuerant; & ideo expediti, ac præcipites erant, vt ad ſublimia intendant; at turba peccatorum ſarcina, & pondere grauabatur, ideoque in altum ſcandere non valet, ſed in imis, ac infimis exiſtens Domini aduentum præſtolatur, vt à ſuorum ſcelerum compedibus alleuietur, & ita ad altiora eleuari valeat. Vide ſuprà *cap. 18. num. 23.*

*Quilibet ſuã infirmitatem agnoſcat, vt ſiet in ſuo gradu.* — *Peccatorum onus valde graue.*

7. Paſchaſ. Tertiò Diuus Paſchaſius *lib. 5. in Matthæum*, per iſtum *leproſum*, intelligit genus humanum; & ait: *Apertiſſimè per vnum lepræ maculis reſperſum, vnitas credentium oſtenditur peccatorum maculis coïnquinatorum; propter quod nemo de ſuis glorietur meritis, quia omnes eramus iræ filij, & à cæleſtibus excluſi conſortiis: niſi deſcenderet ille per incarnationem habitu inuentus vt homo, iſte non aſcenderet à Paradiſi gaudiis expulſus leproſus vt homo.* Quandiu Dominus erat in monte, turba non audet aſcendere; deſcendit ergo ipſe, vt iſte leproſus, ſeu genus humanum, in eo adumbratum ad illum accederet, vt ita mundaretur: vt apertè agnoſcamus, quòd omne bonum noſtrum, non ex noſtris meritis, ſed totum ex eius gratia eſt; & quòd deſcenſus ſuperiorum, aſcenſiones ſunt inferiorum: & ideo deſcendit ipſe, quia è ſublimi monte ſuæ celſitudinis aliorum miſerias videt, & intuetur, vt ait Dauid Pſalm. 112. num. 5. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra.* Sæpè huius ſæculi principes, ad aliorum infirmitates non condeſcendunt; quia è ſuo faſtigio ad eas non coniiciunt oculos ſed tantùm ad ſuam ſublimitatem attendunt. Roboamus non audit populum pro diminutione tributorum poſtulantem, quia illius oppreſſiones non appendit, ſed tantùm ad amplitudinem ſui parentis conuertit mentem, dicens: *Pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum: Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos ſcorpionibus*, 3. Reg. 12. num. 10.

*Superiorum deſcenſus, inferiorum aſcenſus.* Pſal. 112. — *Principes ſuis non ſubueniunt, quia è ſuo faſtigio aliorum miſerias non conſiderant.* 3. Reg. 12.

8. Alb. Magnus. Quartò. Albertus Magnus: *Cùm deſcendit Dominus, humilia dicens, tunc vilis turba ſequitur eum; quoniam tunc etiam intelligit eum.* Audiant hoc multi Concionatores, qui ſua verborum elegantia, Chriſtianam doctrinam maximè obſcurant, vt populus audiens, nec intelligat, nec percipiat quæ ſibi ſunt neceſſaria, & vtilia. Hos Prædicatores pungit D. Paulus 1. Corinth. 1. num. 17. dum ad docendum dat eis documenta: *Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti.* D. Ambroſius ibi: *Gloriam ſuam quærit, qui fidem Chriſti verbis exornare vult. Obſcurat enim illam ſplendore verborum, vt non illa, ſed ipſe laudetur.*

*Doctor non ſit obſcurus in doctrina.* — 1. Cor. 1. Ambroſ.

9. Palatius. Quintò. Palatius: Deſcendit Dominus de monte, id eſt, de maieſtate, de legis rigore, de vindicta, de duro illo nomine, quòd eſſet Deus vltionum. *Pſalm. 93. num. 1.* Deus zelotes, vindicans peccata in quartam generationem, *Exod. 20. n. 5.* Deſcendit ergo Dominus in humilitatem, ac manſuetudinem, & tunc turbæ accedunt, ac eum ſequuntur, & à ſuis malis mundantur, quos enim rigor, ac vindicta legis non curauit, hos benignitas, ac humanitas Saluatoris noſtri IESV medicauit, & ſanauit.

*Benignitas plus deuincit, quàm rigor.*

10. 4. Reg. 4. Audiens Eliſæus demortuum filium Sunamitidis, ait Giezi: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pones baculum meum ſuper faciem pueri*, 4. Regum 4. numero 29. Qui pergens, & mandata magiſtri ſui exequens, minimè puerum è mortuis ad vitam euocat. Sed veniens ipſe Eliſæus componens, & comprimens ſe ad menſuram pueri, calefaciens eius carnem, ac teneri halitu inſufflans, puerum à mortis vinculis ſoluit, *ibidem num. 32.* Res mira! quòd Giezi adimplens mandatum tanti Prophetæ, puerum non valet reſuſcitare, ſed ipſe Eliſæus per ſe veniens hoc præſtat? Puer ille, ſignificat genus humanum peccatis ſuis demortuum, vt tradunt Eucherius, Rabbanus, Carthuſianus, Gloſſa moralis; & iſtud minimè reſuſcitat baculum, ſeu rigor legis, in qua ſcriptum erat: Si quis hoc fecerit, morte moriatur; ſed filius Dei veniens ad noſtram infirmitatem, condeſcendens, noſtras animas ſua cæleſti doctrina calefaciens, ac ſua benignitate inſufflans, à mortis caligine nos liberat, & ad vitam aduocat. Angelomus: *Per Moyſem*, ait, *terrorem legis protulit Deus, quaſi per puerum, virgam miſit: per legem quippè Deus virgam tenuerat,*

Eucherius. Rabbanus. Carthuſ. Gloſſa. — *Multò efficacior manſuetudo, quã rigor.* — Angelom.

*rat, cùm dicebat: Siquis hæc, vel illa fecerit, morte moriàtur. A peccatis igitur mortis, nos ſuſcitare non valuit, ſed ad ſtatum vitæ aſpirata manſuetudinis gratia erexit: quia is, quem terroris virga ſuſcitare non potuit, per amoris ſpiritum puer ad vitam redit,* Rupert. Similiter Rupertus *lib.* 5. *de Trinit. & operibus eius, cap.* 25. Vide ſuprà *cap.* 7. *n.* 13. 14. 15. & *cap.* 10. *n.* 50. & 83. 84. & 85.

*Matth.* 8. *n.* 2. Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare,

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et ecce leproſus vnus veniens adorauit eum, & ait Domine, ſi volueris.

*Orig. hom.* 5. *in diuerſos.* Et ecce homo leproſus.

*Vatablus.* Et ecce leproſus cùm acceſſiſſet.

*Arias.* Si vis, efficax es, me mundare.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 1. *n.* 40. Et venit ad eum leproſus deprecans eum, & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare.

*Lucæ* 5. *n.* 12. Et factum eſt, cùm eſſet in vna ciuitatum; & ecce vir plenus lepra, & videns IESVM, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare

## *EXPOSITIO.*

11. Chryſoſt. MONET nos Chryſoſtomus *homil.* 26. & ait. *Tu Domini perpende ſapientiam, quemadmodum diſpenſationes ſuas pro vtilitate variat audientium, vt nunc quidem à ſignis ad verba tranſeat, nunc autem à doctrina migrat ad ſigna: nam priuſquam in montem præcepta daturus aſcenderet, multos vtique curauit, vt quæ dicenda erant, viam pararet. Et rurſus ſermone finito, ad facienda iterum ſigna regreditur, vt ex his profectò dicta confirmet.* Ante ſermonem miracula operatur Dominus *Matth.* 4. *in fine*; vt his auditores præparentur: & finito ſermone miracula edidit, vt doctrinam ſuam confirmet, ac ſciant Prædicatores verbis opera adiungere, vt etiam aduertit Euthymius. Cuncta, mira varietate pro ſua ſapientia diſponit. Et hoc miraculum (vt notat Diuus Ambroſius *lib.* 5. *in Luc. in principio*) eſt quartum ſignum, iuxta textum Lucæ, ex quo Dominus in Capharnaum venit; nam, ait D. Ambroſius, *Si quartum diem ſole illuminauit, & clariorem cæteris fecit diebus, & hoc clarius opus æſtimare debemus.*

*(Margin: Matth. 4. — Prædicator habeat verba, & opera. — Euthym. — Ambroſ.)*

12. *Ecce leproſus.* Illa particula, *Ecce*, denotat aduentum leproſi, poſt finitum ſermonem; ſeu, illa particula, *Ecce*, deſignat rem grandem, ac notabilem; quod nempe peccator veniat ad Deum. Leproſus, ſeu vt ſcribit D. Lucas, *plenus lepra*; ſeu, vt habet *ibi* Syriacus, *plenus omnino leprâ*; per quod grauitas morbi exprimitur; & excellentia miraculi commendatur. Lepra, grauiſſimus eſt morbus, ac vniuerſalis cancer; & ideo in leproſis magnum contagium eſt, quo ſanos, vlcerum fœtore, & reſpiratione putrida inficere poſſunt; & ideo lege veteri, *Leuitic.* 13, *numero* 3. ac vſu omnium gentium leproſi à communi conſortio expelluntur. *Veniens*, ait Diuus Anſelmus, tam paſſibus deuotionis, quàm corporis: & vt ipſe veniret, vt ait Albertus Magnus; IESVS eum inuitat deſcendens de monte; ſemper ipſe priùs per ſuam gratiam nos quærit. Simon Caſſianus *lib.* 5. *cap.* 11. ait; quòd iſte leproſus agnoſcebatur à Chriſto. *Non à nomine, ſed ab infirmitate noteſcens, quia leproſus erat.* Optimus princeps, qui ſuos agnoſcebat, non à conditione perſonæ, ſed ab anguſtia, ac miſeria, quam patiebantur.

*(Margin: Lucas. Syriac. — Anſelm. Alb. Magnus — Caſſian. Bonus princeps ſuos agnoſcit non à nomine, ſed à neceſſitate.)*

13. D. Marcus. D. Lucas. *Adorabat eum*; ſeu, vt habet D. Marcus, *Genu flexo, dixit ei*; & D. Lucas, *procidens in faciem ſuam*; per quod denotatur reuerentia, non ſolùm in honoris ſignum, vt aliqui recentiores dixerunt; ſed etiam in latriæ cultum, eum vt verum Deum, ac hominem recognoſcens. *Domine, ſi vis potes me mundare.* Dominum & Deum, fatetur; in cuius voluntatem potentiam eſſe poſitam recognoſcit. Quantas excellentes virtutes leproſus in his verbis oſtenderit dicam infrà *q.* 5.

---

QVÆSTIO III.

### *In quo loco leproſus mundetur? quare ab Euangeliſta non exprimatur?*

14. *Locus in quo curatur.* QVANTVM ad locum, in quo iſte leproſus Domino occurrit, & ab eo curatur, tenendum eſt, fuiſſe in diſceſſu montis, ſeu in radice eius, antequam ingrederetur in vrbem Capharnaum, vt docent D. Hieronymus, Abulenſis *quæſt.* 3. Toletus *in Lucam annot.* 12. & alij Recentiores hic, quod apertè colligitur ex ſerie textus enarrata hic à Matthæo, & ſatis efficaciter; quia non erat factibile, vt Chriſtus curaret leproſum intra vrbem, vt ait Abulenſis; nam ingreſſus in illam erat prohibitus leproſis, *Leuit.* 13. & *Numer.* 5. *num.* 2. Præcipiebatur filiis Iſraël, vt eiicerent leproſum extra caſtra. Nec obſtat, quòd Lucas dicat: *Cùm eſſet in vna ciuitatum.* Quia non ſumitur ibi ciuitas pro illius ambitu intra muros; ſed pro ſuburbanis: ac locis adiacentibus, vt *Ioſue* 5. *num.* 13. dicitur; *Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho*; in Hebræo autem; *Cùm eſſet in vrbe Iericho*, quod non intelligitur intra vrbem, cùm non eſſet capta, ſed in agro illius,

*(Margin: Hieron. Abulenſ. Tolet. — Ioſue 5. Hebræus.)*





15. Moraliter ſecundùm textum Lucæ, hoc conſideremus; non exprimitur, in quo loco fuerit iſte ſanatus, ſicut de aliis ſcribitur, vt de puero Centurionis dicitur; *Cùm ingreſſus eſſet Capharnaum.* De filio viduæ Nain, ac de paralytico ſanato in piſcina, quæ erat Hieroſolymis. In iſto autem leproſo locum prætermittit Euangeliſta, ait S. Lucas. *Factum eſt, cùm eſſet in vna ciuitatum: ecce leproſus veniens*; quòd rectè ponderat D. Ambroſius *lib.* 5. *in Luc.* & ait. *Benè vbi leproſus mundatur, certus non exprimitur locus, vt oſtendatur non vnum populum ſpecialis alicuius ciuitatis, ſed omnium populos fuiſſe ſanatos.* Leproſus iſte (vt iam dixi ex ſanctis Patribus) humanum genus repræſentabat, quod Chriſtus D. à ſuorum peccatorum lepra mundauit; bene ergo non exprimitur certus locus, quia diuinus Medicus non in remedium vnius populi, vel ciuitatis, ſed in omnium hominum ſalutem venit.

*(Margin: Ambroſ. — Chriſtus omnium remedium.)*

16. Ezech. 37. Cùm Ezechiel ſublatus eſſet in ſpiritu in campum, qui oſſibus plenus erat; ei dicitur Ezechiel. 37. num. 9. *A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant.* Sermo eſt de Spiritu ſancto, vt explicant D. Hieronymus, Theodoretus, Gloſſa, & alij. Illud tamen valde notandum, quòd vt adueniat ſuper oſſa, quæ ſunt in campo illo; à quatuor ventis eius pronunciatur aduentus: cur non ab Aquilone, vel Auſtro, ſed à quatuor ventis? Non eſt diuini Spiritus aduentare ad quoſdam viuificandos, niſi & ſimul adueniat à quatuor partibus, ſuper omnes inſufflando. D. Ambroſius *lib.* 3. *de Spiritu ſancto cap.* 20. ſic eleganter affatur. *Dabo, ait Dominus, Spiritum meum in vos, & viuetis. Vtique cùm ſpiritum ſuum dixerit, nunquid alium, præter ſpiritum ſuum, nuncupauit, neque enim flatilem ſpiritum ſuum diceret? Nec hic ſpiritus à quatuor mundi poſſet venire cardinibus: quia ventorum flatus, hic quem videmus, partis, non vniuerſitatis eſt; & hic ſpiritus, quo viuimus, ſingulorum, non vniuerſorum eſt: Spiritus autem ſancti eſt, vt & ſuper omnes, & in omnibus ſit.* Expende vltima verba; ex eo probat D. Ambroſius, quòd in Propheta ſermo ſit de diuino Spiritu: nam ſpiritus quo viuimus, ſingulorum eſt, & ad alios non extenditur; at diuini flaminis, hoc eſt proprium, vt ad omnes deſcendat inſufflando, & viuificando.

*(Margin: Hieron. Theodor. Gloſſa. — Diuina bona omnibus ſunt communia, humana verò particularibus dantur. — Ambroſ.)*

17. 1. Cor. 11. Ait Paulus 1. Corinth. 11. num. 20. *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare, vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Grauiter arguit Corinthios, eo quòd cœnam Domini contemnant, nolint eam imitari, ſed ab ea maximè ſint alieni. Sed quo argumento hanc diſſimilitudinem probat Doctor gentium? Magno ſanè, & efficaci: *Vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* In menſa Domini omnia ſunt communia, in veſtra autem, particulares affectus tantùm apparent; menſam Domini omnes participant; ad veſtram verò pauci pro diuerſitate perſonarum admittuntur: ergo maximè vna ab altera diſcrepat. Theodoretus. *Oportebat ergo, ait, & menſas communes, eſſe communes, & imitari Dominicam, quæ eſt omnibus ex æquo propoſita, nunc autem non ita facitis.*

*(Margin: Chriſti dona omnibus communia. — Theodor.)*

---

QVÆSTIO III.

### *Quare leproſus non aſcendat in montem, ſed occurrat Domino deſcendenti?*

ISTE homo maximè membrorum putredine, ſeu lepra premebatur, & ſalutem vehementer exoptabat: cur ergo ad montem non aſcendit ad diuinum Medicum, ſed eius deſcenſum expectat? Reſpondet primò D. Chryſoſtomus in Imperfecto, homil. 21. *Quia lepra erat grauatus, & peccatorum baiulans pondus, ſurſum aſcendere non valebat. Aut non audiſtis Prophetam, dicentem: Quomodo leues eſſe debeant, qui ad Eccleſiaſticum montem aſcendunt. Quis, inquit, aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius, innocens manibus, & mundo corde.* Et omnes rationes, quas dedi quæſt. prima ad hunc locum, facilè adaptari poſſunt. 18.

*(Margin: Chryſoſt. Peccata maximè grauant.)*

Secundò D. Gregorius ab Abulenſi relatus, quæſt. 4. *Leproſus deorſum occurrit, & in monte nihil dicit, quia tempus eſt omni rei ſub cœlo: tempus doctrinæ, tempus curationis; in monte animas curauit, corda ſanauit, quibus completis de cœleſtibus monitis ad ſaluandos carnales eo deſcendente, venit ad eum leproſus.* Omnia ſuis temporibus metiuntur: & diuinus Magiſter per varia temporis momenta functiones ſuas peragebat; erat *tempus doctrinæ, & tempus curationis.* In monte dabat Dominus tempus doctrinæ, altiſſimis documentis ſuos inſtruens. Non accedit tunc leproſus pro ſalute deprecans, ſed ad radices montis, tempus curationis expectat; & tunc, vt ait Chryſoſtomus: *opportuniſſimè accedit*, cùm medicamini deſignato tempore aduenit; valde enim feliciter negotia explentur, ſi ad opportunum, & proportionatum tempus reſeruantur. Vide *cap.* 7. *n.* 14. & *c.* 16. *n.* 92. & 93. 19. Gregor.

*(Margin: Omnia tempus habent. — Obſerua tempus, vt ſolicitè expleas negotium.)*

Tertiò. Verba Gregorij proximè data expende; *In monte animas curauit, corda ſanauit, quibus expletis, ad ſaluandos carnales, eo deſcendente, venit leproſus.* In monte erat Dominus occupatus ſpirituali negotio, ſalutaribus monitis dandis; benè enim capiebat leproſus, quod Dominus non omitteret ſpiritualia, vt temporali corporis ſaluti incumberet, cùm omnia carnalia ſint contemnenda, ob ſpiritualia. Quartò. Theophylactus. *Leproſus, ait, vtpote ciuilis, & modeſtus, non aſcendit montem, vt doctrinæ obeſſet.* Ne ergo eſſet impedimento doctrinæ, & ne ſermonem interrumperet, ideo ad montem non aſcendit. Quintò? Interlinealis. Cùm lepra tamen alta audere non poterat, ſanatur vt poſſit implere, Sextò. D. Antiochus *homil.* 8. *de Amore pecuniæ*, per *lepram*, diuitiarum concupiſcentiam intelligit, qua grauatus homo, in altum ferri non poterat. 20. Gregor.

*(Margin: Theophyl. — Interlin. — Antioch.)*

Septimò. Abulenſis *quæſt.* 4. Quòd, leproſis non licebat intra vrbes habitare, nec ſe intromittere in hominum conuentu, ac multitudine. *Numer.* 5. *num.* 2. Imò præcipiebantur expelli extra caſtra, ne alios inficerent. Vnde non licebat leproſo iſti ire ad montem, ad Chriſti D. ſermonem audiendum, vt ibi adeſſet cum cætera 21. Abulenſ.

*(Margin: Num. 5.)*

turba; prudenter ergo leproſus infirmitatis ſuæ, ac ſortis benè conſcius in montem non aſcendit; ſed præſtolatur Domini aduentum ad illius radicem, ne fortè ſe ſermoni intromittens, aliis ſit moleſtus, qui contagium metuentes cum magno eorum damno à concione Chriſti diſcederent; ob ergo commoditatem propriæ commoditatis noluit aliis inferre damnum, & perniciem contra propriam æquitatem, & iuſtitiam.

*Noſtram cõmodum non eſt procurandum aliorum damno.*

22. Cùm Moyſes, ad proponendum Dei mandatum Pharaoni, tendat in Ægyptum; priùs tamen, *Abiit Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum; dixit ei, Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam ſi adhuc viuant; cui ait Iethro: Vade in pace*, Exod.4. num. 1[illegible]. Noluit Moyſes diſcedere ſocero inſalutato. Illud tamen valdè miram, quòd tam faciliter; ac promptè ei licentiam concedit Iethro. *Vade in pace*, cum magno ſui dolore, ob ſeparationem filiæ, ac nepotum, & cum magna iactura ſuæ familiæ, ſuique gregis. Pecorumque cunctorum (vt ponderat Lyppomanus) miniſterio enim Moyſis omnia augmentabantur; illius verò abſentia cuncta perditioni erant expoſita. Quomodo ergo Iethro, tam grauia damna non metuit? Sed tam promptè ait, *Vade in pace?* Magnus Iethro ob ſuum proprium commodum noluit filiorum Iſraelis vtilitati obeſſe, nec vt ſuis conſuleret, aliorum ſalutem contra iuſtitiam, & æquitatem noluit impedire. Carthuſianus, Iethro, ait *fuit magnæ prudentiæ, at conſenſit citò Moyſi, vt rediret, non quòd libenter ſeparabatur ab eo, aut quòd modicè eum dilexit, ſed quia poſtulatio Moyſis rationabilis fuit; nec voluit Iethro propria commoda præferre vtilibus, honeſtiſque cauſis Moyſis, generique ſui.*

Exod.4. — Lyppom. — *Pro tua vtilitate ne ſis aliis detrimentum.* — Chryſoſt.

23. Iunior Tobias, dum recipitur hoſpitio à Raguele filiam ſuam in matrimonium ei petit. *Quo audito Raguel expauit, ſciens quid euenerit illis ſeptem viris, qui ingreſſi ſunt ad eam: & timere cœpit, ne fortè huic ſimiliter contingeret: & cùm nutaret, dixit ei Angelus*, &c. Tob.7. num.11. Raguel, vehementiſſimè filiam ſuam in matrimonium dare optabat, tam ob prolem habendam, quàm vt auferret opprobrium à filia ſua, quæ interfectrix virorum iniuriosè dicebatur, *Tob.3. num.9.* eo quòd ſeptem viri, qui ad eam fuerant ingreſſi, interfecti ſunt à Dæmone; aliunde adoleſcens aptior, quàm iunior Tobias inueniri non poterat; cur ergo timet, expauet, & fluctuat Raguel, dum eius filia in connubium petitur? Nam res alternis vicibus mutantur in melius, & res in meliorem ſortem poterat euenire, vt hic ingrediens non moreretur: prudenter tamen Raguel tanto terrore conſternitur, dum ob ſui commodum, ſuſpicionem alterius damni, timet. Expauit enim ne deſiderium ſuæ prolis, occaſio interemptionis alterius ſit: nutat, & fluctuat, ne dum ſatagit filiæ ſuæ opprobrium auertere, alteri mortis laqueos tendat. D. Ambroſius *lib. 3. de offic. cap.* 14. ait, *Raguel cùm rogaretur, filiam ſuam dare in coniugium, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumuenire petitorem videretur tacendo; dediſſe enim eam, ait, ſex viris, & omnes eos eſſe mortuos. Iuſtus itaque vir plus alienis timebat, & malebat innuptam ſibi manere filiam, quàm propter nuptias eius extraneos periclitari.*

Tobiæ 7. — *Prudens expauet, ne ſuo commodo alteri inferat damnum.* — Ambroſ.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare leproſus ſub conditione petat, ſi vis?*

24. NON abſolutè petit: Domine, munda me; ſed conditione appoſita, *Domine, ſi vis.* Rectè reſpondet primò D. Ambroſius lib.5. in Lucam. *Colluuionis ſuæ conſcius non præſumit.* Clariùs Simon Caſſianus lib.5. cap.11. *Ignarus hic leproſus erat, an eum Dominus mundare dignaretur, cùm ipſe ſe ſentiret indignum, ita verba paſſionis ſuæ, & affectionis ſubmiſſè promebat dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.* Hic leproſus, vt prudens ſui conſcius, ſe beneficio reputabat indignum, & ideo non abſolutè petit, ſed ſub conditione. Domine, ſi vis, totam rationem, ac cauſam impetrandi in diuinam voluntatem refundens. O quàm frequenter multi conqueruntur ob honores non adeptos, quia ſui ignari, merita ſua non appendunt, nec conſiderant.

Idem. Caſſian. — *Homo ſui cõſcius, petere non audet.*

25. Secundò. Albertus Magnus. *Non dubitat, ait, ſed quia ſciuit, quòd voluntas Dei eſt omnipotens, & non niſi bona eſt, & bonum cuilibet facit, & neſcit, an ſibi bonum eſſet, quòd mundaretur; vel non: ideo ſub conditione locutus eſt; id eſt: ſi bonum eſt mihi, tunc rogo, quod velis. Et ſi non bonum eſt mihi, tunc ſcio, quòd non vis.* Prudenter agnouit leproſus, quòd cùm Deus ſit pius pater, non dat filiis petentibus, niſi bona; ac proinde ſub conditione petit; agnoſcit enim, quòd ſi poſtulatum eſt bonum, illud concedet; ſi autem malum ac nociuum, tunc non annuet. Vide ſuprà *cap.18.q.10.& cap.6.num.67.*

Albert.Mag. — *Deus ſæpè ob bonum noſtrum, non concedit poſtulata.*

26. Tertiò. Bonus leproſus, nulla merita in ſe videns, non audet abſolutè petere: Munda me; ſed cum humilitate, ac modeſtia ſub conditione obſecrat: *Si vis, potes me mundare.* Nam ſine meritis magna præſumere, alta affectare, nimia audacia eſt. Regi Achaz conceditur facultas, vt ſignum petat à Domino. At ille, *& dixit Achaz; Non petam, & non tentabo Dominum*, Iſai.7. n.11. Magna reſolutione reſpondit, ſe nolle ſignum petere; & ratio, quam ſubdit, valdè mirabilis: *& non tentabo Dominum.* Moraliter locum explico. Achaz totus extitit nequitia putridus, venundatus eſt, vt faceret malum; cùm ergo eſſet meritis deſtitutus, non audet ſigna quærere, quanuis iniquus hoc ei non effugiebat; quod ſi peteret, multis videretur potius tentare, quàm expoſtulare; petitiones enim, quæ ſine enixu meritorum procedunt, potius tentationes ſunt, quàm obſecrationes; potius offendicula ponunt, quàm voluntatem ad benè faciendum ſollicitent. Michaël de Palatio in Iſaiam. *Achaz, ait, iuſſa Domini diffugiens excuſat, tentationis malum nolle ſubire, ſe iuſtificare coram Domino contendit, dicens: Non petam, & non tentabo Dominum, qui alioqui impiiſſimus erat*, 2.Paralip. 28. à num. 1.

Iſai.7. — *Petere ſine meritis tentatio eſt.* — Palat. — 2.Paral.28.

* * *

QVÆSTIO



## QVÆSTIO V.

### *Quare leproſus totum committat diuinæ voluntati.*

27. RECTE D.Chryſoſtomus *homil.26.* ſic de hoc leproſo loquitur; *ait ille, ſi vis, potes me mundare; neque ait, munda me: ſed ipſi cuncta commiſit, eumque conferendæ ſanitatis Dominum eſſe confeſſus eſt; neque in ipſo conſtituit omnium poteſtatem.* Omnipotentiam in eo profitetur leproſus, dum clamat: *ſi vis, potes me mundare.* Nam, vt loquitur Simon Caſſianus lib.5. cap.21. *Voluntas tua, potentia tua eſt.* Et D. Fulgentius lib. 2. ad Thraſymundum cap. 12. *In his verbis oſtendit*, ait, *diuinam voluntatem, pleniſſimam eſſe poteſtatem.* Leproſus ergo tam diuina gratia illuminatus, quàm ex notitia aliorum miraculorum, agnoſcebat potentiam Chriſti cum voluntate ſua eſſe æqualem; & voluntatem, quæcunque vellet, in actu operari. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra*, Pſalm.134.num.6.

Chryſoſt. — Caſſian. — Fulgent. — Pſalm.134.

28. Secundò. In hoc leproſus oſtendit, quòd ſuum vehemens ſanitatis deſiderium cum magna reſignatione ſubmittat Chriſti D. voluntati; & quòd non obſtante petitione ſua, ipſe præſtet, quod voluerit, vt ſi velit eum, ſanet; & ſi nolit, à curatione abſtineat: agnouerat enim, quòd ſæpè corporis infirmitas, ſanitas animæ ſit, & maximè ad eius ſalutem conducat: & cùm homo neſciat, quod ſibi vtile eſt, totum Dei iudicio relinquit, cuius cognitioni omnia ſunt aperta, ac manifeſta.

*Reſignandum in diuinam voluntatem.*

29. Ex his mihi ſuboritur dubium. Ait iſte leproſus, *Domine, ſi vis, potes me mundare*; videtur enim, quòd dum Chriſti D. maieſtatem extollit, eius potentiam quodammodo diminuit. nam ait; *ſi vis, potes me mundare.* Ergo ſi ipſe non vult, non poteſt mundare hoc eſt, multum diuinæ omnipotentiæ derogare, & abſit, quòd leproſus tanta fide illuminatus, hoc exiſtimaret, & diceret. Quomodo ergo ait: *Si vis, potes me mundare.* Agnoſcebat ille, quòd quamuis Deus magnus, & omnipotens ſit, apud quem omne verbum non eſt impoſſibile; tamen, ita diues in miſericordia, & miſeratione ſua eſt, vt ob largitatem ſuæ beneficentiæ, illud quodammodo (noſtro dicendi modo dicam) æſtimet ſe habere, & poſſe, quod ſuis dat, & communicat. Ita enim delectatur in beneficiis concedendis, vt munerum largitas, potentiæ ſuæ ſit gloriatio. Et voluntas dandi potentiæ ſit oſtentatio. Ita ait Caſſianus cit. *Voluntas tua, potentia tua.* Et Euſebius Gallicanus *hom. in Dominica 3. poſt Epiphan.* ita fatur in perſona leproſi. *Dominus es, Omnipotens es, voluntas tua, opus tuum.*

*Incidens dubium.* — *Deus illud maximè æſtimat quod ſuis dat.* — Caſſian. Euſeb.

30. De Agno occiſo, qui in omnium ſententia, eſt Chriſtus D. clamant ſeniores in Apocalypſ.5. num. 12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Rectè dubitat Aretas: quomodo ſeniores alta voce intonant, Agnum dignum eſſe accipere virtutem, diuinitatem, ac ſapientiam, gloriam, & honorem, cùm omnia illa ipſe habeat à primo inſtanti Incarnationis ſuæ, in quo diuinitas hypoſtaticè naturæ humanæ eſt vnita. Pulchrè Anſbertus *lib.3. in Apocal.* difficultatem ſoluit, quòd ſermo ſit hîc de Chriſto D. prout eſt vna perſona myſtica cum ſua Eccleſia, ac proinde dona ſuæ virtutis, diuinitatis, ac ſapientiæ, & fortitudinis, quæ ipſe ſua morte Eccleſiæ, ac fidelibus dedit, & communicauit; ſua ſapientia diſponit, vt publica, & magna voce ciues cœleſtes clament, & decantent; quòd ipſe accipiat, & habeat ea, quæ nobis largiri dignatus eſt. Anſbertus loco citato. *Quia verò, ait, Chriſtus, & Eccleſia vna ſunt perſona, poſſunt hæc quadam ratione ad ipſam referri. Dicatur ergo: Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*, &c. *Ac ſi diceretur, in membris ſuis. Cùm enim ipſe ſit Dei virtus, ac Dei ſapientia, in corpore ſuo (quod nos ſumus) accepit, quod in ſe ipſo poſſidet; de illo ſcriptum legimus: Accepit dona in hominibus*, Pſalm.67.num.19.

Apoc.5. — Aretas. — Anſbert. — *Illud decantatur Chriſtum habere, quod dat ſuis.* — Anſbert. — Pſalm.67.

31. Videns Abrahamus tres viros, occurrit eis, & tanquàm cum vno loquens, ait: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum*, Gen.18.num.3. Inuenire gratiam, idem eſt, ac beneficium accipere, vt notant *ibi* Chryſoſtomus, Caietanus, Lyppomanus, Oleaſter, & alij. Et hæc eſt valde ſolemnis phraſis Scripturæ. Si ergo Abrahamus hoſpitalitatis beneficium conferebat, quomodo proteſtatur, illud accipere, *ſi inueni gratiam?* Domini ingenium hauſerat magnus ille ſeruus eius; & ideo donum, quod largiebatur, ſibi perſuadebat accipere; ac proinde dum domum ſuam in hoſpitalitatem offerebat, non iudicabat ſe aliquid dare, ſed quid magnum recipere. D.Chryſoſtomus homil.41. in Gen. *Si inueni gratiam in oculis tuis. hoc eſt*, ait, *admirabile beneficium, das, non accipis, verè enim eiuſmodi res eſt, qua magis accipit, quàm dat.*

Gen.18. — Chryſoſt. Caiet. Lyppom. Oleaſter. — *Iuſtus dum dat, ſibi perſuadet recipere.* — Chryſoſt.

## QVÆSTIO VI.

### *Expenduntur virtutes, ac excellentiæ, quas leproſus oſtendit in hac ſua petitione.*

32. MVLTA ſunt ornamenta virtutum, quibus hæc pretioſa leproſi petitio condecorata eſt; quæ ad ſeptem capita reduco. Primò, in petitione, magna præuentione vſus eſt. Perbellè ait Origenes *homil. 5. in diuerſos*, in perſona leproſi loquens. *Te ego vt Deum adoro, ideoque & Dominum dico, opera prius conteſtans, & ſic verba loquens.* Priùs opera exhibet eum genu flexo adorans, & procidens in faciem ſuam, & poſtea verba profert: *Si vis, potes me mundare*; opera prius permiſit, quàm verba, vt faciliter exaudiretur.

Origen. — *Prius opera, quàm verba.*

33. Secundò. Magna prudentia hîc declaratur. Chryſoſtomus homil. 26. *Non inconſideratus ſermonem docentis incidit, ſed expectauit tempus aptiſſimum, & vbi deſcendit, iam ei opportuniſſimè ſupplicauit.* Prudens conuenientem explorat occaſionem, & ideo non poſtulat, dum Dominus eſt in ſermone docens, nec illum interrumpere audet, ſed opportunum tempus præſtolatur, quando ad miraculum deſcendit: conueniens autem tempus maximè ad petitiones obſeruan

Chryſoſt. — *Opportuno tempore poſtulandum.* — *Prudentia leproſi ex multis comprobatur.*

ſeruandũ eſt. Deinde hanc prudentiã monſtrauit ſuis verbis; nam cùm ſe iudicaret non habere merita, nec amicitiam, cum Chriſto D. non audet diſertè petere, ſed inſinuatione tantùm. Et ad hæc multa ponit argumenta. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Primò. *Domine*; ergo cùm talis ſit, ad te pertinet de ſeruis curam agere, ac eos ſanare. Secundò. *Si vis*, magna facilitas tibi eſt in hoc negotio; non enim multum operis, & laboris tibi neceſſarium eſt, ſed nutus voluntatis tuæ ſufficit. Tertiò. *Potes.* Ecce magna potentia tua, quæ ſola poteſt remedium dare, ac proinde ipſa tua magnitudo motiuum tibi ſit ad auxiliandum mihi. Quartò. *Me mundare.* Mea ergo neceſſitas, ac miſeria potentiam tuam alliciat ad remedium, ac adiuuamen.

34. Euſeb. Gal. *Magna leproſi fides.* Origen. Euthym. Abulenſ. Maldonat. Beaulxam. Barradas. Matth. 8.

Tertiò. Magna fides reſplendet hîc, vt ponderat Euſebius Gallicanus *homil.* 3. *poſt Epiphan.* Magna enim fide facta eſt hæc leproſi petitio, ait, *ſi vis, potes me mundare.* Eum, vt Deum Omnipotentem recognoſcit, ſiquidem quidquid vult, præſtare poteſt. Et non dixit, vt notant Origenes *homil.* 5. *in diuerſos.* Euthymius, & alij. Roga, deprecare pro me, vt dictum eſt Moyſi; *ſed ſi vis, potes me mundare*; Chriſtum D. recognoſcens, cum Deo Patre, poteſtate æqualem; & hanc fidem adoratione ſua exhibita proteſtabatur, quæ cultu latriæ erat, vt notant Abulenſis *quæſt.* 9. Maldonat. Beaulxam. Barrad. & alij. Hæc autem recognitio, ac diuinæ potentiæ proteſtatio, hîc à leproſo exhibita, in hoc illuſtrior quodammodo videtur, quàm à Centurione præſtita; nam iſte confeſſus eſt, Chriſtum poſſe verbo curare; *Tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*, Matth. 8. num. 8. At leproſus ſolo voluntatis nutu, ſanitatem dari poſſe, à Chriſto Domino profitetur. Deinde Centurio, verbum, , veluti tanquam terminum poſtulabat; *Tantùm dic verbo.* At leproſus nullum determinat modum, ſed totum diuinæ voluntati committit.

35. Ambroſ. *Confeſſio ſit humilis, verecunda, & integra.* Anſelm.

Quartò. Magna verecundia, inſignis humilitas, ac illuſtris confeſſio hîc reſplenduerunt: quod notat D. Ambroſius lib. 5. in Luc. *Iſte*, ait, *in faciem procidit, quod humilitatis eſt, & pudoris; vt vnuſquiſque de ſuæ vitæ maculis erubeſcat; ſed confeſſionem verecundia non repreſſit; oſtendit vulnus, remedium poſtulauit, & ipſa religionis, & fidei plena confeſſio eſt.* Acceſſit cum magna verecundia, ac humilitate ad medicum leproſus, humilitate, genuflexo adorans. Et cùm in lepra illa, peccata denotarentur, ob eorum verecundiam, in faciem ſuam procidit, reputans ſe indignum, vt vultu ſuo videretur, ac agnoſceretur. Et quanuis in eo tanta eſſet verecundia, tamen confeſſio, non inde impeditur, ſed publica, ac patenti voce, ſanitatem poſtulans, infirmitatem ſuam, ac vulnera, vlceraque manifeſtat, atque fatetur; quod D. Anſelmus etiam dixit. *Oſtendens vulnus, remedium poſtulat.* Sit verecunda confeſſio, integra, & humilis.

36. *Diligentia leproſi; ipſe quærit Dominum.*

Quintò. Eximiam diligentiam in hoc negotio præſtitit leproſus; non enim expectauit, vt Dominus ad locum veniret, in quo ipſe erat; nec moratur, vt in aliam patrem diuertat, ſed ſtatim in itinere ipſo, ac ad montis radicem ſuccurrit, Dominum quærens. Sextò. Illuſtrem timorem, ac prouidam præſtitit cautelam. Lepra, valde turpis atque obſcœnus eſt morbus, peſſimum de ſe exhalans fœtorem. Accedit leproſus, & ne Chriſti Domini conſpectui moleſtias adferret, à quo ſanitatem expoſcebat, procidit in faciem ſuam, vt ita incompoſitam deformitatem vultus ſui ob lepram cooperiret, & malum odorem à Domini præſentiæ maieſtate auerteret, quod timor cuiuſdam reuerentiæ fuit; vt notat *hîc* Toletus *in Luc.* *A quo beneficium petis, noli moleſtiam dare.* Tolet.

Septimò. D. Chryſoſtom. Pulchrè, ait, *ſpirituali Medico, ſpiritualem offert mercedem; ſcilicet fidelem orationem, qua nihil dignius Deo offerimus.* Sanitatem à Domino petit leproſus, & ad tantum beneficium impetrandum, ſpiritualem retributionem Chriſto D. offert; nempe orationem ſuam, quam pro magna mercede habet Dominus, ſiquidem nil ei gratius exhiberi poteſt. 37. *Deus orationem noſtram pro mercede habet.*

Phariſæus, & Publicanus in templum aſcendunt: Phariſæus ſic dicebat. *Gratias tibi ago Deus, quia non ſum ſicut cæteri homines: raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium, quæ poſſideo*; hæc dicebat Phariſæus. At Publicanus, ſuum pectus percutiens, orans clamabat ad Dominum, *Propitius eſto mihi peccatori.* De his ſtatim ſubdit Dominus. *Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo*, Luc. 18. n. 14. Hîc duo homines aſtant in templo. Phariſæus decimas omnium ſuorum ſoluebat, & cùm ipſe eſſet valde diues, & præpotens, decimæ ab illo datæ ad magnam ſummam fructuum, ac rerum pertinebant. Publicanus autem nihil largitur, nec offert; & tamen hîc cœleſtibus donis cumulatur; à quibus Phariſæus excluditur. Phariſæus, licèt multum de bonis ſuis daret, nil tamen rogabat à Domino. At Publicanus licèt nil daret, orationem ſuam offerebat: *Propitius eſto mihi peccatori*; & Deo magis placuit, ac pro maiori oblatione, ac donatione illi accepta fuit humilis oratio Publicani, quàm ingens bonorum copia Phariſæi. Albertus Magnus ſerm. 41. *Decimas dat Phariſæus, & nihil rogans ob ſuam ſuperbiam in peccatis manet; at Publicanus orans ad Dominum, iuſtificatur, eius humilis oratio in magno pretio erat apud Deum.* 38. Luc. 18. *Noſtra oratio coram Deo, pro magna oblatione.* Albert. Mag.

Ait Regius Vates Pſal. 115. n. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & reſpondet. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Maximè obligatum diuinis beneficiis ſe agnoſcit Propheta, & pro tantis donis acceptis, quærit, quid poſſit in retributionem Deo dari? Tandem in hanc reſolutionem erumpit: *Calicem ſalutaris accipiam*; hoc eſt, calix mortificationis, ſeu pœnitentiæ; & hunc Domino dare, pro retributione donorum contentus eſt Propheta? Minimè; ſed addidit; *& nomen Domini inuocabo*, hoc eſt, oratione mea confitebor Domino. Agnouerat enim, quòd pro beneficiis acceptis, calix pœnitentiæ non erat proportionata retributio, niſi ſimul eſſet præmiſtus oratione, quia hanc pro mercede magna, & retributione Dominus habet. Incognitus: *Dedit tibi calicem Saluatoris, quem accipiens, & inuocans nomen Domini, retribuas ei pro omnibus, quæ retribuit tibi.* 39. Pſalm. 115. *Oratio pro magna mercede ad Deũ.* Incognit.

*Matth. 8. n. 3.* Et extendens IESVS manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra eius.

*VERSIO*



*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et extendens manũ ſuam Ieſchua admouit ei, & ait: Volo ego: mundus eſto; & in illa ipſa hora, mundata eſt lepra eius.

*Vatablus.* Protenſáque manu, tetigit illum IESVS dicens: Volo, mundus fias. Ac protinus.

*Arabicus.* Illico mundata eſt.

ALTER TEXTVS.

*Marci 1. n. 4.* IESVS autem miſertus eius, extendit manum ſuam, & tangit eum; ait illi: Volo, mundare; & cùm dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.

*Lucæ 5. n. 13.* Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

## *EXPOSITIO.*

40. Albert. Mag. *Nomen IESVS ſalutiferum.*

BENE notat Albertus Magnus. *Extendens IESVS manum.* Quod dum leproſi ſanitas deſcribitur, nomen, quod hîc interponitur, eſt IESVS: in quo ſignificatur ſanitas, vita, & ſalus. *Extendens manum.* Leproſus venerat ad Dominum, procidens *in faciem ſuam* (vt exprimit D. Lucas) ſe iudicabat indignum, vt ante Domini oculos appareret; ac proinde in faciem ſuam procidit (vt dixi ſuperiori expoſitione.) veluti cooperiendo faciem ſuam, ac turpitudinem morbi ſui. Chriſtus D. hanc illius humilitatem, ac reuerentiam honorans, ac extollens, non ſolùm eum ſuis corporalibus oculis aſpicit, ſed etiam tactum manu propria illi concedit. Et aduerte, quòd dum Euangeliſta ait, *Extendens manum*; denotat, quòd ob reuerentiam leproſus non multum ad Dominum approximauit; vnde ipſemet Chriſtus Dominus extendit, & ad eum manum porrigit. Iuxta Marcum habetur: *Extendit manum ſuam*; nulla alia manus, ſed ſolùm Domini manus dat ſalutem, vitam, ac remedium. *Deus humiles honorat.*

41. Syriacus. Ambroſ. *Refutantur hæreſes.*

*Dicens: Volo, mundare.* Leproſus obſecrauerat à Domino voluntatem, & poteſtatem. Reſpondet Dominus, voluntate, & poteſtate. Voluntate, *volo*: poteſtate, *mundare*, quod non eſt infiniti modi actiui, ſed imperatiui vocis paſſiuæ; & idem eſt, ac mundus eſto, vt habet Syriacus. Rectè D. Ambroſius *in cap.* 5. *Luc.* inquit, *Dominus dicit, Volo, propter Photinum: imperat, propter Arrium: tangit, propter Manichæum.* Dum Chriſtus Dominus ait, *volo*, oſtendit voluntatem ſuam eſſe diuinam, ac omnipotentem, & refutat Photinum, qui aſſerebat Chriſtum purum hominem, & non Deum; dum imperat, *mundare*, ſeu *mundus eſto*, oſtendit ſe æqualem Patri; & refutat Arrium, qui dicebat eſſe minorem: cùm autem tangit, oſtendit veram carnem, & refutat manichæum, qui aſſerebat, corpus Chriſti Domini eſſe phantaſticum; ac proinde hoc facto tres hæreticorum errores Dominus iugulat. Deinde ait D. Paſchaſ. *lib.* 5. *Matth.* notat, quòd Dominus verbo, & tactu curat; vt oſtendatur, in verbo diuinitas, & in tactu humanitas. Paſchaſ.

42. Arab. Origen. *Diligens deuotio diligenter remuneratur.*

Et confeſtim, ſeu, vt habet Arabicus, *Illico mundata eſt lepra eius*; id eſt, homo mundatus eſt, & integram ſanitatem recipit: quod peroptimè notans Origenes *homil.* 5. *in diuerſos*, ait, *Non dubitaſti credere, non tardo ſanare. Non diſtuliſti confeſſionem, non differo te mundare.* Non diſtulit remedium Dominus, vt factum in Lazaro videmus; ac in Chananæa, ſed ſine vlla cunctatione illi dat ſanitatem: nam leproſus Domino occurrens, ſtatim abſque mora fidem ſuam manifeſtat, Domini potentiam, clara voce conteſtans: *Si vis, potes me mundare*; & ſuas maculas apertè confitetur, dum mundari poſtulat; & ſedula, ac feruida fides ſine dilatione mercedem recipit, ſicut & diligens confeſſio abſolutionem.

---

### QVÆSTIO VII.

*An cùm Dominus manum extenderit, lepra diſceſſerit; ita vt manus Domini mundam carnem tetigerit?*

43. Abulenſ. Tolet. *Tangens leproſum erat immundus, ſecundum legem.* *Quomodo Patres explicandi.*

PRo iſtius quæſtionis explicatione, cum Abulenſ. notandum eſt *quæſt.* 12. Toleto *in cap.* 5. *Luc. annot.* 20. tangere leproſum non eſſe expreſsè prohibitum lege. Nam lex præcipiebat, vt leproſum extra caſtra eiicerent, & ſi quis tetigiſſet eum, immundum eſſe lex ipſa decernebat, donec purgaretur. *Leuit.* 13. *&* 14. *n.* 46. ſicut etiam mortuum tangere, non erat lege prohibitum; immo eum ſepelire opus maximè laudabile; vt patet in Tobia. Et tamen lex determinabat, eum eſſe immundum, donec certis mundaretur cæremoniis, *Numer.* 19. *n.* 11. ſic etiam leproſum aliquando tangere, opus valde laudabile; & ideo ſi ſimpliciter eſſet lege prohibitum poſitiua, magnum ſequeretur inconueniens; quia aliquando ad huiuſmodi tactum lege naturali obligatur homo, vel ratione medicinæ adhibendæ; vel ratione grauis, ac extremæ neceſſitatis, ſi in illa leproſus eſſet conſtitutus. Vnde, quando Patres, vt Chryſoſt. Ambroſius, Paſchaſius, Tertullianus, Origen. citandi, docent, leproſi huiuſmodi tactum in lege eſſe prohibitum, interpretandi ſunt de prohibitione quo ad munditiem.

44. *Reſolutio quæſtionis.* Antioch. Ambroſ. Chryſoſt. Paſchaſ. Ant. Vlyſſip. Beda. Haymon.

Veniamus iam ad noſtram quæſtionem. An ante Domini tactum, ad extenſionem illius manus ſit lepra effugata, vt Chriſtus D. non hominem tetigerit lepra infectum, ſed iam purum, & mundum? Reſpondendum eſt cum communi ſententia, quòd quando Chriſtus D. hominem tetigit, adhuc illius caro lepra erat reſperſa. Ita docent Antiochen. *in Marc.* D. Ambroſ. *lib.* 5. *in Luc.* D. Chryſoſt. *homil.* 26. D. Paſchaſ. *lib.* 5. *in Matth.* D. Antonius Vlyſſip. *in Domin.* 3. *poſt Epiphan.* Beda, Haymon, & alij. Ratio eſt; quia omnes tres Euangeliſtæ, hanc hiſtoriam narrantes,

tes ſcribunt, quòd Dominus manum extenderit, *& eum tetigit, dicens: Volo, mundare.* Homo, non eſt à leprà mundatus, niſi quando Dominus dixit: *Volo, mundare* & tamen Euangeliſtæ priùs dicunt, quòd Dominus eum tetigit; ergo quanuis totum fuerit ſimul, priùs ſaltem ſecundùm aliquod inſtans, tetigit; & poſtea dixit: *Volo, mundare.* Mandatum autem legis nullum habebat locum in Chriſto Domino, cùm ipſe eſſet ſupremus Dominus legis; & ob alias quamplurimas rationes ſequenti quæſtione dandas. Immò, leproſum tangere, vt notaui ſuperiori num. cum Abulenſ. & Tolet. ad medicinam, ſanitatem, ac miraculum; opus erat valdè laudabile magnæ charitatis, ac pietatis, vt factum vidimus in Eliſæo, 4. *Reg.* 4. *n.* 35. Et ſi aliquis rudis, & indoctus aliud maleuolè ſentiret, hoc bonus Magiſter contemnebat, vt noſtræ ſaluti, ac remedio conſuleret.

*Chriſtus D ob noſtram ſalutem, omnia contemnit.*

45\. Sunt autem, qui exiſtiment, quòd extendente Chriſto Domino manum, lepra ipſa effugata ſit; & quòd Dominus tetigerit hominis carnem, omni labe purgatam, ac ſordis iam expertem; ita docent Euſebius Emiſſen. *hom. in Domin.* 3. *poſt Epiphan.* Origen. *homil.* 5. *in diuerſos.* in hæc verba, quæ ad ſenſus morales multùm conducunt; quòd ipſe obſcœnus morbus Chriſti Domini manum timuerit. *Ideo cùm extendo manum, mox effugit; ne contaminatio meæ virtuti proximaret, vel reſiſtere meæ potentiæ poterit. Dico ego, volo, mundare; & me manum ad tangendum extendente effugit illicò lepra: & inuenta eſt manus Domini, non lepram, ſed mundum tetigiſſe corpus.* Magna, admirabilis, ac diuina eſt puritas carnis Domini mei IESV; magna enim præuentione ſe habuerunt in hoc negotio; manus Domini, & lepra hominis. Manus Domini, ſuâ potentia diſpoſuit, ac alto conſilio ordinauit, vt ad eius extenſionem hominis lepra euaneſceret; alienum enim erat à tanta puritate, vt corpus maculis coinquinatum attingeret. Similiter etiam ille fœdus hominis morbus, extendente Chriſto Domino manum horret, pauet, ac timet; & ſtatim diſparet, ac fugit; non audet, tantæ puritatis, ac munditiæ tactum ſuſtinere.

Euſeb. Emiſſ. Origen.

*Immunditia fugit à conſpectu puritatis carnis Chriſti.*

*Immunditia, horret, & timet puritatem Chriſti carnis.*

46\. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* Pſal. 18. n. 8. Tabernaculum hoc Chriſti Domini eſſe carnem, communis eſt Patrum ſententia, Auguſtini, Ambroſij, Remigij, Brunon. Incogniti, & aliorum. Sed cur, corpus ſuum, dicitur in ſole poſuiſſe, & non in Luna? Sol purus, maculis expers; Luna verò multis maculis obſcurata, ac deturpata, & puriſſima Chriſti Domini caro non ſibi locum inuenit, vbi maculæ reſident, ſed vbi puritas nitet D. Thomas. Per *ſolem*, intelligens B. Virginem, ſic ait, *quæ nullam habuit obſcuritatem peccati, tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te,* Cantic. 4. Vide ſuprà *cap.* 7. *num.* 97. *&* 98.

Pſalm. 18. Auguſt. Ambroſ. Remig. Bruno. Incogn.

*Vbi puritas, ibi caro Chriſti D. locum inuenit.*

D. Thom. Cantic. 4.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare IESVS leproſum tangat?*

47\. HVIVS quæſtionis multæ ſunt rationes, quas breuiter præſtringo. Primò, Chryſoſt. *homil.* 26. Theophylact. D. Ambroſ. *in Luc.* Albert. Magn. S. Thomas, & alij dicunt, quod Chriſtus D. leproſum tangit, quem Eliſæus non audet tangere, ſed mittit ad fluenta Iordanis, Eliſæus erat famulus, Chriſtus Dominus legi non erat nbnoxius; nec illa aſtringebatur, & ideo vt Dominus legis curat ægrotum. Magnum documentum, Dominus & ſeruus, quilibet operetur vt in ordine ſuo conſtitutus.

Chryſoſt. Theophyl. Ambroſ. Albert. Mag. S. Thom.

*Dominus, & famulus quilibet operetur in ſuo ordine.*

48\. Secundò Tertullian. *lib.* 4. *contra Marcion. cap.* 9. D. Chryſoſtomus, & S. Ambroſius docent, quòd lex prohibebat contactum leproſi ob contagionis periculum, ne ſcilicet tangens eodem morbo contaminaretur; cùm autem huiuſmodi periculum, nullum in Chriſto Domino haberet locum, ſed potiùs, infallibilis curationis leproſi certitudo erat; inde euidens prodibat, quod Chriſtus Dominus leproſum tangens, non aliquid faciebat contra legem; ſed potiùs ad mentem ipſius legis; quod efficaciter confirmo. Tangens mortuum, ita ſecundùm legem immundus erat, ac leproſum tangens, vt patet ex dictis ſuperiori quæſtione *in principio.* At Elias, & Eliſæus tangentes mortuum 3. *Reg.* 17. *n.* 10. *&* 4. *Reg.* 4. *num.* 30. ad miraculum, & ſanitatem, non reputati ſunt immundi, nec iudicati ſunt facere aliquid contra legem; ergò nec Chriſtus Dominus tangens leproſum, ad miraculum, & ſanitatem aliquid contra legem faciebat.

Tertul. Chryſoſt. Ambroſ.

*Lex aliquando ex bona ratione ceſſat.*

49\. Tertiò. Ad oſtenſionem veræ carnis ſuæ: non enim fictitia, & phantaſtica caro, veram; ac ſolidam ſanitatem efficere poterat per contactum. Tertull. lib. 3. contra Marcion. cap. 8. *Si enim tangendo, aliquem à vitio liberauit; vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum eſt; non poteſt verè actum credi, ſine corporis ipſius veritate. Nihil ſolidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit.* Rectè contra hæreticum argumentatur, qui carnis Chriſti Domini veritatem negabat, id quod tantùm apparens, & fictitium eſt, nil ſolidum & firmum præſtare poteſt. Ergo cùm ſanitas collata leproſo propriè, & realiter eſſet exiſtẽs, non à manibus imaginariis, ſed à veris, & ſolidis proceſſit.

*Carne phantaſtica, non procedit verus actus.*

50\. Quartò. Tertullianus & Chryſoſt. citati. Tangit hominem ad oſtendendum, quòd non tam corporis lepra, quàm animæ fugienda eſſet; ſiquidem hæc, impedimentum ad virtutem ponit. Quintò Theophyl. Tangit Dominus, eo quòd mundo nihil immundum ſit. Sextò. Idem Theophylact. Eo quòd ſancta eius caro ſanctificationem communicet. Ad oſtendendum ergo ſacratiſſimi corporis ſui virtutem; quod ſanctitatem, vitam, ac miſericordiam diffundebat; per tactum quamplurimos ſanauit; vt docent Victor. Antiochen. *in cap.* 1. *Marc,* Beda Albert. Magn. & alij *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Septimò. Abulenſ. *quæſt.* 11. vt Iudæi virtutem agnoſcerent Chriſti Domini, ſi Dominus aliquos non tangeret, putarent, vtpote maleuoli, ac inimici, quòd non ſanabatur Chriſti Domini virtute, ſed ex alia cauſa, vel etiam ex alterius virtute alicuius circunſtantiis, vt ait Imperf. *homil.* 21. Ergo vt eorum os comprimeretur, & Chriſti Domini virtutem agnoſcerent, ſanat tangendo.

Tertul. Theophyl.

*Mundo, nihil eſt immundum.*

Antioch. Beda. Albert. Mag. Abulenſ.

*Iniquis, amputanda occaſio detrahendi.*

Chryſoſt.

51\. Octauò. D. Ambroſius *in Luc.* Gloſſa Interlineal. D. Remigius. Factum eſt hoc ad benignitatem, ac Chriſti Domini humilitatem oſtendendam; ſcilicet quia ita benignus erat, quòd etiam infirmos, & immundos, ac leproſos tangere non dedignabatur. Quo nos docet, nullum proximum tædio, vel faſtidio, nobis eſſe debere, quanuis ſit grauibus infirmitatibus detentus. Nonò Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* ait, *Extendit illi manum, quoniam ille languore receſſerat, & niſi prius*

Ambroſ. Gloſſa. Remig. Paſchaſ.



*misereretur, vt extenderet manum, hic nunquam redire, ac ſanari poſſet.* Per *manum,* Domini potentia denotatur, ac miſeratio: & quia per peccatum homo ſe à Deo elongauerat, ideo neceſſe eſt, vt Dominus per gratiam ſuam manum extendat, vt ad ſe hominem aduocet, & trahat; alioquin ipſe homo nunquam redire, & ſanari poſſet; & vt etiam nobis fiduciam ad ipſum accedendi daret, quanuis peccatis leproſi miſericordiam inueniamus.

*Deus fiduciã dat, vt ad eum accedamus.*

52\. Decimò. Tetigit eum, vt cunctis ſuæ miſericordiæ largitas, ac benignitas manifeſta ſit, quæ plus donat, quàm petierat leproſus. Homo diuinæ voluntatis nutum poſtulauit, *Domine, ſi vis.* At Chriſtus Dominus in miſeratione diues, non ſolùm ſacratiſſimæ ſuæ voluntatis affectũ ei concedit, *volo;* ſed etiam oris ſui verbum, *mundare,* ſeu, *mũdus eſto.* Et tactum manus ſuæ ſanctiſſimæ *eum tetigit.* Ita diuinæ gratiæ dona noſtras petitiones excedunt, vt non ſolùm quod obſecramus donet, ſed multo ampliora largiatur. *Dilata os tuum, & implebo illud,* Pſalm. 80. n. 11. De deſiderio, ac voluntatis affectu interpretantur D. Athanaſ. Brunon. Incognit. & alij. *Et implebo illud;* & qua menſura, quove modo implendum eſt? Ipſe Dominus dicit, *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum,* Luc. 6. num. 18. Exhortatur nos Dominus, vt deſideria noſtra, ac petitiones maximè dilatemus, ac extendamus; ipſe tamen largiendo, maximè donis ſuis ſuperabundabit. Bellè Origen. ad locum Pſalm. *Si quid vales petere, pete, & plura exhibebo, quàm petas.*

*Deus dat, plusquam petimus.*

Pſal. 80. Anaſtaſ. Brunon. Incognit. Luc. 18.

*Maiora Dei dona, quàm noſtra poſtulata.*

Origen.

53\. Egrediens populus Iſraël de Ægypto, cùm ad maris rubri littus perueniſſet, & Ægyptios ſuper ſe venientes vidiſſet, in deſperabundas, ac detractatorias voces contra Deum, & Moyſem vehementer erumpit. *Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine,* Exod. 14. n. 11. Clamat Moyſes ad Dominum pro populi libertate, vt eſt conſtans Patrum ſententia. Chromant. *in cap.* 5. *Matth.* Chryſoſt. *in Pſalm.* 140. Hieron. *in Pſalm.* 5. Rupert. Lyran. Abulenſ. & aliorum. Glorioſè populus mare ingreditur; & incolumis: ac ſaluus pertranſit. Ægyptij autem inſequentes, ſubmerguntur; & liberati filij Iſraël, *viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris;* & gaudentes, cadauera ſpoliauerunt, & eorum pretioſis veſtibus induti, ac ſplendidis armis accincti ſunt. Illud tamen hîc valdè mirandum, cur Dominus pro rebelli populo, qui contra ipſum & Moyſem eſt, loquebatur, tanta mirabilia operetur, tantiſque beneficiis honoret? Non ſat erat populum liberare è Ægyptiorum manu? Ad quid tot dona cumulantur. Clamabat Moyſes ad Dominum pro populi libertate; & cùm Deus in miſericordia ſua diues ſit, non ſolùm concedit ea, quæ pro ingrati populi libertate poſtulantur, ſed multa alia tribuit, nempè deſtructis inimicis, glorioſum eorum triumphum, magna, & aurea ſpolia, prædiuitem ſupellectilem, validiſſima, ac fortiſſima arma, ſemper enim Dei manus maiora largitur, quàm noſtra petitio exquirit, & affectat; quod de diuinis beneficiis teſtatur Saluian. lib. 2. de Eccleſia catholica: *Rebus neceſſariis, ait, ad vitam communitus es, & etiam nonneceſſariis locupletatus, plus ad vſum Dominus tuus tribuit, quàm modus vſuum poſtulauit; extendit denique ſpes tua, munera ſua, & quod eſt maximum, & rariſſimum, dona illius etiam tua vota vicerunt.*

Exod. 14. Chromant. Chryſoſt. Hieron. Rupert. Lyran. Abulenſ.

*Dei dona, noſtra vota excedunt.*

Saluian.

## QVÆSTIO IX.

### *Quare Dominus, dum leproſum ſanat, ait:* Volo, mundare?

54\. INTER omnia miracula, quæ operatus eſt Dominus, verbum *volo,* in hoc ſigno tantùm appoſuit, quòd rectè ponderat, & ſoluit Chryſ. hom 26. *Certè, tot ſigna, & talia operatus nunquam hoc verbo vſus refertur. Hic verò, vt de poteſtate ſua opinionem, & leproſi firmaret, & populi, addidit, volo.* Leproſus ſanitatem poſtulans, in diuinam voluntatem retulit negotium. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Vt ergo huic opinioni, quam leproſus de omnipotentia voluntatis ſuæ conceperat, etiam correſponderet, ac veluti ea pigneratus, miraculum edens, ſacratiſſimæ voluntati ſuæ, illud mirabili modo adſcribit. S. Iſidorus Peluſiota lib. 8. & epiſtol. 335. *Leproſus, vt vellet apertè ſupplicauerat, perfectamque ipſi potentiam haud obſcurè attribuerat, ſententiam eius ſua ſententia confirmans, dixit, Volo, mundare.*

Chryſoſt.

*Magnus ſuæ opinionis magnitudine pigneratur.*

Peluſiot.

55\. Secundò D. Ambr. *lib.* 5. *in Luc.* ait, *Illud mirabile, quòd eo ſanauit genere, quo fuerat obſecratus.* Mira, & admirabilis Dei magnitudo, quæ non ſolùm dat homini ſanitatem, verùm etiam modum, & formam, quam ipſe præſcripſerat, in largiendo ſeruat. Leproſus ſanitatem poſtulauerat Chriſti Domini voluntate interueniente: *Si vis, potes.* Modò autem, quo ipſe poſtulat, integram corporis munditiem ei concedit, *Volo, mundare.* Tantam Domini benignitatem, quæ in tribuendo non ipſa determinat medium, ſed deſignatum ab exorante ſeruet. Meritò mirabilem appellat Ambroſ. Hoc circa noſtram fidem multis confirmat Abb. Chæremon collat. 13. cap. 15. *Largitas Dei, ait, ſecundum capacitatem humanæ fidei, etiam ipſa formatur;* vt huic ſcilicet Centurioni dicat, *ſecundum fidem tuam fiat tibi,* Matth. 8. & alteri: *Secundùm fidem tuam fiat tibi,* Matth. 15. & iterum, *Vade. ſicut credidiſti, fiat tibi,* Marc. 10.

Ambroſ.

*Deus noſtra poſtulata cõcedit, ſecundum modum quẽ petimus, & deſideramus.*

Cheræm.

Matth. 8. Matth. 15. Marc. 10.

56\. Sæpè mihi ponderatione dignum viſum eſt, quòd pergens ad caſtra Aſſyriorum Iudith, animo interficiẽdi Holofernem, vt ipſa antequam caput eius abſcinderet, orans dixit. *Hoc, quod credens, per te poſſe fieri cogitaui, perficiam,* Iudith 13. n. 7. nec pugionem, nec gladiolum, nec aliud necis inſtrumentum ſecum aſportet. Cur ad interfectionem inermis procedis, cur nouaculam ſaltem, vel aliquod peracutum ferrum ſimulato mulieris cultu tecum non defers? Iudith antequam in caſtra deſcenderet, largam orationem in ieiunio, & cilicio pro populi Iſraëlitici defenſione, ac Aſſyriorum deiectione effudit corã Domino, & inter cætera, ſic Deum precata erat. *Fac Domine, vt gladio proprio eius ſuperbia amputetur,* Iudith 9. n. 12. Eius ſuperbia, hoc eſt, caput eius, vt explicant Hugo, & P. Celada: nobilis fœmina valdè confiſa erat, & magnam cõceperat ſpem, quòd eius oratio à Domino fuerat exaudita; & ideo ſecũ ferrum aſportare non curat, ſed pro certo apud ſe ſtatuerat, quòd Dominus ipſummet Holofernis gladiũ ei miniſtraret, ad eius propriam necem, vt ipſa petierat; vt ita, non ſolùm illius caput in manibus eius

Iudith 13. Iudith 9. Hugo. Celada.

*Deus votis noſtris annuit eo modo, quo petimus.*

daretur, verùm etiam eo modo, ac glorioſo triumpho, quo ipſamet petierat, ac exoptauerat. Lyran. Lyran. Vt gladio proprio, eius ſuperbia amputetur. *Sic factum fuit poſtea, vt infra videbitur.*

*Matth.8.n.* 4. Et ait illi Ieſus: Vade, nemini dixeris; ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcipit Moyſes in teſtimonium illis.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Vide, ne vlli dixeris: ſed abi, oſtende temetipſum Sacerdotibus, & offer oblationem, ſicut præcipit Mouſche, vt ſit eis in teſtimonium.

*Vatablus.* Offer munus, quod conſtituit Moyſes.

*Arias.* Quod attribuit Moyſes, in teſtimonium illis.

*D. Gaudentius ſerm.9.* Offer pro mundatione tua munus quod præcepit Moyſes.

ALTER TEXTVS.

*Marc.1.n.* 43. Et comminatus eſt ei, ſtatimque eiecit illum.

*Ibid.num.* 44. Et dicit ei: Vade, nemini dixeris, ſed vade, oſtende te Principi Sacerdotum, & offer pro mundatione tua, quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

*Ibid.num.*45. At ille egreſſus cœpit prędicare, & diffamare ſermonem.

*Lucæ* 6. *n.*41. Et ipſe præcepit illi, vt nemini diceret; ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer pro mundatione tua: ſicut præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

## *EXPOSITIO.*

57. Albert.Mag. TRIA Dominus hîc præcepta, ac documenta dat, vt notat Albertus Magn. Primum, humilitatis, & cautelæ: *Nemini dixeris.* Secundum, diuini cultus, & obedientiæ: *Oſtende te Sacerdoti.* Tertium, Gratiarum actionis, & reuerentiæ: *Offer munus.* Singula explicemus. *Ait illi Ieſus*, præcipiendo dixit; vt ait Lucas, *præcipit illi*, ſeu, vt ſcribit Marcus, *Comminatus eſt ei*; id eſt, ſeuero, & minaci vultu ei iuſſit, vt explicat Euthym. Euthymius, *Nemini dixeris*: hoc mandat ad fugiendam oſtentationem, docetque virtutes celare, & vanam gloriam non ambire; & ideo ne eius præſentia, multæ acclamationes laudatoriæ fierent, *ſtatim èiecit illum*; vt notat D. Marc. vt magis miraculum eſſet occultum; at leproſus, vt ait idem Euangeliſta, *Egreſſus cœpit prædicare, & diffamare*; quod communiter gratitudini tribuitur. *Oſtentatio vanæ gloriæ fugienda.*

58. *Sed vade, oſtende te Sacerdoti.* Lex vetus erat, *Leuit.* 13. quòd ille, qui morbo lepræ fœdatus fuerat, ſi ſanitati reſtitutus eſſet, quòd mundorum communione non gauderet, niſi priùs eum Sacerdos expiaſſet: ac eum mundum pronuntiaſſet. Et nota, quòd huic leproſo bis dicitur, *Vade.* Primò. *Vade, nemini dixeris.* Secundò: *Vade, oſtende te Sacerdoti.* Leproſus peccatorem repræſentabat; & ei dicitur, vade à peccatis tuis dolore, & contritione, propoſitoque, vt ampliùs ad illa non redeas. Et tunc vade ad Sacerdotes; in quibus legis gratiæ miniſtri deſignabantur, vt ab illis abſoluaris, & abſolutus iudiceris. *Et offer munus.* Leproſus pto mundatione ſua agnum offerebat; vel ſi pauper, duos turtures, aut pullos columbarum, vt præceptum à Moyſe erat, *Leuitic.* 14. *à num.*4. *Peccator veniat ad Sacerdotes, vt mundetur.*

59. *In teſtimonium illis*, ſcilicet Sacerdotibus. Relictis variis commentationibus, germana, ac vera intelligentia eſt, vt tua præſentatio illis in teſtimonium triplex ſit. Primum, quòd leproſus de ſe ipſo mundato dabat; & tunc inſpectis, & viſis eius membris iam curatis, Sacerdotes in templo miniſtrantes, munus ab ipſo accipiebant, quòd pro illo in gratiarum actione offerebant. Secundum, quòd Sacerdotes publicum teſtimonium de homine antea leproſo iam ſanato dabant, & certis cæremoniis in lege præſcriptis, *Leuit.* 14. auferebant eius irregularitatem legalem, & eum hominum conuerſationi, ac commercio reſtituebant. Tertium, & multum maioris ponderis. Iubet Dominus oſtendere Sacerdotibus in teſtimonium omnipotentiæ, ac innocentiæ ſuæ, vt recognoſcerent, quòd miraculosè leproſum ſanabat, & quòd legem non præuaricabat; vt ipſi falsò calumniabantur, ſiquidem eius legalia adimplere mandabat. Ita D. Hieronymus, D. Chryſoſtomus *hom.* 26. D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* Albert. Magnus, S. Thomas, & alij. *Triplex teſtimonium.* Hieron. Chryſoſt. Paſchaſ. Albert.Mag. S. Thom.

---

## QVÆSTIO X.

### *Quare Chriſtus Dominus imperet leproſo, ne miraculum factum manifeſtet?*

60. Euſeb.Gall. QVANQVAM Euſeb. Gallican. *homil. in Dom.3. poſt. Epiphan.* contendat, hoc miraculum in ſecreto, & ſemoto à turbis loco factum fuiſſe; communis tamen ſententia eſt, vidente turba miraculum Dominum edidiſſe. Et planè ex Matthæi textu colligitur; ait enim: *Cùm deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Cùm ergo miraculum publicum, coram tanta multitudine, fuiſſet: cur Dominus illud leproſo tacere, ac non diuulgare; præcepit?

61. Tolet. Primò Tolet. *in cap.* 5. *Luc. in annot.* 24. in ea eſt ſententia: Chriſtum Dominum leproſo mandaſſe, ne pro eo tempore miraculum publicaſſet, vt ita ſine turba confluente facilè ingrederetur ciuitatem, quam rationem colligit ex D. Marco 1. *num.*45.



Marc.1. *n.*45. dicens de leproſo: *At ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ita vt iam non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem*; & ideò ait, quòd tunc ante ingreſſum ciuitatis prohibuit publicationem, non verò poſteaquam in ciuitatem ingreſſus eſſet. Ad hæc ratio non multum efficax eſt: nam illa ſtante leproſus Domini mandatum non obſeruauit; ſiquidem antequam Dominus ciuitatem intraſſet, ille miraculum publicauit, vt ex Marco apertè colligitur; & tam omnes Patres, & expoſitores, leproſum laudant, & eius gratitudini attribuunt, quòd miraculum diuulgauerit, vt infrà *quæſt. vlt. huius capitis*, videbimus; ergo hoc Domini præceptum leproſus non violauit, ac proinde Dominus leproſum tacere mandauit; ſicut & duos cæcos, *Matth.* 9. *n.* 30. Qui Chriſti Domini nomen per totam regionem diuulgauerunt; ſicut & iuſſit reſuſcitatæ puellæ parentes tacere, *Luc.*8. *n.*56. vt ita manifeſtum fieret, quàm alienus ab omni oſtentatione eſſet.

62. Chryſoſt. Secundò. Aliqui, vt refert D. Chryſ. hom. 26. *Sunt quidam, ait, qui opinantur, hoc eum præterea iuſſiſſe, ne cui diceret, ne callidè, ac verſutè agerent, ſcilicet Sacerdotes circa diiudicationem mundationis.* Iudicare de leproſi munditie ad Sacerdotes pertinebat, vt in expoſitione dixi; & cùm Sacerdotes Chriſto Domino eſſent aduerſarij, ne callidè ac verſutè agerent ſe in iudicatione munditiæ huius hominis, illius ſanitatis agnoſcentes auctorem eſſe Chriſtum; ideo ei tacere mandat; in hac ſententia eſt Maldonat. Meritò tamen hæc Chryſoſt. non placet. Nam hominis mundities, ita cunctis manifeſta erat, vt nullus eſſet ambigendi locus. Deinde, leproſus ſilentium non ſeruauit, & tamen Sacerdotum iudicium rectum fuit, quod Chriſtus Dominus ſignificauit; nam ei dixit, *oſtende te Sacerdoti*, tanquam de iudicio futuro mundationis certus. *Sæpè res detrahuntur ob illius authorem.* Maldonat.

63. Hieron. Antioch. Reſpondet tertiò D. Hieron. ſic ait. *Quid erat opus, vt leproſus iactaret, quod corpore præferebat.* Et Victor Antioch. *in c.* 1. *Marci*, ad illa verba. *Nemini dixeris*; ſic ait. *Non indigeo tua prædicatione, ſi enim morbus, quo laboras, me non prædicauerit, mundities tua nulla erit.* Tanquam ſi dicant, præcipit Dominus leproſo, vt taceat; quia ipſamet hominis mundities, ac miraculum prædicabat; fruſtra enim iactantur verba, niſi opera proclament. *Opus abſque verbis prædicat, & teſtimonium dat.*

64. Euſeb. Quartò Euſeb. hom. in Dom. 3. poſt Epiphan. *Præcepit ei, vt nemini dicat. Prædicare nanque, & Dei miracula populis narrare, Sacerdotum eſt. Leproſus verò, etſi mundus ſit, Sacerdos tamen fieri non debet; quoniam illi ad hoc officium eliguntur, vt Apoſtolus ait, qui ſine crimine ſunt.* Homo iſte leproſus fuerat, quanuis iam mundus eſſet; ergo ex hac ratione, noluit ei Dominus officium prædicationis committere, quod proprium eſt Sacerdotum; qui enim alios docet, ipſe irreprehenſibilis appareat, ne verbum Dei contemnatur. *Prædicator irreprehenſibilis ſit.* Quintò Simon Caſſian. li. 5. c. 11. *Ne inſipientibus, ait, diuulgatio diuinorum per neophytos, aut quoquomodo in virtute nouitios fiat, prohibet*, Cùm leproſus inſipiens, ac nouitius, abſque magna exercitatione in Chriſti Domini ſchola eſſet tanto prædicationis officio fungi, Dominus prohibet. Caſſian. *Munus prædicandi ex pe to committe.*

65. Ambroſ. Sextò D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. *Cur præcipitur nemini dicere, niſi vt doceret, non vulganda noſtra beneficia, ſed premenda: vt non ſolùm à mercede abſtineamus pecuniæ, ſed etiam gratiæ.* Eximiæ magnificentiæ, & liberalitatis eſt, in beneficiis præſtitis, non diuulgationem affectare, ſed potiùs ſilentium; tũc enim animi magnanimitas maximè declaratur, non ſolùm aliena à retributione donorum temporalium, ſed etiam à laudatoriæ gratulationis exhibitione. Et ideo leproſo mandat Dominus ſilentium; vide ſuprà *c.* 11. *n.* 25. *&* 26. *Magnificus vult, vt ſua beneficia ne diuulgentur.*



Septimò idem D. Ambroſ. loco cit, *Aut fortaſsè etiam illa ſilentij cauſa eſt imperati, quòd meliores putabat, qui fide magis ſpontanea, quàm qui ſperatis beneficiis credidiſſent.* Quam etiam rationem hîc D. Hilar. inculcat. Imponit Dominus leproſo ſilentium, ne miraculum diuulgaret, ac publicaret, vt hoc audito alij ægroti, etiam ad ſanitatem quærendam venirẽt, & fidei meritum amitterent, ſi non ſponte, ſed miraculo impulſi ad Dominum accederent. Deinde noluit Dominus, teſtimonium ab illis, *qui ſperatis beneficiis credidiſſent.* 66. Ambroſ. Hilar. *Maius meritum ſi fides potius, quàm miracula retrahit.*

Octauò. Deſcendebat Dominus de monte, in quo per multa, & alta documẽta, docuerat opera noſtra bona abſcondere; vt patet toto *c.*6. *Matth.* Ad exemplum ergo, præclarum opus ſuum leproſo conceſſum iubet ſilentio abſcondi, vt his inſtruatur Prædicator in ſe adimplere ea, quæ alios docet. Et hæc ſexta ratio mihi valde probabilis videtur, vt ſuos diſcipulos, quos luces, ac doctores mundi conſtituerat, ſuo etiam exemplo informaret. Tamen quanuis hæ omnes rationes ſint optimæ quoad morales ſenſus; tamen quoad literam, illud facit difficultatẽ; quòd ſi aliquid probarent, in aliis miraculis, idem ſilẽtium etiam Dominus præcepiſſet. Ad communem rationem veniamus. 67. *Prædicator, quod verbo docet, opere adimpleat.*

Nonò, & communis ratio eſt, quàm tradit Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 9. *Quantum, ait, ad humanæ gloriæ auerſionem pertinebat; vetuit Chriſtus leproſum miraculum diuulgare.* D. Chryſoſt. hom. 96. *Mundauit, ait, leproſum Dominus, & iuſſit eum nulli hoc fateri, docens, quàm eſſet alienus ab aura gloriæ, ac iactantiæ pompa. Et certè nouerat, quòd non eſſet ille taciturus: tamen quantum in ſe eſt, fugit oſtentare quod fecerat*, Idem docent Orig. *hom.* 5. *in diuerſos.* Beda, Haymon, Theophylact. Euthym, Albert. Magn. S. Thom. & alij. Chriſtus vniuerſorum Dominus, ita ab omni iactantiæ ſpecie alienus erat, vt potentiam, ac maieſtatem ſuam multis ſæpè occultare intentauerit, atque abſcondere; vt ſuo exemplo ad omnem vanitatis ſpeciem declinandam, nos inſtrueret. 68. Tertull. Chryſoſt. *Iactãtia vanitatis fugienda.* Origen. Beda. Haymon. Theoph. Euthym. Albert.Mag. S. Thom.

Aderat Petrus in horto; de virtute ſua, ac viribus vehementer confiſus, itaut auriculam ſeruo Malcho amputaret, vt eum Chriſtus Dominus reprimeret, ait ei. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum*, Matth. 26. n. 53. Chriſtus erat Dominus Angelorum, & ita in deſerto Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Cur ergo non ait, ſe poſſe duodecim legionibus Angelorum imperare, vt ibi indilatè apparerent, ſed tantùm apertè ait, ſe poſſe à Patre eas poſtulare. Rectè *ibi* D. Thom. *Quia videbat, ait, Petrum præſumentem; ideo dicit, Poſſum rogare Patrem meum, & non dicit, poſſum vocare, vel adducere.* Decreuit humilis magiſter ſuo exemplo, diſcipulum tumeſcentem comprimere, & ideo cùm ſit omnium Dominus, de ſe tanquam ſeruus loquitur, cuius eſt, rogare, & non imperare. 69. Matth.26. D.Thom. *Iactantia fugienda.*

Maximè enim Chriſtus Dominus humilia aperit, ac omnem oſtentationẽ fugit; magna conſideratione dignũ eſt, quod explicans Ioannes in ſua *Apoc.*4. *n.* . Chriſti Domini gloriam, ac ma- 70.

 ieſtatem

Apoc. 4.

ieſtatem ait: *Et ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſuper ſedem ſedens*; & infrà n. 10. *Procedebant viginti quatuor ſeniores, ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum.* Dic mihi, magna aquila, quis nam eſt iſte modus loquendi, *ſuper ſedem ſedens*, & *ſedentem in throno.* Cur non dicis, quis nam erat iſte ſedens? Cur illius nomen non explicas? Si iſte ſedens eſt Chriſtus Dominus (vt eſt omnium ſententia expoſitorum) cur eius nomen hîc non exprimis; præcipuè cùm eius mortem, & paſſionem ad amuſſim ſcriptam in Euangelio tuo nobis reliquiſti, & de ea in tua Apocalypſi frequenter etiam mentionem facias. Et tunc diſertis verbis, Chriſti Domini nomen apponis; Chriſtus Ieſus *primogenitus mortuorum*, Apoc. 1. n, 5. *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, n. 7. & iterum: *Ego Ioannes particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu*, ibid. num. 9. Cur ergo in throno Chriſti Domini nomen abſcondis, & tantùm dicis, *Sedens ſuper ſedem.* Euangeliſta hauſerat iam Chriſti Domini halitum, qui maximè vult agnoſci inter preſſuras, paſſiones, tribulationes; at cùm ad thronos, & maieſtatis ſedes deuenitur, tam alienus eſt Domini ſpiritus ab omni oſtentatione, vt ibi occultari, ac abſcondi maximè eligat, & ideo diſponit, vt eius nomen tunc non exprimatur, ſed ſilentio inuoluatur, D. Paſchaſ. lib. 5. in Matth. *Chriſti ſpiritus abiecta quærit, humilia appetit, oſtentationem fugit.* Vide ſuprà *c. 5. n. 138. & 225. c. 6. n. 85.*

Apoc. 1. — *Chriſtus humilitatē quærit, oſtentationem fugit.* — Paſchaſ.

## Qvæstio XI.

### *Quare Chriſtus Dominus leproſo præcipiat ſe Sacerdoti oſtendere, & munera offerre?*

71. DVo in hac quæſtione inquiro. Primò. Cur mandat leproſo ſe Sacerdoti oſtendere. Secundò, offerre munus. Ad primum germana ſolutio illa eſt, quam in expoſitione dedi. Nam ad principem Sacerdotum, quem Marcus expreſſit, tanquam ad caput, & ad reliquos Sacerdotes tanquam miniſtros ſpectabat, mundatum à lepra inſpicere, & de eius mūdatione teſtimonium dare; ne ergo legem violare videretur; & Sacerdotis officium vſurpare, vt docent Tertull. *lib. 4. contra Marcion. cap. 9.* D. Chryſoſt. *homil. 26. in Matth.* Orig. *hom. 5. in diuerſos*; & vt etiam de miraculi veritate omnibus conſtaret, vt Abulenſ. *q. 20.* docet ad Sacerdotes mittit. Et quanuis Sacerdotes iniqui, & ſacrilegi eſſent, honorem eis debitum mandat Dominus impendere, quod benè notauit Goffrid. lib. 4. epiſt. 22. *Sacerdotem appellat*, ait, *quem ſciebat eſſe ſacrilegum.* Ob perſonarum malitiam, noluit dignitatis authoritatem diminuere, ac defraudare: proindeque quanuis perſona iniqua, dignitas tamen veneranda.

Tertull. Chryſoſt. Origen. Abulenſ. Goffrid. — *Sacerdos quanuis iniquus venerandus.*

72. Quantum ad ſecundum, iubet Dominus munus offerre: quia cùm leproſus mundatus eſſet, mandabatur ei munus offerre, *Leuit.* 14. in gratiarum actionem, vt iam in expoſitione dictum eſt. Secundò, vt ait Chryſ. *Tranſmittit ad legem, vt iniquorum ora obſtruat, vt non dicant, quoniam Sacerdotum gloriam rapuit, opus quidem ipſe impleuit, probationem autem illis conceſſit.* Tertiò Iſidor. Peluſiot. lib. 1. epiſt. 146. *Eam ob cauſam*, inquit, *leproſus munus lege indictum offerre iubebatur, vt vtriuſque Teſtamenti concordia demonſtraretur, quòd is qui morbum depulit, idem ipſe eſt, qui legem quoque impoſuit.* Vt legem honoraret, quam ipſe dederat, eam adimplere mandat.

*Quare præcipit munus offerre.* — Chryſoſt. — Peluſiot.

73. Quartò Abul. q. 21. *Fuit hoc propter ipſum mandatum; quia ſi non offerret munera, Sacerdotes nunquam iudicarent eum mundum, nec reducerent ad communionem cæterorum, licèt verè mundatus eſſet à Chriſto; nunc verò cùm illis munera offerret, non poſſent iam eum repellere.* Quanuis enim mundus maximè ſis, ſi miniſtris ſtipēdium ſuum non ſoluas, nunquam te mundum, & abſolutum iudicabunt; ergo cùm ad Sacerdotes pertineret iudiciū de mundatione leproſi dare, ſi ipſe munus nō offerret, eum nunquam abſolutum iudicarent.

Abulenſ. — *Quanuis ſis mundus, ſi miniſtris non ſoluas ſtipendium ſuum, nunquam te abſolutum iudicabunt.*

74. Quintò Beda ſic ait. *Extendit Deus manum, & contigit humanam naturam, & eiectos à caſtris populi Dei*, ſcilicet leproſos, *templo reddidit*; id eſt, iam pœnitentes per confeſſionem. *Offerre hoſtiam viuentem illi, cui dicitur: Tu es Sacerdos in æternum.* Per leproſum peccatores ſignificantur, vt iam in huius cap. principio dixi; & docet D. Aug. *ſerm. 32. ad fratres.* Chriſtus Dominus ergo manum ſuam extendens tangit eum ad contritionem, ac pœnitentiam, & ad Sacerdotem mittit, vt per ipſum abſoluatur, ac Deo reconcilietur; & tunc in Eccleſia Deo Patri gratiſſimum munus offerret ſcilicet dilectiſſimi filij ſui Ieſu Chriſti corpus, in omnium peccatorum remiſſionem gratiæ ac omnium donorum augmentum, in gratiarumque actionē, pro tot, tantiſque beneficiis receptis.

Beda. — Auguſt. — *Antequam quis corpus Chriſti Domini offerat, priùs ſe à peccatis mūdet.*

75. Sextò. Præcipit Dominus leproſo, vt munus in lege præſcriptum offerat, *Leuit.* 14. ſcilicet duos paſſeres viuos pro ſe. Quod moraliter Euſe. Gallic. *hom. in Dom. 3. poſt. Epiph*, bene explicat. *Ille igitur*, ait, *qui mundatur, duos paſſeres offerat, & corpus, & animam Domino reddat, vt iam non mundi voluptatibus, ſed Deo ſeruiat.* Cæteras verò cæremonias, quæ in leproſi mundatione fiebant, rectè ibi eas explicat; offerat ergo peccator, dum mundatur, duos paſſeres Deo; ſcilicet, animam, & corpus, vt totus integer homo Dei obſequio mancipetur, & non dimidia ex parte ambulet. Vide ſuprà *c. 17. n. 19. & 20.*

Euſeb. — *Homo totus ſe integer Dei obſequio det, & non ex parte dimidia.*

76. Septimò maximè ponderandum, quòd Chriſtus Dominus leproſo miraculum annunciare vetat, & tamen ei mandat, vt oblationem in templo offerat; quod eleganter D. Hieron. *lib. de vera circunciſione*, ſoluit. *Dum hominem*; ait, *quem in carne viderat leproſus, laudare prohibetur, Deum tamen muneris oblatione magnificat. Nec quaſi homo prædicandus eſt; cui vt Deo ſunt curationis vota ſoluenda; nec in platearum angulis carnaliter celebrandus, qui ſpiritualiter ſit adorandus in templo; vt ſi ſecundùm hominem nil requirit, ſecundùm Deum diuinæ virtutis gloriam promeretur.* Chriſtus Dominus, ea quæ ad ſui laudem ſpectabant, vetat; ea autem, quæ ad Dei gloriam pertinebant, requirit. Deinde, in diuulgatione miraculi, aliquid apparebat, quod hominem reſpiciebat, in oblatione autem muneris totum in Deum ordinabatur; Chriſtus autem Dominus, quod hominis eſſe poterat, prohibet, *ſi ſecundùm hominem, nil requirit*; & quo magis Chriſtus Dominus ea reiicit, quæ hominis erant, inde magis virtutem diuinitatis in ſe inhabitantis declarat, ac manifeſtat; ſumma excellentia eſt, nil hominis requirere, nec indigere.

Hieron. — *Magna excellentia hominum ope non indigere.*

Magnalia



77. Magnalia Ioannis prædicans Chriſtus Dominus, ait Matth. 11. num. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt*, &c. Et tandem concludit. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* Totus eſt Dominus, vt Ioannis excellentias prædicet, ac eius ſublimitatem ſuper cæteros principes temporales manifeſtet. Sed quodnam ad hoc aſſumitur fundamentum? Introducitur Ioannes omnibus terrenis rebus denudatus, tanquam ſine veſtitu, cibo, & potu, aliunde verò principes huius ſæculi mollibus veſtiti, byſſo, ſerico, & purpura mirabili artificum intextura veſtiti; & tandem concluditur, quòd Ioannes ſit omnibus maior. Et quomodo homo omnibus denudatus præcedit potentes mundi, omni pretioſa ſupellectili abundantes. Meritò ſanè Ioannes omnibus maior, vt etiam in ſenſu morali dicam; non à poſſeſſione temporalium, ſed ab eorum contemptu, & bene maior cæteris principibus, qui hominum manibus non indigebat, non à terra aliquid exſpectabat, ſed totum à cœleſti gratia requirebat D. Chryſoſt. hom. 38. in Matt. *Ioannes*, ait, *in terris quaſi in cælo verſabatur. Naturæ nanque omni neceſſitate ſuperata, mirabile quoddam pergit iter: neminem vidi vnquam conſeruorum, nec ab aliquo horum vſus fuit, non lacte nutritus, nec lecto ſuſceptus, non tecto, non foro, non alia re humana vſus erat. Itaque dicebat Dominus; non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.*

Matth. 11. — *Magna præſtantia hominibus non indigere.* — Chryſoſt.

## Qvæstio XII.

### *Tres quæſtiunculæ ſoluuntur.*

78. QVæstio prima: Quare Iudæi non Chriſtum Dominum accuſauerunt, cùm leproſum tangeret, quod contra legem videbatur, *Leuit.* 13. Reſpondet primò Abulenſ. *quæſt.* 13. quòd leproſum tangere non erat in lege prohibitum, vt iam explicaui *quæſt. 7. in principio*; quanuis tangens aliquam immunditiam contraheret ſecundùm legem; nec in templum ingrederetur, antequam mundaretur; ſicut etiam dixi citato loco de tangente mortuum: ſic etiam Sacerdos, qui cremabat vitulam rufam, erat immundus, *Numer. 19. num.* 8. Ergo, vt ait Abulenſis, cùm Chriſtus Dominus in Galilæa iuxta vrbem Capharnaum maneret, & templum in Iudæa eſſet, in Ieruſalem, nemo habebat de quo poſſet eum rationabiliter accuſare.

*Prima quæſtio.* — Abulenſ.

79. Secundò reſpondet D. Chryſoſtomus homil. 26. in Matth. *Primus itaque*, ait, *leproſum ipſe tangit: atque ex tanto populo nullus accuſat. Non erant quippe ibi iudicia corrupta, neque ſpectatores liuore vitiati. Propterea non modò, non calumniati ſunt ſignum, verùm etiam cum ſtupore venerati ſunt, eius potentiam tam ex dictis, quàm ex factis adorantes.* Pro tunc populus erat bene affectus, ac Chriſto Domino propenſus; ac proinde in bonam partem interpretati ſunt, quòd leproſum tangeret, erat quippè ad hominis ſanitatem, ac miraculum: ac proinde non erat contra legem, vt iam dixi *q. 7.* Si verò poſtea Chriſtum Dominum calumniati ſunt, quòd hominem in Sabbato ſanaret, *Luc. 6. n. 7. Ioan. 7. num. 23.* Erant iam animo infeſto erga Chriſtum Dominum, ac proinde illud quod non contra legem erat, arguebant tanquam de lege; prout amor, vel odium eſt in corde; ita factum reputatur in ore. Vide ſuprà *cap. 8. n. 25. & c. 15. num. 25.*

Chryſoſt. — *Prout quiſque tibi eſt affectus, ita loquitur.*

86. Quæſtio ſecunda. An leproſus teneretur tacere: nam Chriſtus Dominus ei ſilentium commendauit. *Nemini dixeris.* Iam ſolutionem huius quæſtionis, *q. 10. n. 61.* tetigi, reiecta ibi Toleti ſententia. Dicendum eſt, quòd iſte leproſus, non peccauit diuulgando miraculum, vt ait D. Marcus. *Ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem.* Ad quod Abulenſ. *q.* 8. reſpondet, quòd Chriſtus Dominus non præcepit ei abſolutè tacere, quia fruſtrà erat tacere, quod res ipſa manifeſtabat; ſed intentio Chriſti Domini erat, quòd iſte non ceſſaret ſe oſtendere Sacerdoti propter nuntiationem miraculi, vt ſic indilatè legem impleret, meliùs tamen dicendum eſt, vt citata *q.* 10. in ratione nona; quòd Chriſtus Dominus hoc præcepit; quia quantum erat ex ſe, ob ſui modeſtiam volebat omnem oſtentationem euitare. Et ideo aliquando præcipiebat ſua miraculoſa opera abſcondi; leproſus autem ſicut & duo illi cæci ſanati, vt beneficio accepto grati, vt hîc ponderat Albert. Magnus, & Chryſoſt. *homil. 33. in Matth.* mirabilia Chriſti per totam regionem diffuderunt. Tob. 12. num. 7. *Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.*

*Secunda quæſtio.* — Abulenſ. — *Lex ſine mora implenda.* — *Gratus animus beneficia non tacet.* — Albert. Mag. Chryſoſt. Tob 12.

81. Quæſtio tertia. Quare Chriſtus Dominus præcepit huic leproſo munus offerre, non verò illis decem mundatis, de quibus mentionem facit Lucas 17. *n.* 12. ſed tantùm illis ait. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Reſpondeo, quòd iſte leproſus, de quo ſermo eſt in præſenti; fuit primus omnium, qui curatus eſt; & quia poterat dubium eſſe, an iſte ſanatus per miraculum teneretur offerre; ideo ad tollendum omne dubium, ei mandat oblationes exhibere in templo, quod etiam erat intelligendum in omnibus aliis ab ipſo ſanatis. Vnde quando eis præcipiebat, vt ſe oſtenderent Sacerdotibus, intelligendum erat cum oblationibus ſuis, vt lex diſponebat; præcipuè, quia illi decem leproſi ſe legis obſeruatores oſtenderunt, ideo à longè ſteterunt, vt lex mandabat, *Leuitic. 14. num.* 2. & qui legis eſt ſtudioſus, ſatis eſt ea quæ ſunt legis ei, inſinuare.

*Tertia quæſtio.*

# CAP. XXI.

## *Dæmoniacus curatur de ſpiritu immundo.*

*Marc. 1. n. 21.* Et ingrediuntur Capharnaum: & ſtatim Sabbatis ingreſſus in Synagogam docebat eos.

*Ibid. num. 22.* Et ſtupebant ſuper doctrina eius: erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.

*VERSIONES.*

*Arias.* Et percellebant.

*Syriacus.* Etenim docebat eos, vt poteſtate volens, non autem, vt ſcribæ ipſorum.

*Theophylactus.* Docebat eos, tanquam auctoritate præditus.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 4.n.31.* Et deſcendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis.

*Alius.* Et ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo eius.

## *EXPOSITIO.*

1. DE connexione præſentis textus dicam quæſtione ſequenti. *Ingrediuntur Capharnaum.* Ieſus cum diſcipulis ſuis, ac cætera turba, quæ eum concomitabantur. *Et ſtatim Sabbatis,* abſque vlla dilatione, ac mora, pergit Dominus ad docendum; nactus hîc bonam occaſionem, erat enim Sabbatum, in quo die erat populus otioſus ab operibus ſeruilibus, vt notant Euthymius, Theophylactus, & rebus diuinis vacabat in Synagogis ad lectionem, ac ad acquirendam inſtructionem legis. Victor Antiochen. *in Marcum,* ait. *Sabbatis enim, vel ſolùm, vel potiſſimum inter ſe coibant Iudæi, idque non tam virtutis, hoc eſt, ſanctimoniæ, & obedientiæ amore, quàm legalis pœnæ formidine.* Prophanis potius ducebantur pœnis, quàm virtutis amore. Et bene Dominus ingreſſus ciuitatem inchoat prædicationem Sabbato, vt ait D. Ambroſius lib. 4. in Luc. *Ibi priùs manum admouet, vbi antea deſierat.* In opificio enim mundi expleto opere ſuo, requieſcit Deus, in ipſo enim met die manum porrigit Dominus in ciuitate ad opificium, ac reædificationem ſpiritualem ſalutis animarum. *In Synagogis,* hoc eſt, congregatione: vt latiùs explicaui *cap.9.quæſt.* 3. *numero* 13. *Et ſtupebant in doctrina eius,* hoc eſt, admirabantur. Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ; hanc ſententiam latè explicaui ſuprà *cap.19.expoſit.9.& quæſt.19.* Vide *ibi* dicta.

Euthym. Theophyl. Vict. Anth. Ambroſ.

### QVÆSTIO I.

### *De ordine, & connexione huius hiſtoriæ cum ſuperioribus?*

2. POST admirabilem ſermonem in monte, ſanato leproſo ingreditur Dominus in Capharnaum, vt eſt omnium conueniens ſententia, de quo ingreſſu hîc agi à D. Marco, & D. Luca, mihi valde probabile eſt; & pro huius rei explicatione notandum eſt, vt docent D. Hieron. Beda, Hugo, quod D. Marcus *hic,* & idem dicendum eſt de D. Luca, quòd licèt ordinem hiſtoriæ non ſit ſecutus, Myſteriorum autem ordinem ſeruauit. Vnde ait Hugo. *Marcus non ſeruat ordinem hiſtoriæ. Primò de arreptitio in Synagoga ſanato loquitur. Secundò de ſocru Petri. Tertiò de leproſo, cùm è contrario factum ſit;* ſed hæc ad noſtram inſtructionem fecit, vt ait Beda. *Quia hæc tria ſignificant peccatum in conſenſu, & opere, & conſuetudine, quod eſt quaſi lepra incurabilis.* Et quòd hoc miraculum de arreptitio non contigerit immediatè poſt vocationem filiorum Zebedæi, omnium eſt ſententia, vt patet ex dictis *cap.7. & 8. in principio.* In textu Lucæ etiam res eſt manifeſta, quòd non ſeruetur continuatio, vt obſeruant Hugo, & omnes communiter, quia illa hiſtoria, quæ præcedit in textu de ſupercilio montis, pertinet ad ſecundum annum prædicationis Chriſti, vt obſeruat Baronius, Beaulxam. Barradas, Franciſcus Lucas, Cornelius à Lapide, & alij.

Marcus. Lucas. Hieron. Beda. Hugo. — Idem. — Beda. — Baron, Beaulxam. Barradas. Franc. Luc. Cornel.

3. Pro ergo exacta huius rei intelligentia recolendum eſt id, quod ſuprà dixi *cap.* 10. *quæſt.* 1. & 2. quòd ſermo Domini in monte ſcriptus à Matthæo *à cap.5.* eſt diſtinctus à ſermone commemorato à D. Luca, ſunt enim duo ſermones diſtincti, quãuis ex magna parte ſimiles, tamen diuerſis temporibus fuerunt habiti, vt docent D. Baſilius, Toletus, & alij citati allegatis locis; nam ſermo ſcriptus à Matthæo habitus eſt primo anno prædicationis Chriſti, vt citata *quæſt.* 1. ex multis patribus probaui, & ita ante vocationem Matthæi, quam ipſe narrat *cap. ſuo 9. num.9.* At ſermo ſcriptus à Luca fuit habitus poſt deſignationem Apoſtolorum, *Luc.6.num.*20. Et conſequenter poſt vocationem Matthæi, cùm ipſe fuerit numeratus inter cæteros Apoſtolos, *Luc.6. n.*15. Et ideo fortaſſe Matthæus maximus temporum obſeruator, vt eum appellat D. Hieronymus; nominationem Apoſtolorum narrat *cap. ſuo 10.num.2.*

Baſil. Tolet. — Hieron.

4. Et ideo curatio leproſi recitata à D. Matthæo *cap.8.num.* 1. ſecuta eſt ſermonem de monte, de quo ipſe ſuprà egerat; ſanitatem autem pueri centurionis, coniungit Lucas cum fine, ac terminatione ſermonis in loco campeſtri, *cap.7.n.*1. Et ideo cũ illo mihi videtur coniungenda, quod etiam placuit Cardinali Toleto *in cap.6.Luc.annotat.* 23. §. *ſecundò ſermonem;* Matthæus autem ob ipſum ingreſſum in Capharnaum antecedenter ad tempus narrauit hiſtoriam centurionis, decreuit enim non referre ſermonem in loco campeſtri, ob ſimilitudinem, quam habet cum ſermone de monte; & ideo relata hiſtoria centurionis tranſit iterum ad ſeriem textus in texendo hiſtoriam de ſocru Petri, de ſcriba, de tempeſtate ſedata, de hydropico ſanato, & quia hoc miraculum de arreptitio ſanato, quantum colligitur ex textu Marci, & Lucæ, præcedit hiſtoriam de ſocru Petri, vt etiam docent Ianſenius, Beaulxam. Barradas, Franciſcus Læcas, Cornelius, vt patet ex ſua ſerie hiſtoriæ Euangelicæ, ideo poſt ſermonem in monte in ingreſſu vrbis Capharnaum eſt referenda. Quod etiam ſupponit Cardinalis Hugo. hic in Marc. ait: *Marcus nihil agit de ſermone in monte, ſed tranſit ad miracula, & primò de arreptitio,* &c. Ergo ſupponit ſermonem in monte iam habitum fuiſſe; poſt cuius terminationem ſuccedit hæc hiſtoria de arreptitio, de ſocru Petri, de Scriba, ac omnia illa alia, quæ Matthæus exinde ordinatim narrat *cap.8.& 9.*

Tolet. — Ianſen. Beaulxam. Barradas. Franc. Luc. Cornel.

*Marc.1.*



*Marc 1.n.23.* Et erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamauit.

*VERSIONES.*

*Vatabl. Theophylactus.* Homo obnoxius ſpiritui immundo.

*Syrus.* Homo qui tenebatur ſpiritu immundo.

*Tolet. in cap.4. Luc. ann. 55. ex Græco.* Homo habens ſpiritum Dæmonij immundi.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 4.n.32.* Et in Synogoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamauit voce magna.

## *EXPOSITIO.*

5. Hugo. *Pietas, & ſapientia, concomitentur potentiam.*

NOTAT Hugo, quod D. Marcus in hac ſua myſterioſa narratione. *Primò poſuit opus pietatis in vocatione diſcipulorum: poſtea, opus ſapientiæ in prædicatione, & doctrina, nunc opus potentiæ ponitur in miraculorum operatione.* His inſtruimur, vt ſemper pietas, & ſapientia præcedant potentiam, quibus illa ducatur, ac regatur; & erat in Synagoga eorum, id eſt, tunc temporis in Synagoga in Capharnaum aderat. *Homo in ſpiritu immundo,* id eſt, habens in ſe ſpiritum immundum, ac malignum, ſeu, vt explicat Syrus, *qui tenebatur ſpiritu immundo,* ab illo enim Dæmone, erat homo poſſeſſus, & detentus, ac ſi ab illo eſſet deuictus. *Et exclamauit,* vt ait D. Lucas, *voce magna;* exclamauit, nempe ſpiritus immundus, ſeu Dæmon, per os hominis, tanquam per organum, vt ait Chryſoſtomus *homil.5. in Marcum,* ſi opus eius eſt; *quaſi tormenta ſuſtinens, quaſi in dolore poſitus, quaſi flagella ferre non valens.* Nam, vt bene ait Beda, *præſentia Saluatoris tormenta ſunt Dæmonis.*

Syrus. Chryſoſt. Beda.

### QVÆSTIO II.

### *De nomine Dæmonis, de eius ingreſſu in corpore humano, ac energumenis, & arreptitiis aliqua notantur?*

6. Buba'us. DE nomine Dæmonis multa, & latè adducit Bubalus *tom. de Angelis, quæſt.*50. *quæſt. ſua prima, art.2. diffic.2.* & etiam in ſecunda parte illius. Vbi multæ ſignificationes poſſunt videri. Illa tamen eſt valde celebris, quæ deducitur à nomine Græco, quod idem valet, ac *ſcio,* ſeu *noui,* vnde Dæmon eſt nomen Græcum, & idem valet, ac ſciens, ſeu ſapiens apud Latinos, vnde apud priſcos Philoſophos, hoc nomen in bonam & malam partem accipitur, vt teſtatur D. Iſidorus *lib.8.Etymolog.cap.*11. Vnde etiam Philoſophi bonos Angelos Dæmones vocabant, vt ex Marco Ficino refert Suarius *tom. de Angelis, lib.7.cap.1.num.6.* Tamen hodie communis vox, vt docet Magnus Auguſtinus *lib.8.de ciuit. Dei, cap.13.& ſeqq. & lib.9.cap.19.* ſecundùm vſum Scripturæ, & Chriſtianorum, Dæmones in malam partem accipit pro damnatis ſpiritibus, quod etiam apud Paganos iam obſeruari ſolitum eſt, vt refert Eugubinus *lib.7. de peren. Philoſophia, cap.18.& lib.8.cap.22.& 26.* Significat enim nomen Dæmonis, vt aduertit Toletus *in cap.4. Luc. ann.53.* ſcientem ſine charitate, quæ ſcientia non ædificat, ſed inflat, & non eſt in bonum, ſed in malum.

Iſidor. — Suarius. — Auguſt. Eugubin.

Quòd Diabolus aliquando ingrediatur humana corpora, apertè docet ſacra Scriptura, & larga experientia tot ſæculorum demonſtrat; multi enim effectus quos videmus in arreptitiis, non proueniunt ab influentia ſtellarum, non ab aliquo Dæmone exteriùs aſſiſtente, ſed interiùs, vt docent D. Hieronymus *cap.4.Matth.* D. Auguſtinus, & alij Doctores ſtatim citandi, & probat Ioannes Cæſarius *lib.5.cap.15.* ex ſacra Scriptura. Quia Chriſtus præcepit Dæmonibus exire à corporibus. Marc.5.num.8. *Exi ſpiritus immunde ab homine;* ergo intus fecerat, non enim rectè dicitur exire, niſi quod intus eſt. 7.

*Dæmones ingrediuntur corpora humana.* — Hieron. Auguſt. Cæſarius. — Marc.6.

Spiritus Dæmoniacus, non eſt in homine, vt ſpiritus humanus, ſeu anima, non enim poteſt eſſe forma corporis humani, nec ibi eſt tanquam pars integrans corporis, ſed tanquam locatum in loco, inſtrumento organico vſurum; & ſicut nos virtute propria manus applicando corporibus ea multipliciter mouemus: ita Dæmon intra corpus exiſtens ſua virtute ea mouet, & eorum membra, & cùm ipſe ſit ſpiritus intra hominem, nullum locum quantitatiuè occupat. Quæ omnia rectè docent, & explicant D. Auguſtinus *lib.19. de ciuitate cap.4. & lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap.82.* D. Thomas *quodlib.3.art.8.* Cæſtrius *lib.5.cap.13.* Abulenſis *in cap.7. Exod. quæſt.16. & in cap.8. Matth. quæſt.113.* Delrius *lib.3. de Magicis diſquiſit.part.1. quæſt.4. ſect.4. circa medium.* Toletus *in cap.4. Luc. annot.54.* Et quanuis Diabolus ingrediatur humanum corpus, non tamen poteſt illabi in mentem hominis, ſolus enim Deus illabitur menti noſtræ, vt docet D. Thomas *citato loco.* 8.

*Quomodo Dæmon ſit in corpore humano.* — Auguſt. — D. Thom. Cæſar. Abulenſ. Delrius. Tolet. — S. Thom.

Diabolus ingreditur corpus humanum, Deo ſic permittente, ad oſtentationem ſuæ gloriæ, ſeu ad peccati punitionem, ſiue ad peccantis correptionem, ſiue ad eruditionem noſtram, vt agnoſcamus noſtrum crudelem aduerſarium, à cuius tyrannide nos ipſe liberauit; Delrius verò citatus in fine ſectionis, ait quòd Deus huiuſmodi ingreſſum Diaboli permittit aliquando propter graue aliquod peccatum obſeſſi, & non raro etiam propter parentum iratorum imprecationes, quod triplici exemplo confirmat Ioannes Cæſarius *lib.5. exemplorum cap.11.12.& 16.* 9.

Delrius. — *Imprecationes parentum timendæ.* — Cæſar.

Qui à Diabolo vexantur, quidam dicuntur energumeni, quidam arreptitij. Inter quæ nomina hæc eſt differentia. *Energumen* vox Græca, & idem valet, ac agi, & operari; vnde illi, qui agitantur, ſeu exercitantur à Dæmone, ſiue ſe ipſos torquendo, ſiue proprium corpus dilacerando, 10.

*Quid ſit Energumenus, quid arreptitius.*

ſiue alios,inuadendo,ſiue multa loquendo Energumeni dicuntur,quia agitati,& moti à Dæmone operantur. *Arreptitij* vox eſt Latina, à verbo *arripio*,quod idem valet, ac ad me rapio, ſeu attraho; qui enim à Dæmone obtinentur , in quibus ipſe eſt , tanquam in ligno, vel in ſtatua, vt ita,verbi gratia, reddat homines cæcos, ſurdos, & mutos, tales arreptitij appellantur , quia ipſum corpus, & eius operationes,Diabolus ad ſe arripit.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Dæmones immundi appellentur.*

11. APPELLANT Euangeliſtæ hoc Dæmonium eiectum in Synagoga immundum , & in textu D. Marci , nulla eſt difficultas;ait enim, *Erat homo in ſpiritu immundo.* Sicut etiam Matth. 10.num. 1. *Dedit illi poteſtatem ſpirituum immundorum* , &c. Nam cùm ſpiritus ſit nomen commune ad Angelos bonos, vel malos , vt eſſet manifeſtum , quòd de malis erat ſermo ; ideo nomini ſpiritui addiderunt *immundum.* At D. Lucas ſcribit. *Erat homo habens Dæmonium immundum.* Si dicit Dæmonium , ad quid neceſſe eſt addere immundum;quod aliquibus fecit difficultatem ; ſed nulla eſt , immo ad omnem tollendam ſic narrat D.Lucas, nam cùm ipſe eſſet peritiſſimus linguæ Græcæ,bene nouerat Dæmonem ſignificare ſapientiam ; ne ergo aliquis contenderet ſermonem , etiam ad bonos Angelos extendere,ideo ad diſtinctionem poſuit immundum.

Matth.10.

12. Cur ergo Dæmon vocetur immundus , eſt inquirendum. Aliqui , vt ſoluant hoc dubium,notant ex Origene *homil.* 15. *in Ioſuë.* Ambroſio *lib.de Paradiſo. cap.* 12. D. Auguſtino *lib. quæſt. ex vtroque miſt. cap.* 115. Sereno Abbate apud Caſſian.*collat.*7. *cap.*17.D.Hieronymo *ad Epheſios* 6. *&* *Michæ.* 2.qui docent eſſe in Dæmonibus quendam ordinem ad malum, quo deſignati ſunt à ſuo Principe,ad tenendos homines, & ad hoc diſtribuuntur ſecundùm diuerſitatem vitiorum ; ita vt quidam ex eis ſint deſtinati ad tentandum de ſuperbia , quidam de gula , alij de auaritia , alij verò de luxuria , & ſenſualitate. Et ita in Scriptura , aliquando quidam Dæmon dicitur ſpiritus mendax, 3.*Reg.*22.*num.*22. Alij dicuntur *ſpiritus erroris*, 1.Timoth.4.num.1. Et alij *ſpiritus fornicationum*, Oſe.4. num.12. Hoc ſuppoſito ſunt aliqui Doctores inter quos eſt Abulenſis *in cap.*10.*Matth.quæſt.*22. qui dicunt Dæmonium immundum illud dici quòd ad immunditias , ac luxurias , & carnis ſpurcitias tentat, quod Dæmon poteſt dici ſpiritus fornicationis.

Origen. Ambroſ. Auguſt. Serenus. Hieron.

3.Reg.22. 1.Tim.4. Oſeæ 4. Abulenſ.

13. Ad hæc diſtinctio, & ordo inter Dæmoniacos ſpiritus communiter Recentioribus non placet, de quo vide Suarez *lib.* 8. *de Angelis cap.* 21. *n.*28. Et meritò, in primis nullum illius aſſignatur fundamentum ; deinde , quia idemmet ſpiritus Dæmoniacus ſufficiens eſt ad inducendum,ad mendacium , deceptionem , & fornicationem. Nam in Angelis bonis , talis diſtinctio non traditur à Patribus ; ſed idemmet Angelus bonus mouet , & excitat ad omnium virtutum genera, ac à vitiis retrahit hominem ſuæ curæ commiſſum ; ergo ad æmulationem boni Angeli deprauatus ſpiritus de omnibus vitiis hominem ſibi commendatum tentabit , & ad malum pro ſuis viribus inducet.

Suarius.

14. Secundò D.Ambroſius , S. Remigius docent, Dæmones dici immundos, eo quòd res immundas deſiderant,& appetant,& ita petiuerunt mitti in gregem porcorum. At ſolutio non eſt multum firma, quia omnes Dæmones ſunt obſtinati in malo,& peccato,quod multo turpius , & immundius eſt,quàm porci & lutum. Ideo

Ambroſ. Remig.

15. Tertia , & vera ſolutio eſt , quam tradunt D. Hieronymus de filio prodigo ad Damaſum. D. Auguſtinus *lib. de vita Beata.* Theophylactus, Euthymius, D. Bonauentura *in Lucam.* Carthuſianus, & alij, quòd Dæmon dicitur ſpiritus immundus ; ſpiritus ex ſua ſubſtantia ; immundus verò à ſuis moribus,ac deprauatis affectibus,quia delectatur rebus obſcœnis,turpi immunditia hominum, vitiis,ac peccatis ſuis,& hominum ; ſua enim nequitia cæleſtem puritatem amiſit, & fœda malitia illaqueatus eſt , itaut omnium malorum ſpurcitia repletus ſit. Victor Antiochenus in Marc. *Dicitur hic ſpiritus immundus , cùm propter obſtinatam in impietate mentem fœdamque à Deo defectionem, tum maximè , quòd obſcœnis , flagitioſiſque operibus mirifice oblectetur.* Et ita dicitur Apocalypſis 16.num.13. *Vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ , & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos exire in modum ranarum* ; per tres autem ſpiritus immundos , poteſt intelligi omnis turpitudo,quæ ab ipſo dracone , ſeu Dæmone exiit,tanquam à patre omnis immunditiæ, vt rectè *ibi* ponderat Anſbertus.

*Vera ſententia.* Hieron. Auguſt. Theophyl. Euthym. Bonauent. Carthuſ. Antioch. Apocal.16. Ansbert.

*Marc.* 1. *n.*24. Dicens : Quid nobis , & tibi Ieſu Nazarene! veniſti perdere nos? ſcio , qui ſis Sanctus Dei.

*VERSIONES.*

*Euthymius.* Sine, quid tibi nobiſcum eſt Ieſu.

*Theophylactus.* Ah , quid rei nobis tecum eſt Ieſu.

*Syriacus.* Noui te , qui es Sanctus ille Dei.

*Arabicus.* Scio,quis ſis Sancte Dei.

*Victor Antioch.* Veniſti ante tempus perdere nos.

ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 4.*n.*34. Dicens : Sine, quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio te quis ſis Sanctus Dei.

## *EXPOSITIO.*

16. IN homine loquebatur Dæmon , & dicebat *ſine* , quod eſt in textu Lucæ , & multi codices,illud habent hîc,& multi volunt, quòd ſit verbum per modum Imperati



imperatiui , & idem eſt,ac ſine,ſeu permitte, ſeu, vt ait Euthymius : *Dimitte nos.* Alij codices ponunt, *Ah*,ſeu,*heu*, quæ ſunt interiectiones exclamantium , tam per dolorem, quàm per rei nouitatem.At nec noſtra Vulgata,nec Syriacus in textu Marci habet illam particulam.

Euthym. Syriacus.

17. *Quid nobis,& tibi.* Hoc eſt, ô Ieſu,quid negotij,quid cauſæ nobiſcum habes,vt nos Dæmones inceſſanter inſequaris, & à principatu noſtro,ac ab hominibus eiicias , in nullo te læſimus , nullam iniuriam tibi intulimus, vt loquitur Toletus *in Commentario Lucæ* , cùm ſis Sanctus Dei , ſed peccatores,tanquam noſtri iuris inuadimus.Quid ergo tibi aduersùs nos ? In his Diaboli verbis notandum eſt, quòd impudicus mendaciis ſe defendit.Nam grauiſſimæ extabant cauſæ, vt Chriſtus Dominus Dæmones expelleret , mundi principatum iniuſtè occupare volebant , Patris ſui honorem impugnabant,& homines,quos liberare venerat Chriſtus,opprimebant.

Toler. *Impudicitia Dæmonis.*

18. *Ieſu Nazarene* , non Dominum , non Regem dicit,ſed proprio nomine Ieſum eum appellat,vt probet id , quod ſtatim affirmat , nempe ſe illum agnoſcere ; & etiam moraliter dic, Ieſum vocat, quaſi ſub tanto nomine aliquam pietatem poſſe inuenire præſumens. Et Nazareum addit , illud pronomen proferens, quo Chriſtus vulgariter à loco educationis dicebatur. *Veniſti perdere nos.* Aliqui codices addunt, *ante tempus* ; ſed nec noſtra Vulgata , nec Syriacus hoc habent , & fortaſſe deſumptum eſt ex Matth. cap.9. num.29. *Dicunt perdere nos* , id eſt , à noſtra poteſtate priuare , ab hominibus eiicere , & nos torquere , ac in Infernum mittere ; *Scio quis ſis*, phraſis Græca, & idem valet , *ac noui, quis tu ſis*. Hæc dicit Diabolus, ait Toletus *in Lucam* , vt à Chriſto impetrare valeat , ne à corpore expellatur , cùm præclaram de eo habeat opinionem.

*Ieſus nomen pietatis.* Syriacus. Matth.9. Tolet.

19. *Sanctus Dei.* In Græco eſt emphaticus articulus *ille* ; ſi ille Sanctus Dei ; nempe ille Meſſias maximè deſideratus , ac filius Dei per naturam, qui es Sanctus omnium Sanctorum;ſciebat enim Diabolus,vt notat Franciſcus Lucas ex Scriptura, Meſſiam Sanctum Dei appellare.Pſalm.15. num. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Daniel.9. num.24. *Vagatur Sanctus Sanctorum.* Sic etiam & filium Dei Chriſtum eſſe clamant Dæmones *Matth.*8.*num.*29. *Marc.*3.*num.* 11. & D.Lucas *cap.*4. *num.*41. ait , quòd Diaboli dicebant ipſum eſſe filium Dei , quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum , de hac re latè vide *cap.ſequente quæſt.*9.10.11.12.*&* 13.

Franc.Luc. Pſalm.15. Daniel.9. Luc.4.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Dæmones dicant Chriſto Domino,* Quid nobis, & tibi ?

20. SENSVM litteralem horum verborum iam dixi in expoſitione , *Quid nobis , & tibi* , id eſt , quid nos tibi mali facimus? Quare contra nos pugnas?Quare nos vexas?Non te,qui Sanctus es Dei, ſed peccatores impetimus: ſic enim ſæpe nos dicimus,cum pugnantibus nobis cum aduerſario , ſi aliquis non inimicus ſuperuenit , vt ſuccumbenti aduerſario patrocinetur. Quid mihi,& tibi eſt ? hoc eſt,quid tibi ego mali facio. Vade hinc,ſine me cum inimico meo contendere ? Aliqua tamen circa hæc verba maximè ſunt ponderanda.

*Senſus litteralis.*

21. Primò. Quòd Chriſtus ab hoc homine vnum Dæmonium eiiciebat,& tamen ipſe plurium nomine loquitur, ſciebat eandem rationem eſſe ſui & aliorum. Secundò ait Diabolus : *Quid nobis, & tibi ?* Quod perbellè notauit Tertullianus *lib.*4. *in Marcion.cap.*7. non dixit,ait , *Quid tibi, & nobis , ſed quid nobis , & tibi , ſe deplorans , & ſorti ſuæ exprobrans.* Suam miſeram conditionem lachrymatur Diabolus,& exclamat?Quid nobis; & tibi eſt commune, cùm ipſe maximè à Chriſti conſortio diſtat,& tunc prius ſeipſos nominant. *Quid nobis.* Deinde , *& tibi* , quia tam largam ſeparationem conſtituit,& fecit eorum præuaricatio, & malitia, quia in ſuo ordine non ſteterunt; & ideo quòd nihil commune habeant cum Deo, ipſi ſe primò ponunt in cauſa. *Quid nobis.*

Tertull. *Iniquè ipſe ſe ſeparat à Deo.*

22. Tertiò. Si vis, præpondera etiam in his malitiam Diaboli, ait enim , *Quid nobis,& tibi* ; *ſcio, quòd ſis Sanctus Dei.* Seu , vt eſt in Græco , *Ille Sanctus Dei*, id eſt, Meſſias , & filius Dei ; & tamen Diabolus ſe præponit loco , & poſtponit illum, quem dicit Sanctum , & filium Dei ; ſupremam eius dignitatem clara voce fatetur , & tamen nominationis locum primatum ſibi arripit. Diaboli ingenium , quod ſi verbis honorat, operibus contemnit , ſi voce extollit , factis deprimit. Verbo filium Dei dicit, tamen loci præeminentiam ei denegat, & impudicè ſibi attribuit.

Græcus. *Iniquus , ſi voce laudat, factis deprimit.*

23. Dicebat Lucifer. *In cælum conſcendam , ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum , ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis*, Iſai.14.num.13. Voce agnoſcit Deum, quod nihil maius dici poteſt , Dominum ſtellarum fatetur. Et tamen Lucifer quid cogitas,quid præſumis, *Sedebo in monte teſtamenti* , ait , *aſcendam ſupra altitudinem nubium , ſimilis ero Altiſſimo.* Si Deus,& Altiſſimus eſt , nulla creatura ei poteſt adæquari. Quis ſicut Dominus Deus noſter Diaboli ſuperbia,voce Deum prædicat, cogitatu tamen,ac affectu dignitatem negat , & contemnit, dum ei ſe vult æquiparari,

Iſai.14. *Diabolus voce fatetur Deum, factis negat.*

## QVÆSTIO V.

### *Quare Diabolus dicit quòd Chriſtus venerit in eorum perditionem?*

24. AIT Diabolus , *veniſti perdere nos* , ideo in maxima quæſtione verſatur quid per ſuam perditionem intelligat inimicus. Breuiter D. Hieronymus *in Commentario Matth. cap.*8. ad illa verba, *torquere nos* , duas ſententias eſt amplexus , ſic ait : *Dæmones cernentes Dominum in terris repentè verſari ad iudicandos ſe veniſſe credebant. Præſentia Saluatoris tormenta ſunt Dæmonum.* Itaque prima ſententia eſt,quam cum Hieronymo tradunt Beda , D. Paſchaſius *lib.*5. *in Matth.* Zacharias Epiſcopus, quòd Dæmones Chriſtum videntes in terra ſibi perſuadebant eſſe ſtatim iudicandos, ac proinde deprecabantur , vt tam citò nollet diem iudicij inducere , vt eos in tartaris recludat. Secunda ſententia , quia, vt ait Hieronymus , *Præſentia Saluatoris , tormenta ſunt Dæmonum.* Quo modo Chryſoſtomus

Hieron. Beda. Paſchaſ. Zachar. *Chriſti, præſentia tormentum Diaboli.* Chryſoſt.

ſoſtomus *homil. 29. in Matth.* interpretatur illud *torquere nos.* Ipſa enim præſentia Chriſti, quæ virtutem, ſanitatem, & vitam exhalabat. Graue erat tormentum Diabolo ſanctitatis iuſtitia, quæ iuſtis eſt delectatio, iniquis afflictio eſt.

25. Tertia, communis, ac vera ſententia eſt, quòd quanuis Dæmones ſint damnati, non tamen omnes ſunt recluſi in Inferno, nec dum ſunt priuati poteſtate nocendi hominibus, eoſque tentandi, ac decipiendi. Vnde ſe perditos ſibi perſuadent Dæmones, ſi in Inferno detrudantur, ac relegentur, vt amplius non ſinantur nocere hominibus. Ita D. Auguſtinus *lib. 8. cap. 23. de Ciuitate*, ſimilem ſententiam Matth. interpretatur. Et Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauentura *in Lucam.* Carthuſianus, & alij. Theophylactus. *Perditionem*, ait, *ſuam exiſtimat Dæmon egredi ex homine: Dæmones enim malum quiddam ſuſtinere ſe putant, niſi permittatur eis affligere homines.* Similiter Carthuſianus *in præſenti.* Cardinalis Hugo. *Magnum tormentum eſt Dæmoni à læſione hominis ceſſare, quoniam tanto grauius dimittit, quando diutiùs poſſedit.*

*Diabolus exiſtimat ſuam perditionem ſi hominibus non noceat.*
Auguſt. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Carthuſ. Theophyl. Euthym. Hugo.

26. Sed dubium inſurgit, vt dixi in expoſitione, Dæmon in iſto homine erat vnus, vt bene colligitur ex textu. *Erat ibi homo in ſpiritu immundo;* & tamen quanquam de pluribus conqueritur, ac ſi in iſto vno Dæmone, omnes alij ſint deuicti, ac flagellati, quod optimè ponderauit D. Chryſoſtomus homil. 5. in Marcum. *Quid dicit*, ait, *Quid nobis, & tibi vnus eſt, & de pluribus confitetur. In eo enim quod vincitur, intelligit, & ſuos ſecum eſſe ſuperatos.* In vno iſto multi alij conſternantur. Vbi enim gratia Chriſti ſic irradiat, vt vnum vitium diſſipet; ac euellat, facillimè omnia alia per eandem gratiam deiiciuntur, ac cadunt. Ait Regius Vates Pſalm. 50. num. 20. *Dele iniquitatem meam*, obſecrat veniam pro peccato ſuo. Poſtea paucis interpoſitis num. 11. *Omnes iniquitates meas dele*, ait, pro vno peccato exorauerat, & iam ſermonem dirigit, vt omnia eius extinguantur, ſciebat enim, quòd vbi primum diuina gratia in eo eſſet exorta, non vnum peccatum, ſed omnia deleret, non vnum vitium extingueret, ſed omnia eradicaret. D. Auguſtinus ſic ait: *Satagit de illo grandi peccato, plus præſumpſit, omnes delere vult iniquitates ſuas. Præſumpſit de medici manu, de magna illius miſericordia.* Quanuis eſſet ſolicitus de ſuo adulterij peccato, tamen confiſus de diuina gratia, omnes ſuas iniquitates aboleri affectat.

Chryſoſt. *Si vnum vitium deſtruitur, omnia deſtruentur.*
Pſalm. 52.
Auguſt.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dæmon ait Chriſto:* Scio, quòd ſis Sanctus Dei?

27. VALDE notandũ eſt diuerſum loquendi modum in ſuis paucis verbis; ait enim Diabolus. *Quid nobis, & tibi Ieſu veniſti perdere nos, ſcio, quòd ſis Sanctus Dei;* fatetur Chriſtum Dominum veniſſe in perditionem omnium Dæmonum, *Quid nobis, & tibi veniſti perdere nos;* & ſtatim ſermonem vertens, de ſe ſolùm loquitur, *Scio, quod ſis Sanctus;* ſicut enim dixit Chriſti aduentum eſſe in perditionem omnium Dæmonum. Cur etiam non dixit omnes Dæmones ipſum cognoſcere eſſe Dei Sanctum. Diaboli ingenium, in perditione, & deſtructione omnes vult eſſe, in eo verò, quod laudis dignum erat, vtpote Chriſtum agnoſcere eſſe Sanctum Dei, ipſe ſolus ſe ipſum commemorat, & nullum ſocium in tanta cognitione admittit.

*Diaboli ingeniũ in perditionẽ mittit ſocios, non verò in honore.*

28. Ad quæſtionem veniamus, quo motiuo Diabolus magnus Chriſti aduerſarius fatetur Publica voce, ipſum eſſe Sanctum Dei. Reſpondet primò Caietanus. *Mentitur Dæmon, & fingit ſe ſcire ad tentandum, vt ſciat, prout in deſerto tentauerat.* Dæmon, ait, ille non certò ſciebat, Chriſtum eſſe filium Dei, de quo cap. ſequenti; tamen dicit ſe ſcire animo tentandi, vt cognoſcat, & deprehendat an ille ſit filius Dei.

Caietan.
*Diabolus cũ dubitat fingit ſe ſcire, vt certò ſciat.*

29. Secundò. Titus Boſtrenſis in Lucam. *Hoc nimirum*, ait, *Scio te, quia ſis Sanctus Dei, ſpiritus nequam aiebat, quia fortè ſperabat, vt per huiuſmodi adulatoria blandimenta, aliquod inanis gloriæ deſiderium in eius pectore excitaret, eaque ratione efficeret, ne vel ſe, vel ſui ordinis alios increparet. Hanc nimirum gratiam, pro impenſa gratia rependens, ac fraudulentus prædo, quàm conſectabatur prædam non aſſecutus. Deus enim non irridetur, nec dolo cuiuſpiam capitur.* In hac etiam ſententia eſt Victor Antiochenus, Euthymius, Theophylactus, & alij. Exiſtimauit enim Diabolus per ſuam adulatoriam orationem aliquid poſſe venari. Vt Chriſtus Dominus eum, ac ſui conſortes ſineret in hominibus graſſari, & eos ab illis non excluderet, ac in tartara mitteret, & ad hanc ſuam adulationem maximè exiſtimauit conducere Chriſtum Sanctum Dei appellare, nihil enim ſplendidius, ac nobilius, quàm Sanctitatis nomen.

Boſtrenſis.
Antioch. Euthym. Theophyl.
*Sanctitatis nomen valde ſplendidum.*

30. Exiſtimo tamen hæc verba non fuiſſe dicta, nec animo tentandi, nec adulandi. Nam Diabolus validiſſimis tentationibus, in deſerto nihil potuit obtinere, ſed victus receſſit, vbi etiam obiecto telo inanis gloriæ, nihil profecit, & ideo mihi potiùs videtur dicendum, hæc verba fuiſſe dicta ex timore, ac tremore, ne Chriſtus imperaret eum ab homine exire. Et ideo in hæc verba impulſus eſt timore, ac vexatione. Hanc ſententiam rectè docet D. Chryſoſtomus in Catena D. Thomæ; *Sanctum autem dicit*, ait, *eum non vnum de pluribus, quia & Sanctus erat vnuſquiſque Prophetarum: ſed vnum eum eſſe denunciat. Per articulum enim, qui in Græco ponitur, vnum oſtendit; per timorem autem omnium Dominum recognoſcit.*

*Vera ſententia.*
Chryſoſt.

31. Hæc modò dixi de ſenſu litterali; ſi vis, dic moraliter quòd fuit adulatio, & timor, nulla enim maior poteſtatis adulatio, quâm metus & timor; *Diabolus dum*, ait, *Quid nobis, & tibi, veniſti perdere nos.* Eximiam Chriſti poteſtatem publicabat; ac confitebatur, à cuius præſentia eximio terrore ſe anxiari declarabat, vt ita eum inclinaret, ac traheret, ne à corpore illum exire mandaret; maximè enim maieſtas, ac poteſtas ad pietatem inclinatur, ac flectitur, dum ſui terrorem in aliorum animis incuſſum videt; minimorum enim pauor maieſtatis propitiatio eſt.

*Timor inferioris poteſtatis adulatio.*

Ingreditur Eſther, vt pro populo ſuo loquatur ad Aſſuetum; *Cumque eleuaſſet* Aſſuerus *faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, & in pallorem, colore mutato laſſum, ſuper ancillam reclinauit caput*, Eſther 15. num. 10. quod cùm cerneret Rex, *feſtinans, ac metuens*

Eſther 15.



*metuens exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam in vlnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere?* Ibidem num. 12. Eſther mulier virili, ac conſtanti animo prædita multáque gratia roborata, & tamen ad intuitum Aſſueri pauet, & timet. Deinde maximè ponderandum, quòd cùm Aſſuerus eſſet magno furore raptus, vbi tamen pallorem, ac animi deliquium videt in vultu Eſther, totus in clementiam, ac benignitatem eſt mutatus, quæ mutatio facta eſt manu totius omnipotentis Dei, ſed Deus, qui omnia diſponit fortiter, ac ſuauiter, quod nam medium elegit ad terribile, ac obduratum Aſſueri cor deliniendum? Deliquium Eſther, vt ipſa collapſa inter ancillæ manus inclinaret caput. Cordis pauor foris prodiens, pallor in vultu, ac tremor per totum corpus effuſus ex præſentia poteſtatis, maximum negotium ad illius clementiam, ac furorem reconciliandum; & principem, quem ſæpe multæ preces non vincunt, vnius timor attrahit in optata.

*Minorum pauor, maieſtatis propitiatio.*

*Marc. 1. n. 25.* Et comminatus eſt ei Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab homine.

#### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et obiurgauit eum Ieſchua, & ait: Occlude os tuum, & egredere ex eo. |
| *Vatabl. Pagnin. Theophylact.* | Increpauit eum. |
| *Arabicus.* | Claude os tuum. |

#### ALTER TEXTVS

*Lucæ 4. n. 35.* Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo.

### *EXPOSITIO.*

33. AVDIENS Dominus voces laudatorias Diaboli, comminatus eſt ei, ſeu, vt habet D. Lucas, *Increpauit*, id eſt, obiurgauit eum, quòd ipſum Sanctum Dei appellaret, ac proinde denotatur, quòd Dominus ſuo dicendi modo Dæmonem reprehenderet pro illis acclamationibus, & quòd minatus eſt ei maiora tormenta, niſi taceret; *dicens*, cum magna auctoritate, & maieſtate duo ei mandans; primum, *obmuteſce.* In quo verbo etiam duo exprimuntur, primò ei mandat Dominus, ne ampliùs loquatur; deinde Chriſtus ſua poteſtate, tanquam fræno in ore iniecto, ei ſilentium indixit, quod bene deducitur ex textu Græco ad textum Lucæ, pro *increpauit*, ait, *obturauit os eius.* Secundò mandat ei Dominus exire ab homine, ſuo imperio eiicit Dominus Diabolum ab eo, potius ſe volens declarare Sanctum Dei, opere, & poteſtate, qua Dæmones eiiciebat, quàm illorum prædicatione, ac acclamatione, in quo etiam manifeſtabat ſuum eximium amorem in humanum genus, nam potius ei placebat ſanitas hominis, quàm gloria ab inimico Dæmone diuulgata. Rationes, ob quas Dominus Dæmonibus ſilentium imponebat, latè explico *cap. ſequenti, quæſtione* 12.

Græcus.
*Poteſtas potiùs declaranda operibus, quàm verbis.*

*Marc. 1. n. 26.* Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

#### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et dilacerauit eum ſpiritus ille immundus. |
| *Vatablus.* | Et cùm laniaſſet eum ſpiritus immundus. |
| *D. Aug. lib. 4. de conſ. Euang. c. 4 & Beda.* | Et conuexans eum ſpiritus. |
| *Interpr. Marc. 9. n 19.* | Et conturbans eum ſpiritus. |

#### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 4. n. 35.* Et cùm proieciſſet illum Dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

### *EXPOSITIO.*

CHRISTI Domini iuſſioni obediens Diabolus exiit ab homine diſcerpens eum, ſeu cùm diſcerpſiſſet, ſeu conuexans, ſeu contorquens hominem ſpiritus immundus; quod ita tamen eſt intelligendum, vt exprimit D. Luc. *Exiit ab illo, nihilque illum nocuit;* nam Domini virtute malignitas refrænata eſt, ne homini noceret, ac proinde Diabolus violento impetu proiicit hominem à loco, in quo erat, in medium, huc, illucque iactando, ac eum maximè contorquendo, non euulſione membrorum, ſed conuulſione, ac tremulo, & horribili motu, tanquam ſi eum dilacerare, ac diſcerpere voluiſſet, ſed Dei virtute, abſque nocumento, homo integer manſit; & hæc eſt optima intelligentia huius loci, quam tradit D. Auguſtinus *lib. 4 de conſenſu Euangeliſtar. cap. 2.* Victor Antiochenus, & Euthymius, exiſtimans idem ſignificare, *diſcerpere* apud Marcum, quod apud Lucam, *in medium proiicere.* In eadem ſententia ſunt Caietanus, Beaulxames, & alij; Toletus verò *in cap. 4. Lucæ, annot. 62.* ait, quòd Diabolus proiicit hominem in medium, vt ait Lucas, & quòd veſtes, quibus erat indutus, diſcerpſit, ac dilacerauit. Sed expoſitio non videtur multum germana, nam Euangeliſta ait; ſpiritus immundus diſcerpens eum hominem. Ergo non bene ad veſtimenta refertur, ſed nimis violenter. 34.

Auguſt. Antioch. Euthym.
Caiet. Beaulxam. Tolet.

*Exclamans.* Hoc eſt, edito horribili, & abſono eiulatu, ac ingenti fremitu, veluti rugitu, vt ita fieret cunctis manifeſtum, quòd Chriſti imperio 35.

imperio coactus contra propriam voluntatem exiret ab homine, & cùm iuſſus eſſet à Domino obmuteſcere, incondito ſtridore perſonante, nihil tamen expreſſit, nec ſignificauit, vt bene notauit Euthymius. (Euthym.) *Clamauit*, inquit, *voce magna flagellatus imperio dominico, non dixit tamen, quid clamauerit, eo quòd voces nihil ſignificantes ediderit textus, & exiit ab eo, & homo perfectæ ſanitati reſtitutus eſt.* Titus Boſtren. (Boſtrenſis.) *Etenim animo reſtitutus homo, mentiſque compos effectus, ſobrij, modeſtique viri oratione vtebatur.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Diabolus diſcerpens egrediatur ab homine?*

36. IAM in expoſitione explanaui, quòd Diabolus ab homine exiens diuina virtute eſt impeditus, ne homini nocumentum inferret, vt patet ex textu Lucæ. (Lucas.) Tamen totus temulentus Diabolus, ac maximè furibundus hominem in medium proiecit, ac eius membra in varias partes diſtraxit, & in horribiles, ac tremebundos motus prodire fecit. Cur autem Chriſtus Dominus hoc permiſit inquiramus.

37. Primò, vt cunctis fieret manifeſtum, quòd ille homo obſeſſus fuerat à Dæmone. Secundò, vt ait Euthymius, vt Dæmonis iſtius malitia demonſtraretur qui tam furibundus erat, ex eo, quòd ab homine exibat. (Euthym. Theophyl.) Tertiò, vt ipſe Euthym. & Theophylactus docent, vt cunctis pateſieret quod non ſponte, ſed Chriſti virtute eiectus, ac ſuperatus ab homine exibat. (Caietan.) Quartò. Caietanus ait: Permiſit Ieſus hominem illum affligi in modo exeundi, tum vt diſcerneretur ſpiritus immundus ab ſpiritu hominis, & cognoſceretur, quòd non homo ille ex ſpiritu proprio, ſed ex Dæmone dixerat, quod dixit. Tum vt cognoſceretur, à quanto malo liberauerit eum.

38. (Antioch.) Pulchrè Victor Antiochenus in Marcum. *Cur Dæmon*, ait, *obſeſſum hunc fudit in terram? Dominus ob id illum iactari, diſcerpique paſſus eſt, vt omnibus palàm fieret, Dæmonem fuiſſe, qui dicebat, Scio quia ſis Sanctus Dei; & non hominem, tametſi ea ſobrietatis verba eſſent.* (*Diaboli eſt eũ boni verbis, mala coniungere opera.*) Ita Diabolo tumultuariter permiſſum eſt, vt hominem diſcerpere videretur, vt cunctis aptiſſimè eſſet notum, quòd Diabolicus ſpiritus in homine erat, in quo verba tantum ab operibus diſcrepabant; nam cùm haberet bona verba cum ſobriis, piis, ac ſanctis. *Scio, quòd ſis Sanctus Dei*; tamen cum his coniungebat opera plena furoris, malignitatis, ac indignationis, & non poteſt deeſſe diabolicus ſpiritus, vbi cum placidis verbis cruentiſſima opera connectuntur.

39. (Gregor.) D. Gregorius homil. 12. in Ezechiel. *Quid eſt*, ait, *quòd obſeſſum hominem antiquus hoſtis, quem poſſeſſum non diſcerpſerat, deſerens diſcerpſit, niſi quòd plerunque, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quàm priùs excitauerat, quando hoc quietus poſſidebat.* (*Cùm homo exiit à poteſtate Dæmonis, tunc ille tumultuatur.*) Quando aliquis in ſagena Diaboli irretitus eſt, inimicus placidus, ac quietus eſt. At verò ſi homo ab illis laqueis ſe expedire vult, & nequitiam ſuam deponere affectat, tunc tota Diaboli tempeſtas contra eum exoritur, & acriores tentationes inſurgunt, & vehementiores impetus fiunt. Et ideo quando Diabolus obſidebat hominem, ipſe quietus in vno loco reſidebat At vbi imperio Chriſti iuſſus eſt exire, totus furibundus Diabolus hominem ingenti conatu in medium proiicit, veluti eum diſcerpere videtur.

Ait Ieremias 4. num. 19. *Ventrem meum, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt in me, non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij*, &c. 40. (Ierem. 4.) Cùm totus Iſraël eſſet in anguſtia poſitus, tamen præ omnibus Propheta maioribus doloribus tenabatur, & præcipuè ventris vehementiores eum vexabant; (*Dum nequitia deponitur, maximè malignus ſæuit.*) itaut ipſe clamaret: Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. Sed cur in ventre grauius torqueretur, cur ibi acutiores creſcunt dolorum ſtimuli? Erat Propheta tanquam pater diuina diſpoſitione conſtitutus, vt eos veluti in vtero ſuo aſportans regeneraret in Deo, vt deponentes nequitiam, ad viam ſalutis reduceret, & cùm iam in proximo eſſet, vt ij, quos Propheta moraliter in vtero habebat, malitiam dimitterent, ac abiicerent, inde crudeliter nequitia ſæuiebat, ac magnas commotiones, & altercationes excitabat, vnde graues dolores in vtero Prophetæ congeminabat, quia ibi homines tanquam in genitali ſeminario æternæ ſalutis, depoſita, nequitia, gratia Dei formarentur. (Ambroſ.) D. Ambroſius *lib. de fuga ſæculi cap.* 7. pulchrè ait, *Dictum videtur, quod in libro prophetico legimus, Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, quia id nequitiæ veſtigiis proculcatur, ſtimulatur vnguibus proceſſu quodam improbitatis, incrementoque concutitur, vbi eſt genitale ſeminarium poſteritatis æternæ. Pretioſus enim mentis vterus eſt, in quo fœcunda ſeges conſiliorum verbi ſemine pullulare conſueuerit, atque virtutum, ac diſciplinarum quædam membra formari.* Pondera illa verba, *Vbi eſt genitale ſeminarium poſteritatis æternæ.* In quo homines ex ſua vetuſtate reformabantur in gratia, ibi nequitia aduerſa, vt dolores, ac anxietates excitabat.

41. Peccauit primus homo, & miſerrimè tenebatur captiuus ſub duriſſimo iugo Diaboli, quo ipſe inimicus contentus quieſcebat, at cùm Dei miſeratio diſponit ſubuenire homini, ait Deus ad ſerpentem, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*, Gen. 3. num. 15. (Geneſ. 3.) Quis prouocat Diabolum, vt tot inſidias, ac contrarietates in hominem machinetur? Nil aliud hoc bellum mouet, niſi, quòd homo Dei gratia adiutus velit illud tyrannicum iugum à ſe excutere, quo violentus inimicus maximè ſæuit, ac mille nocendi artes, ac aſtutias, & bella in hominem molitur. (Ambroſ.) D. Ambroſius proximè citato loco. *Cùm Deus*, ait, *malitiam reprimendam, interimque abolendam putauerit, ait ad ſerpentem. Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem*, &c. *Vbi inimicitiæ ſunt, ibi diſcordia eſt, nocendique ſtudium. Vbi nocendi ſtudium, ibi malitia ponitur. Ergo diſcordiæ inter ſerpentem, & mulierem, diſcordiæ malitia ſubeſt.*

*Marc. 1. n. 27.* Et mirati ſunt omnes, ita vt conquirerent inter ſe dicentes: Quidnam eſt hoc? Quænam





doctrina hæc noua? quia in poteſtate, etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

*Ibid. num. 28.* Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilææ.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Et obſtupuerunt omnes, & alius alium interrogabat, ac dicebat: Quidnam eſt hoc, & quænam eſt hæc doctrina noua, vt cum imperio etiam ipſiſmet ſpiritibus immundis præcipiat, & pareant ei?

*Vatablus.* Quod cum auctoritate etiam ſpiritibus immundis imperat.

*Theophylactus. num. 28.* Emanauit autem fama eius ſtatim in totam vndiq; regionem Galilææ finitimam.

*Græcus.* In totam regionem circuniacentem.

### ALTER TEXTVS

*Lucæ 4. n. 36.* Et factus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt.

*Ibid. num. 37.* Et diuulgabatur fama de illo, in omnem locum regionis.

## *EXPOSITIO.*

42. (Syriacus.) VISO tanto miraculo, ait D. Marcus, mirati ſunt omnes, ſeu obſtupuerunt, vt habet Syriacus; D. vero Lucas ſcripſit: *Factus eſt pauor.* Quod optimè cohæret cum D. Marco, nam ſtupor, ſeu admiratio in radice Græca non ſignificat qualemcunque admirationem, ſed coniunctam cum religioſo metu, ac pauore, qualem viſis Dei mirabilibus probi concipiunt; (Antiochen.) & admirati erant, vt bene ait Victor Antiochen. non ſolùm ex his quæ audierunt, ſed etiam quæ propriis malis viderant, vt conquirerent inter ſe proprium eſt eorum, qui admirantur ſe mutuò interrogationibus interpellare. Quænam doctrina hæc noua? doctrinam Chriſti appellant nouam, non animo dubitandi, calumniandi, ac reprobandi, ſicut fuerunt illi alij Areopagitæ, *Actor. 17. num. 19. & 20.* Sed, vt bene notant Caietanus, (Caiet. Maldonat.) Maldonatus, & alij animo laudandi, ac admirandi: nam illi ſæpè ſuos ſcribas docentes audierant, immò & magnum Baptiſtam prædicantem, & iſti ſolùm docebant; tamen talem ſignorum operationem cum ſua doctrina minimè coniungebant, qualem Chriſtus efficiebat, qua, & doctrina ſua confirmabat; D. Lucas hanc hiſtoriam ſcribens, ait, *Quodnam eſt hoc verbum?* Vbi verbum pro doctrina ponitur, vt obſeruat Euthymius, (Euthym.) quod enim Deus docuit, Verbum Dei dicimus.

*Quia in poteſtate.* Ecce explicant rationem ſuæ admirationis, quia poteſtate, imperio, ac auctoritate, tanquam Dominus imperabat ſpiritibus immundis. 43. Et ſæpe homines imperant, & tamen ſua mandata non habent auctoritatem, ac efficaciam. Aliter tamen Chriſti verba tantam habebant potentiam, vt illis auditis, (vt ait D. Marcus) Dæmonia obediant. Et Lucas *exeunt.* Et quanuis excorciſtæ Iudæorum Dæmonia eiicerent, vt notat D. Chryſoſtomus, (Chryſoſt.) hoc erat orationibus, ac deprecationibus. Chriſtus autem, vt ſupremus D. imperio vtebatur, & ideo bene dicunt turbæ, Spiritibus immundis imperat, & obediunt.

44. (Græcus.) Et proceſſit rumor, ſeu, vt habet Græcus, fama; ex tanto miraculo perpetrato in ciuitate Capharnaum diuulgata eſt fama, non ſolùm in ipſa ciuitate, ſed, vt ait Euangeliſta, in omnem regionem Galilææ, ſeu in regionem circuniacentem ſparſa eſt fama per totam illam prouinciam Galilææ, in qua nomen Chriſti, maximè celebrabatur, ita vt ad eum adducerent omnes ægrotos, ac Dæmonia habentes, vt explicat D. Marcus hoc *cap. 1. num.* 32. de quo latè, & alia multa ad hunc locum ſpectantia erit dicendum *c. ſeq. à quæſt. 9.*

# CAP. XXII.

## *A febri dimittitur ſocrus Petri.*

*Luc. 4. n. 38.* Surgens autem Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quumque egreſſus fuiſſet Ieſchua è Synagoga, introiuit domum Schemoeum: ſocrus autem ipſius Schemoeum premebatur febri maxima; & rogauerunt eum in gratiam illius.

*Vatablus.* Cùm ſurrexiſſet autem Ieſus è Synagoga, &c. tenebatur febri magna.

*Arias.* Detenta febri magna.

ALTER TEXTVS.

*Matth.8.n.14* Et cùm veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem.

*Marc.1.n.29.* Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis, & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne. Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans: & ſtatim dicunt ei de illa.

## *EXPOSITIO.*

1\. SVRGENS *autem Ieſus.* Poſtquam Dominus admirabilem edidit concionem, ad miracula deuenit, hominem à dæmone liberat; & ſocrum Petri febricitantem ſanat, docens nos, quòd cum ſermone coniungenda ſunt opera. *(Cum ſermone coniungēda opera.)* *Introiuit in domum Simonis.* quod dicitur, non quia tunc eſſet domus Simonis, cùm iam reliquiſſet omnia; ſed quia antea fuerat domus Petri, & Andreæ, vt clariùs explicat D.Marcus. Et venit in domum illam, vt mulierem ægram ſanaret, atque vt cibum ſumeret. Et non venit ad hoc in domum alicuius diuitis, vel opulenti; plus namque amat pauperes, ægrotos, atque lugentes. *(Nomen mulieris non exprimitur.)* *Socrus autem Simonis.* Eius proprium nomen non exprimitur, ſed ſocrus Simonis dicitur, cuius affinitate magnam nobilitatem habebat. *Tenebatur magnis febribus.* Ait Albertus Magnus in cap. 8. (Albert.Mag.) *Æſtuabat magnis febribus, vt inde maximè ad miſericordiam moueretur Dominus, magiſque appareret magni miraculi effectu potentia Domini.* *(Magna neceſſitas Dominū allicit.)* Et non dicitur, quòd mulier tenebat febrim, ſeu laborabat febri; ſed tenebatur magnis febribus. *Febris,* ait D.Ambroſius hoc loco, (Ambroſ.) *noſtra auaritia eſt, febris noſtra libido eſt: febris noſtra luxuria eſt: febris noſtra ambitio eſt.* *(Peccator à vitiis tenetur, ac aſtringitur.)* Eleganti dicendi modo profertur: *Tenebatur magnis febribus*, vt denotetur animus cupiditatibus obnoxius, à quibus tanquam compedibus coarctatur, ac retinetur. (Seneca.) De bonis fortunæ pulchrè ait Senec. epiſt. 8. *Quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum poteſt, iſta viſcata beneficia deuitet: in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur, habere nos putamus, & habemur.* *(Boni labores patiuntur.)* Hæc moraliter ſunt dicta. Hæc autem anus probata, & honeſta mulier erat, vtpote ſocrus tanti viri; & tamen tot languores, ac infirmitates patiebatur: iuſti enim multos ſemper labores, afflictioneſque ſuſtinent.

*Rogauerunt eum pro ea,* ſcilicet Andreas, Iacobus, & Ioannes, & fortaſſe alij, qui aderant. Et rogauerunt Apoſtoli pro illa fundati in fide, potentia, ac miſericordia Dei, quam iam agnoſcebant; & etiam commoti miſeratione infirmitatis mulieris. *Rogauerunt eum,* vt ait D.Bonauent. (Bonauent.) *quanuis enim Dominus velit dare, vult tamen rogari,* *(Deus vult noſtrum meritum.)* vt per noſtrum meritum aſſequi mereamur. Iſai. 48. num. 9. (Iſai. 48.) *Inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce adſum.* Quàm vtilis, ac frugifera eſt Sanctorum coniunctio, atque oratio. Quia Apoſtoli erant ſimul cum infirma, ſtatim rogant pro ea. Et, vt ait D.Ambroſius lib. de viduis. (Ambroſ.) *Virtutis cognatio facit proximos. Ama Apoſtolos, vt pro te rogent, & recedent cupiditates tuæ.*

3\. Moraliter verò hæc exponuntur à Beda, Haymone, Hugone, (Beda. Haymon. Hugo.) de Synagoga Iudæorum venit Dominus in domum Simonis, hoc eſt, in Eccleſiam Catholicam, vt ibi requieſcat, à cibo reficiatur cum ſuis Apoſtolis: quia, non in Synagoga, ſed in Eccleſia Catholica, vt in gremio ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ, requieſcit Dominus, & exultat, ſuoſque diuino populo reficit, ac recreat. *(Deus magnificatur in Eccleſia Catholica.)* Et non dicitur, diſceſſit, vel abiit de Synagoga in domum Petri, ſed dicitur ſurgens de Synagoga introiuit in domum Simonis. Quia quo ad nos maximè exurgi, ac exaltari videtur Dei maieſtas, dum de Synagoga tranſiuit in domum Simonis, quam acquiſiuit, ac fundauit ſanguine ſuo. Et rectè Eccleſia dicitur domus Simonis, cùm ipſe ſit eius caput. *(Prelati ne inſoleſcant, ſed ſint Dei mādatis obedientes.)* Et bene princeps Eccleſiæ dicitur Simon, hoc eſt, obediens, in exemplum omnium Prælatorum, qui quanuis ſint in apice dignitatis, non inſoleſcant, ſed ſint obedientes legi diuinæ, ac mandatis Dei.

4\. Notandum, quòd Dominus tripliciter ſanat. Primò, & multoties ſine precibus, ſua clementia motus, vt Dæmoniacum, de quo agit Lucas 4. *n.* 33. Paralyticum piſcinæ, *Ioan.* 5. Secundò, & aliquando precibus alienis, vt hic fecit cum ſocru Petri. *(Tripliciter Chriſtus ſanat.)* Tertiò motus precibus propriis, vt legitur de leproſo. Sic ad animas peccatrices ſanandas tripliciter mouetur. Primò ſua clementia, ſecundò oratione Eccleſiæ, tertiò interueniente proprio gemitu. Sic ait Dominus Regi Ezechiæ 4.Reg. 20.n.5. (4.Reg.20.) *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: Ecce ſanaui te.*

---

## QVÆSTIO I.

### *Qualis eſſet ſocrus, vxor, ac matrimonium Petri?*

5\. *(Quæ ſocrus Petri.)* SOCRVS Petri pia, & honeſta mulier erat vtpote cognata tanti viri, tamque ſanctarum mulierum, vt ſtatim dicam. Mater Ariſtobuli, fratris Barnabæ Apoſtoli, vxor fuit, vt colligitur ex Metaphraſte infrà citando: modò verò vidua erat, vt docet D.Ambroſius lib. de viduis: (Ambroſ.) *Quæ nunc ſanata eſt, vidua erat.* Imò aduerte, quòd primum miraculum à Domino in muliere operatum, fuit in hac vidua languente, quia viduæ calamitas ad ſui miſerationem maximè mouet. Hanc mulierem moraliter interpretatur Euſebius Gallicanus homil. in feria 5. poſt 3.Dom. Quadrag. (Euſebius.) *Petri vxor, ait, Eccleſia eſt, quoniam ei à Domino ſpecialiter tradita eſt. Eius igitur ſocrus eſt Synagoga, quia ipſa eſt mater Eccleſiæ. Vnde eidem in Canticis Canticorum Dominus ait: Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* *(Iudæorum Synagoga infirmatur.)* *Hæc autem iacet in domo Petri, & febricitat, quoniam*





*vſque hodie inter Chriſtianos Synagoga infirma moratur.*

6\. *(Quæ vxor Petri.)* Vxor Petri matrona præſtantiſſima, filia relati Ariſtobuli, vt teſtatur Simon Metaphraſtes (Metaphr.) *in vita S. Petri.* Hoc tempore vocationis Petri mortuam eſſe, videtur ſignificare D.Hieronym. (Hieron.) lib. 1. aduerſùs Iouinianum. *Poſſumus autem, ait, de Petro dicere, quòd habuerit ſocrum eo oempore, quo credidit, & vxorem iam non habuerit.* Tamen, eam tunc viuere, & poſtea pro Chriſto martyrio coronatam fuiſſe, ſcribit Clemens Alexandrinus (Clem. Alex. Euſeb. Baronius.) *lib. 7. Stromatum.* & refertur ab Euſebio *lib. 3. Hiſtor. cap.* 30. & à Baronio *in Martyrologio die 31. Maij.* Quam, cùm videret D. Petrus ad mortem pro Chriſto rapi, valde lætus eam eſt ad martyrium exhortatus. Ex ipſa, & D.Petro orta eſt ſancta Petronilla, quæ etiam pro Domino paſſa eſt, vt habetur *in Martyrologio Romano die 31. Maij.*

7\. *(Petrus poſt vocationem in caſtitate vixit.)* Petrus, licèt antequam ſciret Euangelium, habuerit vxorem; tamen vbi primum à Chriſto vocatus eſt, eam reliquit quoad officium coniugale; & deinceps perpetuò caſtitatem ſeruauit. Et ſi quis ex Apoſtolis vxorem habuit, ante ſuam vocationem; tamen poſtquam aſſumptus eſt ad Apoſtolatum, idem fecit, ac Petrus. Ita docent D.Hieronymus (Hieron.) *lib. 1. ad Iouinian. & Epiſtol. 34. ad Iulianum, & Epiſtol. 50. ad Pammachium.* Tertullianus (Tertull.) lib. de Monogamia, cap. 18. *Petrum, ait, ſolum inuenio maritum per ſocrum. Cæteros, cùm maritos non inuenio, aut ſpadones intelligam, neceſſe eſt, aut continentes.* De hoc alibi latiùs dicam.

8\. *(In quolibet ſtatu poteſt homo ſeruire Deo.)* Diſpoſuit diuina prouidentia, vt Petrus eſſet vxoratus, tum ad nobilitandum ipſum matrimonium, cùm etiam ad animandum coniugatos, quia in eis pullulare poteſt ipſa perfectio virtutis, quæ in virginibus reperitur. De dilecta Virgine ſua ſponſa ait Chriſtus Dominus. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa,* Cantic. 4. n. 12. (Cantic. 4. Nazianz. Ambroſ. Hieron.) Cuius ſenſus eſt, vt docent D. Nazianzenus *Orat. in laud. Cypriani.* D.Ambroſius *lib. 3: de Virg.* D.Hieronymus *Epiſtol. 22. ad Euſtoch.* quòd ita virginitas ſponſæ erat clauſa, & cuſtodita omni appetitui, ſicut hortus muratus, & ſeptus, qui furibus eſt inacceſſus. Suſanna autem coniugata, cùm eſſet in horto, ſeu pomario, *Daniel. 13. num.* 22. & petulanter inuaderetur à ſenibus, fuit etiam hortus concluſus, ſiquidem aditum ad ipſam inordinatus appetitus habere non valuit. *(Coniugati poſſunt Deo ſeruire, vt virgines.)* At ipſa virtutis magnanimitas, quæ reperitur in ſponſa Virgine, etiam inuenitur in ſponſa maritata? Maximè. Quia ad ſublimitatem virtutis, quæ in Virgine oritur, maritata aſcendere poteſt; ſiquidem in omni ſtatu, ac conditione maxima obſequia Deo præſtare valemus. D.Ambroſius (Ambroſ.) lib. 7. Epiſtol. 42. *De Virgine anima, vel Eccleſia, quam volebat virginem caſtam aſſignare Chriſto, ait: Paradiſus concluſus ſoror mea ſponſa. Paradiſus Græcè, Latinè hortus dicitur. Denique Suſanna in paradiſo erat, & ſic legitur Latinè. Ibi ergo eſt caſta vxor, vbi virgo.*

9\. Apparuerunt cum Domino Moyſes, & Elias *Matth. 17. num.* 3. Sed cur viri diuerſa conditione vocantur ad tantam gloriam, ac ad tantum concilium? Virgo erat Elias, coniugatus Moyſes. Cur ergo non vterque virgo ad tantum candorem maieſtatis aſciſcuntur? Quia, ſi virgo placet, vxoratus non diſplicet: & ideo vterque æquali modo ad obſequium Domini vocatur. D.Ioannes Chry-



ſoſtomus (Chryſoſt.) ſerm. contra Iudæos. *Vis cognoſcere, ait, quòd nihil nocet habere vxorem, & pueros? Moyſes nónne vxorem habuit, & liberos? Elias nónne virgo erat? Nónne Moyſes manna è cælo deduxit? Nónne Elias ignem de cælo deduxit? Nónne Moyſi locutus eſt Deus? Nónne cum Elia conuerſatus eſt? Nónne Moyſes mare diuiſit, & traduxit Populum? Nónne Elias curru igneo in cælum ſublatus eſt? An nocuit huic virginitas? An impedimento fuerunt illi vxor, & liberi?*

---

## QVÆSTIO II.

### *Quare dicatur domus Petri, cùm ipſe iam reliquiſſet omnia?*

10\. *(Vbi erat ſita domus Petri.)* OBITER hic notandum eſt, quòd hæc domus Simonis erat in Capharnaum; è cuius Synagoga poſtquam Dominus in ea prædicauit, venit in domum Petri, vt ibi prandium ſumeret; ac proinde quanuis Petrus, & Andreas eſſent ex Bethſaide *Ioan. 1. n.* 44. tamen habitabant in Capharnaum, ſeu valde propè ipſam propter piſcationis commoditatem; erat enim Capharnaum ſita ad oram maris, ſeu laci Geneſareth. Et in eadem ciuitate in domo Petri celebre templum conſtructum fuiſſe ab Helena in honorem Apoſtoli, teſtatur Nicephorus (Nicephor.) *lib. 8. cap.* 30.

11\. Quæſtio præſens eſt: Quomodo Dominus dicitur ingreſſus domum Simonis, ſiquidem ipſe cum fratre ſuo Andrea, relictis omnibus ſecuti ſunt eū *Matth. 4. n.* 20. & *n.* 19. & *n.* 27. ipſe dixit: Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te? *(Germana ſolutio.)* Reſpondeo primò, quæ eſt communis ſolutio, quòd domus dicitur Petri, non quòd tunc eſſet, ſed quòd antea fuiſſet; & quia, cùm vxor, & ſocrus eius pauperes eſſent, eis fortaſſe Petrus eam reliquit, & ideo ab aliquibus adhuc poterat exiſtimari domus Petri, quia ipſe iā omnia reliquiſſet, ac dimiſſa haberet.

12\. Secundò. Petrus reliquit domum ſuam, & nunc ſupponitur, eam habere: Petrus pro Chriſto reliquit pauperem domum; & nunc dicitur, habere domum omni palatio præſtantiorem, in quam intrat Ieſus, requieſcit Deus, & multis bonis diuina eam bonitas replet. *(Quæ pro Deo relinquimus, aucta recipimus.)* Felix negotiatio, aliquid pro Deo relinquere: quia illud non amittes, ſed potiùs maximè duplicatum recipies. Ex Dei mandato Moyſes tendens in Ægyptum ſuas, quas in monte Horeb ducebat, oues reliquit *Exod. 3. n.* 1. Quid tunc? amiſit eas? Minimè; ſed potiùs factum eſt, vt ſexcenta Iſraëlitici populi hominum millia, exceptis paruulis, & mulieribus, ei in oues fierent, vt ipſe eorum dux, paſtorque eſſet. Relinquens paruulum gregem, valde magnum, & pretioſum inuenit, cuius Deus habitabat in medio.

13\. Tertiò. D.Hieronymus (Hieron.) *Epiſt. 20. de vera Circunciſione.* quæ habetur 4. *tom. Poſt latam collationem inter Abrahamum, & Petrum.* Vterque relinquit ſua. Ait S. Pater: *Abraham reformatur in Petro: omnia ſe reliquiſſe, teſtatur: non in alto fluctuat, artis cura non geritur, nec ſocrus ægra ſine Domino viſitatur: omnis ſingularis viri affectus in Chriſto eſt, hunc ſequitur ſubſtantiæ contemptor, ſtudij negligens, affinitatis oblitus: & id, quod Abrahæ, vt faceret, imperatum eſt, hic iam feciſſe non celat: Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Conſidera illa verba: *Nec ſocrus ægra ſine Do-*

*mino viſitatur.* Petrus perfectiſſimè omnia ſua reliquit, artem, ſubſtantiam, ac domum, itaut quidquid perfectionis erat in Abraham, in ipſo maximè reformetur. Quia, ſicut Abrahamus relinquens domum paternam, & cognationem ſuam, ſecum tulit conſobrinum Lot, qui verum Deum ſequebatur; ita etiam Petrus, quamuis omnia à ſe dimitteret, piam, & deuotam ſocrum adhuc retinet, vt obſequia Domino præſtaret. *Surgens miniſtrabat illis.* Vterque omnia ſua, domum, & cognationem abiecerat; tamen vterque retinet, quæ cum Domino habere poterat. Cognationes enim, & ea, quæ poſſunt eſſe impedimenta in via Dei, à viro probo abiicienda ſunt; quæ autem ſimul nobiſcum in Dei obſequium tendere poſſunt, ſimul retinenda, & conſeruanda.

*Cognati, qui cum Deo haberi poſſunt, non relinquendi.*

14. Exod. 4. Mandat Deus Moyſi, vt tendat in Ægyptum, ac loquatur Pharaoni, vt Populum dimittat. *Tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, & reuerſus eſt in Ægyptum,* Exod. 4. n. 20. Et quomodo Moyſes ad Dei mandatum negotiandum, filiis, ac vxore grauatur in itinere? Chriſtus Dominus præcepit ſuis, vt ad diuina iuſſa exequenda, nec peram, nec calceamenta portarent in via, *Matth.* 10. *n.* 10. *Marc.* 6. *n.* 8. vt etiam neminem per viam ſalutarent, *Luc.* 10. *num.* 4. Quod etiam mandauit Eliſæus Giezi, 4. *Reg.* 4. *n.* 29. Quæ ideo ſunt mandata, vt velociter, & expeditè quis poſſet ſuum curſum peragere. Si itaque veloces eſſe oportet in exequẽdis Dei mandatis, quomodo Moyſes tanto onere vxoris, ac filiorum fatigatur in itinere? Salutationes, ac confabulationes in via obſtacula eſſe poterant, ideoque fuerunt fidelibus miniſtris ex iuſſu prætermittendæ. At deuota cognatio, caſtum coniugium, vt pia proles, quæ cum Domino retinebatur, & ſimul ad ipſum currebat, onus non erat; ſed potiùs leuamen; & ideo non fuit relinquenda, ſed in itinere potiùs aſportanda. Lippoman. *Moyſes cum virga Dei,* ait, *hoc eſt, ſigno Apoſtolatus, & Ducatus, pergit etiam cum vxore, & filijs, non enim thorus immaculatus, & caſta generatio præiudicat, vel impedit gratiam diuini Spiritus, & colloquia Dei in Sanctis, quibus omnia ſancta ſunt, & munda.*

*Conſanguinei, qui cum Deo habentur, retinendi.*

Lyppom.

15. Ait magnus ille, & ſanctus Iob 29. num. 2. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos: ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me.* Valde mirabile eſt, quòd tam iuſtus, piuſque vir antiquam exoptet felicitatem, cœtum, & pretioſam rerum ſupellectilem. Optimè ſciebat Iob, illa omnia eſſe momentanea; & huiuſmodi ſæcularia contemnere, valde magnum. Cur ergo tam ardenter deſiderat? Expertus erat vir ſanctus, quòd filios, ac filias, & diuitias rerum in prioribus menſibus cum Deo retinebat, & quòd in via Dei nullum hæc omnia impedimentum erat; & ideo felicitatem non abſolutè exoptat, ſed ſuam perquirit antiquam, quæ erat è manu Dei, & cum Deo habebat; quæque in via Dei adiuuamen potius, quàm obſtaculum erat. Olympiodorus in Catena Græca. *Non ſpecioſam tantummodò ſobolem, & magnas, ac locupletes copias, diuinam cuſtodiam, atque opem dixit; ſed multo magis, quia in tanto ſplendore, diuino ſeptus præſidio ius ſummopere tuebatur. Idcirco igitur in illum primum ſtatum ſereſtitui cupit, quia tanquam Dei amans, in eius fide, & tutela cupit eſſe.* Similiter habent D. Chryſoſtomus, & Philippus Abbas, vt refert Pineda.

*Bona, quæ à Deo habentur, vtilia.*

Olympiod.

Chryſoſt. Phil. Abb. Pineda.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Chriſtus veniat in domum Simonis?*

16. Antiochen. Chryſoſt. Theophyl. PRIMÒ ad quæſtionem reſpondet Victor Antiochenus *in cap.* 1. *Marc.* Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij, quòd, cùm iam eſſet hora prandij, venit Dominus in domum Simonis ſumendi cibi gratia. Quod omnes colligunt ex his, quæ ſequuntur, quòd ſurgens miniſtrabat illis. Secundò D. Chryſologus ſerm. 18. *Ad domum Petri venit Chriſtus, vt domus Petri veniret ad Chriſtum.* Chriſtus humilitate demiſſus venit ad domum Petri, vt ita homines capiat. Et talis eſt homo, quòd, vt ipſe veniat ad Chriſtum, neceſſum ſit, vt ipſemet filius Dei incarnatus ad hominem veniat, & ipſum quærat. Vide ſuprà *cap.* 5. *n.* 170. 171. *&* 172. Aliter, & eleganter hanc rem explicat D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* de hoc aduentu in domum Petri loquens, ait, *Mira omnipotentis Dei diſpenſatio, qui etiam non quærentes ſe quærit, & non valentes ad ſe venire, ad eos clementer venit, quia ſi non ille prior ad nos veniſſet, nunquam ad eum redire potuiſſemus.* Si Deus per ſuam excitantem, ac auxiliantem gratiam nos non quærat, & ad nos non veniat, non ſumus à nobis ſufficientes vt ad ipſum tendamus; & ideo ipſe ad nos venit, & in domum Simonis tendit.

Chryſolog.

*Vt ad Chriſtum veniamus, requiritur, vt nos ipſe quærat.*

Paſchaſ.

17. Idem. Tertiò D. Paſchaſius *citatus*, ait: *Cauſa aduentus eius, iacentis infirmitas, & non edendi neceſſitas fuit, quia in domo, qua miſera febris hominem laniabat, non cura prandij, ac lætitiæ, ſed lachrymarum erat effuſio.* Meus & pius Ieſus, non vt ibi requieſceret, & prandium ſumeret in domum venit oppreſſione plenam, ærumnis, ac lachrymarum effuſione refertam, in qua febris graſſabatur acuta: non enim quando alij opprimuntur laboribus, eſt à nobis leuamen quærendum. Et in hac conſideratione ponderandus eſt textus Matth. 8. num. 18. *Cùm Ieſus veniſſet in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem.* Vbi Chriſtus ad Petri habitaculũ venit, non ad ſedes ad quieſcendum, ad conuiualia ad prandendũ, non ad panem, nec ad piſces ad comedendum, non ad domus ſupellectilem; ſed ad ægram, ac laborantem oculos cõuertit: quia cùm Ieſus ſit Saluator, maximè eius oculi rapiuntur ad miſeros, & ad afflictos, vt ipſos videat, ac eis medelam afferat. D. Chryſol. ſerm. 18. citato. *Ingreſſus in domum Petri,* ait, *Chriſtus, ad quod venerat, vidit; non aſpexit qualitatem domus, non occurrentium turbas, non ſalutantium pompam, non familiæ concurſum, certè non ipſum præparationis ornatum: ſed aſpexit gemitum languentis, vidit periculum deſperatæ, & ſtatim manus ad opus ſuæ Deitatis extendit.* Ex quo diſcant miniſtri, ac Prædicatores, non attendere ad auditorum qualitatem non ad aurum, & argentum, ſed ad opus ſui miniſterij, & officij iniuncti.

*Chriſtus afflictos, & laborantes reſpicit.*

Matth. 8.

Chryſolog.

*Prædicator aliud ab iniuncto officio non aſpiciat.*

18. Et quòd Dominus in domum aduenerit, magnum fuit prænoſticum ſanitatis futuræ; quos enim ipſe viſitat, & apud quos hoſpitatur, eis beneficium vitæ, ac ſanitatis largitur. Exhauſto, ac ſiccato torrente Carith, ait Dominus ad Eliam, *Vade in Sarephtha Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim mulieri viduæ, vt paſcat te,* 3. Reg. 17. num. 7. Cùm motiuum aduentus Prophetæ

3. Reg. 17.



tam apertum, ac manifeſtum ſit in Scriptura; tamen D. Auguſtinus *lib.* 2. *ad Simplic. quæſt.* 5. tractans de reſuſcitato puero viduæ, apud quam hoſpitabatur, ait: *Dominus Eliam ad viduam miſerat, gratia exhibendi miraculi ad gloriam nominis ſui.* Quomodo ſapientiſſime doctor hæc dicis, quòd miſſus eſt Elias ad reſuſcitandum filium mulieris, qui in aduentu ſuo ſanus erat, & poſt aliquod tempus languore oppreſſus eſt? Nunquid Auguſtinus contradicit Scripturæ? Minimè; abſit. Quomodo ergo cohæret ſententia magni Patris: *Dominus miſerat gratia exhibendi miraculi,* cum manifeſto aſſerto Scripturæ: *Vade in Sarephtha, præcepi enim mulieri: vt paſcat te?* Magno ingenij acumine penetrauit Auguſtinus myſterium, vt notauit quidam. Interueniebant ibi duæ actiones inter ſe intimè coniunctæ, vt vna neceſſariò prodiret ex alia; & ex eo, quòd Propheta dicitur miſſus ad vnam actionem, conſequenter etiam dicitur miſſus ad aliam. Et ſi Propheta miſſus eſt, vt à muliere paſceretur, etiam miſſus eſt, vt mulieri daret vitam; nec enim poterat Propheta apud mulierem hoſpitari, & in eius domo menere, quin ipſi mulieri, & ipſi domui daret vitam, filium reſuſcitaret, ac mortem fugaret.

Auguſt.

*Hoſpitalitas, ac viſitatio Sanctorum vitam ſecum affert.*

19. Albert. Mag. Quartò Albertus Magnus in cap. 8. Matth. *Venit Dominus,* ait, *in domum Petri, propter affinitatem diſcipuli eſſe,* ſcilicet ſocrum, *iuuandam.* Vt Dominus alios ſanaret, nempe filium Reguli *Ioan.* 4. puerum Centurionis *Matth.* 8. *num.* 1. ipſum Dominum quærunt, & rogant Regulus, & Centurio. At, vt ſocrus Petri conualeſcat, Dominus ad ipſam venit, eius habitaculum intrat. Mulier hæc affinis Petri, qui ardentiſſimus erat Chriſti diſcipulus, ac indiuiduus comes, & affinis eorum. Qui de te ſunt benemeriti, peculiari fauore, ac indulgentia ſunt proſequendi, ac afficiendi. Vide ſuprà *cap.* 7. *n.* 30. *&* 31. *& n.* 119. Vel fortè hæc mulier, cum eſſet paupercula, non habebat, qui pro ea loqueretur ad Dominum, & ſanitatem eius ſolicitaret. Nam Petri integritas hoc recuſabat, vt dicam *quæſt.* 5. ex Abulenſi. Venit ergo Dominus in domum Petri, vt diſcipuli mulierem videntes infirmam, pro ea rogarent, ne Petri integritas ei nocumentum, ſed potiùs eſſet adiuuamen.

*Amici, & affines beneuolè ſunt fouendi.*

*Miniſtri integritas ſuis ne noceat.*

20. Iſidor. Quintò. Iſidorus Clarus in Lucam Orat. 22. *Æquius fuit, vt à Petro primum reciperetur, quia feruidior erat cæteris.* Erat in Capharnaum domus Zebedæi Ioannis, & Iacobi; & aliorum cognatorum, qui opulentiores erant Petro; & tamen non ad aliam ſe recipit Dominus, ſed in domum Petri ad hoſpitandum tendit. Petrus inter cæteros Chriſtũ eximio proſequebatur amore: ad illam ergo diuertit Chriſtus, qui ſemper amantium domos ad hoſpitandum ingreditur. Non quærit Deus apparatum domus, ſed ardorem charitatis. Quod eleganter dixit Hugo de S. Victore, de laudibus charitatis. *Sic familiaris eſt Deo charitas,* ait, *vt ipſe manſionem habere nolit, vbi charitas non fuerit. Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

*Qui magis amat, honoretur magis.*

Hugo.

21. Cyrill. Sextò D. Cyrillus in Catena aurea. *Aſpiciebat autem quomodo manet penes virum inopem Chriſtus, qui ſpontanea voluntate paupertatem pro nobis paſſus eſt, vt diſcamus cum pauperibus conuerſari, nec ſpernere depreſſos, & pauperes.* Pauper, & contemptibilis erat domus Petri; ad illam diuertit Dominus, & non ad palatia alicuius locupletis; quia non dedignatur in paupere tugurio habitare, qui pauperes ſummè æſtimat, & diligit. Septimò Abulenſis *in cap.* 8. *Matth. q.* 42. ait: *Venit in domum Petri, vt per hoc euitaret calumniam.* Nam Phariſæi, & maleuoli calumniabantur Chriſto, quòd comederet, & biberet cum publicanis, & peccatoribus, *Matth.* 9. *n.* 11. Et maligna lingua dicebant eum voracem, & potorem vini, *Matth.* 11. *n.* 19. In domo autem Petri, cùm pauper eſſet, non poterat habere cibaria exquiſita. Et ita non poterat quiſquam calumniari Chriſto. Vt habeamus exemplum, quòd quanuis probi ſimus, quantum fieri poteſt, anſa calumniæ eſt euitanda. Octauò. Surgens de Synagoga venit in domum Petri, quæ Eccleſiam Catholicam ſignificat; quia derelicta Iudæa ad Eccleſiam Catholicam venit Chriſtus, vbi habitat vſque ad finem ſæcuii, vt dixi in expoſitione.

*Pauperes honorandi.*

Abulenſ.

*Calumnia euitanda.*

22. Chryſoſt. Nonò. D. Chryſoſtomus homil. 28. in Matth. *Cuius rei gratia,* ait, *domum Petri Dominus petiit? Mihi quidem videtur, vt cibum aſſumat. Non enim ignoramus diſcipulorum diuerſorium illud eſſe: nam ad Matthæum diuertit, quando eum vocauit. Quod faciebat, vt hoc ab eo affecti honore diligentiores ad omnia fierent* Non ad alium quempiam, ſed ad domum Petri tendit Dominus, vt tanto honore, quo à Chriſto afficiebatur, animoſior redderetur in Chriſti diſcipulatu, ac ſequela, & in vendicandis laboribus pro eius amore. Deinde, quia Dominus honorantes ſe honorat: Petrus pro honorando, ac ſequendo Chriſto omnia ſua reliquerat; Chriſtus quoque pro Petro honorando omnes alias Capharnaum domos dimittit, & illius inuiſitat. Hæc obiter. Tamen Abulenſis *citata q.* 42. perſiſtit in ratione Chryſoſtomi, quòd Dominus honorat ſuos diſcipulos, vt tali honore animoſiores reddantur in offerendis laboribus, & obſeruandis præceptis: nam dignitas, & honor datus maximè confortat animum ad quæque difficilia vincenda.

*Honor animoſiores homines reddit.*

Abulenſ.

23. Mandat Deus Moyſi, vt pergat ad Pharaonem, & loquatur pro dimittendo Populo: à quo officio, iniunctaque legatione, non ſolùm ſemel, & iterum, ſed & tertiò ſe excuſat Moyſes. Deus verò inſtanter illi præcipit, vt vadat ad Pharaonem; & in maiorem confirmationem multa ante conſpectum eius miracula fiunt: nam virga proiecta vertitur in colubrum; & per caudam apprehenſa ad ſuam iterum redit naturam: manus miſſa in ſinum prodiit leproſa; & retracta, ſimilis eſt iterum alteri carni, *Exod.* 4. *à n.* 3. Et tamen Moyſes inſtanter ſe adhuc excuſat. *En incircuncißis labijs ego ſum, quomodo audiet me Pharao,* Exod. 6. num. 30. Et ait Deus ad Moyſem. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Aaron frater tuus erit Propheta tuus; tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi,* Exod. 7. num. 1. Et ſtatim ſequitur: *Fecit Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat Dominus,* ibidem num. 6. Sed quomodo Moyſes tot Domini legibus, ac præceptis aſtrictus, tot viſis miraculis, adhuc ſe excuſat, & munus à ſe dimittere nititur; & tamen vbi audiuit ſe eſſe vice Deum Pharaonis, abſque vlla dilatione mandata exequitur; ad Pharaonem tendit? Quòd eſſet Deus Pharaonis conſtitutus, magna dignitas, eximius honor erat, vt ponderat Chryſoſtomus, Rupertus *ad citatum locum.* Quanuis tot præcepta, atque miracula

Exod. 5.

Exod. 7.

Chryſoſt. Rupert.

vim maximam inferrent, vt Propheta legationem, ſibi datam, Regi exponeret; tamen adhuc onus recuſabat: vbi autem in tanta eſt dignitate conſtitutus, maximè fuit corroboratus, atque impulſus animus eius, vt cunctaretur nihil, ſed omnia obiret mandata. Accipe patronum Caietanum. *Vide*, ait *dedi te Deum Pharaonis. Excuſauerat ſe Moyſes ab officio legationis proſequendæ, quòd Pharao non eſſet eum auditurus. Reſpondet Deus: Attende, & perpende, in quali, quantoque gradu conſtitui te, nam dedi te, vt officio Dei fungaris erga Pharaonem. Magnanimus eſto, quia loco mei conſtitui te relatiuè ad Pharaonem: fecitque Moyſes, ſicut præceperat illi Deus.*

*Cùm honore animus creſcit.*

23. Gen. 9. Peracto diluuio ait Deus ad Noë: *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, quod non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam omnem carnem. Hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & vos* &c. Gen. 9. à n. 9. Valde dignum ſanè conſideratione eſt, quòd Deus cum homine velit inire contractum, & inſuper addat ſignum fœderis. Nónne ſufficiebat diuina promiſſio? Ad quid inſuper huiuſmodi ſignum? D. Chryſoſtomus homil. 28. *Vide*, ait, *quanto honore iuſtum dignatur, itaut cum eo paciſcatur, quaſi homo homini loquens.* Non agit cum Noë, & eius ſobole, vt Deus cum creaturis, Dominus cum ſeruis; ſed vt homo homini loquens, vt tanto honore, ac fauore inſignitus homo deuictus haberetur, & inuictus ad difficilia ſuperanda. Nam dignitas extollit hominem, animum ſubleuat, vt fortiorem reddat. Cum honore creſcit animus, & vires maximè augentur, vt ita homo tanto honore præuentus Dei mandatis obediret, ab illiſque non recederet, vt ante diluuium fecerat,

Chryſoſt.

*Beneficia animum deuincunt, vt ſit inuictus.*

## QVÆSTIO IV.

*Quare cùm multoties Chriſtus, & Petrus eſſent in Capharnaum; tamen modò dicitur, quòd ingreſſi ſunt in domum, in qua iacebat ſocrus Petri?*

25. MVLTI ſunt loci in ſacro textu, quibus dicitur, quòd Chrtſtus, & Petrus erant in Capharnaum, *Matth.* 17. *num.* 23. *Marc.* 2. *num.* 1. & 9. *num.* 32. *Luc.* 7. *num.* 1. & 10. *num.* 15. *Ioan.* 4. *num.* 46. & 6. *num.* 17. & paſſim alibi: nunquam tamen dicitur, quòd Petrus veniſſet in habitaculum, in quo erat ſua ſocrus; nam quamuis illa domus antea fuerit Petri, iam modò non erat, cùm ille reliquiſſet omnia, & ſuæ ſocrui eſſent tradita. Cur ergo ſolùm in hac occaſione dicitur ingreſſus in illam domum? Ratio litteralis, & germana, eſt manifeſta. Hic aduentus Chriſti cum ſuis diſcipulis commemoratur, quia narraturus erat Euangeliſta miraculum, quod tibi Dominus eſt operatus. Moralem rationem inquiro.

26. Myſticè reſpondeo. Petrus Eccleſiaſticus erat; & nunquam recipitur in domum ſuæ affinis, niſi quando ipſa ægritudine, febrique vexatur: quia valde conſuetum eſt, vt Eccleſiaſtici, ac Religioſi non inueniant aditum, nec oſtium apertum in domo conſanguineorum, niſi quando ipſi laboribus, ac ærumnis vrgentur, ac opprimuntur: quando enim periucundè, ac feliciter degunt, Religioſorum minimè recordantur; at in ſuis aduerſitatibus ad eos maximè confugiunt.

*Cõſanguinei Eccleſiaſticis in ſuis tantũ laboribus præbent ingreſſum,*

27. Felix nuntius fuit Ahias Ieroboamo, ei enim prædixit, quòd eſſet regnaturus in Iſraël, 3. *Reg.* 11. *num.* 29. Poſtea verò, multis annis elapſis, cùm regni ſolium ipſe teneret, eiuſque ægrotaret filius, *Dixit Ioroboam vxori ſuæ: Surge, & vade in Silo, vbi eſt Ahias Propheta, qui locutus eſt mihi, quòd regnaturus eſſem ſuper populum hunc, ipſe indicabit tibi, quid euenturum ſit puero huic*, 3. Reg. 14. à num. 2. Præclarus nuntius fuit Ahias Regi Ieroboamo; & tamen, cùm tam auguſta dixiſſet, nunquam ei in memoriam venit Propheta, niſi modò; & nullum alium ad eum tranſmittit legatum, niſi vxorem ſuam, quæ, vt placet Pagnino in Iſagoge, eiuſdem erat Tribus cum Propheta, cumque tanta eſſet affinitas, nunquam, niſi modò pergit ad eum. Quænam huius rei ratio? Innuitur in textu: *ægrotauit filius eius.* Quandiu enim Ieroboam, eiuſque vxor proſperè regnabant, tangebanturque moleſtia nulla, eorum mentem nulla Prophetæ recordatio tetigit. At, cùm ægritudo dilectiſſimi filij eos inuaſit, illaque vehementer anxiebantur, ſtatim Prophetam quærunt, & pro conditione mundialium ad ipſum pergunt, vt aliquod ab ipſo leuamen conſequi valeant.

3. Reg. 14.

Pagnin.

*Mundani in ſuis tantùm preſſuris de Eccleſiaſticis recordantur.*

## QVÆSTIO V.

*Quare Petrus non roget Chriſtum, vt veniat in domum ad ſanandam laborantem ſocrum?*

28. LABORABAT ſocrus Petri: & tamen ipſe nõ rogat Dominum, vt veniat in domũ, & ſocrui ſuæ ſalutem impendat. Reſpõdet primò Abulenſis *ad c.* 8. *Matt. q.* 43. Dici poteſt quòd fortè tunc nouiter ægrotauerat; & ideo nõ priùs ei dixerũt de illa. Sed hæc ſolutio mihi videtur non multum efficax; quia exiſtimo, quòd mulier per multũ temporis laboraret, quod maximè conducebat ad miraculi euidentiam.

Abulenſ.

29. Optimè, & eleganter reſpondet Chryſoſtomus homil. 28. *Tu autem*, ait, *etiam hîc ſummam Petri in Chriſtum reuerentiam conſidera: nam, cùm ſocrus ſua domi iaceret, caloreque febris arderet, non traxit eum in domum; ſed expectauit, quouſque prædicationem abſolueret, cæteroſque omnes, qui tunc ad eum confugerant, curaſſet? & demum, cùm intraſſet, ipſum rogauit. Sic enim ſtatim ab ipſis initiis, aliorum commoda, ſuis vt præponeret, inſtitutus erat. Petiit autem domum eius, non ab eo vocatus, ſed ſponte, atque à ſe ipſo, vt qui à Centuriore audierant, Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Duas huius quæſtionis rationes S. Doctor nobis inculcat. Prima, quòd Petrus ob humilitatem non eſt auſus Dominum inuitare, vt in affinis domum deſcenderet, nam à Centurione audierat, vt ait S. Pater: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Et ideo quòd alius, cum ſe exiſtimaret indignum, recuſabat, Petri modeſtia non præſumit.

Chryſoſt.

*Petrus ob humilitatẽ ad domum Chriſtum non inuitat.*



mit. *Tu autem ſummam Petri in Chriſtum reuerentiam conſidera.* Secundò Petrus iam magnus factus, & in exemplum Prælatorum datus, non impediuit aliorum curationes, quæ à Domino fiebant, nec è Synagoga ipſum ſuæ affinis traxit in domum, ſed expectauit, doctrinam compleri, alioſque curari: ab exordio enim erudiebatur, quæ aliorum erant, ſibi ipſi præponere. Quocirca nec ipſe eum inducit, ſed Chriſtus ſponte adiuit. Cùm enim Petrus futurus eſſet Prælatus, iam non ad propria, ſed ad ſubditorum tantùm commoditates attendebat. M. Tullius orat. pro Flacco, *Non debuit, cùm prætor eſſet, ſuum negotium agere.* De hac re vide multa in Indice verb. *Prælatus*, tam in hoc tomo, quàm in primo.

*Prælatus non ad ſua, ſed ad ſubditorũ cõmoditates attendat.*

Tullius.

30 Tertiò. Petrus valde familiaris, ac amicus Chriſti Domini erat, & ab eo maximè dilectus, vt rectè ponderat D. Chryſoſtomus *homil.* 30. *in Ioan.* Et cùm talis, ac tantus eſſet, eiuſque preces, ac rogationes magnæ erga Chriſtum potentiæ, & efficaciæ eſſent: non tamen petit, vt ad ſanandum ſocrum ſuam è Synagoga diſcedat, in qua multos docebat, atque curabat, vt patet ex textu. *Ab ipſis initiis*, ait Chryſoſtomus, *aliorum commoda ſuis vt præponeret, inſtitutus erat.* Ex habitu magna iam Petrus Chriſtus diuinitatis guſtabat. Et decreuit, vt ita ſuæ ſocrus ſanitatis peragere-tur negotium, vt non ad ſuæ intimæ cum Chriſto familiaritatis valorem, atque potentiam, ſed potiùs ad totius populi commoditatem, omniumque vtilitatem ipſe reſpiceret. Diſcant principes, & magnates in diſponendis negotiis, potius ſubditis attendere, quàm ſuæ poteſtati, eximiæque potentiæ.

Chryſoſt.

*Aulicus intimus res non diſponat ſecundùm potentiam, ſed ſecũdùm reipublicæ bonũ.*

31 Matth. 26. Ad ingreſſum ſuæ paſſionis exorabat Chriſtus in horto: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*, Matth. 26. num. 39. Duæ declarantur in Chriſto voluntates, vt in ſexta Synodo generali probatum eſt; vna diuina, altera humana. Quæ humana erat, ſecundùm ſuam portionem inferiorem, prout agebat partes fragilitatis humanæ, diuinam poteſtatem attendebat, & exorabat, vt Deus ſua potentia vteretur: *Pater, ſi poſſibile eſt.* At voluntas diuina, ob ſuam infinitam bonitatem, potentiam non applicabat; ſed ad ea reſpicit, & attendit, quæ ad redemptionem humani generis, atque ad ſalutem noſtram pertinebant: nam ſicut fragilitatis humanæ eſt, potentiæ media procurare; ita diuinæ celſitudinis, potentia dimiſſa, ſaluti creaturarum ſuarum conſulere, ac condeſcendere. Perbellè D. Leo ſerm. 5. de Paſſione. *Prima petitio*, ait, *infirmitatis eſt, ſecunda virtutis. Illud optauit ex noſtro; hoc elegit ex proprio. Et vt ſuſcipientis, ſuſceptæque naturæ eſſet manifeſta diſtinctio, quod erat hominis, diuinam deſiderauit potentiam; quod erat Dei, ad cauſam reſpexit humanam.*

*Diuinitas attenta ad creaturarum commoditates.*

Leo.

32 Grammatic. Chriſtianus verò Grammaticus, & alij auctores tenent, quòd Petrus pro ſocru laboranti rogauerit ad Dominum. Sed ex hoc quædam exoritur dubitatio. Hæc mulier per multum temporis ægrotauerat, vt dixi in principio quæſtionis; & bene colligitur ex illis verbis, *tenebatur magnis febribus.* Cur ergo Petrus non antea rogat pro ſocru febricitante, ſed modò? Imò probabile eſt, quòd multi ex Apoſtolis agnouerint de infirmitate affinis Petri, cùm eſſent ex eadem ciuitate, intimamque cum Petro amicitiam haberent. Cur ergo modò Petrus doloribus infirmitatis ſuæ ſocrus tangitur, & non antea, vt pro ea interpellet? Moraliter dicam Apoſtoli tunc erant incipientes, & adhuc in culmine perfectionis non erant. Et decreuerat Petrus in hoc euentu, Dominum in illa domo ſua recipere; ad debitum autem hoſpitium, ac obſequium magiſtri, & diſcipulorum, miniſterio ſocrus indigebat; ideo modò pro ea deprecatur cum cæteris Apoſtolis. Victor Antiochenus in cap. 1. Marc. *Sumendi cibi cauſa*, ait, *ad diſcipuli domum diuertit: verùm, quæ illis miniſtratura erat, febribus detinebatur; ſtatimque diſcipuli eadem de re illum certiorem faciunt, ſiquidem certum de illius virtute experimentum habebant.* Petrus tunc pro ea deprecatur neceſſitate compulſus, cùm indigeret, vt ſocrus ſurgeret, & miniſtraret, ac obſequij munus præſtaret, quod ipſi Petro incumbebat perſoluere, vt notat D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Sola anus*, ait, *diu vexata febribus hoc faceret magiſtro, quod diſcipulus, cuius domus fuiſſe dicitur, facere debuerat.*

*Conſanguinei neceſſitatibus ſuorum tangũtur ſolùm, quando eis indigent.*

Antioch.

Paſchaſ.

*Lucæ* 6. *n.* 39. Et ſtans ſuper illam imperauit febri: & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat illis.

### VERSIONES.

*Syriacus.* Adſtans itaque ſuper eam, obiurgauit febrem, & dimiſit eam, ſtatimque ipſa ſurrexit.

*Græcus, Vatabl.* Adſtans ſuper eam, increpauit febrem, & febris dimiſit eam.

*Sà ex Græco.* Adſtans illi.

*D. Ambroſius lib. de viduis.* Imperauit febri, & remiſit illam.

### ALTER TEXTVS.

*Matth.* 8. *n.* 15. Et tetigit manum eius, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

*Marc.* 1. *n.* 31. Et accedens eleuauit eam apprehenſa manu eius, & continuò dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis.

## EXPOSITIO.

MANIFESTATVR hîc eximia Chriſti pietas, magnificentia, poteſtas, ac præclara eius operatio. Pietas; eleganter D. Ambroſius *lib. de viduis*, loquens hîc de Chriſto: *Quaſi Deus imperat*, ait, *& quaſi homo viſitat.* Meus Ieſus in his, quæ ad ipſum ſpectabant, vt homo ſe agebat; in illis verò, quæ noſtrum commodum reſpiciebant, vt Deus, atque ſupremus Dominus ſe exhibebat. Vt homo, viſitat mulierem, 33

Ambroſ.

*Chriſtus erga ſe vt homo, erga nos vt Deus ſe habet.*

rem, ad ibi hoſpitandum, & prandendum. Vt Deus, ipſam ſanat, & à morbo liberat. Vide ſuprà *cap. 5. num. 98.* Magnificentia Domini reſplendet. Ingreſſus eſt Chriſtus, vt parum panis comederet; & ante hoc tenue obſequium, anticipatè largum ſanitatis beneficium mulieri concedit. Ecce Chriſti poteſtas. Oſtendit ſe Dominus in hoc facto, vt pius, & potens; vt pius voluit rogari à ſuis, vt potens, imperat febri. Valde decens, vt potentia ſit vnita cum pietate. *Stans ſuper illam*, hoc eſt, adſtans illi, ſeu imminens illi. Et ita explicatur geſtus, ac habitus Chriſti inclinantis ſe inflexo corpore ad infirmam; nec enim manus iacentis tangi, nec apprehendi potuit, quin Dominus ſe inclinaret: quia vt deiectus erigatur, conueniens eſt, vt maieſtas inclinetur. *Et imperauit febri.* Non vtitur precibus, vt ſimplex Propheta, aut purus homo reputetur, vt ait Toletus; ſed imperio, vt Deus credatur. *Et extendit manum, ac ægram erexit, & eleuauit.* Aliqui Codices habent: *Increpauit febri*; hoc eſt, magna auctoritate præcepit, vt celeriter abiret. Nam quanuis verbum Græcum grauidum ſit ſenſibus, tamen, vt ait Euthymius, *Non eſt hîc propriè, increpauit, ſed præcepit.* Et vbi adfuit diuinum imperium, ſtatim febris eam reliquit. Ecce præclara Chriſti operatio. *Imperauit verbo febri, apprehenſa manu eius.* Per quod inſtruimur, quòd cum verbis coniungenda ſint opera.

*Rex habeat ſe, vt pius, & potens.*

*Vt deiectus erigatur, inclinet ſe excelſus.*

Tolet.

Euthym.

34. Bona vidua manifeſtatur in hoc euentu, vt ſedula, ſancta, prudens, grata, ac timens Deum. Mulieris diligentia, vt ſancta eſt, continuò, & ſine vlla cunctatione ſurrexit, miniſtrabat tanquam bona matrona. Et tales, vt ait D. Bonauentura, merentur diuinum beneficium. Et ita dixit puer Eliſæi Sunamitidi, 4. Reg. 4. num. 13. *Ecce ſedulò in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis, vt faciam tibi.* Mulier perfectè ſanata, *continuò ſurgens miniſtrabat illis*, quia, vt ait Theophylactus, Bonauentura, infirmitatis nullæ remanſerunt reliquiæ; quia ſtatim facta eſt potens ad motum, ac ad obſequium. Prudens continuò ſurrexit. Sine vlla mora ſurgat homo à lectulo infirmitatis peccati. Vt grata *miniſtrabat illis.* Simon Caſſianus *lib. 5. cap. 9.* miniſtrabat illis, ſcilicet, *Chriſto ſanatori eius, & ſanctis Apoſtolis interceſſoribus eius.* Ecce mulier vt timens Deum. Dicitur de Chriſto, *ſtans ſuper illam*; hoc eſt, vt dixi, imminens illi, ſeu ſtans ſuperior illi, quia, vt ait Hugo, neminem ſanat Dominus, niſi ſtet ſuper eum, id eſt, niſi timentem ſe; hoc eſt, nemo ſanatur, niſi conſideret Dominum ſibi ſuperiorem, & eum timeat, Malach. 4. num. 2. *Orietur vobis, timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.*

*Diligentia meretur diuinum beneficium.*

4. Reg. 4.

Theophyl.
Bonauent.

Caſſian.

*Animus gratus ſuo benefactori.*

Hugo.

Malach. 4.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Quare Dominus porrecta manu erigat ſocrum Petri?*

35. CVM rogaretur Dominus à ſuis diſcipulis, vt fœminæ daret ſanitatem; ad lectulum acceſſit, & mulieris manum tetigit, vt Matthæus ſcribit; & vt Marcus ait, *apprehenſa manu eleuauit eam* Et ſimul verbo increpauit, ſeu imperauit febri, vt celeriter diſcederet, & abiret. Cur Dominus hîc extendit manum ad ſanandam mulierem?

Prima ſolutio, & germana eſt. Potuit Domi- 36.
nus hanc mulierem abſentem ſanare; voluit tamen in hoc miracluo ei ſe præſentiſſimum declarare, & ideo acceſſit ad lectulum, vt indicat verbum, ſtans ſuper illam; deinde tangit manum, vt fidem mulieris maximè conciliaret; nam audito imperio Chriſti ad febrim, & apprehenſa manu eius, non poterat mulier ignorare, ſe virtute Chriſti ſanatam eſſe. Nam adeò ingratus eſt homo, vt ſæpè multa media requirantur, vt Deum cognoſcat auctorem in ſuis beneficiis. Sic leproſum, in quo maximè peccator figuratur in Scriptura, manu tacta, curauit à lepra, *Matth. 8. n. 2.* vt vidimus ſuprà *cap. 20.* Inquit verò D. Cyrillus, quòd eam manu tangit, ad indicandam ſuæ carnis efficientiam, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

*Adeò ingratus eſt homo, vt multa media requirãtur, vt Deum cognoſcat benefactorem.*

Cyrill.

Secundò reſpondet Chryſoſtomus homil. 28. 37.
in Matth. *Aliquando*, ait, *verbis ſolis affert curationem, nunc verò manus porrectione febricitantem ſanauit. Nonnunquam autem vtriſque vtitur, vt multis modis præ oculis curatio adducatur. Nam, cùm adhuc, deitatis ſuæ myſterium latere multos, commodiùs fuerit, ac præcipuè diſcipulos, ne præ gaudio clamaſſent, ideo nolebat, ſemper humanæ curationis modum excedere.* Aliquos curat Dominus ſolis verbis, alios tactu ſuæ ſanctiſſimæ carnis, & alios vtriuſque modo. Cùm enim ſit Deus omnipotens, variis, & multis modis operatur. Et etiam in dando præclaro ſanitatis beneficio quandam varietatem retinere voluit. Deinde hic ad mulierem manum extendit. Valde conſuetum eſt, vt ſi quis, iacentem erigi, velit, manum ei porrigat. Et quia Chriſtus, vt ait Chryſoſtomus citatus: *Nolebat ſemper humanæ curationis modum excedere*; tum, vt quantum fieri poſſet, occultaretur miraculum, vt intendit Chryſoſtomus *citatus*; tum etiam, quia in miraculis perpetrandis ad conſuetum curationis modum voluit condeſcendere. Adeò enim Chriſtus deteſtatur ſingularia, & extraordinaria, vt etiam in miraculis operandis, quantum fas eſt, ad communes vias proportionetur. Et ideo bene ait Hugo in cap. 8. Matth. *Tangit manum, & non caput, quia ipſam eleuare volebat.* Vide ſuprà *cap. 5. num. 40. & lib. 2. cap. 4. num. 33. & lib. 3. cap. 2. num. 50. & 51.*

Chryſoſt.

*Extraordinaria, & ſingularia fugienda.*

Tertiò D. Petrus Chryſologus ſerm. 18. *Quæ*
*neceſſitas*, ait, *tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? Sed Chriſtus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem, vt quòd manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris; vt acciperet indulgentiam manus, quæ carpſerat de morte ſententiam.* Similiter D. Paſchaſius *lib. 5. in Matth.* Cœleſtis medicus ibi adhibet medicinam, vnde origo infirmitatis habuit exordium. Et quia, dum mulier manus extendit ad vetita, ac viro ſuo dedit; morbus tunc habuit ingreſſum: ideo manus auctoris manus mulieris primò tangit, & primò ſanare intendit. Quartò. Primus Rex, ac Præſul extitit Adamus; in cuius domum per accipientis manus malum, ac culpa inuenit ingreſſum; & inde tota reſpublica generis humani collapſa eſt. Cùm autem Petrus eſſet primus Præſul Eccleſiæ Catholicæ, in eius domo id, quod Dominus primò intendit ſanare, eſt manus accipientis, vt cùm ibi nihil ſit munere corruptum, omnia exiſtant integra, ſolida, & permanentia. D. Paſchaſius citatus. *Sic omnia Saluatoris concinunt opera. Iuſtum quippe erat, vt*

38.
Chryſolog.

Paſchaſ.

*Origo morbi curanda.*

*Domus iudicis à muneribus ſit aliena.*

Paſchaſ.

quod



*quòd manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris; & indulgentiam reciperet, quæ intulerat mortem.*

39. Quintò. Chriſtianus Grammaticus cap. 18. de ſocru Petri. *Quia*, ait, *duo diſcipuli ſui dilecti pro ea rogabant, & verbo febrem fugauit, & manum ſurgenti porrexit.* Non ſolùm verbo ſanat Dominus, vel ſolo tactu fugat malum; ſed vtroque ſimul; quia, vt vult ipſe, duo dilectiſſimi diſcipuli, ſcilicet Petrus, & Andreas rogabant pro ea. Et vbi ſpecialis familiaritas aduocatorum interuenerat, particularis Domini fauor fuit explicandus; cùm valde æquum ſit, vt illi, qui de te ſunt benemeriti, ſingularem benignitatem, ac fauorem, ſine iuſtitiæ tamen læſione, recipiant. D. Thom. *Quærit Chryſoſtomus*, ait, *quare curauit ſeruum Centurionis ſolo verbo, iſtam verò tactu? Et reſpondet, propter familiaritatem, & in hoc magis oſtendebat ſuam humilitatem, & ideo tactu auxilium dedit*, Pſalm. 72. num. 24. *Tenuiſti manum dexteram meam.*

Grammat.

*Familiares, & amici ſpeciali fauore proſequendi.*

D. Thom.
Pſalm 72.

40. Sextò: Arteriarum pulſus, morbum, aut ſanitatem corporis indicans, ad collum, ac radices manuum ſe prodit: manum febricitantis tangit Dominus, vt ipſa integra ſanitatem valeat recuperare. Vbi enim cognitio propriæ infirmitatis manifeſtatur, ac apparet, illuc ſtatim diuina manus aduolat ad medicamen præſtandum. Non caput, non oculos, non os infirmæ tangit Dominus, ſed manum, in qua pulſans cor propriæ infirmitatis cognitionem dat: ſemper enim cognitio noſtrorum malorum manum omnipotentis Dei ſolicitat ad medicamen. Vide ſupra *cap. 5. num. 64. 65. & 66. & cap. 3. num. 182.*

*Cognitio infirmitatis diuinam manũ ſolicitat ad miſerendum.*

41. Septimò. Cum ſuis diſcipulis in naui per mare nauigat Dominus: exoritur magna tempeſtas, itaut nauicula operiretur fluctibus, rogantibus diſcipulis, *imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna*, Matth. 8. num. 26. At in hoc euentu pro infirma deprecantibus Apoſtolis, non ſolùm imperauit febri, ſed etiam manum applicat, tangit infirmam, & eam apprehenſam eleuat. Cur ergo in tempeſtate maris, commotione fluctuum, inæqualitate aëris, ſæuientibus ventis, Dominus tantùm imperat, & facta eſt tranquillitas: at hîc iubet, & ſimul manum mouet? Vt ait hîc Ambroſius lib. 4. in Luc. *Febris noſtra, luxuria eſt; febris noſtra, ambitio eſt; Febris noſtra, iracundia eſt.* In tempeſtate maris deſignatur bellum, quod ab elementis, ab hoſtibus exteriùs in nos commouetur. At in hac febri mulieris appetitus luxuriæ, ambitionis, & iræ ſe produnt. Et aduerſitas illata ab exterioribus inimicis ferociter ſæuientibus iuſſu comprimitur, & ſedatur. At vt pugna quæ à noſtriſmet appetitibus interioribus exorta eſt, reprimatur, & vincatur, cùm Dei verbo eius omnipotens manus fuit coniungenda, vt tu ex hoc agnoſcas, quàm graue ſit bellum noſtrarum domeſticarum affectionum.

Matth. 8.

Ambroſ.

*Maior pugna ab appetitu noſtro, quàm ab externo hoſte.*

42. Glorioſo triumpho Amorrhæorum phalangas deuaſtauit penè vſque ad internecionem Ioſue cum ſuis ducibus, & militibus. At, cùm quinque Reges latentes in ſpelunca ſupereſſent, ait Ioſue ſuis militibus: *Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque Reges, qui ibi latitant; percuſſitque Ioſue, & interfecit eos*, Ioſue 10. num. 22. Magna hoſtium multitudo à militibus deiecta, ac proſtrata erat. Cur etiam hi Reges ab eis non ſunt occiſi, ſed dicuntur interfecti à Ioſue? Si dicas: Quia Reges. Multi Reges cæſi ſunt ab exercitu Iſraëlitico, Sehon Rex Amorrhæorum *Num. 21. num. 26.* Og Rex Baſan, *ibid. verſ. 33.* Cur ergo hi Reges Ioſue manu enecati ſcribuntur, ac narrantur; Origenes hom. 11. in Ioſue. *Quinque Reges*, ait, *quinque ſenſus in corpore poſiti per Ieſum deuicti.* Similiter Galfridus apud Tilmannum in Allegoriis inquit: *Quinque Reges in ſpelunca, quinque ſenſus in carne humana, qui meritò Reges dicuntur, quia non niſi per illos ipſa caro regitur.* Alij aduerſarij, & Reges, erant externi hoſtes; & ideo à quolibet milite Iſraëlitico proſtrati ſunt. At hi quinque Reges præfigurabant ſenſus, & hominum appetitus, qui non poterant perimi ab alio, niſi à fortiſſimo duce ipſo Ioſue, qui ad eorum internecionem cum imperio manus adhibuit; mandauit enim ſuis militibus: *Aperite os ſpeluncæ, & adducite ad me quinque Reges.* Et in hoc facto Ioſue manus decantatur. *Percuſſitque Ioſue, & interfecit eos.*

Ioſue 10.

Origen.

Galfrid.

*Ad vincẽdos appetitus manus Ioſue explicatur.*

Pulchrum dubium mecum expende. Prolabi- 43.
tur in adulterium Dauid cum Bethſabee, in quo nimio ſopore depreſſus iacebat. Iuſſu Dei venit ad eum Propheta Nathan; & magno parabolarum velamine, verborumque longa ſerie ſuum Regi proponit delictum, vt habes 2. *Regum 12. à num. 1.* Grauiter deliquit Dauid in annumerando Populum; tamen ipſe ſuæ conſcientiæ ſtimulis eſt in ſe reuerſus. *Percuſſit autem cor Dauid eum, poſtquam numeratus eſt populus. Et dixit Dauid ad Dominum, Peccaui valdè in hoc facto*, 2. Reg. 24. n. 10, Et venit ad eum Propheta Gad, qui paucis verbis ei in ſuo ſupplicio optionem proponit, *ibid. n. 13.* Cur in adulterio ita dormiebat Dauid, vt neceſſarium fuerit excitari à Propheta? At in annumeratione Populi ſua conſcientia pungitur, & in ſe reuertitur? Cur lata figura in explicando adulterium, tot verba proponuntur ad mouendum, diſponendumque cor Regis, at in annumeratione Populi nil horum exigitur, at cor ſuum eum momordit; In adulterio appetitus captiuauit Regem: at in numeratione Populi vide quod ait Scriptura 1. Paralip. c. 21. num. 1. *Conſurrexit autem Satan contra Iſraël, & concitauit Dauidem, vt numeraret populum.* In regni computatione externus aduerſarius, nempe Diabolus, bellum excitauit, & mouit: at in adulterio ab ipſiuſmet appetitu tota erat pugna. Et quando bellum ab aduerſario externo peragitur, cor Dauid percuſſit eum; & ad integram ſatisfactionem pauca Prophetæ verba deſiderantur: at dum certamen ab interno appetitu commouetur, parabolæ, figuræ, & multa Prophetæ verba, ac alta diſpoſitio interueniunt Tantum per omnem modum exigitur ad tam crudelem aduerſarium eradicandum. Vnde ait D. Dorotheus Abbas de Abrenunciatione. *Diabolus circuit, quærit, quem deuoret, latrare poteſt, mordere non poteſt, niſi volentem. At in me ipſo eſt voluntas impellens, quæ, ſi fuerit deuicta, mordet, lacerat, & enecat.* Ferè ſimiliter D. Auguſtinus *ſerm. 197. de tempore.*

2. Reg. 24.

1. Par. 21.

*Plura requiruntur ad vincẽdos noſtros appetitus, quàm ad externos hoſtes debellandos.*

Doroth.

Auguſt.

QVÆSTIO

## Qvæstio VII.

### *Quare ipſamet Petri ſocrus ſurgens miniſtret?*

44. Chryſoſt. Hieron. *Dona Dei ſunt perfecta.* Paſchaſ.

PRIMA, & communis omnium ratio litteralis, vt mulier ſanata oſtenderetur. Nam, vt docent D. Chryſoſtomus *homil.* 28. *in Matth.* D. Hieronymus, & alij *hîc.* Corpora dimiſſa à febri, adhuc poſt aliquale tempus langueſcunt, & ſunt debilia, & tenues vires apparent. At mulier Dei beneficio indilatè integram ſanitatem recuperauit, cùm beneficia Dei ſint perfecta, & abſoluta. D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Contra conſuetudinem*, inquit, *febricitantium, quia ſolent, incipiente ſanitate laſſeſcere, & ægritudinis ſentire moleſtiam; ſed ſanitas quæ Domini confertur imperio, tota ſimul redit.* Et poſt pauca addidit: *Quia vbi virtus curat, nullum reſidere debet veſtigium infirmitatis.*

45. Idem. *Membra, quæ ſeruierunt iniquitati, ſeruiant iuſtitiæ.* Chryſolog.

Secundò idemmet D. Paſchaſius aliter reſpondet. *Domus Petri non abſque myſtica, vt credo, ſignificatione commemoratur. Ita huius obſequium, quòd, ſi non ob aliud, tropologicè ſaltem ad demonſtrandum, ſecundùm Apoſtolum, vt membra, quæ ſeruierunt iniquitati ad iniquitatem, fructificent, & ſeruiant iuſtitiæ in ſanctificationem.* Non aliquis amicus, non vicinus, non propinquus, non famulus miniſtrat; ſed ipſamet fœmina, quæ iacuerat; vt membra, quæ ſeruierant febri vitiorum, ac peccatorum famularent etiam iuſtitiæ, ac virtuti, vt ita mundarentur, ac ſanctificarentur: nec enim validiora, ac robuſtiora debent eſſe membra ad ſupportandam grauitatem peccati, quàm ad præſtandum iuſtitiæ obſequium. Vnde eleganter ait Chryſologus ſerm. 18 *Vidit*, ait, *decumbentem ſub ſuorum ſarcina peccatorum, vti is ad phreneſim vſque febrientem; & tenuit manum eius, & ſurrexit, & miniſtrauit. Hinc eſt, quòd erecta eſt, quæ iacebat, & miniſtrat Chriſto, dum ſanctificat manus ſuas modò operibus bonis, quas antea malis operibus polluebat,* Vnde maximè arguendi ſunt, qui, cùm ſe habeant, vt valde robuſti in itinere perditionis; ad ſanctificandas animas ſuas iudicio medicorum, vt ægri, ac febricitantes torpeſcunt.

46. Ambroſius. *Sacerdos purus à peccatis.*

Tertiò D. Ambroſius lib. de viduis. *Poteſt etiam hoc loco*, ait, *videri Petri ſocrus, affectio voluntatis, ex qua ſibi velut ſemen futuræ poſteritatis aſſumpſerat. Simul, qualis eſſe debeat, quæ Chriſto miniſtrat, oſtenditur. Oportet eam primò carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis, animique languorem, vt corpus, & ſanguinem Chriſti miniſtret. Neque enim poteſt quiſquam peccatis ſuis æger, miniméque ſanus, immortalium ſanitatum remedia miniſtrare. Vide quid agas Sacerdos, nec febrienti manu corpus Chriſti attingas. Priùs cura, vt miniſtrare poſſis.* Deuenit Dominus ad domum Petri, vt ibi hoſpitetur. Et ſtatim Apoſtoli ad primum ingreſſum pro ſocru Simonis laboranti rogant. Cur non præmittunt Apoſtoli, vt mulier ægra diſponat neceſſaria, porrigat panem Chriſto diſcumbenti ad menſam cum ſuis diſcipulis: & facto mulieris obſequio, tunc videbatur opportuna occaſio, vt pro muliere loquerentur, vt Dominus petita facilè condonaret. O diuinum Apoſtolicum ingenium! Calluit enim, quòd manus febricitans in cœleſti Chriſti menſa adminiſtrare non poterat: & ideo opus erat, vt mulier eſſet prius ſana, ab omnique ægritudine libera, quàm tali mēſæ aſſiſteret, eique porrigeret panem. Audiant hæc Sacerdotes, quorum manus in cœli conuiuio miniſterium exhibent, nulla ſit manus febricitans, ſed omnia ſint pura, & munda. Quod confirmat *citatus* D. Ambroſius. *Si mundos eos, qui ante fuerant leproſi, Chriſtus iubet occurrere Sacerdotibus*, Luc. 17. num. 14. *Quanto magis mundum ipſum conuenit eſſe Sacerdotem?*

Ambroſ. Luc. 27.

47. Ambroſ. Ad Epheſ. 5. *Miniſtrorum Chriſti eſt ſurgere.* Hieron. Ezech. 18.

Quartò idem Ambroſius citato loco. *Et bene Petri ſocrus ſurrexit, ſacramenti enim typum Apoſtolica iam gratia miniſtrabat. Proprium eſt autem, ſurgere Chriſti miniſtros, iuxta quod ſcriptum eſt: Surge, qui dormis, & exarge à mortuis.* ad Epheſ. 5. num. 14. Gratia Apoſtolica ſcintillabat iam in muliere, & ideo ſurgens miniſtrat: proprium eſt enim miniſtrorum Chriſti non dormire, nec torpeſcere in peccatis, ſed huiuſmodi ſomnum excutere, & ab illis ſurgere. Vnde acutè ponderat D. Hieronymus ad citata verba Apoſtoli, quòd quaſi viuenti dicitur: *Surge, qui dormis*; & mox quaſi mortuo: *Exurge à mortuis*; quia quanuis homo per peccatum ſit mortuus, *Ezech.* 18. *num.* 20. vt viuus ſurgat, & à ſuis iniquitatibus recedat.

48. Carthuſ. *Animus gratus famulatur.* Caſſian. *Quod à Deo accepimus, in eius obſequiū præſtemus.*

Quintò Carthuſianus. *Miniſtrabat Chriſto, & commenſalibus eius tanquam grata de beneficio ſanitatis ſibi tam miraculosè collato; & valde læta eos quoque, quibus miniſtrabat, ſpectaculo lætificans tam iucundo.* Sextò, & ſatis doctè Simon Caſſianus lib. 5. cap. 9. *Non iſta*, ait, *beneficium otiosè ſuſcepit; nam recepta illico ſanitate, contulit ad agenda: conſpiciens, fore neceſſitatem, & decentiam, Chriſto pauperi, & eius collegio miniſtrare. Non expectauit de adminiſtratione præceptum, quamquam non ſine præcepto importuna febris abiiſſet. Surgens miniſtrabat illis de facultatibus, & corpore circa obſequia ſe præſtabat. Optimum in moribus eſt, acceptæ gratiæ cooperari, & omne, quod à Deo accepimus, in dedicationem conuertere creatori: ſicut iſta ſanitatem receptam in obſequium illico ſtatuit largitoris.* Inſpecta neceſſitate Collegij Apoſtolici, abſque præcepto, ſurgit mulier, & miniſtrat neceſſaria. Generoſus, ac liberalis animus ad obſequia præſtanda iuſſionem non expectat. Et optimè mulier acceptæ gratiæ cooperatur, valetudinem, ac vires, quas à Deo acceperat, totum conuertit in obſequium creatoris. Ac proinde ſurgens miniſtrat. Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 255. & 256. & *cap.* 7. *num.* 43.

49. Chryſol. *In domo Prælati non ſit famulorum turba.*

Septimò D. Petrus Chryſologus ſerm. 18. *Et Chriſtus*, inquit, *mulieris indigebat obſequio, & mulieris prouectæ ætatis, ſenectutis ſummæ filiis aggrauatæ: ſic in domo Petri non erat vernacula, non miniſter, non familiaris, non propinquus, certè non vxor, quæ matris obſequium præueniret? Et ad ſummum Petrus ipſe cauſas ſuæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc ſocrus faceret magiſtro, diſcipulus quod debebat?* In domo Petri nec erat eius vxor, quæ, vt probabiliter dixi *quæſt.* 1. adhuc viuebat; nec erat eius filia, nec propinquus, vel conſanguineus, nec famulus, nec miniſter; ſed ſolùm hæc anus, in qua iam calor ſanguinis defecerat; quia in domo Prælati nullus ſit affectus conſanguineorum, ſed omnis frigeſcat, ac remiſſus abeat: non ſit turba famulorum, vel aulicorum,



rum, ſed tantùm mulier annoſa, quæ neceſſaria obſequia Chriſto valeat miniſtrare. *In domo Petri non erat vernacula, non familiaris, non propinquus*, &c.

50. Paſchaſ. *In domo Eccleſiaſtica nō ſint priuilegiati, ſed laborent omnes.*

Octauò. Ad citata verba Chryſologi, quæ ferè eadem habet D. Paſchaſius *lib.* 5. *Matth.* Cùm magna admiratione ponderandum, quòd mulier prouectæ ætatis, grauida annis, filiis plena ſurgat, & manibus ſuis miniſtret. Cur non alius exhibet hæc obſequia, verecundiæ enim videbatur, quòd mulier tam annoſa, omni veneratione digna, omni reſpectu colenda, cui omnes, ſiue extranei, ſiue propinqui, ſummum deferebant honorem, ſurgens adſtet, miniſtret, ac veniens, & iterum rediens omnia perſoluat obſequia? O magna domus Petri, in qua nemo otio indulget, nemo exemptione gaudet, nemo communia præmittit, omnes æqualiter labori incumbunt, itaut nec veneranda ſenex otio feriatur, vel priuilegio exempta inuenitur; & quanuis vires ſint tenues, tamen ſedulè miniſtrat, ac promptè obſequia perſoluit.

51. Geneſ. 18. *Nullus ſit à labore exemptus.* Chryſoſt.

Cùm Abrahamus accepiſſet tres Angelos in hoſpitium, *feſtinauit Abraham in tarbernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericeos panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit: & tulit inde vitulum tenerrimum*, Geneſ. 18. num. 6. Familia Abrahæ valdè præpotens erat, & regia poteſtate eminebat; & ita famulis abundabat, vt breui temporis mora trecentos decem, & octo vernaculos ſuos expeditos numerauerit contra quinque Reges, quos eſt perſecutus ad eripiendum conſobrinum ſuum Lot de eorum manibus, *Geneſ.* 14. *à num.* 14. Cur ergo in tanta auctoritate, qua pollebat, in tanta ſeruorum caterua, qua erat ſtipatus, ac circundatus, ipſe ad armentum currit, & vetulæ Saræ mandat commiſcere ſimilam? Cur annoſa mulier nonaginta annorum ab huiuſmodi labore non eximitur; nec enim videbatur decens, vt matrona tam nobilis, ac ſplendida ſuis manibus panem ſub cinere coqueret, cùm hoc munus, non ad quaſcunque ancillas, ſed ad valde humiles, & abiectas ſpectet. Cur ergo ſancta anus in tanta famulorum caterua huiuſmodi labore fatigatur? Erat domus Abrahæ cunctis monaſteriorum clauſtris poſita in exemplum, in qua vnuſquiſque nec in ipſa dignitate, nec in ipſa ſenectute vacabat otio, ſed omnes communia obibant. Itaut Abrahamus præfulgens dignitate quaſi regia priuilegiatus non eſſet, nec ipſa Sara, quanuis annoſa, à labore exempta reputaretur. Chryſoſtomus hom. 31. in Gen. *Quare enim*, ait, *dic mihi, nulli famularum hoc præcipit; ſed mulieri tam prouectæ ætatis? nonaginta annorum erat: non rebellat mandato Sara. Diſcant mulieres, vt feſtinent iuuare viros in tam bonis operibus; & non erubeſcant aliquos excipiendos hoſpites propter Chriſtum illis congruum præbere miniſterium, & per ſe ipſas afferre: ſed imitentur Saram vetulam in tanta ſenectute libenter ſuſcipientem, & abſque famularum opera perficientem.*

52. Philip. 2. *Chriſtus nullius exēptionem voluit.* Bernard.

Ad Philipp. 2. num. 7. ait Paulus: *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Magiſter Gentium docet nos. Dicis, quòd Deus factus eſt homo. Cur ergo non dicis, quòd venit in ſimilitudinem hominis, ſed ad numerum pluralem conuertis ſermonem: *In ſimilitudinem hominum?* Venit Chriſtus in ſe omnis doctrinæ nobis dans formam: & ideo nullius hominis ſingularis in ſe formam adaptauit, ſeſe omnibus exæquauit. Si diceretur in ſimilitudinem hominis, ad aliquem ſingularem videretur proportionari, & aliorum conditionem excluderet. Scribatur ergo: *in ſimilitudinem hominum*; quia Chriſtus nullius gradum, nullius prærogatiuam, nullius exemptionem quæſiuit; ſed dimiſſo priuilegio, ac præeminentia ſuæ ſupremæ dignitatis, omnibus ſe adæquauit. D. Bernardus ſerm. de Paſſione Domini fer. 4. Hebdomadæ ſanctæ. *Non ſolùm*, ait, *formam ſerui accepit, vt ſubeſſet, ſed etiam ſerui, vt vapularet; & ſerui peccati, vt pœnam ſolueret, cùm pœnam non haberet. In ſimilitudinem, inquit, hominum, non hominis. Chriſtus enim in vniuerſali hominum miſeria preſſiùs, & profundiùs ſe immerſit. Ideo habitu, & omni habitu inuentus eſt vt homo: nec in eo quantum ad naturæ debitum, ſignum aliquod ſingularitatis apparuit.*

*Luc.* 4. *n.* 40. Cùm autem Sol occidiſſet omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille ſingulis manus imponens curabat eos.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Occidente verò Sole, omnes, qui habebant infirmos variis affectos morbis, adducebant illos ad eum: ipſe verò vnicuique eorum manum ſuam imponebat, eoſque ſanitati reſtituebat.

*Vatablus.* Quum autem Sol occideret, omnes, qui habebant.

*Arias.* Quotquot habebant infirmos.

### Alter Textvs.

*Matth.* 8. *n.* 16. Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes malè habentes curauit, vt impleretur quod dictum eſt per Iſaiam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit

*Marc.* 1. *n.* 32. Veſpere autem facto, cùm occidiſſet Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes.

EXPO

## EXPOSITIO.

53. QVATVOR hîc notantur ab Euangeliſta : Tempus curationis, multitudo infirmorum , varietas morborum , facilitas curationis. *Cum Sol occidiſſet*; apponitur tempus. Hæc miracula facta ſunt in die Sabbati , vt patet ex *Marc.* 1 *.num.* 21 *.& Luc.* 4 *.num.* 31 . Ideo poſt Solis occaſum adducebant infirmos , exiſtimabant enim , id operis Sabbato non licere , vt morbis vexatos afferrent , quod latiùs explicabo quæſt. ſequenti. *Omnes, qui habebant infirmos.* Explicatur per hæc multitudo ægrotantium , quæ ad Chriſtum veniebat , vt clariùs habet Arias: *Quotquot habebant infirmos.* Et tunc veniunt ad Ieſum, cùm infirmitate opprimuntur , & vexantur. Sic Nabuchodonoſor Rex in ſua infirmitate clamauit ad Dominum , & humiliauit ſe , & pœnitentiam egit, *Daniel.* 4 *.num.* 31 . Sic amici Heleodori pro eius ſalute deprecantur Oniam ſacerdotem,quem antea contemnebant, 2. Machab. 3 .n. 31 . *Infirmos variis langoribus.* Ecce diuerſitas morborum , Medicus ſalutis , nullius infirmum contemnebat , ſed cum ſumma facilitate omnes à morbo liberabat. *Singulis manus imponens curàbat eos.* In ſignum clementiæ,& benignitatis Dominus ſuper eos ponebat manus, vt ita ipſi compellerentur ſuum benefactorem agnoſcere : nam vbi primum ipſe imponebat manus,ſtatim ægroti ſanabantur. Et notat D.Bonauent. quòd *ſingulis impoſuiſſe dicitur ſine excluſione*, Pſalm. 144 .n. 16 . *Aperis tu manum tuam,& imples omne animal benedictione. Puſillum,& magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*, Sap. 6 . num. 8 . Et ideo dicitur : Curabat omnes , ſcilicet omnes ad ſe venientes: quia ſicut dicitur Ioan. 6 .n. 37 . *Eum, qui venit ad me , non eiiciam feras* ; nec mirum, nam idem Dominus omnium , diues in omnes, qui inuocant illum , R*om*. 10 . *num*, 12 . Expende, quòd omnes ægroti,ſalutis cupidi,veniunt in domum Petri , & ibi ſanantur , quia in domo Petri, hoc eſt, in Eccleſia Catholica, inuenitur Chriſtus vera ſalus. Et domus Petri, ac veri Præſulis, omnibus oppreſſis,ac laborantibus patens eſt,& manifeſta : ſecus domus principum,& Regum huius ſæculi, quarum aditus oppreſſis, & afflictis negatur. De Mardochæo dicitur Eſther 4 .num. 2 . *Eiulatu vſque ad fores palatij gradiens : non enim erat licitum,indutum ſacco aulam Regis intrare.*

Arias. 2.Machab. 3 Bonauent. Pſalm, 144. Sapient 6. Ioan. 6. *Ad domum Prælati egeni , & pauperes aditum habeant.* Eſter 4.

### QVÆSTIO VIII.

### *Quare poſt Solis occaſum adducebantur infirmi ad Chriſtum?*

54. Origen. Euthim. Theophil.

RESPONDENT primò , & germanè ad literam Origen. Euthym. *in Matth.* & Theophylactus *in primum Marci*, quòd dies ille , erat dies Sabbati , vt iam dixi in expoſitione , & in die Sabbati non erat licitum operari vſque ad occaſum Solis. Iudæi enim dies ſuos feſtos agebant à veſpera præcedentis diei , vſque ad veſperam ſequentis ; Leuitic. 24 . num. 23 . *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.* Et Iudæi adhuc rudes credebant quòd ſoluebatur Sabbatum curando hominem in eo , & de hac re ſæpe accuſabant Chriſtum , *Luc.* 13 . *num.* 14 . *& cap.* 14 . *num.* 3 . *Ioan.* 5 . *num.* 9 . Vnde iſti ſibi perſuadebant , quòd non licebat Sabbato curare,vel ſaltem adducere infirmos ad Chriſtum , & ideo eos aſportant poſt occaſum Solis , quando iam ſolemnitas Sabbati terminata erat. Rectè obſeruat Euthymius *in cap.* 8 . *Matth.* quòd popularis turba expectato Solis occaſu propter Sabbati obſeruationem morbis tunc laborantes adduxit ; diſcipuli verò ante Solis occaſum deprecati ſunt eum pro ſalute febricitantis , vtpote iam edocti eius ſacra doctrina,& didicerant ab illo,à quibus operibus abſtinere iuberet lex , quæ de Sabbati quiete ſtatuta erat ; nam Apoſtoli , vt perfecti, agebant de vera obſeruantia Sabbati ; at turba popularis ducebatur fictitia religione , vt ita zeli prætextu poſſet Chriſtum calumniare,

Leuit. 24. Euthym. *Perfecti agnoſcũt veram obſeruãtiam legis.*

Secundò Abulenſis *in Matth. cap.* 8 . *quæſt.* 47 . Quia Chriſtus Dominus ſequenti die manè receſſurus erat de vrbe Capharnaum. Et ita ait Marcus 1 .n. 35 . *Et diluculo valde ſurgens , egreſſus abiit in deſertum locum* ; & Luc. 4 . num. 42 . *Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum.* Cùm ergo Iudæi ſcirent , quòd manè receſſurus erat , antequam ab eis diſcederet, adducunt omnes infirmos ſuos, vt ab eo ſanarentur. Immò, vt rectè ait ipſe Abulenſis, ex his duabus rationibus poteſt vna cauſa totalis efformari , ob quam veſpere adducunt infirmos. Iudæi nolebant eos afferre in die Sabbati , ideo ægrotos aſportabant poſt Solis occaſum , quando iam ſolemnitas diei erat finita ; & quia Dominus manè receſſurus erat à loco , hac de cauſa inſtante nocte ægrotos ſuos aſportant , & eos ei offerunt , ne elapſa occaſione tanti magiſtri , ipſi infirmi, & languoribus oppreſſi remanerent. Vide *lib.* 1 . *cap.* 10 . *num.* 44 . 55.

Abulenſ. Marc. 1. Luc. 4. *Bona occaſio non elabatur è manibus.*

Tertiò Albertus Magnus in 8 . Matth. *Adducunt veſpere*, ait , *quia in die occupatus erat Dominus verbi prædicatione , ex compaſſione ad ignorantiam populi , & in ſero per miraculum confirmauit quæ prædicauerat , & excitauit populum ad laudem Dei.* Pſalm. 41 . num. 9 . *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam , & nocte canticum eius.* Præcipua pars temporis dies. Et in hoc Dominus incumbebat ſaluti animarum, ac prædicationi ad excludendas ignorantias, ac errores animæ ; per noctem verò miracula operabatur , & corporis infirmitates depellebat. E contra verò homines huius ſæculi per diem rebus corporalibus indulgent , ac implicantur ; vltimam verò partem temporis ſaluti ſuæ animæ adſcribunt. 56.

Albert.Mag. Pſalm. 41. *Præcipua pars temporis in bonis animæ conſumẽda.*

Quartò. Nocte veniunt , ait Carthuſianus ; quia timebant Phariſæos , ſicut & ob hanc cauſam , Nicodemus nocte venit , ſed hic cùm eſſet princeps, magis timuit , quàm turbæ, quæ die, ac nocte Chriſtum ſequebantur. Et ideo quintò Thephylactus *in Matth.* atteſtatur , quod tanta erat denotio populi in Chriſtum , itaut nullo tempore eum dimittere vellet. Sextò D. Bonauentura ait, adducebant poſt Solis occaſum , vt ita oſtenderetur , quòd Chriſtus non tam die, ſed etiam noctu ſolicitus , & potens erat , circa ſalutem humani generis , quòd fuit figuratum *Geneſ.* 31 . *num.* 40 . vbi de Iacob dicitur. *Die noctuque æſtu vrgebar , & gelu ; fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Multò magis ſolicitus erat Chriſtus Dominus de ouibus ſui patris , quàm Iacob de ouibus 57.

Carthuſ. Theophil. Bonauent. *Chriſtus, valde ſolicitus de noſtra ſalute* Geneſ. 31.



ouibus Laban. Septimò , ſicut qui dicant apud Abulenſ. *citata q.* 47 . quòd ideo per noctem veniunt ; quia per diem Iudæi occupati erant aliis operibus;tales enim ſunt homines , vt velint ad Chriſtum venire ſeruientes ſuis commoditatibus,& temporalitatibus,ac negotiis,quæ renuunt dimittere.

Abulenſ.

58. Octauò Beda,D.Bonauent. Hugo,& alij : *Solis occubitus* , ait Beda, *eſt paſſio Chriſti , per quem plures ſanantur dæmoniaci , & ægroti , quàm antea.* Chriſtus D. verus Sol Malach. 4 .n. 1 . *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ.* Iſte verus Sol occubuit in paſſione , Amos 8 .n. 9 . *Occidet Sol in meridie.* Et tunc eius ſanctiſſima morte multo plures ſanati ſunt,quàm antea,quòd præfiguratum eſt in morte Sanſonis, *Iudic.* 16 . *n.* 30 . Qui,vt ait Albert.Magn. interpretatur Sol fortis. *Et multò plures interfecit moriens,quàm ante viuus occiderat.* Nonò D.Paſchaſ. *lib.* 5 . *in Matth.* ait quòd veniunt veſpere ob nimiam occupationem Saluatoris , tamen tam diligenter id ex eo exprimitur, vt hoc myſticè intelligamus ; veſpere eſt, cùm finitur dies,& quando, iam mundus agebat vltimam ætatem , in quo veſpere oblati ſunt Chriſto ex officio Apoſtolorum malè habentes, & ab eo ſanati ſunt.

Beda. Bonauent. Hugo. Malach 4. Amos 8. Paſchaſ.

59. Decimò D.Hieron. in Matth. 8 . *Omnes*, ait, *non manè, non meridiè, ſed ad veſperam curantur ; quando Sol occubiturus eſt , quando granum tritici in terra moritur , vt multos fructus afferat.* Infirmos non aſportant rutilante Sole , ſed expectant veſperam , quando Sol peragens ſuum curſum eſt in occaſu,& ibi occultatur ſub velamine noctis; quænam huius rei intentio , niſi alta Dei Diſpoſitio,vt ſignificetur, quòd à Ieſu abſcondito ſub velamine repræſentationis ſuæ mortis in ſacra Euchariſtia , cuius typus præceſſerat in pane manducato in domo Simonis, omnes ſanantur, & curantur;ſicut granum tritici abſconditum in terra miros fructus producit,& affert.

Hieron.

60. Vndecimò. Vult Chriſtus quòd Solis occaſus obſeruetur,vt infirmi ſanentur; ſed quid impedimenti erat clara dies,quid obſtabat refulgens Sol; & quæ Chriſti connexio cum tenebris,& caligine noctis. In magnum noſtrum documentũ hæc facta ſũt,vt diſcamus egregia noſtræ virtutis documenta nõ edere in patulo,ac in publico,ſed in occulto,& abſcõdito. Vide quæſtionẽ ſequentẽ.

*Bona opera virtutis occultanda.*

### QVÆSTIO IX.

### *Quare Dominus per noctem curet infirmos in ciuitate , & per diem ad deſerta loca tendat?*

61. AIT Lucas hoc loco quòd cùm Sol occidiſſet , adducebantur infirmi ad Chriſtum. Et ſtatim hoc c. 4 .n. 42 . *Facta autem die egreſſus ibat in deſerum locum , & turbæ requirebant eum.* Hinc mihi inſurgit dubitatio, cur Dominus per noctem ſanat infirmos in ciuitate , & per diem pergit ad deſertum. Videbatur potiùs quòd per diem cõmorandus eſſet in ciuitate , & per noctem ad deſertum confugiendus. Chriſtus in deſerto orabat , & in ciuitatibus ſanabat infirmos , & excellentiſſimæ ſuæ virtutis monimenta diffundebat. Chriſtus ſemper latibulum , & abſcondita quærit ; die erat in deſerto, quia ſi lux Solis ipſum manifeſtabat , ac indicabat , locus ſeparatus ipſum abſcondebat. Noctu verò in vrbe detinetur , & ibi commoratur. Quia ſi locus,& eximia miracula Dominum declarabant , velamen tamen noctis occultabat. D. Ambroſ. *lib.* 3 . *de Virg.* reddens rationem cur Dominus per diem tendit in deſertum. *In quo*, ait, *ille docet à perfecto abeſſe debere iactantiam : non enim ſanandorum copiam, ſed iactantiam declinabat.*

Luc. 4. *Chriſtus nos docet bona opera occultare.* Ambroſ.



62. Cùm nocte remanſiſſet ſolus Iacob , ecce vir luctabatur cum eo, qui , vt volunt Patres Græci, Chryſoſt. Cyrill.& alij,erat ipſemet Deus. Et procedente lucta dixit Deus ad Iacob , *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*, Geneſ. 32 . num. 26 . Satis agitata eſt ratio cur Deus ſub matutina luce renuit eſſe in complexu , & lucta cum Iacob. In illa lucta viſebantur eximiæ virtutes Iacob. Oratio,& lachrymæ,vt exponit Oſeæ 12 .num. 4 . *Fleuit , & rogauit eum* , Fortitudo , & conſtantia eius;ita ei dictum eſt: *Si contra Deum fortis fuiſti. quanto magis contra homines præualebis* , Geneſ. ibid.num. 28 . Ex parte Dei multa mirabilia reſplendebant,eius amor,auxilium, ac adiutorium ad hominem,& miſericordia qua ad noſtram carnem inducendam deſcendebat;& tot ac tam præclara virtutum monimenta noluit Deus , vt ſub clara diei luce apparerent , quando ab omnibus viderentur ; ſed vt ſub tenebris noctis eſſent occultata , & abſcondita , ne aliqua leui iactantia virtutes Iacob periclitarentur. Vnde ait D. Bernardus ſerm. 86 . in Cantic. *Orare volentes iubemur intrare cubiculum , vtique ſecreti gratia. Id quidem ad cautelam , ne coram orantibus , laus humana orationis furetur fructum, fruſtretur effectum.* Vide ſuprà *cap.* 10 . *num.* 196 . *&* 197 . *& cap.* 11 . *num.* 145 . *&* 146 .

Chryſoſt. Cyrill. Gen. 32. *Occultanda ſint noſtra opera.* Bernard.

### QVÆSTIO X.

### *Quare Chriſtus Dominus ſpiritus immundos eiiciebat ſolo verbo, languidos autem tangendo curabat?*

CHRISTVS Dominus multis , & variis modis curabat infirmos. Primò quoſdã ſolo verbo,vt piſcinæ Paralyticum. *Io.* 5 . *n.* 8 . Secundò alios ſolo tactu, *Luc.* 8 . *n.* 47 . vt mulierem,quæ eum tetigit. Tertiò tandem verbo,& tactu aliquos curauit,vt hic ſocrum Petri. 63.

*Chriſtus tripliciter ſanauit.*

Quæſtio hæc præſens ſupponit, quo pacto Chriſtus eiiciebat ſpiritus immundos. Aliqui ſunt Auctores , vt teſtatur Abulenſ. *in cap.* 8 . *Matth. quæſt.* 48 . quòd eos expellebat verbo,& tactu ; quia, *Matth.* 8 . *n.* 16 . dicitur , quòd *eiiciebat ſpiritus verbo.* Et Lucas *hîc* ait,quòd Chriſtus *ſingulis manus imponens curabat eos.* Ergo econtra, quia Matthæus dixit verbo curatos,Lucas impoſitione manuum , videtur intelligendum , quòd vtroque modo , & quòd Lucas ſuppleuerit quod Matthæus omiſit. 64.

Abulenſ.

Tamen. Ipſe Abulenſis *citato loco.* Euthymius, D.Thomas docet,quòd Dæmoniacos ſolo verbo curauerit; ægros autem non ſolùm verbo , ſed & manuum impoſitione ; nam Matthæus , vt rectè 65.

Idem. Euthym. D.Thom.

obſeruat Albertus Magnus,ponit diſtinctionem. Ait enim, *Eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes malè habentes curauit.* Et ita magis cohæret cum littera, quòd immundos ſpiritus expellebat ſolo verbo. Et Lucas ait, quòd curabat infirmos variis languoribus,ſingulis manus imponens. Et ita videtur,quòd Lucas de languoribus, & non de arreptitiis.

*Chriſtus Dæmones eiiciebat verbo.*

66. *Quare expellebat verbo.* Quare ergo Dominus immundos ſpiritus eiiciebat ſolo verbo, morbos verò, ac ægritudines tangendo curabat? Maiorem rationem deſumit Abulenſis ex conditione ipſius rei,quia infirmitas,ac languor eſt in corpore,& ſæpè in illius ſuperficie,vt lepra,& ideo Dominus huiuſmodi infirmos tangebat ad oſtendendam excellentiam ſuæ humanæ naturæ,quæ eſt quaſi organum deitatis;vt dicunt D.Damaſcenus, & Cyprianus, vt ita fieret manifeſtum tactu,ac impoſitione manuum,quòd Chriſtus huiuſmodi morbos expellebat, ac illos ſanabat. At in arreptitiis nullum aliud eſt malum, niſi quòd Diabolus eos exagitat. 1.Regum 16.num.16.*Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.* Et cùm Dæmon ſit ſubſtantia ſpiritualis,& intelligens, non tangitur corporaliter, & ideo conuenienter ad eum dirigitur ſermo iuſſionis, & increpationis Domini;ideoque cùm Dominus ſanauerit multos arreptitios,nunquam tamen legitur,quòd aliquem eorum tangeret, ſed increpabat,& comminabatur ſpiritibus, *Marc.*1. *num.*25.*&* 9.*num.*24.*Luc.*4.*num.* 41. Iuxta illud quod ſcriptum eſt, *Ab increpatione tua fugient; à voce tonitrui tui formidabunt*,Pſal.103.n.7.

Damaſcen. Cyprian. — 1.Reg.16. — Pſal.103.

67. *Immunditia fugienda, & non tãgenda.* Secundò & moraliter,ſpiritus immundos non tangebat Dominus,non propter ſe, quia iniquitas non poteſt nocere ei,ſed in documentum noſtrum,vt diſcamus immunditiam non tangere, ſed potiùs increpando ipſam deteſtari, & fugere. Nam vt dicitur Eccleſiaſt. 13.n. 1. *Qui tetigerit picem,inquinabitur ab ea*,& Prouerb. 6. num. 29. *Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam.* At ſi, vt ibi addubitat Salazar,tetigerit,non corpore, ſed veſte intercedente,& non moroſè, ſed ex tranſcurſu, adhuc non erit mundus, quia mulier eſt veluti ignis, qui etiam traiectis veſtimentis ad ipſas vrendo peruadit carnes; & ſi quis celeri gradu nudis pedibus ſuper prunas feratur,non poteſt non comburi. D. Baſil. *lib.de Virg.*ad initium eius. *Sicut enim,*ait,*cùm ignem tangimus, ignis veſtigia per impreſſas nobis aduſtiones excipimus, impoſſibile eſt eum,qui ignem tetigerit manu, illæſam illam ab eius incentiua operatione ſeruare; ita poſſibile non eſt eum,qui mulierem attigerit, eiuſmodi tactum innocuum inuiolatumque præferre.*

Eccli.13. Prouerb.6. — *Mulier fugienda.* — Baſil.

## QVÆSTIO XI.

### *Quomodo Matthæus hîc allegauerit auctoritatem Iſaiæ.*

68. Hieron. Abulenſ. *Cur D. Matthæus adducit teſtimonia.* INTER omnes Euangeliſtas Matthæus valde frequenter,vt notat Abul.*ad c.*8. *Matth.* q.50.dicta Prophetarum refert,quia,vt ait D.Hieron. *in prolog.* qui incipit, *Plures fuiſſe.* D. Matthæus ſcribebat ſuum Euangelium Iudæis,& quia Iudæi valde recipiebant dicta Prophetarum,ideo fuit valde ſolicitus, vbicunque dabatur occaſio, teſtimonia Prophetarum ad concordiam geſtorum Chriſti adducere,vt ita Iudæos alliceret, vt Chriſtum Dominum verum eſſe Meſſiam promiſſum in lege; & ideo in hac hiſtoria, quanuis Marcus, & Lucas nullum teſtimonium referant, ipſe tamen illud hîc interponit.

Locus adductus eſt Iſaiæ 53.n.4.*Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* Noſtra vulgata habet,languores noſtros ipſe tulit. & dolores noſtros ipſe portauit;verba parum diſcrepant, ſenſus tamen eſt idem, quem Matthæus eſt ſecutus, & locus intelligitur communiter de peccatis animæ, quæ Chriſtus ſuo pretioſiſſimo ſanguine expianda ſuſcepit;vnde exoritur magna difficultas, quare Euangeliſta hæc verba adducit, dum Dominus infirmitates, ac morbos corporis ſanat,nam ipſe corporis ægritudines, ac languores non eſt paſſus. 69. Iſaiæ 53. *Vulgata.*

Prima,& germana ſolutio eſt, quòd ſacra Scriptura ob ſuam magnam fœcunditatem, multiplicem tenet ſenſum, ac proinde quanuis prædictus locus Iſaiæ in vno ſenſu intelligatur de peccatis, in alio ſenſu exponitur de infirmitatibus, & in hoc ſecundo ſenſu adductus eſt locus à D. Matthæo. Sed dices, Chriſtus nunquam habuit aliquam infirmitatem, vel ægritudinem; ergo non poteſt dici,quòd acceperit noſtros morbos. 70. *Sacra Scriptura multiplices habet ſenſus.*

Reſpondetur ad hoc. Primò, cùm Franciſco Luca *ad citatum, cap.* 8. *Matth.* vbi ex Hebræo, pro,*portauit*,legit,*abſtulit*. Secundò, cum Gloſſa Interlineali, Rabbano, Alberto Magno, quòd Chriſtus infirmitates noſtras accepit, non vt ſibi haberet,ſed vt à nobis auferret. Secundò D. Paſchaſ.*lib.*5.*in Matth.Portauit*, hoc eſt, ſuas fecit, prout ita compaſſione,ac dolore commouebatur ſuper eas, tanquam ſi proprias infirmitates curaret,ac ſanaret, vnde ait ipſe Paſchaſ. *Verè paſſus, quia doluit,& laboribus fatigatus infirmitatem carnis ſuſtinuit.* Tertiò,Caietanus,portauit, tanta facilitate abſque vllis medicamentis abſtulit, ac ſi vnam rem portabilem tolleret, & in alterum locum veheret. Vnde clariùs dicam:Portauit veluti manu abſtulit, quemadmodum is, qui aliquid manu capit, & tollit. 71. Franc.Luc. Interlineal. Rabban. Albert.Mag. Paſchaſ. *Qui compaſſionem habet in miſeriis opitulatur.* Caiet.

Quartò,& principaliter reſpondet D.Chryſoſtomus *homil.* 28. *in Matth.* Poſtquam proponit quòd Propheta intelligitur de peccatis, ait: *Cur ergo, inquies, de morbis, aut ægrotationibus dictum, Euangeliſta in hoc loco ſcripſit? Certè, aut hiſtoricè teſtimonium Prophetæ accepit, aut ſubaperire voluit, primas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Nam ſi mors à radicibus peccati pullulauit, quid mirum, ſi ægrotationes quoque multæ inde naſcantur?* Similiter Theophyl. Euthym. docet magnus Pater,quòd ægritudines corporis,à peccatis animæ,tanquam à ſua radice pullularunt, ac proinde cùm Chriſtus ſuſcepiſſet noſtra peccata, vt illa expiaret, etiam ſuſcepit ipſas infirmitates vt ſanaret, ſiquidem ablata radice mali, etiam ipſum malum extinguitur. 72. Chryſoſt. Theoph. Euthym. *Ablata radice peccati, & ipſũ peccatum deſtruitur.*

Cùm innumerabiles locuſtæ premerent Ægyptum, itaut penè omnis terra eſſet deuorata ab eis, Pharao feſtinans vocauit Moyſem,& Aaron, & dixit eis: *Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos; ſed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam*, Exod. 10. num. 16. & 17. Crudelis, & barbarus tyrannus vehementi deſiderio rapiebatur, vt ſæuam illam mortem, ac rigoroſam plagam à ſe eximeret. Tamen non deprecatur primò, vt illa mors, ac nociua locuſtarum plaga auferatur, ſed rogatores adhibet, vt peccata ſua dimittantur. Quanuis maximè eſſet afflictus, ac vexatus plaga, non tamen primò cogitat de illa,ſed de peccatis tollendis,quanuis tyrannus tota nequitia eſſet putridus;hoc tamen nouerat,nil efficaciùs ad reprimenda mala,quàm peccatis modum imponere,& ſi homo ab his dimittitur, etiam omne malum dimittitur, & ceſſat. D. Chryſoſtomus *in Catena D. Thomæ*, ad illa verba Luc. 5.*Homo, dimittuntur tibi peccata tua. Nos,* ait, *ſi corporaliter patimur, ſatagimus nociuum abiicere, cùm verò malè ſit animæ, differimus, atque adeò nec à corporis nociuis curamur: abſcindamus igitur fontem malorum, & ceſſabunt ægritudinum fluxus.* Vide ſuprà *cap.* 12. *num.* 38. *& cap.*19.22.*&* 23. 73. Exod. 10. *Si peccata auferantur ceſſat omne malum.* Chryſoſt.



*Lucæ* 6.*n.*41. Exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei; & increpans non ſinebat ea loqui; quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quin etiam exibant Dæmonia ex quamplurimis vociferantia, ac dicentia: Tu es Meſchicho ille filius Dei; & prohibebat eis, nec ſinebat ea loqui, quòd noſſent ipſum eſſe Meſchicho.

*Vatabl. Arias.* Tu es Chriſtus ille fillius Dei.

*Franc.Lucas.* Et obiurgans, ſiue durè alloquens, non ſinebat ea loqui.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.*1.*n.*34. Et Dæmonia multa eiiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.

## *EXPOSITIO.*

74. NON ſolùm ægros ſanabat Dominus, ſed etiam arreptitios curabat, ab eorum corporibus Dæmonia eiiciendo. Exibant autem à multis Dæmonia, potentia, ac imperio Chriſti Domini.Quia, vt explicat D.Matth. 18. num.16.verbo ſuo expellebat. *Clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei.* Diabolus ſuſpicabatur Chriſtum eſſe filium Dei, vt dicam *quæſt.* 13. Et tamen hoc ipſum affirmatiuè profert. Sunt enim homines, qui ea, quæ coniecturaliter capiunt,reſolutiuè aſſerunt. Immò peiores Diaboli;nam ille ſecundùm excellentiorem partem dixit id, quod ſuſpicabatur; at homines ſæpè ſecundùm deteriorem dicunt;dicebant, *Tu es filius Dei*, ſeu ille filius Dei: hoc dicebant, non quia gaudebant Chriſtum honorare; ſed vt Dominus deſineret eis eſſe moleſtus; ſicut dicebant, Matthæi 8.numero 29. *Quid nobis, & tibi*;ac ſi dicerent,Quid nos perſequeris. Tuus honos tibi manet, qui es filius Dei, nos non te oppugnamus; quare tu contrarius eſt nobis, ſine nos, vt ait Franciſcus Lucas, quietos agere, vti hactenus fuimus. Hæc autem verba loquebantur per ora eorum hominum, à quibus exibant, *& increpans non ſinebat ea loqui.* Dominus aſperè obiurgans Dæmonia non ſinebat loqui; non enim volebat teſtimonium à Dæmonibus, ne veritas ſuæ prædicationis tam falſis teſtibus diminueretur; nec egebat laude Dæmonum, qui ſua virtute,ac operatione, & oraculorum antiquorum obſeruatione ſuper omnia erat laudatus. *Quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Id eſt, non ſinebat Dæmones loqui, vt dicerent, quòd ipſi ſciebant eum eſſe Chriſtum, vt clariùs explicabo *quæſtione vltima, in fine.*

*Multi, quæ coniecturantur affirmãt.* — Math.8. — Franc. Luc.



## QVÆSTIO XII.

### *Quare Dæmones confitebantur Chriſtum eſſe filium Dei?*

NOTANDVM eſt ex D. Bonauentura, quòd Dæmones confitebantur coniecturaliter Chriſtum eſſe filium Dei, & non confitebantur hoc ex corde, de quo 1. Cor. 12. numero 3.*Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Verbo autem dicere, reſpondet in Græco dicere cum amore. Non etiam opere confitebantur,de quo Ioan.14.numero 2. *Omnis Spiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Sed ſolùm ore dicebant, & corde oderant,& opere negabant, 1. ad Titum 1. nume. 16.*Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Deprauata Dæmonis malitia eſt, vnum ore dicere,& aliud factis oſtendere. 75.

1.Cor.12. — Ioan.14. — 1.Tit.1.

76. Origen. *Puritatis præſentia tormentum nequitiæ.* Ad quæſtionem reſpondet primò Origenes *homil.*3.*in Exodum*,vbi tormenta ſenſerunt, ſciunt Dominum. Præſentia Saluatoris tormenta ſunt Dæmonum,vt ex Beda dixi ſuperiori cap. *num.*5. Semper enim puritatis aſpectus valde grauis, & moleſtus immunditiæ, ac impuritati, & ideo cùm tanta tormenta ſenſerunt ex Domini præſentia, ſtatim ipſum eſſe Deum fatentur. Secundò reſpondet Chryſologus ſerm.17.*Credidit infelix*, ait, *vt eum, quem tentatione vincere, quem muneribus inflectere nequiuit, poſſet adulatione pulſare.* Ars Diaboli ſua malitia in hoc aliquid machinatus eſt. Conſiderauit crudelis inimicus, quòd in deſerto obiecta omnium regnorum promiſſione; quæ maximè animos deuincit, nihil obtinuit; ideo ad validiſſimum telum adulationis confugit, an ipſa valeat Chriſti animum inuictum propulſare,& ad ſe allicere. Valde enim efficax eſt adulationis ſtimulus, præcipuè quando ipſa publicè profertur, & ideo Diabolus coram turbis alta voce exclamat, *Scio quia ſis Sanctus Dei.*

Chryſolog. — *Adulatio efficaciter animũ inclinat.*

77. Tertull. Tertiò Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem, cap.* 7. ſic ait. *At nunc diſcepto, quomodo eum cognouerit Dæmon? Quid iam tale ediderat, per quod poſſet Dei Sanctus intelligi? Tantùm quòd Synagogam introgreſſus, nec ſermone operatus eſt aliquid aduersùs Creatorem.* Vnde virulentus hoſtis tantam excellentiam agnouit in Chriſto, vt ſanctum, & filium Dei alta voce coram omnibus acclamet; ex Chriſti verbis tantam præeminentiam collegit. Sermones enim Chriſti, qui toti erant in laudem Dei, & nemini in offenſionem, eius diuinitatem, ſanctitatem, ac bonitatem exhalabant. Vide ſuprà *cap.* 5. *num.* 164. *& cap.* 13. *num.* 50. 51. *&* 52.

*Verba animi puritatem indicant.*

78. Nazianz. Quartò D. Gregor. Nazianzenus oratione 1. contra Iulianum, *Dæmones*, ait, *inuiti Ieſum confitentur, atque per contraria, quo plus fidei, & auctoritatis habeat, veritas demonſtratur.* Idem etiam antea docuerat D. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 14. Permiſit Dominus, vt Dæmones hæc clamarent, ac dicerent, vt Chriſti veritas maximè demonſtraretur, cùm ab aduerſariis, ac inimicis haberet teſtimonium. Et ideo Deus tantam energumenorum copiam permiſit eſſe in Iudæa illo tempore, quo in terram venit, vt Dæmones expellendo, gloriam ſuam, & poteſtatem, & Dæmoni indictum bellum indicaret, tum etiam, vt illi tanquam Chriſti aduerſarij darent teſtimonium, quòd cùm eſſet ab inimicis, multum erat ponderis.

Irenæus. *Teſtimonium ab inimico.*

79. Tolet. Quintò Toletus *in Comment.* Superbi, ait, dicebant hæc Dæmonia, ne ab homine puro videantur expelli, ac ſuperari: malunt enim veritatem confiteri, quàm ab illa excellentia, quam apud homines ambitioſè, & ſuperbè expetunt, vel minimum deturbari. Minoris autem fieri ſibi videbantur, ſi ab eo, qui Deus non erat, inuiti eiicerentur; ideo cùm filium Dei publicè fatentur, tanquam denotantes, quòd ſolum ab ipſo poterant expelli, & eiici.

*Superbus à nulla pura creatura vult vinci.*

80. Sextò, & germanè, vt dixi in expoſitione, filium Dei acclamant, ac ſi dicerent, cùm ſis filius Dei, & tantus honor tibi intactus, & inuiolatus maneat; quare tam acerbè nos infeſtas? Et expellis ab his corporibus, cùm nos tibi non contrariemur, nec tibi ſimus contrarij, ſi quidem tuam ſupremam dignitatem filij Dei recognoſcimus, & fatemur. Animus ſæpe deprauatus tuam dignitatem manifeſtat, & dicit, non vt te laudet, ſed vt inde habeat anſam alios deprimendi, & vexandi. Sic Babyloniæ Satrapæ inſtigant Darium Regem, vt ſuo decreto conſtituat, vt nullus petat aliquam petitionem à quocunque Deo, vel homine, niſi ab ipſo Rege, *Daniel.* 6. *num.* 7. Non enim hæc facta ſunt animo Darium extollendi, ac ſublimandi, ſed potiùs animo Darium Regem deprimendi, ac inſaniam eius declarandi, ac Danielem occidendi.

*Sæpe inimicus te laudat, nō vt extollat, ſed vt alios valeat deprimere.*

81. Auguſt. Septimò D. Auguſtinus *tract.* 10. *in epiſtol. Ioannis, & ſerm.* 31. *de verbis Apoſtoli*, aſſerit quòd Dæmones confeſſi ſunt Chriſtum filium Dei ob timorem, ne grauiori pœna ab ipſo afficerentur, ac proinde timore coacti, & impulſi ſunt, vt Deum in carne latentem cognoſcerent, ac confiterentur; vexatio enim dat intellectum, & valde efficax eſt Dei timor, vt Dei, ac ſupernorum cognitionem ingerat, & doceat.

*Timor dat cognitionem.*

82. Detinebantur captiui Iſraëlitæ in Ægypto, & Babylonia, tamen valdè diuerſimodè ab vtraque ſubiectione liberantur; vt à Babylonia exeant, multa beneficia Dominus in Aſſyrios largitur. Ait Iſaias 45. à num. 1. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur; & multa huiuſmodi bona annumerat*; & ſubdit num. 4. *Propter ſeruum meum Iacob; & Iſraël electum meum vocaui te nomine tuo, & aſſimilaui te, & non cognouiſti me.* Iſai. 45. At dum à tyrannide Ægyptiaca educuntur, per iudicia magna, & per multas plagas, *Exod. à cap.* 7. Sed quid inde ſequutum eſt; nam de Cyro dicitur; *Non cognouiſti me*; at de Ægyptiis, *Et ſcient Ægyptij, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum.* cap. 7, numero 5. Sed cur de Ægyptiis dicitur, *& ſcient, quia ego ſum Dominus*; & de Babylonia: *Non cognouiſti me.* Vnde tanta rei differentia? à beneficio, & verbere. Aſſyrij afficiebantur beneficiis; Ægyptij terrificabantur plagis. Impij, & prophani, non dulcedine donorum, ac munerum, ſed terrore verberis, & plagæ trahuntur, & commouentur in Dei cognitionem. Lyppoman. ad proximè citatum locum Exodi maximè fauet. Lippom. *Sic igitur*, ait, *impij vel tandem coguntur agnoſcere iuſtitiam Dei atque potentiam; dum quod omnium minimè volunt, conficitur, & afflicti admittere coguntur, quòd ſani recuſabant. Tuncque primum Dei cognitionem aſſequuntur, cùm ipſis ea prodeſſe non poteſt. Sicut Dæmones Chriſtum agnouerunt ad ſuam perditionem.* Vide ſuprà *cap.* 10. *num.* 53. 54. 55. *&* 56. *cap.* 11. *numero* 61. 62. *&* 63. Alteram rationem vide ſuprà *cap.* 21. *quæſtione* 6. *num....*

*Iniqui trahuntur non beneficiis, ſed timore.*

---

## Qvæstio XIII.

### *Quare Dominus ſilentium imponebat Dæmoniis?*

Prima, & litteralis ratio. Noluit Chriſtus ſumma veritas à patre mendacij Diabolo habere teſtimonium, vt dixi in expoſitione, ideo ſilentium ei imponit. 83. Secundò noluit laudari à tam impuro ore. *Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, Eccleſiaſtic. 15. num. 9. Eccli. 15. Sicut enim valde glorioſum eſt à probo viro, ac bono laudari; ita valde ignominioſum ab iniquo commendari. Et ita dedignatur Dominus ab ore ſcelerato laudibus decantari. Vnde peccatori ait Deus. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum*, Pſalm. 49. Pſal. 49. Hanc rationem docet D. Athanaſius *lib. de Synodis*. Athanaſ. Quia veritas in ore impuro etiam ſuſpecta eſt.

*Ab ore impuro non eſt quærenda laus.*

84. Epiphan. Tertiò D. Epiphanius agens de malo linguæ; ait, *Se ipſum ſponte morti obtulit Saluator, & ſermonibus mendacij aurem nequaquam præbuit, os ſuum aperiens acetum cum felle guſtauit, qui ſceleſti verba auribus excipere recuſauit; os proditori oſculandum exhibuit, & deceptori reſponſum dare noluit: ſic & tuum os maledicis oſculandum præbe, aures verò minimè: nam ſi tuum illis os præbueris, oſculum illos condemnabit: ſi aures illis accommodaueris, iam te verborum guſtus occidet.* Valde mirum, quòd Chriſtus Dominus ſe tradit morti

*Leuis guſtus adulationis occidit.*



morti, acetum cum felle guſtauit, & os ad oſculum dedit proditori; & tamen dum à Dæmonibus hîc laudabatur, increpans non ſinebat loqui; in magnum noſtrum documentum; quia licèt os ad oſculum exhibeamus inimicis, tamē aures cuſtodiamus à blandiēti aura laudis, & adulationis; nam adeò eſt peſtiferum, & mortiferum venenum adulationis, quòd non ſolùm dum illo homo ſaturatur, cadit, & moritur; ſed etiam illius leuis guſtus enecat, & interficit. *Si aures illis accommodaueris, iam te verborum guſtus occidet.* Vide *c.* 1. *num.* 85. *cap.* 7. *num.* 101. *cap.* 15. *n.* 8. 9. 10. *&* 11.

85. Auguſt. Matth. 16. Quartò Diuus Auguſtinus ſerm. 31. de verbis Apoſtoli, *Ecce modo*, ait, *Audiſti in Euangelio, quòd ait Petrus. Tu es Chriſtus filius Dei viui, legite, & inuenietis dixiſſe Dæmones, ſcimus, quia ſis filius Dei; Petrus tamen laudatur, Dæmon compeſcitur. Vna vox, facta diuerſa. Vnde ſeparantur iſtæ duæ confeſſiones? Laudatur amor, damnatur timor. Non enim amore dicebant hæc Dæmones: Tu es filius Dei. Timore hoc dicebant, non amore.* Dicebant Dæmones Chriſtum filium Dei, & hoc dixit etiam Petrus. Hic tamen maximè laudatur, & illi non permittuntur loqui; Petrus amore eructabat ſuam confeſſionem. Dæmones timore coacti clamabant. Et id, quod non vi timoris, ſed amoris impulſu profertur magni pretij, ac æſtimationis eſt, aliter verò dicendum de eo, quòd timoris vexatione fit.

*Opus amoris laudatur, non timoris.*

86. Euthym. Quintò Euthymius in cap. 1. Marc. *Deinde*, ait, *docuit nos, ne Dæmonibus vnquam credamus, etiam vera dicentibus: cùm enim ament mendacium, ſintque nobis inimiciſſimi, nunquam vera loquuntur, niſi ad fallendum; veritate quaſi eſca quadam vtuntur.* Crudelis, & infauſtus inimicus eſt Diabolus, & maximè fugiendus, ac cauendus, etiam dum verum dicit. Res certiſſima Chriſtum eſſe filium Dei; & tamen dum hæc profert Diabolus, ei mandatur obmuteſcere. Nefandus hoſtis aliquando verum dicit, non vt dicat verum, ſed vt obiecta vna veritate, multa noxia, & falſa permiſceat, & vna veritate vult nos ineſcare, ac allicere, vt multis falſis, ac peruerſis aſſentiamus, & acquieſcamus. Chryſoſt. Quod eleganter dixit D. Chryſoſtomus homil. 2. de Lazaro. *Dæmones*, ait, *veris falſa admiſcent, veraque dicunt, vt ſibi in falſis fidem concilient; idcirco audiendi non ſunt.*

*Inimicus vna veritate vult nos ineſcare ad falſa perſuadenda.*

87. Idem. Sextò idem Chryſoſtomus *citato l, co*, aliam aſſignat rationem, conſiderans quomodo Paulus ſilentium impoſuerit ſpiritui Pythonico, atque exire iuſſerit; ait. *Tace, obmuteſce, non eſt tuum prædicare, Apoſtolorum iſta eſt auſtoritas, quid vſurpas, quod tuum non eſt? Sile, infamis eſto: ſic & Chriſtus, dicentes ipſi Dæmones, nouimus te quis ſis, increpauit multa cum acrimonia.* Infamis eſt Diabolus, & officium non ſuum vſurpat. Apoſtolorum enim eſt Chriſtum prædicare, annuntiare, & non Dæmonum; ergo cùm ille ſe velit intromittere in alieno officio; ideo ei ſilentium imponitur. Vide ſuprà *cap.* 1. *num.* 59. *c.* 10. *num.* 27. 28. 29. *&* 30. *c.* 19. *n.* 7. *&* 8.

*Nemo ſe intromittat in alieno officio.*

Idem. Septimò idem Chryſoſtomus homil. 13. n Matth. *Primus homo hinc offendit Deum, legemque transgreſſus eſt, ex abundanti te docet, quòd etſi tibi non præuaricationem præcipiat, nec ſic ſit parendum. Et quid dico præuaricationem? Etiam ſi aliquid vtile Dæmones iubeant, ne tunc quidem eos debes audire; ſic enim illos Dæmones loqui, qui cum Dei filium prædicebant, & Paulus id ipſum inclamantes increpauit, quanuis vtile erat, quod dicebatur. Sed magis eos, magiſque dedecore afficiens, eorum inſidias detegens, eorum ora clauſit, & tacere præcepit.* Cauſa mali ſit ſemper tibi ſuſpecta, vt ab ea fugias, homo cadit, dum verba Diaboli audit; iubet Dominus ergo Dæmones tacere, quanuis vera dicerent, vt habeamus documentum, ne Diaboli verba auſcultemus, ſed omnino ab illis fugiamus.

*Cauſa, & origo mali ſit tibi ſemper ſuſpecta.*

89. Athanaſ. Octauò D. Anaſtaſius orat. 1. contra Arrian. *& Diabolus quoque loquebatur è ſacris litteris, ſed tamen æquè illi os obturatum eſt à Saluatore. Si enim ea, quæ dicebat, animo ſenſiſſet, nunquam excidiſſet è cælo.* Diabolus aliud habebat in ore, aliud in corde. In animo non certò ſciebat Chriſtum eſſe filium Dei, & Meſſiam in lege promiſſum, vt dicam quæſtione ſequenti, quanuis illud ſuſpicaretur. At in ore certiſſimè hoc affirmabat; ergo cùm verba ab animo diſcrepabant, illius publicæ acclamationes, reiiciuntur, ac confutantur.

*Intolerabilis res ſi aliud ſit in corde, aliud in ore.*

90. Auguſt. Nonò Diuus Auguſtinus lib. 3. de Sacramentis, cap. 13. *Tu es Chriſtus filius Dei viui; hoc dixit Petrus, & audiuit: Beatus es Simon Barjona. Hoc dixerunt & Dæmones, & audierunt, obmuteſcite. Vna vox eſt, ſed Dominus interrogat radicem, non florem.* Pulchra vltima verba; Petri confeſſio ad magnum præmium, ac remunerationem acceptatur, Dæmonis proclamatio maximè refutatur, quia Domino non placent verborum flores, in quibus multa fallacia latitat, ſed eorum radix, ac origo, nempe ſimplex animus, ac affectus.

*Deo non placent verba externa, ſed affectus cordis.*

191. Beda. Decimò Beda *in cap.* 1. *Marci*, hanc aſſignat rationem. Imponitur ſilentium Dæmonibus, ne Chriſti manifeſtatio, paſſionis eius eſſet nocumento, ob quam etiam cauſam Apoſtoli iubentur reticere, ne diuina maieſtate prædicata paſſionis diſpenſatio differretur. Hæc ratio eſt valde probabilis multis videtur.

Tertull. Vndecimò. Hæc dicebant Dæmones, quia ſibi perſuadebant, quòd Dominus veniſſet in eorum perditionem, ac punitionem, vt ipſimet dixerunt *Marc.* 1. *num.* 24. *& Matth.* 8. *num.* 29. & ideo eorum ora claudi imperantur, quòd bene notauit Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 7. *Veniſti perdere nos, adiicit. Adeò iudicis, & vltoris, &, vt ita dixerim, ſæui Dei filium agnouerat Ieſum; non optimi illius & perdere, & punire neſcientis.* Diabolus Chriſtum filium Dei dicebat, tamen eum acclamabat eſſe crudelem punitorem, & vltorem, ideo ei obmuteſce dicitur, cùm Deus totus ſit propenſus in benignitatem, & clemētiam.

*Deus totus propenſus in clementiam.*

93. Exod. 7. Procedit Moyſes ad vexandum plagis Ægyptum, & ait ad Aaron. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & ſuper riuos, & paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem*, Exod. 7. num. 19. Cur plaga emiſſa in aquas, non alteram præbet ſpeciem, niſi ſanguinis; cur potiùs non in colorem atrum, vel viridem? Cur potiùs ipſa aqua non alio modo vexantur? Poterat enim fieri, vt tangentes aquam, ipſa fugeret è manibus, vel in lapides conuerteretur. Reſpondet Theodoretus quæſt. 19. *In primis, quia valdè gloriabantur Ægyptij de flumine ſuo, & hunc pro Deo habebant, vt qui parem vſum illis præbebat, quem nubes.* Theodor. Sanguineus color ſæuitiam, crudelitatem, cruorem, ac bellum denunciat. Vt ergo Ægyptij, qui ſuum fluuium pro Deo colebant; agnoſce

*In quo nõ eſt benignitatis ſignum, non poteſt eſſe diuinitatis nota.*

agnoſcerent fictitiam, & inanem eſſe illius diuinitatem, hoc factum eſt, quia in quo nullum erat veſtigium beneficentiæ ac benignitatis, nulla etiam poterat eſſe diuinitatis nota, de hoc multa vide *cap.2.n.98. & 99. & c.3.num.* 294.295.& 296.*cap.*17.*num.*93.& multis aliis locis.

---

## QVÆSTIO XIV.

### *Vtrùm Dæmones cognouerint Chriſtum eſſe Meſſiam, & filium Dei?*

94. *Prima ſententia.*

QVÆSTIO hæc ſatis vulgaris, & communis, eam latè tractant recentiores. Ideo breuiter illam præſtringam. Prima ſententia in hac materia eſt, quòd licèt Diabolus à principio non cognouerit Chriſtum eſſe filium Dei, ac Meſſiam promiſſum in lege, tamen poſtea ex multis miraculis, ac ſignis hanc veritatem cognouit. Pro hac ſententia citantur multi Patres; D. Ambroſius 1. *Corinth.* 2. *ibi* Gloſſa Ordinaria, D. Gregorius 33. *Moral. cap.*7. aliàs 10. D. Gregorius Nazian. *orat.* 2. *in Paſchate*, Euthymius, Beda *cap.* 1. *Marc.* eam defendunt, Suarius *tom* 2. *ad* 3. *part. diſp.* 31. *ſect.* 3. §. *Dico ſecundò.* Toletus *in cap.* 4. *Luc. annotat.* 75. Barradas *lib.* 5. *cap.* 9. & alij.

Ambroſ. Gloſſ. Ord. Gregor. Nazianz. Euthym. Beda. Suarius. Tolet. Barradas.

95. *Fundamenta contraria.*

Probatur primò; quia D. Lucas ait *hîc*, quòd Chriſtus *non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*; & ipſi Dæmones dicebant, *Scio quòd ſis Sanctus Dei.* Secundò hoc cognouit Diabolus ex multitudine miraculorum Chriſti, quæ manifeſtè videbant eſſe vera miracula & ſuam, & Angelorum, naturalemque vim tranſcendere. Et à ſolo Deo fieri poſſe. Tertiò ex Scripturis, ac Prophetis hoc agnouerunt, cùm omnia quæ de Meſſia dicta erant, in Chriſto adimpleta videbantur.

96. *Secunda, & probabilior ſententia.*

Secunda ſententia affirmat quòd Dæmones videntes mirabilia Chriſti, verſabantur in dubitatione, hæſitatione, ac ſuſpicione, an ipſe eſſet verus Meſſias; & filius Dei. Hanc ſententiam tradit D. Thomas 3. *part. quæſt.* 44. *art.* 1. *ad* 2. Carthuſian. *in cap.* 1. *Marc.* D. Bonauent. *in cap.* 4. *Lucæ.* Ianſenius *ibid.* & 1. *Corinth.* 2. Caietanus *cap. Lucæ, ibid.* Vatablus, Iſidorus Clarus *orat.* 21. *in Lucam.* Molina 1. *part. quæſt.* 57. *art.* 5. *diſput.* 1. Bagnez *eadem quæſt.* 57. *art.* 3. *dub.* 2. Cornelius à Lapide *in cap.* 3. *Marc. verſ.* 11.

D. Thom. Carthuſ. Bonauent. Ianſen. Caiet. Iſidor. Molin. Bagnez. Cornel.

97. *Primum fundamentum.*

Probatur primò, quia multa miracula, magna mirabilia, ac totam Scripturam adimpletam viderunt Dæmones in Chriſti natiuitate, aduentu Magorum, præſentatione in templo, fuga in Ægyptum, ad cuius ingreſſum corruerunt omnia idola, iuxta vaticinium Iſaiæ, vt dixi *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 13. *num.* 53. Et tandem vocem Patris in Baptiſmo audierunt: Hic eſt filius meus dilectus; & tamen poſtea hæſitantes, ac dubitantes eum tentarunt in deſerto; ergo ante Chriſti mortem in hoc dubio Diaboli verſabantur.

98. *Secundum.*

Secundò, ſuperbus, ac ferox Dæmon, non poterat intelligere, nec concipere tantam humilitatem, modeſtiam, ac manſuetudinem in naturali, & ſubſtantiali filio Dei, præcipuè, quia ipſe ignorabat altitudinem fructuum, & finem tanti myſterij. Tertiò Diabolus crudele odium habebat erga Chriſtum Dominum. Nam videbat eum virum ſanctiſſimum, ac multas animas è manibus eius eripere; ergo obcæcatus odio excellentias Chriſti Domini ac claras Scripturas de eo non percipiebat. Tertiò, Integritas corporis naturaliter cognoſcitur ab Angelo. Et tamen, vt docent Patres, vt dixi *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 18. *n.* 34. Diabolus impeditus fuit diuina ordinatione, ne agnoſceret Chriſtum ex Virgine natum; ita etiam Dei diſpoſitione antequam crucis myſterium conſummaretur, ne agnoſceret Chriſtum eſſe filium Dei, ac Meſſiam, ne contra noſtram ſalutem multa machinaretur, vt ita ſuauiori modo adimpleretur diuina diſpenſatio, & ideo vſque ad crucis myſterium Diabolus in ea dubitatione hæſitauit. Patres pro contraria ſententia citati explicandi ſunt de cognitione coniecturali.

*Odium obcæcat.*

99. Ianſenius. Caietan. Iſidor. Vatabl.

Quod autem D. Lucas ait, non ſinebat Dominus Dæmonia loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum; facilè explicatur cum Ianſenio, Caietano, Iſidoro Claro *citato*, Vatablo, non ſinebat loqui hoc, ſcilicet, quòd ſciebant ipſum eſſe Meſſiam, ac proinde non permittebat dicere verba iſta, nos ſcimus quòd ſis filius Dei, quòd ſis Chriſtus. Ludolphus *prima parte cap.* 43. Hugo, Beaulxames, Didacus Stella, ita explicant, quia ſciebant, hoc eſt, quia ſuſpicabantur. Tamen prima expoſitio veriſimilior eſt.

Ludolph. Hugo. Beaulxam. Stella.

# CAP. XXIII.

## *De dimittendis terrenis inſtruuntur Scriba, & duo alij.*

*Matth.*8.*n.*18. Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Cùm vidiſſet turbas multas, quæ circuibant ſe, iuſſit eas abire in vlteriorem ripam.

*Vatablus.* Iuſſit, vt diſcederent in vlteriorem ripam.

*D. Chryſoſtom. hom* 28. Videns turbas circa ſe ipſum, iuſſit, vt abirent.

### *EXPOSITIO.*

CIRCVIENS Ieſus Galilæam, & curans omnes infirmos, cùm veſpere eſſet factum, valde diluculo ſurgens Dominus abiit in deſertum ad orandum, vt notant D. Marc. *c.*4. *n.*35. & Lucas *c.*8. *n.*22. Cùm autem turbæ ibi Dominum requirerent, iubet abire trans fretum. Et ita hic in ordine hæc hiſtoria ſequitur, vt notant D. Auguſtinus *lib.*2. *de conſenſu Euang. c.*22. Abulenſis *Matth.* 8. Ianſenius, Beaulxames, Adrichomius, Barradas, Franciſcus Lucas, Cornelius, & alij. 1.

Auguſt. Abulenſ. Ianſen. Blauxam. Adrichom. Barradas. Franc Luc. Cornel.

*Videns*



2. *Videns autem Ieſus*, ſcilicet poſtero die poſt multitudinem ſanatam, *turbas multas*, hoc eſt, multitudinem populi, quæ à turbando dicitur, *circum ſe*, id eſt, vndique circunſtantes, tanquam irruentes in Dominum, & veluti ipſum intra ſe tenentes. Notat Albertus Magnus, quòd turbæ non approximant, ſed ſunt in circuitu dolosè ambulantes; multi tamen è turba circunſtabant animo ſincero, & gtato ob beneficia accepta, & vt ipſum Dominum audirent. *Iuſſit ire*, ſcilicet, vt Diſcipuli cum illo ſimul irent. Non mandauit Dominus eis, vt nautarum vicem ipſi ſubirent: nam quanuis ibi eſſent Petrus, & Andreas; tamen naues erant alienæ. Mandauit ergo eis Dominus, vt procurarent traiectum. *Trans fretum*, id eſt, ad vlteriorem ripam, ſeu oppoſitam ripam, quæ erat, vt patet ex *Luc.*8. *num.*26. regio Geraſenorum.

Albert. Mag.

*Nemo ſe in alienis rebus intromittat.*

---

## QVÆSTIO I.

### *Quare Dominus voluerit transfretare in vlteriorem regionem?*

3. Chryſoſt.

IN limine huius quæſtionis notandum eſt ex D. Chryſoſtomo hom. 28. *Tu verò conſidera*, ait, *quòd non dicitur repuliſſe turbas, ne contemni viderentur: nec iuſſiſſe, vt omnino recederent, ſed vt abirent in vlteriora, vt ſpe allecti, quod illo tranſiturus eſſet, faciliùs obtemperarent.* Bonus affectus turbarum, quæ Dominum ſequebantur, non fuit omninò aſpernandus, ſed potiùs aliquali modo honorandus, & ideo Dominus non iubet, vt recedant, ſed eos allicit, vt prompti obediant, dum demonſtrat locum, ad quem tendit. Ad quæſtionem veniamus.

*Bonus affectus honorandus.*

4. Chryſoſt.

Reſpondet primò D. Chryſoſtomus citata homil. 28. *Hoc faciebat Dominus, partim nos docens, humilianſque; partim ne Iudæi peſtiferæ veneno inuidiæ tabeſcerent; monens nihil prorſus ad oſtenſionem à nobis eſſe faciendum: etenim non corporum incolumitas curæ ſibi tantummodo erat, ſed multo magis animarum ſaluti prouidebat.* Sapienter S. Pater tres rationes nobis hîc inculcat. Primò docet, nos nil facere ad oſtentationem, ſed potiùs in operationibus noſtris ipſam euitare debere. Et ideo dicitur: Videns turbas, iuſſit ire trans fretum, vt hominum applauſum fugeret. Secundò. *Partim ne Iudæi peſtiferæ veneno inuidiæ tabeſcerent.* Nam, vt etiam ait Abulenſis *quæſt.*55. licèt turbæ bono animo Chriſtum ſequerentur; erant tamen aliqui maleuoli, qui de mirabilibus Chriſti triſtabantur; & illos Chriſtus voluit deuitare cedens inuidiæ eorum ad tempus. Animus inuidiæ plenus maximè fugiendus, atque cauendus. Tertiò. *Non corporum incolumitas curæ ſibi tantummodo erat.* Multos curabat Dominus; & tamen imperat transfretare, quia cùm viſis operibus Chriſti multi triſtarentur, torquerenturque inuidia; eorum peruerſo animo Dominus cedens, in vlteriorem partem parat abire, potius enim volebat animarum ſaluti, quàm corporum infirmitatibus prouidere.

*In noſtris operibus oſtẽtatio fugienda.*

Abulenſ.

*Animus inuidus declinandus.*

*Potius attendendum ſaluti animarũ, quàm corporum.*

5. Remig.

Quartò D. Remigius poſtquam apponit rationes Chryſoſtomi, ſic ait: *Hoc fecit quaſi homo volens turbarum importunitatem declinare. Erant autem ei affixi admirantes eum, & videre ipſum volentes. Quis enim diſcederet à talia miracula operante? Quis non in faciem eius ſimplicem vellet videre, & os talia loquens? Si enim Moyſes glorificatam faciem habebat, & Stephanus ſicut Angeli; intellige communem dominatorem, qualem decens eſt tunc apparuiſſe. Vnde ait Propheta: Specioſus forma præ filiis hominum.* Turbæ videntes ſigna, ac ſuauitatem vultus, conuerſationis, ac ſermonis Chriſti, maximè ipſum comprimebant; ideo vt eorum tumultum declinaret, iubet Diſcipulis transfretare.

*Chriſtus in vultu, ac ſermone mirabilis valdè.*

Quintò D. Thomas. Imperat Dominus abire in vlteriorem ripam, *vt placeat Diſcipulis. Vnde aliquando cum Diſcipulis aſcendit in montem, aliquando in deſertum, aliquando in nauim.* Vult Dominus ſuis Diſcipulis, ac ſociis complacere, & eorum voluntati condeſcendere: ideo aliquando diuertit in hanc, vel illam partem, modò in deſertum, modò in montem, modò in nauim. Vnde ait Abulenſis *citatus*, quòd Dominus fecit hoc fortè ad habendum aliquam quietem; vel vt ſuis permitteret recreationem temporalem, ſeu aliqualem vacationem à negotiis: quia turbæ ita Chriſtum occupabant, quòd non erat ei locus ad capiendum cibum. *Marc.*6. *num.*31. Ait Chriſtus ſuis, *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum: erant enim, qui veniebant, & redibant multi, nec ſpatium manducandi habebant.* Nec enim ſemper eſt inſtandum in opere. 6.

D. Thom.

*Princeps ſuis condeſcendat.*

Abulenſ.

Marc. 6.

Sextò Abulenſis *citata quæſt.*55. ait, quòd Dominus voluit ſecedere ad orandum in deſertis locis, vt dicitur *Marc.*1. *num.*35. quòd *Dominus diluculo ſurgens, abiit in deſertum locum, ibique orabat.* Per quod Prædicatores Dominus inſtruit, ad orationem ſæpe recurrere, vt quod non poſſunt legendo, & ſtudendo, orando accipiant & intelligant. 7.

Abulenſ. Marc. 1.

*Prædicator ad orationem recurrat.*

Septimò. Omnes rationes appoſitæ optimæ ſunt: tamen ea mihi placet. Quia, cùm Dominus iam prædicaſſet in Galilæa, & ibi multa miracula eſſet operatus, voluit in aliam regionem tranſire, vt in omnes ſuum cæleſtem rorem diffunderet. Ergo, cum Dominus videret multas turbas circum ſe ipſum, veluti affectantes, ipſum ſummum bonum inter ſe continere, diſpoſuit in aliam regionem diuertere, non enim eſt paſſus, commune bonum inter paucos concludi, ſed in omnes exuberare, & hoc etiam modo voluit adimplere munus à Patre deſtinatum. Et ita in hoc euentu poſt ſanatam ſocrum Petri ſcribit D. Lucas cap. 4. num. 43. *Turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum, & detinebant illum, ne diſcederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei quia ideo miſſus ſum.* Et *Marc.*1. *num.*37. dum; Diſcipuli dicunt Domino, *Omnes te quærunt. ait illis: Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt ibi prædicem, ad hoc enim veni.* Vide ſuprà de hac re *cap.*5. *num.*169. & *cap.*15. *num.*55. & 64. & *cap.*20. *num.*36. 8.

*Co[illegible] bene[illegible] inter paucos [illegible]dum.*

Luc. 4.

Marc. 1.

*Matth.*4.*n.*19. Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque ieris.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Præceptor mi, ibo poſt te, quocunque iueris. |
| *Vatablus.* | Sequar te, quocunque abieris. |
| *Theophylact.* | Cùm adeſſet vnus Scriba. |

ALTER TEXTVS.

*Lucæ 9.n.57.* Factum eſt autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te, quocunque ieris.

## *EXPOSITIO.*

9. VIDENS hîc legiſperitus, quòd Dominus iam parabat tranſitum in aliam regionem, & perpendens, quòd magna miracula in Galilæa operatus eſſet, & quàm admirabili ſapientia cunctos erudiret: exiſtimans, quòd magna ab his, quos ſanabat, dona reciperet; vt ſimilibus etiam bonis abundaret, magnoque populi frueretur applauſu, Domino in via ambulanti, & iam veluti ad nauiculam properanti ſocium ſe offert, vt latiùs explicabo *quæſt. ſequenti.*

10. *Paſchaſ.* *Accedens vnus.* Accedit, vt ait D.Paſchaſius, labiis, non fide, accedit ore, non animo. Et cùm exiſtens in patria ſua multos ſecum adducere poſſet; ſolus tamen venit, vt ſic magis diſſimulationem fingeret, tanquam ſi videretur ſequeſtratus ab aliis, vt ita magis deciperet. Vel quia fortè ita erat ambitioſus, vt temporale illud emolumentum, quod ipſe ſibi ſperabat ex Chriſti concomitatu, ne cum ſociis quidem ſuis, conſanguineis etiam, & amicis diuidere, ſed ſibi ſoli præoccupare intenderet. *Scriba*, id eſt, Legiſperitus, conditione elatus, & ſuperbus, vt ait Rupertus. *Magiſter.* per interrogationem legit D. Hilarius. Vnde illius nequitia apparet, quia quod certum erat, interrogat, & ponit ſub dubio. Iniquorum ingenium; quod enim manifeſtum eſt, cùm negare non audeant, tamen ne fateantur, per interrogationem proferunt. Et ſolùm vocat eum magiſtrum, vt notant D.Thomas, Rupertus, & alij: nam hæc vox Phariſæorum erat, qui maximè amabant vocari ab hominibus Rabbi, *Matth.* 23.*num.*7.*&* 26. At veri Diſcipuli vocabant eum Magiſtrum, & dominum, Ioan.13.num.13. *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine.* Vnde ait Rupertus. Bonum, & ſuaue eſt, vtrunque dicere. At ſolum vocare Magiſter, ſeu Rabbi, & non Domine, cordis eſt longinqui, id eſt, longè remoti à familiaritate dilectionis.

*Ambitioſus in bonis ſolus eſſe cupit.* — Rupert. Hilar. — D.Thom. Rupert. — Ioan.13.

11. *Paſchaſ.* *Sequar te, quocunque ieris,* Apertè manifeſtat, ait D. Paſchaſius, quòd neſciebat, quantus, & qualis eſſet iſte Dominus: ſed Scriba, vt ignorans non perpendit ſuam menſuram, & Chriſti celſitudinem, & quid, & quantum inter ſe, & illum eſſet, Rupertus ait, quòd cùm iſte eſſet Scriba, erat valde ſuperbus, ac præſumptuoſus, & ideo tantum de ſe promittere audet: ſequar te, quocunque ieris, vt latiùs explicabo *quæſt.*3.

Rupert.

QVÆSTIO II.

*Qua intentione, quóve animo iſte Scriba acceſſerit ad Dominum?*

12. *Titelman. Barradas.* HOMINIS acceſſum habemus, illius intentio indaganda eſt. Primò Titelmanus *in Paraphraſi Matth.cap.*18.& Barradas *tom.*2. *lib.*5.*cap.*11.§. *Hactenus do vulgata.* Exiſtimant, hunc Legiſperitum ſincero animo ad Chriſtum acceſſiſſe, ſeque in diſcipulum obtuliſſe. Chriſti autem reſponſionem eò dicunt ſpectare, non vt doloſum, & lucri cupidum repellat; ſed vt diſcipulatus difficultatem homini ſequi deſideranti proponat: ſicut ingredientibus cœnobia, illorum labores, ac difficultates explicantur. Verùm hæc explicatio non cohæret cum communi ſententia Patrum, vt ſtatim referam; nec cum reſponſione Chriſti: nam quare Dominus huic Scribæ, & non aliis, qui ipſum ſecuti ſunt, & ad ſe vocauit, vt duo diſcipuli Baptiſtæ, & Petrus, Philippus, Nathanaël, & alij, *Ioan.*1. *à num.*37. explicauit tantam ſuam paupertatem, ac humilitatem; niſi quia iſte Scriba deprauatam habebat intentionem, Dominumque ob temporales commoditates ſequebatur, vt intelligunt ſancti Patres citandi.

*Reiicitur hæc ſententia.*

13. *August. Chryſoſt. Tertull. Gregor. Rupert. Beda.* Secundò D. Auguſtinus *lib. quæſtionum in Matth. quæſt.* 4. *& ſerm.* 6. *de verbis Domini in monte*; *& lib. de ſancta Virg. cap.*51. D.Chryſoſtomus *homil.*28.*in Matth.* Tertullianus *lib.*4. *in Marcionem. cap.*23. D.Gregorius *lib.*19.*Moral. cap.*1. Rupertus *hoc loco.* & Beda *in cap.* 9. *Lucæ.* Huius acceſſus eam reddunt rationem, quòd iſte, videns Chriſti miracula, eum ſequi voluerit ob inanem iactantiam captandam: ac proinde quòd iſte venit ſuperbia plenus, vt populi applauſu maximè extolleretur. Hanc autem hominis ſuperbiam excludit Dominus explicans ſuam humilitatem. *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.*

*Notatur in Scriba ſuperbia.*

14. *S.Thom. Hugo. Magiſter.* Tertiò D.Thomas, Cardinalis Hugo, Magiſter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ docent, quòd iſte volebat, Chriſtum ſequi, vt virtutem faciendi miracula diſceret, & huiuſmodi ſignis multum ſibi lucri faceret. Et hæc ſententia coincidit cum ſequenti, & communi.

*Quærebat Scriba miraculorũ ſcientiam.*

15. *Hieron. Chryſoſt. Baſil.Seleuc. Paſchaſ. Euthym. Beda. Theophyl. Interlin. Lyranus, Caietan. Carthuſ. Abulenſ. Auguſt.* Quarta explicatio, quam tradunt D.Hieronymus *in cap.*8. *Matth.* & etiam D. Chryſoſtomus *citatus.* D.Baſilius Seleucus *orat.*28.D.Paſchaſius *hoc loco.* Euthymius, Beda, Theophylactus, Gloſſa Interlinealis, Lyranus, Caietanus, Carthuſianus, Abulenſis, & etiam deſumitur ex D. Auguſtino *ſerm.* 7. *de verbis Domini.* Qui omnes docent, quòd iſte lucri cauſa ſequi Dominum voluerit. Ait D.Hieronymus. *Oſtenditur nobis, & ob hoc Scribam repudiatum, quòd ſignorum videns magnitudinem, ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret, hoc ipſum deſiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat.* Actor.8.num.18.

*Accedit Scriba lucri cauſa.*

16. *Ambroſ. Peluſiota.* Hæ omnes tres ſententiæ vltimæ optimæ ſunt, & connexionem habent inter ſe, & ideo multi Patres in vna, & altera ſunt. Et conueniunt omnes iſti Patres, vt etiam docet D.Ambroſius *lib.*3. *officior. cap.*11. *& ſerm.* 79. D. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *Epiſtol.* 17. Quòd iſte Scriba acceſſerit mentis



mentis verſutia, dolo ac fraude; licèt Ambroſius, & Peluſiota non exprimant, qualis fuerit huiuſmodi dolus, nec etiam in littera textus declaretur, qualis fuerit eius intentio: tamen ex Chriſti Domini reſponſione, vt infrà dicam, optimè colligunt ſancti Patres. Nam, vt ait Caietanus, cùm Chriſti reſponſio non congruat oblationi Scribæ: *Sequar te, quocunque ieris*, intelligimus, quòd congruat animo eius, qui proculdubio maximè rebus temporalibus detinebatur; ipſe enim credebat, quòd Dominus ex tanta ſua poteſtate, ac operibus, & miraculis multas diuitias, ac amplas poſſeſſiones, & domos eſſet acquiſiturus, quorum omnium Domini Diſcipulos, ac indiuiduos comites participes eſſe futuros, Scriba præſumebat; & ideo in eorum numero volebat aſcribi. Vel etiam, quia ſperabat, quòd in tali miraculorum ſcientia edoceretur à Domino; ac proinde honorum, applauſum, ac inanis hominum gloriæ valde cupidus erat. Hæc omnia Scriba verſabat in animo, & Dominus reiicit, ſuam obiiciens paupertatem, humilitatem, rerumque omnium contemptum, dum ait: *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.*

Caiet. — *Explicatur Scribæ intentio.*

17. *Chryſoſt.* Ex quo ſecundò colligitur eius deprauata intentio. Quia dum hæc audit à Domino, nihil reſpondit, nec ſe dicit eſſe paratum, vt notat D. Chryſoſtomus *citata homil.*28. Vt fecerunt filij Zebedæi, dum à Domino interrogantur: *Poteſtis bibere calicem?* dicunt, *Poſſumus, Matth.*20. *num.*22. At Scriba nihil reſpondit, quia vidit ſe ſpe ſua fruſtratum, cùm nihil quæreret, niſi proprias commoditates, vt aduertunt Euthymius, Abulenſis *quæſt.*58.

*Confirmatur ſuperior ſententia.* — Euthym. Abulenſ.

QVÆSTIO III.

*Quàm ſuperbus acceſſerit iſte Scriba?*

18. *Caiet.* CIRCA ſuperbiam iſtius Scribæ iam aliqua notaui in expoſitione, quod altiùs hîc eſt examinandum, & Scribæ elatio ex eius verbis colligenda. Dixit enim ad Dominum: *Sequar te, quocunque ieris.* Ponderat Caietanus, quòd non ſe offert diſcipulum, ſed ſocium itineris; cùm enim eſſet Scriba, & peritus in lege, dedignabatur ſubire diſcipuli nomen. Tamen communiter Patres, ac Doctores aſſerunt, quòd iſte affectabat, inter Chriſti diſcipulos numerari, non ob Chriſti amorem, ſed ob proprium commodum.

19. *Chryſoſt.* Quàm ſuperbus, & arrogans iſte fuerit, bene deducit ex eius verbis: *Sequar te, quocumque ieris.* D.Chryſologus ſerm.19. *Dixiſſet cautiùs*, inquit, *Sequar te, quocunque iuſſeris, humaniùs certè, quocunque volueris.* Sed cùm iſte eſſet ex ordine Scribarum valde ſuperbus, non modeſtiam, ſed elationem profert in verbis; nec conſiderat, quantum diſcrimen eſſet inter ſe, & Chriſtum; inter ſe, & iuſtos: ſed vt maximè arrogans ſtatim voluit, vt notat D.Paſchaſius *lib.*5.*in Matth.* proſilire in perfectorum, ac Sanctorum vias, de quibus poſt hanc vitam, vt ait ipſe Paſchaſius, dicitur: *Sequuntur Agnum, quocunque ierit*, & protinus additur cauſa: *Virgines enim ſunt, & empti de terra, primitiæ Deo, & Agno*, Apocal.14. num.4. Superbus autem Scriba iam per Sanctorum viam affectabat incedere; & ideo à Domino non admittitur, ſed reiicitur, vt latiùs dicam *quæſt.*5.

*Arrogans Scriba in Sãctorũ perfectionẽ ſtatim proſilire volebat.* — Paſchaſ. — Apoc.14.

20. Præteriens Ieſus, cùm videret Zachæum in arbore commorantem, ait ei: *Zachæe, feſtinans deſcende*, Luc. 19. num.5. Arbor illa Crucis typum repræſentabat. Si ergo Dominus inuitat ad Crucem: *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, Matth.16.num.24. Cur igitur, cùm Zachæus in Cruce ſit, ei mandatur, vt feſtinus deſcendat de cruce? Excelſa Crucis perfectio eſt, & cùm Zachæus multis adhuc imperfectionibus, atque inquinamentis eſſet irretitus, ab arbore iubetur deſcendere, tanquam illi pro tunc immaturus, & improportionatus. D.Chryſologus *homil.*54. poſtquam adducit citatum locum Matth. ſic ait, *Deſcende, vt deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, expeditus intres pauperis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pietatis vſum, ſtudia virtutum, tolerantiam paſſionum, philoſophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus aſcendas.* Expende vltima verba.

Luc.19. — Matth.16. — *Imperfectiones priùs depone, vt aſcẽdas ad ſumma.* — Chryſolog.

21. Dum Dominus de ſua morte diſſerit, offert ſe Petrus, & ait: *Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, noſſe me*, Luc.22.num.34. Valde mirum, quòd Petro illam affectuoſam voluntatem exhibenti Dominus non gratuletur, ſed ſuam potiùs negationem obiiciat. Gloriam crucis aſcendere, perfectorum eſt; Petrus pro tunc non erat expolitus gratia diuini Spiritus, ideo adhuc immaturus ad ardua Crucis aſcendendum, atque ad Dominum per viam mortis ſequendum, ac adeò eius ſtudium tanquam intempeſtiuum, ſeu præſumptionis affectus, vt dicunt D. Auguſtinus *tractat.* 26. *in Ioan.* Chryſoſtomus *homil.*83. *in Matth.* de quo ſuo loco erit ſermo, reprimendus fuit, D.Bonauentura, *Hoc verbum*, ait, *fuit amoris, & feruoris; ſed tamen hoc erat cuiuſdam præſumptionis, quia illud promittit, ad quod non ſufficit, ſcilicet quòd paratus ſit pro Chriſto, & cum Chriſto mori, cùm ſit opus perfectiſſimæ charitatis.* Poſt pauca ſubdit: *Ideo hæc præſumptio compeſcenda erat, & propterea ſubditur: Dico tibi, Petre*, &c. Licèt enim affectus Petri fuerit amoris, cùm tamen illud eſſet opus perfectiſſimæ charitatis, prius in omni virtutum decore debebat perfici, quàm mortem pro Chriſto, ac celſitudinem Crucis vellet ſubire, ad quam, non humanis viribus, ſed gratia Chriſti præparatur homo.

Luc.22. — Auguſt. Chryſoſt. — Bonauent. — *Vt magna intendas perfectionem priùs comparare debes.*

*Matth.8.n.* 20. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Vulpes habent luſtra. |
| *Grecus.* | Vulpes habent cauernas, & volucres cæli vmbracula ex ramis contexta. |

*D.Cypr.*

*D.Cypr. lib.*1. *ad Quir.c.*11. *D.Aug.contr. Fauſt.c.*48.

Volucres cæli diuerſoria.

*Tertull.lib. de Idololat.c.*18.

Filius hominis non habet, vbi caput ſuum collocet.

ALTER TEXTVS

*Lucæ 9.n.*58.

Dixit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.

## *EXPOSITIO.*

22. ACCESSIT Scriba ad Dominum falſa ductus opinione, exiſtimans, ipſum lautè, & magnis opibus viuere: nam credebat virum tantæ poteſtatis, vt eius miraculis agnouerat, omnibus abundare. Hanc falſam exiſtimationem refutat Dominus, & huic deprauatæ intentioni reſpondit, vt notant D.Chryſoſtomus *homil.*28. D.Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, D.Thomas. Nam, cùm verba Chriſti, vt iam dixi ex Caietano, non conueniant cum interrogatione Scribæ, ſine dubio eius intentioni aptantur, Nam, vt ait D.Hieronymus, *Quid me propter diuitias, & ſæculi lucra ſequi vis, cùm nec hoſpitiolum habeam?* Ac ſi dicat: Vide quantum erras, dum ob commoditates temporales ſequi vis; nam ego vtpote perfectionis Magiſter, in ſtrictiori paupertate dego, quàm animalia terreſtria, & volatilia; ſiquidem illa habent ſua diuertiola, in quæ ſe recipiunt, & in quibus quieſcunt: at ego ne tantillum loci proprium habeo, quantum eſt vilibus animalibus conceſſum. Et ideo natum Dominum ſanctiſſima eius mater reclinauit in præſepio, in loco nempe alieno.

Chryſoſt. Hieron. Euthym. Theophil. D.Thom.

Hieron.

*Explicatio ſententiæ.*

23. *Dicit ei Ieſus*, ſcilicet intentioni hominis reſpondens, vt Auguſtinus de verbis Domini *Elatus, & doloſus non me ſequeris*; ſed ſcilicet te, & tuas commoditates. *Vulpes foueas habent*, ſcilicet doloſæ, inutiles, & inuiſæ hominibus beſtiolæ etiam in agris ſuas obtinent foueas, & commoditatum latebras. *Et volucres cæli nidos*, ſcilicet vagæ aues etiam vendicant vmbracula ſua. *Filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput*; ne tantillum quidem habet proprium. Viuebat, & degebat in alienis domibus. Scriba audiens hæc Chriſti verba nihil reſpondit, vt ex Chryſoſtomo iam notaui *quæſt.*2. *in fine*. Cur autem Chriſtus Dominus frequenter appellet filium hominis, iam explicaui hoc lib. *cap.*3.*q.*32.

Auguſt.

*Extrema Chriſti paupertas.*

Chryſoſt.

* * *

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Dominus Scribæ reſpondeat ſuam ei obiiciendo paupertatem?*

24. LITTERALEM, ac germanam huius rei rationem iam explicaui in expoſitione. Per hæc enim reſpondit Dominus, vt inquiunt Chryſoſtomus *homil.*28. & Abulenſis *q.*58. non ad interrogationem verborum, ſed ad conſilium mentis, & vt ei declararet, quantum ipſe Scriba aberrabat, cùm Dominus non opulenter viueret, nec diuitias quæreret, ſed in extrema paupertate degeret, vt ſatis eſt dictum, & docent Patres citati *quæſt.*2. Nunc accipe Euthymium: *Vulpibus*, inquit, *& volucribus cæli ſum pauperior, neque enim receptaculum habeo, nec quantum ſufficiat ad caput tantum reclinandum. Tales enim eſſe volo & eos, qui me ſequuntur. Itaque fruſtra ſuſpicatus es, & in vanum ſperaſti. Et hoc pacto dupliciter illum iuuit: & manifeſtando, quod animæ illius arcana noſſet; & illum non manifeſtè arguendo, ſed ipſi ſoli reprehenſionem aperiendo, vt & pudorem effugeret, & ſi vellet, corrigeretur.* Tres rationes hîc apponit. Primò Dominus hac reprehenſione auaritiam Scribæ damnat, & ſuam paupertatem declarat. Secundò, *Manifeſtando, quòd illius animæ arcana noſſet*, dum ad hominis intentionem reſpondit, clarè ſe eſſe Deum oſtendit, qui corda hominum penetrat. Tertiò. *Et illum non manifeſtè arguendo.* his verbis dum ad eius intentionem reſpondit Dominus, eum reprehendit, & corripit, ſed quodammodo occultè, & in ſecreto; nam Scriba bene ſuam intentionem agnoſcebat, vt ita ipſe, ſi vellet, poſſet emendari, & tamen pudore erga alios non afficiatur: *Vt pudorem effugeret, & ſi vellet, corrigeretur.*

Chryſoſt. Abulenſ.

Euthym.

*Chriſti paupertas.*

*Reprehenſio ſit occulta, vt corrigat, & verecundia non afficiat.*

25. Quartò reſpondet Abulenſis *quæſt.*58. Prudentiſſimè Dominus ita reſpondit. Nam, ſi abſolutè Scribam repelleret, non expreſſa cauſa, cùm ipſe rem bonam peteret, nempe Chriſti diſcipulatum, admirarentur turbæ, & multi ſcandalizarentur, putantes fortè, quòd eum repelleret, quia vir peritus, doctuſque erat; ideo expreſſit cauſam, vt omnibus fieret manifeſtum, quòd ob illius auaritiam, ſuperbiam, ac malam intentionem eum ad ſuum diſcipulatum non admittebat, cùm ipſe ſuis Diſcipulis præciperet: Nolite portare aurum, nec argentum in zonis veſtris; valde enim perutile, eſt, vt Rex in ſuis mandatis, atque decretis cauſam apponat, vt populi ſententiæ amputentur, & multorum ſcandalum euitetur.

Abulenſ.

*Aliquando Rex in ſuis mandatis rationem reddat.*

26. Quintò D.Baſilius Seleucus *Orat.*28. ait, *Quid miraculorum fingis deſiderium, cùm pecuniarum te vincat animus? Quid ob quæſtum diuitiarum paupertatis adiiſti legiſlatorem? Pecuniæ miraculis non actitantur. Inſpice me, qui ex auctoritate patro miracula, volucribus pauperiorem. Non ex miraculis aurum legitur, neque nobis hoc admirabilium rerum lucrum eſt.* Nullo alio in loco, quantum recordor, tam exactam Dominus, rigoroſamque ſuam explicauit paupertatem, vt hoc in præſenti; non enim eſt paſſus, vt iſte Scriba ſuſpicaretur, quòd ipſe miracula, ac mirabilia ederet; vt pecuniam ad opes compararet. Valde enim turpe eſt, & diuinæ gratiæ in temporale lucrum

Baſil. Seleu.

*Dona gratiæ accepta non ordinentur ad lucrum.*



lucrum ordinentur. *Non ex miraculis aurum legitur.*

27. Ait michæas cap. 3. num. 11. *Prophetæ eius in pecunia diuinabant; propterea cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur.* Extrema populi ruina apponitur, & cauſa redditur, quia vſu prophetiæ ob quæſtus captandos fiebat. D. Cyrillus Alexandrinus *ibi*, ſic ait: *Nefarium planè eſt, pietatem quæſtus occaſionem facere, & res diuinas acquirendæ pecuniæ viam arbitrari.* Poſtquam Naaman miraculosè ſanatus eſt ab Eliſæo, obtulit ei magna munera, quæ Propheta noluit recipere, eumque mittit in pace. Quod videns Giezi currit, & ab ipſo Naaman accepit duo talenta aurea, ac duplices veſtes. Et poſtea reuerſus, cùm ſtetiſſet ante ſuum Magiſtrum, dixit ei tunc ipſe: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſempiternum*, 4. Reg. 5. num. 27. Sed in quo deliquerunt Giezi filij, vt tanto ſupplicio afficerentur? maximè doluit Prophta, quòd alicui poſſet in mentem venire, quòd ipſe ob miracula facta in Naaman ab ipſo munera accepiſſet, & ideo lepram in Giezim, ac ſemen eius in ſempiternum inflixit tanquam perenne memoriale tam auaritiæ Giezi, quàm integerrimæ puritaris ipſius Prophetæ. Abulenſis quæſt. 45. *In Poſteritate Giezi durauit plaga illa magno tempore, vt in omnibus ſæculis futuris retineretur memoria peccati Giezi.*

Michææ 3.

Cyrill. Alex.

*Graue malũ, res diuinas ad lucrum captandum retorqueri.*

4. Reg. 5.

*Maximè fugiendum, ne res diuinæ ordinentur ad lucrum.*

Abulenſ.

## QVÆSTIO V.

### *Quare Dominus reſpondeat Scribæ exemplo vulpium, & volucrum cæli?*

28. GERMANAM, ac litteralem rationem huius difficultatis iam dedi ſuperiori quæſtione. De ſenſu morali in præſenti agimus. Primò Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. *Eos*, ait, *qui in effodiendis, & infodiendis diuitiis verſantur, homines prauos, & planè terræ filios vulpes Chriſtus appellauit.* Diuites rapaces, qui multis dolis verſantur in acquirendis ſuis diuitiis, & eas in ſuis theſauris tanquam in foueis recondunt, vulpes dicit. Et quia diues ſuis diuitiis ſuperbeſcit, vulpibus adiunxit Chriſtus volucres cæli propter ſuperbiam, illæ enim in excelſis, ac ſublimibus locis nidos ſuos conſtruunt. At filius hominis, nec habet foueas, nec nidos, nec theſauros, nec magnam, nec paruam domum, itaut ne cubile quidem habeat, in quo reclinet caput.

Clem. Alex.

*Diuitias cõcomitatur ſuperbia.*

29. Secundò Euthymius ſic ex aliis refert: *Quidam vero dicunt, quod præcognoſcens eum Chriſtus non ſolùm pecuniarum amori ſeruientem, ſed aliis quoque affectibus, anagogicè reſponderit, Vulpes, ac volucres appellans Dæmones propter dolum illorum, quòd ſeminibus, ac fructibus virtutum inſidiantur. Ac ſi diceret: Dæmones quidem foueas, ac nidos in te habent: ego autem neque breuiſſimam requiem apud animam tuam inuenio.* Per *vulpes* ob dolum intelliguntur Dæmones; & ob hanc etiam cauſam Dominus Herodem vulpem appellauit: *Dicite vulpi illi*, Luc. 13. num. 13. Per *volucres cæli* Dæmones ſignificantur, vt etiam notat D.Thomas: *Venerunt volucres cæli*, Matth. 13. num. 4. Nam ad præſens inſtitutum, ſicut vulpes, & volucres demoliuntur, ac deuaſtantur ſemina, ac fructus terræ, ita Dæmones virtutum plantationes eradicare conantur, multaque machinantur in illas. Cùm ergo, ait Dominus, in te, ô Scriba, Dæmones ſuas foueas, nidos, ac receptacula habeant, ego in corde tuo non inuenio ſedem, neque requiem: Deus enim, & Belial ſimul cohabitare non poſſunt.

Euthym.

Luc. 13.

S.Thom. Matth. 13.

*Dæmones virtutum ſemina, atque fructus demoliuntur.*

30. Tertiò D.Paſchaſius lib. 5. in Matth. *In omnibus*, ait *qui foueas habent prauitatis, & Dæmones nidificant, filius hominis non habet, in quo caput reclinet. Caput, vero Chriſti Deus; Deus autem non niſi in mundis ſe reclinat mentibus, fide prius mundans corda eorum. Cæterùm in eis, qui aut foueas ſibi fodiunt prauitatis, aut in quibus volucres Dæmonum nidificant viliorum artibus, Deus reclinare non creditur.* Per vulpes, ac volucres Dæmones intelliguntur, qui foueas, ac nidos nidificant omni malitia, ac ſpurcitia vitiorum in cordibus hominum. Et qui tales ſunt, non habet Chriſtus in eis, vbi reclinet caput; nam caput Chriſti Deus, Deus autem non requieſcir, niſi in puris, ac mundis corde, in quibus ipſe inhabitat.

Paſchaſ.

*Deus non habitat, niſi in puris, ac mũdis corde.*

31. Quartò D. Auguſtinus *in quæſtionibus Euang.* & Abulenſis *quæſt.*58. inquiunt, quòd iſte Scriba propter ſolam curioſitatem, ac iactantiam ſequi Dominum volebat, quod per *aues*, deſignatur; & tamen per quandam doloſitatem, hanc ſuam matiam occultabat, quaſi vellet Chriſti eſſe diſcipulus, quæ deloſitas in *vulpe* ſignificatur. Ait ergo Scribæ Dominus, quòd, cùm ipſe in corde ſuo habeat foueas, & nidos iactantiæ, ac doloſitatis, quod non eſt in corde ſuo, in quo ipſe valeat reclinare.

Auguſt. Abulenſ.

*In doloſo, ac præſumente Deus non habitat*

32. Quintò idem D.Auguſtinus *citatus* in Catena D. Thomæ. *Filius hominis*, ait, *non habet, vbi caput ſuum reclinet, ſcilicet in fide tua; vulpes enim habent foueas in corde tuo, quia doloſus es; volatilia cæli habent nidos in corde tuo, quia elatus es. Doloſus, & elatus non me ſequeris, quomodo enim doloſus ſequetur ſimplicitatem.* Idem docent D. Ambroſius *lib.*6. *in Hexaëmeron. cap.* 8. D. Gregorius Magnus *lib.*4. *Moral. cap.*25. Cùm ergo iſte Scriba eſſet ſuperbus, quod denotatur in auibus; & eſſet doloſus, quod exprimitur in vulpibus, non inueniebat in anima ſua Chriſtus locum, nec ipſe poterat eſſe Chriſti diſcipulus. *Quomodo enim dolus ſequetur ſimplicitatem.* Deponamus ergo dolos, vt in nobis Chriſtum recipiamus vt ait D. Ambroſius citatus. *Noli igitur*, inquit, *eſſe fraudulentus, crudelis, immitis, vt in te Chriſtus reclinet caput.* Chriſti ſimplicitas huiuſmodi fraudulentam verſutiam maximè fugit, quæ inter omnia vitia valde deteſtanda eſt, vt ait D. Nazianzenus orat. de Epiſcopis. *Enimuero rerum omnium, quæ turpes ſunt, turpiſſima eſt ſimulatio.*

Auguſt.

Gregor. Ambroſ.

*Doloſus Chriſtianam ſimplicitatẽ ſe qui non poteſt.*

Nazianz.

## QVÆSTIO VI.

### *An, & quare Dominus repulerit Scribam à ſuo diſcipulatu?*

33. DVBITATVR in præſenti: An his verbis Chriſtus Dominus repulerit à ſe Scribam? Repulſum fuiſſe, aſſerunt D. Ambroſius *in cap.*9. *Luc.* D.Auguſtinus *ſerm.*7. *de verbis*

Ambroſ. Auguſt. Gregor.

Gregor. Paſchaſ. Chryſoſt. Chryſolog. Ethym.

*verbis Domini.* D. Gregorius *homil.* 13. *in Ezechiel.* D.Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* E contra verò D.Chryſoſtomus *homil.* 28. *in Matth.* D.Chryſologus *ſerm.* 19. Euthymius docent, Scribam non repulſum fuiſſe his verbis, ſed quòd Dominus illius opinionem carpit, & eum inſtruit in modo,& via, quo Chriſtus eſt ſequendus. Sic ait Euthymius: *Hoc dicendo, non vetuit Chriſtus, Scribam ſe ſequi, ſed docuit, quòd ſi ſequeretur, non inuenturus eſſet lucrum,quod quærebat.*

34. *Secunda ſententia probabilior.* Hæc ſecunda ſententia mihi eſt probabilior. Nec enim clementiſſimus Dominus, pietatis auctor, qui omnes ad ſe vocabat, & mox alium diſcipulum abire cupientem retinuit,Scribam venire volentem prohibuit,ſed tantùm eum docet, vt quem ſequi vellet,animaduertat pauperem,& humilem eſſe, non verò diuitem, ac inflatum, vt iſte Legiſperitus falsò exiſtimabat.Et ita eum inſtruit de modo, quo ſequendus eſt, malamque eius intentionem carpit,ac reprehendit.

35. Tamen illa prima ſententia, quòd Dominus hunc repulerit, quæ cùm ſit tantorum Patrum, veneranda eſt; eorum fundamenta, quæ magnæ ſunt eruditionis noſtræ, videamus. Et primò D. Auguſtinus ſerm.7. de verbis Domini. *Quid eſt,* ait, *quòd Domino diſplicuit tam paratus. Quia talis magiſter erat, qui futura præuideret. Intelligimus, iſtum hominem, ſi ſequeretur Chriſtum, ſua quæſiturum fuiſſe, non quæ Ieſu Chriſti* Noſter Redemptor,vtpote verus Deus,agnouit præſentem hominis intentionem,& futuram malitiam. quòd ad ipſum veniebat,non quærens Chriſtum, ſed ſuas commoditates deſiderans,& affectus eorum, qui non te, ſed tua quærunt, maximè euitandi,ac repellendi ſunt.

Auguſt.

*Repudiandus animus eorũ. qui non te, ſed ſua quærunt.*

36. Auguſt. Secundò idem D. Auguſtinus lib.22. contra Fauſtum cap.48. *Videbat*, ait, *eum doloſa ſimulatione tenebroſum, & ventoſa elatione iactatum, non habere fidei locum, vbi ſe inclinantem doctorem humilitatis exciperet: quia in diſcipulatu Chriſti, non illius gratiam, ſed ſuam gloriam requirebat.* Neceſſarium erat, vt iſte à Chriſto reiiceretur, qui in eius diſcipulatu, ac ſequela aliquid quærebat, quod ſibi arrogaret,ac retineret; non enim iſte ſtudebat Dei gloriæ, ſed ſuæ commoditati: & animus non totum Chriſto referens, ſed aliquid ſibi præoccupare volens, indignus omnino, qui in diſcipulatu, ac conuentu Chriſti recipiatur; talis enim animos à terrenis denudatos, & ſolùm in Chriſtum intentos requirit.

*Vt Chriſtum ſequaris, ne tibi aliquid retineas.*

37. Chryſolog. Tertiò D.Petrus Chryſologus ſerm.19. *Decipit*, ait, *non accedit, qui promittit, Dominum incautè ſequi, ſed ad omnia poſſe, quis promittit? Dixiſſet cautius: Sequar te, quocumque iuſſeris: humaniùs verò certè, quocumque volueris!* Dominus,qui alios ad ſe vocabat, ac benignè recipiebat, hunc Scribam volentem ſequi reiicit à ſe. Quid tibi,Domine,tantum in hoc diſplicuit? Vidit Dominus animum eius in re ardua,& virtutis incautè, & temeraria præſumptione ſibi confidere, & credere, ait enim: *Sequar te, quocunque ieris*; ſicut enim,Chriſtum non ſequi,animi hebetudo eſt; ita eum per omnia ſequi,ſupra modum ambitioſa temeritas eſt.Et tam audax præſumptio Domino diſplicuit, cui maximè placuit mediocritas,vt homo non plus ſibi intendat,quàm ſuæ vires patiuntur.

*Incauta præſumptio, maximè diſpliceat.*

38. Paſchaſ. Quartò D.Paſchaſius lib.5. in Matth. *Chriſtus hunc Scribam, non volentem ſequi, ſed fingentem, prodidit, quem exhorruit præſumentem. Alioquin quomodo volentem iſtum repelleret, qui alium, abire cupientem, prohibuit, ne abiret?* Et idem habet Chryſoſtomus homil. 28. *Scribam Chriſtus non repulit volentem, ſed fingentem prodidit, & horruit præſumentem.* Pius ſalutis amator omnes ad ſe vocabat,& diſcipulum abire volentem,vt ſtatim videbimus,non eſt paſſus,ſed retinuit,publicanos, peccatores, & etiam in Cruce latrones non horruit. At vbi vidit hunc Scribam ſuperbè præſumentem: *Sequar te, quocunque ieris*; ſtatim horruit, & ſecum non eſt paſſus, ſed à ſe reiicit. O execrabilis ſuperbiæ turpitudo inter omnia vitia, quæ, etiam in piiſſimo,ac beneuolo animo vehementer horrorem ſui generat,& producit.

Chryſoſt.

*Superbia inter omnia vitia valde exoſa,& odibilis.*

Ait Regius Vates: *Deieciſti eos, dum alleuarentur*, Pſalm.72.num.18. Sicut & ſubmerſo Pharaone, inquit Moyſes: *Cantemus Domino, glorioſè equum, & aſcenſorem deiecit in mare*, Exod. 15.num.1. Seu,vt habet Chaldaica, *Equum, & aſcenſorem eius proiecit in mare.* Cur Moyſes hanc hiſtoriam ſcribens,non ait,quòd Dominus interfecit, vel ſubmergit equum, & aſcenſorem, ſed inquit, *Deiecit*, ſeu *proiecit*, quod actionem cum impetu, & vi denotat? Quando aliqua res eſt nobis maximè inuiſa, & odibilis, cum impetu, ac violentia abiicimus. Sermo eſt hîc, quòd Dominus perire fecerit ſuperbiſſimum Pharaonem cum ſuo exercitu. Equus,& aſcenſor,eorum elationem denotat. Et licèt alij peccatores, & Idololatræ dicantur à Domino occiſi, & interfecti, *Ioſuë* 2.*num.*10.& 2.*Paralipom.*28.*num.*3.& *Iſai.* 61.*num.*15.& 66.*num.*16. At cùm de ſuperborum nece fit mentio, non quomodocunque dicuntur morte perempti; ſed cum impetu, ac vi,tanquam rem maximè inuiſam,& exoſam deieciſti,ac proieciſti. Agellius. *Equum ſuperbiſſimum animal, quo nihil fortius, & confidentius ad ſpeciem videri poteſt,non dico demerſit,aut labi permiſit,ſed proiecit in mare, quaſi ſublimem raptum impetu ſummo iaculatus: his autem verbis indicat, Deo nihil ita exoſum eſſe, quàm ſuperbiam, & animas ſibi fidentes.*

39. Pſalm.72. Exod.15.

Chald.

*Superbus inter omnes peccatores maximè proiiciendus.* Agellius.

*Matth.*8.*n.* 21. Alius autem de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte, me primùm ire, & ſepelire patrem meum.

*VERSIONES.*

*D.Paſch.lib.*5. Tunc alius diſcipulus ait illi.

*Syriacus.* Domine mi, permitte mihi, primùm ire ſepultum patrem meum.

*Vatablus.* Alius autem de numero diſcipulorum ipſius, dixit ei, permitte mihi priùs,vt abeam.

*Græcus.* Concede mihi abire, vt ſepeliam.

ALTER



ALTER TEXTVS.

*Lucæ* 9.*n.* 59. Ait autem ad alterum: Sequere me; ille autem dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.

## *EXPOSITIO.*

40. AN hæc hiſtoria de diſcipulo facta fuerit eodem de tempore, quo euenit id,quod ſuprà narratùm eſt de Scriba,omnino incertum. Toletus in Lucam *annot.* 127.exiſtimat,diuerſo tempore contigiſſe;Euangeliſtas verò coniungere,ob doctrinam, quæ ex coniunctione horum deducitur. Sed, cùm duo Euangeliſtæ ſacri has hiſtorias coniungant, ita eueniſſe, Deo ſic diſponente ad noſtram eruditioonem, mihi eſt probabilius. Et hanc ſententiam expreſsè docet D.Paſchaſius *citatus.*

Tolet.

Paſchaſ.

41. Bonauent. *Alius autem.* Seu, vt etiam ſcribit Lucas, *Ait*, ſcilicet Ieſus, *ad alterum.* Vnde, ait D. Bonauentura, ibi ſignanter alius, & alter dicitur hic diſcipulus; nam alterius diſpoſitionis erat ab illo Scriba; iſte enim erat humilis, ſimplex, pius, ac fidelis, vt eius verba indicant. Quod ponderans Diuus Auguſtinus *ſerm.* 7. *de verbis Domini*, ait: Quantum in Scriba mali,tantum in hoc homine boni fuit. *De diſcipulis eius*; non ex Apoſtolis, ſed ex diſcipulis erat. Et ait, *Domine* reuerenter loquitur; & Dominum,ſeu Dominum ſuum, vt exprimit Syriacus, vocat,agnoſcens,ſe illius ſeruituti, ac dominio ſubiectum. Et non, ſicut ille prior Scriba, Magiſtrum tantùm, quod minus eſt, ſed quod maius, Dominum dicit, ſuam fidem, humilitatem, pietatemque demonſtrans. *Permitte me.* Quod ponderans Euthymius bene ait: *In re etiam, quæ iuſta, ac neceſſaria videbatur, poſtulat, vt ſibi liceat: nolens ſua ipſius auctoritate abſcedere.* Res valde pia erat, & obſequium debitum parentibus; & tamen in magnum Religioſorum documentum,non vult recedere, niſi petita, & obtenta licentia.

Auguſt.

Euthym.

*Religioſus etiam pia nõ audeat abſque licentia.*

42. Chryſolog. *Primùm ire, & ſepelire patrem.* Illud aduerbium *primùm*, bene premit Diuus Petrus Chryſologus ſerm.19. *Hoc ei, non primum eſſe debuit, ſed ſecundum: terrenus pater cæleſti poſtponendus eſt Patri.* Dum diuino obſequio præpoſuit paternum, aberrauit; Chriſtus petitam facultatem denegauit. Lucas addit, quòd ante propoſitam ſuam petitionem ei fuit dictum à Domino: *Sequere me.* Hoc commodiùs explicabo *quæſt. ſeq.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quiſnam eſſet iſte homo? Et quomodo ſequens Chriſtum, habens parentem mortuum?*

43. DE iſto adoleſcente ait Diuus Matthæus, quòd erat *ex diſcipulis eius*; & ante ſuam petitionem ſcribit B.Lucas, quòd ei dixit Dominus, *Sequere me.* Quomodo ergo ante petitionem eum diſcipulum appellat Diuus Matthæus. *Alius de diſcipulis eius.* Dicunt aliqui, vt Barradas, quòd iſte nondum erat diſcipulus, ſed quia diſcipulus poſtea fuit, ideo vnus ex diſcipulis dicitur à Matthæo. Diuus Auguſtinus *lib.* 2.*de conſenſu Euangel.cap.* 23. tenet, vnum ex his ſacris Scriptoribus non ſeruaſſe ordinem in referendo, vt ſæpè fit ab Euangeliſtis, aliquando enim per anticipationem narrant geſta hiſtoriæ. Abnlenſis verò hîc *quæſtione* 60. ait, quòd iſte ante hoc factum erat diſcipulus Domini imperfectè, & latiori modo, vt frequens eius auditor, & ſectator, nunc autem Dominus fecit eum perfectè ſuum diſcipulum.

Barradas.

Auguſt.

Abulenſ.

*Quomodo iſte dicatur diſcipulus.*

44. Tolet. Veriſimilius videtur dicendum, vt notat Toletus *annotat.* 128, *in Lucam*, Chriſtum dupliciter dixiſſe, *Sequere me*; ſemel à principio ante petitionem; id narrat Lucas, & prætermittit Matthæus: & iterum poſt licentiam petitam de ſepeliendo patre, tunc ei ait Dominus: *Sequere me*, &, *ſine mortuos.* hoc Matthæus exprimit, & ſilet Lucas. Vel etiam poteſt dici, quòd hic iam diſcipulus Domini erat, vt ait Matthæus, tamen cùm Dominus agnitor cordium videret eius affectum eundi ad ſepeliendum patrem, ei dixit, Sequere me, vt refert Lucas; qua occaſione ipſe profert ſuam petitionem, & Dominus iterum inſtat, Sequere me, & ſine mortuos, vt narrat Matthæus. Et hic vltimus modus mihi eſt probabilior,nam in illo omnia optimè conſonant in littera.

*Vera reſolutio.*

45. Clem. Alex. Erat iſte adoleſcens Domini diſcipulus. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Stromat. cap.* 2. exiſtimat, hunc fuiſſe Philippum poſtea Apoſtolum. Tamen hæc ſententia, & meritò, communiter non probatur à Recentioribus. Nam in primis in ea nullum aſſignatur fundamentum. Et Philippus iam pridem fuerat vocatus à Domino, *Ioann.* 1. *numero* 43. & Chriſtum ſequebatur.

*Iſte diſcipulus non erat Philippus.*

46. *Quomodo eius parens dicatur mortuus.* Difficultas verò eſt: Quomodo iſte adoleſcens habens ſuum parentem demortuum domi, ibi non erat in luctu, ſed venerit ad Chriſtum relicto domi parente mortuo? Facile nodus ſoluitur in ſententia eorum, qui dicunt, quòd iſte diſcipulus non petierit facultatem ſepeliendi parentem, qnaſi iam ipſe eſſet vita functus; ſed licentiam expoſtulaſſet, cum patre valde iam ſene adhuc viuente permanendi, vt curam illius haberet, quouſque erga ipſum mortuum vltimum humandi officium expleret, quo perſoluto, ſequar te. Ita docent Theophylactus *in capite nono, Luc.* Simon Caſſianus *libro nono, capite decimoſexto,* Brixianus, Titelmanus, Lyranus, Caietanus, Franciſcus Lucas. Et probabilius iudicat Barradas.

Theoph. Caſſian. Brixian. Titelman. Lyran. Caiet. Franc. Luc. Barradas.

47. *Vera reſolutio.* Longè peobabilior eſt ſententia affirmans, patrem fuiſſe verè mortuum. Ita tradunt Diuus Chryſoſtomus *homil.* 28. D. Baſilius *lib. de conſtitutionibus Monaſtic, cap.* 21. Euthymius, Diuus Paſchaſius,Beda, Rupertus, Albertus Magnus, S. Thomas, & alij. Non enim veriſimile eſt, eum,quem Dominus ad ſe vocabat, tam longi, tamque incerti temporis inducias poſtulaſſe. Ad

Chryſoſt. Baſil. Euthym. Paſchaſ. Beda. Rupert. Albert.Mag. D.Thom.

difficultatem ergo propoſitam dic, quòd fortè iſte vehementi Chriſti amore ſtimulatus ipſum relicto parente mortuo eſt ſecutus. Vel dic, quòd iſte, cùm eſſet in concomitatu cum Chriſto, ex aliquo nuntio accepit mortem parentis. Et hinc poteſt coniecturari cauſa, ob quam Dominus ei dixit: Sequere me.

48. Maximè hîc conſideranda eſt ſapientia, ac clementia Domini, quòd Iacobum, & Ioannem vocauit, adhuc parente viuente: nam illi *relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum*, Matth. 4. numero 22. At hunc adoleſcentem non vocat, iuxta probabilem ſententiam, niſi poſt demortuum parentem, cuius obitum Dominus expectauit, vt eum ad ſe attraheret, quia ſi pater eius viueret, fortè illius amor ei eſſet impedimentum ad Chriſtum perfecto, & toto animo ſequendum; ideo opportuno tempore, ac occaſione eum Dominus ad ſe vocat. Vide *cap. 5. numero 279. cap. 7. numero 14. & cap. 16. num. 92. & 93. & cap. 20. num. 19.*

*Matth 4.*

*Deus opportuno tempore vocat.*

*Matth. 8. n. 22.* Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

### VERSIONES.

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Veni poſt me, & relinque mortuos ſepelientes mortuos ſuos. |
| *Theophylact.* | Sine mortuos ſepelire. |
| *Ruricus Lemouicenſis Epiſcop. lib. 2. Epiſt. 45. ad Albinum.* | Sine, vt plangant mortui mortuos ſuos, |

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 9. n. 60.* Dixitque ei Ieſus: Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

## EXPOSITIO.

49. REPETITO ſermone ait ei Ieſus: *Sequere me.* nam ante eius petitionem ſemel hoc ei dixit, vt ſcribit Lucas; nunc verò iterum poſt expoſitam poſtulationem. Per quod denotatur, quàm efficaciter hunc diſcipulum ad ſe trahere volebat. *Et dimitte mortuos.* Non dixit ei Dominus, non eſt neceſſe, vt vadas; nec abſolutè licentiam negat, ne eum, ſuamque petitionem deſpicere videatur: ſed ſuæ prohibitionis reddit iuſtiſſimas cauſas, quibus vocatum erudiat, conſoletur, ſuauiterque Domini mandatum ſuſcipiens maximè animetur ad vocationem ſequendam, vt latiùs explicabo *quæſt. ſequenti.*

*Dum Prælatus licentiam negat, det aliquando rationem.*

50. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Non eodem modo ſumitur hæc vox, *mortuos*, in vtroque loco. Nam, vt rectè ait Diuus Ambroſius lib. 7. in Luc. ad cap. 9. *Quomodo mortui ſepelire mortuos poſſunt, niſi geminam hîc intelligas mortem.* In primo loco, *mortuos*, ſignificat homines deſtitutos gratia Dei, ac fide, nempe peccatores, & infideles, ſcilicet Iudæi fidem meam reſpuentes, ac negantes, vt docent Diuus Chryſoſtomus *homil.* 28. Diuus Auguſtinus *quæſt. 6. in Matth. & ſerm. 7. de verbis Domini.* Diuus Ambroſius *in cap. 9. Luc.* Diuus Hieronymus, Diuus Paſchaſius, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura. In poſteriori verò loco mortuos intelligit corporaliter, & etiam dici poteſt ſpiritualiter: nam dum ait *ſuos*; analogicè intelligit ſibi ſimiles, hoc eſt, deſtitutos ſpiritu, ac gratia Dei. Vnde notat D. Thomas, quòd dum Dominus ait huic iuueni *mortuos* in plurali, ſignificat, eius parentem defunctum fuiſſe duplici morte, corporis ſcilicet, & animæ; nam ſicut corpus animatur anima, ita anima viuit per gratiam Dei, qua deficiente, mortua eſt. Quod eleganter diſſerit Diuus Chryſologus ſerm. 19. *Quomodo mortui ſepeliant mortuos ſuos? Fratres ipſe dixit: Ego ſum vita,* Ioann. 14. numero 6. *Quod eſt anima corpori, hoc eſt, animæ Chriſtus: ſine anima corpus non viuit; non viuit anima ſine Chriſto: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo ſuccedunt, decedente Deo confeſtim venit in animum peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis ſepulchro viuo funus animæ iam ſepultum.*

Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt. Ambroſ. Hieron. Paſchaſ. Alb. Magnus D. Thom. Bonauent. Chryſolog.

*Peccatum mors animæ.*

51. Addit verò D. Lucas: *Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* quo ſcilicet modo peruenitur ad regnum Dei. *Regnum* autem *Dei* appellat hîc Chriſtus Dominus ſuum aduentum, nam per fidem eius Euangelio conformem peruenit homo ad ſalutem, & vitam æternam. Vnde conſidera, quanto excellentius, vtilius, ac magis neceſſarium ſit, annuntiare regnum Dei, quàm ſepelientibus mortuos coniungi. Ad illud ipſe te vocat, & tu indubitanter perge. Diuus Chryſoſtomus *homil.* 28. ſic ait: *Multo melius eſt, regnum Dei promulgare, & alios à morte retrahere, quàm mortuum, qui nulli vſus eſt, ſepelire; maximè cùm ſint, qui hæc omnia obeant.* Adoleſcens autem his auditis, vt notat citatus Chryſoſtomus, non ægrè tulit, nec replicauit, ſed cum magna obedientia ſiluit, ac permanſit cum Domino.

*Chriſtum ſequētes ſublimia habemus.*

Chryſoſt.

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Dominus huic adoleſcenti non permiſerit, ſepelire patrem ſuum?*

52. COMMVNE dubium, & ſatis ventilatum apud Patres. Reſpondet primò D. Cyrillus citatus in Catena Græca, *Sine,*

Cyrill.



*Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos. Erant ſiquidem etiam alij domeſtici, & propinqui, qui patris illius curam gerebant, ſed adhuc mortui, vti autumo, eo quòd nec dum in Chriſtum crederent, ne per Spiritum ſanctum regenerati adhuc eſſent; illi inquit, ſepeliant mortuos ſuos, cùm & ipſi mentem habeant mortuam.* Prima verba S. Patris conſidero; de aliis ſequenti ratione dicam. Non permittit Dominus abire, ſiquidem eius opera neceſſaria non erat, quanuis enim ille non accederet, erant alij, qui parentem mortuum ſepelirent. Hoc denotat Chriſtus: *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Et idem habet Chryſoſtomus proximè citatus in expoſitione.

*Adoleſcentis opera neceſſaria non erat.*

Chryſoſt.

53. Secundò D. Hilarius Can. 7. in Matth. *Mortua mortuis officia ſunt relinquenda, vt mortui ſepeliantur à mortuis, quia per fidem viuos viuo oportet adhibere.* Et Diuus Hieronymus in præſenti. *Si mortuum ſepelit mortuus, non debemus habere curam mortuorum, ſed viuentium, ne dum ſoliciti ſumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur.* Et idem docet D. Baſilius *in Conſtitut, Monaſticis cap.* 21. Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* 7. & Diuus Cyrillus in proximè citatis verbis. Qui temporalibus incumbunt, mortui ſunt; qui autem de ſpiritualibus agunt, viui habentur, vt ex Chryſologo dixi in expoſitione. Ergo qui temporalibus ſtudent, cùm mortui ſint, ſepeliant mortuos ſuos, cum eis quaſi ſimiliter mortui exiſtant. Qui autem ſpiritu viui ſunt, tractent etiam de viuis, vt aliis annuntient regnum Dei, vt ipſi quoque per gratiam regenerati ſimiliter viuant. Tu verò, ô adoleſcens, ait Chriſtus, cùm ſis viuus per fidem, & charitatem meam, quid tibi cum mortuis? age de viuis, nempe meis fidelibus, & ſine, vt mortui ſpiritu tractent de ſuis conſimilibus mortuis, eoſque ſepeliant. Vnde ille, qui habebat Dæmonium, notat D. Lucas cap. 8. numero 27. *Neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Diuus Baſilius Seleucus Orat. 23. *Cùm ipſe eſſet Dæmonum domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt & mortuos inter habitare cogeretur.*

Hilar. Hieron. Baſil. Tertull. Cyrill.

*Peccator mortuus, iuſtus viuus.*

Luc. 8. Baſil. Seleuc.

54. Tertiò Diuus Ambroſius *lib. 7. in Luc. ad cap. 9.* ſic ait: *Cùm religioſum humandi cœperimus officium, quemadmodum hîc paterni quoque funeris ſepultura prohibetur: niſi vt intelligas, humana poſthabenda diuinis? Bonum ſtudium, ſed maius impedimentum; nam qui partitur ſtudium, deriuat affectum; qui diuidit curam, differt profectum. Ergo priùs obeunda, quæ maxima ſunt: nam & Apoſtoli, ne occuparent ſtudium diſputandi, miniſtros pauperibus ordinarunt.* Cùm veriſſimum ſit illud proloquium.

Ambroſ.

*Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus;*

non permittit Dominus, vt iſte ſuus diſcipulus ſepeliat parentem, & terrenis incumbat. Vult Dominus, vt ſui diſcipuli ea maximè cogitent, in animoque reponant, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ac ad bonum ſpirituale ſui gregis commiſſi: temporalia verò, vtpote minora, non multi faciant, ſed aliis tractanda relinquant. Vnde ait ipſe Ambroſius in Pſalm. 48. *Ideo prohibet, vt diſcipulus ſuus ſepeliat patrem ſuum, quia Æterno Patri ſine ceſſatione eſſe debet intentus.* Sine vlla interpolatione, æterna, & cæleſtia meditari debemus.

*Mundi negotia ſemper catenatim veniunt.*

Ambroſ.

55. Quartò idem D. Ambroſius citato loco in Luc. *Non reuocatur*, ait, *ab officio patris filius, ſed fidelis à perfidi communione ſecernitur.* Idem ſimiliter Albertus Magnus, D. Thomas. Ob periculum non vult Dominus, vt hic ſuus diſcipulus ſe immiſceat mortuis fide, ac ſpiritu; nam illius pater peccator, ac infidelis extiterat, vt iam explicaui; ne ſimiliter ipſe myſticè moriatur, infideliſque fiat. Sed inſtabis, Pater iam demortuus erat: ergo adoleſcens nullum poterat ex eius malitia exhaurire contagium. Pater mortuus erat; peccator tamen, & infidelis extiterat, ideo Dominus non concedit, vt adoleſcens ad ipſum perueniat, ne vmbris ſaltem offuſcaretur paternis. Ita enim abſcindendus eſt peccati odor, atque occaſio, vt quoduis illius veſtigium, ac monumentum hominis etiam defuncti, atque demortui, eſto pietatis prætextus interueniat, maximè tamen præcauendum ſit, atque timendum, ne inde reliquiæ pullulent, quæ interitum animæ parent.

Idem. Albert. Mag. D. Thom.

*Occaſio peccati etiam defuncti fugienda.*

56. Quintò Diuus Chryſoſtomus homil. 28. *Erat veriſimile*, ait, *poſt parentis ſepulturam ad teſtamenti, legatoriſque conſiderationem deuenturum: & hæreditatis diuiſionem, deinde in aliud ex alio, quaſi vndarum fluctibus diſtractus procul à portu ſalutis iactaretur: quæ ne illi acciderent, ſecum eſſe ipſum iubet, eumque ſibi volentem affigit, ac coniungit.* Ne decipiatur homo ſæcularibus negotiis, putans ſe vni tantùm commiſſum; nunquam enim vnum inueniet, nam catenatim ruunt; dum enim vni indulget, multis aliis ſuccedentibus, ac emergentibus implicatur. Meritiſſimè ergo Dominus petitam negat patrem ſepeliendi facultatem, nam poſtea venturum erat ad teſtamenti executionem, ad funeralia perſoluenda, ad legata implenda, ad hæreditatis diuiſionem, quibus omnibus à Chriſti ſequela homo maximè retardaretur.

Chryſoſt.

*Mundi negotia catenatim veniunt.*

57. Sextò Diuus Thomas. *Quod inter fideles, & infideles retrahitur germanitatis affectus.* Vnde dicitur Luc. 14. num. 26. *Si quis non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Pater iſtius adoleſcentis erat infidelis; adoleſcens verò Chriſti diſcipulus, & in gratia regeneratus. Inter fidelem, & infidelem nullus eſt conſanguinitatis, cognationis, ac amicitiæ nexus. Meritiſſimè ergo Dominus ſepeliendi patrem negat facultatem, tanquam iam non ſuum, ſed alium diſtinctum, vt iam dixi ex Chryſoſtomo, quod, dum ait Dominus: Sine, mortuos ſepelire mortuos ſuos; ſignificat, hunc mortuum non eſſe ſuum. Septimò Albertus Magnus. *Innuit Dominus, hunc fuiſſe mortuum in culpa, & indignum exequiis Sanctorum.* Peccator immeritus eſt, vt accipiat honorem à viro pio, atque iuſto. Defunctus autem cùm extitiſſet peccator, erat omnino indignus, qui à filio Chriſti diſcipulo vltimum acciperet humandi officium. Idem habet D. Thomas.

D. Thom. Luc. 14.

*Inter fidelē, & infidelem nullus eſt cōſanguinitatis, accognationis nexus.*

Albert. Mag. D. Thom.

58. Octauò. Ioannes Geometra in Catena Græca. *Sublimius autem, quando adoleſcentuli pater moriebatur, & iam mortuus erat, tunc à Ieſu vocatus eſt. Exiſtima, quòd quemadmodum mundus Paulo crucifigebatur, itaut nulla amplius expectarit; ſic Diabolus vnicuique iuſtorum mortuus eſt, qui ipſi viuebat peccatori. Omnis enim, qui pec-*

Geometra.

*catum facit, ex Diabolo eſt natus. Omni enim peccatori, & mundana expectanti viuit malus pater. Illi autem cui mortuus eſt malus pater, dicitur à Chriſto: Sequere me.* Alto conſilio ſapientiſſimus Magiſter adoleſcentem ad ſe vocauit, & petitam ſepeliendi parentem ei licentiam denegat. Agnouit omnium Cognitor, quòd ſub demortuo illo parente Diabolus latebat, ſeu ſignificabatur, ac etiam operabatur. Nam hæc eſt aſtutia Dæmonis, & illius hæ ſunt fraudulentæ inſidiæ, vt prætextu pietatis, & debiti muneris tanquam ilice obiecta, nos à Chriſto, eiuſque ſequela ad mundana ſeducat; & ex illo, quod culpa non videtur, incautos, ac tunc multis ſæcularibus rebus irretitos, ac diſtractos, in multa crimina, atque peccata detrudat, atque præcipitet: omni autem peccatori, & mundana expectanti viuit malus pater. Vbi enim homo diſcedit à Chriſto, & mundana ſpectat, ibi viuit, ſerpit, ac regnat malus pater, tanquam tortuoſus ſerpens multis machinationibus ſe inſinuans in corda noſtra.

*Diabolus ſub prætextu pietatis non ſeducit.*

59. Theophil. Nonò Theophylactus ait, quòd non permiſit Dominus abire, quia poſtquam, *Qui ſe tradiderit Deo, non debet denuo ad vitæ huius curas conuerti: oportet ſanè, & parentes venerari, ſed magis oportet venerari Deum.* Similiter Euthymius. Qui ſe Deo manciparunt, ita toti in Deum debent eſſe conuerſi, vt nullo erga parentem etiam pietatis agitentur ſtimulo, vt diuina munia interpellari audeant: ſed omnibus aliis affectibus contemptis inceſſanter Deo adhæreant. De hac re maximè nos exhortans Chryſoſtomus *in Catena Græca*, ſic fatur. *Si igitur tam breue tempus non liceat conſumere, neque tutum ſic tam paruo ſpatio ſpiritualia negotia intermittere, qua pœna digni erunt, qui ſemper à doctrina Chriſti abſunt.*

Euthym. *Qui Deo conſecratur, omnes carnales reſpuat affectus.*

Chryſoſt.

60. Qui ergo ſe Deo offerunt, à ſanguinis reſpectibus ſe exoluant, carnis vincula rumpant; & quæcunque ipſos retardare poſſunt, deponant: vt ita firmiter ſine vlla interruptione in Deo perſiſtant. Vocatus Eliſæus ab Elia. *Tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt*, 3. Reg. 19. num. 21. Quod ponderans D. Ambroſius *lib. 1. Offic. cap. 3.* ait: *Fortè Eliſæus occidit; & pauit pauperes ex eo, quod habuit, vt nulla cura teneretur domeſtica, ſed relictis omnibus in diſciplinam ſe propheticam daret.* In hac eadem ſententia videtur eſſe Abulenſis *quæſt. 26.* Antequam in diſcipulatum Eliæ ſe Eliſæus daret, occidit, & mactauit omnes ſuos affectus, omniaque ſua, vt expeditus à terrenis curis poſt ſuum Magiſtrum Eliam curreret.

3. Reg. 19.

Ambroſ. *Deo dicatus amputet affectus carnalium.* Abulenſ.

61 Inſtabit aliquis contra hanc doctrinam. Eliſæus vocatus ab Elia, adhuc voluit regredi ad parentes ſuos; dixit enim: *Oſculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixitque ei: Vade, & reuertere, quod enim meum erat, feci tibi*, 3. Reg. 19. num. 20. Reſpondetur, quòd conſuetudo fuit apud Hebræos, vt notat *ibi* Gaſpar Sanchez, quòd oſculo exciperent, & oſculo item dimitterent cognatos, & amicos. Cuius rei multa ſunt exempla in Scriptura. Nam Iacob cùm primùm vidiſſet cognatam ſuam Rachelem, patrio more oſculatus eſt eam, *Geneſ. 29. num. 11.* Et Laban conqueſtus eſt de Iacob, quòd furtim aufugiſſet, neque paſſus eſſet, vt ſuas filias oſcularetur abeuntes, *Gen. 21. num. 28.* Et cùm mortuus eſſet Iacob, Ioſeph *ruit ſuper faciem eius, & plorans deoſculatus eſt eum*, Geneſ. 50. num. 1. De hoc argumento multa alia exempla adduxit Ioannes Kirchman *lib. 2. cap. 5.* Voluit ergo Eliſæus, vt ſe nouo prophetico ſtatui conſecraret, renuntiare omnes ſuos affectus carnales, & parentes ſuos tanquam mortuos reputare, eiſque vltimum dicere vale. Ideo huius renuntiationis, & abdicationis oſculando decreuit præbere ſignum, & monumentum. Vide *cap. 15. num. 58. & 59.*

3. Reg. 19.

Gaſp. Sanch.

Geneſ. 50.

Io. kirchm. *Quid ſignificet oſculum apud veteres.*

## QVÆSTIO IX.

*Circa hanc vitam facultatem ſepeliendi parentem duas difficultates reſoluo.*

62. Gregor. *Prima difficultas.* PRIMAM difficultatem mouet D. Gregorius *lib. 4. Moral. cap. 29.* Quanquam Dominus reſuſcitauerit tres mortuos, hunc quartum non ſolùm noluit reſuſcitare, ſed etiam negat facultatem adoleſcenti eum ſepeliendi. *Mortuus* peccatorem ſignificat. Primò ſuſcitat Dominus filiam Archiſynagogi, quæ iacebat in domo patris ſui mortua, *Matth. 9. num. 18.* per quam denotatur peccatum domi, ſeu conſuetudinis. Secundò ſuſcitat Dominus filium viduæ Nain ad portas ciuitatis, *Luc. 7. num. 12.* per quod exprimitur publicum, & notorium peccatum. Tertiò ſuſcitat Dominus Lazarum mortuum quatriduanum, *Ioan. 11. num. 39.* per quod inueteratum peccatum adumbratur. Et tamen hunc quartum peccatorem è mortuis non reuocat ad vitam, nec filio permittit ad eum ſepeliendum accedere, Quid malitiæ, quid mali in eo ſignificetur, inquirendum eſt, Hic demortuus inter cæteros honorifico nomine patris inſignitus erat; multos etiam habebat mortuos, nempe peccatores. qui honorifico, ac pompoſo apparatu eum ſepelirent. Repræſentat ergo hîc mortuus peccatorem adulationibus, ac acclamationibus, & phantaſticis laudibus hominum plenum, atque circundatum, dum eius facinora, ac crimina celebrant, atque decantant. Ad exprimendum igitur, quàm difficile ſit, ſimilem ad vitam reduci, cùm habeat aures adulationibus obturatas ad percipiendam veritatem, hunc non reſuſcitat Chriſtus. D. Gregor. citato loco, *Quartum verò mortuum Redemptor noſter, nuntiante diſcipulo, agnoſcit, nec tamen ſuſcitat, quia valde difficile, vt is, quem poſt vſum malæ conſuetudinis, etiam ad vltimum adulantium linguæ excipiunt, à mentis ſuæ morte reuocetur. De quo bene dicitur: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos: mortui enim mortuos ſepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premunt.* Et in hunc ſenſum interpretatur S. Pater illa verba Prouerb. 1. num. 10. *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, non acquieſcas eis.* Et ſic ait. *Peccatores enim lactant, cùm vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetranda fauoribus extollunt.*

*Peccatorem adulationibus plenum ad vitam reduci difficile.*

Gregor.

Prou. 1.

*Ab adulatione fugiendum.*

63. *Secunda difficultas.* Secunda difficultas eſt, quòd cùm Moyſes eſſet vocatus à Deo, & miſſus legatus in Ægyptum ad Pharaonem, vt Populum eximere à duro captiuitatis iugo, legationis mandatum ſuſpendit; pergit in propriam domum ad ſuum ſocerum, & ſecum in Ægyptum defert vxorem, & filios. *Abiit Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum, dixitque ei: Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum. Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, & reuerſus eſt in Ægyptum*, Exod. 4. numero 18. Quomodo Deus, qui immutabilis eſt in conſiliis ſuis, patitur, quòd Moyſes, accepta legatione, tendat ad ſocerum ſuum, iter in Ægyptum ei aperiat, ac ſecum aſportet vxorem, & filios; & huic adoleſcenti non permittit in domum pergere ad ſepeliendum parentem? Cur ergo diſponitur, vt adoleſcens omnium oblitus Dominum ſequatur; Moyſes vero humanitatis, & obſequij iura in ſocerum, vxorem, & filios ſeruet? Vocabatur adoleſcens ad annunciandum regnum Dei: & vbi ſpiritualia negocia interueniunt, ſtatim omnia temporalia dimittenda ſunt. Vocatur Moyſes, vt politicum, ac ciuile regimen, & principatum Iſraëliticum teneat; & ad hunc nullo melius præparatur, ac diſponitur homo, quàm humanitatis, vrbanitatis, ac debiti obſequij iura retinendo, atque ſeruando.



Exod. 4.

*Iura humanitatis, ac vrbanitatis ſeruando diſponitur homo ad dignitates.*

64. Electus erat Ioſeph à Deo ad clauum regni Ægypti: tamen priùs venditus, ac emptus à Putiphare, apud quem gratiam inuenit. *A quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum*, Geneſ. 39. num. 4. Ecce iſte, qui eligebatur ad gubernacula regni, priùs domus conſtituitur præpoſitus; & ibi ſeruando iura humanitatis, ac debiti obſequij, in dominum ſuum, vnde illius vxorem non eſt auſus attingere: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* & retinens debitam vrbanitatem in omnes, nulli enim dabat offenſionem, vt de eo ait Abulenſis, ad adminiſtrationem regni eſt præparatus. Philo lib. de Ioſeph. *Oportebat enim, futurum adminiſtratorem reipublicæ præexerceri in rebus œconomicis, nam & domus eſt parua quædam ciuitas, & œconomia compendiaria reipublicæ. Vnde facile diſcimus; eundem eſſe aptum, & diſpenſationi domeſticæ, & adminiſtrationi reipublicæ.*

Gen. 39. *Iura obſequij, ac vrbanitatis ſeruando, ad dignitates præparatur.*

Abulenſ.

Philo.

## QVÆSTIO X.

*Quare Chriſtus iſtum adoleſcentem petentem recedere retinuit, & Scribam volentem accedere repulit?*

65. DE hac quæſtione iam multa dixi *quæſt. 6.* videnda *ibi* dicta. Ad magis exactam doctrinam iterum hîc ventilandam iudicaui. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 28. *Conſidera*, ait, *quantum inter hos diſcrimen eſt. Ille impudenter, ſequar te, inquit, quocunque abieris: hic verò, & ſi rem honeſtam peteret, nolebat tamen, niſi ei concederetur, abire.* Scriba cum ſuperbia dicebat: *Sequar te, quocunque abieris.* At verò diſcipulus iſte, quanuis rem piam peteret, cum modeſtia expoſtulat, licentiam abeundi rogans. Et ideo non dixit: Vadam ſepelire; ſed ait: *Permitte me.* Superbus, ac præſumptuoſus, vt dixi citata *quæſt. 6.* fuit repellendus; pius, ac modeſtus retinendus.

Chryſoſt.



66. Hilar. *Infidelitatis conſortiũ fugiendum.* Secundò D. Hilarius. *In verbis Scribæ apparebat quædam infidelitas, & non in verbis diſcipuli.* Nam Scriba Dominum ignorabat, dum ex eius conſortio vult lucrum, & pecuniam. Deinde dum ait: *Sequar te, quocunque ieris.* At in verbis diſcipuli nulla erat infidelitas, ſed quidam pietatis prætextus ſepeliendi patrem. Et vbi diffundebatur infidelitatis odor, ſtatim fuit excludendus, ac ſummouendus à Chriſtiano grege.

67. Ambroſ. Tertiò D. Ambroſius lib. 7. in Luc. cap. 9. *Ille*, ait, *cogitur, iſte remouetur, vt ſcias, quia deuotus admittitur, indeuotus excluditur.* Et paulo pòſt. *Eius obſequium non admittitur, cuius non probatur officium.* Quartò Abulenſis *quæſt. 61.* ait, quòd iſte adoleſcens erat diſcipulus; & ideo non erat permittendus facere aliquid contra conditionem diſcipulatus; & quia ſi recederet, nunc fortè impediretur poſtea redire; & ideo non permiſit eum Chriſtus abire. Scriba autem non erat diſcipulus Chriſti, ſed fieri volebat; & non erat decens, vt reciperetur, cùm propter lucrum, ac auaritiam ad Chriſtum venerit, vt ſatis eſt explicatum *quæſt. 5. & 6.* Et quanuis Dominus poſſet ſua diuina gratia Scribam ad ſe trahere; tamen noluit ob illius peccatum, ac prauam diſpoſitionem, quapropter per ipſum ſtetit, quominus veniſſet.

Abulenſ. *Maximè debes conſulere bono illius, qui ſingulariter eſt ſub tua cura.*

68. Quintò Scriba venit mala, & deprauata intentione, vt ſatis eſt explicatum *quæſt. 2.* At licèt adoleſcens iſte errauerit in petenda hac facultate recedendi pro aliquo breui tempore à Chriſti comitatu ad ſepeliendum patrem; tamen huiuſmodi error, non ex maligno, ſed ex beneuolo, ac pio animo erga patrem prodiit. Vt notat D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Hæc dicit, & fallitur adoleſcens, licèt non de ſtudio, dum ad opus pietatis ire feſtinat.* Et cùm huiuſmodi error, non ex malitia, ſed ex pietate pullulauerit, benignè ſupportandus fuit.

Paſchaſ. *Error non ex malitia, ſed pietate benignè ſupportandus.*

69. Cùm Moyſes eſſet adoleſcens, & egreſſus ad fratres ſuos vidiſſet, quòd Ægyptius quidam percutiebat Hebræum; *Cumque circumſpexiſſet huc, atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*, Exod. 2. num. 12. In quo facto ipſe Moyſes deliquit, vt auctor eſt D. Auguſtinus. Et tamen hunc virum homicidam eligit Dominus in ducem, ac principem Populi. Et hoc crimen tam graue extitit, vt OEcumenius in Epiſt. Iudæ tradat, Diabolum in altercatione cum Michaële Archangelo de corpore Moyſis dixiſſe, Moyſem indignum eſſe ſepultura, cùm iniuſtè occiderit Ægyptium. Tamen iſte vir ad tantum munus deſtinatur à Domino, quia licèt deliquerit, hoc non fuit ex crudelitate, ſed ex quadam pietate, ac amore fraterno, & ideo eius animus non fuit repellendus, ſed eligendus, vt excultus magnos virtutum prouentus proferret, vt docet Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum cap. 70.* Et in huius rei confirmationem adducit Petrum percutientem ſeruum Pontificis propugnantem pro Domino. Ita ait: *Vterque non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate iuſtitiæ regulam exceſſit; vterque odio improbitatis alienæ, ſed ille fraterno, iſte dominico, licèt adhuc*

Exod. 2.

Auguſt.

OEcum.

*Delinquens non ex crudelitate, ſed animoſitate, non repudiãdus, ſed emẽdandus.* Auguſt.

*adhuc carnali, tamen amore peccauit. Reſecandum hoc vitium vel eradicandum. Sed tamen hoc magnum cor tanquam terræ frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum.*

| | |
|---|---|
| *Lucæ 9. n.61.* | Et ait alter: Sequar te Domine: ſed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi ſunt. |
| *Ibid. num.62.* | Ait ad illum Ieſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. |

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Dixit ei alius: Poſt te ibo, Domine mi; ſed permitte mihi priùs, vt proficiſcar vale dicturus filiis domus meæ, & veniam. |
| *Vatabl. Euthy. Theophylact.* | Vale dicam iis, qui ſunt domi meæ. |
| *Multi ex Græco.* | Vale dicam iis, quæ domi ſunt. |
| *Syriacus n.62.* | Nemo admouet manum ſuam ad aratrum paris boum, & reſpicit retro, & aptus eſt ad regnum Dei. |
| *Tertull. lib. de Idololat. c.12.* | Nemo aratro manum imponens, & retro ſpectans. |
| *D. Ambr. in Luc.* | Habilis eſt regno Dei. |
| *D. Chryſoſt. homil. 28. in Matth.* | Nemo, qui manu impoſita aratro ad poſteriora reuerſus eſt, idoneus eſt ad regnum cælorum. |

## *EXPOSITIO.*

70. *Animus huius animo ſuperioris ſimilis.*

Ecce tertius paratus ad Chriſti ſequelam, habens præparatam voluntatem renuntiandi omnibus pro Chriſto, breui interpoſita mora. Vnde quanuis hic tertius fuerit diſſimilis ſecundo in exteriori, ſiquidem ſecundus vocatus eſt à Chriſto: *Sequere me*; quod de hoc tertio non legitur; tamen in interiori ei valde ſimilis eſt, ſiquidem in vtroque, vt notat Toletus in Comment. bonus, ac modeſtus animus ineſt, & ſimplex affectus; & non doloſus, vt in Scriba erga Chriſtum; & vterque iſte intus à Domino trahebatur. (Tolet.)

71. *Senſus huius petitionis.*

*Et ait alter.* Per quod exprimitur, quòd iſte erat alius diſtinctus à duobus antecedentibus. *Sequar te, Domine*, paratus ſum, vt ſcribar in numero tuorum diſcipulorum, vtque in omnibus tibi obtemperem; hanc enim vim habet illud verbum, *Sequar te*, id eſt, quocunque iuſſeris. Non verò dixit, quocunque ieris, vt ſuperbus Scriba: affectus animi in verbis interlucet. *Domine*, ait; non dixit, Magiſter, vt Scriba, ſed Domine, quæ eſt vox amoris, & ſubiectionis, vt iam notaui in ſuperiori adoleſcente. *Sed permitte mihi*; illicentiatus non vult abire; *renuntiare, quæ domi ſunt*; id eſt, vt abeam in domum meam, renuntiem, ac dimittam res meas, eaſque inter meos amicos, ac notos diuidam, & diſponam, eiſque vltimum vale dicam, vt latiùs explicabo *quæſt. ſequenti*.

72. Syriac. *Intuitus temporalium nocet.*

*Nemo mittens manum*; hoc eſt, admouens manum, *ad aratrum*; Syriacus addit, *paris boum, & reſpiciens retro*, nempe ad ea, quæ à tergo ſunt. Et non ait, rediens retrò, ſed reſpiciens; multum enim nocet intuitus, ac conſideratio temporalium. *Aptus eſt regno Dei.* Non eſt iſte talis aptus ad promerendam, ac prædicandam ſalutem æternam, quam per regnum Dei intelligit, cùm iam omittat, deſerat, ac, procraſtinando, dilationem interponat in bonis inceptis, ac ad præterita mala temporalium rerum iterum regrediatur. Vt ait Paulus 2. ad Timoth. 2. num. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negociis ſæcularibus: vt ei placeat, cui ſe probauit.* De hoc latiùs *quæſt.* 12. (2. ad Tim. 2.)

## QVÆSTIO XI.

### *De tempore, perſona, ac petitione iſtius hominis.*

73. *De tempore huius hiſtoriæ.*

TRIA hîc breuiter inquiro. Et primò de tempore huius hiſtoriæ, quam inter omnes Euangeliſtas ſolus Lucas narrat: An contigerit poſt commemorata facta Scribæ, & diſcipuli, quæ refert Matthæus? Et quanquam in hoc negotio nil compertum habeamus; tamen valde veriſimile, ait Maldonatus, quòd hæc omnia interueniſſent in Galilæa. Per quod ſacri Euangeliſtæ voluerunt explicare, quàm aliter in Iudæa, quàm in Galilæa vocationes Chriſto ſucceſſiſſent; ſiquidem in Galilæa omnes vocati ſecuti ſunt Dominum; at in Iudæa nec quiſquam vocatus ſecutus eſt eum, & ij, qui ſeſe ſponte obtulerunt, ita oblati, vt repulſa digni fuerint. Hanc tamen ſententiam non probo, ſiquidem in Iudæa, ac Ieruſalem vocatus eſt Nicodemus, vt ipſemet docet *ad cap. 3. Ioann. num.* 22. (Maldonat.) (Ioan. 3.)

74. *Vocatio noſtra non eſt currentis, ſed Dei miſerentis.* *Propria ſententia.*

Communiter Recentiores dicunt, quòd ſimul narrantur in magnam noſtram eruditionem. Quia Chriſtus Dominus repulſo primo, qui ſe offerebat, alium ſe non offerentem vocauit, & hunc tertium ad ſe venientem recepit. Vt intelligant omnes, *non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis eſſe*; ſiquidem non eliguntur omnes, qui ſe offerunt; neque omnes, qui ſe non offerunt, repudiantur. Ego autem dicendum exiſtimo, quòd iſta hiſtoria contigerit poſt commemoratam ſuperiorem de diſcipulo; ſiquidem poſtquam Lucas ipſam refert, ita hanc ſcribit: *Et ait alter.* Illa coniunctio *Et*, prænotetur connectit enim hoc factum cum ſuperiori; ac proinde videtur, Euangeliſtam denotare, ſucceſſiuè hoc



hoc contigiſſe; ad quid aliter apponet illam coniunctionem?

75. Baſil. *Quis iſte iuuenis.* Auguſt. Caietan. Tolet.

Secundò circa perſonam huius hominis, D. Baſilius *in conſtitutio. Monaſticis, cap.* 21. docet, hunc fuiſſe quendam ex Domini diſcipulis, ſicut & præcedentem, qui mortuum ſepelire vetitus eſt. Idem habet D. Auguſt. relatus *in Catena D. Thomæ*, prout ait: *Alius verò diſcipulus miſit ſe in medio.* In eadem ſententia ſunt Cardinales Caietanus, & Toletus. Nec enim pius ſalutis amator, qui omnes ad ſe vocabat, hunc habentem pium, ac modeſtum animum ipſum ſequendi, repudiaret; ſed potiùs ipſum erudiuit, & abire non permiſit.

76. *Explicatur iuuenis petitio.* Auguſt. Caiet. Maldonat. *Vulgata.* Syriacus. Cyrill. Auguſt. Boſtrenſis. Beda. Syriacus. Vatabl. Euthym. Theophil.

Tertiò expendenda eſt huius hominis petitio. Ait: *Permitte mihi primùm renuntiare, quæ domi ſunt*; verbum enim Græcum valde ambiguum, & ſenſibus grauidum; nam ſignificat, aut renuntiare bonis, de illiſque diſponere; aut vale dicere amicis, & conſanguineis. In priori ſenſu illud interpretatur D. Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap.* 23. ſequuntur Caietanus, Maldonatus, & alij; & maximè fauet noſtra Vulgata: *Renuntiare, quæ domi ſunt*; ſeu, vt habet Syriacus; *domi meæ ſunt.* Per quæ videtur petere licentiam adeundum in domum ſuam, vt res, de quibus habebat vſum, diuideret, ac inter ſuos diſtribueret. Poſteriorem ſenſum ſequuntur D. Cyrillus *in Catena D. Thomæ.* Idem D. Auguſtinus *ſerm. 7. de verbis Domini.* Titus Boſtrenſis, Beda. Et alij. Et maximè fauet Syriacus: *Vale dicturus filiis domus meæ.* Vatablus, Euthymius, Theophylactus: *Vale dicam iis, qui domi ſunt*; tanquam ſi petat licentiam, vt domeſticis dicat vltimum vale.

77. *Germana huius rei explicatio.* Auguſt. Idem.

Mihi tamen videtur dicendum, quòd illud verbum; *Renuntiare*, vtrunque ſenſum hîc habet, Nam variæ lectiones illum indicant; nec aliter poſſunt commodè explicari; & Auguſtinus *citatis in locis*, vtrumque ſenſum apponit: & ex vna re intenta, altera ſequebatur: ac proinde poſtulat facultatem adeundi in domum, vt ſuas res inter amicos, & conſanguineos diuidat, & de eis ordinet, atque diſponat; ſimiliter etiam vt amicis, ac domeſticis vltimum dicat vale. Et vtrumque fortaſſe proueniebat ex pio affectu: nam volebat diuidere ſua, ad rixas, & controuerſias euitandas, & ſuos etiam certiores facere, vt ait D. Auguſtinus, ne ipſi quærant me, ac ambiguitate premantur ignorantes, quid de me factum ſit. Fortè iſte extitit animus iuuenis huius; & licèt aliàs videatur pius; tamen errauit, cùm ob temporalia voluerit ad momentum à Chriſto ſeparari; cùm autem manauerit ex aliquo prætextu pietatis, benignè fuit ſupportandus, & ipſe inſtruendus. Vide, quæ dixi ſuperiori quæſt. *ad finem.*

## QVÆSTIO XII.

### *Quid Chriſtus ſignificare voluerit in illa parabola:* Qui mittit manum ſuam ad aratrum?

78. Cyrill. Alex.

IN ſenſu litterali huius ſententiæ quanuis in modo explicandi videatur aliqua diſſenſio; in re tamen nulla eſt. Nam primò D. Cyrillus Alexandrin. *lib. 5. in Ioan. cap.* 17. D. Baſilius *de conſtitut. Monaſticis, cap.* 1. Boſtrenſis, Beda, D. Bonauentura, & communiter Patres, & Doctores ita exponunt. Quòd quemadmodum ſiquis admouerit manum ad aratrum, & cœperit illud ducere, terramque proſcindere, & attentè reſpiciat ad ea, quæ à tergo ſunt, ineptus eſt ad aratrum ducendum, terramque excolendam; nam inutiliter, & infructuoſè laborat ducens ſulcos, nec rectos, nec profundos. Imò, vt ait Cælius *infrà citandus*, auerſione vultus confundit, & diſſipat ordinem præteriti laboris. Secundò D. Cyrillus *citandus in Catena D. Thomæ*, D. Baſilius *ſerm. 1. de Baptiſmo*, Euthymius, Toletus ita explicant, quòd ille, qui arando ad poſteriora reſpicit, opus non perficit, ſed dilatione differt, aut omittit, aut deſerit. (Baſilius. Boſtrenſ. Bonauent. Beda.) (Cælius.) (Cyrill. Baſil. Euthym. Tolet.)

79. *Germana totius ſententiæ explicatio.*

Sed in his ſententiis nulla eſt diſſenſio, cùm vnum ſequatur ex altero. Nam ſicut qui arando reſpicit retrò, inutiliter agit, & totum præteritum laborem confundit; & ex hoc etiam in conſequendo finem agriculturæ ponit moram, & dilationem; & iſte talis non eſt aptus ad munus agriculturæ ſubeundum, fructuſque ex ſeminibus colligendos. Ita etiam qui animo ſtatuit, ac cœpit, me ſequi, & eſſe diſcipulus meus, cuius officium eſt, regnum Dei ſibi acquirere, ac aliis annuntiare, hic ſi ad res temporales, quas iam reliquit, iterum reſpicit, & ſe conuertit, talis non eſt idoneus, ſiue ad aſſequendum, ſiue ad prædicandum regnum Dei, ac vt meus ſit diſcipulus: & ideo iſte talis opus inceptum deſerit, ac omittit, aut procraſtinando in huiuſmodi negocio dilationem ponit, cùm ſolicitudo temporalium maximè repugnet cum ſtudio regni cæleſtis, ac mei diſcipuli, qui à rebus caducis debet eſſe liber, & expeditus. Alias Patrum ſententias videamus.

80. Origen. *Prædicator in magnam pœnā incurrit, ſi ceſſet à prædicatione.*

Primò Origenes *tract. 33. in Matth.* hanc Domini ſententiam accommodat Prædicatoribus, quos mittentes manum ad aratrum, id eſt, ad actum prædicandi, ac docendi, oportet non reſpice retro, id eſt, à verbi prædicatione non ceſſare, ſed ſemper animarum ſaluti incumbere: quanuis enim alia bona opera exerceant; ex eo tamen ſolo damnabuntur, tanquam ſibi creditum talentum abſcondentes, cùm ab euangelizando ceſſauerint, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 9. num. 16. *Væ mihi, ſi non euangelizauero.* Quæ ſententia poteſt accommodari huic Chriſti diſcipulo, vt ait Toletus *annot.* 132. quia iam fortè inceperat prædicare, & annuntiare regnum Dei. (1. Cor. 9.) (Tolet.)

81. Marc. Erem. *Maiora non ſunt omittenda ob minora.*

Secundò D. Marcus Eremita *in Catena Græca*, explicans hanc ſententiam, *Mittens manum ad aratrum*, ſic ait: *Hæc autem ſciens, ſemper pro virili bonum operare, & in tempore maioris, ne conuertas te ad id, quod eſt minus, qui enim ſe vertit retro, non eſt aptus regno Dei.* Cùm maius negotium inſtat, non eſt omittendum pro minori. Ergo cùm ſummum noſtrum negocium ſit regnum Dei, nobis procurare, & aliis prædicare, qui illud intermittit, vt terrenis incumbat, non eſt aptus ad regnum Dei.

82. Cyrill. D. Thom.

Tertiò D. Cyrillus in Catena D. Thomæ. *Appoſuit*, ait, *manum aratro, qui affectuoſus eſt ad ſequendum; tamen reſpicit retrò, qui dilationem petit occaſione redeundi ad domum, & cum propinquis conferendi.* Reprobatur huiuſmodi voluntas accedendi, ac conferendi cum propinquis:

 nam

*Conſanguineorum aſpectus nociuus.*

nam conſanguineorum aſpectus, ac conuerſatio valde nociua, ac exitialis his, qui Chriſtum ſequuntur; quouis enim prætextu ad eos deuenias, receſſus à via ſalutis maximè formidari poteſt. Hanc ſententiam ita confirmat D. Baſilius in regulis breuioribus, interrogatione 179. *Quòd ſi de eo, qui renuntiare tantum voluerat, tale iudicium eſt, quid de aliis dicendum eſt.* Vnde bene multos Religioſos arguit in præſenti Beda. *Si autem ſecuturus Dominum diſcipulus, qui vel domi renuntiare velit, arguitur; quid fiet illis, qui nulla vtilitatis gratia ſæpè viſitant domos illorum, quos in mundo reliquerunt.*

Baſil.

Beda.

*Arguuntur Religioſi ſæcularium domos frequentantes.*

83. Quartò ponderandum eſt, quòd non dixit dominus rediens, retrò, ſed *reſpiciens retro.* Quòd videtur notare Euthymius ibi. *Oportet eum*, ait, *qui ſequitur Chriſtum, confeſtim omnia deſpicere, & ſequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo, ne fortè habitu, & ſpecie eorum, quæ à tergo ſunt, retineatur.* Qui in ſequela Chriſti vult proficere, ad vnum tantùm habeat defixos oculos, & mentem, nempe ad Deum, vt nihil aliud attendat, nec pro breui puncto ab eo ſeparari valeat. Vnde ait Chryſoſtomus: *Omnia opera bona tunc mercedem habent, quando ad finem vſque continuantur: ſin verò interrumpuntur, non paruum exiſtit naufragium.*

Euthym.

*Oculos habeamus in Deum defixos.*

Chryſoſt.

84. Quintò idem Euthymius. *Qui arare conatur, ait, & à tergo reſpicit, corrumpit conatus promptitudinem ſegnitie, qua à tergo reſpicit.* Bonus miles, vt proficiat in militia Domini, ne reſpiciat, quæ à tergo ſunt, ſed illa, quæ ante oculos exiſtunt, inſpiciat. Inter quæ hoc eſt diſcrimen; nam quæ à tergo ſunt, iam elaborata conſiſtunt; quæ verò ante faciem poſita, efficienda reſtant. Bonus Chriſti miles conſideret, non quod elaborauerit, ſed quantum ei ſuperſit, quanta agrorum ſpatia aratri vomere proſcindenda ei incumbant. De illis cœleſtibus ſpiritibus, ait Ezechiel. 1. num. 9. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur; nec reuertebantur, cùm ambularent.* Ecce agitati à diuino Spiritu tendunt ad ea, quæ ante faciem ſunt, & ambulanda reſtabant, & non reuertebantur ad ea, quæ à tergo, & iam trita erant.

Euthym.

*Bonus miles attendit, non ad ea, quæ ſunt elaborata, ſed elaboranda reſtāt.*

Ezech. 1.

85. Sextò D. Gregorius *homil. 3. in Ezechielem*, ſic ait: *Manum mittere ad aratrum, eſt, per quendam quaſi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram ſui cordis aperire. Sed retrò poſt aratrum aſpicit, qui poſt exordium boni operis ad mala reuertitur, quæ reliquit.* Qui incipit, à peccatis, ac malis deſiſtere, & manum mittit ad aratrum, vt compunctionis vomere cor ſuum proſcindere, Deoque aperire aggrediatur; & tamen ab hoc propoſito retrogreditur, & ad mala reuertitur, quæ reliquit, talis ad regnum Dei non eſt aptus, cùm magnum ſit peccatum relapſus, à Deoque grauiter puniatur, Nam, vt ait D. Athanaſius in Catena Græca. *Verti autem, nihil aliud eſt, quàm mutare conſilium, & denuò mundana ſapere.*

Gregor.

*Qui retrogreditur ad præterita mala, indignus ad cœleſtia.*

Athanaſ.

86. In confirmationem huius rei mulierem Loth in Sodoma retrò reſpicientem perbellè ponderat Cælius Sedulius lib. 1. Paſchal. operis, cap. 5. *Loth peritura fugiebat è Sodoma, cuius vxor incauta præſumptionis audacia, dum reſpicit, quæ euaſit, mutata ſalis remanſit in ſtatua, non pro ſapientia, ſed pro pœna. Nullus enim ad contempta ſemel mundi diſcrimina præcipiti, rurſus cupiditate, conuerſus, iucundæ ſalutis lætitia perfruetur. Nec enim dignum eſt arator ille ventura fructuum felicitate gaudere, qui ſulcum vomeris, recto curſu firmandi, retrouerſi vultus auerſione confundens, præteriti laboris ordinem diſſiparit.* Quæ optimè pro noſtro inſtituto ſunt dicta. Et primò ponderandum eſt illud, *Mutata ſalis remanſit in ſtatua, non pro ſapientia.* Sal ſignificat ſapientiam, vt planum eſt: ſi verò inſulſum, ſeu corruptum efficitur, denotat infatuitatem, ac rem prorſus inutilem, ſolùm pedum conculcationi inſeruientem, *Matth. 5. num.* 14. & *Marc. 9. num.* 45. Dum hæc mulier oculis reuertitur ad ciuitatem, à qua iam exierat, ſtatua ſalis efficitur, non quòd ſapientiam denotet, ſed quòd fatuitatem, ac iacturam ſuæ præuaricationis indicet. Et tandem maximè expendenda ſunt illa vltima verba: *Retrouerſi vultus auerſione confundens, præteriti laboris ordinem*; ille enim, qui retrouertitur, totum diſſipat ordinem, fructum, ac prouentus anteacti laboris.

Cælius.

*Qui retrogreditur ad præterita mala, indignus ad cœleſtia.*

87. Et optimè tota hæc doctrina ſtabilitur à ſancto Nilo, citato in Catena Græca. *Quid autem, ait, lex indicat, quæ præcipit etiam, ingreſſus in templum, poſtquam vota perſoluerit, non per eandem portam egrediatur, per quam ingreſſus fuerat, ſed per oppoſitam, quo rectum iter faciat, & non vertatur retro? Aſſiduè enim ad ea, à quibus diſceſſimus, propenſiones, propter conſuetudinem nos retrahunt, & vigorem ad priora laxantes, progredi non ſinunt, ſed ad priſtina mala redire compellunt, magna eſt enim conſuetudinis vis ad ſe nos trahit, nec ad priorem virtutis habitum reuerti permittit. Ex conſuetudine ſiquidem habitus, ex habitu natura proficiſcitur. Naturam porrò mouere, aut mutare, difficillimum eſt: licèt enim pauliſper inclinetur, celeriter tamen ad ſe ipſam recurrit.* Quod ſatis totum eleganter eſt dictum: Maximè timendus eſt intuitus relicti ſæculi; nam iterum ſæcularem habitum induere facit, ex quo natura innaſcitur: naturam verò amouere, difficillimum, nam quanuis aliquantulum declinet coacta, velociter, ac promptè ad ſe ipſam redit.

Nilus.

*Magna vis cōſuetudinis.*

# CAP. XXIV.

## *Sedatur tempeſtas in mari.*

*Matth. 8. n. 23.* Aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.

### *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Cùm conſcendiſſet nauem, conſcenderunt cum eo diſcipuli eius. |
| *Vatablus.* | Cùm ingreſſus eſſet nauim. |
| *Græcus.* | Ingrediente eo. |

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 4. n. 35.* Ait illis in illa die, cùm ſerò eſſet factum, tranſeamus contra.



*Ibid. num. 36.* Et dimittentes turbam aſſumunt eum ita vt erat in naui: & aliæ naues erant cum illo.

*Lucæ 8. n. 22.* Factum eſt autem in vna dierum: & ipſe aſcendit in nauiculam, & diſcipuli eius, & ait ad illos: Tranſeamus trans ſtagnum, & aſcenderunt.

## *EXPOSITIO.*

1. CVM Dominus vidiſſet circa ſe turbas, iuſſit ſuis diſcipulis transfretare. Et tamen ſuperuenientibus Scriba, & duobus adoleſcentibus, eos inſtruxit in via ſalutis, ac veritatis, vt totum vidimus ſuperiori cap. *à n. 1.* Nunc verò ait ſuis diſcipulis: *Tranſeamus contra*, vt ſcribit Marcus; ſeu, *Tranſeamus trans ſtagnum*, vt narrat Lucas. Optimè ſanè verbum Imperatoris, & ducis: *Tranſeamus*; non enim ſuos iubet abire in mare, ac in periculum; & ipſe manet domi deliciis indulgens: ſed ſimul cum eis pergit; & dum præcipit, ſimul ipſe vadit, ac priùs aſcendit. Et ideo dicitur: *Secuti ſunt eum diſcipuli eius*; quia, vt notat Abulenſis, *Chriſtus prius intrauit in nauiculam, quàm illi, quia Chriſtus erat Dominus, & quò vadit Dominus, vadunt famuli.* Et ponderandum eſt illud verbum, quod apponit Marcus: *Tranſeamus contra*; hoc eſt, ad aliam partem ſtagni. Moraliter. De hac terra ad cœleſtem, ac ad viam ſalutis, quæ huic ſæculo contrarium habet viuendi modum, vt notauit Chryſologus ſerm. 21. *Tranſeamus contra*, ait, *de terrenis ad cœleſtia, de præſentibus ad futura. Et bene contra, quia diuina ſemper contraria ſunt humanis.* Et ideo ad hanc viam peragendam diſcipuli dimittentes turbam, hoc eſt multitudinem, quæ à turbando dicitur, vt iam alibi ex Alberto Magno notaui, aſcendunt.

*Bonus princeps, qui pergit ſimul cum ſuis.*

Abulenſ.

*Si dux præit, milites ſequuntur.*

Chryſolog.

*Vita cœleſtis cōtraria terrenis.*

2. *In nauiculam.* Quanuis alij Euangeliſtæ ſcribant nauim, & ex Græco ita legi poſſit; tamen interpres per diminutiuum transfert, quia in lacu illo Genezareth, cùm ibi eſſent naues ad capturam piſcium, non altæ, & magnæ molis erant. Moraliter Carthuſianus aduertit, quòd Dominus non aſcendit nauem ſublimem, & altam; ſed nauiculam pauperum, ac piſcatorum: in quo eius humilitas commendatur. Dominus humilia quærit, & humilia ei placent. *Secuti ſunt eum diſcipuli eius.* A ſuo magiſtro, ob eius amorem, non valent diſcedere.

Carthuſ.

*Chriſtus ſemper humilia quærit.*

*Amor diſcipulorum.*

3. Notandum eſt, quòd quanuis ibi eſſent aliæ naues, vt aduertit D. Marcus: *Et aliæ naues erant cum illo*, hoc eſt, in eius ſocietate; tamen diſcipuli non aſcendunt in aliam nauim, niſi ad eam, in qua Chriſtus erat, quia ad hanc eos vocauit. Si quis ergo vult ſecurè peragere curſum huius vitæ non aliam nauim eligat ad iter conficiendum, niſi eam, ad quam Chriſtus eum vocauit. Deinde nauis eſt Eccleſia, ſeu fides, vt infrà dicam. In eandem nauim, in qua eſt Chriſtus, aſcendunt diſcipuli, quia ad ſalutem habendam requiritur, vt ambulemus in fide, ac Eccleſia Chriſti, quæ eſt vna, nempe ſancta, ac Romana, & Catholica Eccleſia. Aduertit D. Marcus, quòd diſcipuli *aſſumunt eum, prout erat in naui*, id eſt, ita diſcipuli aſſumpſerunt Chriſtum in altum mare ad illud transfretandum, vt ipſe Chriſtus erat ſedens, & docens. Ingenioſum documentum conſiderat Chryſologus citato ſerm. 21. *Aſſumunt eum*, ait, *vt erat in naui; laus fidei eſt, ita Chriſtum recipere, vt eſt, vt habetur in naui, hoc eſt, in Eccleſia.* Quilibet non velit Chriſtum recipere, ac ſibi accommodare iuxta ſuam voluntatem, ac beneplacitum; ſed illum recipiat, & in eum credat, vt eſt in naui, vt illum nobis proponit ſancta Catholica, ac Romana Eccleſia, quæ eſt iſta nauis.

*Vis ſecurè degere? Eo, quo te Deus vocauit, ordine viue.*

*Fides vna, & vera in Eccleſia Catholica.*

Chryſolog.

*Cum Chriſto conformari debemus; non autem velle illum ad noſtrum adducere commodum.*

4. Tandem hîc duo aduertenda. Primò. Motiuum, ob quod Chriſtus decreuit, tranſire mare, iam illud explicaui ſuperiori cap. *quæſt.* 1. Secundò, quòd hoc ſtagnum, erat mare Galilææ, cuius latitudinem, ac longitudinem iam explicaui ſuprà *cap. 8. num.* 3. ibi dicta videnda.

*Duo notāda.*

---

### QVÆSTIO I.

### *De tempore, ac ordine rei geſtæ ad antecedentia.*

5. DE hac quæſtione breuiter dicam, quam latiùs alij diſputant. Dicendum eſt tamen, quòd ordine temporis hæc hiſtoria immediatè ſit continuata ad præcedentia, quæ explicaui ſuperiori capite, vt ſcribit D. Matthæus, & notarunt D. Chryſoſtomus *homil. 29. in Matth.* Victor Antiochen. *in 4. Marc.* D. Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap.* 25. Abulenſis *q.* 70. Albert. Magnus, Carthuſianus, & alij *hîc*. Vnde D. Marcus, & Lucas hoc loco non ſeruarunt ordinem temporis, ſiquidem priùs narrant quaſdam parabolas, de quarum intelligentia interrogarunt duodecim Apoſtoli, *Marc. 4. num.* 10. Et tamen pro hoc tempore, quando hæc tempeſtas contigit, adhuc Apoſtoli non erant electi, nec Matthæus vocatus, vt planum eſt, ſiquidem Matthæum ad ſe traxit poſtquam iterum transfretauit, ac reuerſus eſt in ciuitatem ſuam, *Matth. 9. num. 1. & 9.*

Chryſoſt. Antiochen. Auguſt. Abulenſ. Albert. Mag. Carthuſ.

*Reſolutio quæſtionis.*

6. Vnde Lucas ſcribens hanc hiſtoriam, ait: *In vna dierum*; hoc eſt, in quadam die. Et Marcus: *In illa die*; quod idem eſt, vt ait Euthymius, ac in vna dierum, ſeu in illo tempore, non in illo, in quo parabolas prædicauit, ſed in alio, quod Euangeliſta indefinitè ſignificat. Marcus: *Cùm ſerò eſſet factum*; per quod denotatur, quòd hæc tempeſtas nocte contigit. Nam Chriſtus Dominus conuenienti diei tempore iuſſit ſuis, transfretare, *Matth. 8. num.* 18. tamen quia ſuperuenerunt Scriba, & duo illi iuuenes, de quibus omnibus egi ſuperiori capite, in quibus inſtruendis moram contraxit Dominus; inde ſerò factum eſt. Hæc eſt enim eximia Chriſti charitas, quæ potius attendit ad noſtram ſalutem, quàm ad ſuas commoditates; & pro noſtra vtilitate omnes ſuas commoditates poſtponit, & contemnit. Et hac de cauſa nocte ſe pelago committit.

Ethym.

*Chriſtus pro noſtro bono tempus ſuæ commoditatis omittit.*

7. Cùm Iudæi ſæuirent in Chriſtum itaut iam deſignarent miniſtros ad eum apprehendendum, ait Dominus: *Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*, Ioan. 7. num. 33. Hæc dixit

Ioan. 7.

eximia

eximia charitas Chriſti veluti quaſi doleat, quòd adhuc parum temporis reſtet, quo cum hominibus commoretur. Quid vis, Domine, adhuc cum hominibus degere? Nónne ipſi toto pectore anhelant, vt te capiant, atque vt cruci, & morti tradant? Ergo potiùs videbatur gaudendum, eo quòd iam inſtabat tempus, vt hos relinqueret, & abiret ad Patrem, cum eo ſempiterna gloria regnaturus. Ea tamen erat ingens Chriſti charitas, quæ non tantum attendebat ad dies ſuæ quietis, & gloriæ, quantum ad tempus noſtræ ſalutis, & commoditatis; & ideo quanuis homines ei crucem parant, vult adhuc cum eis verſari, vt eos valeat erudire, ac eorum indulgere ſaluti. Theophylactus. *Dum Dominus ait: Paruo tempore vobiſcum ſum; ſenſum habet hic: Etiamſi perſecuti fueritis, etiamſi abnegaretis, ego adhuc vobiſcum ſum: hoc eſt, pro vobis curam gero, & loquor ea, quæ ad ſalutem veſtram ſpectant.*

*Chriſtus ſolùm ad noſtram commoditatem attendebat.* — Theophyl.

8. Ingreditur Ieſus Ieruſalem, & magno applauſu excipitur ſubſtratis in via ramis, palmis, ac veſtimentis ingentis populi, & voces per aëra reſonabant: *Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini.* Et cùm progrederetur, accederetque ad ciuitatem, ait D. Lucas 19. num. 41. *Vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit ſuper illam. Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui.* Valde mirum, quòd inter tot ſigna lætitiæ, ac triumphi Dominus in lachrymarum fletus prorumpit, dum vt præſcius futurorum, videt deſolationem ciuitatis, non enim tantum ei ante oculos obuerſabatur tempus ſuæ maieſtatis, quantum noſtræ ſalutis, ac commoditatis: & ideo lachrymatur in die ſuæ lætitiæ, veluti illum contemnens, dum ciuitatis deſolationem conſiderat. Caietanus. *Inter tot honores ſedens ſuper aſinum flet, non extollitur, non magni facit honores, qui fletum non continet compaſſionis.* Sed ſi Dominus oculos dirigens in ciuitatem lachrymarum fluuios emittit ob illius deſolationem, cur potiùs non deplorat ſuam crucem, & mortem, quæ ibi parabatur; ita enim mente rapiebatur ad ea, quæ hominum erant, vt ſui obliuiſcens potiùs ad illa attenderet. Euſebius Gallicanus homil. in Domin. 10. poſt Pentecoſtem. *Vt igitur*, ait, *appropinquauit ciuitatem in ſuam necem conſpirantem, non de ſua morte, quam illa lachrymatur, ſed de illius ruina, & perditione fleuit.* Vide *cap. 1. n. 24. cap. 3. num. 57. & 58. num. 70. & cap. 5. num. 261. & cap. 20. num. 44.*

Luc. 19. — *Chriſtus noſtra potius bona, quàm ſuas commoditates volebat.* — Caietan. — Euſeb. Gall.

## QVÆSTIO II.

### *Quare diſcipuli ſecuti ſint Dominum?*

9. LITTERALIS ratio huius rei iam patet ex dictis. Nam Dominus iuſſit eis transfretare, vt conſtat ex hoc *cap. 8. Matth. num.* 18. Et, vt etiam referunt Marcus, & Lucas, iterum eis Dominus dixit: *Tranſeamus contra*; quod intelligo dictum poſt illos duos iuuenes inſtructos, vt explicaui ſuperiori capite; ac proinde diſcipuli, vt boni miniſtri, imperata ſibi faciunt, quod valdè ſuauiter fit, quando Dominus præcedit exemplo, vt hìc in præſentiarum. Et maximè hìc obedientia Apoſtolorum notanda, quanuis enim, vt aduertit D. Marcus, *ſerò eſſet*, nullus tamen diſcipulorum aliquid dixit, vel replicauit, quod nimirum veſper eſſet, & tempus incommodum; ſed abſque vllo verbo prolato mandata exequuntur. Vide *tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 171. & hoc lib. cap. 8. num. 93.*

*Germana explicatio.* — *Vera obedientia non reſpondet, ſed mãdata exequitur.*

10. Secundò reſpondet D. Chryſoſtomus hom. 29. in Matth. ſic dicens: *Aſſumpſit autem eos non fruſtrà, neque caſu, verùm vt futuri ſigni eos faceret ſpectatores: nam vt palæſtræ magiſter optimus ad vtrumque eos exercebat, ne aut terrore vincerentur in periculis, aut honoribus efferrentur: ita ne magnum quid ſibi arrogent, quoniam alijs omiſſis ipſos tantùm ſecum retinuit, vt in tempeſtatem incidant, permittit, & ſimul in ferendis fecit meliores.* Multa, & præclara in præſenti docet. Primò. *Vt eos futuri ſigni faceret ſpectatores.* Vt ita maximè corroborarentur in ſua fide, ac doctrina. Et ſolùm aſſumit in nauicula ſuos diſcipulos, & non alios, vt futuri ſigni ſpectatores, ac teſtes fierent: nam ſolus amicus, ac tibi beneuolus, tuas laudes videt, & agnoſcit. Vide *lib. 2. cap. 6. n. 60. & lib. 3. cap. 3. num. 6. & 7. & hoc lib. 4. cap. 8 num. 25. & cap. 5. num. 25.* Secundò. Vult Dominus ſuos exercere, ne periculis, ac terrore concutiantur, ac vincantur. Deinde ne honoribus extollantur, dum ſe vident præter cæteros admiſſos, ideo vt humilientur, tempeſtate laborant: ſemper enim honorum apices, aduerſitatum voragines ſecum aſportant. Vide *cap. 6. num. 31. & 32.* Tertiò tandem. *Et ſimul in ferendis fecit meliores.* nam virtus, dum vexatione, ac preſſura premitur, creſcit, & augeſcit. Vide *cap. 5. num. 7.*

Chryſoſt. — *Solus amicus tua magnalia videt.* — *Dignitates catenatim ſecum labores afferunt.*

11. Tertiò D. Baſilius Seleucus *orat. 22.* ſic ait: *Aues vbi ſuos pullos pennis aptos viderint, inde eductos ad volatum exercent. Sic interdum Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos cùm multa de fide docuiſſet, nunc tanquam doctrinæ rationem velit repoſcere, eos ſpe, ac timore ſuſpenſos tenet, & mare Apoſtolis in fidei ſtadium apparet, & aſſumptis diſcipulis nauigauit vltrà.* Sicut aues cùm primùm ſuos pullos pariunt, non ſtatim exercent ad volandum, ſed poſtquam plumeſcunt, iamque pennis vident repletos: ſic ſapientiſſimus magiſter vbi primum ſuos diſcipulos vocauit, nõ ſtatim eos periculo maris committit, ſed priùs altiſſimo eos ſermone in monte inſtruxit in fide, ac multis miraculis viſis ſolidauit: tunc diſponit, eos in mediis fluctibus irruentibus ventis magna maris commotione contorqueri atque iactari, veluti repoſcens rationem eorum fidei, acceptæque doctrinæ, quantumque in ea profeciſſent: nec enim tyrones, ac imbelles milites Dominus in pericula mittit, ſed maximè exercitatos; & cùm nos non permittat tentari pluſquam poſſumus, noſtrorum donorum acceptorum rationem quærit. Vide ſuprà *cap. 8. num. 83.*

Baſil. Seleuc. — *Antequam ad magna quis mittatur, priùs exerceatur.*

12. Quartò Euthymius. *Turbas Dominus dimiſit, diſcipulos autem ſuos aſſumpſit propter miraculum, quod in mari facturus erat. Quum enim turbis beneficia contuliſſet, ſanando languores, ac morbos eorum: videbantur diſcipuli nullo affecti beneficio; & in hos ſuam exercet munificentiam: ac poſtquam eos permiſit in demerſionis periculum incidere, demum mirabiliter eripit.* Ne aliquis ſuſpicaretur, quòd Dominus miracula, ac ſigna ſuæ poteſtatis conferebat in turbas, & non in ſuos diſcipulos, ideo iubet eos Dominus transfretare, vt ab

*Princeps extraneis beneficiens, & ſuos donis afficiat.*



ab imminenti periculo eripiat, ingentique miraculoſo afficiat dono, ac ſuam erga eos curam declaret.

13. Quintò D. Thom. Secuti ſunt diſcipuli. *Nauicula* illa crucem ſignificat; & aſcendentem Dominum in crucem ſecuti ſunt diſcipuli eius, iuxta illud Pauli ad Galat. 6. num. 14. *Per quem mihi mundus crucifixus eſt.* Si enim Chriſtus pro nobis crucifixus eſt, nos etiam propter illum omnia, quæ ſunt mundi, debemus crucifigere, vt perfectè ipſum imitemur, atque ſequamur. Sextò D. Bonauentura *in Lucam.* Diſcipuli, ait, aſcenderunt cum Chriſto, vt oſtendatur perfectio comitatus, quia nunquam deſerebant magiſtrum, ſicut Eliſæus magiſtro ſuo Eliæ dixit: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te*, 4. Reg. 2. num. 3.

D. Thom. — *Diſcipuli Dominum per crucem ſequuntur.* — Galat. 6. — *Diſcipulus bonus à magiſtro non diſcedit.* — 4. Reg. 2.

14. Septimò Abulenſis *quæſt. 73.* Eos ſecum Dominus adducit, vt eos reduceret in conſiderationem ſuæ fragilitatis; nam ex eo, quòd Chriſtus magna miracula faciebat, & iſti adhærebant ei familiariter, honorabantur à turbis; & ne ipſi ex hoc gloriarentur, maximè quia Chriſtus conceſſerat iſtis poteſtatem prædicandi, & miracula faciendi, vt patet *Matth. 10. num. 8. Luc. 9. num. 3.* de qua poteſtate videbantur gaudere, & exultare; nam Luc. 10. num. 17. *Reuerſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus Dominus dixit: Nolite gaudere in hoc, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur, ſed quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ. Ne ergo gloriarentur in ſe ipſis, ſed vt in tanta dignitate ſuam infirmitatem agnoſcant, diſponit, vt in periculo conſtituantur, de quo ſua virtute non poterant liberari. Vide ſuprà *cap. 3. n. 76. & 173. & 278. & cap. 5. num. 64. 65. & 66. & cap. 7. num. 24. & cap. 11. num. 33.*

Abulenſ. — Luc. 10. — *Tui cognitionem in ſublimitate retine.*

15. Octauò. Aſſumpſit Dominus ſecum in nauiculam ſuos diſcipulos, vt dixi ex Euthymio, vt eos hoc miraculoſo beneficio proſequeretur, vt ita ſuam excellentiam, ac maieſtatem intelligant, & agnoſcant: plus enim agnoſcimus, & reueremur potentiam, ac magnificentiam alicuius beneficiis, quæ accepimus, quàm donis, quæ in alios videmus deriuari, ac collocari. Quod eleganter ponderauit Chryſoſtomus homil. 29. *Nam*, ait, *cùm non pariter aliquis ſentiat, quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in ſe ipſo, oportebat diſcipulos eius, qui plurimos in dies liberari videbant, ne tale quid ipſi experirentur, & negligentiores erant, vt magis obligarentur, in ſe ipſis omnipotentiam inſpicere: cùm nec claudi, nec cæci eſſent, tempeſtatem fieri permittit, vt liberati ab ea manifeſtatiorem beneficiorum eius in ſe ſenſum habeant.*

*Homo magis obligatus beneficiis in ſe, quã in alios collatis.* — Chryſoſt.

16. Videns Regulus filium ſuum vehementi morbo perurgeri, audiens famam miraculorum Chriſti, venit ad eum, & pro eius ſalute deprecatur, vt deſcendat in domum ſuam, ac ei ſanitatem donet, dicens ei: *Vade filius tuus viuit.* Et cùm iterum homo pergeret in domum ſuam, occurrunt ſerui deferentes felicia nuntia de pueri ſalute. Et cùm cognouiſſet, quòd à febri dimiſſus eſſet illa hora, qua ei dixit Ieſus: *Filius tuus viuit*; ſubdit Ioannes Euangeliſta 4. num. 53. *Credidit ipſe, & domus eius tota.* quod de fide perfecta eſt intelligendum, vt latiùs explicaui cap. 6. n. 117. Antea enim homo credidit fide imperfecta; nunc verò perfecta, & conſummata. Sed vnde iſte homo, & tota eius familia mouetur ad perfecta, conſummataque fide credendum, Chriſtum eſſe verum Deum, eiuſque potentiam, ac maieſtatem reuerendam? Si ob ſanitatem puero datam, multa alia, & fortaſſe maiora miracula viderant à Chriſto perpetrari. Cur illis non mouentur, vt perfectè Chriſti diuinitatem credant; ſed pueri ſanitate ad hoc alliciuntur? Multa, & magna erant alia miracula, ſed in alios, & extraneos diffuſa, & collata: at verò ſanitas pueri in proprio filio, ac in propria familia diffuſa, & conceſſa. Et multo magis efficaciter noſtrum cor mouet beneficium in ſe acceptum, quàm multa alia, & præclara in diuerſos ſparſa, ac diffuſa. Euthymius. *Nunc perfectè credidit, vbi ſanatus eſt filius ipſius.* Antea tot viſis miraculis imperfectè credidit; at vbi ipſe tantum donum accepit, quòd eius filius recuperauerit valetudinem, tunc perfectè credidit. Vide *lib. 1. cap... num. 39. 40. 41. & 42.*

Ioan. 4. — *Magis trahitur homo beneficio ſibi, quàm aliis collato.* — Euthym.

## QVÆSTIO III.

### *Quare ſoli diſcipuli aſcendant cum Domino in nauiculam, & nullus de turba ingrediatur?*

17. SOLI diſcipuli cum Domino aſcendunt, & nullus de turba admittitur, vt patet ex D. Marco, ait enim: *Dimittentes turbas aſſumunt eum.* Cur ergo nullus de turba pergit in hac nauicula, neque in eam ingreditur? Reſpondet primò Abulenſ. *quæſt. 76.* Quia Dominus transfretauit, vt turbas declinaret, vt dixi ſuperiori cap. *num. 1.* Secundò Dominus ſolùm iuſſit ſuis diſcipulis transfretare, vt *ibi* dixi, & patet ex hoc *cap. 8. Matth. num. 18.* Turba ergo modeſtiæ cauſa noluit ſe intromittere in nauim; & moraliter dic, in dignitatem, ac prælationem, ad quam non vocabatur. Vide hoc lib. *cap. 10. num. 27. 28. 29. & 30. & cap. 1. num. 59. & cap. 19. num. 7. & 8. & cap. 22. num. 85.*

Abulenſ. — *Nullus non vocatus ſe intromittat in munere alieno.*

18. Tertiò. Et valde notandum, quòd huc vſque turbæ maximè Chriſtum Dominum erant ſecutæ, tam in vrbibus, quàm in deſertis locis: nunc autem Chriſtum nauigantem ſoli diſcipuli concomitantur. Cùm Chriſtus deambulat, ac prædicat per terrena loca, miracula operabatur, infirmitates curabat, ac mala omnia fugabat: tunc nullus eſt, qui eum non ſequatur, itaut turbæ eum viderentur conculcare, ac comprimere. At vbi nauiculam aſcendit, mare periculis plenum ingreditur; pauci, & ſoli diſcipuli in eius concomitatu inueniuntur. Quia ſi multi, dum beneficia affluunt, tibi adhærent, pauci tamen, & rari, dum via arcta, & pericula inſtant, tibi aſſociantur. Vide *cap. 19. num. 48. 49. & 50. & cap. 10. num. 73. & cap. 5. num. 133. & 134.*

*In bonorum affluentia multi ſequũtur; ſecus verò in aduerſitate.*

19. Quartò. Chriſtus agnouit, quòd diſcipuli ſui in periculo erant infirmi futuri, & hac de cauſa erat ipſe increpaturus eos, dicens, *Modicæ fidei.* Diſpoſuit ergo, vt turbæ ibi non adeſſent, ne diſcipulorum viderent defectum, neque Domini in eos reprehenſioni aſſiſterent: tum quia reprehenſio debet eſſe ſecreta, ne crimina propalentur; tum quia non videbatur decens, vt eos, quos Dominus antea ita laudauerat, dicens: *Vos eſtis* ſal

*Reprehenſio ſit occulta, præcipuè illius, qui antea fuit laudatus.*

*ſal terræ, vos eſtis lux mundi* : in publicum argueret, eorumque defectum coram multis obiiceret.

20. Iob.24. Pineda.
Ait Iob 42.num.2. *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio; ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſapientiam meam.* Quibus verbis, vt doctè *ibi* explicat Pineda, agnoſcit Iob ſuam reprehenſionem, quam ſecretò à Domino habuerit, eo quòd inuoluerit Dei conſilium imperitis ſermonibus, ac ſuarum ærumnarum cauſas non promptè apprehenderit. Et tamen poſt hæc ſtatim ſubdit textus eodem cap.num.7. *Poſtquam autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.* Ecce Dominus laudat ſapientiam ſermonum Iob; nam quod rectum eſt, prudentia, ſapientia, ac ſcientia plenum eſt. Quomodo ergo ei obiicitur: *Inſipienter locutus es?* Nil magis cum ſapientia, quàm inſipientia repugnat. Calle diuinæ benignitatis conſilium. Priuatim, ac occultè Dominus ſuum amicum Iob increpat, & arguit de his, quæ parum conſideratè locutus eſt, vt dicunt D.Thomas, & Carthuſianus; at publicè, & coram aliis maximè laudat, magnis encomiis extollit. Nec enim diuina clementia eum, quem magnis teſtimoniis illuſtrauit: *Non eſt ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, Iob 1. num.8. publicè, ac in aliorum aſpectu reprehenſione deuenuſtat. Oleaſter *in cap.45. Gen.* ad illa verba: *Educite omnem virum à me*; ſic ait: *Cùm Dominus voluerit arguere Iob, ſolum eum conuenit; quem cùm arguiſſet ſeorſum, in publico apud amicos commendauit. Non eſtis, inquit, locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Mirabilis prudentia. Conuicerat ipſe Iob, vt fatetur, ſe ſtultè locutum, & apud amicos commendat eius locutionis rectitudinem. Sic ergo, cùm voluiſſet arguere Aaron, & Mariam murmurantes in Moyſem, eos ad fœderis tabernaculum ſeorſum præcepit cum fratre ire, Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis*, Num.12.n.4. Expende illud aduerbium, *tantùm*; quia non ſolùm contentus eſt Dominus præcipiendo, vt irent tres; ſed addidit, *tantùm*; maximè enim voluit, vt eſſet ſecreta reprehenſio Aaronis Pontificis, ac Sacerdotis dignitate inſigniti, vt ibi ponderat Theodoretus *quæſt.*23. de quo latè Lorinus. Vide ſuprà *cap.23.num.*24.

D.Thom. Carthuſ.

Iob.42.

Iob. 1. *Reprehenſio ſit occulta. publicè laudetur homo.* Oleaſter.

Num.12. *Reprehenſio Pontificis occulta.*

*Matth.8.n.*24. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, itaut nauicula operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et ecce commotio magna facta eſt in mari, vſque adeò, vt nauis operiretur fluctibus.

*Origen.hom.6. in diuerſos.* Ecce tempeſtas magna facta eſt.

*Theophylactus.* Ecce terræmotus magnus.

*Vatablus.* Ecce motus magnus ortus eſt in mari, adeò vt nauis operiretur à fluctibus.

ALTER TEXTVS.

*Marc.4.n.*34. Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, itaut impleretur nauis, & erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.

*Lucæ 8.n.*23. Et nauigantibus illis obdormiuit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur.

## *EXPOSITIO.*

21.
QVIETO, & ſereno tempore vela dant è portu ſacri diſcipuli, *Et nauigantibus illis obdormiuit Dominus*, vt ait D. Lucas, tanquam ſi feſſo corpori daret requiem: tamen magno, & alto conſilio, vt infrà explicabo. Et, vt ait D.Marcus, erat Dominus in puppi, hoc eſt, vt exprimit *ibi* Syriacus, in poſteriori parte nauis. *Super ceruical dormiens*, quod ligneum fuiſſe, aſſerunt Euthymius, & Theophylactus, & in puppi fabricatum ad ſomnum captandum.

Syriacus. Euthym. Theophyl.

22.
*Et ecce motus magnus.* Ait D.Matthæus, *Ecce*, hoc eſt, ſubitò: in benigna temporis ſerenitate ratem è portu ſoluerunt diſcipuli; tamen dormiente Domino, repentè vehemens tempeſtas irruit in eos. Et ita frequenter accidit; nam cùm multi magna temporum felicitate fruantur, inopinatè maxima aduerſitatum implicantur congerie. *Factus eſt in mari*, ſeu, vt habet Vatablus, ortus eſt *in mari*, Lucas habet *in ſtagno*. Et lacus ille vtroque modo dicitur more Hebraico, vt notat. Carthuſ. ſiquidem Hebræi magnam congregationem aquarum mare vocant. *Itaut nauicula operiretur fluctibus.* Significat hoc magnam commotionem aquarum inuicem ſe collidentium, ac penè emergentium, & etiam implentium nauiculam, vt exprimit D.Marcus: *Itaut impleretur nauis.* Vnde diſcipuli erant in arcto poſiti, &, vt ait Lucas, *pereclitabantur.*

*Multi cùm ſint in felicitate, contra eos tempeſtas ſuboritur.*

Vatablus. Carthuſ.

## QVÆSTIO IV.

### *Qua vi, ſeu virtute hæc tempeſtas exorta fuerit?*

23
POTVIT hæc tempeſtas viribus naturæ excitari, vt frequenter contingit in mari. Tamen quod hæc tempeſtas, non ex ſe, ſed iuſſu, ac imperio Chriſti contigerit, docent Origenes *homil.6. in diuerſos*, D. Ambroſius *in Pſalm.* 43. D.Paſchaſius, Beda, Gloſſa, D.Thomas, D. Bonauentura, Carthuſianus, Hugo, & alij. Itaut Beda, Strabus, ſeu Gloſſa, quæ ab ipſo Strabo eſt compoſita, exiſtiment, hac tempeſtate ſolam Chriſti nauim fuiſſe iactatam, non verò cæteras, quæ in eius erant concomitatu, vt ita Chriſtus ſe oſtenderet, tam exortæ, quàm ſedatæ tempeſtatis auctorem. Sed verius dicendum, quòd etiam aliæ naues vicinæ ſimili tempeſtate premebantur, vt ita manifeſtaretur maior tempeſtatis vis, maiorque virtus Chriſti eam compeſcentis.

Origen. Ambroſ. Paſchaſ. Beda. Gloſſa. D Thom. Bonauent. Carthuſ. Hugo. *Tempeſtas Chriſti virtute inducta.*



24. Paſchaſ.
Secundò D.Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* ad illa verba: *Cum veniſſet trans fretum*; quòd cùm Dominus ex hac nauigatione veniſſet in regionem Gerazenorum, vbi Dæmones è corporibus hominum eiecit; ſic ait Paſchaſius: *Fortaſsè ergo iſti ex permiſſu concitauerunt ventos aduerſus eum, & mouerunt fluctus, ne tranſmiſſo freto ad eos veniret iudex.* Viderunt Dæmones, quòd nauicula illa, in qua Dominus ferebatur, in regionem, in qua ipſi graſſabantur, dirigebatur: tunc Dæmones furibundi, & metuentes Domini præſentiam, magno conatu, ac artificio, ventorum impulſum, maris commotionem, ac rigidam tempeſtatem excitarunt, an ita fortè nauicula illa in aliam partem deflecteretur. Præſentia Domini, aduentus iudicis iniquis, ac maledictis valde formidoloſus, & terribilis; & ideo Dæmones totis viribus affectabant, Dominum in aliam partem abire. Vide *lib.* 1. *cap.* 5. *numero* 76. *& hoc lib. ſuprà cap.7. numero* 107. *& cap.* 21. *num.* 24.

*Præſentia Domini, ac iudicis maximè formidabilis.*

25. Paſchaſ.
Tertiò idem D.Paſchaſius *cit.lib.* 5. *in Matth.* ad illa verba: *Modicæ fidei*; ſic ait: *Legi ego, quendam doctorem dixiſſe, quòd mare exiliens præ gaudio ſui aduentum creatoris vix ferre quiuiſſet; & hinc eſſe, non quòd tempeſtas fuerit aurarum, ſed lætitiæ motus.* Huiuſmodi motus maris, aquarum commotio ex quodam veluti naturali impetu prouenit: nam ſentiens illa aquarum congregatio Deum in ſe habere, veluti non continens ſe, ſed præ gaudio feſtiuitatis ſigna exhibens, ac gratulans ſui auctoris aduentum, exilit, exultat, atque tripudiat, iuxta illa, Pſalmi 113. numero 4. *Montes exultauerunt ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium.* Quod de monte Sina, & Oreb explicans Theodoretus ait: *Colles, & montes moti ſunt, & trepidare videbantur, quippe qui cælorum Dominum receperunt.* Etiam inſenſibilia Domini aduentum vbi ad ſe ſentiunt, exultant, & lætantur.

*Inſenſibilia gratulantur Domini aduentum.*

Pſal.113.

Theodoret.

26.
Quartò. In hac ponderatione, relata à Paſchaſio, dicam, quòd cùm Dominus ingreſſus eſſet in mare, *factus eſt motus magnus*, ſeu, vt legit Theophylactus, *terræmotus magnus.* Vbi primum mare agnouit, ſe Dominum recepiſſe, ſe ſentiens indignum ad ſuſtinendum tantam maieſtatem, ſtatim totis artubus contremiſcit, aquarum voragines veluti celerato curſu fugiunt, ima maris commouentur, & piſces magno pauore corripiuntur, vt cum Theodoreto proximè citato dicam, *trepidare videbantur, quippe qui cælorum Dominum receperunt.*

Theoph. *Deum in ſe recipere, & continere, inſenſibilia timent.*

27. Chryſoſt.
Optimè huic rei concinit illud, quod eleganter dixit Chryſoſtomus in Pſalm. 2. *Sepulchrum, accepto corpore, depoſito territum, quod Patris theſaurum accepiſſet. Cur fremuerunt gentes, & milites quidem lapidem, vt lapides ſeruabant.* Saxeum ſepulchrum, cùm primum agnouit, ſe Domini corpus accepiſſe, ſtatim ac ſi eſſet humanum pectus, magno tremore concutitur, & agitatur. Et milites imperterriti, tanquam ſi eſſent inſenſibiles lapides, Dominum cuſtodiebant. Proh dolor! ne fortè hoc contingat multis etiam Chriſtianis, qui ad menſam Domini abſque timore debito accedunt, tanquam inſenſibiles lapides.

*Inſenſibilia timēt Deum recipere, homines non timent.*

28.
Cùm deſcendiſſet Deus legem daturus in monte Sina, vndique audiebantur tonitrua, micabant fulgura, clangor buccinæ perſtrepebat, nubes denſiſſimæ diſcurrebant. *Totus autem mons Sinai fumabat eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, eratque mons omnis terribilis*, Exod. 19. num.18. Quæ vltima verba ita legit Caietanus iuxta Hebræum: *Et tremuit totus mons valde.* Sed vnde mons tam vehementem, ac inſolitum timorem concepit; nam præ timore videbatur mons tanquam quædam arbor agitata à vento, totus commoueri, & labefactari? Deſcendebat Deus in montem; & vbi tantum Domini aduentum ad ſe ſenſit, ſtatim magno terrore concutitur, & magno pauore corrumpitur. Caietanus ſic ait: *Motus localis ad ſimilitudinem motus tremoris non parui deſcribitur montis totius, & hic eſt ille terræmotus, de quo meminit Dauid*, Pſalmo 67. numero 9. *Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Iacob.* Imò non ſolus mons, ſed totus mundus videbatur tonitru, fulgure, nube, ac caligine commoueri, ſiquidem hæc omnia diſcurrebant hinc, & illinc. Sed vnde tantæ commotiones? Philo Hebræus lib. de decem præceptis, *Nam par erat*, ait, *vt Dei aduentante potentia, nulla mundi pars conquieſceret.* Adeò terribilis, & formidabilis eſt diuina maieſtas, quòd ad aduentum Dei conueniens eſſet, vt nulla pars mundi quieta conſiſteret, ſed totis membris contremiſceret omnis.

Exod.19. Caietan. *Inſenſibilia timent Dei præſentiam.*

Caietan.

Philo.

## QVÆSTIO V.

### *Quare Chriſtus Dominus hanc tam ſæuam tempeſtatem ſuo imperio ordinauerit?*

29.
VALDE magna, & grauis fuit hæc tempeſtas, vt ſatis exprimit D.Marcus. *Facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, itaut impleretur nauis.* Et hæc tempeſtas Chriſti imperio eſt excitata, vt cum multis Patribus dixi ſuperiori quæſt. Nunc cauſam, & motiuum illius inquirimus. Et multa, quæ dixi *quæſt.* 2. ad hanc etiam quæſtionem pertinent, ibi videnda.

30.
Ratio huius rei germana eſt; quam tradit Origenes *homil.6. in diuerſos* Diuus Baſilius Seleucus *orat.*22. Vt Chriſtus ſuis diſcipulis oſtēderet potentiam ſuam; ſeque tam maris, quàm terræ ſupremum Dominum eſſe. Nam Chriſtus iam declarauerat potentiam ſuam per multa miracula in terris, voluit etiam per hoc miraculum in mari manifeſtare. Et ideo, vt notat Abulenſis *quæſt.* 75. hæc tam grauis tempeſtas permiſſa eſt; nam ſi eſſet parua, fortè diſcipuli ad Chriſtum non recurrerent; & etiamſi ceſſaret, ipſo iuben-

Origen. Baſil. *Chriſtus in mari, & in terra ſuam poteſtatem oſtendit.* Abulenſ.

te, non tam apertè videretur miraculum; quod aliter factum eſt, dum tam immaniter ſæuiebat. Et ita in mari, & in terra Chriſti eſt declarata potentia. Hac de cauſa ille Angelus, qui Chriſtum repræſentabat, vt docent Beda, Richardus, Anſbertus, qui apparuit *Apoc.* 10. *num.* 2. Ioanni, habebat vnum pedem in mari, alterum in terra, denotans vbique Chriſti imperium.

Beda. Richard. Ansbert.

31. Origen.

Secundò idem Origenes citato loco. *Facta eſt autem*, ait, *tempeſtas magna, vt magnum opus oſtenderetur, quia quanto magis fluctus naniculæ irruebant, tanto magis timor diſcipulos conturbabat, vt plus deſiderarent, ſe liberari per mirabilia Saluatoris.* Diſponitur hæc tempeſtas, vt diſcipuli magno terrore perculſi vehementiùs ſe ad Dominum conuertant; timor enim mali imminentis ſæpè noſtrum animum grauiter impellit in Deum, Deinde, *vt plus deſiderarent, ſe liberari per mirabilia Saluatoris.* Quanto quis grauiùs periculo premitur, tanto ardentiùs ab illo eximi cupit, ac ſatagit; & dum ſe liberatum agnoſcit, magis gaudet, ac in maiori æſtimatione habet, & reputat. Vt ergo vehemens hoc deſiderium in diſcipulis excitaretur, vtque Chriſti donum, in periculum euadendo, eis eſſet in magno pretio, ideo permiſſum eſt, tam acerba tempeſtate comprimi, atque affligi. In eadem ſententia eſt Victor Antiochenus *in* 4. *Marc.* & ſic ait: *Vt miraculum maius appareret, & eiuſdem memoria Apoſtolorum pectoribus diutiùs inhæreret:* Magnum diſcrimen magnam ſui recordationem gignit.

*Felicitas poſt tempeſtatem æſtimatur.*

Antioch.

32. Theophyl. Gloſſ. Ord.

Tertiò Theophylactus, Gloſſa Ordinaria. *Vt diſcipuli magis timeant, & rogent, & rogantibus oſtendat potentiam.* Magnus, & magnificus Dominus vult exorari, ab eoque dona peti; quod, vt Apoſtoli præſtarent, tanta decretum eſt exagitari tempeſtate. Quartò Simon Caſſianus lib. 5. cap. 2. *Vt probaretur experimento ſenſibili, quòd abſque Chriſti adiutorio in mari lethifero huius mundi ſubmergimur à varietate fluctuum inuoluti, à vitioſa inuolutione ad inferiora pœnarum in poſterum deſcendentes.* Si Chriſti adiutorium deſit, omni ſtatim periculo, malorumque voragine inuoluitur homo.

*Deus vult, vt ab eo petamus.*

Caſſian.

*Sine Chriſti adiutorio periclitatur homo.*

33. *Locus non dat ſecuritatem.*

Quintò. Erant diſcipuli in ſublimi illa, ſanctiſſimáque naui, in qua Chriſtus ferebatur: & tamen hæc tempeſtas permittitur, vt ibi maximè timeant; quia eſtò quis in eminenti ſit, ſanctoque loco, ibi magnum timorem retineat; nam cùm nullus ibi ſit immunis à caſu, nullus ſit etiam immunis à metu. D. Bernardus *ſerm. de ligno, fœno, & ſtipula,* ſic ait: *Nunquam eſt ſecuritas, fratres, neque in cælo, neque in paradiſo, multo minus in mundo. In cælo enim cecidit Angelus ſub præſentia diuinitatis: Adam in paradiſo de loco voluptatis: Iudas in mundo de ſchola Saluatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis ſibi de loco iſto blandiatur.*

Bernard.

34. Sextò Diuus Ambroſius *ſerm.* 62. *in Domin.* 5. *poſt Pentecoſten.* ſic ait: *Erat ibi Simon Petrus, ſed erat pariter & proditor Iudas: quanuis illius fides fundaret naniculam; huius tamen eam perfidia conturbabat: tranquillitas eſt, vbi ſolus Petrus nauigat; tempeſtas, vbi Iudas adiungitur: licèt eſſet Petrus firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius ergo delicto cunctorum merita quatiuntur.* Dum Petrus eſt ſolus in ſua nauicula, *Luc.* 5. *numero* 6. ſumma tranquillitate gaudet, & ſereno dat tempore vela: dum ei aſſociatur Iudas, maximè fluctuat, laboratque nauis. In quo multa ſunt notanda. Primò *Perturbatur tamen criminibus proditoris.* Nam vbi execrabile proditoris nefas habetur, nulla ſerenitas, tranquillitas nulla, ſed omnia perturbatione, & altercatione confunduntur infauſta, itaut diſcipulorum merita præclara nec pacem dare valeant, neque leuamen. Ait Ioannes Apocal. 12. num. 10. *Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, qui ſeducit vniuerſum orbem. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius; quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum* Quandiu in ipſo cælo degebat ille execrabilis proditor, humanique generis ſeductor, omnia prælio erant, ac ſeditione perturbata; cùm autem ille proiectus eſt, clamant Angeli: *Nunc facta eſt ſalus, virtus, & regnum Dei noſtri.* Expende illud: *Nunc ſalus, virtus, ac regnum Dei noſtri,* quod eſt æternum, ac ſempiternum: tamen vbi ille cecidit, tunc maximè eius ſalus, virtus, ac imperium declaratum eſt in ſumma pace, ac tranquillitate, vt *ibi* explicant Aretas, Anſbertus, & alij.

*Proditore perturbantur omnia.*

Apoc. 12.

Aretas. Ansbertus.

35. Ambroſ.

Eadem Ambroſij verba ſecundò preme. *Quanuis illius fides*, ſcilicet Petri, *fundaret naniculam; huius tamen eam perfidia conturbabat.* Fides Petri validiſſima, & ſuper hanc petram fundatur Eccleſia, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt. Fides Apoſtolorum valde præpotens etiam ad transferendos montes, *Marc.* 11. *num.* 31. Et tamen hæc nauicula tam præclara fide, ac tantis meritis fundata, adhuc procelloſa tempeſtate concutitur, ait Ambroſius, *Huius*, ſcilicet Iudæ, *eam perfidia conturbabat.* Adeò graue, ac ponderoſum eſt peccatum, vt fides, quæ poteſt montes transferre, hîc contra vnius Iudæ nequitiam non ſufficiat ad continendam nauim, quin ad ima petat, & alternantibus vndis veluti profundum attingat. Nam, vt ait ipſe Ambroſius, *Vnius ergo delicto cunctorum merita quatiuntur.* Vide ſuprà *cap.* 18. *num.* 23. & *cap.* 20. *num.* 18.

*Peccatum valde graue, & ponderoſum.*

36. Ambroſ.

Septimò idem Ambroſius *lib.* 4. *in Luc.* ponderans, quòd hæc nauicula hîc concutitur fluctibus, cùm tamen ipſa nauis Petri, *Luc.* 5. *num.* 6. ſit in magna ſerenitate: in hæc verba fatur, quæ parum differunt à ſuperioribus. *Non turbatur iſta, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Iudam habet. Etſi multa illic diſcipulorum merita nauigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus, ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem, ne per vnum plurimi fluctuemus.* Cur Petri nauis tam felici aura fruitur; hæc verò nauicula tanta tempeſtate premitur? Aderant hîc Domini diſcipuli, aderat & Iudas: & ſæpè multi boni, vnius iniquitate periclitantur. *Caueamus ergo perfidum, ne per vnum plurimi fluctuemus.*

*Societas peccatorũ multis nocua.*

37. Naues ſuas mittebat Salomon in Tharſis, quæ tertio anno opulenter, ac fœliciter ad eum veniebant, 3. *Regum* 10. *num.* 22. Naues ſuas etiam in Tharſis deſtinauit Ioſaphat Rex, quæ omnes ſæuiente tempeſtate ventorum impulſu in mari naufragantur; vt ei denunciauit Propheta Elizæus: *Percuſſit Dominus opera tua, contritæ ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis,* 1. Paralip. 20. num. 37. Cur quæſo, omnes naues

1. Par. 20.

Salomo



Salomonis ſecurè eundo, & redeundo per mare peragunt; omnes verò rates Ioſaphat in pelago naufragantur, nec vna quidem ſalua ad portum appulſa eſt? Salomon amicitiæ fœdus iniit cum bono, & probo Rege Hiran; Ioſaphat verò cum Ochoſia Rege iniquiſſimo: etſi illius probitas tutamen dedit claſſi; huius verò iniquitas interitum præparauit, vt multæ; & copioſæ naues vnius malo ita ſubmergerentur. D. Ambroſ. *in Pſalm.* 47. ad illa verba: *Conteres naues Tharſis;* ſic ait. *Quia Ioſaphat impio*, ſcilicet Ochoziæ, *ſe coniunxit, ideo miſſus eſt ad eum Propheta, qui diceret ei, Deſtruxit Dominus opus tuum, & contritæ ſunt naues tuæ, & non potuerunt ire in Tharſis. Ad Salomonem autem, vtpote ſapientem, & pacificum virum, naues de Tharſis cum auro, & argento, & dentibus eburneis ſine vlla offenſione veniebant, & eò ipſe mittebat. Habebat enim cum Rege Hiram ſacræ negotiationis ſpirituale commercium, & mutuæ gratiæ concertantis affectum.*

*Ob ſocietatẽ iniqui pereũt multi.*

Ambroſ.

38. Valde nociuum, & exitiale eſt impij commercium, ac ſodalitium; & in acerbam, duramque tempeſtatem trahit. Ait Chriſtus Dominus de ſe: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me,* Pſalm. 68. num. 3. Sed quonam ſigno in ſæuientem tempeſtatem mortis, ac dolorum traditus eſt Chriſtus? Oſculo nempe Iudæ: *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*, Matth. 26. numero 48. Et cur non aliud ſignum datur ad mortem, & comprehenſionem, niſi oſculum proditoris? Per oſculum denotatur conſortium, ac ſodalitium inter oſculatum, & oſculantem: & nullo manifeſtiori ſigno poterat exprimi, quòd innocentiſſimus agnus tempeſtate mortis, ac paſſionis erat ſubmergendus, ac opprimendus, quàm dum nefarius proditor per ſuum oſculum ad eum accedit, eique appropinquat. D. Chryſoſt. ſerm. 1. de Proditore, ſiue de feria quinta Paſſionis. *O ſignum ſacrilegum, ô conuentus nefarius, ô placitum puniendum, vbi ab oſculo incipitur bellum: Quemcumque oſculatus fuero. Hoc ſignum Iuda tu dediſti, hoc pactum in tuo magnanicio poſuiſti, vt cum quo faceres pacem, ipſe caperetur ad crudeliſſimam paſſionem.*

Pſal. 68.

Matth. 26.

*Acceſſus iniqui ſignum mortis.*

Chryſoſt.

## QVÆSTIO VI.

### *Quid hæc nauis ſignificet? Et quare tam acerba tempeſtate prematur?*

39. August. Albert. Mag. D. Thom. Bonauent. Hugo.

HVIVS nauis tropologicè quatuor ſignificationes appono. Et primò, vt docet D. Auguſt. *hom.* 3. *inter* 17. Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauentura, Hugo, per hanc *nauim* ſignificatur anima, quæ facta eſt quaſi nauis inſtitoris; & maximè concutitur, & iactatur tentationibus ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, inuidiæ, ac aduerſitatum, & contradictionum. Et in hanc nauim aſcendit Ieſus per gratiam cũ diſcipulis, hoc eſt, ſanctis cogitationibus, & inſpirationibus; etſi aliquando dormire videatur, dum nos ſinit cum ipſa tentatione luctari, atque aduerſitate concuti. Vt enim ait D. Eucherius lib, de formulis ſpiritualibus. *Dormire Dei eſt, anxiis tardius ſubuenire.* Et idem habet Euſebius Gallicanus *homil. in Dom.* 4. *poſt Epiphaniam.* Tunc noſtris orationibus, ac precibus euigilandus eſt Ieſus. *Exurge, quare obdormis, Domine? Quare faciem tuam auertis, & obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ,* Pſalm. 43. num. 23. Et tunc fiet tranquillitas magna.

D. Eucher.

Euſeb. Gal.

Pſal. 43.

40. Non ineptè etiam per furentes ventos, ſæuientem tempeſtatem, inſurgentes vndarum voragines interpretari poſſunt conuicia, opprobria, ac iniuriæ; quibus ab aduerſario humanus animus, degens in hoc ſæculo impetitur, ac concutitur; & quibus ira mouetur, ac efferueſcit, vt niſi in eis inſurgat Ieſus, infundens pium, beneuolumque affectum, ſine dubio humanum pectus in penè ineuitabile iræ, & vindictæ impelletur naufragium. Accipe D. Auguſtinum tract. 49. in Ioann. *Intrant venti cor tuum, vtique vbi nauigas, vbi hanc vitam, tamquam procellarum, & periculorum pelagus tranſis: intrant venti, mouent fluctus, turbant nauim, Qui ſunt venti? Audiſti conuicium, iraſceris: conuicium ventus eſt, iracundia fluctus eſt. Periclitaris. Diſponis reſpondere, diſponis maledictum maledicto reddere; iam nauis propinquat naufragio.*

*Conuicia, & opprobria vehementer animum mouent.*

Auguſt.

41. Cyrill. Ant. Vlyſſ.

Secundò D. Cyrillus *in Catena Græca.* D. Antonius Vlyſſiponenſis *ſerm. in Dom.* 4. *poſt Epiphaniam,* ſic interpretantur. *Stagnum* erat Iudæa, quam aſcendit Chriſtus: *procella* tempeſtas paſſionis, quando in cruce Chriſtus dormiuit, tunc diſcipuli à fidei firmitate receſſerunt; ſed reſuſcitati fuerunt, reſurgente Domino, & increpauit eorum incredulitatem, dicens Luc. 24. n. 25. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum: Nónne ſic oportuit, Chriſtum pati.* Imperauit ventis, & ceſſauit tempeſtas incredulitatis.

Luc. 24.

42. D. Thom. Hugo.

Tertiò Diuus Thomas, Hugo per hanc nauim Crucem Domini intelligunt. Nam nauis in principio, & in fine ſtricta eſt, in medio lata. Crux ſtricta fuit in ſummo, quia Ieſus non habuit, vbi caput ſuum reclinaret; & in immo ſimiliter habens pedem ſuper pedem; lata in medio fuit, quia ibi expandit Dominus manus ſuas. Qui hanc crucem amplectuntur, tempeſtatem patiuntur à mundo, carne, & diabolo: ſed inuocantes Dominum, eis adeſt opportunus auxiliator; quo duce ſecurè ad portum ſalutis accedunt. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt*, Sap. 14. num. 5.

*Cruce ſaluantur homines.*

Sapient. 14.

43. Tertull. Emiſſen. Cyrill. Chryſol.

Quartò Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap.* 12. Euſebius Emiſſenus *Dom.* 5. *poſt Epiphaniam* Diuus Cyrillus *in Catena Græca.* D. Chryſologus *ſermon,* 21. per hanc *nauim* Eccleſiam Chriſti agnoſcunt, quam tyranni ſua impia crudelitate, Hæretici ſuis falſis dogmatibus, & erroribus impetunt, & ſpumoſis fluctibus, vt ait Chryſologus *citatus*, ſuarum quæſtionum, ac diſputationum cõtra ſacra dogmata Catholica, quæ potius fidei obediẽtia, quàm humana diſcurſiua ratione ſunt veneranda, inſurgunt, ac nauem Chriſti opprimere intendunt. Tamen in vanum laborant; nam etſi pauliſper videatur Dominus dormitare, vt ſui milites tentationibus exerceantur, non tamẽ dormitauit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſraël, ſed ipſum prælium intuetur, & gaudet, dum videt ſuos ſtrenuos milites, &, vt inquiũt Emiſſenus, & Tertullianus, ſuorum ſeruorum precibus prouocatus magnis fauoribus adeſt opportunus auxiliator, atque defenſor; vt victoriæ præmia largiatur, vtque Eccleſiam ſuam cuſtodiat, ac tueatur,

*Eccleſia inter perſecutiones firma ſtat, magiſque creſcit.*





eamque

eamque in vberes fructus faciat parturire,Et quo magis affligi videtur Eccleſia, eò magis ſublimatur,ditatur,ac fœcundatur. D. Gregorius Magnus *lib.9.in Iob cap.* 6, ſic ait de Eccleſia Catholica; *Sæpe namque eam reprobi vſque ad internecionem perſecuti ſunt, ſed eo multiplicius ad ſtatum ſui profectus rediit, quo inter manus perſequentium moriendo laborauit.*

Gregor.

44. *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, Cantic. 1. num. 13. Quæ verba ab Eccleſia communiter Patres interpretantur. Gregorius Nyſſenus *homil.* 3. Origenes *homil.* 2. *ex quatuor*. D. Ambroſius *in Pſalm.* 118. *verſ.* 1. & alij, per *faſciculum myrrhæ* tribulationes,aduerſitates,ac perſecutiones, & mortes denotari, ſatis vulgare eſt. Sed cur iſte faſciculus myrrhæ non dicitur ab Eccleſia haberi in manibus, vel capite, ſed inter vbera? Meritò ſanè. Vberibus aluntur pueri, & huiuſmodi perſecutionibus, tamquam inter vbera, alimentum ſumunt, vires acquirunt, in immenſumque creſcunt Eccleſiæ filij. D. Bernardus *ſermone* 43. *in Cantic.* poſtquam latè recenſet amaritudines paſſionis Chriſti,nempe ſputa,alapas,flagella, ſubſannationes,clauos,& crucem, ſubdit S. Doctor introducens Eccleſiam, dicentem: *Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis. Ex his ſuauis vnctio conſolationis. Hæc me erigunt in aduerſis.* Et poſt pauca ſubdit: *Hoc lac viſcera reficit paruulorum, hoc replet vbera matrum, & ideo inter vbera mea commorabitur.*

Cant. 1. Nyſſen. Origen. Ambroſ. *Perſecutionibus nutriuntur, & creſcunt Eccleſiæ filij.* Bernard.

45. Vis videre, quòd Eccleſia perſecutionibus non minuitur, ſed potiùs ditatur, augetur, ac magnis honoribus ſublimatur? Conſidera, quòd Sara, bis à Regibus capta, & in eorum domos ſublata, videbatur fieri in magnam iacturam, ac vilipendium ipſius, & Abrahami. Sed quodnam damnum inde ſecutum eſt? Nullum ſanè, ſed potiùs diuitiæ, honos, ac magna reuerentia in omnium conſpectu: nam primùm ſublata eſt in Ægypto in domum Pharaonis *Geneſ.* 12, *num.* 15. & tamen Abrahamo elargitæ ſunt magnæ diuitiæ pecorum,ac ouium, vt communiter cum Chryſoſtomo notant ibi omnes num. 16. *fuerunt ei oues, & boues*, ſcilicet dati à Pharaone. Secundò capitur ab Abimelech Rege in Geraris *Geneſ.* 20. *numero* 2. à quo etiam magnam auri copiam accepit. Et non ſolùm Abrahamus in vtroque loco maximè honoratus eſt, ſed ex his factis, vt ibi ponderat Chryſoſtomus,omnibus, qui in itinere erant, & habitabant in Palæſtina, habebatur in magna reuerentia. quod eleganter, ac ſuauiter ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ accommodat Archiepiſcopus Leander vir ſanctitate conſpicuus,homilia,quæ habetur ad finem Concilij III. Tolet. ſic ait: *Sara,dum ſæpè à regibus concupiſcitur, nec maculam pulchritudinis ſentit, & Abraham cauſa ſuæ pulchritudinis diuitem facit: ab ipſis enim regibus. Abraham ditatur, à quibus Sara concupiſcitur. Condignè ergo Eccleſia Catholica gentes, quas ſimul ſenſerit fidei ſuæ decore, ad ſui eas ſponſi,hoc eſt, Chriſti, lucra tranſducit: & per ea regna ſuum virum diuitem reddit, per quæ ſe inquietari perſenſerit; ſic enim,dum premitur, eruditur; & dum inſectatur, dilatatur.*

Chryſoſt. Idem. *Eccleſia perſecutionibus ditatur.* Leander.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare ſæuiente tempeſtate dormiat Dominus.*

46. OMNES tres Euangeliſtæ teſtantur, Chriſtum dormiſſe.Quod de vero ſomno intelligendum eſt. Nam,vt ait Origenes *homil.6.in diuerſos*,dormiebat corpore,ſicut & ad puteum fatigatus de itinere ſedebat; ſicut & in paſſione mortuus, & crucifixus eſt,demonſtrans, quia verum,ac corruptibile portabat corpus.Vnde ait D.Baſilius Seleucus orat. 22. *Dormit Dei templum, per quod Deus adeſſe creditur, tantumque dormit,quantum ſinit vſus corporis.* Ille autem ſomnus,ſicut & cæteræ paſſiones Chriſti, erat voluntarius, vt notarunt Chryſoſtomus in Imperfecto *homil.*23.D.Auguſtinus *ſerm.* 3. *inter* 17. qui affirmant Chriſtum voluntate, non neceſſitate, vt nos,dormiſſe. Et ita dormiebat corpore,vt non ſolùm vigilaret ſecundùm diuinitatem,vt notarunt Origenes,D.Thomas,& alij,ſed etiam ſecundùm intellectum, qui illuſtratus erat ſcientia infuſa,ac ſine vlla dependentia à corpore rectè operabatur, vt docent Theologi cum D.Thoma 3.*part.quæſt.*11.*art.*2.Caietanus, Valentia,Suarius, Vaſquius, Cabreira, M. Petrus Cornejo. Ex quo rectè dixit Chryſoſtomus citatus. *Dormit in ſomnum, qui populum ſuum vigilia æterna cuſtodit.* Et manifeſtatio veritatis corporis ſit prima ratio huius quæſtionis.

Origen. Baſil. Chryſoſt. Auguſt. Origen. D.Thom. Caietan. Valent. Suarius. Vaſq. Cornejo. Cabreira. Chryſoſt.

47. Secundò valde germanè ad litteram, quod indicarunt Chryſoſtomus *homil.* 29. *in Matth.* Victor Antiochenus *in Marc.* D.Cyrillus *in Catena Græca.* Euthymius,D.Thomas, Abulenſis, *q.*81. Toletus *in cap.*8.*Luc.annot*,43.Videns Dominus ſuorum diſcipulorum fidem paruam,& imperfectam,vt eam probet, ac perficiat.dormit.Perſuadebant ſibimet ipſi diſcipuli,quòd Dominus dormiens nec res præſentes cognoſceret, nec eos à periculo liberare poſſet. Dormit ergo Chriſtus, vt dum eum excitant, dicentes: *Salua nos, perimus*, illorum exigua,ac modica fide detecta, & ipſiſmet manifeſta,eos arguat,& reprehendat. Et ita ex reprehenſione diſcant, ac informentur, quòd ipſe tam dormiens, quàm vigilans omnia intuetur, omnibuſque auxiliari poteſt:ac proinde quòd ad euadendum periculum, ac ſedandam tempeſtatem fruſtrà ipſum excitant,cùm æqualiter dormiens,aut vigilans,hæc omnia poſſit præſtare. Vt ergo diſcipuli deponant ſuæ fidei exiguitatem,in eáque proficiant, prius vult Dominus,vt illius imperfectionem agnoſcant;nam vt quis à ſuis defectibus curetur,prius requiritur,vt eorum procedat cognitio.

Chryſoſt. Antioch. Cyrill. Euthym. S.Thom. Abulenſ. Tolet. *Præcedat in te infirmitatis cognitio, vt curetur.*

48. Tertiò Abulenſis *quæſt.* 79. cum D. Cyrillo, Origenes.Si Dominus vigilaret,diſcipuli in tempeſtate non timerent,ſed crederent, ſe eſſe ſecuros Domini præſentia.Dormit ergo,vt ait D.Cyrillus,præſtans tempus timori,vtque ipſi diſcipuli magis timeant,vt etiam docent Chryſoſtomus, & Antiochenus *citati*; & ſic eorum affectus vehementiùs moueatur erga Chriſtum, qui eo magis excitatus eſt, quo in maiori periculo poſiti videbantur, illiuſque ope indigere, atque vt ita eorum ſenſus apertior fieret ad cognoſcendam excellentiam,euidentiamque miraculi.

Abulenſ. Cyrill. Origen. *Ex maiori neceſſitate maior generatur affectus.*

Quartò



49. Quartò Diuus Cyrillus in Catena Græca. *Adeſt quidem electis ſuis Chriſtus. Sed quia ſæpenumero permittit eos per diſpenſationem aliquid pati, videtur quodammodo dormientem fingere.* Docet *ibi* D. Cyrillus, quòd Dominus dormiuit ad maiorem manifeſtationem miraculi. Nam ſi eo vigilante tempeſtas inciperet, ſtatim eam ſedaret:& ita miraculi magnitudo non tam clarè appareret. Tam pius, & benignus Dominus in quo optimi principis forma tradebatur.Si ſe exhiberet vigilans, & ſuos laborare, & periclitari videret, ſtatim eis auxiliaretur, opemque ferret. Vt ergo eos tempeſtate vexari, verſarique in diſcrimine ſinat,diſſimulat, ſe non videre, dormientemque fingit.

Cyrill. *Magnus princeps, quin ſubueniat, ſuorum labores videre non poteſt.*

50. Quintò Diuus Hilarius hìc in Matth. *Eccleſiæ*,ait,*inter quas Verbum Dei non vigilauerit, naufragæ ſunt: non quòd Chriſtus in ſomnum relaxetur, ſed quòd ſomno noſtro conſopiatur à nobis.* Sæpè Eccleſiæ filij laboribus, ac ærumnis vexantur;& quanuis ad Deum clament,Deus opem non fert;atque ita ſe habet,ac ſi eſſet in ſomno, & eos non audiret: non quòd Dominus dormiat,qui ſemper eſt in vigilia; ſed quia ſomno operum bonorum in nobis,& noſtra vigilia peccatorum ſomnum in eo excitamus, vt nobis non auxilietur, cùm noſtris flagitiis adiutorio eius reddamur indigni.

Hilar. *Noſtris delictis reddimur indigni auxilio Dei.*

51. Sextò D. Ambroſius in cap. 8. Luc. *Securitas poteſtatis, quod omnibus timentibus ſolus intrepidus quieſcebat.* Idem docet D. Thomas. Inter marina pericula ſecuritatem ſuæ poteſtatis oſtendebat Dominus; & ideo non timebat; ſed ſolus ipſe dormiebat. Vt ita ſimiliter in quauis tribulatione Iuſti ad eum confugientes ſpe ſecuri non timeant. *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*, Prouerb. 28.

Ambroſ. D. Thom. *Dominus in periculis oſtendebat ſecuritatem.* Prou. 28.

52. Septimò Diuus Baſilius Seleucus orat. 22. *Aduersùs diſcipulos cùm talis tempeſtas deprœliaretur, Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum nauigantibus prælium? O ſomnum, quo fidem dormientem ex media maris tempeſtate Dominus excire parabat.* Sæuiente tempeſtate dormiebat Dominus, non inertia, ſed ſtudio, vt denotaret, quantum debeant vigilare, qui in hoc mundi mari nauigant, vtque dormientis diſcipulorum fidei damna indicaret,atque argueret.Si enim ex eo quòd ſenſu corporis dormiebat ipſe,videbantur corpora periclitari,inde intelligerent, agnoſcerentque diſcipuli, quòd cùm fides in eorum animis dormiret, in certiſſimis periculis naufragij ſe iactari,ac verſari.

Seleuc. *Si fides dormit, pericula naufragij adſunt.*

53. Octauò D.Chryſoſt.in Catena. *Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum; vt ergo daret locum formidini,ipſe verò dormiebat.* Sæpe permittit Dominus ſuos athletas præliari in tẽtatione, vt inde magnis eos præmiis condecoret. Ne ergo tentationi daretur impedimentum, dormit Dominus,vt certamini liberum eſſet ſtadium.

Chryſoſt.

54. Nonò D.Chryſologus ſerm.20. *Inter vigilantes omnes, tunc ſolus tenetur in ſomno, quando imminebat ſibi, ſuiſque tam grande diſcrimen, eratque totius mundi vnum naufragium. Suſcitatus ergo à diſcipulis Chriſtus,mare, hoc eſt,mundum corripit: tranquillat orbem, Reges mitigat, ſedat fluctus, componit populos, Romanos efficit Chriſtianos, ipſoſque executores Chriſtianæ fidei, reddidit, qui fuerunt perſecutores.* D. Bonauent. ad illa verba: *Suſcitauerunt eum*, ſic ait: *Vt per eius vigiliam obtinerent remedium, qui in eius dormitione incurrerant in periculum.* Somnus iſte Chriſti totus eſt in noſtram eruditionem,& documentum, vt etiam explicat ipſe Chryſologus ſer. 21. *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Dormit Chriſtus,totum mare ſæuit,ſpumant fluctus,deferueſcit tempeſtas, omneſque euidenti vexantur naufragio, excitatur à ſomno, quieſcit mare, omneſque in tuto,ac ſereno apparent. Quid denotat hoc? Quid ſignificat? His nos inſtruit veritatis Magiſter, qui ſemper vigilat ſuper gregem ſuum,quòd ſi princeps,gubernator, aut paterfamilias indulgeat ſomno, omnia, quæ ſubditorum, ſeu etiam familiæ ſunt, in diſcrimine, lapſuque verſantur. Somnus enim imago eſt mortis: at in principe non tam illius effigies, quàm ſubditorum eſt mors. Aliter verò vigilia principis omnia cuſtodit,tuetur, ac fouet. Cùm homines vigilarent,mundum erat triticum. *At cùm dormirent homines*, ait Chriſtus, *venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania*, Matth. 13. numero 25. Petrus Chryſologus *ſerm.* 97. ſic ait. *Inſidiator vigilantes fugit, appetit dormientes.*

Chryſolog. Bonauent. Chryſolog. *Vigilia principis cuſtodit ciuitatem, ſi dormit omnia ſunt in periculo.* Matth. 13. Chryſolog.

55. Dilecta anima cùm vehementer ſui dilecti flagraret deſiderio, ait. *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea*, Cant. 3. n. 1. Surgit diligenter,& quærit illum. *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem*, ibidem num. 3. à quibus nullum nocumentum accepit; immo *Paululum cùm pertranſiſſem eos,inueni, quem diligit anima mea.* Ibi vult Caſſiodorus, quod ab ipſiſmet cuſtodibus eius ſponſus eſt inſinuatus. Iterum autem cùm eius dilectus pulſaret ad oſtium, & ei aperire renueret: *Expoliaui tunica mea, quomodo induar illa?* Cantic. 5. num. 3. tandem ipſius amore vulnerata quærit ſponſum,& ſubdit: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, vulnerauerunt me; tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*, ibidem n. 7. Per hos cuſtodes,tyrannos, & iniquos intelligunt Orgelitanus,& Aponius. Sed iam dubium pulſat animum: cur in primo loco à cuſtodibus ciuitatis ſponſa benigne eſt excepta,& nulla iniuria affecta,at verò in ſecundo tot nocumentis afflicta? In prima periodo inuenitur ſponſa in nocte, & etiam in cubili ſuo,ac in lectulo vigilans, ideoque in cuſtodibus ciuitatis, atque in ſubditis reuerentiam,ac debitam morum ſuauitatem reperit. At in ſecundo loco tenebatur clauſa in domo,vt ſomno indulgeret, immo,vt vult Theodoret. illa verba, *Expoliaui me tunica mea*, dicta fuere ex aliqua ignauia, atque pigritia;ideoque dum foras exiit,in cuſtodes murorum, nempe in ſubditos crudelitate, ferocitate, ac nequitia repletos, incidit.Dum ergo ipſa vigilat,excubias miniſtrorum virtutum caſtris inuenit: cùm ipſa aliquantulum ad dormitationem animum apponit, cuſtodes murorum à virtute decedentes reperit.Vigilemus ergo, vt Chriſtum in noſtris inueniamus.D.Ambr.*ſerm.*7.*in Pſalm.*118.poſtquam latè explicat vigilias ſponſæ in lectulo ſuo, & quomodo ſponſum ſuum quæſiuit, & inuenit, ſubdit. *Denique poſterius ait: Inuenerunt me, qui circumeunt ciuitatem, tulerunt mihi pallium. Habuit ergo certamen. Sed qua ratione ſuprà non tulerunt pallium, hæreo reperire. Diſce, quemadmodum quæratur Chriſtus, ab his vtique, qui non perfunctoriè quærunt.* Hi, qui non in vigilia, ſed in ſomno quærunt,perfunctoriè non quærunt.

Cantic. 3. Cantic. 5. Orgelit. Aponius. *Vigilia principis, omnia florent virtute, ſi dormit,omnia in vitium abeunt.* Theodoret. Ambroſ.





Poſtquam

56\. Poſtquam Nabuchodonoſor diabolica inſania motus erexit ſtatuam, in qua ſe, vt Deum, mandauit adorare, proceſſit Deus ad eum arguendum, reprehendendum, ac caſtigandum, vt notant D.Hieronymus, Theodoretus, S.Thomas, Pinto, & alij. Et ei oſtendit in ſomniis arborem ſublimem, quæ attingebat vſque ad cælos. *Et ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit; clamauitque fortiter, & ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius,* Daniel.4.n.10. Ille vigil, Angelus eſt, vt docent citati auctores. Vnde ait Lyranus. *Quia Angelus vigilat ad noſtram cuſtodiam, ac ad exequenda Dei mandata; & quia nunquam ceſſat ab actu intelligendi, ſicut nos ceſſamus ab actu intelligendi.* Arbor verò Nabuchodonoſorem denotabat, qui ob nefanda crimina ſuæ idololatriæ, qua voluit cælum attingere, præſcindendus, & abiiciendus erat ab hominibus. In nomine ergo Angeli, *vigil*, arguebatur ſomnolentia, ac pigritia Regis, qui regiæ ſolicitudinis obitus delitiis indulgebat: & ideo hoc loco Angelus nomine *vigil*, denotatur. In arboris autem altitudine nefandum eius idololatriæ facinus, quo ipſum cælum voluit attingere, & nomen diuinitatis vſurpare. Sed cur in Rege prius arguitur nomine Angeli ignauia, & pigritia, quàm ſtatua inanis diuinitatis? Adeò abominabile, & execrabile eſt in Rege ſomnolentia, & inertia, vt in impio homine hanc primò obiurgare, deteſtarique Dei prouidentia diſpoſuerit, tanquam quod ipſa ad omnem licentioſum modum viuendi tam Regi, quàm ſubditis aperuerit ianuam.

Hieron. Theodor. S.Thom. Pinto. Daniel.4. Lyran.

*Somnolentia turpiſſimum principis peccatum.*

---

## Qvæstio VIII.

### *Quare Dominus dormiebat ſuper ceruical?*

57\. Scribit Diuus Marcus, quòd Dominus erat in puppi ſuper ceruical dormiens. Chriſtus Dominus qui frequentabat deſerta loca, in illiſque pernoctabat, nunc delicatum, mollemque cubitum quærit? Theophyl. & Euthym. teſtantur, fuiſſe ligneum ibi factum ad illud miniſterium. In quo, vt ait Diuus Chryſoſt. *homil. 29. in Matth.* Domini humilitas, ac modeſtia notanda. Non quærit lectulum, ſed commune, & vulgare ceruical ligneum. Deinde, quia modicis contentus erat Dominus, non enim ambulabat in magnis, ſed in paruis, ac humilibus. Tertiò ſuper ceruical dormit Dominus, in quo nobis commendat vitam pauperem, & humilem, quàm ex ſua natiuitate maximè dilexit, & eſt amplexatus. Quartò, non in lectulo dormit, ſed ſuper ceruical ligneum, vt cunctis appareat, quòd ipſe ſit paratiſſimus, velut in procinctu, ad auxilium noſtrum. Sextò, vt ait Palatius, nos in præſenti admonet Dominus, vti commoditate; dum tempus, & ratio ſe offert, occaſione anguſtè viuendi, lautam vitam ne quæramus. Ergo in naui ne quærito delitias. Et ita dicebat Paulus ad Philipp.4.n.12. *Scio & humiliari, ſcio & abundare (vtique in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Vide *cap.7.num.*14.

Theophyl. Euthym. Chryſoſt.

*Dominus in noſtrum auxilium paratiſſimus.* Palat. Philip.4.

58\. Alij verò, vt Barradas *in præſenti cap.* 16. volunt, quòd ceruical, hîc poſitum, ex radice Græca puluinar capiti ſupponi ſoliium, vt potiùs myſterio res ſit explicanda. Vnde ait *citatus* Barradas, puluinar illud molle, & blandum bonam conſcientiam repræſentat, in qua dum vir probus requieſcit, quantunuis pericula inſurgant, ac vehementi conatu, non turbatur, ſed placidus, & quietus ſtat. Vnde ſponſæ *lectulus floridus* dicitur *Cantic. 1. num.* 16. qui bonam conſcientiam denotat, vt explicat D.Bernardus *ſer. 47. in Cant.* ſic dicens: *Lectulus reſperſus floribus bona conſcientia eſt, bonis referta operibus.*

Barradas. *Bona conſcientia dat ſecuritatem.* Bernard.

59\. Tenebatur Petrus in carcere: *Et erat dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus,* Actor.12. n.6. illud, *dormiens*, profundum, & altum ſomnum ſignificat, vt ex Græco obſeruat Euſtathius. Vnde Angelus percuſſo latere eum excitauit. Erat Nabuchodonoſor florens, ac dormiens in palatio ſuo in molli, ac aureo lectulo, & ait: *Cogitationes meæ in ſtrato meo, & viſiones capitis mei conturbabant me,* Daniel.4. num. 2. Pagninus legit: *Terrebant me.* Quod bene explicat D. Thomas. *Prioris quietis ſomnum amouerunt à me.* Valde mirum! Petrus in carcere inter milites, & catenis, cum valde diluculo, vt ibi explicat Lorinus, eum Herodes eſſet producturus ad necem, alto, & profundo ſomno dormit; & Rex in lectulo delitiis affluente perterritus, ac in ſomnis perſiſtit cogitationibus æſtuans! Non incongruè per cogitationes capitis, quæ conturbabant Regem, conſcientiæ ſtimuli intelliguntur. Et cùm conſcientia eſſet plena omni iniquitate, Nabuchodonoſor inter regales faſtus anxius, ac perturbatus exiſtit: at Petrus, cui ſancta, & bona in Deum conſcientia erat, inter omnia pericula degit quietus, atque ſecurus. Chryſoſt. homil. 8. in epiſt. ad Epheſ. *Petrus hac catena gaudebat, nec alterabatur, & profundus eum tenebat ſomnus: non dormiſſet, ſi in magna fuiſſet ſolicitudine.* Et poſtea ſubdit, *Dormit corpore Petrus, corde ad Deum vigilat.*

Actor.12. Euſtathius. Daniel.4. Pagnin. D.Thom. Lorin.

*Deprauata conſcientia inquieta; bona verò ſecura.* Chryſoſt.

60\. Parentibus Sanſonis ſe exhibuit Angelus in viſione. Vnde cùm eius pater Angelum agnouiſſet, vehementer timuit, & vxori dixit: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum,* Iudic.13.num.22. Mulier autem animoſior, ac prudentior ſe exhibuit, vt teſtantur Abul. quæſt. vlt. & *ibi* Carthuſ. Immò non ſolùm non timuit, ſed etiam à viro timorem excuſſit. *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum, & libamina non ſuſcepiſſet,* ibid. n. 23. Sed vnde tantus in viro timor, tanta verò audacia in muliere, ſexu fragiliori? Erat ipſa purior, & melioris conſcientiæ: timor autem ad menſuram integritatis animi vires occupat. Vnde ſi inferior conſcientia timorem admittit, proba, & optima omnem excludit. Procopius relatus in Gloſſa, dans rationem, cur timente viro mulier imperterrita ſtat: *Quia mulier viro videtur præſtantior: ac ideo primò ei viſio obtingit, ac per eam marito, quem bono animo eſſe iubet.* Vide *cap.3. num.47. &* 308.

Iudic.13. Abulenſ. Carthuſ.

*Bona conſcientia animoſa, neſcit timere.* Procop.

---

## Qvæstio IX.

### *Quare in puppi dormiebat Dominus?*

61\. Facile ab hac dubitatione ſe expedient Euthym. & Theophyl. qui tenent, quòd illud ceruical erat ligneum, ibi poſitum ad illud miniſterium. Sed certè in hac re myſtica ratio eſt inquirenda. In puppi, quæ eſt arctior nauis pars, dormit Dominus, ibique à nauclero clauus tenetur: quia principis ſomnus ſemper eſſe debet in arcto, itaut ad caput tanquam ſub puluinari ſuo habeat curas claui, ac gubernaculi regni. Vnde Regis puluinar non tam ſit lana refertum, quàm cogitatione, ac ſuorum ſolicitudine plenum.

Euthym. Theoph.



*Somnus Regis cura, ac ſolicitudine ſubditorum ſit plenus.*

62\. Cùm Pharao eſſet in domo ſua, vidit ſomnium quod deſignabat futuram ſterilitatem, ac abundantiam, *Gen.41.n.1.* Sed vnde iſte Rex tantum habuit ſomnium, quod magnopere ſpectabat ad bonum totius regni? magna experientia compertum eſt, vt qualia in vigiliis hominum negotia ſunt, earundem materiarum ſimulachra dormientibus repræſententur, vt multis argumentis comprobat Hippocrates *lib. de ſomniis.* Idem tradit D.Ambroſius *lib. 2. de Virginibus, ad initium.* De quo latè diſſerit Delrius *tom. 2. Adagio* 32. explanans illud Eccleſiaſt.5. num.2. *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Hoc etiam aſſertum eleganter cecinit Claudianus *ad 4. Honorij conſulatum.*

*De his, quæ quis die agit, nocte ſomniat.* Hipocr. Ambroſ. Delrius. Eccli.5. Claudian.

*Omnia, quæ ſenſu voluuntur, vota, diurno*
*Tempore nocturno reddit amica quies.*
*Venator defeſſa toro cùm membra reponit,*
*Mens tamen ad ſyluas: & ſua luſtra redit.*
*Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,*
*Vanaque nocturnis meta cauetur equis.*

Somniat Pharao de his, quæ pertinebant magnopere ad ſui regni gubernationem. In quo poſſumus dicere, quòd præter illam peculiarem prouidentiam, quam Deus in hoc negotio habuit circa Ioſeph, quòd Pharao tanquam bonus princeps, vt de illo teſtatur Abulenſis, cùm ſemper haberet animum intentum ad ea, quæ ad regimen ſui regni attinebant, etiam in nocte ſomniando de illis agebat; & hac bona ſolicitudine promeruit, vt ei diceret Ioſeph: *Quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni.* Oleaſter. *Reges debent ſic publicis rebus inuigilare, vt ex curis multis, quas in die habent, nocte ſomnient, quæ curanda ſunt in republica, non enim ſolent homines ſomniare, niſi quæ animo ſæpiùs reuoluunt, vnde ſignum euidens eſt, Pharaonem frequentiſſimè de prouidendis neceſſitatibus ſuorum cogitaſſe in vigilia, quod de eis nocte ſomniauit.*

*Pharao regni ſolicitudine plenus.* Abulenſ. Oleaſter.

63\. Vt milites illuderent regiam poteſtatem mei Ieſu, induunt eum chlamyde coccinea; in capite coronam ſpineam, & in dextera arundinem imponunt, *Matth.27. n.28.* Et ſubdit Euangeliſta num. 31. *Exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & duxerunt eum vt crucifigerent.* Cur ergo denudatur Dominus veſte coccinea, detrahitur è manu arundo, vt ex omnium ſententia, corona tamen ſemper fixa manet in capite? Quod ingenioſè notauit Origenes tract. 35. in Matth. *De chlamyde,* ait, *ſcriptum eſt, quoniam denuò ſpoliauerunt eum chlamyde coccinea; de corona autem ſpinea, nihil tale Euangeliſtæ ſcripſerunt, propterea quòd & nos quærere voluerunt exitum rei de corona ſpinea ſemel impoſita, & nunquam detracta.* Allegorica ratio huius rei nobis eſt inquirenda. Chriſtus Dominus illis ſignis huius ſæculi Regum, ac principum typum gerebat. Coccinea veſtis honorificum ſignum, Regum oblectamenta, ac dulcedines denotans. Sceptrum in arundine adumbratum, poteſtatis nota. Corona verò radiis, ac punctis peracutis circunſepta, curas, ac ſolicitudines Regis, quæ vndique ipſum tenent, exprimit, vt teſtantur Rhodiginus *lib.12.* & ex Cedreno Ammianus Marcellinus *lib. 21.* Auferantur ergo cætera regalia condecoramenta; at verò corona ſemper infixa maneat; quia quanuis Reges poſſint aliquando amittere ea, quæ regiam magnificentiam dicunt, ac oblectamentum afferunt, nunquam tamen à ſe poſſunt amouere curas, ac ſolicitudines, quæ vndique noctu, dieque mordent, ac pungunt, & animos anxios reddunt.

Origen. Rhodigin. Ammian.

*Curæ, & ſolicitudines infixæ in Rege.*

64\. Hæc enim ſolicitudo in ipſo principatu, ac prælatione includitur, & imbibitur. Poſtquam primi parentes deliquerunt, proceſſit Deus ad eorum pœnam, & mulieri ait: *Sub viri poteſtate eris,* Geneſ.3.num.16. Sed dum ſupplicium promulgatur in hominem, datur ei dominatus in mulierem? hoc potius videtur honos, quàm pœna; exaltatio, quàm depreſſio ſupplicij? In ipſo dominatu mulieris includebantur curæ, & ſolicitudines, quæ maximè animum torquent, & dilacerant: & ideo hoc Adamo tanquam in pœnam infigitur. Huc reſpicit Petrus Damianus ſermon.5. de S.Seuero. *Ex ea enim muliere, feriendus erat, quam errans auctori præpoſuerat, vt vnde homo culpam non timuit ſuperbiæ admittere, inde pœnam corrigendus inueniret.*

*In dignitate cura ſubditorum imbibitur.* Gen.3. Damian.

*Matth.8.n.25.* Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.

### *Versiones.*

*Syriacus.* Excitauerunt eum, & dixerunt ei: Domine noſter, libera nos, perimus.

*D. Baſil. Seleucus orat.22.* Magiſter, magiſter, ſalua nos.

*Pagn. Vatablus,* Serua nos, perimus.

*Theophylact.*

*D. Chryſoſt. in Imperfect. homil.23.* Libera nos.

### Alter Textvs.

*Marc. 4.n.38.* Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus.

*Luc.8.n.24.* Accedentes autem ſuſcitauerunt eum, dicentes; Præceptor, perimus.

## *Expositio.*

65\. Non ſtatim vbi tempeſtas exorta eſt, diſcipuli Dominum ſuſcitarunt, ſed poſtquam ipſa ventorum impulſu vehementer increbuit, & ſe iam in extremo periculo poſitos iudicabant: nec enim aliter ad miraculum recurrendum, niſi quando humana deficit induſtria. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli,* vrgente neceſſi

neceſſitate, vt ſæpè fit in nobis. *Et ſuſcitauerunt eum.* Ita enim diſcipuli erant timore perterriti, vt ait Origenes *homil.6. in diuerſos*, vt in Dominum irruerent, ipſumque ſuſcitarent, non modeſtè, ſed concitato, & turbulento motu. Cùm neceſſitas vrget, vrbanitatis apices rumpuntur. *Et ſuſcitauerunt eum.* Vt excitatus à ſomno ſedaret tempeſtatem. Perbellè ad mores expendit hæc D.Baſilius Seleucus *orat.22.* Excitant eum, ac ſi dicant: *Oſtende te vigilantem, & pelagus reuerebitur.* Nil enim vehementiùs inſurgentibus malis occurrit, quàm vigilans oculus; maximè nanque aduerſarius noſter iuſtorum vigilias timet, ac reueretur.

Origen.

*Neceſſitas vrbanitatem excludit.*

Baſil.

*Vigilantia diſſipat mala.*

66\. Vt ſcribit D.Baſilius Seleucus, & etiam eſt in Syriaco in textu Lucæ: *Magiſter, magiſter*; dicunt diſcipuli. Illa geminatio magnam vehementiam, ac indigentiam indicat. *Domine*, vt ſcribit Matthæus proteſtatio quædam dominationis eſt, vt ait Albertus Magnus, qua vt Dominus tenetur in ſuorum opem venire. *Salua nos, perimus*; hoc eſt, ab imminenti hoc periculo ſerua nos, libera nos, Et dupliciter hîc prudentiam diſcipulorum conſidero.

Baſil.Seleuc. Syriacus.

Albert.Mag.

67\. Et primò. Non dicunt, ſalua nos, quia ſumus tui diſcipuli, familiares, & quia iuſſiſti nos in hanc ingredi nauem; nihil eorum dicunt, ſed tantùm, *Salua nos, perimus.* In hoc, ait D.Bonauentura, *ſuam indigentiam allegant.* Noſtra neceſſitas valde efficax, & vehemens ad diuinam opem ſolicitandam. Secundò tantùm dicunt, *Salua nos*; non enim clamant, Domine, impera ventis, refræna mare, & ceſſet tempeſtas; ſed tantùm deprecantur, *Salua nos*; ſuam neceſſitatem exponunt; modum verò euadendi periculum non præſcribunt; ſed magiſtri prudentiæ ſubmittunt. Marcus autem rem præſentem ita narrat: *Non ad te pertinet, quia perimus*; id eſt, non eſt tibi curæ, aut nihil curas, quòd perimus, ita enim dormis, ac ſi nulla cura noſtri ſit tibi, cùm ſis Dominus, ac Magiſter noſter. Vide ſuprà.

Bonauent.

*Neceſſitas ſolicitat remedium erga Deum.*

*Neceſſitas aperienda; regula non aſſignanda.*

*Exponitur textus.*

## QVÆSTIO X.

### *Quomodo Euangeliſtæ cohæreant in referendis diſcipulorum verbis? Et expenditur illud verbum,* Perimus?

68\. DIVERSA diſcipulorum verba in hoc caſu referunt Euangeliſtæ. Nam D.Matthæus ſcribit, eos dixiſſe: *Salua nos, perimus*, Marcus, *non ad te pertinet, quia perimus:* Lucas verò tantùm; *Præceptor, perimus.* D. Auguſtinus *lib.2. de conſenſu Euang. cap.* 24. quem ſequitur Abulenſis *quæſt.8.* hoc dupliciter in concordiam redigit. Primò, quòd Euangeliſtæ non ſcripſerunt formalia diſcipulorum verba, ſed tantùm ſenſum, qui erat hominum excitantium Chriſtum, vt à periculo liberarentur. Secundò, & mihi probabilius, quod etiam tradit Euthymius; quòd quidam diſcipulorum dixerant vna verba, verbi gratia: *Salua nos, perimus*; quidam alia: *Non ad te pertinet, quia perimus.* Alij tandem, *quia perimus.* Sicut & quidam dixerunt, *Domine*; quidam, *Magiſter.* Hoc enim frequenter fit in tempeſtate, quando homines videntur oppreſſi; & tunc quilibet pro ſuo conatu loquitur. Ad quod maximè conducit geminatio illa, quæ eſt in textu Lucæ, *Magiſter, magiſter*; & ſententia Origenis relata, quòd turbulento impetu eum excitarunt.

Auguſt.

Abulenſ.

*Vera ſententia.*

Euthym.

69\. Maximè ponderanda eſt hîc eximia charitas diſcipulorum in illo verbo, *perimus.* nam etſi quidam dixerint hæc verba, quidam illa; nullus tamen eſt pro ſe ſolo locutus, ſed pro omnibus quilibet: nullus enim dixit, ſalua me, quia pereo, quia tempeſtate demergor in profundum. Diſcipulorum Chriſti ingenium: vnuſquiſque pro ſe, & pro omnibus clamat: *Salua nos, perimus.* Alius dicebat, *Non ad te pertinet, quia perimus*; alius verò, *Præceptor perimus.* Quilibet enim in ſuo periculo, ac neceſſitate, ſtudebat proximi, & fratris neceſſitati ſubuenire. Quod eleganter ponderat D. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 20. hoc exemplo diſcipulorum Chriſti pungens immanem hominum crudelitatem, qua contra ſe ita inſurgunt, ac ſi non eſſent corpus vnum, ſic ait, *Reuera, fratres ſi eſſemus, & humanum corpus; & eos, qui pereunt, noſtra eſſe viſcera crederemus, afflictione ieiunij, precum gemitu, effuſione fletuum iugiter clamaremus*, Domine, ſalua nos, perimus. *Et ſtuderemus, nobis in noſtris fratribus ſubuenire, ne furente gladio ſanguinis noſtri mare videremus in terris, nec tanta corporum, ſed nec animarum iam naufragia ſentiremus, atque humili voce precaremur*, Domine, ſalua nos, perimus. Pondera pulchra verba: *Studeremus. nobis in noſtris fratribus ſubuenire.*

*Quilibet diſcipulorum Chriſti, pro ſe, & pro aliis agebat.*

Chryſolog.

*In noſtra indigentia ſtudeamus altari ſubuenire.*

70\. Clamat Iſaias: *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*, Iſai. 58. n. 7. Seu, vt legit Pagninus hæc vltima verba: *Et à carne tua non abſcondas te.* Maximè ponderandum motiuum, quod apponitur ad habendam miſericordiam cum proximo, quia alterius caro, noſtra caro eſt, fratres enim ſumus; & qui carni alterius non attendit, ſuam deſpicit. Studeamus in noſtra carne, ac in noſtra commoditate, alterius miſeriæ ſubuenire. D.Hieron citatus in Gloſſa, *Proximum*, ait, *in qualibet neceſſitate recognoſce ſimilem tui, conſiderans te mortalem, & paſſibilem.* Et in hac conſideratione multa docet ipſe Hieronymus *ad citatum Iſaiæ locum.*

Hieron.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare diſcipuli accedant ad Chriſtum, eumque à ſomno excitent?*

71\. IN arcto, & manifeſto periculo diſcipuli ſe viderant conſtitutos, vt putarent, ſe omnino perituros, vt aduertit Abulenſ. *quæſt.* 84. niſi Chriſtus eos erueret à præſenti procella. Quod ſatis explicant ſacri Euangeliſtæ, vt vidimus ſuprà *n.21.* Cùm ergo nulla in humanis periculum euadendi eſſet ſpes; & quia aliunde credebant, Chriſtum dormientem eis auxiliari non poſſe; ideo magno conterriti timore ad magiſtrum accedunt; & non modeſtè, ac leuiter, ſed turbulenter, vt ait Orig. ipſum ſuſcitant, auxilium ab eo expoſtulantes, & tunc requirunt miraculum, cùm humanæ vires deſunt. Vide ſuprà *cap.7.n.* 38. 39. *&* 40.

Abulenſ.

*Ad miraculum, niſi in magna neceſſitate, non recurrẽdum.*

72\. Secundò, & moraliter Origen. *hom.6. in diuerſos*, ſic ait: *Vita vobiſcum eſt, & de morte ſoliciti eſtis? Dominum Saluatorem vobiſcum habetis, & periculum timetis? Sed quid reſpondent dilectiſſimi diſcipuli? Paruuli ſumus, adhuc infirmi, nec dum vidimus crucem.* Erant diſcipuli in eadem naui cum Chriſto, præſentem habebant Ieſum, totius bonitatis perennem fontem: & tamen timent tanquam paruuli, ac magno anxiantur pauore? Diſcipuli adhuc crucem Chriſti non viderant, adhuc crucifixum non inſpexerant: non ergo multum mirandum, quòd tanquam paruuli vehementi ſint terrore conterriti: eſt enim crux, quæ vires, ac fortitudinem præſtat, mundumque trahit, & reconciliat ad Chriſtum. Vide *cap.3. num.205. &. 206.*

Origen.



*Crux dat vires, ac fortitudinem.*

73\. Tertiò D.Baſilius Seleucus *orat.22.* ſic eleganter loquitur. *O timorem naturæ magiſtrum! O periculum, quo docentur, vbi ſalutis ſit anchora! O mare metu diſcipulos exanimatos præceptori reconcilians.* Erant diſcipuli in magno periculo, quo mens, & ratio ab homine fugit: aliunde dormientem viderant Dominum, quod quædam humanæ naturæ videtur imbecillitas: omnes tamen circunſtant Dominum, eius potentiam agnoſcunt, & dicunt: *Salua nos, perimus.* Cur, quando vident populos fame oppreſſos in deſerto, ac in via, *Marc.8.num.4. & Ioan.6.num.7.* non ſic ad Dominum recurrunt pro ſubleuanda eorum miſeria? Poterit aliquis dicere, quòd fortè modò tangebantur proprio periculo. At Seleuci acumen ad aliud tendit, & maximè extollit periculum, quòd noſtros animos in Deum impellit: *O mare metu diſcipulos anxiatos præceptori reconcilians!* Optimè S.Doctor magnam timoris admiratur potentiam, quæ tanta eſt, vt cæcis peccatorum caligine det viſum ad perſpiciendam viam ſalutis; & degentibus in ſæculo vitiorum voragine ad ſuum creatorem paret acceſſum, atque recurſum.

Baſil. Seleu.

*Timor ad Deum trahit.*

74\. Cùm legem Deus eſſet daturus, fulgura è cælo micare cœperunt, aër reſonabat tonitribus, clangor buccinæ perſtrepebat, mons Sinai fumabat. Quibus viſis, & auditis, *Timuit populus, qui erat in caſtris*, Exod.19.n.16. Lex à Deo eſt Populo data, tanquam ſui eximium pignus amoris: *Sicut erudit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus erudiuit te*, Deuteron.8. num.5. Ad quid ergo cum ipſa lege tot terroris ſigna, ac oſtentationes? Veniebat Populus ex Ægypto, iamque torpeſcebat diffidentia cibi, *Exod.26.num.2.* Vt ergo Populus ad legis obſeruantiam diſponeretur, nullum eſſe potuit accommodatius medium, quàm terroris documenta exhibere; ipſe enim nos in omni virtutum genere maximè præparat, ac diuinis præceptis nos maximè reddit obſeruatores. Venuſtè D.Zeno lib.1.ſerm.10. *Videtis*, inquit, *hunc timorem nobis neceſſarium, qui in Dei amore conſiſtit, qui in voluntate tua ſe parit, diuinæ legi conſtruit decorem, ad omnia genera virtutum intrepidus corrigit: præceptis omnibus fideliter obtemperat: inchoatus innocenter viuit, iuſtitiam percolit; ſine fine ſtudet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.*

Exod. 19.

Deuter. 8.

*Timore præparatur homo ad omnem virtutem.*

Zeno.

75\. Crucifixo Domino ſimul pendent in cruce duo latrones, vno in ſua iniquitate perſiſtente, alter mirabiliter ad Dominum conuertitur; & in magnam confeſſionem, ac proteſtationem diuinæ bonitatis, clementiæ, ac maieſtatis prorumpit, dicens; *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Vnde amplam à Domino habuit remunerationem. Dixit illi Ieſus: *Amen, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*, Luc.23. num.42. Magnam Patribus quæſtionem facit: Vnde iſte homo tantam habuit cognitionem? Qui illius mentem illuſtrauit, ac errorum tenebras diſſipauit; præcipuè cùm duo iſti latrones, cùm primùm eſſent crucifixi, opprobria ac conuitia in Dominum iactarent; & in hunc ſenſum explicant Origenes, D.Chryſoſtomus, D. Hilarius, Euthymius, Theophylactus illud Matth.27. num.44. *Id ipſum, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Vnde ergo homo in vitiis, ac latrociniis enutritus, blaſphemias, ac conuitia inuerecundis labiis iactans, tantam habuit cognitionem, vt cum magno dolore in tantam confeſſionem exiret? Credo, fuiſſe timorem, qui viſa Domini patientia, clementia, ac charitate maximè eius animum repleuit. Et inde audiens blaſphemias ſui conſocij, ei dixit: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es*, Luc.23.num.40. Vbi primùm timor eius mentem inuaſit, ac tetigit, ſtatim inueteratam peccatorum caliginem fugauit, ad crucifixi fidem ſuſcipiendam inſtruxit, ac ad magnam iniquitatum contritionem, & pœnitentiam excitauit. Tam præpotens eſt timoris vis, vt ex homine impio, qui à Deo ſe maximè elongauerat, virum fecerit præclarum, ſanctum, intimè Domino adhærentem, itaut in eadem die ſocius eſſet eius in paradiſo. Patrocinatur D. Gregorius Magnus lib.27. moral. cap.16. *Hinc eſt*, ait, *quòd vterque latro, & eandem, & ſuæ morti ſimilem mortem Redemptoris vidit; ſed eum ſuperbiendo alter contumeliis laceſſere non timuit, quem timendo alter honorauit.* Et D. Hieronymus ad ſuprà citata Matthæi verba. *In duobus latronibus*, inquit, *vterque populus, & Gentilium, & Iudæorum primum Dominum blaſphemauit. Poſtea ſignorum magnitudine alter exterritus egit pœnitentiam, & vſque hodie Iudæos increpat blaſphemantes.*

Luc. 23.

Origen. Chryſoſt. Hilar. Euthym. Theophyl. Matth.27.

Luc. 23.

*Timor maximè illuſtrat mentem ad Dei cognitionem.*

Gregor.

Hieron.

## QVÆSTIO XII.

### *Quàm diuerſimodè malus latro in Cruce pendens, ac diſcipuli hîc loquantur?*

76\. PRo exacta ſolutione huius dubij præſupponenda eſt illa quæſtio, quam excitat Abulenſis *quæſt.* 86. An diſcipuli putauerint, quòd Chriſtus, ſi dormiret, poſſet cum eis ſimul perire? Et quanuis fortaſſe de hac quæſtione diſcipuli non cogitaſſent; tamen ex eorum opinione videbatur dicendum, vt ait ipſe Abulenſis, quòd diſcipuli tunc exiſtimauerint, poſſe Chriſtum ſimul cum eis perire. Quia diſcipuli ex eo credebant, Chriſto dormiente, ſe perituros, quia putabant, quòd dormiens non poterat eos adiuuare; ergo etiam dormiens non poſſet ſe ipſum adiuuare. Et cùm ipſe eſſet verus homo mortalis, credebant tunc diſcipuli, eum poſſe ſimul cum eis perire. Et ad hunc modum, ait ipſe Abulenſis, poſſunt explicari illa verba Marci.

Abulenſ.

*An diſcipuli putauerint, quòd Chriſtus perire poſſet?*

77\. Clamant hîc diſcipuli ad Chriſtum, *Domine, ſalua nos, perimus.* Pro Domini ſalute, & pro ſua videntur clamare, id eſt, Domine da opem, & adiuuamen, ne nos, & tu pereamus. Videtur etiam, quòd ille malus latro in cruce ſimilia dixerit verba. Ita cum Domino loquebatur:

Luc. 23.
tur: *Saluum fac te ipſum, & nos*, Luc. 23. num. 39. Relinquo ſenſum litteralem ad ſuum locum: nam hæc ille dicebat illudendo, nec te, nec nos potes liberare. Ad ſenſum moralem pergo. Vide quàm latum ſit diſcrimen inter impij verba, ac diſcipulorum ingenium. Nam iſti, tanquam Domini miniſtri, ea denuntiant, & affectant: quæ in Domini, & ſubditorum vtilitatem æqualiter credebant, vnanimiter enim pro omnibus dicunt: *Perimus*. At malus ille latro, Diaboli membrum, primùm ſolicitat, & profert, quæ Regis commoditati inſeruiebant; deinde ſecundo loco de inferiorum ſalute agit: primò, *Saluum fac te ipſum, & nos*, ſecundo loco. At Dei miniſtri ea denuntiant, quæ æqualiter ad regem, & ad ſubditos pertinent, & indiſcriminatè de omnium commoditate pertractant.

*Malus miniſter priùs ea denuntiat, quæ ſunt ad bonum Regis; deinde quæ ad bonũ ſubditorum.*

78. Matth. 17.
Petrus in monte Thabor gloriam Domini videns, ait: *Faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum*, Matth. 17. num. 4. hoc eſt, ex his tribus tabernaculis, tibi primum, ſecundum verò, & tertium Moyſi, & Eliæ. At aliter filij Prophetarum loquuntur ad Eliſæum. *Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis; eamus vſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*, 4. Regum 6. num. 2. Hoc eſt, ædificemus ibi domunculas tam tibi, quàm nobis ad habitandum. Et in hoc maximè notandum, quòd D. Petrus, quem afflante diuino Spiritu Deus erexit ad ſummum apicem gratiæ, & ſanctitatis, vt eſſet fundamentum Eccleſiæ, ac princeps Apoſtolorum; tamen, cùm in præſenti facto adhuc carnis ignorantiis teneretur, vt de eo ſcribit D. Marcus 9. num. 5. *Non enim ſciebat, quid diceret*; & D. Lucas 9. num. 33. *Neſciens quid diceret*; dulcedine viſionis ebrius aberrauit. At filij Prophetarum in commemorato caſu bene, & optimè ſe habuerunt, vt notat Abulenſis, dicens: *Vidit Eliſæus, quòd rectè loquebantur.* Vnde eorum conſilium approbauit concedens eundi licentiam; immo & cum eis deſcendit in Iordanem. *Reſpondit Eliſæus: Ego veniam. & abiit cum eis*, ibidem num. 3. Sed vnde fieri poteſt, quòd tam magnus, & excellens Petrus ignorans, quid dicat, deuiat à recto iudicio; & filij Prophetarum multo minores bene, & concinnè in hoc facto loquantur? Si quis animum applicat, vt ea denuntiet, ac proferat, quæ primum vtilitati Regis inſeruiunt; deinde ac ſecundo loco ad ſubditos ſpectant, ſtatim ignorans aberrat. At ſi quis ea affectet, & de illis tractet, quæ in Regis, ac ſubditorum bonum æqualiter cedunt, bene loquitur, peroptimè agit, à veróque non diſcedit, ſed ſtat in rectitudine. Cùm autem filij Prophetarum pro ſe, ac magiſtro æqualiter loquerentur, *faciamus nobis*; ideo eorum obſecratio, vt bona, & optima, eſt approbata.

4. Reg. 6. — Marc. 9. Luc 9. — Abulenſ.

*Si quis priùs agit de Regis, quàm populi bono, errat.*

*Matth. 8. n. 26.* Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc exurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Quid timidi eſtis, modica fide præditi? Tunc ſurrexit, & cohibuit ventum, ac mare.

*Pagnin. Vatabl. Arias.* Exigua fide præditi? Tunc excitatus.

*Theophylact.* Quid timidi eſtis parum fidentes? Tunc enim excitatus increpauit ventos, & mare, & facta eſt ſerenitas magna.

*Euthymius.* Quid timidi eſtis, modicæ fidei homines?

*Arabicus.* Increpauit, ſeu obiurgauit ventos, & mare.

Alter Textvs

*Marc. 4. n. 39.* Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.

*Lucæ 8. n. 24.* At ille ſurgens increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ; & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas, & dixit illis: Vbi eſt fides veſtra?

## *EXPOSITIO.*

Primo, & ante omnia arguit Dominus eorum timorem: *Quid timidi eſtis?* ſiquidem ille perturbauit animi pacem, ac eos reddidit parum fidentes, vt habet Euthymius. Ita enim legenda ſunt iuxta radicem Græcam verba illa, *modicæ fidei*; quibus Dominus eorum imperfectam fidem reprehendit, ſiquidem ſibi perſuadebant, quòd ipſe dormiens eos à periculo liberare non poſſet, vt explicaui *quæſt.* 7. Et bene, & optimè quos arguebat de exigua fide, timidos vocat, *Quid timidi eſtis?* vbi enim fides deficit, ſtatim timor totum hominem occupat, ac replet. De his plura *quæſt. ſequenti.* 79.

Euthym.

*Vbi fides deficit, timor occupat.*

*Tunc exurgens.* Seu, vt habet Euthym. Theophylactus, Vatablus. *Tunc excitatus*, ſcilicet à ſomno. Noſtra vulgata cum Syriaco, *Exurgens*; vtrumque enim verbum Græcum ſignificat. *Exurgens*, ſcilicet à cubitu, ſeu à loco, in quo dormiebat. D. Bonauentura ita explanat. Exurgens, *vt præcipiens verbo, & vt perficiens facto.* Ac proinde ad operandum miraculum voluit adiungere ſimul verba, & opera, quibus mirabilia operantur. D. Paſchaſius autem per hoc myſticè interpretatur Reſurrectionem Domini. *Surgens vtique*, ait, *vt potens à ſomno mortis, deiecit hoſtes, qui prius dormiebat, dum venti flarent, & mare fluctibus ferueret.* 80.

Euthym. Theophyl. Vatabl. — Bonauent. — *Simul iungenda opera & verba.* — Paſchaſ.

Impe



81. *Imperauit ventis, & mari.* Seu, vt habet radix Græca, *Increpauit*, ſeu *obiurgauit*. Dominus imperat creaturis inſenſatis, non quod illæ percipiant Domini imperium, ac increpationem, quod ſpectat ad creaturas ſenſu præditas; ſed ita imperat, vt oſtendatur ipſarum creaturarum Deus, Auctor, atque abſolutè Dominus, cuius vox in omnia eſt efficax, cuius nutu omnia mutantur, & à ſuo irruenti impetu cohibentur; vt ita præſentes homines potentiam, ac maieſtatem Domini viderent, atque agnoſcerent. Maldonatus ait, quòd Dominus imperat mari, & morbis, quod idem eſt, ac ſi cum malis ſpiritibus loqueretur, cùm illa ſæpe per hos immitantur. Tamen prima expoſitio eſt magis generalis, & veriſimilior.

*Quomodo inſenſibilibus imperatur.* — Maldonat.

82. Marcus ait: *Comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce.* Lucas verò: *Increpauit ventum*, Hæc verba denotant magnitudinem ſæuientis tempeſtatis; itaut mare ſtrepitus, ac veluti rugitus edere videretur. Exprimunt etiam verba magnum Domini imperium, potentiam, ac maieſtatem, qua imperauit mari, vt ſolet fieri cum his, vt ait Toletus *in Lucam*, quorum audaciam nimiam reprimere volumus.

Tolet.

83. Duo hîc valde præclara ponderanda ſunt. Primò cum Alberto Magno, quòd Dominus priùs imperauit ventis; ſecundo loco mari: *Imperauit ventis, & mari*: quia cauſa commotionis maris erant venti; & qui vult malum refrænare, priùs illius radicem debet amputare. Secundò notandum cum Origene *tract.* 23. *in Matth. ad initium*, quòd iuxta textum Marci, Dominus hîc præcipit mari, *Obmuteſce*, ſicut & Diabolo *Luc.* 4. *num.* 35. hoc autem homini non mandauit: quia inſenſibilia loquendi voce carent: Diabolus ſub perpetuo ſilentio reprimitur. ſoli homini conceſſum eſt, habere vices loquendi, & tacendi, prout occaſio exigit. Vnde præclarè dixit D. Ambroſius *lib.* 1. *officior. cap.* 3. poſtquam maximè ſilentium commendat, *Quid igitur*, ait, *mutos nos eſſe oportet? minimè. Eſt enim tempus tacendi, tempus loquendi. Denique ſi pro otioſo verbo reddemus rationem, videamus, ne reddamus & pro otioſo ſilentio.* Sequitur effectus diuini imperij. *Et facta eſt tranquillitas magna*, de qua *quæſt.* 16.

Albert. Mag. — *Vt malum extinguatur, illius radix eſt amputanda.* — Origen. — *Eſt homini tempus loquendi, & tacendi.* — Ambroſ.

### Qvæstio XIII.

*De verbis Chriſti Domini, ac eorum connexione, quibus diſcipulos reprehendit.*

84. Dvo in hac quæſtione inquiro, quæ inter ſe ſunt valde connexa. Et primò quomodo ſacri Euangeliſtæ cohæreant in referendis verbis Chriſti? nam Matthæus habet: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Marcus verò: *Quid timidi eſtis, nec dum habetis fidem?* Lucas autem: *Vbi eſt fides veſtra?* Abulenſis *quæſt.* 87. ait quòd Chriſtus dixit aliquid iſtorum, vel fortè nihil eorum, quæ dicunt Euangeliſtæ in verbis, ſed ſolùm in ſenſu, quia de ſenſu cura eſt. Chriſtus autem intendebat oſtendere diſcipulos fuiſſe deficientes in fide. Multo meliùs dicendum eſt cum D. Auguſtino *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 24. Illa omnia à Chriſto fuiſſe dicta. *Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Vbi eſt fides veſtra, nec dum habetis fidem?* Et his multiplicibus verbis reprehendit eos Chriſtus timoris immodici, atque etiam modicitatis fidei. Ita enim fieri ſolet, quando magna energia aliquem reprehendimus; variis, & multiplicatis verbis hoc declaramus, vt ita ſit maior increpatio, vtque vehementiùs maneat in memoria infixa. Et cùm hoc pertineret ad fidei negotium, ob ſui grauitatem, tot, ac tantis verbis exprimendum. Vide ſuprà *cap.* 15. *num.* 32. & *cap.* 17. *num.* 86.

Abulenſ. — Auguſt. — *Omnia hæc verba à Chriſto dicta.*

Secundò quæro de ordine circa connexionem verborum: nam Marcus, & Lucas priùs narrat tempeſtatem ſedatam, poſtea Dominum increpaſſe diſcipulos de timore, ac exigua fide; Matthæus verò priùs refert, Chriſtum diſcipulos reprehendiſſe, & poſtea tempeſtatem ſedaſſe. Dicendum eſt, quòd Marcus, & Lucas non ſeruarunt ordinem rerum geſtarum, vt ſæpe faciunt ſacri Euangeliſtæ. Illum tamen retinuit D. Matthæus, vt docet D. Chryſoſtomus *homil.* 29. Euthymius, & alij. Probatur. Quia vbi primum diſcipuli Dominum excitarunt, vt narrat Matthæus, ſtatim eos reprehendit. Et ſubdit, *Tunc exurgens*, expendatur illud, *Tunc*, ſcilicet poſt reprehenſionem datam, *imperauit ventis, & mari.* Deinde, quia non dixit eis Dominus, quid timidi fuiſtis de præterito, ſed quid timidi eſtis de præſenti: ergo quando Dominus eos ita arguit, adhuc vigebat tempeſtâs, quæ erat timoris cauſa. 85.

Marcus. Lucas. — *Matthæus ſeruat ordinem in referendis verbis Chriſti.* — Chryſoſt. Euthym.

### Qvæstio XIV.

*Quare Chriſtus priuſquam mare ſedaret, reprehendit diſcipulos de modica fide?*

Proxime in ſuperiori quæſtione reſoluimus, quòd Dominus priùs obiurgauerit diſcipulos de exigua fide: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* & poſtea tempeſtatem fugauerit: *Exurgens imperauit ventis, & mari.* Huius ergo rei rationem inueſtigamus. 86.

Reſpondeo primò, vt notauit Euthymius, quòd Dominus ante omnia timorem animæ eorum ſoluit, vt eſt frequens conſuetudo Scripturæ, quòd dum cum timidis loquitur, primò ab eorum cordibus timor excluditur, *Geneſ.* 21. *num.* 17. & 46. *num.* 3. *Matth.* 1. *numer.* 20. *Luc.* 2. *num.* 20. Vt excluſo timore promptè percipiant, & audiant, quæ dicuntur, ad quæ non eſt ſufficiens animus perturbatus. Et ideo, vt diſcipuli calleant reprehenſionem ſibi datam circa exiguitatem ſuæ fidei, priùs ab eis excluditur timor. Secundò. Agendum erat hîc de negotio fidei, *Modicæ fidei*; & quæ ad fidem ſpectant, ante omnia agenda, & tractanda ſunt. Vide *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 6. 87.

Euthym. — Gen. 21. & 46. Matth. 1. Luc. 2. — *Animus perturbatus, non audit, quæ dicuntur.*

Tertiò. Diſcipuli Chriſtum excitant, vt imminenti periculo maris ſubueniret. Ille tamen prius eos increpauit de exiguitate fidei, quàm tempeſtatem ſedauerit, vt maiori occurreret periculo diffidentiæ, quàm iactationis à tempeſtate: & prius excludit turbinem vacillationum in fide ab animis diſcipulorum, quàm alterationem elementorum à mari. Quanuis enim homines huius ſæculi maximè animum intendant ad temporalia; 88.

*Prius de ſpiritualibus, quàm de tẽporalibus agendum.*

poralia ; tamen his Chriſtus nos docet, priùs agendum de ſpiritualibus, ac de illis, quæ ad ſalutem animæ ſpectant.

89. Paralyticum iacentem in lectulo quidam offerunt Chriſto, vt eum à præſenti corporis morbo

Math 9 liberaret. Ieſus in eum intuens, ait illi: *Fili remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9. num. 2. Et poſtea ait Dominus Paralytico : *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*, ibidem num. 6. Si illi volebant corporis medelam, cur Dominus priùs non annuit eorum petitioni, vt ſalutem det, & poſtea condonet peccata? Quod

Euthym. notauit Euthymius : *Primum quidem languido peccata remittit, deinde verò corpus ſanat.* Diuina manus prius ſemper ſe extendit ad ea, quæ animæ, quàm quæ corporis, & prius noſtro bono ſpirituali, quàm temporali conſulit.

*Prius bono ſpirituali, quàm temporali conſulendum.*

90. Ægrotanti Ezechiæ accedit Iſaias, eique denuntiat : *Hæc dicit Dominus : Diſpone domui*

Iſai. 38. *tuæ, quia morieris, & non viues. Conuertit faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum*, Iſai. 38. num. 1. Valde mirum, quòd mors inſtat, Rex magnum habet regnum, copioſamque familiam; & ei mandatur, ac tempus conceditur, vt de his diſponat : ille tamen omnium curis

Auguſt. omiſſis, orando vertit faciem ad parietem, vt

Oleaſter. quietiùs, & deuotiùs oraret, vt ex Auguſtino

Hugo. explicat Oleaſter. *Vertit faciem ad puritatem*, ait Hugo, *eſt peccata propria ad memoriam reuocare; vel paries eſt fragilitas carnis.* Bonus Rex, vt vidit ſe in arcto poſitum, prius voluit diſponere de anima, quàm de corpore ; prius de ſpiritu, quàm de regno temporali : & ideo vertit ſe ad parietem, vt peccata propria largiter flens miſericordiam impetraret, Ad quam impetrandam ipſe commemorat bona facta ſua. Vide *cap.* 19. *num.* 36. & 37.

*Prius de anima, quàm de corpore agendum.*

## Qvæstio XV.

### *Quare diſcipuli reprehendantur à Domino de modica fide, cùm ipſi ad Chriſtum confugerint, vt à periculo liberarentur?*

91. RATIONEM litteralem huius rei iam dedi *quæſt.* 7. Et cum ea præſentem ob-

Chryſoſt. iectionem ſoluit Chryſoſtomus *homil.* 19. Quanuis enim diſcipuli ad Dominum confugerint, vt à periculo liberarentur ; cùm tamen ipſi ſibi perſuaſerint, quòd Dominus dormiens, nec tempeſtatem agnoſceret, nec ab illa eos ſeruare poſſet, ideo eum excitant. In quo maximè ſuam modicam fidem declararunt. Et quid aliud Aquilonis ventus afferret, niſi diſcipulorum vacillationem in fide. Ventus ille infidelitatis frigus denotabat, cùm irrueret ex ea parte, in qua infidelitatis auctor ſuam ſedem collocauerat. Dicebat Lucifer, *Sedebo in monte teſtamenti, in*

*Ex parte infecta, non aliud, niſi malum.*

Iſai. 14. *lateribus Aquilonis*, Iſai. 14. num. 13. & ideo de

Ierem. 1. eo dicitur : *Ab Aquilone pandetur malum*, Ierem. 1. num. 14. Et cùm hîc ventus ſufflaret ex regione iniqua, & tanto mala infecta, ideo tam noxius, & exitialis erat. Et hac de cauſa Eccleſia poſtulat, vt hic ventus exurgat, abeat, & rece-

Paſchaſ. dat, quod notauit D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Ideo Eccleſia in Canticis ait : Surge Aquilo, &*

*veni Auſter ; quia profectò idem ventus eius, qui* Cant. 4. *ad Aquilonem ſedem poſuit, ſemper ſignificat frigus infidelitatis, quod excitat contra Chriſti Eccleſiam. Hinc etiam periclitantur diſcipuli, quando fides eorum refrigerauit.*

Secundò D. Petrus Chryſologus ſerm. 21. *Mo-* 92.

*dicæ eos*, ait, *credulitatis aperit eſſe, qui non mo-* Chryſolog. *do in ſe tantùm, ſed in ipſum Auctorem credunt, poſſe elementa conſurgere.* Meritò Chriſtum excitant, & credunt, ſe virtute Chriſti à periculo poſſe liberari : & tamen eorum contemptibilem fidem pungit, ac mordet Dominus, eo quòd timuerint ſæuientem maris tempeſtatem. Valde enim modica eſt fides, quæ cùm Deum habeat ſimul in naui, alicuius creaturæ timore concutitur, quaſi *in ipſum Auctorem credunt poſſe elementa conſurgere*: Meritò ergo notantur de exigua fide, qui præſente Domino expaueſcebant, cùm nulla ſit maior ſecuritas, quàm Dei præſentia.

*Qui Deum habet, nihil timeat.*

Tertiò D. Baſilius Seleucus orat. 22. *Vult Do-* 93.

*minus*, ait, *fidei vim rebus conditis eſſe valentio-* Baſil. Seleu. *rem, & ad fidei præſentiam omnem ab anima deſperationem elimari.* Diſcipuli ad Chriſtum confugiunt, eius potentiam exorant : & tamen modicam fidem exhibent, atque oſtendunt, dum tempeſtatis percutiebantur timore. Eam enim fidem Dominus in ſuis requirit, quæ ſit valentior, ac ſuperior cunctis creaturarum impugnationibus, vt qui fide ſit armatus, cuiuſcumque creaturæ fortitudinem, ac vim non timeat, neque formidet, eſt enim fides adeò præpotens, vt ab anima omnem aditum dubitationis, vel timoris excludat.

*Fides cunctis rebus potentior.*

Quartò. Meritò eorum timiditas ſuggillatur, 94.

& eorum obiurgatur parua fides. *Vt quid timidi eſtis, modicæ fidei.* Nam ipſi ingreſſi ſunt in nauim ex Dei mandato; iuſſit enim ipſe, eos transfretare, vt patet ex hoc *cap.* 8. *Matth. num.* 18. Et valde erant in fide timidi, atque debiles, qui in loco, in quo Dei decreto conſtituti erant, ibi aliquam creaturam, ibi aliquod damnum timebant : nullibi enim homo ſecurius ab omni periculo degit; quàm ſi ibi conſiſtat, vbi diuina manus eum conſtituit. Nam ſicut locus, quem tu eligis, periculis eſt plenus, ita ille, quem Deus tibi tribuit, ſecuritate omni munitus.

*Securus eſt homo in loco ſibi à Deo datus.*

Vt Ionas fugeret à facie Domini, aſcendit 95.

nauim euntem in Thraſis, & dedit naulum eius, *Et ecce tempeſtas magna facta eſt in mari, &* Ion. 1. *nauis periclitabatur conteri*, Ioan. 1. num. 4. Mittitur Ionas in mare, & à quodam Cete magno abſorptus eſt ; & fuit in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, & clamauit ad Dominum, & exaudiuit eum, ac Dei iuſſu à magna illa beſtia euomitus eſt in aridam. Res ſanè mirabilis, quòd Ionas in naui naufragium patiatur, & in bellua illa ſecuritatem habeat, atque munimen, in qua pericula manifeſta videbantur, dilaceratio in ore à dentibus, ſuffocatio in vtero ; & tamen ibi latum locum inuenit, vt exinde poſſet ad Dominum orare. Vnde ergo tanta differentia? Nauim ſibi voluntate propria Ionas elegit: *Inuenit nauim, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis à facie Domini*. Ion. Ion. 2. 1. num. 3. At in Cete magno ingreditur Dei diſpoſitione, ac ordinatione : *Præparauit Deus piſcem*

*Maximè ſecurus eſt homo in loco, in quo Deus eum conſtituit.*



*piſcem grandem, vt deglutiret Ionam*, cap. 2. num. 1. Et ſi in naui, quam ipſe ſibi aſſumit, naufragium inuenit; in piſce autem, quem Deus ei ordinauit, nullum damnum, ſed magnam ſecuritatem reperit, vt pro naui in portum ei inſer-

Hieron. uiret. D. Hieronymus in cap. 2. Ion. *Animaduertendum*, ait, *quòd vbi putabatur interitus, ibi cuſtodia ſit : præparauit Deus piſcem grandem, certè iuxta nauim fecit venire, vt præcipitem Ionam in ſuos reciperet ſinus, & pro morte præberet habitaculum : vt qui in naui iratum ſenſerat Deum, propitium in mari ſentiret.* Vide *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 36.

*Qui conſtituit in periculo, debet liberare ab illo.*

## Qvæstio XVI.

### *Quomodo hæc grauis tempeſtas miraculosè ſubitò quieuerit?*

96. POTERIT aliquis forſitan dubitare, An hæc tempeſtas miraculosè quieuerit? Et ratio dubitandi eſt, quia licèt hæc tempeſtas eſſet exorta naturaliter, vel miraculosè, per vires naturæ poterat ceſſare, vt ſæpe vidimus in grauiſſima elementorum commotione, quæ naturaliter ad ſuam tranquillitatem redit.

*Ratio dubitandi.*

97. Tamen hæc tempeſtas miraculosè ceſſauit, vt eſt omnium ſententia. Quia ſtatim ad imperium Chriſti ventus, & mare quieuerunt. Vnde ait

Origen. Origenes homil. 7. in diuerſos. *Imperauit Chriſtus ventis, & mari, & facta eſt de magno vento tranquillitas magna.* Quod optimè agnouerunt circunſtantes, cùm vidiſſent, quòd ſtatim ad imperium Chriſti iactationes fluctuum ceſſauerunt ; dicebant enim : *Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Deinde, vt bene argumen-

*Tempeſtas miraculosè quieuit.*

Abulenſ. tatur Abulenſis *quæſt.* 89. Hæc tempeſtas ſubitò quieuit ; & natura non poteſt ſine medio, & tempore de extremo ad extremum tranſire : ergo cùm hæc tempeſtas eſſet grauiſſima, non potuit ſubitò mutari in magnam ſerenitatem, nam vehementiſſimi venti, non ſubitò, ſed paulatim ſufflare deſinunt. Et eſtò ſubitò quieuerint, tamen aquarum voragines, cùm maximè ſint commotæ, tempore indigent, vt ad ſerenitatem, ac lenitiem deducantur. Ergo cùm tempeſtas in magnam ſerenitatem reſoluta ſit, magnum miraculum hîc interuenit. Et diuina virtus miraculosè operans eſt ratio à priori huius ſerenitatis.

98. Moraliter elegantibus verbis multa excogita-

Seleuc. uit D. Baſilius Seleucus *orat.* 22. & ſic ait : *Modica voce Ieſu ingens elementum refrænabatur. Recognoſcebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti : Congregentur aquæ in locum vnum, appareat arida*, Gen. 1. *Tunc conceſſit terræ imperium ; nunc terram imitatur conſolidatione naturæ, coërcet vndas, ventos cogit, tempeſtatem ſedat.* Mare maximè ventis commotum, ac tempeſtate agitatum, Chriſti voce quieuit. Pro quo pulchrè multa dat nobis Seleucus *citatus.*

99. Primò. *Modica voce ingens refrænatur elementum.* Vbi enim mare cognouit benignitatem, ac ſuauitatem vocis ſui creatoris, quæ in exordio ei ſedem, & locum deſignauit : *Congregentur aquæ.* Domini lenitate, ac modica voce recognita, qua etiam nunc mari, & ventis imperauit, ſtatim mare reducitur in tranquillitatem : magnæ enim commotiones benignitate maximè ſedantur. Secundò. *Recognoſcebat enim veterem vocem.* Cùm mare agnouerit vocem ſui auctoris, à quo ſuam creationem habebat, contra illius imperium non audet reluctare, ſed obedientiam exhibens, ſe in tranquillitatem reducit. Tertiò. *Recordabatur antiqui præcepti : Congregentur aquæ in locum vnum.* Audita Chriſti voce, ſtatim illa creatura inſenſibilis perſenſit antiquum Domini præceptum ſibi datum : *Congregentur aquæ in locum vnum* ; & ſine vlla dilatione pacatum mare ſtat in ſuo loco ; valde enim efficax eſt vox, quæ pro obſeruatione antiquorum præceptorum imperat, & mandat.

*Magnæ commotiones lenitate ſedantur.*

*Pro obſeruandis præceptis valde efficax vox.*

Quartò. *Tunc conceſſit terræ imperium ; nunc* 100.

*terram imitatur conſoliditate naturæ.* In primo rerum molimine mare ſecernitur, ac ſeparatur à terra : nunc verò in ſoliditate terram imitatur. Sed vnde tanta diuerſitas, vnde tanta differentia? In exordio erat Domini mandatum, vt mare diuideretur à terra; nunc verò, vt mare ita quietum ſtaret, atque ſtabile, ac ſi eſſet terra. Maximè quælibet creatura etiam inſenſibilis componitur, & aptatur ad ſui Domini ingenium, ac voluntatem ; & ideo pro diuerſitate mare à terra diuerſificatur, ac ipſam imitatur, & illius veluti naturam reddit.

*Ad Domini ingenium omnia mutantur.*

Cùm Ioram Rex Iſraël, ac Ioſaphat Rex Iu- 101.

da maximè cum ſuis exercitibus premerentur aquarum penuria, confugiunt ad Eliſæum, qui magnam dedit lympharum copiam, qua recreatus eſt totus exercitus : *Bibetis vos, & familiæ* 4. Reg. 3.

*veſtræ, atque iumenta veſtra*, 4. Reg. 3. num. 17. Moabitæ autem, qui ex aduerſo ſtabant, cùm vidiſſent illas aquas, rubeæ eis apparuerunt, atque conſanguineæ. *Primo manè ſurgentes, & orto iam Sole ex aduerſo aquarum viderunt Moabitæ è contra aquas rubeas, quaſi ſanguinem, dixeruntque ; ſanguis gladij eſt*, ibidem num. 22. Sed vnde aquæ Iſraëlitis ſe exhibent perlucidæ, ac cryſtallinæ, ad guſtumque delectabiles ; at verò Moabitis horribiles, & ſanguineæ, furorem gladij denuntiantes? Tosum à Dei prouidentia

Abulenſ. proueniebat, vt aduertit Abulenſis, quæ benigno vultu erat in Iſraëlitas ; aduerſo autem in Moabitas. Et ad Domini imperium, ac voluntatem aquæ ſuas viciſſitudines fauoris, & rigoris exhibent, & alternant.

*Sui Domini voluntatem inferiores ſequuntur.*

*Matth. 8. n. 27.* Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.

*VERSIONES.*

*D. Baſil. Seleuc. Orat. 22. D. Chryſ. homil. 29. in Matth.* Et mirabantur diſcipuli, dicentes : Qualis eſt hic homo, quia venti.

*Syriacus.* Quis eſt iſte, cui venti, & mare obediunt.

*Græcus.* Quòd etiam venti, & mare obediunt ei.

ALTER TEXTVS

*Marc.4.n.41.* Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas, eſt iſte, quia ventus, & mare obediunt ei.

*Luca 8.n.26.* Qui timentes mirati ſunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic eſt, quia ventis, & mari imperat, & obediunt ei.

## *EXPOSITIO.*

102\. EXPLICAT Euangeliſta effectum ſubſecutum ex tam magno miraculo. *Perrò homines*, ſiue diſcipuli, ſiue qui erant in aliis nauibus, vt explicabo quæſtio. ſequenti, *mirati ſunt*, ex tanta Domini potentia, ac ex tanta rei nouitate; tale enim opus nunquam viderant; & maximè propter periculum imminentiſſimum, à quo fuerant erepti; quod fecit ipſum miraculum maximè aduertere, ipſumque magnopere æſtimare. Marcùs, & Lucas ſcribunt: *Timuerunt timore magno*, ne ſcilicet minus, quàm decens erat, cum tanto viro in illa nauicula adeſſent, ac in eum reuerentiam haberent.

Marcus. Lucas.

103\. *Qualis eſt iſte.* Vox Græca magnam emphaſim habet, & non eſt ſimpliciter interrogantis, ſed potiùs admirantis: Quis, & qualis eſt iſte, cui non eſt ſimilis in hominibus, cuius magnitudinem nos aſſequi non poſſumus, vs explicat D. Lucas. *Quia ventis, & mari imperat, & obediunt ei.* Ac proinde non ſolùm admirantur, quòd ventos, & mare coërceat; ſed quòd vt verus Deus, ac Dominus id efficiat imperando, & ſtatim ſine vlla dilatione inſenſibilia ei obediant.

Græcus.

## QVÆSTIO XVII.

### *Qui ſint homines iſti, qui mirabantur? & quæ verba dixerint?*

104\. QVI ſint iſti homines, qui viſo Chriſti miraculo mirati ſunt, maximè dubitant Doctores. Primò Origenes *homil.6.in diuerſos.* D. Hieronymus, Druthmarus, Beda docent, non fuiſſe diſcipulos, ſed nautas, qui illam nauem regebant. Et rationem huius rei aſſignat Origenes. *Quia Domini diſcipuli nunquam ſine honore nominantur*; & ideo dicuntur diſcipuli, vel Apoſtoli. Secundò D. Hilarius *can. 8. in Matth.* affirmat, verba prolata fuiſſe à turba gentium. quod intelligendum eſt, poſtquam ſcilicet miraculum audierunt. quod etiam docet Chryſoſtomus *homil.28. in Matth.* Hugo, & alij. Tertiò. Hos fuiſſe nautas, qui erant in aliis nauibus, tenent aliqui Recentiores. Ianſenius, Maldonatus, & alij. Quartò. Fuiſſe ſimul nautas, & diſcipulos, tradunt Euthymius, Titelmanus, Abulenſis *quæſt.9.*

Origen. Hieron. Druthmar. Paſchaſ. Beda. Hilar. Chryſoſt. Hugo. Ianſenius. Maldon. Euthym. Titelman. Abulenſ.

105\. Quinta, & vltima ſententia, & mihi cæteris probabilior, aſſerit, verba prolata fuiſſe à diſcipulis Domini. In hac ſententia videtur eſſe D. Baſilius Seleucus *orat.22.* Albertus Magnus, D. Thomas, Carthuſianus, & alij. Probatur ex verbis ſacrorum Euangeliſtarum. Nam ſic habet Marcus: *Et ait illis*, ſcilicet diſcipulis, *Quid timidi eſtis? nec dum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas eſt iſte, quia ventus, & mare obediunt ei.* quæ verba ſine dubio ad diſcipulos referuntur. Vnde Syriacus habet: *Et dicebat vnus ad alterum.* Clariùs hoc colligitur ex D. Luca ſic ſcribente: *Dixit autem illis, ſcilicet diſcipulis: Vbi eſt fides veſtra? Qui timentes mirati ſunt, ad inuicem dicentes: Quis putas eſt iſte?* Diſcipulos reprehendit Dominus de timore, ac modica fide: & ſtatim correlatiuum apponit Euangeliſta: *Qui timentes*, quod correlatiuum refertur ad ipſos diſcipulos; ergo diſcipuli huiuſmodi verba protulerunt, quæ etiam fuerunt dicta à nautis, ſi admittas, quòd ibi in naui erant. Et ita quarta ſententia militat in præſenti; & tunc per homines intelliguntur diſcipuli, & nautæ.

Baſil.Seleuc. Albert.Mag. D Thom. Carthuſ. Syriacus. Lucas. *Reſolutio quæſtionis*

106\. Nec obſtat id, quod aliqui obiiciunt, quòd diſcipulis ſatis nota erat potentia Chriſti ad miracula facienda. Ad hoc enim optimè reſpondet D. Hieronymus: Diſcipuli non dum nouerant potentiam Chriſti. Et Euthymius. Quòd ſi diſcipuli propter imperfectam fidem, quaſi hominem adhuc illum admirabantur, multo magis turbæ. Et Theophylactus *in cap.4.Marci.* Dicebant inter ſe diſcipuli: Quiſnam eſt hic? adhuc enim de eo dubitabant.

Hieron. Euthymius. Theophyl.

107\. Quantum ad ſecundum, quod in titulo quæſtionis propoſui, etiam poterit dubitari: Quænam verba fuerint dicta à diſcipulis? nam Matthæus ſcribit, quòd dixerint: *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.* Marcus ſic refert: *Quis putas eſt iſte, quia ventus, & mare obediunt ei.* Hæc tamen omnia ad eandem ſententiam pertinere, docet D. Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu Euang. cap.24.* ſiue à ſolis diſcipulis, ſiue à diſcipulis cum aliis fuerint dicta.

Auguſt.

## QVÆSTIO XVIII.

### *Quare mirabantur iſti homines?*

108\. RATIO huius rei litteralis manifeſta eſt. Cùm viderint tantum miraculum, tantamque Chriſti potentiam, cui venti, & mare præſtant obedientiam, itaut ex magna tempeſtate fieret magna tranquillitas, meritò mirabantur. Moraliter hoc rectè ponderat Origenes *homil. 6. in diuerſos.* Valde enim mirandum eſt, quòd omnes creaturæ etiam intellectus, & prudentiæ expertes Dei iuſſioni deſeruiunt; & homines, ſoli ratione, ac prudentia ditati, ei volunt reſiſtere, & inobedientes eius iuſſa contemnunt. Libet de hac re magnum audire Auguſtinum homil. 3. inter 17. *Tu, ô homo*, ait, *imitare ventos, & mare: obtempera Creatori ſub iuſſione Chriſti: Mare audit, & tu ſurdus es? Mare audit*

Origen. *Inſenſibilia obediũt Deo, & ſolus homo ei reſiſtit.* Auguſt.



*audit, & ventus ceſſat; & tu ſufflas? Quid? Dico, facio, fingo: quid eſt aliud, niſi ſufflare, & ſub verbo Chriſti ceſſare? non vos vincat fluctus in perturbatione cordis veſtri.*

109\. Secundò. Mirantur, dum contemplantur diuinam Chriſti virtutem, quæ ventis imperat. Qua etiam excellentia videtur Sponſa ditata à Deo, dum ait: *Surge Aquilo, veni Auſter, & perfla hortum meum*, Cantic.4. Tam largus, & magnificus eſt Dominus in ſuis ſeruis nobilitandis, vt eis largiatur diuinam poteſtatem cunctis imperandi, itaut obſequium eis inſenſibilia præſtent. Hoc eleganter ponderat D. Nyſſenus homil. 10. in Cantic. *Aſpice Reginæ poteſtatem*, ait *vt imperatoria quædam poteſtas, & auctoritas in iis, quæ ab ipſa proferuntur, eluceat. Non enim precibus id, quod vult, efficit, ſed ſecundùm veram illam promittentis vocem, qua dicit fidelem diſpenſatorem factum eſſe dominum omnium facultatum domini ſui. Hac accepta poteſtate, regia quadam ratione, prout ſibi placitum eſt, duos ventos gubernat.*

Cantic. 4. *Deus magnã dat ſuis ſeruis poteſtatẽ.* Nyſſen.

110\. Et quia in præfata ſponſæ verba incidimus, quoddam pulchrum dubium cum noſtro textu excitat D. Gregorius Nyſſenus *citata homil. 10.* ſic loquens. *Audiuimus*, ait, *quemadmodum Regina ſurgere faciat Aquilonem, & à ſe mandet, eius flatum auertens in aduerſum. Non enim eum iubet quieſcere, quomodo in maris tempeſtate iuſſit Dominus fluctibus, quieſcere, & ſilentium agere. Sed imperat, vt recedat, & fugiat, vt abſque vllo impedimento fluat Auſter, nullo aduerſo flatu obſiſtente eius impetui, dicens: Surge Aquilo.* Valde conſiderandum, quòd Sponſa non mandat, vt Aquilo fiat quietus, & lenis, atque placatus, ſed vt exurgat, abeat, & exeat, vt *ibi* explicant Theodoretus, Philo Carpathius, Anſelmus, & Rupertus. At Chriſtus Dominus ſolùm imperat, vt venti ſint tranquilli, & ſuaues, itaut fiat ſerenitas magna: non autem iubet omnino abire, & recedere. Illa verò nec cum ipſo leni vento gaudet eſſe, ſed imperat, vt exurgat, & abeat. Chriſtus cùm ſit ſupremus Dominus abſolutus, nil ab vlla creatura timet, & ideo cum placatis ventis nouit habitare. At ſponſa, ſuæ infirmitatis conſcia, mandat, vt etiam tranquilli venti exurgant, & abeant; quos enim ſemel eſt nociuos, incommodoſque experta, eos ſub omni ſpecie bonitatis, & quietudinis habet ſuſpectos, ac timet, itaut cum eis nec velit commorari, nec vllum habere commercium. Quod tibi noxium aliquando fuit, etiam ſub bonitatis prætextu time, & caue. Vide ſuprà *cap.16. n.34.* & infrà *cap.25. num.24. & 59.*

Idem. Cantic. 4. Theodor. Carpathius. Anſelm. Rupert. *Quod aliquando tibi fuit noxium, etiam ſub bonitatis prætextu time, & caue.*

## QVÆSTIO XIX.

### *Quàm diuerſus hic diſcipulorum clamor ab illo:* Salua nos, perimus?

111\. SVPRA, vt vidimus, vrgente tempeſtate, modica fide timidi clamabant diſcipuli: *Salua nos, perimus.* Nunc verò Chriſti potentiam agnoſcentes, & reuerentes clamant: *Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Vtrumque clamorem pulchrè inter ſe componit D. Baſilius Seleucus Orat. 22. *O Domini ſapientiam! O magiſtri edictum! Exiuit mare, fidei ſcholam fecit mare. Et quod diſcipulis ab iſta trepidatione lucrum? Et mirabantur, inquit, diſcipuli, dicentes: Qualis eſt hic? quia venti, & mare obediunt ei. Quibus ex rebus conterriti fuerant, docti euaſerunt.* Primò clamabant diſcipuli ſibi metuentes naufragium, & ſubmerſionem à mari, ac ventis: nunc verò iam edocti ab ipſis elementis de Chriſti virtute, ac potentia clamant. O magna Dei ſapientia, vt id, ex quo homines ſibi metuebant mortem, & interitum, fiat eis ſchola fidei, & inſtructio doctrinæ, *& ex quibus rebus conterriti fuerant, docti euaſerunt.*

Seleucus. *Vnde homo metuebat mortem inſtruitur in fide.*



112\. Cùm Moyſes maximè recuſaret ſibi iniunctam legationem ad Populum, eo quòd non crederet ipſum eſſe à Deo miſſum, ait Dominus Moyſi: *Quid eſt, quod tenes in manu tua? Reſpondit: Virga. Dixitque Dominus: Proyce eam in terram; proiecit, & verſa eſt in colubrum, itaut fugeret Moyſes. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, & verſa eſt in virgam, vt credant, inquit, quòd apparuit tibi Dominus*, Exod.4.num. 3. & 4. Dat Deus poteſtatem Moyſi ad tale ſignum coram Populo faciendum, vt ipſo viſo Populus credat, & agnoſcat ipſum Moyſem eſſe à Deo miſſum. Sed quo pacto datur Populo, vt in Dei inſtruatur mandatis, horribile ſignum, ex quo homo ita, vt capeſſeret fugam, timore concutiebatur? Hæc eſt Dei ſapientia, vt inde homini fieret libertatis, ac ſalutis gymnaſium, vnde ſibi damnum metuebat; eſſetque benignitatis, ac clementiæ documentum, quod horroris ſignum apparebat. Bruno in Allegoriis Tilm. *Virga vertitur in draconem, horroris ſignum, tenaciter percutiens, & mordens. Sed virga, & baculus tuus me conſolantur in omni correctione diuina.*

Exod.4. *Id quod horribile videbatur, Dei potentia fit virtutis gymnaſium.* Bruno.

113\. Egreſſus Populus de Ægypto cùm deueniſſet ad littus maris rubri, ſeque vidiſſet in arcto poſitum; hinc enim vaſtum obſtabat pelagus, inde verò ſuper ſe venientes perſequebantur Ægyptij; maximè timuit. Percutit Moyſes aquas, quæ diuiſæ ſunt, *& ingreſſi filij Iſraël per medium ſicci maris, erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læua*, Exod. 14. numer. 22. Quod cùm vidiſſet Populus, ſimulque & Ægyptios mortuos, *Timuit Populus, credideruntque Deo, & Moyſi ſeruo Dei*, ibidem numer. 31. Vtrumque modò inter ſe compone timorem. Viſo mari pertimuit Populus, & contra ipſum Deum, & Moyſem in deſperabundas voces erumpit. Ab ipſo tamen mari eruditur in timore Dei, & Moyſi, dum aquas, quas contra ſe timebant, pro illis intuentur conuerſas in muros. Origenes apud Lippomanum, *Iubetur*, ait, *Moyſes virga percutere mare, vt voluntati diuinæ elementorum famulentur obſequia: & aquæ, quæ timebantur, dextera, læuaque famulis Dei murus effectæ, non ſolùm perniciem neſciant, ſed etiam munimen exhibeant.*

Exod. 14. Origen.

* * *

# CAP. XXV.

## *Expelluntur Dæmones à regione Geraſenorum.*

*Matth.*8.*n.*28. Et cùm veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, ſæui nimis, itaut nemo poſſet tranſire per viam illam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quum veniſſet ad vlteriorem ripam regionem Godaræorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, exeuntes de domo ſepulchrorum, mali admodum.

*D.Hilarius.* Periculoſi nimis.

*Theoph.Euth.* Sæui ſupra modum.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.*5.*n.*1. Venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum.

*Ibid.num.*2. Et exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo.

*Idem num.*3. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare.

*Ibid. num.*4. Quoniam ſæpè compedibus, & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.

*Ibid. num.*5. Et ſemper die, ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus.

*Lucæ* 8.*n.*26. Et nauigauerunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.

*Ibid.num.*27. Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.

### *EXPOSITIO.*

SEDATA tempeſtate, tranſacto mari, 1.
deuenerunt diſcipuli cum Chriſto ad
vlteriorem ripam, ſcilicet in regionem
Geraſenorum, ſic dicta à ciuitate
ibi inſigni Geraſa, quæ etiam, vt vult D. Hieron.
Hieronymus *lib. de locis*, dicebatur Gargaſa: at
ciuitates eſſe diſtinctas apertè patet ex Ioſepho
*lib.*5. *de Bello Iudaico cap.*5. Quæ duæ ciuitates Ioſeph.
erant ſitæ in regione oppoſita Galilææ trans
Iordanem, & ab illa prima ciuitate nobiliſſima
tota regio nomen accepit, vt notarunt Victor
Antiochenus, Beda, Albertus Magnus, D.Tho- Antiochen.
mas, D. Bonauentura. *Occurrerunt ei duo haben-* Beda.
*tes dæmonium.* Statim, vt Dominus egreſſus eſt à Albert.Mag
naui, vt notat D.Marcus, ad eum conuenerunt DThom.
dæmoniaci. Matthæus ſcribit: *Occurrerunt ei* Bonauent.
*duo.* Marcus, & Lucas de vno tantùm faciunt
mentionem: *Vir quidam.* Quæ omnia optimè
conueniunt: nam, vt ait D.Auguſtinus *lib.*2. *de* Auguſt.]
*conſenſu Euang. cap.*24. Marcus, & Lucas faciunt
mentionem de illo vno, qui erat famoſior, &
clarior. Probabiliùs Chryſoſtomus *homil.*29.ait, Chryſoſt.
quòd duo dæmoniaci occurrerunt ad Dominum,
vt ſcribit Matthæus; tamen Marcus, & Lucas faciunt
mentionem de eo, qui erat crudelior, &
ſæuior. Et hac de cauſa, vt mihi videtur, in illo *Conſenſus*
dæmoniaco multas circunſtantias narrant Mar- *Euangeliſta-*
cus, & Lucas, verbi gratia, quòd non indueba- *rum.*
tur veſtimento, quod concidebat ſe lapidibus:
quas circunſtantias in duobus arreptitiis tacet
D.Matthæus.

*De monumentis exeuntes.* Sepulchra mortuo- 2.
rum apud Iudæos erant extra ciuitatem: & iſti
non morabantur in vrbe, ſed in montibus, & mo-
numentis, vt ſcribit D.Marcus, *ſæui nimis*, quia
tranſeuntes per viam inuadebant, vt occiderent.
Et ideo Syriacus legit, *mali*, Hilarius, *periculoſi*, Syriacus. Hilar.
quia iſti ſuis damnis multa pericula inferebant,
*vt nemo poſſet tranſire per viam illam*, quin ei
valde moleſti eſſent ſuo furioſo impetu. Cur au-
tem Dæmon dicatur ſpiritus immundus, iam ex-
plicaui ſuprà *cap.*22.*quæſt.*3.

---

### QVÆSTIO I.

#### *Quare dæmoniaci Chriſto Domino occurrant, & eum adorent?*

VALDE mirum, quòd iſti dæmoniaci 3.
ad Chriſtum venerint. Quia mihi eſt *Ratio diffi-*
certum, quòd hoc fecerint, non vt ducti *cultatis.*
proprio arbitrio, ſed vt à dæmonibus impul-
ſi. Sicet & Chriſtum adorarunt, cùm tamen
dæmon



dæmonibus ſit proprium ingenium, à Redem-
ptore fugere, ſiquidem timere poterant, per
ipſum eſſe ab illis hominibus expellendos, vt
actualiter factum eſt. Et ideo dicunt aliqui cum
Abulenſ.] Abulenſi *quæſt.*103. quòd Dæmonibus non fuit
permiſſum, vt Chriſtum à longè cognoſcerent;
ſed de more ſuo occurrerunt tranſeuntibus per
viam; & cùm proximiùs accederent, Chriſtum
agnouerunt, & ipſum adorarunt. Sed hoc non
cohæret cum textu Marci. Ait de illo arreptitio,
quòd *videns Ieſum à longè, cucurrit, & adora-
uit eum.*

4. Reſpondeo primò ad quæſtionem, quòd Dæ-
mones compulſi ſunt virtute Chriſti, ad ipſum
Chryſolog. venire, vt notat D. Chryſologus *citandus in fine
huius quæſtionis.* Et ideo fortaſſè ipſi clamarunt:
*Veniſti torquere nos.* quia ſentiebant, quòd ab
ipſo adducebantur, vt ab hominibus exirent.
Chriſtus autem coëgit Dæmones ad ſe venire.
*Teſtimonium* Primò, vt Diaboli inuiti Chriſtum adorantes pu-
*diuinitatis.* blicum facerent teſtimonium ſuæ diuinitatis,
ac maieſtatis. Quo argumento vtitur D. Atha-
Athanaſius. naſius *lib. de Incarnatione Chriſti, & corporali
eius aduentu.* Secundò, ad oſtendendam ſuam
potentiam. Nam ſicut in mari, ſæuiente tem-
peſtate, timentibus cunctis, ipſe ſolus ſecurus
Ambroſ. dormiebat, vt ait Ambroſius, & ſua potentia
mare tranquillum reddit; ita, cùm omnes ab
illa via fugerent, vt ait D. Matthæus, voluit
Chriſtus per illam ſecurus incedere, vt ita Dæ-
mones ad ſe venirent, & efficacia diuinæ pote-
ſtatis oſtenderetur. Tertiò. Quia ſicut in mari,
omni humana deficiente induſtria, cùm omnes
tempeſtate maximè premerentur, eam fugauit;
ita etiam cùm tota illa regio maximè Dæmoni-
bus vexaretur, vt ait D. Marcus de illo arrepti-
tio, quòd nemo eum ligare, neque domare po-
terat, voluit Dominus transfretare, ad illamque
*Vbi vires hu-* appellere regionem, atque Dæmones ad ſe inui-
*manæ defi-* tos trahere, vt tota illa prouincia, ac duo illi
*ciunt, pietas* miſeri dæmoniaci liberarentur, quia vbi vires
*diuina ſuc-* humanæ deficiunt, frequenter ars diuina ſuc-
*currit.* currit.

5. Secundò principaliter ad quæſtionem. Hoc
*Ex timore* Dæmones præſtiterunt timore agitati. Nam vbi
*cognoſcitur* Dominus ad illam regionem accedit, agnoue-
*Dominus.* runt Dæmones, ſe ipſos Chriſtum non poſſe la-
tere, & à corporibus illis eſſe eiiciendos: ideo
ei obuiam facti, precibus, & adoratione ipſum
præoccupare voluerunt, vt facit ſeruus erga Do-
minum, quando eius flagellum euadere cupit. Et
ideo dæmoniacus, vt referunt Marcus, & Lucas,
dicebat: *Obſecro te, ne me torqueas.*

6. Tertiò Abulenſis *quæſt.*104. dans rationem,
Abulenſ. ob quam Dominus compulit Dæmones ad ſè
venire, & ipſum adorare, ſic ait: *Fuit hoc, vt
Chriſtus exaudiret petitionem Dæmonis: nam vo-
lebat petere, ne eum torqueret, & tamen humi-
lians ſe in oratione exauditur, ideo Dæmon Chri-*
*Oratio mul-* *ſtum adorauit.* Hæc ratio non eſt litteralis, ſed
*tum impe-* multum moralis, ad vim orationis exaggeran-
*trat.* dam; nam illa Dæmonis petitio meritoria eſſe
non poterat, vt ipſe Abulenſis fatetur, erat
enim coacta, à ſpiritu obſtinato, in peccato mor-
tali, ac extra viam degente. Cur autem Dominus
eius petitioni, *Mitte nos in porcos*, voluit annue-
re? infrà ſuo loco dicam.

7. Quartò D. Petrus Chryſologus *ſerm.*16. ſic
Chryſolog. ait: *Attracti ſunt inuiti, non ſua ſponte curren-
tes. Denique ad præſentiam Chriſti homines
exeunt de monumentis, & vice verſa captiuos fe-
runt, à quibus fuerant antea captiuati. Siſtunt
pœnis, quorum cruciatibus torquebantur. Aptant
ad ſententiam, à quibus adducti fuerant iam ſe-
pulchris.* Dæmones illos homines tenebant, *Chriſti præ-*
tanquam captiuos, & vt domini erant in eorum *ſentia libe-*
poſſeſſione. At ibi Chriſtus ingreſſus eſt regio- *ratur homo.*
nem illam, homo liber euaſit, & Dæmones in
captiuitatem ſunt reducti, atque efficacia Do-
mini attracti, licèt inuiti, vt pro iniuſtis crucia-
tibus in hominem inflictis ſubeant ſententiam, &
dent pœnas.

---

### QVÆSTIO II.

#### *Quare hi Energumeni in ſepulchris morabantur?*

RATIO huius rei litteralis ea eſt, quam 8.
tradit Abulenſis *quæſt.*98. quòd iſti dæ- Abulenſ.
moniaci, vt conſtat ex Marco, & Luca,
veſtes dilacerabāt, ideo non morabantur
in vrbe, nec in domo, ſed per montes vagaban-
tur. Et inde ſe ad ſepulchra recipiebant: nā apud
Iudæos monumenta erant extra vrbem in agris, *Sepulchra*
& deſertis locis. Sic Saul, & filij eius ſepulti *Iudæorum in*
ſunt in nemore Iabes, 1. *Reg.*31.*num.*13. *Et* 1. *agris.*
*Paralipom.*10. *num.*12. & 2. *Reg.*21.*num.*13. Sic
& Chriſtus Dominus in horto ſepultus eſt, *Ioan.*
19.*num.*41. Et monumenta Iudæorum erant eo
modo fabricata, vt poſſet quis habitare in eis.
Nam erant veluti quædam domus exciſæ in ru-
pibus, vel lapidibus circunſeptæ, quæ ſuis por-
tis claudebantur, ac multos recipere poterant.
Quod patet ex Chriſti ſepulchro, in quod Pe-
trus, & Ioannes introierunt, *Ioan.* 20.*num.*6. &
tres illæ mulieres portantes aromata ingreſſæ
ſunt *Luc.* 24. *num.* 23. Et foris ad monumentum
ſtabat Maria plorans *Ioan.*20.*num.*11. Erant er-
go illa ſepulchra veluti domus quædam, in
quibus, vt ſepelirentur, multi erant pro diuer-
ſis mortuis loculi. Ergo iſti Dæmones ob ſuam
ſæuitiam in deſertis locis ab hominum com-
mercio ſeparati, illis in monumentis mane-
bant.

Secundò Victor Antiochenus *in* 5. *Marci* ſic 9.
ait: *Quorſum Dæmones in ſepulchris verſantur?* Vict. Ant.
*Quò rudi plebi execrandum, planéque impium
dogma perſuadeant, nempe demortuorum animas
in dæmones transformari. Quæ opinio procul abſit
à cuiuſuis hominis mente, & cogitatione.* Ean-
dem rationem reddunt D. Chryſoſtomus *homil.* Chryſoſt.
29. Euthymius, Theophylactus. Hunc errorem Euthymius.
Tertulliano tribuit D. Auguſtinus *lib. de Hæreſi* Theophyl.
*cap.*8. Non autem Tertulliano, ſed Tertulliani- Auguſt.
ſtis tribuendum, tenet Pamelius *paradoxo* 11. Pamelius.
Tam impius, & nefandus hoſtis eſt Dæmon, vt *Dæmon ani-*
demortuorum animas intentet vilipendere, ac *mas defuncto-*
dedecorare, turpem, atque impiam circa eas *rum dedeco-*
opinionem diſſeminans, quòd ſcilicet in Dæ- *rare intētat.*
mones transferantur, dogma certè valde im-
pium.

Tertiò D. Paſchaſius lib.5. in Matth. *Attende,* 10.
ait, *quæ ſæuitia Dæmoniorum, quive furor, aut* Paſchaſ.
*quæ rabies erga humanum genus, dum ferre ne-
queunt, mori homines, qui viuos geſtiunt ſepelire,*

*& ſe ipſos ſepulchris mandant, vt homines redigant in ſepulchra.* Diabolus olim in Paradiſum eſt ingreſſus, habitabat in idolis, in nemoribus floribus, arboribuſque conſitis; nunc verò elegit mortuorum ſepulchra: Tanta eſt in hominem malignitas, ac ſæuitia eius, vt in fœtido ſepulcro Diabolus habitare non horreat, dummodo in ipſo ergaſtulo contineat hominem, vt ibi percutiat, eique noceat. Crudelis hoſtis, qui vt det homini nocumentum, ſui damnum minimè reſpuit.

*Inimicus ſæpe ſibi dat nocumētum, vt alteri noceat.*

11. Paſchaſ. Quartò idem D. Paſchaſius. *Digna quidem,* ait, *vitiorum conditio, vt qui cælo præſidere nolunt, paſcantur cadaueribus, ſaginentur putredine, delicientur fœtore, quibus tota voluptas eſt, vitiis deſeruire.* Cur non inter flores, & amœna prata; vel inter aromata, & pigmentaria; ſed inter arida, ac horrenda mortuorum oſſa Satanas ſibi eligit locum? Ecce miſera conditio eorum, qui vitiis deſeruiunt, & à Diabolo tenentur; qui cùm poſſint in cælo regnare, dum tamen vitiis indulgent, dilacerantes veſtimenta, vt ſcribit Marcus, perſuaſionibus Satanæ acquieſcunt; & quanuis adhuc viui, iam inter fœtores, ſqualores, ac anguſtias mortis degunt; & dum Satanæ potius, quàm Deo ſeruiunt, inter ærumnas, ac preſſuras perditionis comprimuntur.

*Homo in vitiis viuens, iam degit in ſepulchro.*

12. Abulenſ. Quintò. Abulenſis *quæſt.* 99. Dæmones, ſuam volebant in hos energumenos exercere ferocitatem; ideoque omnia ad crudelitatem pertinentia exercebant in eos, ſcilicet facientes nudos incedere, vt teſtatur Lucas; & quòd vnus eorum ſe lapidibus concideret, vt ait Marcus: & quia etiam eſt quædam feritas, ac inhumanitas, habitare in humanis ſepulchris, faciebant, vt in monumentis morarentur. D. Cyrillus. *Quod autem nudus petebat defunctorum ſepulchra, dæmoniacæ ferocitatis erat indicium.* Crudelitate, ſæuitiaque nulla inimicus noſter ſatiatur, ſed nos vndique comprimere cupit. Hæc ratio, & prima mihi videntur maximè litterales.

*Diabolus omni crudelitate inſequitur.* Cyrill.

13. Palatius. Sapient. 1. Sextò Palatius quandam excogitauit rationem deductam ex duobus locis Sapientiæ 1. num. 13. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Et 2. num. 14. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Cùm ergo duo ſint, qui habent principatum, Deus, & Dæmon; ad Deum ſupremum principem ſpectat vita, & terra viuorum. Vnde Dominus dicit Sadducæis: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum,* Matth. 22. num. 32. Ad tyrannum autem Diabolum ſpectat mors, infernus, ac ſepulturæ mortuorum, tanquam ſui viuentium, gaudetque rebus ſuis. *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum,* Pſalm. 48. num. 12. Vnde mihi perſuadeo, hæc domicilia Dæmonum fuiſſe impiorum ſepulchra.

Sapient. 2. Matth. 22. *Diabolus gaudet opere ſuo.* Pſalm. 48.

14. Septimò. Nimis ſæui, & crudeles erant huiuſmodi dæmoniaci, vt nec catenis, nec compedibus ligari poſſent, ſed ſemper die, ac nocte erant in monumentis, vt ait D. Marcus; & itinerantes crudeliter inuadebant, vt dicat Matthæus: *Vt nemo poſſet tranſire per viam illam.* Ad quid Dæmones habitant in ſepulchris? Ad quid à via illa homines arcent, ac fugere faciunt? O Diaboli inuentum! O crudelis hoſtis machæra! Sepulchrorum ſedem eligit Diabolus, illorumque vias reddit inacceſſas, ne quis ad eas accedere audeat, vt ita mortis monumentum ab oculis fugeret, illapſaque eius memoria à mente excideret.

*Diabolus procurat, vt mortis memoria à mēte excidat.*

Alloquitur Diabolus cum Eua. Et primum, quod ei intentat perſuadere, ac contra Dei vocem in mente ingerere, nihil aliud eſt, niſi: *Nequaquam moriemini,* Geneſ. 3. num. 4. Cur ei primùm non proponit ementitas excellentias de ligno vetito, quòd erunt ſicut Dij; ſed ante omnia ait: *Nequaquam moriemini?* Agnouerat vafer inimicus, valde conueniens medium eſſe ad impellendum hominem in omne peccatum, mortis memoriam ab eius mente elimare; & ideo ante omnia hoc aggreditur. Procopius ait. *Duo ſunt, quæ nos à malo auellunt, & bono applicant, ſcilicet promiſſio, & timor: hinc Deus pœnam minis intimauit, & lignum vitæ promiſit; ſed Diabolus diuerſum ingreſſus eſt iter, timorem ademit, dicens, Non morte moriemini.* Et clariùs Thomas Anglicus. *Quia homo quandoque vitat peccatum timore pœnæ, Diabolus excludit timorem mortis, dicens: Nequaquam moriemini.* 15.

Gen. 3. *Primò Diabolus vult abolere memoriam mortis.* Procop. Thom. Ang.

## Qvæstio III.

### *Sæua huius Dæmonis ferocitas ex variis circunſtantiis expenditur.*

HORVM Dæmonum crudelitas ex multiplici circunſtantia patet. Primò. Quia faciebat, dæmoniacos eſſe nudos, vt ait D. Lucas. Quia, cùm dæmon ſit turpis, & impudicus, delectatur nuditate, quæ eſt impudicitiæ illectamentum. Vnde Paulus 1. *Corinth.* 11. *num.* 6. mandat velare capita propter bonos, qui pudicitia gaudent. Deinde Diabolus faciebat hominem eſſe nudum, vt eum grauiùs lapidibus concideret. Secundò, tam crudelis erat Diabolus, vt dæmoniacum in propria domo habitare non permitteret, vt ait D. Marcus, cùm enim ex ſua domo Diabolus ſit relegatus, non patitur, quemquam in ſua propria habitare. Deinde, quia in domo ſua dæmoniacus aliquod poterat habere leuamen, atque remedium; Diabolus autem nullum ſuis vult concedere. Tandem in ciuitate erant doctores, à quibus erudiri, & res ſacræ quibus adiuuari poterat; Diabolus autem intentat, hominem omnibus deſtituere. 16.

*Diabolus gaudet impudicitia.* *Diabolus omne à ſuis tollit leuamen.*

Tertiò patet eius crudelitas. Quia Dæmon rumpebat catenas, vt ait D. Marcus. Nam cùm Diabolus ſit ſuperbiſſimus, ac licentioſus, liberrimus eſſe cupit, vt eſt impiorum ingenium. Pſal. 2. num. 4. *Dirumpamus vincula eorum: & proyciamus à nobis iugum ipſorum.* Deinde Diabolus Dei ſententia alligatus eſt perpetuo carceri, catenis, ac rudentibus, 2. *Petri* 1. *num.* 4. *Apocal.* 20. *num.* 1. Vbi ergo Diabolus videt vincula, & catenas horret, & fugit. Quartò tam ferus erat hîc Dæmon, vt de vno ſcribat Marcus: *Nullus eum domare poterat.* In quo ſignificatur Dæmonis obſtinatio, cùm enim ipſe ſit damnatus, ac ſpem de omni bono amiſſam habeat, nemo eum domare poteſt, neque ad meliorem viam deducere. Vnde ad compeſcendum Dæmonem nulla humana virtus pertingit, ſed ſola diuina eò peruenit. 17.

*Diabolus licentioſus.* Pſalm. 2. *Qui nullam habet ſpem, nullum timet.*

Quintò. Concidens ſe lapidibus, vt de vno ex 18.



iſtis refert Marcus. Crudelis dæmon, quòd hominem, in quem ſe receperat, lapidibus contereret, ac vulneraret, vt ſanguinem effunderet. Eſt enim Dæmonibus valde gratus ſanguis humanus, illumque ſibi præberi deſiderant. Et hac de cauſa idolorum Sacerdotes, quando Deos ſuos placare volebant, ab eiſque obtinere petita, effundebant de ſanguine ſuo; vt patet in Sacerdotibus Baal: *Incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine,* 3. Regum 18. num. 28. De qua re agit Auguſtinus 2. *& 6. de ciuitate Dei.* Deinde, vt ait Abulenſis *quæſt.* 102. Deus permiſit Dæmonibus iſtud facere, ad oſtendendum prauam eorum voluntatem, & ferocitatem contra homines, ſcilicet quòd non miſereantur eorum, cùm poteſtati ſuæ traditi ſunt, vt per hoc homo illis ſubiici caueat.

3. Reg. 18. Auguſt. Abulenſ.

19. Tandem dicere poſſumus, quòd in hoc notatur ſuperbia, ac duritia Diaboli, quod nec propriis actibus flecti, ac frangi poteſt. Et ideo *Eccleſiaſtic.* 21. *num.* 11. dicitur. *Via peccantium complanata lapidibus;* quia peccatores tanquam lapides obdurati, frangi, ac comminui nolunt.

*Superbia flecti neqit.* Eccli. 21.

## Qvæstio IV.

### *Quare iſti dæmoniaci tam ſæui erant, vt non permitterent, per viam illam aliquem tranſire?*

20. RATIO à priori, ob quam vnus arreptitius plus torqueatur, maioreſque exerceat ſæuitias, quàm alius, eſt Dei permittentis voluntas, vt notat Abulenſis *quæſt.* 100. Moralem verò rationem indagamus, ob quam iſti Dæmones erant tam ſæui, vt non ſolùm ipſos dæmoniacos torquerent, ſed etiam tranſeuntes per viam appeterent?

*Ratio à priori.* Abulenſ.

21. Baſil. Hanc rationem colligo primò ex D. Baſilio Seleuco orat. 23. *Locum verò vicinis inacceſſum reddidit, dum hominem contra hominem velut inſanientem Dæmon immiſit.* Multi Dæmones, cùm expulſi ſint à cælo, non ſtatim in abyſſum ſunt detruſi; ſed per aëra, ac terrena loca vagantur vſque ad diem Iudicij, vt docent D. Athanaſius *in vita S. Antonij.* D. Auguſtinus *lib.* 11. *de ciuit. cap.* 33. Et tamen tunc Dæmones non recludunt vias hominibus, vt cum iſtis dæmoniacis faciebant. Nil ferocius in hominem, quàm homo: & non ſic crudelis, ac nociuus eſt Diabolus in homines, ac crudelis, & exitialis inuenitur homo: & quòd Diabolus per ſe aggredi non audet, dum tamen ſæuos homines eſt nactus, tota inſania, ac furore debacchatur, vt ſæuitias exerceat, hominique viam ſalutis impediat, vt ſtatim explicabo.

Athanaſ. Auguſt. *Homo in homines crudelior, quàm Diabolus.*

22. Chryſolog. Secundò D. Petrus Chryſologus ſerm. 16. *Videtis,* ait, *quia Dæmones venientibus ad Chriſtum præcluſerant viam, tranſitum denegarant: eſt enim Dæmonum iſta cura, ne ad Deum poſſint homines reditum inuenire; non enim aliter poſſunt homines poſſidere, niſi eos ab Auctoris ſui ſocietate ſubducant. Hinc eſt, quòd Chriſtus factus eſt via, vt ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obſiſtere vis Dæmonum non valeret.* Iter illud, quod Dæmones impediebant, vt nemo poſſet tranſire per illud, vt exiſtimo, tendebat ad littus maris, ex quo poterat quis transfretare in Galilæam, vbi Chriſtus prædicabat. Ideo viam illam Satanas præcluſerat; nam totum eius ingenium eſt, homines remouere à via ſalutis, atque ab acceſſu ad Chriſtum: ideoque ad hanc Dæmonis impietatem excludendam Chriſtus Dominus factus eſt nobis via, vt per ipſum ad ipſum habeamus acceſſum.

*Studium Dæmonis, impedire viam ad ſalutem, atque ad Chriſtum.*

Poſtquam Iudas ſuum nefandum ſcelus commiſit: de eo ait Matthæus 27. num. 5. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* Sed cum tanta pœnitentia, qua etiam apud ſe noluit illos argenteos habere, quid agit? *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Sed quomodo miſericordiam non inuenit? Diabolus, quem Iudas miſerat in cor, ei perſuadendo verecundiam, viam interclusit ad magiſtrum, & patefecit ad lignum. In quo tota ſua eſt confecta perditionis ruina: ſi enim acceſſiſſet ad Deum, ſine dubio remedium inueniſſet, S. Aſterius ſerm. de Pœnitentia. *Equidem arbitror, Iudam proditorem, niſi ſui carnifex fuiſſet, ſi ad genua accedens miſericordiam deprecatus eſſet, veniam, quæ omni pœnitenti conceditur, conſecuturum fuiſſe.* 23.

Matth. 27. *Interclusio viæ ad Chriſtum, hominis dānatio.* Aſterius.

*Matth. 8. num. 29.* Et clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi Ieſu, fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Veniſti huc ante tempus cruciatum nos?

*Euthymius.* Vt ante tempus affligas nos?

*D. Cyprianus lib. 2. aduerſ. Iudæos.* Quid nobis, & tibi, fili Dauid? Quid huc veniſti ante tempus punire nos?

*D. Athan. de Interp. Pſalm.* Quæro, ne nos ante temptus torqueas.

ALTER TEXTVS.

*Marc. 5. n. 6.* Videns autem Ieſum à longè cucurrit, & adorauit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, Ieſu fili Dei altiſſimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas.

*Lucæ 8. n. 28.* Is, vt vidit Ieſum, procidit ante illum: & exclamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Obſecro te, ne me torqueas.

## *EXPOSITIO.*

24. COACTI Dæmones ad Chriſti tribunal per ora hominum, quos obſidebant, clamant: *Quid nobis, & tibi?* id eſt, quid rei, quid negotij nobiſcum habes. Hoc latè explicaui *cap.* 21. *num.* 16. *& quæſt.* 4. *Ieſu fili Dei*, ſeu vt habent Marcus, & Lucas, *fili Dei altiſſimi*, hoc eſt, vere Meſſia, & Chriſte, qui promiſſus eſt in lege. Antea de Chriſti diuinitate dubitans dicebat

Matth. 4.

Diabolus: *Si filius Dei es.* Matth. 4. num. 3. Nunc verò iam non dubitat, ſed abſoluta, & firma voce teſtatur: *Ieſu fili Dei.* Quis ei tantam dedit cognitionem? Cruciatus, ac pœnarum ſchola eum ſic erudiuit. Quod perbellè notauit Origenes, *Vide in Euangeliis, quomodo verberatus emendet hanc vocem; ſcriptum eſt enim, quia clamauerunt Dæmones ad Dominum, & dixerunt: Quid veniſti ante tempus torquere nos? ſcimus te, quis ſis; tu es filius Dei viui. Vbi tormenta ſenſerunt, ſciunt Dominum. Ante flagella dicit: Neſcio Dominum.* De hoc autem multa hìc neceſſariò videnda dixi ſuprà *cap.* 22. *quæſt.* 12. 13. *&* 14. nec enim ſingula paſſim ſunt repetenda.

Origen.

*Pœna dant intellectum.*

25. *Veniſti ante tempus torquere nos.* Cuius rei hæc eſt ſententia, Dæmones aliquantulum gaudēt eo, quòd per varias terras vagantur ad excitandas tentationes, ac tempeſtates in homines. Quare magnum tormentum eſt illi, religari in inferno: & hoc timebant, ſibi à Chriſto eſſe inferendum; ideoque dicebant, ne ante diem iudicij eos mitteret in abyſſum, vt ſtatim latiùs explicabo. Marcus addidit, quòd dixerit vnus ex iſtis: *Adiuro te per Deum*; id eſt, diuina auctoritate interpoſita, tibi dico, & denuntio. Intentat vafer hoſtis, Dei auctoritate ſe tueri. In hoc caſu Marcus, & Lucas referunt quædam verba, & Marcus addidit: *Adiuro te*; Matthæus vero ſcribit quædam à duobus prætermiſſa: *Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Quæ verba ita ſunt ordinanda, Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Veniſti huc ante tempus torquere nos; obſecro te, ne me torqueas; adiuro te, ne me torqueas.

*Senſus huius ſententiæ.*

*Quomodo ordinanda Euangeliſtarum verba.*

## QVÆSTIO V.

### *Quomodo Dæmones clament, quòd Dominus venerit ad torquendos eos ante tempora?*

26. VARIÆ ſunt rationes, tam litterales, quàm morales in hac materia. Primò, vt etiam approbat Dionyſius Carthuſianus, clamant Diaboli, quòd Chriſtus venerit in terras, agentes de primo aduentu, ante tempora ad eos torquendum. Et ita Chriſti aduentus dicitur à Diabolo valde celer, & velox. Sed Dæmones ignorare minimè poterant, illud fuiſſe tempus aduentus Chriſti, à Prophetis deſignatum, cùm id homines mediocriter docti ſcirent.

Carthuſ.

27. Vera, & germana intelligentia huius rei eſt, quam docent D. Chryſoſtomus *homil.* 44. *in Ioan. &* 29. *in Matth.* D. Ambroſius *lib.* 6. *in Luc.* Euthymius, Albertus Magnus, & etiam Dyonyſius Cathuſianus *citatus*, & iam appoſui in expoſitione, quòd quamuis Dæmones à primo inſtanti, quo peccauerunt, ſint damnati, ac gehennali igne torqueantur; multi tamen per aëra, terraſque vagantur, homini inſidiantes; variaſque in eum tentationes, tempeſtates, morbos, ac mala commouentes: & dum hæc permittuntur Dæmonibus machinari, aliquantulum gaudent, cùm illi maligni ſpiritus malignitate ſua veluti quadam libertate vagabundi per terras ambulent. Vnde eſt Dæmonibus valde terribile, relegari, & incarcerari in inferno, ad quem damnabuntur in perpetuum à Chriſto in die iudicij. Videntur ergo Dæmones hìc timere, ne Chriſtus Dominus, vt ſupremus iudex, diem iudicij anticipet, quem ipſi valde remotum reputabant, vt ita ipſi indilatè mittantur ad tartara, in illoque arctiſſimo carcere ibi in æternum recludantur. Et hanc ſententiam colligo ex D. Luca. Ait enim, *Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent*: ergo mitti in abyſſum timebant; & hoc dicunt ante tempus.

*Vera intelligentia.*

Chryſoſt.

Ambroſ.
Euthym.
Albert. Mag.
Carthuſ.

Tertiò. Aliter ex mente Caietani hoc poteſt explicari. *Veniſti ante tempus torquere nos*; hoc eſt, expellere ab his hominibus; nam exire ab illis corporibus, erat Dæmoni tormentum: & dicunt ante tempus, quia longiori ſpatio eos vexare deſiderabant. Vt ſi quis, verbi gratia, plus temporis velit ſomno indulgere, dum tamen ab aliquo excitatur, ei dicit: Veniſti ante tempus me à ſomno euocare. Ita enim gaudent Dæmones in torquendis hominibus, vt omne eis in hoc negotio tempus videatur breue, atque paruum. 28.

Caietan.

*Deſiderio Diaboli omne noſtrum ſupplicium paruum.*

Quartò D. Chryſologus *ſermone* 16. ſic ait: *Tempus abſcindit, præuenit mortem*, ſcilicet Diabolus, *ſepelit viuos crudelitas immatura: & de tempore quæritur, quaſi ante tempus habere debuerit, & non vt exorta eſt mox puniri.* Diabolus ante conſtitutum mortis tempus ſupplicio mortis puniebat homines viuos, dum eos clauſos ſepulchro continebat, ac ſi iam eſſent demortui: ideoque ex pœna anticipata, quam ipſi inferebant homini, cogitabant ſibique perſuadebant, quod etiam Deus accelerato ſupplicio ante conſtitutam metam ad eorum punitionem præceſſerit. Et quàm proteruè, ac malignè in hoc loquantur Dæmones, bene ſubdit ipſe Chryſologus; *quaſi ante tempus habere debuerit, & non vt exortæ eſt, mox puniri*; nullum eſt enim tempus intempeſtiuum ad malitiam expungendam, ac vitia expugnanda; nam mox vt pullulant, pœna, igne, ferro ſunt euellenda, ac eradicanda. 29.

Chryſol.

*Ex ſe cogitat vnus de aliis.*

*Ad puniendam malitiã nullum tempus intempeſtiuum.*

Non prætermittam illud hìc notare, quod ante citata verba peràcutè obſeruauit Chryſologus. *De tempore ſic queruntur, quaſi ipſi cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in ſepulchris.* O execranda Dæmonum malitia. Ipſi ante mortis tempus ſupplicio mortis homines puniunt, dum viuos ergaſtulo monumenti recludunt. Et tamen conqueruntur, quod poſt tot annorum millia filius Dei ante tempora venerit, *quaſi ipſi cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in ſepulchris.* Vulnera, quæ quis in alterum inflectit, illorum dolore minimè tangitur; at ſi quid preſſuræ ipſe ſuſtineat, importabile, & ante tempus apparet ei, atque videtur. Vnde iuſtiſſimo 30.

Chryſolog.

*Nullus de alterius ſupplicio dolet, ſed ſolum ſuũ importabile reputat.*



iuſtiſſimo Dei iudicio ea ſæpè quis patitur, quibus alterum afflixit, atque vexauit.

31. Quintò D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Malis*, ait, *ſemper, licèt longa patientia, breuis videtur; ſicuti & bonis vltio tarda. Idcirco iſti, non quod ſciant, quando debeat eſſe, ſed quòd licèt longiſſimum, eis breue videtur, eo quòd acrior inſtet cruciatus, & tempus concupiſcentiarum cùm pertranſierit, ſic fit, ac ſi non eſſet.* Dicunt Dæmones Domino: Ante tempus veniſti torquere nos? Iniquorum conditio, quòd vltio criminum per multa curricula annorum maximè dilatata, ac diſſimulata, videatur eis valde feſtina, & velox ante tempora: nam ſicut bonis ſeruis remuneratio in vltima die videtur nimis accelerata; ita iniquis pœna apparet nimis matura, ac concitata.

Paſchaſ.

*Semper impiis pœna videtur immatura.*

32. Et ante citata verba notat Paſchaſius. *Veniſti, inquiunt, ante tempus, & præſcribunt illud, quaſi nouerint tempus iudicij, præſumunt enim plus ſcire, quàm ſciant, non curantes de mendacio.* Dum Dæmones dicunt: Veniſti ante tempus: innuunt, ſe ſcire diem iudicij, cuius temporis articulum Angeli in cælo non capiunt. Iniquorum ingenium, quòd plus fingant ſe ſapere, quàm apprehendunt, *Non curantes de mendacio.*

Paſchaſ.

*Iniqui magiſtri fingunt, ſe plus ſcire, quàm capiũt.*

33. Venefici Ægyptij cùm non poſſent educere ſciniphes, dicunt: *Digitus Dei eſt hic*, Exod. 8. num. 19. Et quid, in hoc volunt ſignificare: Caietanus. *Attribuunt Diis ſuperioribus manum impedientem ſignificatam à digito, ad inſinuandum, quòd tanquam de articulata cura, atque opera ſuperiorum Deorum impediatur ars ab efficacia ſolita.* Ne ergo venefici, aliquid eorum ſcientiam fugere, fateantur, aſſerunt, quòd digitus Dei hic interuenit, ſuæ artis opera impediens; vnde ſciniphes non educuntur, non ex defectu ſcientiæ, ſed ob manum Dei impedientem.

Exod. 8.
Caiet.

*Magiſtri ſuã inſcientiam fateri nolũt.*

## QVÆSTIO VI.

### *De qua pœna, ac tormento Dæmones hìc loquantur?*

34. CERTVM eſt, quòd Dæmones, ex quo è cælo ceciderunt, ſupplicio ignis irremiſſibiliter, & ſine vlla interruptione puniuntur, vt docet D. Damaſcenus *lib.* 2. *de fide, cap.* 4. Beda, & Gloſſa Ordinaria ad illa verba Iacob. 3. *Inflammata à gehenna.* D. Thomas 1. *part. quæſt.* 64. *art.* 4. *ad* 3. Quomodo verò Dæmones, qui per aëra, ac terras vagantur, gehennali igne torqueantur, eſt ſatis difficile explicare. Multis omiſſis dicendum eſt cum Suario *tom. de Angelis, lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 36. quod agens de potentia obedientiali latè explicaui. Quòd ſicut Deus eleuat ignem ad agendum in ſpiritum; ita etiam illum eleuabit, vt non minus agat in ſpiritum diſtantem, quàm in propinquum; nam conditio propinquitatis ſolùm requiritur ſecundùm naturalem vim; minimè verò ſpectata diuina virtute, vt de Chriſti humanitate, ac ſacramentis optimè à multis benè explicatur.

Damaſc.
Beda.
Gloſſa.
D. Thom.

Suarius.

*Quomodo Dæmones puniantur in aëre.*

35. Hìc ergo loquuntur Dæmones de pœna illa, quæ eſt incarceratio in inferno, vt ſuperiori quæſt. latè explicaui. Ex quo eleganter ait D. Baſilius Seleucus orat. 23. *Norunt ex his, quæ petiuntur, ſe tormentis obnoxios. Neque tantum apud eos morum potuit improbitas, vt illatæ ob flagitia pœnæ obliuionem inducat.* Dæmonum malitia omnem modum excedit, & cum tanta improbitate, etiam dum hac per aëra, & terras vagandi libertate fruuntur, imminens tamen pœna, atque recluſio in tartareo carcere eis in obliuionem non abit; ſed ante illorum mentes ſemper tam rigidum obuerſatur ſupplicium, maximéque illius anguntur timore. Et tamen proh dolor! ſunt multi homines, qui dum aliquali paci, ac fælicitati indulgent, ſtatim ſalutis obliuionem induunt, ac de imminenti ſupplicio minimè recordantur.

Baſil.

*Dæmones de imminẽti recordãtur ſupplicio; multi autem homines minimè.*

Secundò idem D. Baſilius Seleucus. *Veniſti ante tempus torquere nos? Quòd igitur*, ait, *non torqueantur, nondum ſupplicij tempus adeſſe ratiocinantur: grauiter enim ferunt, ante iudicij tempus hominum pœnis, vt abſtineant, ſe iuberi.* Chriſtus Dominus, vt dicam, Dæmonibus non inferebat aliquem cruciatum ad hoc, vt ab obſeſſis hominibus exirent; ſed hoc præſtabat nutu, ac imperio ſuo. Quomodo ergo hìc conqueruntur, quòd venerit Dominus ante tempus ad eos torquendos: Dæmones crudeles ſunt humani generis hoſtes, ac proinde dum ante diem iudicij ab hominus vexandis ceſſare iubentur, hoc pro rigido, & duro cruciatu reputant. *Grauiter enim ferunt, ante iudicij tempus hominum pœnis vt abſtineant, ſe iuberi.* Tales enim ſunt Dæmones, vt ſicut noſtris inſidiis, ærumnis, ac malis gaudent, ita noſtra commoditate, ac bono peracerbè affligantur, & doleant. Vnde ait Gloſſa hoc loco: *Torquentur Dæmones, dum de corporibus eiiciuntur, in quorum tortura delectabantur.* 36.

Baſil.

*Ceſſatio à vexatione hominis, tormentum Dæmonis.*

Tertiò D. Chryſoſtomus homil. 29. *Ab experientia clamant: flagellabantur enim inuiſibiliter, intolerabilia patientes ex præſentia Chriſti.* D. Hieronymus ait: *Præſentia Saluatoris, tormenta ſunt Dæmonum.* Valde terribilis, & formidabilis reo eſt, ac delinquenti præſentia iudicis; & ideo cùm Dæmones ſe videant ante præſentiam Domini iudicis vniuerſalis, maximè torquentur, ac cruciantur. 37.

Chryſoſt.
Hieron.

*Præſentia iudicis, delinquentis tormentum.*

Ait Ioël Propheta *cap.* 2. *num.* 5. agens de aduentu Domini in die terribili. *Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient: ſicut ſonitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam: ſicut populus fortis præparatus ad prælium. A facie eius cruciabuntur.* Septuaginta ſic legunt vltima verba: *A facie eius conterentur populi.* Non dum agit Propheta de ſententia iudicis, ſed tantùm de eius præſentia, quæ tam terribilis erit, ac ſonitus hoſtilium quadrigarum multarum, & flammæ deuorantis, atque multitudo populi procedentis ad bellum. Et ſicut his omnia conteruntur; ita à facie iudicis, vniuerſi conterentur, ac cruciabuntur. D. Hieronymus. *Non erit, qui furorem eius poſſit euadere, cuius crudelis aſpectus frementium equorum habebit ſimilitudinem,* 38.

Ioel.

Septuag.

*Vultus iudicis timorem incutit.*

Hieron.

*Marc.* 5. *n.* 8. Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.

*Ibid. num.* 9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi

hi nomen eſt, quia multi ſumus.

### *VERSIONES.*

*Syriacus n. 9.* Et dixit ei? Legio eſt nomen noſtrum, quia multi ſumus.

### ALTER TEXTVS.

*Lucæ 8. n. 29.* Præcipiebat autem ſpiritui immundo, vt exiret ab homine: multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus: & ruptis vinculis agebatur à Dæmone in deſerta.

*Ibid. num. 30.* Interrogauit autem illum Ieſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio, quia intrauerant dæmonia multa in eum.

## *EXPOSITIO.*

39. DOMINVS mandabat Dæmoni, exire ab homine, non inferendo ei tormentum aliquòd, ſed tantùm imperio ſuo. Et tamen Diabolus ait: *Veniſti torquere nos*, quia Diaboli tormentum, exire ab homine. Et quanuis Dominus ſciret, Dæmones multos eſſe, vt re vera erant, & explicat Euangeliſta; tamẽ ſingulariter loquitur, quia ad hominem vexandum ita erant vniti, ac ſi vnus eſſet ſpiritus. Facile poterat Chriſtus Dominus virtute verbi ſui ſine vlla mora Dæmonem expellere ab homine, veruntamen locum dat interrogationi, ac precibus, ob rationes aſſignandas.

*Iniqui vniũtur ad malum.*

40. Bonauent. *Interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt?* Interrogat, vt ait D. Bonauentura, non quia ignoret, ſed vt ex reſponſione Dæmonis appareret comitatus multitudinis; & ita ſcirent præſentes, quòd multi in vno homine Dæmones erant. *Et dixit ei: Legio mihi nomen eſt.* Per vocem, & linguam hominis poſſeſſi reſpondet Diabolus. Et cùm multi eſſent, non potuerunt reſpondere, vno nomine, ſed communi. Vnde Syriacus habet: *Legio eſt nomen noſtrum.* Legio autem militum ſignificat multitudinem, hîc autem Dæmonum, vt ipſemet Dæmon explicauit: *Quia multi ſumus.* Et quanuis ipſe ſit mendacij pater, hîc coram tanto iudice non audet mentiri, ſed verum dicit. Et bene *multi ſumus*, vt ait Hugo, quia vnum peccatum, quod eſt opus Diaboli, non eſt ſine alio; peccatum enim ſuo pondere ad aliud trahit, niſi citò pœnitentia deleatur. *Illic congregati ſunt milui, alter ad alterum*, Iſaiæ 34. num. 15.

Syriacus. Hugo. *Vnum peccatum ſecum aliud affert.* Iſai. 34.

## QVÆSTIO VII.

### *Quid ſit legio? & quid hîc ſignificet?*

LEGIO nomen erat Romanæ militiæ. Abulenſis *hoc loco quæſt.* 111. D. Bonauentura, Lyranus, Carthuſianus, & alij dicunt legionem continere ſex millia, ſexcenta, & ſexaginta ſex militum. D. Hieronymus autem *in cap. 26. Matth.* ait, tempore Chriſti vnam legionem claudere ſex millia militum. Ianſenius vni legioni aſſignat numerum duodecim millia, ducenta, & quinquaginta militum. Alij, vt Franciſcus Lucas, dicunt, quòd vna legio continebat duodecim millia, & quingentos milites. Alij maiorem, alij minorem numerum faciunt. 41.

Abulenſ. Bonauent. Lyranus. Carthuſ. Hieron. Ianſenius. Franc. Luc. *Quid ſignificet legio?*

Dicendum eſt, quòd vni legioni non erat numerus certus deputatus; modò enim plures, modò pauciores milites habebat, vt tradit Alexander ab Alexandro *lib. 1. cap. 5.* Tiraquellus *ibidem in Commentario Alexandri.* Et Vegetius *lib. 2. de re militari cap. 2.* ſic ait: *Romani legiones habent, in quibus ſingulis ſena millia, interdum ampliùs militare conſueuerunt.* Vnde rectè docent Victor Antiochenus *in hoc cap. 5. Marc.* & Euthymius, quòd legio hîc non ſignificat præciſum numerum Dæmonum, ſed eorum magnam multitudinem. Aliqui verò aſſerunt, fuiſſe ſaltem duo millia Dæmonum, ſi quidem duo millia porcorum dimiſerunt in mare; itaut ſinguli in ſingulos intrauerint porcos. Sed coniectura non eſt multum efficax: nam ad omnes detrudendos in mare ſufficiebat vnus ſpiritus. Quod ergo certum habemus, nomine legionis multos Dæmones ſignificari. 42.

*Reſolutio.* Alexander. Tiraquell. Vegetius. Vict. Antio. Euthym. *Reſoluitur quæſtio.*

Non obſtat, quòd dicatur ſpiritus immundus in ſingulari; *Exi ſpiritus immunde*, quia ibi accipitur *ſpiritus* collectiue pro tota multitudine, vt ait Ianſenius; vel pro duce ipſorum Dæmonum, vt vult Barradas, vel vt dixi in expoſitione, quia tanquam vnus ſpiritus ad vexandum hominem erant vniti. 43.

Ianſenius. Barradas.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Dominus nomen Dæmonis interroget? Et cur ipſe dicat, quòd vocatur legio?*

DOMINVS nomen Dæmonis interrogat: *Quod tibi nomen eſt?* non quia ignoret, ſed ex magno myſterio, ac ex profundiſſima ratione. Primò, vt ex propria Dæmonis confeſſione, eius malignitas cunctis fieret manifeſta; quòd multi conuenerant ad vnum hominem vexandum. Secundò. Vt omnibus fieret euidens eximia Chriſti virtus, atque poteſtas, quæ ſua voce, non vnum Dæmonem, ſed magnam eorum turbam indilatè profligabat. Tertiò vt omnes agnoſcerent magnitudinem, ac excellentiam miraculi. 44.

*Eximia Chriſti virtus.*

Quartò. Vt reluceat integritas diuini iudicij. *Interrogat, non ignorat*, ait D. Petrus Chryſologus ſerm. 17. *ſed implet iudicium, ſeruat ordinem cognitoris; nomen interrogat, vt de conditione diſcutiat.* 45. Chryſolog.



*diſcutiat.* Ad quid omnium agnitor à patre mendacij interrogat? Agebat Dominus iudicis vices, & tanquam reus ſtabat Diabolus; ideo interrogat, *& implet iudicem, ac vt de conditione diſcutiat.* Iudex enim, quanuis aliàs videatur crimen ſcire; tamen interroget, & inueſtigando diſcutiat. Licèt enim aliàs iudex optimè crimen agnoſcat, & deprehendat; tamen nomen, ac officium iudicis non implet, qui reum ad ſe non aduocat, nec interrogat, & alta, longáque inueſtigatione illius ſcelera capit, & apprehendit, antequam ad pœnam infligendam procedat.

*Iudex ſemper procedat interrogando, & crimen diſcutiendo.*

46. Quæro deinde: Ad quid ipſe Dæmon reſpondet, quòd legio eſt illi nomen? Ratio redditur in textu, *Quia multi ſumus*; ac proinde nomine illo voluit ſignificare multitudinem. Præterea rectè reſpondet Abulenſis *quæſt.* 111. quòd ſicut ſancti Dei Angeli dicuntur ſub nomine militiæ legiones. *Poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum*, Matth. 26. num. 53. Et nato Chriſto dicitur: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis*, Lucæ 2. num. 13. Et etiam vocantur *caſtra Dei*, Geneſ. 32. num. 2. Ita Dæmones volunt nomen legionis vſurpare, & ſub illo dici, ac nominari, vt ait D. Gregorius Nyſſenus, *Imitantes quidem Dæmones ſupernas militias, & legiones angelicas, dicunt ſe legionem.*

Abulenſ. Matth. 26. Luc. 2. Geneſ. 32. *Dæmon ob ambitionem, alta videtur imitari, & nomina vſurpare.* Nyſſen.

47. Abulenſ. Dæmones ergo, ait Abulenſis, volunt inter ſe imitari ordines Angelorum; vt ſicut illi ordinati ſunt ad bonum faciendum, ita Dæmones ordinati ſunt ad inferendum malum. Vnde ſicut Angeli ſancti diſtincti ſunt per principatus, poteſtates, virtutes, qui ſunt ordines ipſorum; ita Dæmones hæc nomina æmulantur, & illis nominantur 1. Corinth. 15. num. 24. *Cùm tradiderit regnum Deo, & Patri; cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare.* vbi ſermo eſt de euacuatione Dæmonum. Vnde alij legunt, *Cùm aboleuerit*; in die iudicij, vt explicant Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Caſſianus, & alij, ſiquidem Dæmones ad imitationem, ac æmulationem ſupernorum Angelorum principatus, virtutes, ac poteſtates dicuntur.

1. Cor. 15. Chryſoſt. Theodor. Theoph. Caſſian.

## QVÆSTIO IX.

### *Quare tota vna Dæmonum legio obſeſſum hominem non ſuffocet, ac interimat?*

48. VALDE mirum, quòd tota vna Dæmonum legio per multa tempora, vt explicat D. Lucas, poſſeſſum hominem tenens, qui ſe lapidibus concidebat, ac ſine veſtimento nudus incedebat, itaut eum nemo domare poſſet; tamen ipſa Dæmonum multitudo eum non ſuffocat, ac in fruſta cædit, vt ipſe dilaceratus omnino intereat, ſiquidem ipſi hominem relinquentes, ibi primum intrant in gregem porcorum, ſtatim ſubdit Euangeliſta. *Impetu abijt grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* Huius rei cauſam eleganter explicat D. Gregorius Nazianzenus carmine de Ira, in fine.

*Ratio difficultatis.* Nazianz.

*O Iræ feruor, Dæmonis domus horridi,*
*Horrenda legio, multiplex labes mali.*
*Te Chriſtus fugere confeſtim hinc iubet,*
*Porcorum in aluum te tuorum coniice.*
*Capiet ruentem grex libens hic in mare:*
*At parce nobis, qui Deo curæ ſumus.*

In porcos intrat Diabolus, data licentia, eos perdendi, ac interimendi, Non ſic verò in hominem. Nam quanuis homo flagelletur à Deo, obque peccata ipſius permittatur crudeliſſimis tyrannis, vt in eum ſæuiant, atque armentur; ſemper tamen homo ſub diuina manet protectione cuſtoditus; & nunquam Deus ita hominis ſui obliuiſcitur, vt eum deſerat, tradatque impiiſſimis aduerſariis ad illum omnino expugnandum, ac perimendum; ſed ſemper de nobis curam agit. *At parce nobis, qui Deo curæ ſumus.*

*Deus in ſupplicio de homine recordatur.*

Imò inter ipſa flagella, & quando homo magis videtur derelictus, tunc de eo recordatur in ipſis ſuppliciis cuſtodito, vt perbellè de iſto dæmoniaco notauit D. Baſilius Seleucus Orat. 23. *Non in præcipitia proiecerunt, non membratim diuiſerunt, non illato ferrõ diſcerpſerunt hominem verum, occultiore virtute ſtetit, reſtititque contra excitatas à Dæmonibus procellas, in ipſis etiam ſuppliciis cuſtoditus.* Vide magnam Dei miſericordiam. Permittebatur homo, magno ſupplicio à Dæmone vexari; tamen in ipſamet vexatione à Deo cuſtodiebatur, & diuina ſua virtute Dæmoni reſiſtebat, ne hominem perimeret, quem ad tempus miſericordiæ reſeruabat, quæ ei ſubuenit, quando Dæmonis malignitas maximè ſæuiebat. 49.

Baſil. *Homo in ipſis ſuppliciis eſt à Deo cuſtoditus.*

Secundò. Expende magnum Nazianzeni acumen: *O Iræ feruor, Dæmonis domus horridi.* In homine conſiſtebat tota Dæmonum legio per multum tempus, vt explicat D. Lucas. Et tamen ab ipſis homo non perimitur. At vbi primum in porcos ingrediuntur, ſtatim totus grex abiit in præcipitium. Hominem obſidebant Dæmones ſua malitia, ac malignitate; in porcos autem intrant ira, ac furore ſæuientes ex eo, quòd ab homine eſſent expulſi. Et plus damni, ac nocumenti præſtitit iræ, ac furoris rabies, quàm malitia, ac malignitas Dæmonis hominem vexans, atque torquens. 50.

*Rabies furoris plus damni præſtat, quàm Dæmonis malitia.*

Tertiò D. Petrus Chryſologus ſerm. 17. *Euidens eſt*, ait, *deſidia militis, ſi deſerat aciem, ſi greſſum retrahat, ſi confligere pertimeſcat, vbi vnum numeroſo hoſte fortiorem peruidet eſſe captiuum. Ad præſentiam regis, iſti quid ſunt, qui, vt vnum, & nec dum tyronem, caperent, toto cohortis ſuæ agmine conuenerunt? Vbi eſſent, ſi vexillum ibi iam Crucis, Chriſti ſigna vidiſſent? Age Chriſtiane, incede ſecurus, manus tanta, & tam multa, quæ ſic metuit inermen, procul fugiet, ſi videat, ſi ſentiat, ſi cognoſcat armatum.* Tota Dæmonum legio in hominem armatur, multorum tormentorum telis eum impetit; eum tamen minimè proſternere valet. Regis præſentia imbellem hominem cuſtodiebat; quanto magis fugerent aduerſarij, ſi Crucis Chriſti vidiſſent vexillum? Si enim tanta Dæmonum multitudo ab inermi homine fugit, quanto magis recederet, ſi Crucis ſigno agnoſceret corroboratum: qui enim tanto ſunt muniti vexillo, nullas timeant aduerſarias poteſtates. 51. Chryſolog.

*Regis præſentia milites cuſtodit. Cruce Chriſti maximè ſumus muniti.*

Proceſſit

52. 1. Reg. 17. Proceſſit Dauid ad præliandum contra Goliath, aſportans baculum in manu ſua. *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & proceſſit aduerſus Philiſthæum*, 1. Reg. 17. num. 40. Dauid ad bellum tendebat, ſecum cogitans, funda, & lapidè proſternere hoſtem; ad quid baculum aſportat? non enim ei poterat eſſe iuuamen, ſed potiùs impedimentum? Baculus ille typus Crucis erat, vt tradunt Auguſtinus, Gloſſa Moralis, & alij; & bene apud ſe ſtatuit, nullo validiore munimine poſſe armari, quàm ſi ſecum Crucis geſtaſſet figuram. Et notandum, quod dicitur; *Quem ſemper habebat in manibus*, quaſi vtraque manus tam fundæ, quàm lapidis illo typo Crucis armaretur, vt ipſeſibi eſſet ſecurus, & totus hoſtibus formidabilis. Vnde ait D. Auguſtinus ſerm. 19. de ſanctis. *Hoc ſignum præſidium eſt amicis, obſtaculum inimicis.* Vnde pulchrè notat idem S. Doctor ſerm. 198. de tempore. *Videte fratres, vbi Dauid Goliath percuſſit, in fronte vtique, vbi Crucis ſignaculum non habebat. Sicut enim baculus Crucis typum habuit; ita lapis ille, de quo percuſſus eſt, Chriſtum figurabat.* Si enim typum Crucis haberet in fronte, ſecurus eſſet, & minimè percuſſus interiiſſet.

(August. Gloſſa Mor. — *Typus Crucis munimen noſtrum.* August. — Idem.)

*Matth.* 8. *n.* 30. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum paſcens.

*Ibid. num.* 31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

*VERSIONES.*

*Syriacus n.* 30. Erat autem non procul ab eis grex.

*Idem num.* 31. Ipſi verò Dæmones petebant ab eo, dicentes: Si eiicis nos, permitte nobis, abire in gregem porcorum.

*Vatablus.* Permitte nobis, vt demigremus in gregem porcorum.

*Textus Græcus.* Abire in illum gregem.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 5. *n.* 10. Et deprecabantur eum multum, ne expelleret extra regionem.

*Ibid. num.* 11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus paſcens.

*Ibid. num.* 12. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.

*Lucæ* 8. *n.* 31. Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.

*Ibid. num.* 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte, & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi.

## *EXPOSITIO.*

NOTAT Euangeliſta, quòd erat ibi, & non procul ab illis, ſcilicet hominibus dæmoniacis, grex multorum porcorum. Et benè non longè ab illis, vt ait D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* nam porci, ac immundi circunſtant Diabolum, & non longè diſtant ab illo. Marcus ſcribit, quòd iſte grex erat circa montem; Lucas verò ait, quòd erat grex paſcentium in monte: ſed nulla in hoc diſſonantia, vt notat D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 24. Nam cùm ille grex tam amplus eſſet ad duo millia porcorum, vt notat D. Marcus, pars illorum in monte, pars verò circa montem paſcebant. 53.

(Paſchaſ. *Immundi circa Diabolum.* Auguſt.)

*Dæmones autem rogabant eum.* Potentiam Domini metuentes Dæmones tria deprecabantur. Primum, ne eos in abyſſum mitteret, vt narrat Lucas, Abyſſus, teſte D. Auguſtino *lib.* 22. *cõtra Fauſtum c.* 22. in Pſalm. 41. *Abyſſus abyſſum inuocat.* D. Ambroſius *lib.* 1. *in Hexaëmeron cap.* 8. Significat inæſtimabilem, ac impenetrabilem aquarum profunditatem: per metaphoram verò denotat infernum, vt ſumitur hîc à D. Luca. *Roman.* 10. *num.* 2. *Apocal.* 20. *num.* 7. Secundum. Rogabant eum, vt notat D. Marcus, ne extra regionem expelleret. Ex quo patet, vt notant Caietanus, & Toletus *annot.* 71. affectus Dæmonum ad certas regiones: ibi enim libentiùs volunt manere, vbi maiora ſunt peccata, vel magna propenſio ad illa, vt ita poſſint ſpiritualiter, & temporaliter hominibus maximè nocere. Vel rogabant ne mitterentur extra regionem, ſcilicet in deſerta loca, in quibus multum hominibus nocumentum inferre non valent. Et hac de cauſa Raphaël Angelus alligauit Dæmonem in deſerto ſuperioris Ægypti, *Tob* 8. *num.* 3. Tertium. Obſecrabant, vt in porcos mitterentur, cuius petitionis cauſam *quæſt. ſequenti* enodabo. 54.

(Lucas. Auguſt. Pſalm. 41. Ambroſ. Caiet. Tolet.)

---

## QVÆSTIO X.

### *Quare Dæmones petant ingreſſum in porcos?*

PRIMÒ, & maximè germane reſpondent Chryſoſtomus *homil.* 29. *in Matth.* Euthymius, Theophylactus, Abulenſis *quæſt.* 26. Verba Euthymij, & valde plena appono. *Dæmones quandoquidem iam hominibus nocere non poſſunt, ad irrationabilia, quæ illi poſſident, conuertuntur, vt oſtendatur furor, quem aduerſus nos gerunt. Nec ſolum hoc, verùm etiam aliud admodum malum machinantur. Student enim porcos occidere, vt horum damno contriſtati domini gregis Ieſum non ſuſcipiant; & ita Euangelij prædicatione non ſuſcepta maximo afficerentur damno. Etenim neque eiecti ceſſant nocere.* Dæmoniacum ingenium ſemper hominis damno ſtudet. In porcos appetit intrare, cùm hominibus nocere non poſſint, in eorum bonis volunt præſtare damnum. Et aliud grauius, ac ſpirituale nocumentum machinati ſunt: vt regionis incolæ, porcorum iactura exaſperati, Chriſtum, ac ipſius prædicationem non ſuſciperent: id ex parte eueniſſe probat coniectura textus: *Et rogabant eum, vt tranſiret à finibus ſuis*, infrà num. 34. 55.

(Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Abulenſ. — *Diabolus, ſi homini nocere non poteſt, nocet rebus eius.*)

56. Chryſol. Secundò D. Petrus Chryſologus ſermone 16. *De monumentis mitti ſe precatur*, ait, *in porcos nequitia: quia fœtores amittere neſcit; ſed mutare. Mitte nos in gregem porcorum. Cœnum petunt ruentes cœlo; poſt æthereas habitationes ambiunt volutabra porcorum.* Idem habet D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* Albertus Magnus. Poſtquam Diabolus à ſua felicitate cecidit, neſcit, niſi in putridis ſordibus volutari, ipſiſque delectatur. Nam, vt ait idem Chryſologus ſermone 17. *Qui vtique ſemper fœtore criminum, & ſqualore paſcitur vitiorum.* Ac proinde quanuis præuaricatrix Dæmonum natura fœtidum ſepulchri poſſit mutare ſqualorem, illum tamen non valet amittere; ſed in obſcœnam porcorum immunditiam tranſit, cùm ſemper turpi ſit inquinamento illaqueatus, atque irretitus.

(Paſchaſ. Alb. Magnus. — *Diabolus à ſqualore, & fœtore exire non poteſt.*)

57. Hilar. Maldonat. Tertiò D. Hilarius *cap.* 8. *in Matth.* videtur innuere, vt vult Maldonatus, Sadducæorum cauſa id factum eſſe, qui ſpiritus eſſe negabant, vt damno ſuo, ac re ipſa cognoſcerent, ſpiritus eſſe: ita enim aliquando conueniens eſt, vt peccatores detrimento ſuo puniantur, vt à peccatis deſiſtant. Quartò Rupertus hîc exiſtimat, ciues illos fuiſſe Iudæos, qui contra legem porcis vtebantur: porcorum igitur iactura puniuntur, vt ita ab eis peccandi abigatur occaſio: ſæpe ita fit, vt id, quod videtur iactura, ſit Dei beneficium, vt peccandi motiuum excludatur.

(*Peccatores detrimento ſuo doceantur.* Rupert. *Quod iactura videtur, eſt ſæpe beneficium.*)

58. Quintò. Valde notandum eſt, quòd non petunt Dæmones ingredi in alios homines, ſed in porcos. Quod ponderans Sedulius *lib.* 3. *Paſchali.* ſic canit:

Sedul.

*Tunc Domini præcepta tremens exire iubentis.*
*Spiritus infœlix hominum non audet adire*
*Effigiem, fugiens, quam Chriſtum cernit habere.*

*Diabolus fugit ab imagine Chriſti.* Maximè Diabolus tremit, & expaueſcit ad vmbram, ac ſimilitudinem Chriſti. Cùm ergo in homine huiuſmodi effigies reluceat, iam ad ipſum Diabolus propè accedere non audet; ſed ab eo fugit, & ad immunda, turpiaque animalia declinat.

59. Arnold. Sextò Arnoldus Carnotenſis *de opere ſex dierum*, ſic ait: *Qui dixerat: Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo: iam neque in gregem porcorum audet intrare, niſi permiſſus.* O quantum mentis, & intellectus pœna dat, atque vexatio! Diabolus olim, cùm eſſet in felicitate paradiſi, ad montem Dei aſcendere voluit, ſedereque in lateribus Aquilonis: iam verò nec in porcos, niſi obtenta facultate, audet intrare. Quis eum ſic cautum reddidit, ac circunſpectum? Ex illa prima audacia ſua Diabolus cecidit in ſummam miſeriam, æternam damnationem, omniumque cruciatuum abyſſum; & inde cautus euaſit, vt nec audeat in immunda animalia, niſi licentiatus, ac ſibi permiſſione facta ponere locum. Vide ſuprà *num.* 24.

(*Ex vna audacia homo fit cautus ad aliam.*)

Septimò Toletus *annot.* 72. ex eo colligit rationem, quia porci erant animalia immunda duplici immunditia. Vna quidem, quoniam in ſacrificium Deo offerri prohibiti erant; altera verò, quia lege vetitum extabat, veſci carnibus porcinis; quæ immunditìes omnibus immundis non erat communis, multa enim erant, quæ ſacrificari non licebat; lege tamen cautum non erat, eorum carnibus non veſci: at porci vtramque immunditiem habebant. Cùm ergo illa animalia eſſent inuiſa, ac Dei lege reiecta, facilè Dæmones ſperabant obtinere, quod poſcebant, vt ſcilicet ad domicilium, & interitum illa eis animalia concederentur. 60.

(Tolet. *Reiectum multis ſubiacet malis.*)

Octauò. Rationem, ob quam Dæmones petunt intrare in porcos, videtur Euangeliſta denotare, ait enim: *Non longè erat ab illis grex multorum porcorum.* Ergo cùm illa immunda animalia dæmoniacis eſſent propinqua (immunditia ſemper Diabolum circunſtat) ex eorum vicinitate in malum tantum inciderunt, vt Dæmonum fierent habitaculum, atque ita in interitum ruerent, ac præcipitium. Nec enim ſolum locum, in quo exoritur, flamma deuaſtat, ſed & quàm ſæpe omnia propinqua conſumit. 61.

(*Mala vicinitas nocumenti cauſa.*)

Super Sodomam, infameſque ciuitates illas pluit Dominus ſulphur, & ignem. Et ſubdit textus: *Subuertit ciuitates has, & omnem circa Iordanem*, Geneſ. 19. num. 25. Nónne ſat erat, quòd ciuitates punirentur? Ad quid vltra regiones circuniacentes multantur ſupplicio? Ex mala illarum ciuitatum vicinitate ſubiiciuntur ſupplicio, quod euadere non valuerunt, nullum aliud habentes crimen, niſi quòd eſſent propinquæ peccatricibus ciuitatibus. Saluianus lib. 1. de gubernatione. *Dum iudicio malos perdidit Dominus, vicinas eius vrbes cœleſti flamma conſumpſit.* Vicinitas mali origo extitit circumiacenti regioni. 62.

(Geneſ. 19. *Ob malam vicinitatem damnum.* Saluian.)

*Matth.* 8. *n.* 32. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Dixit eis: Abite. Et ſtatim exeuntes ingreſſi ſunt in porcos, & totus ille grex recte contendit in rupem, & corruerunt in mare, & mortui ſunt.

*Vatablus.* Et ecce ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare, & perierunt in aquis.

*Euthymius.* Illi verò egreſſi demigrauerunt in gregem porcorum,

*Arias.* Et ecce irruit totus grex.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 5.*n.* 13. Et conceſſit eis ſtatim Ieſus. Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mare.

*Luc.* 8.*num.* 32. Et permiſit illis.

*Ibid. num.* 33. Exierunt ergo Dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos; & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

## *EXPOSITIO.*

63. *Senſus litteralis.*

CONCESSIT Dominus, vt in porcos intrarent Dæmonia, non annuens votis eorum, ſed vt diuina virtus Chriſti manifeſtaretur, ſiquidem ex eius imperio Dæmones ab homine exibant, & in porcos ingrediebantur. *At illi exeuntes abierunt in porcos.* Accepta facultate exierunt ab hominibus, & indilatè in porcos ingrediuntur. *Et ecce impetu,* hoc eſt, magna, & incredibili vehementia, *abiit totus grex per præceps in mare.* Totus grex vt dixi ſuprà, partim erat in monte, partim circa montem. At vbi Diaboli ingreſſi ſunt in porcos, ſtatim illa animalia conuolarunt ad montem, & ibi è rupe, vt expreſſit Syriacus, montis, imminentis, ac per præceps, & loca prærupta totus grex, qui, vt notat Marcus, ad duo millia erat, in mare irruit. *In mare,* ſcilicet Geneſareth, de quo facta eſt mentio, & prope quod miraculum acciderat. *Et mortui ſunt*, non enim inuaſerunt Dæmones porcos, vt in eis manerent, ſed vt in ſtagno ſuffocarent, ac ſubmergerent.

---

## QVÆSTIO XI.

### *Quare Dæmones non permittantur ingredi in porcos, niſi priùs petita licentia? Et cuiuſnam eſſent porci illi?*

64. DVBITANT Doctores, cuiuſnam eſſent porci illi, quorum ingreſſum expoſtulant Dæmones? Carthuſianus, cum quo conſentit Caietanus, & probabile iudicat Abulenſis *capite octauo in Matth. quæſtione* 133. exiſtimat, fuiſſe Ethnicorum. E contra verò Ianſenius, & probabilius iudicat Abulenſis *citatus*; in qua ſententia videtur eſſe Rupertus *allegandus*, tenent, gregem fuiſſe Iudæorum; & Iudæos paſcere porcos potuiſſe, non vt eis veſcerentur, ſed vt Ethnicis venderent. In hoc dubio nil firmum dici poteſt, cùm nulla efficax hac in re ſit coniectura; & facilè quis ſuſtinebit, quòd ille grex tam magnus; ad duo millia porcorum, vt explanat Diuus Marcus, & qui multos habebat paſtores, vt notant Euangeliſtæ, partim pertinebat ad Iudæos, partim ad Ethnicos; nam illa regio trans Iordanem ab vtriſque habitabatur, vt tradunt Ioſephus *de bello.* Abulenſis *capite octauo Matthæi, quæſtione* 63.

Carthuſ. Caietan. Abulenſ. Ianſenius. Abulenſ. Rupert. Ioſeph. Abulenſ.

65. Ad principalem quæſtionis partem veniamus, quare ſcilicet Dæmones non permittuntur ingredi in porcos, quin priùs ipſi publicè, & alta voce à Chriſto licentiam expoſtulent, illamque obtineant? Reſpondeo primò, quòd hoc ordinatum eſt Dei conſilio, vt ipſamet Dæmonis confeſſione cunctis fieret manifeſta iniqua, atque maligna Dæmonis voluntas tentandi, ac nocendi hominibus Et ſimul declararetur eximia Chriſti poteſtas. Malignitas Dæmonis patebat, quia ſi expellebatur ab hominibus, ingreſſum in porcos volebat; vt ſi homini in ſe ipſo nocere non poterat, illi ſaltem in rebus ipſius damnum daret, ac detrimentum. Hac etiam dæmonis poſtulatione Chriſti potentia fiebant maximè nota, ſiquidem nec immunda animalia, vt notant Diuus Chryſoſtomus, Euthymius, Paſchaſius, Bonauentura, & alij, Diabolus poterat introire, niſi ex data licentia, ac permiſſione à Chriſto. Quod erat efficaciſſimum eius potentiæ argumentum; nam, cùm Diabolus ſuperbiſſimus ſit, ac nimis arrogans, dum ſe humiliat licentiam poſcens, vehementiſſimè omnibus ſupremum Chriſti dominium, euidens, ac notum faciebat.

*Dæmonis malignitas.*

*Humiliatio à ſuperbo efficax argumentum.*

66. Secundò D. Ambroſius *hoc loco lib.* 6. *in Lucam*, ſic ait: *Primum clementiam Domini debemus aduertere, quòd nullum prius ipſe condemnat. ſed vnuſquiſque ſibi auctor eſt pœnæ. Non mittuntur in porcos, Dæmones, ſed ipſi petunt.* Mandauit Dominus, vt Dæmones exirent ab hominibus. Cur etiam eis non imperat, vt in porcos ingrediantur? nam diuina poteſtas æquè facilè vtrumque præſtare poterat? Cur ergo Dominus expectat, vt Dæmones hoc poſtulent, & obſecrent: *Mitte nos in porcos*? Dæmones Chriſtum rogarunt, ne eos in abyſſum mitteret; & tamen vbi primum ingreſſi ſunt in immunda animalia, ſtatim per præceps in aquarum abyſſum ſe dederunt. Non ergo eis mandat Dominus intrare in porcos, ſed ipſi hoc expoſcunt, Tanta eſt Domini benignitas, & nulli creaturæ ex ſe mala, deiectioneſque paret, ſed vnaquæque creatura cauſa ſibi eſt, auctorque mali, atque illud ſibi ambit, & procurat. *Vide Domini clementiam, nullum prius ipſe condemnat, ſed vnuſquiſque ſibi auctor eſt pœnæ.*

Ambroſ.

*Creatura eſt auctor pœnæ ſuæ, atque damni.*

67. Tertiò Tertullianus lib. de fuga, capite 2. *Nec in porcorum*, ait, *gregem Diaboli legio habuit poteſtatem, niſi eam de Deo impetraſſet: tantum abeſt, vt in oues habeat. Poſſum dicere, porcorum quoque ſetas tunc numeratas apud Deum fuiſſe, nedum capillos Sanctorum?* Poterat Dominus indilatè imperio ſuo expellere Dæmones ab hominibus illis; tamen dat his obſecrationibus locum, vt ex propria Dæmonis confeſſione imbecillitas illius fieret cunctis aperta. Si enim ille, niſi Deo permittente, & concedente, in illa animalia immunda nihil audere poterat; quanto magis in Chriſti oues nihil poterit? nunquid apud Deum magis ſunt porcorum numeratæ ſetæ, quàm Sanctorum capilli? minimè.



*Quanta ſit Dæmonis cõtra homines imbecillitas.*

68. Imò potiùs vt videatur, quantum ouibus, ac Sanctis Chriſti ſubiiciantur Dæmones, aliquando ab ipſis perſequendi aliquos accipiunt facultatem, vt conſtat ex Paulo, qui Hymenæum, & Alexandrum tradidit Satanæ, 1. *Timoth.* 1. *numero* 20. Ac ſi Diabolus totam ſuam immanem in eos crudelitatem exercere non valeret, niſi habita priùs ab Apoſtolo facultate. Vnde *citato cap.* concludit Tertullianus. *Vides iam, & à ſeruis Dei faciliùs Diabolum accipere poteſtatem: tantum abeſt, vt eam ex proprietate poſſideat.*

Tertull.

---

## QVÆSTIO XII.

### *Quare Dominus conceſſit Dæmonibus, in porcos introire?*

69. Hieron. VARIÆ rationes huius rei aſſignantur à Patribus. Primò D. Hieronymus *hoc loco Matthæi*, ſic ait. *Non quod conceſſerit Saluator Dæmonibus, quod petebant, ſed vt per interfectionem porcorum hominibus ſalutis occaſio præberetur. Paſtores, illa cernentes, ſtatim nuntiant ciuitati.* Permittit Dominus, vt tot porcorum interfectione longè, latéque miraculum diuulgaretur, fieretque maximè compertum ad hominum ſalutem, qui ſimul, Chriſti Domini potentiam agnoſcentes, benignitatem, ac ſeueritatem eius etiam viderent: benignitatem erga homines à Dæmonibus liberatos; ſeueritatem erga immunda animalia in mare præcipitata: & ita intuentes ſimul miſericordiam eius, & iudicium, Chriſtum Dominum maximè colerent, ac venerarentur.

*Dominus oſtendit benignitatem, & ſeueritatem.*

70. Chryſoſt. Secundò Diuus Chryſoſtomus *homil.* 29. multas dat rationes, vt omnes perſpectam haberent ſæuam Dæmonum crudelitatem. Tertiò. Ipſe, & Theophylactus. Concedit Chriſtus Dæmonibus intrare in porcos, demonſtrans, qua amaritudine, & odio in homines ferantur; & ſi eis daretur poteſtas, ac diuina virtute non prohiberentur, peius nos, quàm porcos affligerent. Et idem tradit D. Thomas. Quartò idem Chryſoſtomus. Vt omnibus fiat euidens, quòd Dæmon, niſi Deus permittat, neminem lædere poteſt, vt explicaui latiùs ſuperiori quæſt. Quintò ipſe Chryſoſtomus. Vt appareat manifeſtum, ſingularem eſſe Dei prouidentiam erga ſingula, niſi enim hoc fuiſſet, illi homines obſeſſi, iam eſſent à Dæmonibus ſuffocati, vt iam ſuprà dixi ex D. Baſilio.

Theoph. D. Thom. Chryſoſt.

*Deus erga creaturas habet ſingularem prouidentiam.*

71. Euthym. Sextò Euthymius. Vt mors porcorum, Dæmones ab hominibus exiſſe, confirmaret, ac demonſtraret. Septimò D. Auguſtinus *tractat.* 6. *in Ioann.* hanc moralem rationem præbet. *Certa,* inquit, *myſterij gratia, & certa diſpenſatione dimiſit Dæmones in porcos, vt oſtenderet, Diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.* Octauò Diuus Baſilius Seleucus *orat.* 23. ſic ait: *Cur igitur, ô Domine, Dæmonibus poteſtatem facis? Cur eorum nequitiæ gnarus, verbis perſuaderi ſciuiſti; Vt diſcamus nos homines, porcis Dæmones eſſe infirmiores, cùm Deus obſtat.* Vt Dæmonis infirmitas videatur, concedit, ſiquidem ipſe in vilem etiam, atque abiectam creaturam nihil valet, cùm ſub manu Dei cuncta ſint poſita. Nonò. Aliam rationem reddit ipſe S. Pater. Vt videamus, quam neceſſarium ſit nobis Dei auxilium, atque protectio; ſi enim ipſe non cuſtodiat, aut nos in inimici manibus ſinat, cuncti in interitum ibimus. Decimò. In laudem petitionis, ac orationis, quandam rationem valde moralem ſuprà inculcaui *quæſt.* 1. *num.* 6.

Auguſt. *Diabolus in immundos dominatur.*

Baſil. Seleuc.

*Diabolus valde infirmus.*

*Dei protectio maximè neceſſaria.*

Vndecimò D. Bonauentura. Concedit, vt ſe oſtendat omnium rerum Dominum, qui poteſt prohibere, & concedere ingreſſum in porcos, aut rem quamcumque aliam. *Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues,* Pſalm. 49. num. 10. Duodecimò idem D. Bonauentura. Oſtendit Dominus in hoc, quòd magis diligit ſalutem vnius hominis, quàm millia brutorum animalium: ac proinde cùm Dæmones exiſſent ab homine, veluti videbatur, quòd in contemptu haberet cætera temporalia. *Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas,* Sapient. 11. num. 27. 72.

Bonauent. Pſal. 49.

*Deus maximè æſtimat hominis ſalutem.*

Sapient. 11.

Decimotertiò. Hoc permiſit Dominus in pœnam Gereſanorum, vt innuit Albertus Magnus. Qui, cùm eſſent Iſraëlitæ, porcos alebant, ad eos contra Dei legem comedendos; vel aliis parabant occaſionem veſcendi eos contra Dei mandatum. Et meritò tales Domini puniuntur pereuntibus eorum gregibus, atque conſumptis. Ait Oſeas cap. 13. numero 1. *Loquente Ephraim, horror inuaſit Iſraël, & deliquit in Baal, & mortuus eſt.* Quando Ieroboam erexit vitulos aureos, tunc verba habuit, quibus omnes ad eos adorandos prouocabat. Ex quo terrore ductus Iſraël, in vitulorum adoratione deliquit. Sed quid ex hac negotiatione peccatorum Iſraël ſibi comparauit Ephraim, niſi mortem, & interitum, vt *ibi* ponderat Diuus Hieronymus. *Et mortuus eſt,* ait S. Doctor, *morietur cum populo, quem ſeduxit.* Qui aliis peccandi occaſiones parat, nil aliud ſibi, niſi mortem, ac præcipitium comparat. 73.

Alb. Magnus *Qui dat occaſiones peccati maximè puniendus.*

Oſeæ 13.

Hieron.

---

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare vbi primùm Dæmones ingreſſi ſunt in porcos, ipſi ſtatim ſubmergan‹t›ur in mare?*

IN limine huius quæſtionis inquirendum eſt, an Dominus permiſerit ingreſſum Dæmonum in porcos, ea intentione, vt ipſi ſubmergerentur? Negat Toletus *in cap.* 8. *annotat.* 74. 74.

*Quanã fuerit in hoc caſu Domini intentio.*

Tolet.

Ait enim, quòd Dominus id conceſſit ex intentione oſtenſionis miraculi; malitia autem Dæmonis illa ſubmerſio facta eſt, vt ex odio, & mala voluntate ſua illud damnum inferrent hominibus. E contra verò, quod mihi eſt probabilius, id permiſſum fuiſſe ex intentione etiam, vt illa immunda animalia irruerent in mare, docent Albertus Magnus, Caietanus. Et in hac ſententia videntur eſſe, D. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus, D. Baſilius Seleucus, D. Bonauentura, & alij. Et hæc reſolutio duabus ſequentibus rationibus ſtabilitur.

Albert. Mag. Caietan. Chryſoſt. Auguſt. Baſil. Seleu. Bonauent.

75\. Albert. Mag. *Dæmon fugiendus.*

Ad quæſtionem reſpondet primò Albertus Magnus. Cùm omnis porcus naturaliter ſciat natare, non poterant iſti tam ſubitò ſubmergi, niſi à Dæmonibus præcipitati. Et in hoc inſtruxit, ac declarauit Dominus ferocitatem Dæmonum ad nocendum, vt magis ab hominibus abhorreantur, & fugiantur. *Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur*, Habac. 1. num. 7. Secundò Caietanus. Ideo in porcos Dæmones vexantes hominem miſit Dominus ad ſubmergendum ſtatim porcos, vt pertinacia negantium, Dæmones vexare hominem, attribuendo vexationem ægritudini corporali manifeſtè ex hoc facto conuicta confutaretur: ſi quidem vna ægritudo ita vniuerſum gregem vexare non poterat, vt ſubitò in mare omnia animantia ſubmergerentur. Tertiò. Hoc factum eſt, vt dixi ſuperiori quæſtione, in pœnam eorum, qui porcos alebant ad comedendum contra Dei legem. Alias rationes morales apponamus.

Habacuc. 1. Caietan. *Miraculi euidentia.*

76\. Hieron.

Quartò iterum veniat D. Hieronymus ſuprà datus hoc loco. *Non quòd conceſſerit Saluator*, ait, *Dæmonibus, quod petebant, dixit: Ite, ſed vt per interfectionem porcorum hominibus ſalutis occaſio præberetur.* Valde mirum, quòd Chriſtus non mandat, aſinam ad ſe adduci, niſi priùs habito verbo cum Domino ſuo, *Luc.* 19. *num.* 33. tamen permittit Dominus tam amplum porcorum gregem in mare ſubmergi, & ſuffocari, nullo facto verbo cum dominis illius. Cuius rei optimam rationem inſinuat *citatus* Hieronymus. Nam communi hominum ſaluti in tot animalium ſubmerſione attendebatur. *Vt per interfectionem porcorum hominibus ſalutis occaſio præberetur*; vt omnes ita Chriſti potentiam agnoſcerent, ac reuererentur. At in aſinæ adductione commoditati propriæ videbatur conſultum, vt in illa Dominus in ciuitatem aſportaretur. Vbi ergo proprij leuaminis ſpectabatur negotium, Chriſtus omni ſe exhibet vrbanitate lenis, expectatque domini beneplacitum. Vbi autem commune omnium commodum, ac ſalutis vtilitas eminebat, deſpoticè, ac magno imperio agit: tali enim, non pro ſuo peculiari, ſed pro communi omnium commodo princeps vtatur.

*Non pro ſuo commodo, ſed pro communi princeps agat cum magno imperio.*

77\. Chryſolog. *Potiùs eligenda mors, quàm Dæmonis iugum.*

Quintò D. Chryſologus *ſermone* 17. ſic ait. *Demergi in mari, & fluctibus perire grex maluit, quàm eius immunditiam pati, & putredinem tolerare.* Ingrediuntur Dæmones in illa animalia. Et quodam naturali impetu totus grex corruit in mare, eligens potius grex ille perire, & ſuffocari in aquis, quàm Dæmonum in ſe fœtorem, immunditiam, & turpitudinem ferre, ac ſuſtinere. Sed proh dolor! homines ratione præditi ſuis peccatis ſe tradi non dubitant, vt Dæmonum mancipia fiant.

78\. Euthym.

Sextò Euthymius. *Ingrediuntur autem*, ait, *Dæmones porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter conuerſantur, & in cœno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.* Sunt Dæmones in hominibus per multa tempora, vt de vno ex his dæmoniacis exprimit D. Lucas *cap.* 8. *num.* 27. & quamuis eos maximè vexent; eos tamen non interimunt: at vbi ingrediuntur porcos, ſtatim eos dant in præcipitium. In his animalibus adumbrantur delitioſi, ac turpiter luxuriantes, vitiis, ac voluptatibus dediti, & de horum conſortio Diabolus maximè vires acquirit ad perdendum, deſtruendumque eos, qui in ipſa vitiorum voragine inueniuntur. Vel, cum porci ſint maximè luxuriantes, in eis laſciui, ac voluptuoſi exprimuntur, qui ſemper iacturæ ſunt propinqui; & ita à Domino perditioni traduntur.

*Dæmon vires habet ex vitiorum conſortio.*

*Laſciui perditioni addicti.*

79\. Ambroſ.

Septimò D. Ambroſius lib. 1. in Hexaemeron. cap. 8. *Porci*, ait, *ſe in ſtagnum aquarum præcipitarunt, vt quod recuſabant Dæmonia, non euaderent, ſed digno præcipitio demergerentur.* Dum adhuc in hominibus obſeſſis eſſent Dæmonia, Dominum precabantur, ne eos in abyſſum mitteret: modò tamen ipſi ſe dant in aquarum abyſſum; in pœnam enim, quam fugere optabant, ſuæ malitiæ pondere irruunt, ac præcipitantur: atque in abyſſum, in quam detrudere homines volebant, iuſto Dei iudicio cadunt, & corruunt.

*Peccator in pœnam incidit, quam effugere cupit.*

80\.

Goliath ſuo gladio armabatur, 1. *Regum* 17. *num.* 10. ad ſe tuendum, & perſequendum populum Dei. Aliter factum eſt; nam ipſemet gladius in eum verſus eſt, & illo à Dauide eſt iugulatus, vt rectè ponderat D. Auguſtinus ſerm. 197. de tempore. *Quòd*, ait, *Dauid non habens gladium aſcendit ſuper Goliath, & ſuo eum proprio interfecit gladio? deſignatum, quòd in aduentu Chriſti ſuo gladio Diabolus victus eſt, qui per nequitiam ſuam, & iniuſtam perſecutionem, quam exercuit in Chriſtum, omnium in eum credentium perdidit principatum.*

*Peccator ſuo gladio interimitur.* Auguſt.

*Matth.* 8. *n.* 33. Paſtores autem fugerunt: & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & de his, qui Dæmonia habuerunt.

*Ibid. num.* 34. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Ieſu: & viſo eo, rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Illi autem, qui paſtores agebant, fugientes, ſeſe receperunt in vrbem, ac renuntiauerunt, quidquid acciderat, deque ipſis dæmoniacis.

*Vaiablus.* Porrò, qui paſcebant, aufugerunt, & profecti in ciuitatem.

*Euthy*



*Euthymius.* Digreſſi in ciuitatem.

*Syriacus. n.* 34. Exiuit itaque tota ciuitas in occurſum Ieſchua: quumque aſpexiſſet eum, petierunt ab eo, vt ex finibus eorum excederet.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 5. *n.* 14. Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem, & in agros, & egreſſi ſunt videre, quid eſſet factum.

*Ibid. num.* 15. Et veniunt ad Ieſum: & vident illum, qui à Dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt.

*Ibid. num.* 16. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui Dæmonium habuerat, & de porcis.

*Ibid. num.* 17. Et rogare cœperunt eum, vt diſcederet de finibus eorum.

*Lucæ* 8. *n.* 34. Quod vt viderunt factum, qui paſcebant, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem, & in villas.

*Ibid. num.* 35. Exierunt autem videre, quod factum eſt, & venerunt ad Ieſum, & inuenerunt hominem ſedentem, à quo Dæmonia exierant, veſtitum, ac ſana mente, ad pedes eius; & timuerunt.

*Ibid. num.* 36. Nuntiauerunt illis, & qui viderunt, & quomodo ſanus factus eſſet à legione.

*Ibid. num.* 37. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, vt diſcederet ab ipſis, quia magno timore tenebantur.



*EXPOSITIO.*

81\. *Prudentia, in alieno periculo, proprium timere.*

PASTORES, ſeu paſcentes gregem, cùm vidiſſent, vt exprimit D. Lucas, quod factum fuerat, *fugerunt*, partim territi ſpectaculo, ne ipſi etiam pariter à Dæmonibus perimantur: prudentia eſt, in alieno periculo proprium timere: partim etiam fugerunt, vt notant Toletus, Franciſcus Lucas, vt rem totam dominis porcorum nuntiarent, vt ita fieret euidens, quod ipſis non erat imputandum damnum, quod acciderat. *In ciuitatem nuntiauerunt omnia*, ſcribit Matthæus; Marcus verò ait, *In ciuitatem, & agros.* Lucas ſic refert: *In ciuitatem, & villas.* Per hæc omnia paſtores diuulgabant porcorum perditionem, & à Dæmoniis hominis liberationem per Chriſtum factam. Ita narrabant admiratione ducti, timore agitati; vel quia etiam tam ampli gregis multi erant domini, quidam in ciuitate, alij in villis, & agris. Et ita Chriſti miraculum longè latéque per omnium ora diuulgatum eſt.

Tolet. Franc. Luc.

82\. *Legitimus ſenſus.*

Matthæus ſcribit: *Ecce tota ciuitas*, Marcus, autem, & Lucas: *Et veniunt*, ſcilicet tam de ciuitate, quàm de agris, & villis. Et vt Marcus, & Lucas ſcribunt de vno dæmoniaco ex iſtis, inueniunt hominem ſedentem, ſæuitia depoſita, iam ſana, ac quieta mente, vt iam ad eum omnes poſſent accedere, abſque vlla offenſione cum eo tractare: & iam veſtes non dilacerabat, vt antea ſolebat. *Et erat ad pedes eius*, præ humilitate, ac reuerentia, & vt beneficio gratus ſuum liberatorem omnibus indicaret. Ait D. Matthæus, quòd tota ciuitas exiit obuiam Ieſu. Per hoc videtur Euangeliſta denotare, quòd Dominus iam ibat per viam, quæ ducebat in ciuitatem. *Rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.* Et rationem explicat D. Lucas, *Quia timore magno tenebantur*, ne ex eius præſentia aliud ſimile, aut grauius malum paterentur.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Geraſeni rogabant Dominum, vt diſcederet à finibus eorum?*

83\. Chryſoſt. *Ingrati deſerendi.*

CAVSAM huius petitionis, ac rogationis, D. Chryſoſtomus *homil.* 29. *in Matth.* tribuit ingratitudini. Vnde ſic ait: *Clementiam Chriſti conſidera; nam eum à regione ſua, qui hæc miracula viderunt, cùm ingrati abigerent, non repugnauit, ſed ceſſit.* Ex quibus patet, D. Chryſoſtomum Geraſenorum ingratitudini tribuere huiuſmodi preces. Tamen D. Lucas has obſecrationes expreſsè adſcribit timori, ait enim: *Rogauerunt illum, quia magno timore tenebantur.* Ex quo

84\. Hieron.

D. Hieronymus *cap.* 8. *Matth.* hoc loco ad humilitatem Geraſenorum hoc refert, & ſic ait: *Quòd rogant, vt tranſeat à finibus eorum, non de ſuperbia hoc faciunt, vt nonnulli arbitrantur, ſed de humilitate; quia ſe præſentia Domini indignos indicabant, ſicut Petrus in captura piſcium cadens ad genua Saluatoris ait: Exi à me Domine, quia vir peccator ſum.* In eadem ſententia ſunt D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* Albertus Magnus, D. Bonauentura, & alij. Deuotè priùs

Paſchaſ. Albert. Mag. Bonauent.

*Ob humilitatem ſe reputant indignos præſentia Christi.*

obuiam exierunt iſti;at reuerentia, & ſtupore diuinæ maieſtatis ſe indignos Domini præſentia iudicantes: nam ex collatione cum eorum vitioſitate,ac vilitate maximè homines illi periculum ſibi metuunt.

85. Euthym.

Mihi tamen maximè litteralis videtur ſententia Euthymij, qui ait: *Rogabant, vt diſcederet à finibus eorum, dolentes de perditione porcorum, ac etiam territi,vt ait Lucas, timebant enim, ne mali quidpiam eiecti Dæmones etiam in ipſis perpetrarent.* Idem docent Theophylactus, D.Thomas,Abulenſis *in cap.*8.*Matth.quæſt.*144.D. Lucas expreſsè ait, quòd *rogabant eum, vt diſcederet, quia timore magno tenebantur*: qui timor in eis ortus eſt ex porcorum perditione facta à Dæmonibus,per Christum expulſis. Timebant ergo iſti aliquam iacturam ſibi à Christo inferendam, ſi ibi permanſiſſet. Et cùm eum vi expellere non auderent, ad preces confugiunt, rogando, vt diſcedat.

Theoph. D.Thom. Abulenſ.

*Ob timorem temporalium nolunt Dominum recipere.*

86. Vnde horum hominum rogationes timori vitioſo reprehenſibili ſunt referendæ. Et ob hanc cauſam Dominus ab eis diſceſſit. Aliter factum eſt cum Petro,qui ex humilitate, reuerentia, ac propriæ vilitatis cognitione ſe Domini præſentia iudicabat indignum; Dominus enim ab eo non recedit,ſed magnum ei conceſſit præmium: *Ex hoc iam homines eris capiens*, Luc.5.num.8.Ex quo Geraſeni iſti maximè arguendi, tum quia temporalia ſpiritualibus prætulerunt; tum quia potius ſperare bonum, quàm malum timere debebant,vt rectè hîc ponderat Caietanus.*Salutem hominum liberatorum à Dæmoniis, & perditionem porcorum videntes, magis timuerunt augmentum damni rerum temporalium, quàm concupierint augmentum ſalutis ſpiritualis. Solus hominum admirationem ciuitati generauit: damnum porcorum timorem maioris damni in ea excitauit: & ſic timore acti rogauerunt, vt diſcederet ab eis.* Vide ſuprà *cap.*24.*num.*78.79.80.

Luc.5. *Maximè arguendi, qui ob temporalia relinquũt ſpiritualia.* Caietan.

## Qvæstio XV.

### *Quare Dominus à Geraſenis diſceſſerit?*

87. Euthym. Ambroſ.

Geraſenorvm precibus annuit Dominus,& ab illis diſceſſit, vt notant D. Marcus, & Lucas. Huius rei rationem inquirimus.Ad quod primò reſpondet Euthym. eorum indignitati hoc adſcribens ſic ait: *Paruit Chriſtus,quia digni non erant eius doctrina.* D. Ambroſ.hoc eorum infirmitati tribuit lib. 6.in Luc. *Infirma mens*,ait, *non capit Dei verbum, nec poteſt pondus ſuſtinere ſapientiæ,fatiſcit, & ſoluitur: & ideo moleſtus non fuit, ſed receſſit, & regreſſus eſt.* Sed vtraque hæc ratio non videtur multum efficax.Quia Christus Dominus in Iudæa, ac Galilæa apud multos manſit, qui indigni, ac infirmi erant; ſic multas parabolas prædicauit, quæ ipſi non intellexerunt,*Luc.*8.*n.*10.& 18.*n.*34. ſic & audita concione de ſua carne, & ſanguine in cibum, & potum dandis durum ſermonem dixerunt,*Ioan.*6.*n.*61.

88. *Germana intelligentia.* Ambroſ.

Germanam ſententiam mihi videtur tradi à D.Ambroſio *citato loco*, ad illa verba; *Qui paſcebant, fugerunt*; ſic ait S. Ambroſius. *Chriſtus curare non dignatur inuitos, & citò infirmos deſerit.* Non vult Dominus violentum,& coactum obſequium; ſed voluntarium, ac ſpontaneum. Ergo cùm illi homines aduerſo animo ſe exhiberent erga Christum,ipſumque ad ſe recipere nollent, atque admittere recuſarent, ab eis diſceſſit Dominus,qui omnibus erat ſuauis, aliquibus grauis eſſe noluit, atque moleſtus. Quod notat D. Bonauentura *in præſenti ad cap.* 8. *Luc.* Et ſic ait: *Nolebat Dominus aliquibus eſſe oneroſus. Vnde per* Matth. 10. num. 10.*dicit: Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris,*

*Chriſtus voluntarium obſequium quærit. Chriſtus nemini oneroſus eſſe voluit.* Bonauent. Matth. 10.

# CAP. XXVI.

## *Oblatus Paralyticus medetur Capharnaum.*

*Matth.*9.*n.*1. Et aſcendens in nauiculam transfretauit,& venit in ciuitatem ſuam.

### *Verſiones.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et conſcendit nauem, traiecitque,& venit. |
| *Theophylactus, Vatablus.* | Et ingreſſus nauem traiecit,ac venit. |
| *Pagninus.* | Et aſcendit nauim. |

### Alter Textvs.

*Marc.*2.*n.*1. Et iterum intrauit Capharnaum poſt dies.

## *Expoſitio.*

1. Rogaverunt Geraſeni, vt Dominus à finibus eorum diſcederet, vt ſuperiori cap. vidimus. Ipſe autem nolens eis reſiſtere, cùm indigni eſſent Christum apud ſe habere, conceſſit, & aſcendit in nauiculam, & venit Capharnaum, vt ait Albertus Magnus. Quanuis non rogatus, diligens tamen noſtram ſalutem, venit Capharnaum, vt ibi multa bona circa nos operaretur, quoſdam ſanando,alios vocando, eiſque peccata remittendo. Et quòd iſte ſit contextus, ac hiſtoriæ euangelicæ ſeries,rectè probant D. Auguſtin. *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 25. Abulenſis 9. *Matth.quæſt.*1.Ianſen.Salmeiron *tom.*6.*tract.* 14. Beaulxames, Barradas, & alij. Qui bene obſeruant, quòd Marcus, & Lucas hac in re ordinem temporis non ſunt ſecuti, quem tenuit D. Matthæus. Nam poſt hoc miraculum,ſtatim coniungit vocationem Matthæi: *Cùm tranſiret inde Ieſus*;& poſt conuiuium exorta eſt diſcipulorum Ioannis quæſtio: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus?* Et ſtatim ſubdit D. Matthæus: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit*; qui eſt Archiſynagogus.Quæ omnia ſuam habent connexionem in Matthæi textu.

Alb.Magnus *Chriſtus noſtræ ſalutis quærebat occaſiones.*

Auguſt. Abulenſ. Ianſenius. Salmeiron. Beaulxam. Barradas.

*Aſcendens*



2. *Expoſitio litteralis textus.*

*Aſcendens in nauiculam*, id eſt, ingreſſus in nauim, ſeu conſcenſa naui. Et quia lacus ille enauigandus paruus erat,non magnas patiebatur naues; ideoque dicitur, nauiculam aſcendiſſe. Et in Ioanne, vbi ſit mentio nauis, ſemper, vt aduertit Salmeyron, Græcè *nauicula* apponitur. Et notandum,quòd tam magnus, & potens Dominus, paruam, & humilem nauiculam ingreditur,quia lacus paruus, & humilis erat; non tam attendens ad ſuam poteſtatem, quàm loco, & tempori ſe accommodans, ac cedens. *Transfretauit*,hoc eſt,de ripa in ripam tranſiuit,ſeu tranſmigrauit. *Et venit in ciuitatem*, nempe Capharnaum,vt latiùs explicabo *quæſt.ſequenti*..

Salmeiron.

*Tempori, ac loco accommodandum.*

## Qvæstio I.

### *Quæ ſit iſta ciuitas? Et quare dicatur Ciuitas Chriſti?*

3. Sedulius.

Qvænam iſta ſit ciuitas, quæ ſua dicitur, maximè dubitatur. Sedulius Bethleem exiſtimat, in qua natus fuerat.D. Hieronymus verò hîc *in Commentario Matth.* Druthmarus, Abulenſis *quæſt.*2. Nazareth intelligunt, in qua educatus fuerat Dominus. D.Auguſtinus verò *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 25. Galilæam prouinciam interpretatur, nam in Galilæa erat ciuitas Nazareth. Meliùs tamen D. Chryſoſtomus *homil.*30. Euthymius, Theophylactus, Zacharias Epiſcopus. Albertus Magnus, D.Thomas, Hugo, & alij communiter Capharnaum accipiunt, in qua frequenter habitabat.vt notat D.Matthæus 4.num.13. *Relicta Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima.* Et hoc miraculum factum fuiſſe in Capharnaum, apertè patet ex D. Marco. Et ita Christus Dominus ſua præſentia, non vnam ciuitatem,ſed plures condecorauit, Bethleem natiuitate, Nazareth educatione, Ægyptum fuga, Cana Galilææ ſuo conuiuio, Ieruſalem paſſione, Capharnaum inſigniuit ſua habitatione, prædicatione, ac miraculorum operatione.

Hieron. Druthmar. Abulenſ. Auguſt.

Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Zach.Epiſc. Albert.Mag. S.Thom. Hugo. Matth.4.

*Chriſtus nobilitat omnes.*

4. Quantum ad ſecundum: Cur Capharnaum dicatur ciuitas ſua? iam patet ex dictis, quia eam elegit in ſui habitationem; vt apparet ex citato Matthæi loco, & docent citati Chryſoſtomus, Theophylactus, Euſebius Gallicanus *Domin.*19. Secundò Beda, Strabus, Hugo, Lyranus etiam cum D.Auguſtino *citato* docent, ideo Capharnaum vocari ciuitatem ſuam, quia Galilæa Metropolis erat, cui ſubiecta erat Nazareth Christi ciuitas: ſicut Romanus appellatur, non ſolùm qui in ipſa Roma, ſed & qui in oppidis, quæ ſub eius iuriſdictione ſunt,aut habitat, aut natus eſt.

Chryſoſt. Theophyl. Euſeb.Gal. Beda. Strabus. Hugo. Lyran. Auguſt.

5. Zach.Epiſc.

Tertiò Zacharias Epiſcopus *Commentar. in Euangeliſta lib.* 2. *cap.*53. ſic ait: *Nunc ergo quis dubitat, Capharnaum fuiſſe ciuitatem Domini, quam non naſcendo, ſed miraculis illuſtrando ſuam fecerat.* In nulla alia ciuitate tot miracula, & mirabilia operatus eſt Dominus, vt in Capharnaum; & ideo peculiariter hæc dicitur ciuitas ſua, quia tantis donis, ac beneficiis eam ſibi comparauit, ac coëmit. Ait Dominus Salomoni de monte ſancto, in quo erat conſtitutum templum Domini: *Elegi locum iſtum mihi in domum*, Paralipom.7.num.13. Iuxta traditionem Rabbinorum, locus ille erat, in quo Deus apparuit Abrahamo, quando obtulit Iſaac in ſacrificium, vbi promiſſionem de Christo, ac ingenti generatione accepit; ibique Iacob vidit ſcalam: ac proinde tot, tantiſque beneficiis locum illum ſibi Dominus adſciuit, & comparauit. Cecinit Debora in ſuo Cantico de campo victoriæ à ſe conſecutæ: *Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur iuſtitiæ Domini*, Iudic.5.num.11. Locus, in quo aduerſariorum exercitus deuaſtatus eſt, ibi inſigniter mandat decantari laudes,tam illuſtri enim victoria peculiariter erat locus ille Domino conſecratus.

*Beneficij loca, & regna comparantur.*

2.Paral.7.

Iudic.5.

6. *Id, quod magno labore ſtetit, in maxima eſt æſtimatione.*

Quartò. Peculiariter Capharnaum dicitur ciuitas eius; pluris enim eam faciebat, ſiquidem longa prædicatione, ac magnis ſignis, & miraculis eam ſibi comparauit: quod enim multo labore ſtetit, in magna æſtimatione habetur. Quærit Anima ſancta dilectum ſuum, & incidit in cuſtodes ciuitatis, à quibus tunc benignè excepta eſt *Cantic.*3.*num.*3. vt iam ſuprà expendi. Iterum ſecundò quærit dilectum, & ait: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, vulnerauerunt me: tulerunt pallium mihi cuſtodes murorum*, Cantic.5.num.7. Et ſtatim ſubdit: *Si inueneritis dilectum, dicite ei, quia amore langueo*, hoc eſt, præ amore deficio. Imò ſi rectè expendas, verba profert, ſummum amorem, æſtimationem, ac pretium erga ſponſum denotantia, ita vt ſimilia in toto Canticorum libro non inuenias; ait enim: *Caput eius aurum optimum: oculi eius ſicut columbæ: genæ illius ſiut areolæ aromatum: labia ſicut lilia: manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis: venter eius eburneus.* Et tandem ait: *Totus deſiderabilis eſt.* Cur ergo modò tanta, & tam præclara de Sponſo ſuo verba habet? Cur ſuper omnia eum laudibus extollit? Cur non ita de eo locuta eſt, quando prima vice ipſum quæſiuit; ſed in hac ſecunda, quando vulnerata eſt, percuſſa, pallioque ſpoliata? Tunc in amore in Sponſum, atque affectu vulnera, ac percuſſiones accepit; & ex ipſo ſanguine effuſo dilecti æſtimatio ſuper omnia effuſa eſt; & inflictæ plagæ affectum non minuerunt, ſed potiùs conſiderationem tanti dilecti, ac Regis maximè auxerunt: Iuſtus Orgelitanus *ad citata verba*, poſtquam conſiderat Sponſæ vulnera, ſit ait: *Cùm hæc omnia perſecutores agerent, tunc quodammodo Sponſæ Chriſti, id eſt, Eccleſiæ, quaſi quoddam pallium abſtulerunt. Adiuro vos, filiæ Ieruſalem. Vt inſinuent Eccleſiam in his perſecutionibus conſtitutam, ineffabili circa Deum dilectione fruentem, nec tantis, & tam horrendis anguſtiis vllo modo frigeſcentem.*

Cant.5.

*Ex magna [illegible] magna rei reſultat æſtimatio.*

Orgelit.

Viginti quatuor ſeniores Deum adorant, dicentes: *Dignus eſt Dominus Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*, Apocal.4. num.11. Vbi decantant, digniſſimum eſſe,quòd Deus oſtendat ſuam gloriam, & honorem, vt rectè *ibi* explicat Ribeira, Et ſermo refertur ad diuinitatem, nam eius proprium eſt, creare. Iterum verò *cap.*5.*num.*11. ait Ioannes: *Vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium.* 7.

Apoc.4.

Apoc.5.

*dicentium voce magna : Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem.* Et ſtatim ſubdit : *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo : omnes audiui, dicentes : Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria,* &c. Et hic ſermo refertur ad humanitatem, vt notant communiter Patres. Andreas Cæſariæ Epiſcopus, Aretas, Primaſius, Anſbertus, & alij. Et apertè patet ex illo verbo : *Agnus, qui occiſus eſt.* In humanitate Dominus paſſus, & ſuſtinuit mortem. Sed graue hîc inſurgit dubium : Cur, dum Chriſtus Dominus laudibus extollitur ratione diuinitatis, qua cuncta creata ſunt, viginti quatuor ſeniores gloriam decantant ; & dum Agnus occiſus ob ſuam humanitatem, in qua ſupportauit mortem, & paſſionem, acclamatur, non ſolùm adſtant ſeniores, & millia millium Angelorum, ſed etiam omnis creatura, quæ eſt in cælo, quæ in terra, & ſub terra, atque in mari, fauſtis acclamationibus Domini excellentias intonant? Agnus occiſus multis opprobriis, flagellis, clauis, lancea, cruce, ac morte hanc ſibi gloriam comparauit : & honor, ac maieſtas quæ tanto ſtetit ſanguine, atque ſudore, in magna æſtimatione, pretioque habebatur : & Dominus ideo maximè gaudet, magnis acclamationibus ſublimari. Gloſſa ordinaria. *Quanto plures, tanto maior atteſtatio, & maius gaudium.*

Andreas. Aretas. Primaſ. Anſbert.

*In magno pretio eſt id, quod ſanguine, ac labore comparatur.*

Gloſſa.

## Qvæstio II.

### *Quare Dominus mare tranfretauit in nauiculam aſcendendo?*

8. CHRISTVS Dominus ſua diuina poteſtate poterat tranſire de vna ripa in aliam ſine vlla naui, deambulando ſuper aquas, vt alibi fecit *Matth. 14. num. 25. & Ioan. 6. num. 19.* Inquirimus ergo : Cur in præſenti caſu nauicula vtitur ad transfretandum?

9. Reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 30. *Cùm poſſet, ait, pede tranſire, nauigio conſcenſo traiecit : non enim ſemper ſigna facere volebat, ne humanitatis ſuæ myſterio derogaret.* Erant in Chriſto Domino duæ naturæ, diuina, & humana ; & de vtraque Hæretici dubitarunt : de diuina Arriani, de humana Manichæi, aſſerentes, non verum corpus, ſed phantaſticum aſſumpſiſſe. Opus ergo erat, vt non ſemper ſe proderet diuina, quia homo aliàs non crederetur : ac proinde ſi multoties ſigna edidit diuinæ naturæ ; tamen humanam oſtendere debuit. Et ita ſæpe Chriſtus abſcondebat ſuam poteſtatem, vt carnis veræ manifeſtaret infirmitatem ; atque ita frequenter ſe infirmis hominibus conformabat. Vnde poſt Reſurrectionem comedit, & bibit, non egens, vt veritatem corporis oſtenderet. *Luc. 24. num. 42.*

*Chryſoſt.*

*Chriſtus occultabat diuinitatem, vt ſe hominē oſtenderet.*

10. Secundò D. Petrus Chryſologus ſerm. 50. *Nónne ipſe eſt, ait, qui fugatis fluctibus maris profunda nudauit, vt Iſraëliticus populus inter ſtupentes vndas ſicco veſtigio, velut mentium concaua pertranſiret?* Exod. 14. num. 20. *Nonne hic eſt, qui Petri pedibus marinos vortices inclinauit, vt iter liquidum humanis greſſibus ſolidum præberet obſequium.* Matth. 14. num. 25. *Aſcendit Ieſus in nauiculam, & transfretauit. Et quid mirum, fratres? Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras, ſuas nobis conferre virtutes, humana quærere, præſtare diuina.* Virtute Dei Iſraël ſicco veſtigio per mare tranſiuit ; & Petrus deambulauit ſuper aquas. At ipſe Dominus nauigio vtitur. Cœleſtis medicus aduenit, vt noſtras infirmitates ſuſciperet, vtque ſua nobis dona conferret. E contra verò terreni Reges proprias miſerias, ac neceſſitates in ſubditorum iuga conuertunt, & eorum bona ſibi arripiunt, atque vſurpant.

*Chryſol.*

*Chriſtus noſtras infirmitates ſuſcepit, & ſua nobis dona dedit.*

11. Tertiò Abulenſis *quæſt. 2.* Chriſtus Dominus omnia prudentiſſimè agebat ; & miracula non, niſi apparente aliqua, & multum rationabili cauſa faciebat. Cùm autem in littore eſſet nauicula illa, non erat rationabilis cauſa ad traiiciendum deambulando ſuper aquas. Non eſt autem recurrendum ad miraculum, niſi vrgente neceſſitate. Vide ſuprà *cap. 7. num. 38. 39. & 40. & cap. 24.* Si verò Chriſtus Dominus aliquando ſuper mare ambulauit, hoc ex magna ratione factum eſt : quia tunc in promptu non erat nauis in littore, & diſcipulis in periculo laborantibus ſignum diuinitatis ſuæ dedit, vt eos maximè firmaret in fide. Et Petrum rogantem fecit ambulare ſuper aquas, ne alij timerent, & ne, ſi hoc non concederet, Ieſus impotens videretur. Hîc autem non erat rationabilis cauſa hoc præſtandi, cùm nauicula eſſet in littore. Et præterea ne diſcipuli neophyti, & imperfecti gloriarentur, quòd iam ſupra aquas ambulabant ; ſicut illi, qui dixerunt : *Domine, etiam Dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo,* Luc. 10. num. 17.

Abulenſ.

*Ad miraculum non niſi vrgente neceſſitate recurrendum.*

*Neophyti ad magnas dignitates non ſunt vocandi ne inaniter glorientur.*

Luc. 10.

12. Inter cæteras qualitates, quas Paulus in Epiſcopo requirit, ſic ait 1. Timoth. 3. num. 6. *Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Maximè expendenda eſt ratio, ob quam Apoſtolus requirit, vt Epiſcopus non ſit recenter conuerſus, & adoleſcens in fide : *Ne in ſuperbiam elatus.* nam qui heri ſe vidit inter ſæculares, & modò ſe videt in ordine Eccleſiaſtico, extra ſe rapitur ſuperbia. D. Ambroſius ibi. *Verum eſt, quòd rudis in fide, ſolet extolli ſuperbia, maximè ſi accipiat ordinem. Nouitate enim, & poteſtate inflatur, arbitrans ſe præ cæteris digniorem. Videns enim primo anno natiuitatis collatum in ſe honorem, putat non magis ad ſuum, ſed ad aliorum profectum ſe eſſe vocatum, quaſi beneficium religioni det magis, quàm accipiebat ab ea.*

1. Tim. 3.

Ambroſ.

*Neophytus in dignitate putat, ſe non recipere beneficium, ſed præſtare obſequium.*

13. Audiens Eliſæus demortuum filium Sunamitidis, mandat Giezi puerum ſuum, vt celerato curſu pergat : *Tolle baculum meum in manu tua ; & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum ; & ſi ſalutauerit quiſpiam, non reſpondeas illi. Et pones baculum meum ſuper faciem pueri,* 4. Reg. 4. num. 29. Pergit Giezi, ponit baculum ; & tamen puer non reuixit. Quomodo tantum Prophetæ mandatum ſuo fruſtratur effectu? Maximè ab Auctoribus requiritur. Reſpondet Rabbi Salomon apud Lyranum quòd *hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non ſeruauit præceptum Eliſæi ; ſed occurrentibus ſibi hominibus iactanter dicebat, ſe miſſum ad ſuſcitandum puerum.* Eliſæus tacitus pergens per viam, humiliter de ſe iudicans, puerum meruit reſuſcitare. At Giezi adoleſcens,

4. Reg. 4.

Lyran.



leſcens, & tenet in collegio prophetico, dum in ſe animaduertit commiſſionem factam demortuum viuificandi, inaniter ſupra ſe rapitur, ſilentij impatiens, cunctis ſuam poteſtatem diuulgat, & ideo vim commiſſionis deperdidit, & puerum non valuit è mortuis ad vitam euocare.

*Quod iactantia in puero perdidit, humilitas obtinuit.*

## Qvæstio III.

### *Quare Euangeliſta non exprimat naulum pro nauigatione perſolutum?*

14. DVM de Ionæ nauigatione agitur, de naulo perſoluto fit mentio, *Ionæ 1. num. 3.* Cur etiam Euangeliſta non exprimit modum ; quem Dominus tenuit circa pretium nauiculæ, Et quòd huiuſmodi tale hîc interuenerit expreſsè aſſerit D. Chryſologus *ſerm. 50.* ſic inquiens : *Vt breuiſſimi lacus tranſitum ſub mercede nautica transfretaret.* Et facile etiam dici poteſt, quòd illa nauicula erat alicuius hominis deuoti erga Chriſtum, qui proinde gratis illud præſtitit obſequium. Euangeliſtæ modum, quem Dominus in hoc negotio tenuit, non exprimunt. Supponunt, quòd ſicut Chriſtus, non deambulando ſuper aquas, ſed communes hominum metas ſeruans, nauicula vſus eſt ; ita etiam in mercede nautica ab vſitata hominum via non receſſerit.

Chryſolog.

*Chriſtus frequenter communes hominum vias tenuit.*

15. Secundò reſpondet D. Chryſoſtomus orat. in Paraſceue apud Grethſerum tom. 2. *Nauigauit, ait, Ieſus mare, Deus nauigio vſus eſt, breuem, ac temporariam vtilitatem præbuit lignum. Ego verò accepi lignum æternum, quo pro remo vſus ſpirituales nequitiæ fluctus diſpello.* Vide infinitam Ieſu liberalitatem, quantum in immenſum excedit noſtra obſequia. Et ideo Euangeliſta non exprimit exiguam mercedem, quam Dominus pro illa nauigatione perſoluit ; quia aliam multo maiorem, ac ſupra omnem noſtram conſiderationem, ac ſpem dedit. Ieſus à nobis accepit in obſequium breue nauiculæ lignum, quo transfretauit. Ipſe autem nobis præſtitit ſanctæ Crucis lignum ſalutiferum, quo omnes nequitias, atque omne malum ſuperamus ; aduerſariorum inſidias profligamus, ac tandem per ipſum in cœleſtem patriam, ac beatitudinem transfretamus.

Chryſoſt.

*Chriſti liberalitas in infinitum excedit noſtra obſequia.*

24. Ex Dei mandato, erecto altari, obtulit Abrahamus Deo ſacrificium ex vna vacca, capra, ariete, turture, & columba. Et ſtatim ſubdit ſacer textus Gen. 15. num. 18. *In illa die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens : Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Euphratem. Cinæos, & Cereſæos, Cedmonæos, & Ethæos, & Pherezæos. Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Gergeſæos & Iebuſæos.* Cur Dominus modò Abrahamo promittit tam latam, & amplam terram, quæ lacte, & melle fluebat, quæ multos populos, & regna ſub ſe continebat, vt notant D. Auguſtinus *lib. 16. de ciuitate Dei cap. 24.* Abulenſis, Caietanus, Lippomanus, & alij. Et ex ipſa littera textus patet. Imò tibi notandum propono ; quod decem nationum regna pollicitus eſt Deus, vt numeranti patebit. Abrahamus in obſequium Dei erexit altare, ex paruis lapidibus extructum ; & in eo quinque obtulit victimas : & Dominus tam magnifica liberalitate hoc recompenſauit, vt pro vno altari amplam, vaſtam, & pinguem ei terram conceſſerit ; & pro quinque victimis decem regna, decemque principatus diſtribuerit. Quæ enim poterit eſſe æqualis liberalitas ita excedens omnium vota, vt pro vna columba duo regna, pro vnoquoque turture duos principatus largiatur. Huc reuoco verba Chryſoſtomi *homil. 63. in Geneſ.* vbi ſic ait : *Deus liberalitate ſua noſtras petitiones, noſtraque officia tranſcendit.* Vide ſuprà *cap. 17. num. 48. 49. & 50. & tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 5.*

Gen. 15.

Auguſt. Abulenſ. Caietan. Lyppom.

*Dei liberalitas maximè tranſcendit obſequia noſtra.*

Chryſoſt.

*Marc. 2. n. 2.* Et auditum eſt, quòd in domo eſſet, & conuenerunt multi, itaut non caperet, neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum.

*Ibid. num. 3.* Et veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.

*Ibid. num. 4.* Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum, vbi erat : & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus iacebat.

#### *VERSIONES.*

*Syriacus n. 4* Cumque non poſſent ad eum accedere propter turbam, conſcenderunt tectum ; ac deiecerunt tabulatum loci, in quo erat Ieſchua, demiſeruntque grabatum.

*Pagninus, Caietanus.* Et cùm non poſſent appropinquare illi præ turba.

*Radix Græca.* Submiſerunt vilem lectulum.

*Vatablus.* In quo paralyticus decumbebat.

#### Alter Textvs.

*Lucæ 5. n. 17.* Venerunt ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ & Ieruſalem, & virtus Domini erat ad ſanandum eos.

*Ibid. num. 18.* Et ecce viri portantes in lectulo hominem, qui erat paralyticus : & quærebant, eum inferre, & ponere ante eum.

*Ibid.*

*Ibid. num.* 19. Et non inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lectulo in medium ante Ieſum.

## *EXPOSITIO.*

17. *Salmeiron.*

CVM agnoſceretur in ciuitate, quòd Dominus erat in quadam domo, conuenerunt multi. Quia vbi Chriſtus adeſt, illuc accurrunt fideles, & deuoti. Salmeiron cum aliis vult, quòd conueniebant, tanquam nouitati ſtudentes; vel vt ab infirmitatibus liberarentur. Et non explicatur, cuiuſnam eſſet domus illa, vt dicitur domus Simonis leproſi, quia domini proprij nomen ad hiſtoriam non ſeruiebat: ipſeque illuſtrior factus eſt Chriſti hoſpitio, quàm nomine proprio; vt ſimiliter de illa muliere, quæ Chriſtum laudauit, dicam: de qua profertur: *Mulier quædam de turba.* Hoc remitto ad proprium locum. *Et loquebatur eis verbum.* Et quamuis illa multitudo conflueret propter miracula, tamen Chriſtus prius incumbebat doctrinæ, & poſtea infirmitates ſanabat; docens, prius habendam rationem de anima, quàm de corpore. Et notandum, quòd licèt Dominus aduenìſſet ex nauigatione, transfretauit enim mare ex vlteriori ripa; non ſtatim, vbi primum ingreſſus eſt domum, & apponitur cibus; ſed priùs eructat cæleſtem prædicationem, ac infirmos ſanat, vt ait Lucas citato cap. 5. num. 17. *Virtus Domini erat ad ſanandum eos.* Cibus eius ſalus noſtra. Et cæleſtis princeps prius intendebat ad ſuorum vtilitatem, quàm de ſuo commodo ageret. Vide ſuprà *cap.* 15. *num.* 264. *&* *cap.* 11. *num.* 129. 130. *&* 147.

*Illuſtratur homo Chriſti hoſpitio.*

*Princeps agat priùs de ſuorum commodo, quàm de ſuo alimento.*

18. *Et veniunt ad eum.* Lucas ait: *Et ecce viri portantes.* Illa particula *Ecce*, denotat ſolicitudinem horum hominum, qui cùm audiſſent, quòd Dominus curaret infirmos, vt ait Lucas: *Virtus Domini erat ad ſanandum eos*; ſtatim habita opportunitate curationis accurrunt, ne occaſio ſalutem impetrandi Paralytico è manibus elabatur. *Ferentes Paralyticum.* Matthæus, ſequenti numero dandus, ait: *Iacentem in lectulo.* Paralyſis eſt diſſolutio membrorum, ac neruorum, per quam ita homo fit impotens ad ambulandum, ac ad ſe mouendum, vt animatum cadauer ſolum ad pœnam viuens: & ideo ab iſtis hominibus ferebatur, non in manibus, ſed in lectulo, ne prætextu procurandæ ſanitatis, dolores, ac anguſtias hominis augerent. Et hac de cauſa, vt explicat Euangeliſta, *à quatuor ferebatur*, vt vectores commodiori modo hominem aſportarent.

*Quid ſit Paralyſis.*

*Prætextu ſanitatis non ſunt multiplicandi dolores.*

19. Quòd autem iſte Paralyticus, cùm ſanatus ſit Capharnaum, diſtinctus ſit ab illo, qui curatus eſt Ieroſolymis in piſcina, vt refert Ioannes *cap.* 5. multis argumentis comprobat Chryſoſtomus *homil.* 30. *in Matth.* Abulenſis *quæſt.* 5. & tanquam notum ſuppono,

Ioan. 5. Chryſoſt. Abulenſ.

20. *Et cùm non poſſent offerre eum*, ſeu, vt alij legunt, *accedere*, ſeu *appropinquare illi.* Tanta erat multitudo ad Chriſtum confluens, vt nullo modo per ianuam poſſent illi homines ad Chriſtum accedere. Quærenti Chriſtum, vt ait D. Bonauentura, mundus ponit impedimenta. Si Zachæus quærebat videre Ieſum, quis eſſet; & non poterat præ turba. Luc. 19. num. 3. *Nudauerunt tectum.* Charitas omnia impedimenta rumpit, & nulla ſunt, quæ veram fidem retrahant. *Nudauerunt tectum.* Aſportantes infirmum rem miram, & nouam aggrediuntur, vt notat Victor Antiochenus, tanquam maximè auidi ſanitatis hominis, per ſcalas conſcendunt ad tectum, quod in Palæſtina non eſt acuminatum, vt in Hiſpania, ſed multo magis planum. *Et nudauerunt tectum, vbi erat* Detexerunt tectum ea ex parte, in qua erat Ieſus. Et perfodientes ipſum tectum, per funes *demiſerunt grabatum, in quo Paralyticus iacebat.* Grabatus autem ſignificat vilem lectum ex Græco, vt iam dixi, & notat Franciſcus Lucas. Et in hac tam rara diligentia maximè exprimitur magna fides, quam habebant vectores Paralytici. Lucas verò ait: *Summiſerunt eum in medium ante Ieſum.* Nam Saluator, ait D. Bonauentura *in cap.* 5. *Lucæ*, medium quærit. *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis*, Ioan. 1. num. 26. *Ego autem in medio veſtri ſum*, Luc. 22. num. 27. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, Pſalm. 47. num. 10. Mediocritate gaudet Dominus.

Bonauent. Luc. 19. *Charitas omnia impedimenta rumpit.* Vict. Ant. Franc. Luc. Bonauent. Ioan. 1. Luc. 22. Pſalm. 47.

## QVÆSTIO IV.

### *Elucidantur iſti quatuor vectores Paralytici.*

21. A Quatuor hominibus aſportabatur Paralyticus in lectulo, vt ſcribit Marcus, qui erant viri probi, pleni fide, vt dicitur infrà: *Videns fidem illorum.* Et erant etiam repleti ſpe in Deum, & charitate in proximum. Et ideo mirabilem, ac inuſitatam rem, vt per tectum demittant Paralyticum, aggrediuntur. Facile boni ad opus pietatis vniuntur, & ſe mutuo adiuuant, vt notat D. Bonauentura *in* 5. *Luc.* Iuxta illud Pauli ad Galat. 6. num. 2. *Alter alterius onera portate.* Mali autem non inter ſe conueniunt, niſi ad iniquum factum. Pſalm. 82. num. 5. *Cogitauerunt vnanimiter ſimul: aduerſus teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ, Moab, & Agareni*, &c. Vbi Brunonius ponderat, quàm miram iniqui in malum concordiam, vnanimitatemque habeant.

*Viri probi ad bonum, iniqui ad malum vniuntur.* Bonauent. Galat. 6. Pſalm. 82. Bruno.

22. P. Didacus Stella vult, quòd iſte Paralyticus erat diues, ſiquidem cùm adhuc infirmaretur, habebat amicos. Sic ægrotante Ioram, cùm eſſet diues, venit ad eum Rex Ochozias 4. *Reg.* 8. *num.* 30. Rex Syriæ, cùm infirmaretur Rex Ezechias, ſtatim ad eum munera, & nuntios miſit, 4. *Reg.* 20. *num.* 11. Pauper autem ille Ægyptius cùm ægrotaret, relictus erat à ſuis, & nullus erat, qui daret ei cibum, & potum, niſi Dauid ei ſubueniret; 1. *Reg.* 30. *num.* 11. Vide *cap.* 5. *num.* 133. *&* 134. *&* *cap.* 24. *num.* 8. Quanquam hæc moraliter bene ſint dicta, tamen in rigore litteræ videtur, quòd iſte Paralyticus ſit pauper; nam aſportabatur in grabato, quod Græcè ſignificat

Stella. *Amici non niſi ad diuites conueniunt.*



ficat vilem pauperum, ac egenorum lectulum.

23. Ferebatur iſte homo à quatuor, vt commodiori modo aſportaretur. Moraliter per hos quatuor, quatuor Euangeliſtas intelligit Euſeb. Gallicanus *homil. in Dom.* 19. *poſt. Pentecoſt.* Quia per iſtorum fidem anima Deo offertur, & ſanatur. D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* interpretatur quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, ac Temperantiam, quibus anima ſubleuatur, ac defertur ante Creatorem. Cardinalis Hugo *in* 2. *Marc.* ait. Quatuor portatores ſunt, cognitio criminis, memoria peccati, timor ſupplicij, ſpes præmij. Vel quatuor vectores, ait ipſe, ſunt bona operatio, eleemoſyna, venia aliis facta, oratio Sanctorum.

*Quid ſignificent quatuor iſti vectores.* Euſeb. Gall. Paſchaſ. Hugo.

## QVÆSTIO V.

### *Quare ab habitatoribus domus non prohibeantur vectores perfodere tectum?*

24. CVM vectores Paralytici ipſum non poſſent in domum per ianuam introducere ob multitudinem turbæ, non expectant tempus, vt diſcedat, ſiquidem Chriſtus Dominus magna frequentia populi ſemper circunſeptus incedebat. Rem miram aggrediuntur. Tectum conſcendunt, & illud perfodiunt, & tunc Paralyticum ſubmittunt. Hoc autem non poterat fieri ſine magno ſtrepitu, præſcindentes ligna, vtque aliqua ſimul cum lapidibus ex magna parte caderent in domum. Cur ergo habitatores illius hoc non prohibent facere.

*Ratio difficultatis.*

25. Reſpondeo primò quòd habitatores domus ita erant deuoti in Chriſtum, ac ita omnia ſua ſub pedibus eius ſubmiſerant, vt cùm ipſe non prohiberet, nec ipſi prohibeant. Secundò: ita erant accenſi charitate in proximum, vt ob bonum illius omnia contemnerent. Tertiò. Videndi miracula cupiditas, ne impedimentum ponerent, cauſa erat: nam ſæpe homo ob vnam ſuam cupiditatem, omnia, quæ ad ſe pertinent, parui pendet.

*Charitas omnia contemnit.* *Ob vnã cupiditatẽ homo omnia paruipendet.*

26. Sed inquires: Cur Chriſtus non vetat perfodere tectum? Reſpondeo primò, quòd in illo facto denudandi tectum oſtenderunt homines ſuam eximiam fidem, ſpem, ac deuotionem in Chriſtum: non prohibet ergo, ne talia opera contemnere videatur. Secundò Chriſtus Dominus dixerat Matth. 11. num. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* quod abſolutè, & ſine vlla limitatione Dominus protulerat. Cùm ergo Paralyticus maximè laboraret ægritudine, illáque eſſet oneratus, ne ſemel datum verbum Dominum retrahere, vel limitare, aliqui iudicarent, ideo Paralyticum per tectum ad ſe venire Dominus non vetat. Tertiò Chriſtus Dominus Rex erat totius vniuerſi. Permittit ergo, vt per tectum Paralyticus ad ſe deſcendat, vt nos inſtruat, quòd nullum debet eſſe impedimentum, nec paries, nec tectum, lignum, vel lapis, quod acceſſum ſubditi ad principem, ac regem prohibeat, aut intercludat.

*Chriſtus noſtra bona opera non contemnit.* Matth. 11. *Omne tollatur impedimentum, vt ſubditi habeant acceſſum ad Regem.*

27. De dilecto ſuo ait Anima ſancta: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. En loquitur mihi: Surge, propera amica mea*, Cantic. 2. num. 9. Sed quare ipſe ſponſus ſtat poſt parietem proſpiciens per retia, & loquens cum Sponſa? Cur manifeſta præſentia ei non ſe exhibet? Stat poſt parietem veluti tanquam abſens ſe exhibens, vt exindè maioris amoris ſtimulos acuat, verùm ita ipſe eſt poſt parietem, tanquam ſi ibi paries non interiaceret, neque vllum ibi adeſſet impedimentum, vt dilectæ animæ auxilium ferat, vt eius deſideria videat, eique loquatur, atque ipſam ad bonum prouocet, ac excitet. D. Ambroſius *ſerm.* 6. *in Pſalm.* 118. *verſu* 3. ſic ait. *Adſtitit poſt parietem, proſpicit per feneſtras, vt nec totus abeſſet, nec quaſi totus intraret. Et ipſe ad ſe ſponſam vocat. vt veniendi ad ſe inuicem fierent grauiora commercia, amoriſque vim mutuis adolerent ſermonibus. Et ſi tu habeas fundatum parietem, non illum medium, qui domus vnius ſeparet membra, ſed ædificatum ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, vt compaginata eius ſtructura creſcat in templum.*

Cant. 2. *Nullus ſit paries, qui Regem prohibeat ad ſubueniendũ ſubdito* Ambroſ.

28. Valde enim deteſtabile eſt in Rege, ſi ipſe ſe per parietes, & domos claudat a ſuis vt minimè ad eum valeant aditum inuenire, De miſera captiuitate Sedechiæ Regis à Babylonicis loquitur Deus ad Ezechielem *cap.* 12. *num.* 12. Et ſic ait: *Et dux qui eſt in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient, vt educant eum.* Cùm fierent omnia alto Dei iudicio, cur iſte Rex in duriſſimam captiuitatem opprobriis plenam perfoſſo pariete ducitur? Cur per oſtium non egreditur? Dei ſententia eſt: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Grauiter deliquit Sedechias Rex delitiis indulgens, ſe domus parietibus claudens; parietes inter ſe, & ſubditos conſtituens: iuſto Dei iudicio perfodiuntur parietes, vt per quas deliquerat, recipiat & ipſe ſupplicium Vide *tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 10. *num.* 31. *&* *hoc lib. cap.* 11. *num.* 127.

*Graue ſupplicium meretur Rex, dum ſe claudit à ſuis.*

*Matth.* 9. *n.* 2. Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lectulo. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

## *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et obtulerunt ei Paralyticum decumbentem in lecto. Viditque Ieſus fidem eorum, & ait Paralytico illi: Bono ſis animo, fili mi. |
| *Theophylact.* *Pagninus.* | Adduxerunt ad eum. |
| *D. Chryſologus ſerm.* 50. | Reſpiciens Ieſus fidem illorum. |
| *Euthymius.* | Intuitus Ieſus fidem illorum. |
| *Pagninus.* | Fiduciam habe fili. |

*D. Hilar.*

*D.Hilar.c.8.in Matth. & Caſſian.coll. 13.cap.16.* Conſtans eſto fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

*Quidã ex Græco apud Sal. legunt.* Remittantur tibi peccata tua.

ALTER TEXTVS.

*Marc.2.n.5.* Cùm autem vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait Paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

*Luc.5.n.20.* Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.

## EXPOSITIO.

29. *Miſeria declamat ad Dominum.* ECce, rem grandem denotat, *offerebant Paralyticum iacentem in lectulo.* Tota hæc ſententia explicata eſt ſuperiori expoſitione. Illud tamen notandum, quòd vectores ſolum Paralyticum offerunt; & nec ipſi, nec Paralyticus, cui morbus vſum loquelæ ademerat, aliquid à Domino rogant: nam ipſa miſeria pro miſero homine, maximè cœleſti medico loquebatur, atque clamabat. Et quanuis hic homo haberet multa peccata, ideo enim ei dicitur: *Remittuntur tibi peccata tua*; tamen, vt notat D. Hilarius, non ait: Offerebant ei hominem peccatorem, ſed paralyticum: nam peccata maximè hominem dedecorant; non verò paralyſis, cùm ſit morbus naturalis ex natura proueniens.

Hilar. *Quæ dedecorant, ſupprimenda.*

30. *Fides operibus declaratur.* *Videns Ieſus fidem illorum.* Videns, non ſolùm intuitu diuinitatis, ſed etiam corporalibus oculis: nam quanuis fides ſit actus mentis; tamen in opere videtur, ac manifeſtatur: *Fidem illorum*, quæ magnopere in hoc facto declarabatur; ſiquidem baiuli ad tectum conſcendunt, illudque perfodiunt, atque Paralyticum ſubmittunt; quod opus magnæ erat fidei, & ſpei in Deum, ac charitatis in proximum. Et tamen Dominus hîc ſolam fidem nominat, & requirit; quia fides eſt prima radix, & origo omnium virtutum. Deinde, quia fidei proprium eſt impetrare, & conſequi, quod credit, atque ſperat: Et ideo Dominus ait mulieri, Luc.7.cum.59. *Fides tua te ſaluam fecit.* Et Centurioni Matth.8. num.13. *Vade, ſicut credidiſti, fiat tibi.* (Luc.7. Matth.8.)

31. Hieron. Chryſolog. Haymon. Maldonat. Chryſoſt. Euthym. Albert.Mag. Ait Euangeliſta, *fidem illorum.* D. Hieronymus *hîc.* D. Chryſologus *ſerm.*50 Haymon, Maldonatus, & alij hoc referunt tantùm ad fidem offerentium. At D. Chryſoſtomus *homil.*30. *in Matth.* Euthymius, Albertus Magnus, & communiter Recentiores hîc intelligunt fidem illorum omnium tam vectorum, quàm Paralytici; in quo multam fuiſſe fidem, dicam, *quæſt. ſequenti, in principio.* Et ideo, vt mihi videtur, fidem illorum præcipuè offerentium; deinde etiam ipſius Paralytici.

32. *Confide fili*, ſeu, vt habet Syriacus, *bono ſis animo*, beneque ſpera, te à me miraculosè ſanandum, priùs in anima, deinde in corpore ab ipſo morbo, vt explicant D. Hieronymus, Paſchaſius, Euthymius, Theophylactus. Et planum erat, quòd ſi Deus animæ ſanitatem dabat, etiam corpori medelam conferret, cùm Dei dona ſint perfecta, & conſummata; & dum incipit benefacere, vſque ad perfectum ducat. *Confide fili*, ſeu bene ſpera; etiam cùm actualiter ei remittebantur peccata. Volebat enim Dominus, quòd cum ſpe in Deum donum reciperet, illudque retineret, ac conſeruaret. *Fili.* Mira benignitate filium vocat, quia ei dimittebantur peccata, vt notant Haymon, & Hericus. Imò in toto Euangelio nullum alium lego filium vocari, niſi Paralyticum iſtum. Ex quo duplex mihi eſt coniectura. Prima, quòd iſte erat prædeſtinatus; nam aliàs Chriſtus eum filium non vocaret. Secunda, quòd iſte erat maximè afflictus, & miſerrimus. de quo iterum *quæſt.*7.

Hieron. Paſchaſ. Euthym. Theoph. *Cùm ſpe recipiamus Dei bona.* Haymon. Hericus.

33. *Deus dat conſummata dona.* *Remittuntur tibi peccata tua*, ſeu, vt ex radice Græca legendum eſt, *Remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Tibi, inquam, iam per gratiam Spiritus ſancti contrito, atque ad remiſſionem, & ſanctificationem iam diſpoſito. Nam ſine dubio dum Paralyticus ad præſentiam Domini ducebatur, concepit dolorem, ad diſplicentiam ſuorum peccatorum: aliter non auderet coram tanto Domino apparere, neque ab illo ſalutis donum ſperare. Notat Hericus vecordiam Paralytici; audiens enim remiſſa peccata, non dat gratias Deo: plus deſiderabat ſalutem corporis, quàm animæ. Maximè admiranda eſt Domini modeſtia, vt notat Chryſoſtomus *homil.*30. non enim dixit, Remitto tibi peccata tua; ſed modeſtiæ cauſa, per tertiam perſonam: *Remittuntur tibi.*

Hericus. Chryſoſt.

## QVÆSTIO VI.

### *Quare de ſola fide offerentium, & non Paralytici fiat præcipua, & principalis mentio?*

34. MAGNA fuit fides Paralyticum offerentium; aliter enim minimè ipſi ad tectum conſcenderent, vt inde per funes hominem demitterent, ante Chriſtum magna fuit etiam fides iſtius infirmi, vt notant D. Chryſoſtomus *homil.*30. *in Matth.* Abulenſis *quæſt.*7. niſi enim ipſe crederet, à Chriſto poſſe recipere ſanitatem, non permitteret, ſe ad ipſum portari, ac per funes è tecto demitti.

Chryſoſt. Abulenſ.

35. His ergo poſitis. In dubium vocamus: Cur omnes tres Euangeliſtæ hanc hiſtoriam ſcribentes dicant, Dominum vidiſſe fidem illorum, quod præcipuè intelligitur de fide offerentium, deinde de fide ipſius Paralytici, vt dixi in expoſitione, & docent Abulenſis citatus; & Toletus 5.*Lucæ in annot.*36. Et præcipuè vrget dubium in ſententia D. Hieronymi, ac Chryſologi, qui hoc referunt tantùm ad fidem offerentium, vt dixi in expoſitione.

36. Reſpondeo primò ad quæſtionem, quòd quando in Scriptura tribuuntur mirabiles effectus fidei, intelligitur de fide viua, quæ eſt charitate formata. Et de hac fide dixit Dominus Magdalenæ:



lenæ: *Fides tua te ſaluam fecit.* hoc eſt, fides cum operibus charitatis, ac amoris in Deum. Nam fides ſine operibus, vt ait Iacobus 2. mortua eſt. Cùm autem dicitur, *Videns fidem illorum*, hoc intelligitur de fide viua. Ac proinde principaliter de fide offerentium, nam qui infirmum portabant, charitatem, ac miſericordiam in fructu habebant, ſi enim charitatem non haberent, tanto ſtudio, atque ardore Paralyticum ad Chriſtum non adducerent: & ex charitate proximi rectè arguitur charitas in Deum; Ægrotus verò perfectam, ac viuam fidem non habebat, nam ei dixit Dominus: *Confide*, ad perfectam, ac conſummatam fidem eum excitans, tanquam ſi ea non eſſet præditus, ad eum offerentes inſigniti erant. Deinde, quia iſte homo adhuc erat in peccato, ſiquidem antequam dicatur, quod Dominus dixerit: *Remittuntur tibi peccata tua*, priùs dicitur vidiſſe fidem illorum, ſcilicet offerentium. Ergo dum vidit eorum fidem, pro tunc adhuc iſte erat in peccato.

*Fides viua & formata multum valet apud Deum.*

37. Chryſolog. Secundò Diuus Chryſologus *ſerm.*50. ſic ait. *Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem ſic valet fides aliena?* Et iterum infrà ait, quòd fidei alienæ ſuffragio curatur Paralyticus. Quod intelligitur de ſanitate corporis; nam animæ medela in adulto non confertur, niſi interueniente propria hominis diſpoſitione, vt eſt certum. Ac proinde his denotat Chriſtus, quantum prodeſt, quantum adiuuat alios fides noſtra. Hoc idem docet D. Cyrillus Ieroſolymitanus *Catecheſi* 5. Et confirmat exemplo ſororum Lazari. Nam cùm Dominus requiſiſſet ab eis, *Vbi poſuiſtis eum?* Ioann.11. num.34. Reſpondet Germana, *Iam fœtet: quatriduanus enim eſt.* Dicit Dominus: *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Dare vitam, pro gloria reputabat. Concludit D. Cyrillus. *Tantum potuit illa ſororum fides, vt mortuus à porta inferni reuocaretur.*

*Multum iuuat bonorum fides.* Cyrill. Ioan.11.

38. Albert.Mag. Tertiò Albertus Magnus. Quòd quando dicitur: *Videns illorum fidem*, ipſe Paralyticus cùm offerentibus ſupponatur. Tamen tanquam de fide offerentium Euangeliſta loquitur, vt inſtruat, quòd interceſſio multorum multis impetrat ſanitatem. Quartò Abulenſis *citatus.* Portantium fides fuit maior, ac lucidior in opere; & ſic illam Chriſtus magis reſpexit. vbi ſuprà *cap.*5. *num.*240. & *cap.* 6. *num.* 80. 81. & 82.

*Bonorum interceſſio multis prodeſt.* Abulenſ.

39. Quintò. Offerentium fides maximè enituit, ac reſplenduit in hoc caſu: nam tanquam proximi vehementer dolentes de hominis miſeria ipſum Chriſto offerunt, firmiter credentes, infirmum à Domino poſſe ſanari. Non enim dicebant: Si ſalutem dederit, credemus; ſed abſolutè pro omni euentu diuinitatem eius recognoſcentes cum tanta diligentia infirmum per tectum ſubmiſerunt. Vera, perfectaque fides ad propria munera, ac præſentes obligationes attendit, & à futuro ſucceſſu, atque euentu minimè dependet.

*Vera fides ad futurũ euentum non attendit; ſed ſatisfacit obligationi præſenti.*

40. Daniel.3. Inſtat Nabuchodonoſor cum Sidrach, Miſach, & Abdenago, vt ſtatuam ſuam adorent. Qui Regi reſponderunt: *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi. Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de omnibus tuis, ô Rex, liberare. Quòd ſi noluerit, notum tibi ſit, Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus*, Daniel 3. num. 17. Dicunt ſe Dei virtute poſſe liberari ab igne. Quòd ſi verò concrementur, non dicunt, ſe à Dei obſequio defecturos, ſed tantùm ob ſua alta iudicia Deum nolle, illud eis beneficium conferre. Pueri iſti tanquam Domini verè fideles, ac conſtantes ſerui ſolùm attendunt præſenti obligationi confeſſionis fidei ſatisfacere; de futuro autem euentu minimè curant, ſed illum Dei iudicio ſubmittunt. Theodoretus. *Non pro mercede noſtra Domino ſeruimus, ſed beneuolentia, ac amore ſtimulati. Omnibus æquè Dei noſtri præferimus cultum, quare ne ab his malis quidem temerè liberari petimus; ſed Domini gubernationem, ac prouidentiam amamus, & illius, quod futurum eſt, ignari gubernatori, quocunque ei libuerit, nauem dirigendam committimus.* Perfecta virtus ſolùm ſua munera conſiderat, & futuros euentus prætermittit.



*Perfecti fideles Dominũ recognoſcũt, omniaque ei ſubmittunt.* Theodor.

41. Luc.23. Pendens meus Ieſus in Cruce ait ad Patrem: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt*, Luc. 23. num. 34. Pro omnibus illis malefactoribus orat Dominus. Et tamen bene ſciebat, quòd pro reprobis, ac obſtinatis non erat exaudiendus à Patre, vt bene ex Patribus comprobat Suarius *tom.* 2. *ad* 3. *part. diſputat.* 37. *ſect.* 4. §. *Primum illud.* Tamen cùm eſſet noſter Redemptor, ac Pontifex, offerens ſe pro omnium ſalute, munus adimplet pro omnibus rogans, quanuis futurum eſſet, vt Pater omnibus non dimitteret. Vnde ait D. Bonauentura. *In hoc apparuit, quòd fuit Pontifex pius, & miſericors, offerendo ſe, & interpellando pro populi ſalute.*

Suarius. *Proprio muneri ſatisfaciendum.* Bonauent.

## QVÆSTIO VII.

### *Quare Chriſtus Dominus hunc Paralyticum filium vocet?*

42. DIVVS Matthæus, & Marcus ſcribentes hanc hiſtoriam referunt, quòd Dominus dixerit Paralytico, *fili.* Lucas verò, *Homo.* Hæc facile in concordiam reducit D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 25. Vtrumque dictum fuiſſe à Chriſto; aut ſic: Confide, homo, dimittuntur tibi peccata, fili: aut hoc modo prolata ſunt: Confide, fili, dimittuntur tibi peccata homo. Hæc docet D. Auguſtinus. Tamen ex idiomate Hebraico idem eſt vtriuſque ſenſus: nam Hebraica phraſis eſt dicere, aut homo, aut fili, vt patet ex Prophetis, & libris Salomonis, in quibus huiuſmodi loquendi modi frequenter inueniuntur. Veruntamen pro rigore verborum Euangeliſtarum præſentem quæſtionem excitamus.

Auguſt. *Concordantur Euangeliſtæ.*

43. Hieron. Reſpondet primò D. Hieronymus *hîc.* Et ſic ait: Cur filium nominauit. *O mira humilitas, deſpectum, & debilem, totiſque membrorum compagibus diſſolutum, filium vocat, quem Sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certè ideo filium, quia dimittuntur ei peccata ſua.* Duas rationes nobis inculcat magnus Doctor. Primò propter humilitatem ſuam, vt etiam docet Albertus Magnus: nam deſpectum, & debilem hominem ita ad ſe benignè recipit, vt filium vocet. Secundò, quia ei remittebantur peccata, vt etiam tradit D. Anſelmus. Vt inde videamur, ad

Albert.Mag. *Chriſti humilitas mundi deſpectos filios dicit.* Anſelm.

qualem dignitatem nos erigit remiſſio , ac iuſtiſtificatio à peccatis, nempe ad eſſe filij Dei , qui antea per peccatum eramus ſub captiuitate Diaboli.

44. Vict. Antio. Tertiò Victor Antiochenus *in cap. 2. Marci,* ſic ait. *Quòd autem Paralyticum hunc , filium vocat , illud aut propter fidem , quam de ipſo conceperat , facit , aut certè ad creationis cauſam reſpicit.* Vbi etiam duas alias tradit rationes , cur filium dicit. Primò , & tertiò in ordine , propter fidem , veluti ipſam fidem honorans , ac venerans. Deinde , & quartò , propter creationem, quam etiam rationem affert D. Hilarius *Can. 8. in Matth.* quia homo Dei opus eſt ; ac proinde quanuis homo ob ſuam miſeriam deſpiciendus eſſet ; quia tamen Dei opus eſt , ac imago illius, ideò piè tractandus,ac benignè fouendus, ſi non propter ſe , propter auctorem, ac creatorem ſuum.

Hilar. *Homo venerandus, cùm ſit Dei opus.*

45. *Hic ſolus vocatur filius.* Quintò. Filium vocat. Imò in Euangelio nullum alium hominem lego filium à Chriſto vocari. Cautè dixi *hominem*, quia Dominus mulierem illam , quæ tetigit fimbriam veſtimenti, filiam vocauit *Matth. 9. numero 22. & Luc. 8. num.* 48. Hunc autem inter cæteros filium dixit, quia hic erat valde miſerrimus pauper , diſſolutione membrorum infirmitatem patiens ; & tantam hominis miſeriam tam blando , atque affabili nomine filij voluit Dominus lenire , ac conſolari. Ex quo magna Domini benignitas in omnium conſpectu manifeſta apparet ; nam hominem,quem ob peccata ſua graui paralyſi caſtigauerat,atque afflixerat , non ſolùm remittendo peccata , & ſalutem corporis dando conſolatur; ſed etiam blando , & affabili nomine recreat. Maximè minuit beneficium, qui aſpero , & incompoſito verbo illud concedit.

*Deus ſupplicio caſtigãs, conſolatione recreat.*

46. Sextò. Iuxta Matthæum , & Marcum , filium; iuxta Lucam , hominem appellauit. Imò , vt in commodiori expoſitione explicat Auguſtinus, priùs hominem dixit , & poſtea filium vocauit. In hoc , ait D. Bonauentura , quòd dicit *homo,* inuitat ad conſiderationem propriæ miſeriæ : *Homo natus de muliere , breui viuens tempore , repletur multis miſeriis* , Iob 14. numero 1. In hoc verò , quòd filium nominat, ipſum excitat ad conſiderationem ſublimis , & altæ dignitatis: nulla enim maior , quàm quòd homo filius Dei ſit , & dicatur ; ſemper enim homo ex agnitione propriæ miſeriæ : ac vilitatis in magnum , altumque dignitatum apicem euehitur , & extollitur. Vide ſuprà *cap. 7. num. 21. & 24. & cap. 10. num. 89.*

Bonauent. Iob 14. *Ex propria cognitione exurgit homo ad magnam dignitatem.*

47. *Homo ex ſe miſeriam habet, ex Dei gratia omne bonum.* Septimò. Iuxta Matthæum , ac Lucam filium, & hominem vocat. In homine denotatur ſumma miſeria , vt proximè dixi : in filio verò præclaram , & excellentiſſimam dignitatem. Nam ſi filij , & hæredes. Vt ita agnoſceret , quid haberet ex ſe ; quid verò ex Deo : ex ſe, vt homo, ſummam miſeriam ; ex Deo ſummam gratiam, vtpote filius , & hæres. Ait Paulus ad Titum 3. num. 3. *Eramus aliquando & nos inſipientes , increduli , errantes , ſeruientes deſideriis , & voluptatibus variis ; in malitia , & inuidia agentes, odibiles , odientes inuicem. Cùm autem benignitas , & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex opribus iuſtitiæ , quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* In homine omne vitiorum genus graſſabatur , & tamen ſalutem aſſecutus eſt. Quid iuſtitia cum tanta iniquitate ? Apparuit benignitas Saluatoris noſtri Dei. Nam licèt homo eſſet detentus turpitudine , ac fœditate peccati ; tamen adueniens Dei gratia dedit omne donum , per quod ſalutem potitus eſt.

Ad Titũ. 3.

48. Ait Paulus Roman. 14. num. 23. *Omne , quod non eſt ex fide , peccatum eſt.* Vt explicant Gloſſa, D. Anſelmus , Omne , quod non fit cœleſti rore, ac afflatu , immundum , ac defectuoſum. Nam quod ſine Dei inſpiratione ex propriis noſtris viribus peragitur , immundum eſt , ac vitiorum fœce coinquinatum,cùm ſolum bonum , & ſanctum ſit à ſummo bono , ac gratia Dei , vt ad citatum Pauli locum docet cum Gloſſa D. Thomas. Vnde ait Concilium Arauſicanum Can. 22. *Nemo habet de ſuo , niſi mendacium , & peccatum : ſi quis autem habet homo veritatem, atque iuſtitiam , ab illo fonte eſt , quem debemus ſitire in hac eremo,vt ex eo,quaſi guttis quibuſdam irrorati , non deficiamus in via.*

Rom. 14. Gloſſa. Anſelm. *Ex homine malum, ex Dei gratiæ bonum.* D. Thom. Arauſicanũ.

49. Enarrans Iſaac natiuitatem , ſacer textus ait: *Viſitauit Dominus Saram , ſicut promiſerat. Concepit, peperitque filium in ſenectute ſua ; vocauitque Abraham nomen filij ſui,quem genuit ei Sara, Iſaac, cùm centum eſſet annorum , hac quippe ætate patris natus eſt Iſaac,* Geneſ. 21. numero primo. Totus eſt ſacer textus in explicanda natiuitate Iſaac. Cur pueri elegantiam nobis non proponit , vt de Moyſe explicat : *Peperit filium , & videns eum elegantem ,* Exod. 2. numero 2. Cur ergo in ſola ſterilitate , ac ſenectute parentum declaranda ſe expendit textus ? Naſcebatur Iſaac,vt eſſet Chriſti Domini typus,vtque ob ipſum parens Abrahamus promiſſionem acciperet de Chriſto naſcituro , in quo erant omnes gentes benedicendæ. Parentum ſterilitas exprimitur , vt denotetur, quòd tantus filius in totius Orbis bonum datus, non à natura,ſed à gratia prodibat , cùm parentes ex ſe ſterilitatem , & infœcunditatem haberent. Diuus Petrus Chryſologus ſerm. 90. *Iſaaco non tantum obfuit , defuiſſe naturam , quàm naſci profuit auctoris beneficio , non naturæ.* Vide ſuprà *cap. 3. num. 255. & 256.*

Gen. 21. Exod. 2. *Bonum non à nobis , ſed à Deo.* Chryſol.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quare Chriſtus Dominus dixerit huic Paralytico :* Remittuntur peccata tua ?

50. *Vbi homo ſe diſponit, Deus dat gratiam.* PRIMA , & litteralis ratio huius rei eſt, Aduenit iſte Paralyticus imperfectus in fide,ideo ei ſuprà dictum eſt à Domino: *Confide fili* ; eum ad conſummatam fidem excitans. Et influente Chriſti Domini præſentia, excitatus diuina gratia ad dolorem , ac contritionem, ideo meruit audire : *Remittuntur tibi peccata tua,* iuxta illud Ezechiel. 18. num. 21. *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius,quas operatus eſt, amplius non recordabor.* Illud tamen ſemper inquirendum eſt,cur hoc Dominus externa voce profert? Immò hoc verbum , *Remittuntur tibi peccata tua,* hic primò à Chriſto auditur , vt notat Rupertus ſtatim citandus.

Ezech. 18.

Secundò



51. Chryſolog. Secundò reſpondet D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 50. Remittuntur tibi peccata tua. *Hæc dicens* , ait , *ſe Deum volebat intelligi , qui per hominem oculis adhuc latebat humanis : virtutibus enim , & ſignis comparabatur Prophetis , qui per ipſum fecerant & ipſi virtutes : peccatis autem dare veniam , quia penes hominem non eſt , & eſt ſingulare Deitatis inſigne.* Per virtutes , ac miracula comparabatur Prophetis , nam hæc etiam illi præſtiterunt. Remittere autem peccata , peculiare eſt Deitatis elogium. Vt ergo Chriſtus ſe Deum hic manifeſtaret , peccata remittit.

*Remittere peccata, proprium diuinitatis elogium.*

52. Rupert. Tertiò Rupertus Abbas , *Potiſſimum* , ait , *expediebat nobis , potentem eſſe hunc Dominum , ſcilicet in remiſſionem peccatorum. Hoc eatenus non dixerat , quòd poteſtatem haberet dimittendi peccata , ſapienti nimirum vſus prouidentia diſcretionis , quatenus non hoc ante diceret , quàm factis comprobaret.* Maximè hæc poteſtas remittendi peccata nobis erat neceſſaria in Chriſto. Et tamen eam ſe habere , hactenus non explicauerat, ſed hic primùm hoc de ſe profert , magna vſus ſapientia. Maieſtas , & excellentia , non verbis, ſed operibus , & factis declaranda , ac manifeſtanda. Vide ſuprà *cap. 3. num. 70. & cap. 5. numero* 140. 141.

*Magnalitas non verbis, ſed operibus declaranda.*

53. Leo. Quartò D. Leo *ſerm. 11. de Paſſione.* Remittuntur peccata tua. *Vt per omnia* , ait , *opera ſua oſtenderet in illo aduentu ſuo Saluatorem mundi ſe veniſſe , non iudicem.* Valde mirum , quòd Paralytico totis viribus conuerſo in Chriſtum , ei à Domino remittuntur peccata ; & tamen calumniantibus Scribis ſupplicium pro ſua temeritate eis à Domino non infligitur. Volebat Dominus in ſuo aduentu ſe declarare , non iudicem , ſed Saluatorem ; & ideo quæ miſericordiæ , ac pietatis ſunt , indilatè profert. Ait enim Chriſtus de ſe , *Non miſit Deus filium ſuum in mundum , vt iudicet mundum , ſed vt ſaluetur mundus per ipſum,* Ioann. 3. numero 16. de quo egi cap. 3.

*Deus in ſuo aduentu oſtendit miſericordiam, non iudiciũ.* Ioan. 3.

54. Graue,& rigidum ſupplicium minatur Dominus Iudæis , dicens : *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus , qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ , quem occidiſtis inter templum , & altare* , Matth. 23. numero 35. Omnibus notum eſt,hic prænuntiari miſerabile excidium,ac deuaſtationem totius Ieruſalem , quæ per Titum , ac Veſpaſianum perpetrata eſt. Sed maximè dubitabis,vt notat D. Remigius. *Inquirendum eſt* , ait, *quomodo vſque ad ſanguinem Zachariæ dixerit, cùm plurimorum Sanctorum ſanguis poſtea effuſus eſt ?* Et Euſebius Gallicanus *homil. in feſto S. Stephani* , idem dubium mouet. Nam poſt Zachariam Dominus Ieſus occiſus eſt à Iudæis:& comparatione tanti facinoris omnis pœna parua , & exigua reperitur. Et certa eſt ſententia. de quo Chryſoſtomus *homil.* 46. quòd illa ciuitatis deſolatio facta eſt ob horribile nefas in morte Domini commiſſum. Cur ergo ait : *Vſque ad ſanguinem Zachariæ ?* Nónne poſt Zachariam Iudæi ipſum Dominum Ieſum , Stephanum, Iacobum , ac alios Domini diſcipulos occiderunt? Forſitan iſte ſanguis non requiretur ; ſed ſolùm illorum antiquorum vindicabitur ? Rem explico in ſenſu morali , de quo multa dicam ſuo loco. Quanuis diuina iuſtitia exigente grauis pœna ob mortem Domini , ac ſuorum diſcipulorum eſſet infligenda ; tamen pietas Domini Ieſu, quantum erat ex ſe,iniuriam ſibi , ſuiſque diſcipulis illatam condonabat : ſicut in Cruce pendens ad Patrem dicebat : *Dimitte illis , quia neſciunt, quid faciunt* ; quæ enim pietatis , ac miſericordiæ erant , ſibi adſcribebat. *Quoties volui congregare filios tuos , ſicut gallina congregat pullos ſuos.* Quæ verò ad iudicium , ac ſeueritatem ſpectabant , ad alios referebat : *Vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Vt in omnibus fieret notum, aduentum ſuum,noſſe in iudicium,ſed in miſericordiam , factum fuiſſe. Rectè Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioann. cap. 52. *Non enim,* loquitur Chriſtus , *miſſus ſum,vt lege Orbem terrarum , quemadmodum Moyſes , damnem : nec vt ſeruili miniſterio fungar. Verùm vt per miſericordiam Deo conuenientem , tanquam filius , ac hæres Patris à ſeruitute homines vendicem , & ſic à peccatorum vinculis genus eripiam.* Pro confirmatione huius rei , vide *tom. 1. libro primo quæſtione* 43.

Matth. 23. Remigius. Euſeb. Gal. Chryſoſt. *Chriſti aduẽtus ad miſericordiam , non ad iudicium.* Cyrill. Alex.



## QVÆSTIO IX.

### *Quare Chriſtus Dominus ante omnia det infirmo remiſſionem peccatorum, cùm,non ablutio animæ , ſed ſanitas corporis quæreretur.*

55. *Chriſtus nos ad excellentiora deducit.* OFFEREBATVR Chriſto Domino iſte homo , vt ab ipſo ſanitatem corporis impetraret. Ipſe tamen priùs dat remiſſionem peccatorum , vt eos ad excellentiora , ac perfectiora deduceret : prius namque agendum de ſalute animæ , quàm corporis.

56. Chryſoſt. Secundò Diuus Chryſoſtomus homil. 30. *Noluit* , ait , *ſtatim corpus palam propoſitum curare , verùm , vt ab inimicis ſibi occaſio traderetur , latentem atque abditam curam animæ contulit , cùm peccata dimiſit.* Priuſquam Dominus petitam corporis ſalutem homini daret , ei remittit peccata. Præuidebat Dominus calumniam Scribarum , quæ ex hoc facto erat ſequenda ; vt inde occaſionem aſſumeret ſuam probandi diuinitatem , duplici ſcilicet ſigno, reuelando cordis arcana , & dando ſalutem corporis. Semper enim maieſtas , & excellentia inter inuidias , atque aduerſariorum calumnias patefit , & declaratur. Vnde pergit citatus Chryſoſtomus. *Sapientia eius factum eſt, vt ex inuidia eorum multo magis ſignum appareret.*

*Inter inuidias , & calumnias declaratur maieſtas.* Chryſoſt.

57. Anſelm. Tertiò D. Anſelmus ſic ait : *Primo peccatorum vincula diſſoluit , vt oſtenderet , eum propter culpas diſſolutionem membrorum meruiſſe.* Sæpe infirmitates , ac vexationes ſunt veluti quædam verbera,quibus à Domino plectimur,vt emendemus , quæ ignoranter peccauimus , vt latè diſſerit D. Baſilius quæſt. 55. *Morbi* , ait , *ſæpenumero veluti flagella peccatorum ſunt , quibus nihil aliud agitur , niſi vt vitam noſtram in melius commutemus.* Vnde ait Moyſes *Deuteronom.* 28. *num.* 22.

*Morbi ſæpe ſunt flagella quibus verberamur, & corripimur.* Baſil. Deuter. 28.

CCc 2 Si

Si non audieris vocem Domini, *percutiet te Dominus egeſtate, febri*, &c. Et ad remouenda huiuſmodi flagella ab homine, dat Dominus ſanitatem animæ remittendo peccata.

58. *Deus plus dat, quàm petimus.*

Quartò. Priùs Dominus dat medelam animæ, ne homo manens in peccato corporis, ſanitate abuteretur. Quintò. Immenſa Domini liberalitas plus dat, quàm petimus. Obſecranti ſanitatem corporis, illam & animæ largitur. Vnde ait Diuus Ambroſius *lib.* 10. *in Luc.* 23. *num.* 42. ad illa verba, Hodie mecum eris in paradiſo. *Vberior eſt gratia, quàm precatio; ſemp r enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur. Ille rogabat, vt memor ſui eſſet. De Domino autem ſequitur. Et dixit illi Ieſus: Hodie mecum eris in paradiſo.* Vide *cap.6.numero* 71. *&* 119. *& capite* 20. *numero* 52. *&* 53.

Ambroſ. Luc. 23.

59. Sextò D. Hieronymus hîc, *Datur nobis intelligentia*, ait, *propter peccata pleraſque euenire corporum debilitates. Et idcirco forſitan dimittuntur priùs peccata, vt cauſis debilitatis ablatis ſanitas reſtituatur.* Idem docent D. Ambroſius *in cap.*5.*Luc.* D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* Gloſſa, Theophylactus, Euthymius, Beda, Haymon, Albertus Magnus, D. Thomas, & alij. Diuinus medicus, vt hominem ſanet, morbi cauſam, nempe peccata, priùs tollit, vt ait Theophylactus, *declarans, quòd paralyſis ex præteritis peccatis eſſet.* Vt nobis oſtendat, morbos, non à cauſis naturalibus, verbi gratia, intemperie aëris, vel qualitate ciborum, ſed à peccatis ſæpe oriri; vt ita cognita mali cauſa, ei medicamen adhibeamus, vt ſalutem aſſequamur. Si ergo mala temporalia euadere velimus, in ſananda anima totam diligentiam ponamus, nam ex eius morbo cætera mala tanquam à radice pullulant.

Hieron. Ambroſ. Paſchaſ. Gloſſa. Theoph. Euthym. Beda. Haymon. Albert. Mag. D. Thom. Theoph.

*Vt euitemus temporalia mala, animã mundemus.*

60. Cùm Dominus vellet Lazarum reſuſcitare priùs lachrymatus eſt: *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum*, Ioann 11. num. 33. Cur Domine, lachrymas fundis, cùm tam admirabile ſignum tuæ diuinitatis oſtendis, ac dilecto amico tam magnum beneficium largiris? Eleganter D. Ambroſius lib. de Ioſeph. cap. 10. *Turbauit ſe ſpiritu, cum Lazarum reſuſcitaret, & ibi fleuit, vt priùs lachrymis ſuis mortui delicta lauaret.* Vt Dominus ab amico fugaret mortem, ac infirmitatem, priùs cauſam mortis vult extinguere, ſuis lachrymis peccata eius abluendo; nos inſtruens, quòd vt euitemus temporalia, primò admoueamus manum ad peccata mundanda.

Ioan. 11. Ambroſ.

*Vt valeas curare corpus, ab anima incipe.*

61. 4. Reg. 4.

Vt filium Sunamitidis ſuſcitaret Eliſæus, ait textus 4. Reg. 4. num. 34. *Aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius; & calefacta eſt caro pueri; & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos eius.* Vbi noſtra Vulgata habet, *Incubuit*, legit Theodoretus, *Inſufflauit.* Sed ad quid Propheta ad euocandum à morte puerum, tam miram rem perpetrat, vt os, oculos, manus, & pedes componat ad membra pueri, vt eius carnem calefaciat, & oſcitando ſepties mortuum ad vitam reducat? Hæc agebat Propheta in Chriſti Domini typum, vt calore ſui corporis, ac inſufflatione gratiæ diuini Spiritus, vitiorum frigus ab anima pueri excluderet, & ita ſanata anima, ab eo morbum, ac mortem fugaret. Carthuſianus. *Cùm fructus ex charitate procedens ex calore concupiſcentiarum, & vitiorum fuerit mortificatus, orante anima, Chriſtus miſeretur, & mortuum ſuſcitat.* S. Eucherius. *Super mortuum*, ait, *ſepties inſpirat, quia per apertionem diuini numinis gratia ſeptiformis ſpiritus in peccati morte iacentibus aſpirat: moxque viuens agitatur.*

Theodor.

*Remoue peccata animæ, vt corpus viuificetur.*

Carthuſ. Eucher.

*Matth.*9.*n.*3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt inter ſe: Hic blaſphemat.

## *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quidam verò de Scribis dicebant in anima ſua.

*Arias.* Quidam Scribarum in ſe ipſis dixerunt.

*Radix Hebr.* Dixerunt apud ſe.

*D. Chryſolog. ſerm.* 50. Reſponderunt Phariſæi.

## ALTER TEXTVS.

*Marc.*2.*n.*6. Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis.

*Ibid. num.* 7. Quid hic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.

*Lucæ* 5. *n.* 21. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccuta, niſi ſolus Deus.

## *EXPOSITIO.*

TRIA hic notanda ſunt: Murmuratores. *Quidam de ſcribis dixerunt*; murmurationis modus, *intra ſe*; & murmuratio ipſa, *blaſphemat.* Calumniatores *dixerunt quidam de Scribis*, non omnes, vt notat Albertus Magnus, ſed quidam de Scribis, quia in omni ſerie, & gradu hominum, quanuis multi ſint iniqui, frequenter etiam extant aliqui probi; ideoque talium hominum gradus non eſt ſimul totus damnandus. *Dixerunt Scribæ*, qui erant ſapientes, ac legis doctores, & etiam Phariſæi, vt exprimit D. Lucas, nam hi erant religioſi, & de religione agebant. *Dixerunt intra ſe.* Ecce murmurationis modus. Quamquam aliqui Recentiores velint, quòd illi mutuo inter ſe loquerentur; tamen, vt ait Syriacus, *dicebant in anima ſua*; ſeu clariùs Marcus, *in cordibus ſuis.* Ac proinde non protulerunt verba, ſed in anima cogitabant, vt aduertunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, D. Paſchaſius. Et non exteriùs dicebant ob timorem plebis. Et ita ait Lucas: *Cœperunt cogitare*; quia impij ita incipiunt in malo, vt ab illo nunquam deſiſtant.

62. *Tria notanda.*

Alb. Magnus

*Ob vnum delinquẽtem totus vnus hominũ gradus condemnandus non eſt.*

Syriacus. Marcus. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Paſchaſ. Lucas.

Tertiò.



63. Tertiò. Murmuratio ipſa, *blaſphemat. Blaſphemia* verbum eſt ex Græco deriuatum, & ſignificat, opprobriis, ac conuiciis afficere, Apud autem ſacros Scriptores aſſumitur, quando quis impiè loquitur de Deo, ac de eius Sanctis. Quod dupliciter fit, vt notat Toletus *annot.* 40. aut quando quis Deo imputat, quod eius dedecet dignitatem; aut quando negat, ſeu detrahit, quod eius conuenit maieſtati. Vnde qui Deo propriam poteſtatem condonandi peccata adimit, eamque ſibi vſurpat, grauem contumeliam committit in Deum, in magnamque blaſphemiam incidit. Conſidera deprauatum hominum genus. Dum volunt zelare honorem Dei, cuius eſt dimittere peccatum, ipſummet offendunt, cùm hoc Chriſto Domino denegent, qui verus eſt Deus.

*Quid ſit blaſphemia.*

Tolet.

*Iniqui ſæpe, dum zelare volunt diuinũ honorem, ipſum lædũt.*

64. Et dicebant, vt ſcribunt Marcus, & Lucas: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.* Cauſam, cur eum blaſphemare cogitent, apponunt; nam ſecundùm Scripturas, remittere peccata, Deo attribuitur. *Ego, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, Iſai. 43. num. 25. Et hoc etiam frequenter tribuitur Meſſiæ: *Purgabit filios Leui*, Malach. 3. num. 2. Iſai. 6. num. 7. Ezechiel 36. num. 25. Vide, quàm deprauatum, & errans ſit hominum iudicium. Viderant admirabilem Chriſti vitam, diuinam doctrinam, ac tot miraculoſa ſigna; quomodo ergo dicunt, *blaſphemat*; potiùs enim dicere debebant: dimittere peccata, ſolius eſt Dei, vtpote filij Dei; hic verò remittit peccata; ergo hic eſt verus Meſſias, hic eſt verus Deus. De hoc vide alia *quæſt. ſequenti num.* 68.

Iſai. 43. Malach. 3. Iſaiæ 6. Ezech. 36.

*Iniquorum iudicium errans.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare tam deprauato iudicio Scribæ hic Dominum calumnientur?*

65. ADERANT hic Scribæ, & Phariſæi, vt patet ex *Luc.* 5. *num.* 17. Et tamen, vt dubitant Abulenſis hic *quæſt.* 13. & Salmeiron *tom.*6.*tract.* 14. D. Matthæus ſolùm facit mentionem de Scribis: *Quidam de Scribis dixerunt.* Ad quod reſpondent, quòd quanuis adeſſent Phariſæi, Scribæ dixerunt, quia Scriba erat ſapiens, & doctor in lege; Phariſæus autem vir religioſus. Et dubium hoc, ſcilicet, An Deus poſſit remittere peccata, pertinebat ad ſolos ſapientes, quia tantùm per legem, & rationem ſciri poteſt. Et Phariſæi, quanuis iniqui, & peſſimi, in præſenti euentu ſe in hoc non intromittunt, ſed Scribis tanquam eorum proprium hoc relinquunt. Vide ſuprà *cap.*1.*n.*50. *& c.*19.*n.*7. *&* 8. *& c.* 22. *n.* 85. *cap.* 24. *num.* 17. Deinde, quia ſi inſipientes id dicerent: *Quis poteſt dimittere peccata*, &c. non erat cauſa ſigni, quia contemnerentur, vt ignorantes; ſecus ſapientes, quibus Populus credebat. Tamen dicendum eſt, quòd & Phariſæi, & Scribæ Dominum calumniati ſunt, & dixerunt: *Hic blaſphemat*; vt expreſsè patet ex textu Lucæ appoſito. Et ſæpe vnus Euangeliſta exprimit quaſdam circunſtantias; quas alius tacet. Vel fortè in hac murmuratione Scribæ, vtpote ſapientiores, principaliores fuerunt. Ad quæſtionem veniamus.

Abulenſ. Salmeiron.

*Homo non ſe intromittat in his, quæ ad ſe non pertinent.*

*Scribæ, & Phariſæi murmurarunt.*

66. Reſpondet primò Euthymius. *Offendebantur*, ait, *præ inuidia, & malitia. Nam frequenter eum viderant etiam cum auctoritate morbos fugantem, & Dæmones eiicientem, vento, marique imperantem: & hæc omnia modo humanas vires ſuperante facientem. Sed hi proprias vlciſcentes affectiones, Dei videbantur iniuriam vlciſci.* Inuidia ſtimulante obmurmurabant, & prætendentes zelum honoris Dei, venenum ſuæ malitiæ, odiique diffundere, atque exequi cogitabant, vt ſæpe faciunt iniqui. Vide *capite* 5. *num.* 21.

Euthym.

*Inuidi ſæpe prætextu zeli Dei ſuum venenũ diffundunt.*

67. Reſpondeo ſecundò, quòd Scribæ, vt legis doctores, ex Scriptura ſciebant, proprium eſſe Dei, dimittere peccata, vt dixi in expoſitione. Et aliunde tanquam aduerſarij ſolùm in Chriſto videbant humanam naturam fragilem, & debilem; atque eius diuinitatem credere nolebant. Vnde ait Diuus Bonauentura: *In hac cogitatione deſpiciunt Saluatorem, quaſi vilem.* Et ideo apud ſe ſtatuebant, quòd peccata minimè demittere poterat: inimicus enim nunquam agnoſcit, quæ te extollunt, atque nobilitant; ſed quæ te deprimunt, atque dedecorant. Vide *cap.* 2. *num.* 103. *& cap.* 18. *num.* 25. *&* 26. *& tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 10. *&* 144.

Bonauent.

*Inimicus non vidit, quod nobilitat, ſed quod dedecorat.*

68. Tertiò. Viderant Scribæ admirabilem Chriſti vitam, diuinam doctrinam, præclara, & eximia ſigna, atque miracula: & tamen dum ab eo audiunt dici Paralytico: *Remittuntur peccata tua*, ſtatim condemnant, & dicunt: *Hic blaſphemat.* Si in hoc aliqua offerebatur difficultas, cur ſubmiſsè à Domino non interrogant? Sunt homines adeò ſuperbi, & ita de ſua ſcientia præſumentes, vt quod ipſi non intelligunt, neque capiunt, ſtatim illud reprobent, ac impoſſibile iudicent. Et ideo de iſtis ait D. Chryſologus ſerm. 50. *Phariſæe, ſciendo neſcis.* Dum de ſe confidunt omnia ſcire, quod eſt eis neceſſarium ignorant. Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 73. Non interrogant, ſed aſſertiuo iudicio apud ſe ſtatuunt: *Hic blaſphemat*; exiſtunt enim homines ita inflati de ſcientia ſua, vt potiùs ſe ſinant in mille errores prolabi, quam vnam veritatem inquirere, & interrogare.

*Iniqui, quod non intelligunt, damnant.*

Chryſol.

69. Quartò. Viderant iſti ſanctiſſimam Chriſti vitam, ac doctrinam; & dum audiunt à Domino tantum beneficium Paralytico collatum: *Remittuntur tibi peccata tua*; ſtatim dicunt: *Hic blaſphemat.* Iniquorum ingenium, omne namque bonum in mortiferum venenum conuertit; & ſalutiferum Domini verbum: *Remittuntur tibi peccata tua*; in contumelias, ac blaſphemias retorquet.

*Iniqui omne bonũ in venenum vertunt.*

70. Quintò dicunt: *Hic blaſphemat*; vt excellentiſſimam Chriſti poteſtatem denegẽt, vtque tantum beneficium homini collatum inficientur. Hæc eſt propria ſuperborum, ac iniquorum natura, vt nullum bonum aliis ineſſe velit, ſed omne, quod vtile eſt, ab eis eradicare deſideret, atque excludere, vt ſicut ipſi omni bono ſunt expoliati, ita & alij omni commoditate careant. Ait Regius Vates Pſalm. 36. n. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani.* Vbi ſermo eſt ad litteram de impiiſſimo, ac ſuperbiſſimo Goliath; vel de iniquo Rege Saule. Sed cur hos ſceleratos, ac ſuperbia inflatos comparat potius cedris, quàm aliis arboribus? Theodoretus. *Meritò igitur illorum fœlicitatem*

*Superbi omnia bona negant, & omnia eſſe infœcunda volunt.*

Pſalm. 36.

Theodor.



*ſterili*

Superbus ſterilis, & infœcundus.

ſterilibus arboribus comparauit. Cedrus arbor eſt infœcunda, nullum fructum profert: bene ergo tali ligno comparatur iniquus,& ſuperbus, cùm malitia ſua velit omnem fructum exſiccare, & omnia infructifera,ac inutilia reddere.

---

## Qvæstio XI.

### *Quare Scribæ in corde ſuo cogitent mala de Chriſto, & ore non loquantur?*

71. Chryſoſt. Paſchaſ.

RESPONDENT primò D. Chryſoſtomus *homil.* 30. *in Matth.* Paſchaſius *lib.* 5. Phariſæi multitudinis metu ſuam malam intentionem aperire, ac Chriſtum impugnare,& calumniare palàm non audebant;& ita ſolùm in cordibus ſuis meditabantur de Domino malum. Sicut principes Sacerdotum nitebantur ſæpe Chriſtum comprehendere, de eoque multoties murmurabant, *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum*, ait Ioan. 7. *n.* 13. nam omnes ſicut Prophetam eum habebant;ſæpe enim iniquos, non Dei reuerentia cohibet,ſed humanus timor comprimit,& refrænat,vt à malo deſiſtant,non ob Deum, ſed ob humanos reſpectus.

Ioan. 7. *Quos nō Dei reuerentia, humanus timor cohibet.*

72. Abulenſ.

Secundò reſpondet Abulenſis *hîc quæſt.* 14. In corde ſuo dixerunt; nam iſta res erat periculoſa, & capitalis: nam, ſi verum eſſet, quòd Chriſtus blaſphemaret, vt illi putabant, erat reus mortis, quia blaſphemi lapidabantur, ſecundùm legem Moyſi *Leuitic.* 24. *num.* 14. In rebus autem tam grauibus non debet quis ſe ipſum præcipitare:& ideo non audebant adhuc loqui Scribæ, quanuis impiiſſimi; ſed fortè expectabant, an adderet etiam alias blaſphemias,vt ipſis videbatur, & ſic maiori apparentia poſſent eum arguere.

Leuitic. 24. *In negotio magni ponderis, ac detrimenti circūſpectè loquendum.*

73. Tertiò. Non audent manifeſtè loqui, timebant enim, ab infinita Chriſti ſapientia refutari, ac confundi: ſed fortè expectabant, vt ab eius præſentia diſcederent, vt tunc liberè, nemine contradicente, poſſent venenum ſui animi euomere. Hæreticorum, ac iniquorum ingenium, qui à veris doctoribus, à quibus inſtrui poſſunt. fugiunt, vt ſic audenter ſuos errores ſpargere, ſuaque falſa dogmata ſeminare valeant.

*Iniqui coram veris doctoribus loqui non audent.*

74. Quartò. Non verba murmurationis ore proferunt, quia non fuit eis locus loquendi permiſſus, nam vbi primum illa mala cogitare cœperunt, ſtatim eis occurrit Chriſtus: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et ita antequam loqui poſſent, præuenit Dominus. Et hoc bene colligitur ex textu Marc. 2. num. 7.& 8. *Erant quidam de Scribis cogitantes in cordibus ſuis, Quid hic loquitur blaſphemias. Quo ſtatim cognito Ieſus quòd ita cogitarent intra ſe, dicit ad illos*, &c. Expende illud verbum *ſtatim*: nam cùm talis cogitatio ſubiit eorum mentem,indilatè diuinus Magiſter occurrit, ac locutus eſt, & eorum prauas affectiones refutat, ac comprimit, docens nos, quòd vbi primum malum pullulauerit, mox eſt amputandum, ac illius radix reſecanda, ne ſerpendo vires aſſumat. Vnde magnus ille prædicator Ioannes clamabat: *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*, Matth. 3. num. 10. Non ad ramos, ſed ad radicem, atque originem, vt ita medicamen ſalutiferum adhiberet.

Marc. 2.

*Malum in ſua radice amputandū, ne creſcat.*

Matth. 3.

75. Gen. 13.

Ait Abrahamus conſobrino ſuo Lot: *Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus, recede à me obſecro*, Geneſ. 13. num. 8. Contentio, ac rixa ſolum fuerat inter vtriuſque paſtores; quomodo Abrahamus ait ad conſobrinum: *Ne ſit inter me, & te.* nam facile Lot dicere poterat, nullum mecum tibi fuit iurgium; hoc tantùm extitit inter noſtros paſtores. Sapienter Abrahamus hæc ait; nouerat enim, quòd ſæpe rixa ſeruorum ſeminarium ſit contentionis dominorum, præcipuè cùm circa eorum ſubſtantiam exorta ſit. Cùm vidiſſet ergo altercationem ſeruorum, voluit in radice amputare diſcordiam inter dominos, hoc eſt, inrer ipſum, & Lot; & ideo ait ei: Recede à me. Abulenſis ibi. *Hoc ponitur*, ait, *ad denotandam prudentiam Abrahæ, & virtutem: pertinet nempe ad virum iuſtum, & prudentem, vt viſa occaſione mali, ſtatim prouideat, & non diſſimulet, quia in exordio poteſt præuideri contra mala, ne fiant; in progreſſu autem non poteſt præuideri. Ideo ſicut Abraham, cùm eſſet vir ſanctus, & prudens, cognito quòd paſtores iurgati eſſent, & habito, quid ex hoc ſequi poſſet, ſtatim locutus eſt ad Lot, vt tolleretur occaſio futurorum malorum.* Vide ſuprà *cap.* 22. *numero* 72. & 73. & *cap.* 24. *num.* 83.

*Malum in ſua origine reſecandum.*

Abulenſ.

*Matth. 9. n. 4.* Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

*Ibid. num. 5.* Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge,& ambula?

### *VERSIONES.*

*Syriacus n. 4.* Ieſus autem ſciens cogitationes eorum.

*Vatablus.* Quare vos cogitatis mala?

*Tertull. lib. de Reſur. c. 15.* Quid cogitatis in cordibus veſtris nequam?

*Syriacus n. 5.* Vtrùm enim facilius eſt, dicere?

*Græcus apud Salmeiron.* Cur, ſeu quare facilius eſt, dicere.

*Euthymius.* Remiſſa ſunt tibi peccata tua.

*Arias.* An dicere: Erige, & ambula?

### Alter Textvs.

*Marc. 2. n. 8.* Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent contra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?

*Ibid.*



*Ibid. num. 9.* Quid eſt facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula?

*Luc. 5. n. 22.* Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtis?

*Ibid. num. 23.* Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere Surge,& ambula?

### *EXPOSITIO.*

76. Albert. Mag.

TRIA hîc Dominus exhibet, vt notat Albertus Magnus; intuitionem peccati, huius reprehenſionem,& efficacem conuictionem. Intuitio peccati. *Cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum.* Seu, vt notat Marcus, quo ſtatim cognito, id eſt, in ipſomet puncto quo cogitarunt, agnouit Ieſus: nihil enim diuinum intuitum fugit, vt dicitur Eccleſiaſt. 23. num. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes.* Dum Chriſtus Dominus oſtendit, ſe hominum corda penetrare, patenter, & clarè, ſe Deum eſſe manifeſtat, vt notarunt hîc Chryſoſtomus, Hieronymus, D. Paſchaſius, Euthymius, Theophylactus. Nam ſolius eſt Dei, abſcondita cordium intueri. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum*, 2. Paralip. 6. num. 30. 1. Reg. 16. num. 7. Pſalm. 7. num. 10. Et quanuis Prophetæ mentis arcana cognouiſſent aliquando; hoc erat Deo reuelante,& cognitionem communicante. Ieſus autem, vt ait Marcus, cognouit ſpiritu ſuo, hoc eſt, vt verus Deus per ſe ipſum cognouit, ac per ſpiritum ſuum omnia penetrantem. Vide, quàm in vanum laborant inuidioſi, ac inimici; nam dum Chriſti virtuti detrahunt, maiores occaſiones parant ſuos radios emittendi, ac declarandi, vt hîc præſtitit triplici ſigno, vt notat Caietanus, remittendo peccata, reuelando humanas cogitationes, dando ſalutem corpori paralytico: ſed obdurata Phariſæorum, ac Scribarum corda nihil hæc emolliunt.

Eccl. 23.

Chryſoſt. Hieron. Paſchaſ. Euthym. Theophyl. 2. Par. 6. 1. Reg. 16. Pſalm. 7.

*Inimici, dum detrahunt, dant occaſiones maioris gloriæ.*

77. Reprehenſio: *Vt quid cogitatis mala?* hoc eſt, me blaſphemias eructare, cùm dico paralytico: *Remittuntur peccata tua.* Diuinus magiſter has iniquas cogitationes audacter reprehendit: nam quanuis Scribæ, & Phariſæi eſſent valde inflati, ac primas in populo haberent; tamen eorum crimen non diſſimulat Dominus, ſed arguit; nam qui crimina diſſimulat, aliquando fouet. Et antequam eorum cogitationes damnet, dicitur, quòd viderit, ſcilicet in ſua infinita, & ineffabili ſapientia.

*Qui crimina diſſimulat, aliquando fouet.*

78. Conuictio efficax: *Quid eſt facilius dicere.* Bis Dominus interrogando eos increpat: *Quid cogitatis? Quid eſt facilius, dicere*; vt eorum corda ad accipiendam veritatem efficaciùs illuſtraret, ac moueret. *Quid eſt facilius dicere*, viſibili ſigno ſanitatis hominis, *Surge, & ambula*, oſtendit ſuam inuiſibilem poteſtatem remittendi peccata. Vox *quid facilius*, ſeu ex Græco, *Cur facilius* dicitis, remittere peccata huic paralytico petenti ſanitatem corporis; quia aſſertor talis rei, cùm ſit quid inuiſibile, non poteſt apertè conuinci mendacio; *aut dicere, ſurge, & ambula*; quia cùm hoc ſit quid viſibile, & palpabile, aſſertor talis rei, niſi illud ponat ante oculos, ſtatim mendax deprehenditur. Et ideo ab hoc ſigno viſibili demonſtrat ſuam poteſtatem inuiſibilem. de quo *quæſt. ſeq.*

*Legitimus ſenſus.*

---

## Qvæstio XII.

### *Quare Chriſtus non dicat de ſe palàm, ſe eſſe Deum; & ex Prophetis oſtendit, ſe habere poteſtatem remittendi peccata?*

79. Tolet.

QVAMQVAM Toletus *annot.* 42. *in* 5. *Luc.* exiſtimet, quòd, dum hîc Chriſtus Dominus oſtendit, ſe agnoſcere ſecreta cordium, ſolùm manifeſtat, ſe habere poteſtatem diuinam; nam etiam Prophetæ, & Ioannes *Luc.* 3. *n.* 15. intima cogitationum penetrarunt, non virtute propria, ſed diuina communicata, & conceſſa. At Chriſtus Dominus hîc manifeſtauit, ſe habere illam virtutem, non communicatam, ſed vt propriam ſuam connaturalem, vt exprimit D. Marcus, cognouit Ieſus ſpiritu ſuo, id eſt, per proprium ſpiritum, per ſuam propriam virtutem: & ita ſe eſſe Deum demonſtrauit, vt præter Patres, citatos in expoſitione, docent D. Cyrillus *lib. de fide ad Reginas*, D. Ambroſius *cap.* 5. *Luc. & in hoc cap.* 8. *Matth.* Albertus Magnus, S. Thomas, Rupertus, Euſebius Emiſſenus, S. Antonius Vlyſſiponenſis *in Domin.* 19. *poſt Pentecoſtem.* Vnde ait D. Chryſologus ſermone 50. *Cape Chriſti diuinitatis inſignia, aſpice eum ad cogitationum tuarum latebras perueniſſe.*

*Chriſtus hîc oſtēdit ſuam diuinitatem.*

Cyrill. Ambroſ. Albert. Mag. D. Thom. Rupert. Emiſſen. Ant. Vlyſſip. Chryſolog.

Cùm hoc ergo ita ſit, cur Chriſtus Dominus apertè non dixit de ſe, eſſe Deum; Cur non ait, quòd Prophetæ hanc poteſtatem de eo prædixerunt, vt notaui num. 62. Cur non ait, quòd Ioannes de eo proclamauit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioannis 1. *num.* 19. Nihil eorum dixit humilitatis magiſter, modeſtiæ cauſa. Deinde, quia ſe voluit manifeſtare Deum operibus, reuelando ſecreta cordium, ſanando infirmum. Et ita dicebat Ioan. 10. num. 25. *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Et iterum num. 38. *Operibus credite.* Etſi Scribæ, & Phariſæi operibus non credebant, minimè eius verbis acquieſcerent, cùm prophetias ad alios ſiniſtros ſenſus ſua malitia retorquerent. Tertiò, quia ſi Chriſtus hoc apertè dixiſſet, ſe eſſe Deum, Iudæi ob inuidiam maximè ſe illi opponerent; etiamſi, vt notat Salmeiron *tom.* 6. *tract.* 14. Ioanni dicenti: *Ecce Agnus Dei*; non auſi fuerint ſe opponere propter magnam illius auctoritatem. 80.

Ioan. 1. *Cur Chriſtus non dixit palàm, ſe eſſe Deum.*

Ioan. 10.

Salmeiron. *Baptiſta in magna erat reuerentia.*

Quartò. Vt multus eſt Abulenſis *quæſt.* 18. Quia ſi Chriſtus Dominus palàm dixiſſet, ſe eſſe Deum, tunc Scribæ, & Phariſæi tumultuarent 81.

Abulenſ.

rent, & ante completa myſteria eum occiderent; vel nunquam auſi eſſent ad eum crucifigendum, quia Deum nemo occidere vellet. Vnde ait Paulus 1. Corinth. 2. num. 8. *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixent.* Et ſic impediretur myſterium noſtræ redemptionis, quòd morte Chriſti præparatum eſt. Vnde Dominus antequam occiſus eſſet, noluit dicere palam, ſe eſſe Meſſiam, *Ioannis* 10. *num.* 24. dixerunt Iudæi: *Quouſque animam noſtram tollis, ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm*; id eſt, non dicas per circunlocutiones. Chriſtus autem dicere noluit, ſed tantùm ait: *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Sic autem Dominus clarè ſe manifeſtauit eſſe Meſſiam, ac filium Dei Samaritanæ, *Ioannis* 4. *num.* 16. Et cæco nato, *Ioannis* 9. *num.* 37. Sciebat enim, nullum inde oriturum ſcandalum, neque aliquod paſſioni ſuæ impedimentum.

1. Cor. 2.
Ioan. 10.

82. Quinto Iudæi odio excæcati maximè ira deferbuerunt, ac lapidare voluerunt, cùm eum audierunt, dicentem: *Antequam Abraham fieret ego ſum*, Ioannes 8. num. 58. Quod multo minus erat dicere, quàm publicare, ſe eſſe Deum. Item quando dixit: *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me meæ, & ego vitam æternam do eis*, Ioannis 10. num. 28. Suſtulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Minùs etiam erat, quod dixit apud Matthæum 26. num. 64. *A modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*; & tamen illum, vt reum mortis condemnarunt. Ideo prudentiſſimè res tanta non debuit ab initio clarè proponi, ſed paulatim fuit inſinuanda, atque ſignis, miraculis, & virtutibus populus diſponendus, donec propoſita fide poſt Pentecoſten, multis peractis ſignis diuinitas Chriſti patenter publicaretur, vt bene aduertit Salmeiron *citatus*.

Ioan. 8.
Ioan. 10.
Matth. 26.
Salmeiron.

83. Alta prouidentia hanc mediam viam elegit Dominus, bonis, & malis ſatisfaciens. Nam, dum ſe dicit remittere peccata, & arcana cordium penetrare; apertè bonis ſuæ diuinitatis nota dabatur, præcipuè cùm in eo apparerent omnia ſigna deſiderata, vt eum tanquam verum Deum agnoſcerent, ac venerarentur. Et dum de ſe non ait palàm, quòd ſit Deus, iniquis remouet omnem anſam calumniæ, & iræ. Et ideo fortè non dixit: Remitto peccata; ſed per tertiam perſonam, *Remittuntur peccata.* nam poteſtas remittendi peccata omnibus erat benefica, & nulli iniurioſa, nec inde ſumi poterat occaſio, vt eius ſacratiſſima paſſio impediretur. Et ita omnibus & bonis, & malis ſe contemperauit, ac ſatisfecit.

*Bonis, & malis ſatisfaciendum.*

84. Videt Ioannes Chriſtum Dominum in ſuo Apocalypſi, & ait de illo: *Vox illius tanquam aquarum multarum: & de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat*, Apocal. 1. num. 15. & 16. Sed ad quid tam diſpar vox eius cernitur, vt aquarum multitudo, & vt gladius acutus? Gladius fortis, & rigidus, promptuſque ad cædendum: aqua verò ſuauis, mitis, & facilè ſcinditur. Agebat Chriſtus Dominus hîc Prædicatorum vices, vt notarunt Andreas Cæſariæ Epiſcopus, Primaſius, Anſbertus, Gloſſa, & alij; & vt bonis, & malis ſe accommodans dicitur vox illius, & vt aquarum multitudo, & vt gladius. Erga bonos Prædicatoris vox ſe habet, tanquam aquarum multitudo, quarum guttis, ac rore cœleſtis doctrinæ eorum corda irrigata fœcundantur, vt vberes fructus fidei, charitatis, ac cæterarum virtutum producant, vt dixit Hugo de S. Victore. *Vox igitur eius tanquam vox aquarum multarum, vox eius ad modum aquarum per orbem currentium, & eum irrigantium ſonat.* Erga malos autem eſt vox tanquam gladius acutus ad peccatorum vitia, calumniæ, iræ, ac odij præſcindenda, & reſecanda. Aretas Capadociæ Epiſcopus. *Gladius ex ore procedens ſummam eorum ſubindicat promptitudinem, qui in nouo Teſtamento ceruicoſi, inobedienteſque ad ineuitabilem animæ perniciem acriter feruntur, ad hoc videlicet, vt per medium diſſecentur. Quam etiam ſectionem Dominus in Euangeliis indicauit, dum ſeruo pigro ſectionem comminatur.* Vide *cap.* 2. *n.* 45. & *cap.* 5. *num.* 225. & *cap.* 7. *num.* 21.

Apoc. 1.
Andreas.
Primaſ.
Anſbert.
Gloſſa.
*Prædicator bonis, & malis contemperetur.*
Hugo de S. Victore.
Aretas.

---

## Q VÆSTIO XIII.

### *Quid ſit maius, paralyticum ſanare; vel peccata dimittere? Et quis ſit ſenſus verborum Chriſti?*

85. TENENDVM eſt in hac re cum D. Chryſoſtomo *homil.* 30. *in Matth.* D. Paſchaſio *lib.* 5. *in Matth.* quòd per ſe difficilius eſt, remittere peccata, quàm paralyticum ſanare: immò, quàm cælum, & terram denuo creare. Et in hac ſententia ſunt etiam, D. Auguſtinus *tractat.* 72. *in Ioan.* D. Gregorius *lib.* 3. *Dialog. cap.* 17. D. Leo *ſerm. de Paſſione.* Probatur primò. Quia peccatum, ac peccator, vt inimicus Dei, longius diſtat à Deo, quàm paralyſis, ac paralyticus; immò quàm omnes res creatæ; nam ex eo, quòd creatæ, bonæ ſunt, & enti, ac Deo non opponuntur. Peccatum verò eſt malum morale ex diametro Deo repugnans, eique contrarium: nulla enim ſibi magis contraria exiſtunt, quàm ſumma bonitas. & ſumma malitia, hoc eſt, Deus, & peccatum. Secundò. Remiſſio peccatorum pertinet ad altiorem ordinem, nempe ad ſupernaturalem gratiæ, quæ excedit omnes res naturales; nam gratia eſt ſumma Dei participatio, vt fatentur Theologi cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 9. Curatio autem paralytici in ſe eſt quid naturale, licèt quo admodum dicatur ſupernaturale. Tertiò. Multo nobilior eſt anima, quàm corpus: ergo & illius curatio.

Chryſoſt.
Paſchaſ.
Auguſt.
Gregor.
Leo.
*Quid maius, remittere peccata? an paralyticum ſanare?*
S. Thom.

86. Cùm ergo hæc ita ſe habeant, videtur Chriſtus Dominus argumentari ex maiori ad minus, nempe ex poteſtate remittendi peccata ad poteſtatem ſanandi paralyticum. Ideo indagandus eſt ſenſus verborum Chriſti. Ac proinde dicendum cum D. Hieronymo hîc: *Fit carnale ſignum. vt probetur ſpirituale.* Idem docent D. Chryſoſtomus *homil.* 30. *in Matth.* D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* Theophylactus, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura. Quod dupliciter explico.

Hieron.
Chryſoſt.
Paſchaſ.
Theophyl.
Albert. Mag.
D. Thom.
Bonauentr.

87. Primò cum Victore Antiocheno *in* 2. *Marc.* Theophylacto *ibid.* & Caietano; vt dixi in expoſitione. Ac ſi dicat Dominus: Vos cogitatis, me non poſſe ſanare corpus iſtius hominis, quod erat

Antioch.
Theophyl.
Caietan.



expoſtulatum, & ideo me confugere ad id, quod eſt occultum, quia dicere: *Remittuntur tibi peccata*, quilibet poteſt, exiſtente abdita veritate dicti; nullus enim homo poteſt eſſe teſtis, an hoc dictum ſit verum. Secus verò ſi dicatur: Surge, & ambula: cùm hoc ante omnium aſpectum ſit poſitum. Tunc Dominus ait ad eos per interrogationem: *Quid eſt facilius, dicere, remittuntur peccata tua; an dicere, ſurge, & ambula?* Vt ergo ſciatis, me habere illam excellentiſſimam poteſtatem remittendi peccata, facio id, quod minus; & ita facto diſſoluo, quod contra me obiicitis. Et hæc eſt vera, & germana huius rei intelligentia, ac explicatio.

*Vera intelligentia.*

88. Secundò reſpondetur cum D. Hieronymo *hîc*, Euthymio, Abulenſi *quæſt.* 19. Toleto *in cap.* 5. *Luc. annot.* 43. quòd Chriſtus Dominus hîc vtrumque opus, ſcilicet remittere peccata, & dicere paralytico: Surge, & ambula, comparauit inter ſe, vt comparatio fieret ad hominem. Illi enim Chriſtum blaſphemum exiſtimabant, quia cùm homo exiſteret, ſibi arrogabat id, quod proprium Dei erat. His occurrit Chriſtus, & ait: Quid eſt facilius, ſeu, vt eſt in Græco, *Vtrum eſt facilius dicere, dimittuntur peccata tua; an dicere, ſurge, & ambula?* Quaſi dicat, neutrum eſt facile homini, vtrumque illi impoſſibile, vtrumque enim eſt miraculum, ac infinitam Dei virtutem requirit; quanuis enim remittere peccata, in ſe, ſit quid maius; tamen vtrumque eſt opus diuinæ poteſtatis, & rectè ex vno argumentatur ad aliud.

Hieron.
Euthym.
Abulenſ.
Toler.

*Matth. 9. n. 6.* Vt autem ſciatis; quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectulum tuum, & vade in domum tuam.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Vt autem cognoſcatis, filium hominis habere poteſtatem in terra remittendi peccata, ait paralytico illi.

*Græcus.* Filium hominis habere dominium.

*Arias.* Filium hominis habere auctoritatem.

*Theophylact.* Vt autem ſciatis, quòd poteſtatem habeat filius hominis ſuper terram remittere peccata.

*Tertullian. lib. de pudicitia, cap. 22.* Igitur vt ſciatis, filium hominis habere dimittendorum peccatorum in terris poteſtatem, tibi dico, Paralytice, ſurge, & ambula.

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 2. n. 10.* Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, Tibi dico: ſurge, tolle grabatum tuum, vade in domum tuam.

*Luc. 5. n. 24.* Concordat cum Marco,

### *EXPOSITIO.*

PROBAT Dominus viſibili ſigno, ſe habere poteſtatem in terra dimittendi peccata. *Vt autem ſciatis, quia filius hominis*; ſe Chriſtus Dominus hîc filium hominis nominat, quia non ſolùm qua Deus, ſed etiam qua homo meritoriè remittebat peccata, vt dicam quæſt. ſequenti. *habet poteſtatem*, ſeu *auctoritatem*, vt habet Arias, ſeu *dominium*, vt Syriacus legit, *in terra*, ſeu *ſuper terram*; his ſignificat Saluator, quòd cùm ipſe ſit præſens in terra, remiſſio peccatorum procul non ſit quærenda, cùm ad manus eam habeant homines, vt eam inueniant, & obtineant. Et hæc verba duplicem poſſunt habere ſenſum: habet poteſtatem exiſtens ipſe in terra: vel, habet poteſtatem dimittendi peccata hominibus habitantibus in terra. Et hunc ſecundum ſenſum indicat Theophylactus *in cap.* 5. *Lucæ.* D. Fulgentius *lib.* 2. *de remiſſione peccatorum, cap.* 20. Quod ideo dicitur ſuper terram, quia indulgentia remiſſionis peccatorum conſtitutione diuina conceditur hominibus exiſtentibus ſuper terram: in futuro enim datur merces iuxta qualitatem factorum. Et ita notat S. Pater, quod Petro dicitur: *Quodcumque ligaueris ſuper terram*, Matthæi 16. num. 19. & illud Pſalm. 38. num. 14. *Remitte mihi, vt refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero.* 89.

Arias.
Syriacus.
*In Chriſto adeſt remiſſio peccatorum.*
Theophyl.
Fulgent.
*Tempus merendi eſt in hac vita.*
Matth. 16.
Pſalm. 38.

*Tunc ait paralytico.* Hæc verba ſunt Euangeliſtæ. appoſita ad explicandam rem geſtam, & ſimul Chriſti verba. Vnde à Syriaco, ac à multis Patribus per parentheſim leguntur. *Surge*, iam perfectè ſanus excluſo omni morbo, *tolle lectulum, & vade in domum tuam*, vt, ait Paſchaſius, vera ſanitas, ac robur corporis omnibus conſtaret; & non caſualis, ac apparens videretur; & ita Chriſtus Dominus non nudis verbis, ſed etiam factis contra Phariſæos argumentatur. 90.

Syriacus.
Paſchaſ.

---

## Q VÆSTIO XIV.

### *Quare Chriſtus Dominus non dixerit de ſe expreſsè: Ego remitto peccata; ſed per tertiam perſonam agens ait:* Filius hominis habet poteſtatem?

DVo breuiter inquiro in hac quæſtione. Primò, quare Chriſtus non dixit; Ego remitto 91.

mitto peccata. Secundò, quare ſe hic filium hominis vocat? Reſpondet primò Chryſoſtomus *homil.* 30. Quòd hoc fecit modeſtiæ, ac humilitatis cauſa, vt ſæpe dictum eſt, quia remittere peccata, erat magna excellentia; & noluit videri, quòd ore ſuo ſe laudabat, ac de ſe magna dicebat. Secundò ait Abulenſis *quæſt.* 24. quòd Chriſtus Dominus ita loquebatur, quaſi de alio diceret, cùm tamen ſeipſum intelligi vellet, quia iſte modus dicendi eſt de aliquibus, quando de ſe ipſis tractant. Sic ſæpe Deus loquitur in veteri Teſtamento, Exod. 20. num. 7. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*; cùm aliàs dicendum eſſet, non aſſumes nomen meum. Item: *Sex diebus fecit Dominus cælum, & terram*; & non dixit, feci ego. Ita Chriſtus Dominus, vt etiam in modo loquendi ſe ſui Patris filium oſtendat, eandem methodum obſeruat.

Chryſoſt.

Abulenſ.

Exod. 20.

*Chriſtus in modo loquendi ſe declarat Patris ſui filium.*

92. Secundò inquiro: Cur hîc ſe filium hominis dicit? De hoc latè egi *cap.* 3. *quæſt.* 32. *& quæſt.* 46. Deinde reſpondeo, quòd hoc fecit hic ob humilitatem, vtque euitaret, de ſe magnalia dicere, in quantum poteſt. Vide *cap.* 6. *n.* 85. 86. *&* 87. Secundò ad exaltationem humanitatis vt ipſam honoraret; tum quia diuino verbo hypoſtaticè erat vnita; tum quia per eam myſteria noſtræ redemptionis exercebat. Tertiò. Ad oſtenſionem veræ humanitatis. Erat verus Deus, & homo: & Iudæi rudes non poterant ſimul tantum myſterium capere, quod eſſet aliquis ſimul homo, & Deus: & ideo ſenſim tantum arcanum fuit aperiendum, ae declarandum. Quartò, & vltimò. Vt appareret, quòd Chriſtus remittebat peccata, non tantùm qua Deus per ſuam infinitam omnipotentiam, ſed etiam qua homo auctoritate, & meritoriè. Nam qua Deus, habebar hanc poteſtatem, vt ſibi connaturaliter ingenitam: qua verò homo, per ſua opera illam promeruit. Vide *c.* 10. *num.* 75. 76. 78. 79. *&* 80.

*Chriſtus maximè gloriatur de hu, qua habet per merita.*

## Qvæstio XV.

### *Circa præſentia Chriſti verba:* Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; *varia dubia expendo.*

93. Ait Chriſtus Dominus paralytico, vt ſurgat, vt à lectulo infirmitatis exurgat, vt vera hominis ſanitas omnibus conſtaret. Secundò addit: *Tolle lectum tuum*; vt perfecta ſalus, roburque corporis omnibus appareret. Ait ſecundò Chryſologus *ſerm.* 50. Tolle lectum tuum. *Hoc eſt porta portantem, omnes mutat vices: vt quod eſt infirmitatis teſtimonium, ſit probatio ſanitatis: vt lectus doloris tui, ſit meæ curationis indicium, vt receptæ fortitudinis magnitudinem ponderis aſſerat magnitudo.* Idem habet D. Antonius Vlyſſiponenſis *in Domin.* 19. Dei miſericordia omnes mutat vices in melius: nam lectus, qui erat doloris, & infirmitatis ſignum, accedente diuina gratia, iam mutatur, & eſt ſanitatis, ac roboris teſtimonium. Tertiò, vt canit Sedulius *hoc loco*.

Chryſolog.

Ant. Vlyſſip.

*Deus mutat vices.*

Sedulius.

94. *Mercedem ipſe ſuam grata mercede reuexit.*

Voluit Dominus, vt paralyticus perſolueret gratam mercedem lectulo, quam ab ipſo acceperat, vt iam curatus portet lectulum, qui antea ipſum paralyticum portauit, ne ſanitas videatur ingerere obliuionem eorum, à quibus infirmus beneficium acceperat.

95. Tertiò præcepit Dominus paralytico, vt in domum ſuam vadat. Vt ita maximè hoc ſignum illuſtretur; fiatque perfectæ ſanitatis demonſtratio; & omnes obuij euidentiam miraculi habeant, ac ſanitate ſua domeſticos recreet, vt qui eius infirmitate oppreſſi fuerant, illius ſalute exhilarentur, & fidei occaſio ita præſtetur. Secundò, vt meditatur Sedulius *lib.* 2. *Paſchal.* 9. ſic ait:

*Nn moratus ille aſſurgit, ſuis tandem plantis* Idem.
*Incedere, alienis ſe gaudet caruiſſe veſtigiis.*

Mandat Dominus, vt propriis pedibus vadat, qui alienis venerat. Valde enim gratiſſimum eſt homini, propriis viribus vti, & in ſe habere, quod optat, vt alienis non egeat, ne alterius auxilium exquirat; nam quo minus eget, eo magis ſe putat habere.

*Valde grati homini, alterius ope non indigere.*

96. Quartò ait Dominus paralytico: *Vade in domum tuam*; non retinet eum ſecum, vt notat D. Chryſoſtomus *homil.* 30. Imò, ſi rectè aduertas, nullum, quem Dominus curauerit, vel à Dæmone, vel morbo, ſeu morte eripuerit, in diſcipulum adſcripſit, quantum ego capio. Primò, ne miraculum videretur phantaſticum, vt ait *citatus* Chryſoſtomus. Secundò, ne propter ſe, vel miniſterium ſuum ſuſcitaſſe, vel ſanaſſe, aliquis cogitaret. Tandem tertiò, vt denotetur libertas, quàm ſanati à Chriſto habebant in ſpiritu, vt pro ſua libertate, vel abuti ſalute poſſent.

Chryſoſt.

*Nullus ſanatus à Chriſto in diſcipulum eligitur.*

## Qvæstio XVI.

### *Illa tria verba moraliter ex ſanctis Patribus explicantur?*

97. Primo D. Hilarius *can.* 7. *in Matth.* ait, tribus illis verbis, ſurge, tolle lectum, vade in domum tuam, denotari totam redemptionem per Chriſtum factam. *Surge*, ſignificat peccatorum remiſſionem, & reconciliationem per gratiam; nam per eam ſurgit homo à ſtatu peccatoris ad fœlicem ſortem iuſtorum, ac filiorum Dei. *Tolle lectum tuum*, ſignificat corporum reſurrectionem; per eam enim homo iterum reaſſumit ſuam carnem, quæ iam non eſt nota infirmitatis, ſed ſignum perennis ſalutis. *Vade in domum tuam*, ſignificat ingreſſum in regnum cælorum, quod eſt patria noſtra, & ad quod creati ſumus, à quo nunc peregrinamur.

Hilar.

*Denotatur noſtra redemptio per Chriſtum.*

98. Secundò D. Hieronymus hîc ſic ait: *Anima paralytica, ſi reſurrexerit, ſi priſtinum robur recuperauerit, portet lectum ſuum, in quo iacebat diſſoluta, & portet illum in domum virtutum ſuarum.* Per *lectum* intelligit carnem, in qua diſſoluta omni turpitudine vitiorum peccator iacebat. Attollat ergo ſe homo, & tollat carnem ſuam in domum virtutum, vt ibi omni ſanctitate mundetur. Et idem tradit D. Antonius Vlyſſiponenſis *in Dominicam* 19. *poſt Pentecoſt.* cum Gloſſa. *Lectum tollere, ait, eſt, carnem à carnalibus deſideriis ad voluntatem ſpiritus attollere: tolle ergo lectum, id eſt, carnem per continentiam ſpe cæleſtium à terrenis ſegregata.*

Hugo.

Ant. Vlyſſip. Gloſſa.



99. Tertiò D. Gregorius *lib.* 4. *moral. cap.* 35. ſic ait: *Quid per domos, niſi conſcientiæ deſignantur? Vnde ſanato cuidam dicitur, Vade in domum tuam, ac ſi apertè audiat, poſt exterius miraculum ad conſcientiam reuertere, & qualem te intrinſecus debeas Deo exhibere, perpende.* Homini in ſanitatem per miraculum reſtituto mandatur, vt vadat in ſuam propriam domum, hoc eſt, vt ad ſuam propriam conſcientiam ſe recipiat; ibique ſuum ſtatum, atque dona accepta tacitus meditetur, vt benefactori ſuo gratias exhibeat; & quanto maius beneficium accepit, tanto magis in gratiarum actione perſiſtat. Vide multa de hac re ſupra *cap.* 3. *num.* 257. *&* 258. *& cap.* 5. *num.* 153. *& cap.* 6. *num.* 41. 42. 43. *&* 107. & aliis locis.

Gregor.

*Gratos nos exhibeamus beneficiis acceptis.*

*Matth.* 9. *n.* 7. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

*Ibid. num.* 8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

### *Versiones.*

*Syriacus n.* 8. Surgens itaque abiit in domum ſuam.

*Idem num.* 8. Quæ cùm vidiſſent turbæ illæ timuerunt, Deumque laudibus euexere.

*Vatabl. Euthymius, Theophylactus.* Turbæ verò, quæ viderant, admiratæ ſunt, & glorificauerunt Deum.

### Alter Textvs.

*Marc.* 2. *n.* 12. Et ſtatim ſurrexit ille: & ſublato grabato abiit coram omnibus, itaut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam ſic vidimus.

*Luc.* 5. *n.* 25. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.

*Ibid. num.* 26. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

## *Expositio.*

Vt vox Chriſti prolata eſt, ſtatim, ac confeſtim, vt notant Marcus, & Lucas, ſine vlla dilatione homo ſanus factus conſurrexit, & ſublato lecto, vt notant Marcus, ac Lucas, & Dominus præceperat, abſque eo, quòd in hoc (vt perfectus obediens) aliquid reluctaret, vel reſponderet. Et notant duo citati Euangeliſtæ, quòd hoc præſtitit, *coram illis*, ſeu *coram omnibus*, vt ait Marcus, id eſt, coram omnibus illis, qui ſuis cogitationibus de Chriſto obmurmurauerant, atque detraxerant, vt ita hoc viſibili facto eorum proteruia, ac error conuinceretur. Et ibat, vt ait D. Lucas, in domum ſuam, *magnificans Deum*, id eſt, diuinæ virtutis magnitudinem publicè confitebatur; & per medias vias omnibus occurrentibus celſitudinem diuinæ poteſtatis in Chriſto proclamabat, illius pectus mouente magis animi gratitudine, quàm aliquo timore, qui ex Phariſæorum ſupercilio proueniret. Et tanta eſt iſtius miraculi excellentia, vt Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem*, exiſtimet, quod prophetatum fuit ab Iſaia cap. 35. num. 3. *Ipſi videbunt gloriam Dei, & decorem Dei noſtri; confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.* 100.

*Plus mouet obligatio gratitudinis, quam vis timoris.*

Tertul. Iſai. 35.

*Videntes autem turbæ timuerunt*, ſeu, vt alij legunt, *admiratæ ſunt*. Ex textu ſacrorum Euangeliſtarum tria in hoc miraculo ſecuta ſunt. Primò. Admiratio, vt ait D. Marcus, & Lucas, *Stupor apprehendit omnes*. Vehemens quædam admiratio in facti magnitudine animos defixos habens. Secundò. *Glorificauerunt Deum*, ſeu, vt ait Marcus, *honorificarent Deum*, id eſt, Deum magnis laudibus extollerent, qui tantam poteſtatem dedit homini Chriſto, vt paralyticum maximè laborantem ſanaret; eique peccata potuerit condonare. Viſa Chriſti poteſtate Scribæ murmurant; populus verò, vt pius, & deuotus, admiratur, ac Deum glorificat. Tertiò. Timor, vt explicat D. Lucas, & cauſam huius timoris, *Quia vidimus hodie mirabilia*, ſeu, vt quidam ex Græco vertunt, *inopinata*. 101.

*Quod bonis eſt laudandi occaſio, malis eſt vituperandi motiuum.*

## Qvæstio XVII.

### *Quare viſo hoc miraculo turbæ timeant?*

Svnt aliqui, qui volunt, quòd idem ſit hîc timor, ac admiratio: ſed in textu Lucæ vt quid diſtinctum ponitur; ait enim ipſe Euangeliſta, *Stupor apprehendit eos*; & poſtea, *Repleti ſunt omnes timore.* Quæ quidem admiratio, ac timor prouenit ex miraculo viſo: nam timor eſt effectus reuerentiæ, & admirationis. Et ita videmus frequenter in Scriptura, quòd Iudæi videntes mirabilia, admirabantur ex tanta re præſenti; & timebant Dei potentiam reuerentes. Sic Iſraëlitæ videntes tot maieſtatis ſigna in monte Sinai, timuerunt, *Exod.* 19. *n.* 16. Sic & videntes faciem Moyſis cornutam timuerunt, *Exod.* 34. *num.* 30. 102.

*Timor admirationis effectus.*

Secundò reſpondet Abulenſis *quæſt.* 28. Fortè timuerunt propter crimen, quod inceperant Chriſto 103.

Abulenſ.

*Homines potentiam illius, in quem deliquerunt, timent.*

Chriſto imponere, quia Scribæ dixerant, *hîc blaſphemat.* Chriſtus autem oſtendit per miraculum, quòd poterat peccata dimittere. Hoc videntes turbæ timent, eo quòd poſſet eis nocere pro crimine, quod de eo cogitauerant. Frequenter homines timent potentiam illius, in quem crimina commiſerunt. Vnde ait D. Bonauentura 5. Luc. *Repleti ſunt timore, conſiderantes immenſitatem potentiæ, quam nemo poteſt effugere.*

Bonauent.

104. Ambroſ.

Tertiò D. Ambroſius in cap. 5. Luc. *Spectant,* ait, *ſurgentem increduli. mirantur abeuntem, & diuini operis miracula malunt timere, quàm credere. Nam ſi credidiſſent, non timuiſſent vtique, ſed dilexiſſent. Perfecta enim dilectio timorem excludit foras.* Timent, viſa tanta Chriſti poteſtate, quia in eius amore friuoli erant; ſi enim vehementer Deum dilexiſſent minimè timerent, ſed valde læti ſecuri eſſent; nam charitas foras mittit timorem.

*Ibi regnat timor, vbi deeſt amor.*

105. Hilar.

Quartò D. Hilarius can. 8. in Matth. *Domini virtutem turbæ timent, magni enim timoris eſt res, non dimiſſis à Chriſto peccatis in mortem reſolui.* Vident omnes magnum miraculum, quod homini infirmo data eſſet remiſſio peccatorum, & integra ſanitas reſtituta: hoc potius erat motiuum lætitiæ, quàm timoris ſtimulus; tamen populus timet: *Magni timoris eſt res, non dimiſſis à Chriſto peccatis in mortem reſolui.* Valde enim timendum erat, quod paſalyticus obtineret ſalutem corporis, & animæ; cæteri verò ſuorum peccatorum compedibus ligati, detentique manerent. Et quid magis timendum, quàm quòd ille homo ad ſalutem animæ euolaret; ipſi verò ſuarum iniquitatum fœditate immerſi permanerent.

*Maximè timendum exiſtenti in peccato, dum mundantur alij.*

106. 1. Reg. 12.

Poſtquam Iſraëlitæ petierunt Regem à Samuele, oſtendens Propheta innocentiam ſuam coram populo: *Loquimini de me coram Domino, vtrum bouem cuiuſque tulerim, aut aſinum,* 1. Regum 12. num. 3. arguit populum de ſua ingratitudine, ac iniquitate, quod petierit Regem. Magno miraculo probitas, ac innocentia Samuelis a Deo comprobatur. *Dedit Dominus voces, & pluuias in die illa.* Et ſtatim loquitur: *Timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem,* ibid. num. 19. Sed quid populus timet; nam potiùs videbatur gaudendum eo quòd tantum Prophetam inter ſe haberent, pro cuius ſanctitatis teſtimonio hæc ſigna fiebant, qui ſemper erat oraturus pro eis: *Abſit à me, vt ceſſem orare pro vobis.* Meritò timent videntes innocentiam Samuelis manifeſtatam, & ſe in vinculis ſuorum peccatorum obſtrictos. Si declaratam, approbatamque vident Samuelis ſanctitatem; ſe verò damnatos, tantiſque criminibus obnoxios, quomodo eis timendum non erat? Abulenſis, *Timuerunt, quia ſciebant, Samuelem eſſe valde acceptum apud Deum, & quia ipſi valde offenderant.*

*Timeat, qui in peccato eſt, cùm alij iuſtificantur.*

Abulenſ.

# CAP. XXVII.

## *Adducitur D. Matthæus.*

*Matth. 9. n. 9.* Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quum Ieſchua prætergrederetur illinc, vidit virum ſedentem in ædibus teloniorum nomine Matthæi. Et ait illi: Veni poſt me; ſurgens itaque iuit poſt eum.

*Vatablus.* Et præteriens Ieſus illinc vidit hominem deſidentem ad telonium.

*Simon Caßian lib. 9. cap. 17.* Vidit Ieſus publicanum hominem ſedentem ad telonium, Matthæum nomine.

*D. Paſch. lib. 5. in Matth. ex Græco.* Vidit hominem in domo tributorum, ſeu vectigalium.

*Perſicus.* Vidit in domo ſolutionis tributorum.

*Æthiopicus.* In foro ſolutionis.

### ALTER TEXTVS.

*Marc. 2. n. 13.* Et egreſſus eſt rurſùs ad mare, omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos.

*Ibid. num. 14.* Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.

*Luc. 5. n. 27.* Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui, ſedentem ad telonium, & ait illi, ſequere me.

*Ibid. num. 28.* Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.

*EXPO*



## *EXPOSITIO.*

FACTO illo inſigni miraculo de paralytico ſanato, de quo ſuperiori cap. dictum eſt, omnes tres Euangeliſtæ denotantes connexionem, & ſubſequentiam, Matthæi euocationem enarrant; & valde diſtinctè D. Marcus, ait enim, *egreſſus eſt rurſus ad mare,* transfretauit enim Dominus, & venit Capharnaum è regione Geraſenorum, & recepit ſe in quandam domum, in qua paralyticum ſanauit, quo miraculo perpetrato, ſtatim è domo egreſſus iterum abiit ad mare. Cuius rei cauſam explicat D. Chryſoſtom. homil. 31. *Cùm ingens ſignum mirabili curatione paralytici feciſſet, nullam ibi moram traxit, ne ſcribæ videntes ipſum, maiori arderent inuidia, ſed receſſit, vt affectum eorum mitigaret. Quod nobis quoque faciendum eſt. Non enim debemus cominus in aduerſarios inſurgere, ſed vlceribus eorum mederi, cedentes, & relaxantes eorum intentionem.*

Chryſoſt. *Cedendum eſt iræ, ac inuidiæ inimicorum.*

2. Cùm ergo Dominus deueniſſet ad mare, ibi prope illud erat publica domus, auaritiæ, fraudis, impudentiæ, ac crudelitatis repleta, vbi publica vectigalia ſoluebantur, &, vt fieri ſolet, mercium, quæ mari aduehebantur, tributa colligebantur. *Cùm tranſiret inde Ieſus,* cùm progrederetur per illum locum, in quo erat illa officina publica, & ſex notantur. Primò. Vidit, ſcilicet Ieſus, non tantùm oculis corporalibus, ſed ſuæ miſericordiæ intuitu, vt explicant D. Chryſol. *ſerm. 30. de Matth.* D. Paſchaſ. & alij. Secũdò, *hominem,* ſcilicet quendam, & vulgarem. Tertiò, *ſedentem in telonio,* occupatum nempe in exactione vectigalium. Telonium nomen Græcum, & idem eſt, ac vectigal, ſedebat ad telonium, in qua illa vectigalia numerabantur, ac recipiebantur. Quartò, *Matthæum nomine,* hîc ſacer Euangeliſta exprimit ſuũ nomen.

Chryſolog. Paſchaſ.

3. Quintò, *Ait illi, ſequere me.* Cùm Dominus Ieſus eſſet iam valde notus miraculis, illum vocat ad ſui ſequelam. Et, vt bene notat Albert. Magn. *ait illi, ſequere me.* Nullius hominis eſt comitari, impoſſibile autẽ præcedere ſecundùm profectum virtutis. *Gloria magna eſt ſequi Deum, longitudo enim dierum aſſumetur ab eo,* Eccleſiaſt. 23. n. 38. Et notat D. Bonauent. *in S. Luc.* quòd iuxta textum Marc. & Luc. tria verba hîc ponuntur; Exiit, vidit, & vocauit. Exiit, ſcilicet à domo, in qua paralyticum ſanauit, vt requireret; *videt,* vt trahat, *vocat,* vt ad ſe conuertat. Sextò ſequutus eſt eum, perpende hîc efficaciam diuinæ vocationis, quæ ita obedientem trahit ad ſe Matthæum, vt nihil reſpondeat, nihil moretur, ſed indilatè contemptis omnibus ſequatur; vt eleganter dicat D. Ambroſ. in cap. S. Lucæ. *Propria dereliquit, qui rapiebat aliena;* maximè ponderandum, quòd non ait, ſecutus ſum ego, ſecutus eſt Matthæus, ſed per tertiam perſonam, tamquam ſi de alio loquatur, cùm in officina peccatorum ſe ipſum nominauerit, *ſedentem in telonio Matthæum nomine;* non autem hîc in actu heroico ſequendi Chriſtum ſe ipſum exprimit, hæc eſt innata iuſtorum conditio proprios defectus aperire, virtutes verò operire, ac occultare. De hac conuerſione Matthæi ait D. Petrus Chryſolog. ſerm. 28. *Matthæus publicanus generat nobis non paruam ſuis quæſtionibus quæſtionem: & magnum nobis negotium ſua negotiatione proponit. Quod negotium?* Quæ quæſtiones? per ſequentes videndæ ſunt.

Albert. Mag.

Eccleſ. 23. Bonauent.

*Obediens animus.*

Ambroſ.

*Iuſtus aperit ſuos defectus, operit virtutes.*

Chryſolog.



## QVÆSTIO I.

*Quare alta Dei ſapientia hîc vocet Matthæum, & cur ſacri Euangeliſtæ, de eius vocatione, ac Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis faciant mentionem?*

TRIA breuiter hîc inquiro. Primò. Cur Chriſtus Dominus non traxit ad ſe Matthæum, quando in littore Galilææ, vocauit Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem. Secundò. Quare ſacri Euangeliſtæ ſolùm ex Apoſtolis ſcribunt vocationes quinque, ſcilicet, Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis, ac Matthæi. Tertiò, cur poſt ſanatum Paralyticum, Matthæus vocatur ad Dominum. 4.

*Proponuntur quæſtiones.*

Ad primam quæſtionem. Ratio à priori eſt inſcrutabilis altitudo diuinæ ſapientiæ, quæ vocat vnumquemque quando vult, & quomodo vult. Deinde D. Chryſoſtomus *homil. 31.* hanc quæſtionem excitat, & eam ita ſoluit. Quod certè *quemadmodum tunc ad illos,* ſcilicet quatuor priores Petrum, Andream, &c. *acceßit, vocauitque quando obtemperaturos ſciebat, ſic Matthæum quoque vocauit, quando miraculorum fama perdomitum minimè reluctaturum videbat.* At verò ſi hæc ſententia Chryſoſtomi ſumatur in rigore, prout ſonat non eſt probanda, vt notat Toletus *Luc. 5. annotat. 54.* Quia tempus diuinæ vocationis non eſt referendum in hominis arbitrium, ſed in Dei beneplacitum, ac voluntatem, de quo latè multa dicunt Theologi. Tamen ex citatis verbis Matthæum miraculorum fama perdomitum, hunc elicio ſenſum moralem, Deus omnia diſponit leniter, & ſuauiter, Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes tanquam viri probi, & pij vocantur in exordio Chriſti prædicationis, at Matthæum multis peccatis irretitũ non trahit, niſi *fama miraculorum perdomitum.* Quanquam enim Deus in exordio prædicationis poſſet Matthæum ſua diuina gratia ad ſe adducere, tamen non ſemper omnipotentia vtendum, ſed voluit paulatim ac ſenſim multa fama miraculorum prius eum prædomari, ac inclinare ad ſe, vt promptè, ac faciliori modo veniret. Tamen ratio connaturalis in hac re eſt diuina voluntas, vocat quando, & quomodo vult. Vide *cap. 1. num. 123. & cap. 5. num. 116.* 5.

*Cur non vocat Matthæum cum aliis.*

Chryſoſt. Tolet.

*Non omnipotentia vtendum, ſed paulatim res diſponenda.*

Secunda quæſtio eſt. Quare ſacri Euangeliſtæ ſolùm faciunt mentionem de vocatione Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis, ac Matthæi, non verò de vocatione aliorum Apoſtolorum, ad hoc reſpondet etiam Chryſoſt. citata hom. 31. *Quia iſti,* ait, *maximè in humili artificio, atque infami verſabantur. Quid enim publicano peius, aut piſcatura humilius?* Illi quatuor primi Apoſtoli erant piſcatores, ac pauperes, & humiles, ac viles apud homines, Matthæus, vtpote vectigalium exactor etiam vilis, horum vocationes peculiariter ſcribuntur, vt videatur efficacia diuinæ gratiæ, altitudo omnipotentis conſilij, qui infirma mundi eligit, vt confundat fortia, & quòd non ſit perſonarum acceptor Deus. Secundò reſpondet Abulenſis *quæſt. 37.* quòd omnes Apoſtoli eadem die fuerunt deſignati à Domino *Luc. 6.* Tamen fortè non omnes fuerunt vocati, ſed 6.

*Cur ſolùm ſcribantur vocationes, quia Apoſtol.* Chryſoſt.

*Pauperes viles apud mundum.*

Abulenſ.

DDd viſis

viſis Chriſti miraculis veniebant ad eum, & etiam fortè rogabant, vt eos in diſcipulos ſuos ſuſciperet, vt ſuprà *cap.* 23. vidimus de illo ſcriba. Tertiò, quia iſtæ vocationes maximè inſeruiunt ad noſtram eruditionem. Nam illi quatuor Apoſtoli, relictis omnibus, naui retibus, & etiam filij Zebedæi parente ſuo, ſecuti ſunt Dominum; Matthæus verò cùm voragine vitiorum eſſet detentus, vbi vocem Domini audiuit, omnibus contemptis ei adhæſit, vt his erudiamur, quàm promptè, ac indilatè ſit obediendum diuinæ inſpirationi, ac Deo vocanti.

*Promptè obediendum diuinæ vocationi.*

7. Tertia quæſtio. Quare Dei conſilio vocatio Matthæi ad hunc locum reſeruatur, nempe, poſt ſedatam tempeſtatem, Dæmones expulſos, Paralyticum ſanatum? Reſpondet Gloſſa, *Matthæus vocationem ſuam refert inter miracula*; magnum enim miraculum fuit eius conuerſio. Et quòd publicanus factus eſſet Apoſtolus. Immo peccatoris attractio eſt valde magnum miraculum, & pluſquam creare cælum, & terram, vt docent D. Auguſt. *tract.* 72. *in Ioan.* D. Leo *ſerm.* 3. *de Paſſione.*

Gloſſa. *Cõuerſio peccatoris magnum miraculum.* Auguſt. Leo.

8. Magna ſigna, miracula, ac prodigia fecit Deus in terra Ægypti, vt de ergaſtulo Pharaonis educeret populum. Omnia elementa Dei virtute commota ſunt. Aquæ vertuntur in ſanguinem. Aër denſiſſimis tenebris occupatur, cælum dat pluuias, & grandines. Terra ſciniphes, muſcas, ranas, animalia peſte, ac vlceribus tabeſcunt, & moriuntur, & tamen paſſim inter hæc audies: *Induratum eſt cor Pharaonis, & non vult dimittere populum*, Exod. 7. num. 22. & 8. num. 15. & 32. & quæſt. 12. & aliis locis. Inſenſibilia omnia Dei virtute commouentur, & tamen cor Regis manet immotum in ſua obduratione. Inter tot tantaque miracula, quibus elementa Deo obediunt, homo impœnitens, ac inobediens perſiſtit, quaſi quòd illa altiſſima Dei manus quæ erat validiſſima, ac potentiſſima ad ſubiciendas omnes creaturas, vt in tam miraculoſos effectus prodirent, tamen tali concurſu adhuc non datur proportio efficax ad impœnitens, & obduratum cor Regis commouendum, ad hoc enim maior vis, maiorque proportio exigebatur. Petrus Cellenſis lib. de Panibus cap. 7. eleganter hanc Pharaonis duritiem ponderat; *Pharao manu Domini*, ait, *propter cordis ſui grauedinem, quamuis decies motus, nequaquam tamen eſt reuerſatus. Primò conuertit aquas eius in ſanguinem, & non eſt reuerſatus à duritie. Secundò, ranas in penetralibus eorum multiplicauit, nec ſic reuerſatur.* Et ſic per decem plagas diſcurrit, ac tandem concludit. *O quàm ponderoſum, quàm graue ad leuandum, ſeu releuandum cor hominis, laborat manus Omnipotentis eripere, nec liberat, verbis præmonet, & verberibus vrget, nec tamen de fouea ſua beſtiam ſæuientem extrahere præualet.*

Exod. 7. *Maius miraculum requiritur ad mouendum cor hominis, quã ad mouenda elementa.* Petr. Cellen.

9. Aiebat Magnus ille Prædicator Baptiſta. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ *Matth.* 3. *num.* 9. Vbi per lapides iuxta D. Hilar. Cyprian. D. Auguſtin. Diuum Gregorium, Ambroſium, Paſchaſ. quos citaui tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæſt. 35. intelligit Gentiles, qui quamuis obdurati eſſent in ſuis peccatis, per ſuam gratiam Deus ſuſcitauit in filios Abrahæ per fidem; ſed ad quid magnus Prædicator poſuit lapides, cur non ait, potens eſt Deus de Gentilibus, de hominibus alienis, facere filios Abrahæ; ſed ad quid ait, *de lapidibus*? hoc poſuit, vt dixi citato loco in expoſitione, tanquam quid difficillimum, & quòd valde magnum miraculum requirebatur, quia nil difficilius, nil maius miraculum denotat, quàm impœnitens cor ducere ad pœnitentiam, & contritionem. Tertullian. lib. de Anima cap. 10. *Lapides*, ait, *filij Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, ſi venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ.* Tanquam ſi per excellentiam dicat, quòd in hoc viſitur vis diuinæ gratiæ. Vide *c.* 1. *n.* 134. *&* 135.

Matth. 3. Hilar. Cyprian. Auguſt. Gregor. Ambroſ. Paſchaſ. *Conuerſio peccatoris quid difficillimũ, & magnum miraculum.* Tertull.

## QVÆSTIO II.

### *Quare noſter Euangeliſta ſe vocet Matthæum, cùm alij eum Leui dicant.*

10. NOSTER Euangeliſta, ſuum nomen hîc exprimit, ſedentem in telonio *Matthæũ nomine*, cùm Marcus, & Lucas eum *Leui* dicant; & Marcus addidit, *Leui Alphæi*, id eſt, filium Alphæi. Ad hoc reſpondent primò Abulenſ. *q.* 35. Simon Metaphraſtes *in vita S. Matthæi*, & Ianſenius *hîc*, quòd noſter Euangeliſta vnum tantùm habebat nomen, quòd ſcilicet, antequam à Chriſto vocaretur, dicebatur *Leui*, poſt vocationem verò, *Matthæi* nomen accepit, ſicut Simon nomen Petri, & Saulus nomen Pauli. At hunc magnum Euangeliſtam binominem fuiſſe, ita vt *Matthæus* eſſet nomen proprium, commune, & vulgare, *Leui* verò cognomen, tradunt D. Hieronym. *in prooemio Commentarij Matth.* Abulenſ. *in Commentario eiuſdem Prologi* & docent hic D. Paſchaſius, Druthmarus, Albertus Magnus, D. Bonauentura *in S. Luc.* & Recentiores communiter.

*Matthæus binomius.* Abulenſ. Metaphr. Ianſen. Hieron. Alcuinus. Paſchaſ. Druthma. Albert. Bonauent.

11. Ipſe Euangeliſta ſe dicit *Matthæum*, Marcus, & Lucas eum appellant *Leui*; nam hoc cognomen *Leui* erat honoratius, vt ex D. Hieronymo tenent hoc loco Maldonatus, & Toletus *in S. Luc.* & huius rei coniectura eſt, quia ipſe nunquam ſe *Leui* appellat, ſed ſemper *Matthæum*; vnde etiam ait Abulenſis *citata q.* 35. quòd Marcus, & Lucas propter honorem Apoſtolatus, & ipſius Matthæi, qui iam erat ad meliora conuerſus, debuerunt vrbaniùs loqui, ignominiam ſtatus antiqui eius occultantes, cùm inſueto, ac honorabiliori nomine, Leui dixerunt. De aliis, præcipuè de amicis, ac condiſcipulis vrbanè, ac honorificè loquendum.

Maldonat. Tolet. Abulenſ. *Socij, ac condiſcipuli honorandi.*

12. Ipſe autem Euangeliſta ſe Matthæum dicit. Vnde ait D. Hieronymus hic. *Lucas, & Marcus propter honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, ſed dixerunt, Leui. Ipſe autem Matthæus ſecundùm illud* Prouerb. 18. Iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis, *Matthæum ſe, & publicanum nominat, vt oſtendat ſequentibus, nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora conuerſus ſit, cùm ipſe de publicano in Apoſtolum repentè ſit mutatus.* Suum commune, & vulgare Matthæi nomen apponit Euangeliſta, in quo eius peccata vſuræ, rapinæ, ac auaritiæ erant nota, tanta charitate erat feruidus Matthæus, vt ſua hiſtoria velit dare peccantibus fiduciam: ne aliquis deſperet de venia, ſi pœnitentia deleuerit culpas, cùm ipſe de publicano ſit mutatus in Apoſtolum. Eandem rationem cum Hieronymo tradunt Gloſſa, Beda, Hericus, & alij.

Hieron. Prou. 18. *Peccatores habeant fiduciam.* Gloſſa. Beda. Hericus.

Secundò



13. Secundò. Noſter Euangeliſta, iam Apoſtolus, & magna dignitate ſublimatus, ſe Mathæum dicit, in quo nomine eius peccata erant publica, & nota. Vnde ipſe ait de ſe Matth. 10. num. 3. *Matthæus publicanus*, quaſi ſemper in tanto honore euectus memoria retinuerit ſuum priſtinũ ſtatum, & in quanta miſeria, ac peccatis irretitus extiterat, à quibus diuina gratia eſt liberatus Sicut Paulus dicebat 1. Timoth. 1. num. 15. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Vide *cap.* 24. *num.* 14.

*In ſublimi dignitate quis recordetur anteactæ vitæ.* 1. Timoth. 1.

14. Tertiò. Alto Dei conſilio ipſe ſe Matthæum dicit, vt efficacia diuinæ gratiæ cunctis ſit manifeſta, nam ſi in ipſo nomine Matthæi erat notoria infamia hominis publicani, & peccatoris, ibi diuina gratia accedente nobilitas, & exaltatio ipſius inſculpta, & exarata eſt, nam Matthæus interpretatus, *donatus*, nam Dei dono datus eſt in diſcipulum Apoſtolum Euangeliſtam, & ita nomen illud, quod erat vilitatis, ac abiectionis ſignum diuina gratia accedente conuertitur in honorem, & exaltationem.

*Vbi per peccatum erat vilitas, ibi diuina gratia accedente ſublimitas.*

15. Quartò Euangeliſta ſe hîc Matthæum dicit ſedentem ad telonium, cùm tamen *cap. ſuo primo num.* 6. ſcribens Berſabee adulterium, non expreſſè eam nominat, ſed per circumlocutionem dicit, *Ex ea quæ fuit Vriæ*; quod ibi ex aliquorum ſententia notauit Abulenſis; *factum eſt ad excuſationem infamiæ, quia ponendo nomen Berſabee, videbatur magis infamari, ita appoſita eſt ſuppletio, ſicut dixit gloſſa ordinaria infrà* cap. 9. *Cùm Mathæus ſe ipſum nominat, ſcilicet quòd nemo aliorum Euangeliſtarum eum nominare voluit ſub nomine proprio: & verum eſt, quia Mathæus de ſeipſo loquens nominauit ſe, dicens: Vidit ſedentem in telonio Matthæum nomine* Sacer Euangeliſta nomen *Berſabee* ſcriptis non mandauit, ne proprio ſuo nomine adulterij crimine ipſum fœdaret, & tamen ſe ipſum in turpi, ac nequiſſimo telonio patenter declarare non recuſat. Hæc eſt enim Sanctorum conditio, aliorum defectus ad infamiam declinandam abſcondere, & operire, proprios verò contempta omni re patenter publicare, ac diuulgare.

Matth. 1. *Euangeliſta ſolicitus in alienis defectibus occultandis, maximè verò in ſuis publicandis.* Matth. 1. Abulenſ.

16. Sæpè *expugnauerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Iſrael: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea* Pſalm. 128. num. .& 2. vbi Pſalmographus repetito ſermone conqueritur de iniuſta perſecutione, ac tyrannica vexatione in ſe illata, ſemper tamen aggreſſoris, ac auctoris nomine ſuppreſſo, cur tuos perſecutores non exprimis, quod poſt Hilarium notauit D. Zeno Veronenſis, in eundem Pſalm. ſic ait. *Nunc tacito impugnantium nomine impugnatio ſola memoratur, cur Auctores impugnationis ſilentur?* & augetur magis difficultas, quia in peccato commiſſo ob numerationem populi, ipſemet regius Vates ſe declarat auctorem. Dixit Dauid ad Dominum, *Peccaui valde in hoc facto*, 2. Reg. 24. n. 10. & iterum. *Dixit Dauid ad Dominum: Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi*, ibidem num. 17. Si ergo in proprio delicto ſe declarat auctorem, non ſolùm ſemel, & iterum, ſed etiam tertiò, cur etiam in aliorum criminibus auctores non profert, ac diuulgat, ſed maximè bis obuelat, ſe reuelare non vult. Hæc eſt enim probitas viri iuſti, quæ aliorum defectus maximè contegit, proprios verò diligenter detegit. In aliorum criminibus auctorum nomina occultat, ne aliquo infamiæ ſigno denotentur. In antiquo verò ſuo ſcelere ſe auctorem manifeſtat, ſi quidem ad omnem vilitatem, ac abiectionem condeſcendere ſatagit. Vide *cap.* 5. *num.* 206. *&* 207.

Pſalm. 128. Hilar. Zeno. 2. Reg. 4. *Aliorum peccantium nomina ſupprimit, ſe verò auctorẽ peccati dicit.*

17. Quintò, alij Euangeliſtæ, honorifico nomine *Leui* dicunt, quia fortè erat ex Sacerdotali tribu Leui, vt aliqui volunt. At ipſe ſe dicit Matthæum, per quod nomen maximè ipſe agnoſcebatur infame publicanorum officium exercere; quod præſtitit ob ſuam magnam humilitatem, qua ſe publicanum, ac peccatorem fuiſſe toto orbi confitetur. Ita enim erat humilitatis ſtudioſus, vt inter omnes Euangeliſtas ipſe ſe dicat publicanum, c. 10. n. 3. *Matthæus publicanus*, vbi ſe poſt Thomam nominat; cùm tamen *Luc.* 6. *n.* 15. in Catalogo Apoſtolorum Matthæum ante Thomam ſcribat. At noſter Euangeliſta ob ſuam humilitatem in ſuo Euangelio, ſibi inferiorem locum eligit. Quod bene notauit Euſebius Cæſarienſis *lib.* 3. *Demonſtrat. Euangel. cap.* 7. ponderans illa verba, *Thomas, & Matthæus publicanus*, citato c. 10. Matth. ſic ait. *Hoc nullus Euangeliſtarum indicauit, non coapoſtolus eius Ioannes, non Lucas, non Marcus, ſed ipſe Matthæus, ſuam ipſius vitam non diſſimulans, planéque ſe ipſum accuſans.* Et poſt pauca ſubdit. *Ita Matthæus abundantia quadam modeſtiæ, ſtudium per ſe ferens veritatis in ſuis moribus indicandis, Publicanum ſe appellauit, neque priorem ſuam vitam occultare voluit. Et ſecundo loco poſt æqualem ſuum ſe nominauit: cùm verò ſinguli ſingulis comparentur, ipſe Matthæus Thomæ, Petrus Andreæ, Iacobus Ioanni, Philippus Bartholomæo, Thomam ipſe ſibi præponit, priorem illi locum, quamuis coapoſtolo, tanquam honoratiori, tribuens; tametſi reliqui Euangeliſtæ contrarium faciant.* Vide infrà *num.* 62.

*Magna humilitas Matthæi.* Matth. 10. Euſeb.

## QVÆSTIO III.

### *Quare Dominus pertranſiens Matthæum vocet?*

18. NON moratur Dominus cum Matthæo, non diſputat, non colloquia inſerit, vt cum Samaritana, ſed tranſiens vocat; ad quod primò eleganter reſpondet Chryſologus ſerm. 28. *Non dixit*, ait, *cùm ſtaret ibi: tranſiuit, & pertranſiuit inde Ieſus, ne Matthæus remaneret ibi: tranſiuit inde Ieſus, ne Matthæus ibi taliter permaneret.* Quæ aurea verba ſingula ſunt expendenda, *non dixit cùm ſtaret ibi Ieſus*; nec enim, vbi diuitiarum ſæculi, pecuniarum negotia exercentur ſtat, ac commoratur Ieſus, ſed longiſſimè tranſiit, *Tranſiuit, & pertranſiuit.* Tanquam venator prædæ auidus. *Ne Matthæus remaneret ibi.* Valde mirum, quòd cum Samaritana, quæ parum caſtè viuebat, longas diſputationes tractat Dominus ſedens, & tamen cum Matthæo nulla miſcet colloquia, nullas moras trahit, ſed tranſiens vocat. Conſidera ſapientiſſimi Magiſtri artem, ſedebat in telonio Matthæus inter locupletiſſimas gazas, ſi Chriſtus ibi cum eo haberet ſermonem, inter ipſa verba Matthæus aliquando conuerteret oculos ad ipſas diuitias, & ab earum intuitu ipſum vocare ad eas contemnendas valde difficillimum erat, proportionata adhibita medicina, tranſiens Ieſus celerata voce eum vocet, vt ille à mercibus oculos auertens, & ſolùm ad vocantem attendens, promptè, & expeditè ipſum ſequatur. *Pertranſit inde Ieſus, ne Matthæus remaneret ibi.*

Chryſol. *Chriſtus longè abeſt à diuitiis.* *Diuitiæ maximè attrahunt hominis animum, & impediunt viam ſalutis*



Secun

19. Chryſol.

*Chriſtus trãſiuit ex ſynagoga.*

Secundò.Idem Chryſologus ſermon.30.*Bene*, ait, *cùm tranſiret inde Ieſus, tranſibat Iudæam,vt veniret ad gentes:præteribat ſynagogam, vt Eccleſia permaneret.* Terra illa erat Iudæa. Tranſibat Dominus inde,nempe ex Iudæa, quia ipſa ob ſuam perfidiam relinquenda erat, vt in ſua Eccleſia permaneret quam ex gentibus congregabat, ad cuius fundamentum vocabat Matthæum.

20. Paſchaſ.

*Qui ad ambulandum vocatur, non detineatur ſedens.*

Tertiò.D.Paſchaſius lib.5.in Matthæum, *Notandum*,ait,*quòd tranſiens eum videt, & vocat. Ad hoc quippe,vt & ipſe de hoc ſæculo tranſiens ad æterna quantocius feſtinet.* Et hanc rationem aſſignat, ob quam non ſtans,vel ſedens, ſed perambulans vocat Petrum, & Andream; non ſtat Ieſus, ſed tranſiens vocat Matthæum, vocabat eum Dominus,vt & ipſe tranſiret è telonio ad viam ſalutis, *præteriens Ieſus ait illi, ſequere me*, vt via Chriſti obiecta, Matthæus viam ſibi inſinuatam arripiat; valde enim frugiferum eſt, vt ſi eum habitum, ac geſtum corporis aſſumas,ad quem alios adducere intendis; non enim Chriſtus ſtans, aut ſedens Matthæum vocat ad viam,ſed ipſe pertranſiens ad ambulandum conuocat.

21.

*Puritas Chriſti non poteſt detineri in loco immundo, ac impuro.*

Marc.8.

Mattx.11.

Quartò.Erat locus ille telonij officina publica auaritiæ,rapinæ, ac fraudis, & in tam fœda, ac turpi via, non inuenit puriſſima columba meus Ieſus, vbi hæreret pes eius, nec enim puritatis amator in tam obſcœno, ac immundo vitiorum loco commorari,ac ſtare patitur Ieſus,& diſcipuli eius. *Veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcũ, & apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum,& expuens in oculos eius impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum ſi quid videret*,Marc.8. n. 22. Omnibus expoſitoribus id facit quæſtionem,cur Chriſtus hunc hominem non curauit in ipſo oppido, ſed extra illum duxit? Cur tantum miraculum non operatur Dominus in præſentia illorum habitatorum, vt inde omnes maximè inſurgerent in Dei laudem, ac exinde Chriſti fama diuulgaretur?Locus ille erat Bethſaida vitiis, abominationibus, ac incredulitate plena. Vnde dicebat Chriſtus,*Væ tibi Corozain,væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis,olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*,Matth.11.num.21.Deinde Dominus parabat moram trahere cum iſto cæco, nam bis expuit, bis ponit manus in oculis eius, ipſúmque interrogat,quid videat,qui ait,*Video homines ſicut arbores ambulantes.*Apprehenſa ergo manu eduxit eum extra vicum Ieſus; nec enim in loco vitiis, ac incredulitate peccantium repleto commoratur, ac detinetur Ieſus.Theophylactus. *Apparet Bethſaidã incredulitate multa laboraſſe.Huc igitur cùm veniſſet Ieſus,adducunt ad eum cæcum ex pago. Non erat autem pura adducentium fides, vnde & Dominus educit cæcum ex pago,& ſic ſanat illum.*

*In loco peccatis fœdato non commemoratur Chriſtus.*

Theoph.

22.

Cantic.1.

Hoc diuini ſponſi ingenium bene conſcia anima ſancta, dum eum ad domum ſuam inuitat, dicebat,*Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina*,Cantic.1.num.16.Totis viribus anima ſancta affecta, vt ſuus dilectus deſcendat in domum ſuam,ad ibi habitandum, ac commorandum: ſed ad quid ad hoc explicat, quòd illa domus contecta ſit cedro, ac cypreſſo, cur non potiùs ex aliis pretioſiſſimis,ac odoriferis lignis; quid illæ duæ arbores habent, quid ſignificant, ſiquidem illis præpoſitis intendit allicere ſponſum ad ſuum habitaculum. Cypreſſus & Cedrus incorruptibilitate, ac odore valde nobiles reperiuntur.Inde domus illa valde erat proportionata ad habitaculum ſponſi, quæ maximè diſtabat à corruptione, ac fœtore vitiorum, & incorruptibilitate, ac odore integerrimæ vitæ, ac puritatis gaudebat. Iuſtus Orgelitanus, *Domus iſtæ*, ait,*in quibus Chriſtus habitat ſanctæ ſunt,ſicut Propheta dicit:quoniam inhabitabo in eis. Tecta autem, & laquearia domorum iſtarum cedrina, & cypreſſina, quæ incorruptibilia, & odorifera dignoſcuntur, dilectionem Dei,& proximi demonſtrant.*

*Deus maximè allicitur ad habitandum in domo pura, & ſancta.*

Orgelitan.

## QVÆSTIO IV.

### *Quare non dicatur quòd viderit Matthæum, ſed hominem?*

23. Chryſol.

NON ait noſter Euangeliſta, quòd Chriſtus viderit Matthæum, ſed ait, hominem, *vidit hominem.* Ad quod primò reſpondet D. Chryſolog.ſermon.28.*Non dixit*, ait, *vidit Matthæum; quia in Matthæo hominem liberarat,hoc eſt,homines, quos pecunia poſſidebat,ſeruire Deo nequeunt, pecuniæ ſeruientes: non poteſtis, inquit, Deo ſeruire,& mammonæ.* In Matthæo erat auaritia, ac æſtuabat magna pecuniarum cupiditas, vt ait ipſe Chryſolog.*ſermon.*29.In homine verò relucebat imago Dei,vnde ſub tanta cupiditate ac amore ſæculi veluti homo detinebatur captiuus, *Vt in Matthæo hominem liberaret.* Vidit ergo Ieſus non Matthæum, in quo auaritia feruebat, quia *ſeruire Deo nequeunt ſeruientes pecuniæ*; ſed hominem. In quo erat Dei imago, vtpote ab huiuſmodi pecuniarum ſeruitute libera, non enim ad ſalutem producitur, id quod eſt immerſum, ac detentum auiditate temporalium rerum, ſed quod eſt ab illa ſolutum,& expeditum. Tantum nocet diuitiarum amor.

*Ad cœleſtia non vocatur id, quod eſt cupiditate terrena immerſum, ſed quod eſt liberum.*

24. Paſchaſ.

*Deus quod vidit,ſaluat.*

Secundò.D.Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* idem dubium mouens, vt ſtatim dicam, inter alia ſic ſoluit;hoc igitur vidit,quod eripuit, in Matthæo namque hominem ſaluauit, Diuinus intuitus id quod reſpicit ad ſalutem euehit; dicitur quòd viderit hominem, quem ſaluauit, ac liberauit, non verò quòd viderit Matthæum,ſub cuius nomine vulgariter auaritia, ac rapacitas in populo denotabatur.

25.

Tertiò.D.Chryſolog.ſermon. 30. *Vidit hominem,vt peccata hominis non videret.Vidit opus ſuum, vt deſpiceret opera peccatorum,vidit illum Deus, vt ille videret Deum.Vidit illum Chriſtus, vt ille pecuniæ latebras amplius non videret.*Vltima verba ſancti Patris obiter nota, *vidit illum Deus, vt ille videret Deum.* Vt homo valeat erigere intuitum ſuum ad Deum, neceſſe eſt, vt priùs Deus illum aſpiciat,cùm omne noſtrum bonum à diuinis radiis proueniat;ad noſtram quæſtionem. *Vidit hominem, vt peccata hominis non videret.* Vidit hominem, in quo erat ſumma miſeria,& fragilitas, vt ita moueretur Deus ad peccata hominis dimittenda,ac condonanda. O præclarus princeps, videt quòd ad miſericordiam prouocat,vt ab ira, ac iuſtitia abſtineat. Tandem *vidit opus ſuum, vt deſpiceret opera peccatorum.* Non ad crimina, ſed ad quod ſuum opus erat, aſpicit Deus, vt præ amore ſui operis, ſcelera hominis contemneret, & deſpiceret.

*Deus aſpicit id, quod ad miſericordiã, & non iuſtitiã prouocat.*

26. Paſchaſ.

Quartò. D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. *Vidit hominem*,



*ait,& non Matthæum,quia Matthæus* donatus *interpretatur,& ſi iam in prædeſtinatione,nec dum tamen vocatus ad gratiam;ideo non dum Matthæum vidit, ſed hominem, Matthæum tantùm nomine, necdum gratia* Matthæus *donatus* interpretatur, vt etiam notat Euſebius Gallicanus *in homilia huius feſti.* Quanuis enim ille vulgariter à populo *Matthæus* dicebatur, cùm tamen adhuc non eſſet donatus diuina gratia,adhuc Matthæus non erat, & ideo dicitur quòd vidit hominem, & non Matthæum. nam quanuis quis habeat vulgariter alicuius præexcellentis dignitatis nomen, ſi tamen eius oneri, ac obligationi non correſpondet, reuera dignitatis nomen non obtinet.

Euſeb.

*Qui dignitati non ſatisfacit,illius nomen non habet.*

27.

*Id quod cõmune maximè ad ſe rapit diuinos oculos.*

Quintò. Vidit hominem, & non Matthæum; quid inter hæc nomina diſcriminis eſt. *Homo* commune omnibus vocabulum; Matthæus verò particulare, & indiuiduale nomen. Vidit ergo hominem, & non Matthæum, maximè periucundum eſt Deo, id, quod omnibus commune eſt, vehementerque diuinos oculos rapit id, quod ad omnes ſe extendit,neminemque excludit; tantoque Domini exemplo dirigat ſemper princeps intuitum ſuum ad id quod commune, vt inde ad particularia deſcendat.Vide *c.* 5. 275. & 276.

28.

Sextò.Sine dubio hic magna humilitas noſtri Euangeliſtæ prælucet,ait, quòd vidit hominem, & non Matthæum, tanquam ſi ipſe fateatur de ſe, quod ad hoc, vt ipſe vocaretur ad Apoſtolatum Chriſti, non erat, in eo prout Matthæus erat, prout talis homo extiterat, aliquid quod reſpici, ac videri poſſet, & ideo non ait, quòd aſpexerit id,quod particulare ipſius erat, nempe Matthæum,ſed tantùm, quòd cunctis commune erat,vidit hominem.

29. Prouerb.1.

Eccleſ.1.

Scribens Salomon ſuum librum Prouerbiorum *cap.*1.*num.* 1. ait. *Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis, ad dandam ſcientiam, & diſciplinam.* Sicut & ſcribens librum Eccleſiaſtes *cap.* 1.*num.* 1. ait. *Verba Eccleſiaſtæ filij Dauid Regis Ieruſalẽ.*Quare Salomon in his libris non ſe dicit Regem,ſed filium Regis Dauid?hæc compoſuit ſapientiſſimus Eccleſiaſtes poſtquam agnouit ſua peccata, in quibus præcipitatus fuerat, & hac de cauſa in exordio huius vltimi libri,ait,*vanitas vanitatum*; non ergo ſe Regem,ſed filiũ Dauid Regis dicit, cũ enim ſua ſcelera habuiſſet ante oculos, agnouit, quòd dignitatem regalem obtinebat, non quia ipſe Salomon, non quia talis homo erat, ſed quia à Dauide progenitus erat, & quia illius filius nuncupabatur, ac proinde quòd ob tanti patris meritum regia dignitate pro clara ſapientia,ac prophetia fruebatur. D. Baſilius homil. in principio Prouerbiorum. *Additur*, ait, *Patris nomen, vt planè cognoſcatur quemadmodum ſapiens erat Salomon ex ſapiente,Prophetáque Patre.*

*Salomon agnoſcebat ſuã regalem dignitatem,non ob ſuum, ſed ob patris meritum.*

Baſil.

## QVÆSTIO V.

### *Quare dicatur quod Chriſtus viderit hominem, non verò telonium, vel pecuniarum ſacculos.*

30. SEDEBAT Matthæus in telonio inter multas gazas, inter multámque pecuniarum copiam ex ſolutis tributis comparatam, & tranſiens Ieſus non coniicit oculos ad aurum, vel ad argentum,ſed hominem vidit, quia volebat ſibi acquirere,ac comparare,non hominis gazam, & pecuniam, ſed ipſum hominem, vnde pulchrè notat Diuus Petrus Chryſolog.*ſermon.*28. Quòd Chriſtus non dixit ad Matthæum, Affer, ſed ſequere me,ait S.Pater. *Non dixit;affer ad me, quia Matthæum,non Matthæi ſacculos requirebat.*

Chryſolog.

*Deus vult nos, & non noſtra.*

31.

Gen.22.

Ex Dei mandato pergit Abrahamus ad filium ſuum ſacrificandum, & cùm iam euaginato gladio vellet puerum occidere,Dei voce impeditur. *Ne extendas manum tuam ſuper puerum, nunc cognoui,quòd timeas Dominum*,Geneſ. 22. num. 12. & ſtatim ſubditur,leuauit oculos ſuos Abraham, *& vidit poſt tergum arietem inter vepres,quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Hic aries Dei prouidentia præparatus eſt, vt notant *hîc* Diuus Chryſoſt.Thomas Angelicus, Abulenſis,& alij. Optimè videbat diuinus intuitus,cui omnia ſunt præſentia,quòd Abrahamus non filium,ſed arietem pro illo erat mactaturus; cur ergo ei non mandat Dominus,vt Abrahamus ſimul cum filio aſportet è grege ſuo,ac ex re ſua arietem,ſed diuina prouidentia illum adducit illinc, vt cunctis fieret manifeſtum, quòd Deus ex Abrahamo ſolum volebat ipſum Abrahamum, non verò aliquid ex grege ſuo,ac re ſua, & ita diuina prouidentia ordinatum eſt, vt omni re Abrahami integra, ſolùm eius fidem, obedientiam, ac deuotionem, Deus reciperet, ac acceptaret. Huc reſpicit D.Petrus Chryſologus ſermon.108. *Deus fidem,non mortem quærit;votum,non ſanguinem ſitit: placatur voluntate, non nece. Hoc probat Deus ad hoſtiam Abrahæ ſancti.* de hac re multa dixi ſuprà *cap.*8.*n.*107.108.& 109.

Chryſoſt. Thom.Ang. Abulenſ.

*Deus vult noſtrum cor, & non noſtrã rem.*

Chryſolog.

32.

E contra verò homines non te, ſed tua quærunt,pauci,& rariſſimi inueniuntur qui te ob tui amorem venerentur; innumeri verò qui res tuas ſolicitent, ac adorent, referens Ioſeph ſomnia ſua fratribus,dicebat. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum*,Geneſ. 37.num. 7. Iterum ait. *Vidi per ſomnium quaſi Solem,& Lunam, & ſtellas vndecim adorare me*, ibidem num. 9. in his ſomniis inquirendum eſt, quòd in manipulis nullus præfigitur numerus,*manipulos circunſtantes*, maximè verò in ſtellis exprimitur *vndecim ſtellas.*Quænam huius rei cauſa? perpende textum, & ratio in promptu eſt.Manipuli fratrum, non Ioſeph; ſed eius manipulum, ac triticum venerabantur, *veſtroſque manipulos circunſtantes, adorare manipulum meum.* At ſtellæ, non alteri rei, ſed ipſimet Ioſeph reuerentiam exhibebant. Vndecim ſtellas adorare me, & qui Ioſeph ob ſe ipſum reuereantur, pauci ſunt, & breui numero coarctantur. Qui verò triticum, ac panem Ioſeph honorifica veneratione proſequuntur, in magna multitudine exiſtunt,& ſine numero dilatantur.Hæc enim adoratio manipulorum, ad triticum Ioſeph referebatur, vt docet Rupertus ibi. *Non ob aliud*, ait, *ignotum ſibi principem adorant, niſi quia defecerant manipuli eorum, ipſe autem de manipulis plenum habebat horreum.*

Gen.37.

*Homines adorant noſtra, & non nos.*

Rupert.

## Qvæstio VI.

### *Quare Matthæus in telonio non ſtabat, ſed ſedebat?*

33. Notat ipſe Euangeliſta de ſe, quòd non ſtabat, non pertranſibat in telonio, ſed ſedebat, *ſedentem in telonio*; id eſt, vt ait gloſſa interlinealis, *pertinaciter lucris inhiantem.* Cur ergo eum tunc vocat Chriſtus, & ad ſe trahit, & non potiùs, quando erat in foro, vel in domo?

Interlinealis

34. Reſpondet primò D. Chryſoſtom. homil. 31. *Cur dixit*, ait, *in telonio ſediſſe? virtutem vocantis voluit oſtendere, qui non impoſito adhuc fine prauæ publicanorum conuerſationi, è medio malorum pelago ipſum abſtraxit.* Cùm ſummo enixu eſſet Matthæus in telonio, ac in ſummo ardore auaritiæ æſtuaret, eum Dominus vocat, vt vocantis virtus, ac efficacia cunctis ſit nota, & manifeſta, quæ Matthæum publicanum ſubitò fecit mutari in virum alterum, vt ex ſumma tenacitate diuitiarum tranſiret in extremam paupertatem, qualis eſt Apoſtolica, ex ſummo ſæculi amore ad ſummum contemptum temporalium; ſic & Paulum ex magno ardore perſequendi Eccleſiam fecit, & magnum illius defenſorem.

Chryſoſt.

*Mira virtus, ac efficacia Dei vocātis.*

35. Secundò ex iiſdem verbis Chryſoſtomi. Abulenſis *quæſt.* 39. hanc colligit rationem. Vocatur Matthæus cùm ſederet in telonio, ad oſtentationem magnitudinis, beneficij, reſpectu liberationis à periculo, quia quando Deus aliquem ad ſe ſpiritualiter vocat, benefacit ei, & tamen tanto eſt maius beneficium, quanto eum à maioribus periculis liberat; ſic ſe habuit Chriſtus cum Matthæo, non ſolùm ipſum ad ſe vocat, ſed etiam cùm homo maximè inſiſteret auaritiæ, rapacitati, ac illicitis lucris eum ad ſe attrahit, vt valde inſigne eſſet beneficium, quia non ſolùm eum vocauit, ſed etiam, quia à tantis periculis liberauit; & ita ſuprà citatus Chryſoſtomus *è medio malorum pelago ipſum abſtraxit.* Tertia ratio ſumi poteſt ex Hieronymo citato *quæſt.* 2. Quia quanuis quis publicanus ſit ac peccator, de ſua ſalute non deſperet. Vide *ibi* dicta.

Abulenſ.

*Magnum beneficium à periculis liberari.*

Chryſoſt.

Hieron.

36. Quartò D. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 29. ſic ait; *Sedebat vtique, quia ſtare non poterat, pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incuruus. Aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc eſt, quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementius aggrauat corda, quàm corpora: naſcitur in terra profunda, per quæ ima venarum cæcis diſcurrit anfractibus; & dum ſuam ſemper repetit ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit*, quæ perbellè ſunt dicta. Sedebat Matthæus, quia ſtare non poterat totus oppreſſus, ac incuruus cupiditatis pondere, ac auri auaritia. Nam ſicut aurum in ima terra naſcitur, ita animos noſtros ad ima impellit, & ſurſum ferri maximè impedit. Iudas argenti amore captus magiſtrum vendidit. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam*, Matth. 26. n. 15. poſtea verò pretium ſui ſceleris à ſe propulſauit. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, & abiens laqueo ſe ſuſpendit*, Matth. 27. n. 4. Sed ad quid auaritiæ mancipium pecuniam à te abiicis, cur cum ea non pergis ad furcam, ita auaritia Iudæ ſarcina pecuniæ grauabatur, vt cum ea aliquantiſper ſurſum ferri non poſſet: vt ergo etiam ad furcam aſcendat, à pecunia exoneratur; ita auaritia illa ponderoſa erat; vnde ait Drogon. lib. 1. Dominicæ paſſionis, *Peccatum Iudæ valde ponderauit.*

Chryſolog.

*Pecunia ac auaritia valde graues ſunt.*

Matth. 26.

Matth. 27.

Drogo.

37. Quintò. D. Paſchaſius lib. 5. in Matthæum. *Ad exaggerandum cupiditatis ſuæ cumulum, ſedentem eum vidiſſe, dicitur; ſedebat enim, vt Magiſter rapinæ iuxta fornacem auaritiæ, æſtuabat concupiſcentiarum caloribus, nec ſtans, vt vinceret, nec abiens, vt euaderet, ſed ſedens, vt princeps rapinæ miniſtrorum diriperet.* Et tamen ad Chriſti vocem, *ſurgens ſecutus eſt eum*; abſque vlla cunctatione, vehementer Matthæus æſtuabat amore ipſius telonij, & maximè ipſo delectabatur, & tamen tam charum præcipit ei Chriſtus derelinquere, ac à ſe dimittere, ea enim vult Deus vt potiſſimum ſibi ab hominibus conſecrentur, ac dedicentur, quæ apud ipſos mortales in magno pretio habentur, ac eis valde periucunda ſunt, hæc enim ob Dei charitatem amputare, ac à ſe abiicere, valde magnum, & excelſum, vnde paulò pòſt de Matthæo ait ipſe Paſchaſius. *Generoſus iure cenſetur animus, qui tam ſubitò per fidem, quæ magna putaret, & tam facilè captus amore melioris vitæ prætermittit.* Expende illud, *Quæ magna putaret.* Valde magnum putabat Matthæus telonium, & tamen mandat ei Dominus, vt ob ſui amorem ipſum derelinquat, ac à ſe dimittat.

Paſchaſ.

*Deus vult vt ea ei offeramus, quæ in maiori æſtimatione ſunt nobis.*

38. De Abrahamo, ac Lot ait ſacer textus Geneſ. 13. non 6. *Non poterat capere eos terra, vt habitarent ſimul, erat quippe ſubſtantia eorum multa*; tanta extabat eorum res, ac ſubſtantia, vt ipſa terra, ſaltem proxima, & vicina, vt communiter Expoſitores explicant cum Pereira, ad eorum armenta capienda, ac greges ouium ferenda, parua, & anguſta videretur; ſed ad quid Abrahamus cùm ad varias partes pergeret, aliquando in Ægyptum deſcenderet, aliquando etiam ad regnum Geraræ tenderet, tantam armentorum copiam ſecum deferebat, ſi reddatur ratio, quia fames oppreſſerat terram Chanaam; facilè reſpondetur, quia Abrahamus erat diues valde in poſſeſſione auri, & argenti. Guillelmus Pepinus, Ordinis Prædicatorum, citato *cap.* 13. *Geneſ. verſ.* 5. ait quòd *greges ouium ſecum deferebant, vt haberent vnde Domino ſacrificium offerre poſſent.* Sed contra hanc ſolutionem facilè inſtatur, quòd ad ſacrificium ſat erat aſportare decem, vel viginti oues; ad quid ergo tam numeroſum gregem. Optima tamen ſtat ratio præcitati Doctoris. Nouerat Abrahamus, quòd Deo ea quæ præſtantiora ſunt, in holocauſtum danda. Vnde ipſe apponeret ante Angelos, *Ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum*, Geneſ. 18. num. 7. id eſt, meliorem, & præſtantiorem; non viginti oues, ſed innumeroſos greges ſecum defert, vt ſi occaſio poſtularet, in ſacrificium Deo dedicaſſet, non aliquam tenuem, & debilem victimam, ſed excellentiſſimam, ac pretioſiſſimam inter cæteras, quas ipſe habebat, talis eſt Sanctorum, ac iuſtorum oblatio, vt notat Chryſoſtom. homil. 18. in Geneſ. *Obſerua*, ait, *quomodo piiſſima mens ſignificatur, quòd non tantùm de ouibus obtulerit, ſed de pretioſiſſimis, ac maximè eximiis.*

Geneſ. 13.

Pereira.

Pepinus.

Gen. 18.

*Meliora Deo danda.*

Chryſoſt.

Qvæstio



## Qvæstio VII.

### *Quare Dominus non vocet Matthæum aliquo obiecto præmio, vt illud Petro, & Andreæ propoſuit?*

39. Vocat Chriſtus D. Petrum, & Andream, & magnum eis proponit præmium; dixit enim. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*, Matth. 4. *num.* 19. id eſt, faciam vos fieri Doctores meæ Eccleſiæ, ac Prædicatores animarum, vt eas ad viam ſalutis dirigatis. At Matthæum hîc vno tantùm verbo omni mercede prætermiſſa ad ſe vocat, *Sequere me*, cur etiam etymologia officij ſeruata, non dixit, Faciam te fieri negotiatorem, ac mercatorem animarum. Petrus, & Andreas agnoſcebantur tanquam viri boni, & ſimplices, quorum probitas erat valde nota. At Matthæus reputabatur in populo, vt vir valde ambitioſus, ac rerum, & bonorum auidus, vt ſuprà dixi ex Chryſologo, & Paſchaſio. Quando ergo à Chriſto vocatur, nullum ei exprimitur præmium, vt circunſtantes, ac audientes agnoſcerent, quòd ipſe Domino adhærebat, non ob lucrum, vel aliquam mercedis expectationem, ſed ob vehementem Domini amorem, ac purum in eum affectum; magna enim cautela agendum eſt, ac maxime conſulendum honori illius, contra quem vulgi opinio vagatur.

Matth. 4.

*Vbi fama periclitatur, ibi maximè honori conſulendum.*

40. Ait Dominus ad Eliphaz Themanitem. *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam*, Iob 42. num. 7. & 8. Maximè ponderandum in textu, quòd Iob quater dicitur à Domino *ſeruus meus Iob*, & apertè aſſerit Dominus, quòd nullam orationem accepturus ſit, niſi ſerui ſui Iob. Tandem omnia verba Iob confirmat Dominus, prout ait, quòd iratus eſt in hos amicos, quia non locuti ſunt recta ſicut Iob. Ad quid tanta encomia Iobi diuulgantur? ad quid tam diſerto ſermone eius virtutes aſſeruntur. Illi amici peſſimam de Iobo opinionem conceperant, exiſtimantes, quòd omnia illa mala ei obueniſſent ob illius peccata. Et ita dicebant, *Quis vnquam innocens periit*, Iob. 4. num. 7. Vt ergo honori Iobi conſuleretur, magna cautela, tot ac tanta fuerunt adhibenda, à diuina manu, vt ter, & quater ſeruus ſuus diceretur, & quòd nulla oratio ſit exaudienda, niſi ab illo effuſa; tot, ac tanta requiruntur, vt ſaluus, ac integer ſit honos illius, cuius fama, male apud aliquos exaudiebatur. Vnde Domini ſententia compulſus Eliphas dixit, vt ait D. Gregorius Magnus lib. 35. Moralium cap. 3. *O Domine, iudicij tui ſententia indicat, quantum à luce tuæ rectitudinis cæcitas noſtra diſcordat. Ecce te iudice beatum Iob victorem eſſe cognoſcimus, quem in te peccaſſe loquendo, credebamus.* preme vltima verba.

Iob. 42.

Iob. 4.

*Ibi maximè res declaranda, vbi mala honoris eſt ſuſpicio.*

Gregor.

41. Cùm Sidrach, Miſach, & Abdenago verſarentur in medio fornacis ignis ardentis, accedens ad oſtium Nabuchodonoſor ait. *Ecce video quatuor viros ambulantes, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, Daniel. 3. num. 92. Et quòd viderit ipſummet filium Dei, nempe Dominum noſtrum Saluatorem ſub ſpecie humana, tenent aliqui. Tertullian. *lib.* 4. *contra Marcion.* D. Auguſtin. *in concione ad Catechumen. aduerſùs Paganos, Iudæos, & Hæretic.* Hippolytus Martyr, Rupertus *lib.* 6. *de victoria Verbi cap.* 21. quos citat Pereira *lib.* 3. *in Daniel.* Sed hac opinione ſtante quomodo impio Regi, ac idololatræ manifeſtatur filius Dei, quæ præclara viſio, multis Sanctis Patriarchis antiquis denegata eſt. Vatablus *in Scholiis ad citatum cap.* 3. ſic ait. *Apparuit Nabuchodonoſor, ne putaret hor fieri maleficio.* Chaldæi, ac Aſſyrij maximè erāt dediti maleficiis ac magicæ arti; ex ſuo ergo malo more peſſimè præſumerent de illis tribus adoleſcentibus, exiſtimantes, quòd in medio ignis ardentis ambularent illæſi, aliquo magico veneficio; ipſe ergo filius Dei deſcendit, & ſe manifeſtat iniquo regi, vt ita fiat euidens, quòd non diaboli ars, ſed diuina virtus ibi interuenerat, vt ita tanto ſigno ne ex circunſtantium malitia, ac crimine iuſtorum fama mala aliqua opinione laboraret. Vide *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 71. 77. & 78.

Dan. 3.

Tertull.
Auguſt.
Hyppolit.
Rupert.

Vatablus.

*Vbi mala eſt honoris ſuſpicio pro illius defenſione magna exhibenda.*

## Qvæstio VIII.

### *Quare Chriſtus Dominus ad ſummum apicem Eccleſiaſticæ dignitatis euehat hominem publicanum?*

42. Matthevs erat publicanus, id eſt, colligebat publicos redditus, qui ſoluebantur ex mercibus terra, ac mari deductis. Nam huiuſmodi officina erat in littore maris, vt notaui in expoſitione *num.* 1. & Matthæus huiuſmodi officium exercebat cum magna auaritia, ambitione, ac rapacitate, vt docent Chryſolog. D. Paſchaſ. *citati quæſt.* 6. & Ambroſius *lib.* 5. *in Lucam*, Beda, Theophylactus, & alij.

*Matthæus iniquè agebat publicani officium.*

43. Quomodo ergo hunc hominem Chriſtus ad ſummàm euehit Eccleſiaſticam dignitatem, nempe Apoſtolorum, ac Euangeliſtarum. Reſpondet primò Origenes. *Chriſtus oſtendere voluit humano generi, quantum eius medicina contra peſtes animarum pelleret, infames, & nequiſſimos elegit, eoſque prouexit, vt morum puriſſimorum fierent exemplum*; quam etiam rationem ſupra inculcaui ex Chryſoſtomo, vt cunctis fieret euidens Chriſti virtus, ac efficacia, nam nequiſſimos homines elegit, vt eſſent in exemplum virtutis, & ſanctitatis, vt nullus ſibi aliquid arroget, ſed omnia agnoſcat ſibi à Deo data. Vide *cap.* 7. *num.* 76. & *cap.* 3. *num.* 39. & *cap.* 5. *num.* 118.

Origen.

*Quam potens ſit gratia Dei.*

44. Secundò D. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 30. componit Matthæum cum paralytico, quem immediatè antè Dominus ſanauerat, de quo egimus ſuperiori cap. ſic ait. *Deterius ſedebat in telonio publicanus iſte, quàm paralyticus, de quo antea diximus, iacebat in lecto: quia ille carnis patiebatur paralyſim, iſte mentis. Ille iacebat captus carne; ſedebat corpore, & animo iſte captiuus. Quare publicanus, qui maior videtur in crimine, maior habetur in munere? Nam mox Apoſtolus certa dignitate præditus eſt. Et paralyticus ſola dignus venia vix habetur. Vis noſſe, quare plus conſecutus eſt publicanus? Quia circa Apoſtolum, vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia.* Publicanus multo in maiori crimine

Chryſol.



erat

erat,& tamen obtinet Apoſtolicam dignitatem & paralyticus ſolum impetrat peccatorum remiſſionem. Ait Apoſtolus Rom.5.n.20. *Vbi abũdauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Quanuis ergo publicanus in multo maiori peccatorum cumulo verſaretur, tamen Chriſtus non ſolùm condonat peccata, ſed ad ſummam Apoſtolicam dignitatem euehit, quia vbi diffundebatur tanta tenebrarum caligo, ibi maximè voluit reſplendeſcere diuina gratia, ex ipſa ſumma hominis miſeria aſſumens occaſionem oſtendendo maiores diuitias bonitatis, ac miſericordiæ ſuæ.

Rom.5. *Vbi maior eſt miſeria, ibi maximè reſplẽdeſcit diuina gratia.*

45. Tertiò. D. Baſilius Seleucus orat.28. *Hominum Doctores creauit vt offenſionis ſimilitudine magiſtros reddat innocentiores, & communicatione paſſionum humanitatem doctrinæ adiungant.* Eos Chriſtus eligit in Doctores, ac rectores, qui in ipſa dignitate habeant ante oculos ſua peccata, vt cum doctrina, ac officij virga humanitatem adiungant, vt ita ad ignoſcendum proni ſint; quod optimè confirmat ſanctus Pater Petri exemplo, cui poſt ſuum lapſum Chriſtus committit ſuum gregem. *Paſce oues meas*, Ioann.21.num.17. pergit Seleuc. *Paſce oues meas. Infirmitatem tuam ſenſiſti? Agnouiſti, quò tua deuoluta ſit iactantia? Veniam concedi, qua te ſcis eguiſſe.*

*Prælati ſua peccata agnoſcant, vt ignoſcant.*

Ioan.21. Seleuc.

46. Quartò D. Petrus Chryſol. *ſerm.* 28. aliàs primo de Matthæo ponderans quòd Chriſtus homines laboribus deditos ad Apoſtolatum vocauit, ſic ait. *De labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus. Omnia quæ de vſu veniunt, non fatigant. Virtus exercitio perſeuerat. Hinc eſt, quòd Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exercere voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præſtare virtutem; & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare.* Chriſtus Dominus ad ſuum Apoſtolatum vocat Matthæum publicanum, qui indefeſſo labore vectigalibus recipiendis aſſiſtebat, ſicut Petrum, & Andream piſcatores ad ſe traxit. Non enim voluit Chriſtus Dominus in ſuo collegio homines delitiis deditos, otioſitati aſſuetos, hi enim valde inepti ſunt ad magna, & facilè labori ſuccumbunt, ſed elegit viros in preſſura enutritos, qui nullam vexationem metuentes magna aggrediantur. Et ſi aliquando prauè ambulauerint, *Noluit eos labores perdere, ſed mutare*, & dum diuina gratia perficiuntur, in viros valde conſummatos euadunt.

Chryſolog.

*Ad magna eligãtur non delitioſi, ſed laboribus dediti.*

47. Quinto. D. Paſchaſius, vocauit Matthæum, ait, *quem non ſolùm Apoſtolum, verùm Euangeliſtam eſſe voluit. Nouit enim artifex ſingula, licèt incompoſita, ad quos valeant vſus, ſuo proficere opere. Idcirco præteriens vidit materiam operis ſui, elegit vnde firmaret vas in honorem, quod prius in contumelia iacebat.* Licèt Matthæus eſſet incompoſitis moribus multis peccatis immerſus, vidit Deus tamen animi diſpoſitionem, ac generoſitatem hominis ad magna eſſe aptam, ſi diuina gratia expoliretur; ergo vocat Deus illum ad ſe, vt ex illo vaſe contumeliæ, faciat vas in honorem, vt de Moyſe, & Paulo docet D. Auguſt. Vide *cap.*23.*n.*68. Sextò. D. Chyſoſtom. homilia in Eutropium tom. 1. *Surrexit*, ait, *publicanus, & factus eſt Apoſtolus vtique anima deformis venuſtatem recipit formæ, vnde? ab obedientia.* Tantam dignitatem ei collatam obedientiæ, qua obtemperauit Matthæus, adſcribit ſanctus Doctor.

Paſchaſ.

*Homines magni animi eliguntur.*

Chryſoſt.

*Obedientia facit homines valde magnos.*

48. Septimò. Quia ipſe D. Matthæus modum ſuæ vocationis reuelauit B. Brigidæ oranti ad eius ſepulchrum, vt refertur lib.1. Reuelationis cap.29. *Voluntas mea*, ait, *talis erat eo tempore*, ſcilicet ante ſuam conuerſionem *quod neminem defraudare volui, ſed deſiderabam, inuenire viam, qua ſepararem me ab officio iſto, & toto corde adhærere Deo ſoli. Prædicante igitur amatore meo Ieſu Chriſto tunc inflammabatur, ſicut ignis, verbum vocationis ſuæ in corde meo, ſic dulciter ſapuerunt verba ſua mihi, quod diutiùs de honoribus non ampliùs cogitabam, quàm de paleis: imò mihi magis flere placuit, & gaudere, quod Deus meus tantillum, & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam.* Quamuis D. Matthæus verſaretur in illa negotiationum voragine, tamen valde ſolicitus erat de ſua ſalute, & quomodo Deo ſoli ſeruiret, hoc bonum deſiderium acceptans Ieſus, cui noſtra vota, tamquam opera placent, ipſum vocauit, & traxit ad ſe.

*Reuelatio S. Brigidæ.*

*Matthæus ſolicitus de ſua vocatione.*

*Deus acceptat bonam voluntatem.*

49. Octauò. Rupertus *lib.3. in Matth.* ſic ait, *erat ipſe Matthæus, tamquam ſpeculum perlucidum ſed in tenebris reconditum, & ſub tecto latens curarum nimis ſæcularium: vbi ergo vidit eum Ieſus, vbi vidit eum ſolus, ſolus & ſol verus reſplenduit ex aſpectu eius, & quia vidit eum talis filius hominis, reddidit imaginem eius, & formata eſt in ipſo facies hominis.* Quæ ſatis ingenioſè ſunt dicta. Matthæum publicanum vocat Chriſtus, vt ſit eius Apoſtolus, ac Euangeliſta, cui facies hominis appropriatur, cùm tres cæteri vultu leonis, vituli, ac aquilæ ſignificentur; erat Matthæus, vt quoddam ſpeculum, Chriſtus Dominus, qui filius hominis dicitur verus ſol; ex eo ergo quòd filius hominis Matthæum aſpexit, intuitu ſuo in ſe ipſum transformauit, ac ita ad ſe adoptauit, vt in eo facies hominis appareret. Vnde ſcribitur quòd vidit non Matthæum, ſed hominem, nam aſpectu ſuo filius hominis verum hominem eum effigiauit. Chriſtus enim viſus Chriſtos effingit.

Rupert.

*Chriſtus quos videt, in ſe conformat.*

50. Ait Propheta Habacuc 3.num.13. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem pro Chriſto tuo.* Vltima verba transfert Theodor. *Vt ſaluares Chriſtos tuos.* Sed quomodo fieri poteſt, quòd miſer homo, tam ſublime Chriſti nomen habeat, quod proprium eſt capitis, & principis noſtri; ait ipſe Theodoretus; *Vt ſaluares Chriſtos, hoc eſt, nos, quos proprio ſanguine ſuo perunxit, quos etiam diuinæ naturæ fecit participes, & coniunxit per ſe ipſum Deo.* Quos enim Chriſtus Dominus ſuo miſericordiæ intuitu dignatus eſt aſpicere, vt redimeret, ac ſaluaret, ita eos in ſe transformauit, vt etiam ipſi Chriſti nomine dicantur, ac nobilitentur.

Habacuc.3. Theodor.

*Chriſtus quos aſpicit ſuo nomine nobilitat.*

51. Ait D. Paulus, Rom.10.num.12. *Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci.* Quomodo hæc ait Apoſtolus, nónne etiam inter ipſos Iudæos eſt magna diſcriminatio in vultu, perſona, ac geſtu corporis? Quanto magis inter Iudæos, & Græcos in quibus erat tanta intercapedo in lingua, moribus, ac vita. Rectè difficultatis nodum ſoluit Oleaſter in cap.28. Exodi. *Tolle Chriſtum, veſtem*, ait, *& iam Iudæos à gentibus diſcriminatos proſpicies, ſed ſi eos conſideres Chriſtum indutos, iam non eris, quo Barbarum à Iudæo, ſeu Græco diſtinguas:* Quos enim Chriſtus ſua miſericordia reſpicit, vt ipſo induantur, ac in eius fide vniantur, ita conformantur Chriſto, ac ipſum repræſentant, vt inter ſe valde ſimiles inueniantur.

Rom.10.

Oleaſter.

*Ex Chriſti amore homo habet ſimilitudinẽ eius.*

Qvæstio



## Qvæstio IX.

### *Quomodo Matthæus indilatè ſine vlla mora ſecutus fuerit Chriſtum?*

52. Irridenda ſunt impudica deliramenta Porphyrij, ac Iuliani Apoſtatæ, qui arguebant imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſunt Saluatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet virum ſecuti ſint. Non enim intellexerunt iſti praui dogmatiſtæ efficaciam diuinæ gratiæ, nam ſi magnes, vt argumentatur hîc Hieronymus, trahit ad ſe ferrum, ſol vapores, quanto efficacior erit virtus omnipotentis Dei ad trahendum ad ſe humanam voluntatem. Et ſi vox Dei imperantis præpotens eſt ad creandum ex nihilo totum mundum, quomodo Dei vox imperantis, *ſequere me*, vt ait D. Paſchaſius *lib.5. in Matthæum*, non erit valde potens ad mouendum animum hominis, cùm ſcriptum ſit, cor Regis in manu Dei eſt, Prouerb.21. num.1.

Hieron.

*Dei gratia efficax ad mouendum cor.*

Paſchaſ.

53. D. Hieronymus, & alij dicunt, quòd in vultu Chriſti, quidam fulgor diuinæ maieſtatis relucebat, quo aſpectu videntes ad ſe trahere poterat. Eſto hoc aliquando fieret, tamen, quamuis nihil ſplendoris in facie Chriſti appareret, eius vox ſua diuina gratia valde efficax erat, vt Matthæum, ac alios ad ſe traheret. Vnde ait Beda, Dominus, qui Matthæum foris verbo vocauit, intus inuiſibili inſtinctu, vt ſequeretur, edocuit.

Hieron.

Beda.

## Qvæstio X.

### *An D. Matthæus ſecutus fuerit Chriſtum, relictis omnibus ſuis?*

54. Qværimvs in præſenti, an D. Matthæus dimiſſis omnibus ſuis ſecutus fuerit Chriſtum, hoc ipſe de ſe non ſcribit, ſed ait, *Surgens ſecutus eſt eum*; tamen hoc expreſsè nobis narrat D. Lucas, *& relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum*; hoc enim cùm ad magnam laudem eius pertineret, ipſe Matthæus non ſcripſit, ſed ſubticuit. Quærimus ergo, an Matthæus ita ſecutus fuerit Chriſtum, vt imperfectas omnino reliquerit rationes ſui officij, abſque eo quòd de collectis vectigalibus redderet rationem.

*D. Matthæus ſuas laudes ſubticuit.*

55. Dicendum eſt cum Abulenſi *quæſt.* 46. Toleto *Luc.5. annot.*56. & hîc cum Salmeirone, Beaulxame, Barrada, ac aliis, quòd ad vocem Chriſti Matthæus inflammatus diuino amore reliquit omnia, libros officij, pecunias, gazas, cum vera, & firma reſolutione, ac animo abiiciente omnia, tamen cùm eſſet diues, & multis negotiis implicatus ex Chriſti ordinatione, rediit domum, vbi fecit magnum conuiuium cum multa turba publicanorum, vt explicat D. Marcus textu ſequenti allegandus, & Chriſtum habuit hoſpitem, & ibi ſua diſpoſuit, vt collectorum vectigalium rationes redderentur, & debita, ſi quæ extabant, ſoluerentur, & cætera in pauperum vſus diſtribuerentur.

Abulenſ. Tolet. Salmeiron. Barradas. Beaulxam.

*D. Matthæus de ſuis diſpoſuit, & reddidit rationem.*

56. Probatur primò. Hoc poſtulabat recta ratio. Sic enim Eliæ permiſſu ad parentes ſuos rediit Eliſæus 3. *Reg.*19. *n.*20. Non enim Chriſtus ea, quæ pertinebant ad honeſtatem quandam, abſtulit. Secundò, quia Chriſtus mandauit, vt vnicuique ſoluerentur ſua debita. Rom.13.num.7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* At qui colligit vectigalia, deeſt debitor ad reddendam de illis rationem; ergo hanc præſtare Matthæum Dominus voluit. Tertio, quia Chriſtus Dominus cum ſuis diſcipulis ordinauit degere abſque alicuius iniuria, & ſcandalo; & hac de cauſa iuſſit Petro ſoluere tributum. *Vt autem non ſcandalizemus eos, da eis pro me & te*, Matth.17.n.26. Et Apoſtolus dicebat; *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*, citato cap.13. Rom.n.8. Ergo vt euitaretur ſcandalum, diſpoſuit Dominus, vt Matthæus ſolueret collecta tributa, ac etiam debita, ſi quæ extabant, aliàs eſſent multæ rixæ, & contentiones, quas ſemper Dominus declinare voluit.

Matth.17. *Chriſtus voluit, vt ſui diſcipuli eſſent abſque alicuius iniuria & ſcãdalo.*

57. Quartò. Matthæus vberrima magnificentia, ac miſericordia fecit magnum conuiuium, in quo Chriſtum, ac multos publicanos excepit, vt à Domino conuerterentur, & multa bona ſua in pauperes diſtribuit; de hac liberalitate Matthæi ait D. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 28. Deus miſericordiam voluit, *Vt Matthæus quod tulerat per miſeriam, in miſericordias prorogaret: & inde redimeret pœnam, vnde comparauerat culpam.* Si enim Matthæus tam magnificus, ac liberalis extitit in operibus miſericordiæ adimplendis; quomodo etiam non eſſet copioſiſſimus expenditor in iuſtitiæ operibus ſatisfaciendis: vt minutim vnicuique ſua debita reſtituerentur, ac vt quilibet, quæ ſua erant, acciperet.

Chryſolog.

*Matthæus liberalis in operibus miſericordiæ, & iuſtitiæ.*

58. Obiectio. Dicet aliquis fortaſſe, Petrus, & Andreas ita relictis retibus, ac naui ſecuti ſunt Dominum, vt amplius nullam curam de his haberent; hoc enim maximè eorum perfectionem commendat; ergo etiam Matthæus, vt eſſet perfectus, debuit ita ſua relinquere, vt ampliùs de illis non haberet rationem.

59. Reſpondeo quòd ſumma excellentia Petri, ac Andreæ in eo ſtat, quòd ita dimiſſis ſuis Domino adhærerent, vt ampliùs de illis nihil agerent; ſumma autem perfectio Matthæi in eo apparet, quòd omnino non dimitteret ſua, ſed quòd de illis diſpoſuerit, ac ordinauerit. Nam Petrus, & Andreas ſolùm nauim, & retia habebant, nullas verò cum aliquo negotiorum rationes; meritò ergo vbi vocantur, omnia à ſe abiiciunt. At Matthæus, qui multas negotiationes habebat, tributa, ac vectigalia receperat, & etiam aliquibus debitis onuſtus erat, dum à Chriſto vocatur, ita eum ſequitur, vt ei permittatur de ſuis diſponere, ac ordinare, ita vt eius debita ſoluantur, ac recepta vectigalia dominis ſuis reſtituantur.

*Qui obligationes habet illius perfectio eſt, vt illis ſatisfaciat.*

60. Maximis encomiis Zachæus extollitur à ſanctis Patribus, quia dimidium ſuorum bonorum dabat pauperibus: at perfectio non eſt dare dimidium, ſed totum, & integrum pro Dei amore. Ita enim docuit Chriſtus, *Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, Matth.19.n.21. Si conſummata perfectio eſt, vniuerſa diſtribuere, ac erogare, quomodo Zachæus cùm dimidium daret, tam magnus iudicatur. D. Auguſtinus in Pſalm.125. *Intellige*, ait, *propterea ſibi enim tenuiſſe dimidium, non vt haberet, quod poſſideret, ſed vt haberet vnde debita redderet.* Zachæus homo publicanus erat, multa habens negotia; perfectio ergo illius

Matth.19.

Auguſt. *Perfectio Zachæi, vt ſuis obligationibus, ac negotiis ſatiſfaceret.*

illius pro ſuo ſtatu exigebat,non omnia ſua elargiri,ſed dimidietatem dare, aliam verò reſeruare, vt ſua debita perſolueret, ſuiſque negotiationibus ſatisfaceret, vt ita ſui officij onera adimpleret.

61. Luc. 5. Ait Luc.5.num.38.*Surgens Ieſus introiuit in domum Simonis*.Sed quomodo dicitur domus Simonis,nam ipſe relictis omnibus ſecutus eſt Dominum, *Matth*.4.*num*.21. Verum eſt quòd Petrus quando Domino adhæſit, omnia ſua dimiſit, quantum ad poſſeſſionem, non verò abiecit illa, quantum ad obligationem conſanguineis ſuffragandi, eorumque neceſſitatibus, miſeriis, ac ægritudinibus opitulandi, nam illis in huiuſcemodi rebus leuamen dare, recta ratio exigit, & poſtulat. Vide *cap*.22.*quæſt*.2.

*Petrus ita dimiſit omnia, vt etiam ſuis obiurgationibus correſponderet.*

*Matth*.9.*n*.10. Et factum eſt diſcumbente eo in domo,ecce multi publicani,& peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Et cùm accumberent domi, venerunt publicani.

*Vatablus.* Et venit cùm Ieſus accumberet in (illius) ædibus, vt ecce multi publicani, & peccatores qui venerant,ſimul accumberent cum Ieſu.

*Theophylact.* Illo recumbente in domo.

ALTER TEXTVS.

*Marc*. 2.*n*.15. Et factum eſt cùm accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores ſimul diſcumbebant cũ Ieſu,& diſcipulis eius:erãt enim multi, qui ſequebantur illum.

*Luc*.5.*n*.29. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua: & erat turba multa publicanorum,& aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.

## *EXPOSITIO.*

62. ET *factum eſt*. Poſt vocationem Matthæi deſcribitur conuiuium, quod ipſe Domino parauit in domo ſua,quod factum eſt ſequenti die,vel poſt eius vocationem, vt omnes conſentiunt. *Diſcumbente eo*, ſcilicet Ieſu accumbente menſæ; in domo, ſcilicet ipſius Matthæi, vt ex Marco, & potiſſimum ex Luca eſt manifeſtum, D. Matthæus humilitatis ſtudio, de ſe exprimit, quòd vitij erat, *Sedentem in telonio*. Quod verò virtutis eſt, ſilet, & ideo non explicat, quòd domus ſua erat, & quòd ipſe conuiuium parauerat, & hac de cauſa non dixit de ſe, quod relictis omnibus ſecũtus eſt, vt expreſſit Lucas, vel non dixit domum ſuam, vt ait Albertus Magnus, quia cùm iam Domino adhæreret, omnia ſua communia reputabat. D.verò Lucas ait, quòd fecit conuiuium magnum; & reuera magnum erat, vtpote Domini præſentia nobilitatum, eximia Matthæi liberalitate appoſitum, turba hominum circunſeptum ingenti Angelorum gaudio repletum in conuerſione tantorum peccatorum.

*Matthæus abſcõdit virtutes, prodiit quæ vitij fuerant.*

Albert. Mag.

*Magnum hoc conuiuium.*

Ecce, rem grandem denotat. *Multi publicani*, ideſt,homines dediti publicis negotiis, quæſtui, ac auaritiæ,*& peccatores*. Hoc eſt, homines licentioſi in vita,ſine Deo,& lege degentes.*Venientes*. Hoc eſt,ipſi publicani, ac peccatores veniebant, vel ineſcati Domini conuerſatione, vel attracti eius miraculis, vel inuitati à Matthæo, vel eius exemplo, valde efficax eſt exemplum,vocato vno publicano,multi iam ſequuntur, & ad Dominum conueniunt. Vnde ait D.Paſchaſ.lib.5.in Matth. *Vnius peccatoris conuerſio multis exemplum præbuit pœnitentiæ. Et in domo ad quam prius multos ſecum propter lucra conduxerat,ad veniam inuitat.* 63

*Exemplum valde efficax.*

## QVÆSTIO XI.

### *Quinam publicani, ac peccatores dicantur?*

QVAMQVAM peccatores, ac publicani, ſæpe in Scriptura coniungantur, *Luc*.7.*num*.34.*& cap*.15.*num*.1.tamen hoc loco publicani à peccatoribus diſtinguuntur. Vnde breuiter videndum, quid vnuſquiſque eorum ſignificet,ac denotet. 64.

*Publicani* ergo,vt conſtat ex *Digeſt.lib*.39.*tit*.4.*de publicis vectigalibus,lib*.1.*& de verborum,& rerum ſignificatione.lib*.16.à publico dicebantur,qui publica vectigalia colligebant.In magno honore erant apud Romanos, vt conſtat ex Tullio *orat. pro Plancio*. Apud Iudæos habebantur tamquam peccatores viles, & infames, vt notant Chryſoſtomus *homil*.31. Albertus Magnus, Abulenſis *in Prolog.D.Hieronymi in Euangelia*, Ianſenius *cap*.13.ſuæ concordiæ,Caietan.& alij. 65.

*Quinam publicani.*

Tull.

Chryſoſt. Albert. Mag. Abulenſ.

Quamquam publicanorum officium ex ſe exerceri poterat ſine peccato, vt aduertunt Barradas, & Cornelius à Lapide. nam iuſta, & debita tributa colligere non eſt iniuſtum. Vnde publicani venientes ad Ioannem,cùm rogarent: *Magiſter, quid faciemus*,ille non iubet officium deſerere,ſed ait, *nil amplius quàm conſtitutum eſt vobis,faciatis*, Luc.3.num.13. Et ex Græco legi poteſt, *nil amplius exigatis*. Et Chriſtus Dominus *Matth*. 22.*num*.21.iuſſit dare tributa Cæſari; ergo illa colligere ſecundùm ſe non erat malum;& Zachæus, publicanus, *Luc*.19.*n*.8.ait. *Dimidium bonorum meorum do pauperibus,& ſi quid aliquem defraudaui,reddo quadruplum*,quod fieri non poſſet ſi omnia eſſent ex rapina. Tamen frequenter pro tali tempore illud munus obibant homines magno peccato,auaritia,rapacitate,ac pauperum oppreſſione,& plura à populo extorquebant,quàm ſibi eſſent permiſſa.Deinde,quia Iudæi pro nixu contendebant, ſe velut genus Abrahæ ex libera, ac populum Deo dedicatum,non debere ſubiici Romanis, 64.

Barradas. Cornel.

Luc.3.

Luc.19.

*Publicani reputabantur peccatores.*



nec compelli ad ſoluenda tributa, vtpote idololatris,ac Gentilibus & ideo,huiuſmodi exactiones facientes, tamquam cooperantes peccato, ac rei illicitæ, peccatores infames, ac viles habebantur in populo. Notat tamen Euthymius *hic*, quòd *fortè alij quidam erant*, ſcilicet publicani,*nobiliora quidem vitæ inſtituta habentes,eiſdem tamen obnoxij affectibus, nam ſimile ſuo congaudet ſimili.*

Euthym.

67. Fit etiam in textu mentio de peccatoribus. Vnde Abulenſis *hic*, Toletus *in* 5.*Luc*.exiſtimant eoſdem homines denotari; mihi videtur quod eſt, vt diſtincti ponantur. Vnde peccatores hoc loco appellantur Iudæi diſſoluti, ſine timore Dei viuentes, qui contemnentes legem Iudaicam, valde licentioſè omnibus vitiis dediti, cum barbaris gentilico more viuebant, vel quia ad gentiliſmum defecerant. nam, vt notat Franciſcus Lucas,Iſraëlitis accepturis legem, gentis ſanctæ nomen à Deo erat promiſſum *Exod*. 19.*num*.6. Vnde factum eſt, quòd apoſtatantes à lege peccatores appellabantur.

*Quinam peccatores hoc loco.*

Franc. Luc.

## QVÆSTIO XII.

### *Quare hoc conuiuium factum fuerit?*

68. RATIO à priori huius rei extitit diuina voluntas, quæ Matthæi voluntatem mouit, ob ea,quæ facere decreuerat; quaſdã congruentias,ac etiam rationes morales hîc inueſtigamus, & notandum eſt cum D.Paſchaſ.*lib*.5.*in.Matth*. quòd antequam Matthæus pararet hoc conuiuiũ materiale Chriſto in domo ſua, priùs ei præſtitit aliud conuiuium,ac hoſpitium ſpirituale in corde ſuo per fidem,& amorem, iuxta Apocal.3.num.20. *Sto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi ianuam,introibo ad illum,& cœnabo cum illo.*

Paſchaſ.

69. Primò propter Chriſtum,vt per hoc videretur ei gratias reddere, nam ſicut vocatus erat ab illo ad ſua bona ſpiritualia in ſignum gratitudinis, voluit ei exhibere ſua temporalia; ſic ait D. Anſelmus, *vt beneficiis cæleſtibus vicem rependeret*. Et hoc priùs dixit D.Paſchaſius citato loco, *vt à quo iam perennia ſperabat bona, ei ſua largiretur*. Iuxta illud 1.Corinth.9.num.11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* id eſt, magnum non eſt,& ideo tanto beneficio gratus Matthæus voluit ob Domini amorem,ac obſequium omnia ſua expendere;& omnibus modis,quibus poſſet, Magiſtrum ſuum, vt ait Victor.Antioch.*in* 2.*Marc*.honoraret.

*D.Matthæus exhibuit ſe gratum Chriſto.*

Anſelm. Paſchaſ.

1.Cor.9.

70. Secundò propter Matthæum. In ſignum rei valde gratæ,ac periucundæ fiebat conuiuium; vt ergo Matthæus declararet ingens gaudium animi ſui,quòd Chriſto adhæreret;ob eiuſque amorem res temporales deſereret, conuiuium magnum fecit.*Afferentur in lætitia,& exultatione,adducentur in templum Regis*, Pſalm.44.n.16. Deinde conuiuium factum eſt diuina prouidentia ordinante,vt ait D.Chryſoſtom.homil.31. *Matthæus, vocatus honorem quoque non minimum conſecutus eſt. Menſa enim Domini continuò dignatus,poterat facile maiora quoque ſperare.* Deus honorat honorantes ſe, Matthæus Chriſtum honorauit, hoc conuiuium, multo maiorem honorem aſſecutus eſt Matthæus à Domino,vt in menſa,in qua Chriſtus aderat, & ipſa cæleſtis menſa Euchariſtiæ præfigurabatur,Matthæus ibi accumberet,ex quo iam poterat concipere ſpem, quòd ipſo cæleſti pane paſceretur,ac quòd omnibus bonis repleretur.

*D.Matthæus magnum habuit gaudiũ de ſua conuerſione.*

Pſalm.44.

Chryſoſt.

*Chriſtus Matthæum admittendo ad menſam maximè honorauit.*

Tertiò,propter communem, & vulgarem morem antiquum,vt notat Abulenſis *quæſt*.48.à quo Matthæus noluit diſcedere. Nam antiqui patres ſæculum deſerentes, & dum ſe transferebant ad ſpiritualia, ac ad prophetandum, celebrantes conuiuium amicis, ac familiaribus vale dicebant; ſic Eliſeus cùm vocaretur ab Elia, reuerſus eſt in domum, vt ſuos oſcularetur, & poſtea veniens, *Mactauit par boum,& coxit carnes,dedit populo, & comederunt,& ſurgens ſecutus eſt Eliam*, 3. Reg.19.num.21. Sic & Matthæus obſeruauit, & fecit. Ex quo ait Salmeiron, deriuata eſt conſuetudo,vt in profeſſione aliquorum Religioſorum conuocatis amicis, ac conſanguineis fiat conuiuium. 71.

*Antiqui mores ſeruandi.*

Abulenſ.

3.Reg.19. Salmeiron.

Quartò fecit hoc magnum conuiuium propter bonum,ac vtilitatem aliorum, vt & ipſi Dominum audientes ab eo conuerterentur à viis ſuis peſſimis.Sic ait D.Thomas, *fecit conuiuium, inuitauit multos, vt ad Dominum traherentur, vnde ſignum eſt,quòd aliquis firmiter conuerſus eſt ad Dominum,quando alios trahit,quos magis diligit*.Iuſtus ob perfectam charitatem quam habet in Deum,& in proximũ, cæleſtia dona non vult ſolùm in ſe contineri, ſed in alios ſtagnari maximè deſiderat. 72.

D.Thom.

*Iuſtus vult bona ſua aliis communicare.*

Cùm Iſraëliticus populus eſſet oppreſſus à Madianitis, Apparet Angelus Gedeoni, & ait ei, *Dominus tecum virorum fortiſſime*.Dixitque ei Gedeon: *Obſecro mi Domine,ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc mala?* Iudic.6.num.13. Diuerſus loquendi modus maximè ponderandus eſt, qui in admirationem poteſt rapere animum; Angelus enim dixit ei,*Dominus tecum*; ipſe verò reſpondens, ait, *Si Dominus nobiſcum*. Conſequenter ad verba Angeli dicendum erat,ſi Dominus mecum eſt; cur ergo ad alium diuertit modum loquendi,*Si Dominus nobiſcum eſt*,tanta charitate erat Gedeon inflammatus, vt non ſolùm ipſe ſibi vellet Dominum retinere, ſed vt etiam aliis communicaretur, & ideo non ait, Dominus mecum,ſed *Dominus nobiſcum*,quia non ſolùm ſibi, ſed etiam omnibus Dominum adeſſe maximè affectabat; de iuſto, & perfecto ait Chryſoſtom. homil.de cruce,& latrone, *Suas neceſſitates prætermittens,aliorum vtilitatem cogitat*;vide ſuprà *cap*.5.*num*.152.*&* 169.*& cap*.10.*num*.255.*&* 256.*cap*.14.*num*.54.*& cap*.18.*num*.70.*& tom*.1.*lib*.2.*cap*.10.*num*.29. 73.

Iudic.6.

*Iuſtus non ſolum vult bona ſibi, ſed etiam aliis.*

Chryſoſt.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Chriſtus prandeat cum publicanis, in hoc conuiuio?*

PRIMA ratio, & valde celebris ſanctorum Patrum in hac materia, eſt, quam tradit D.Hieronym.hîc.*Ibat Dominus*, ait, *ad conuiuium peccatorum, vt occaſionem haberet docendi, & ſpirituales inuitatoribus ſuis præberet cibos*. Et D. Chryſologus *ſerm*.30.ait, *Venit ad conuiuium vita,vt faceret ſecum conuiuare morituros: diſcubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam*. Idem docent Chryſoſtom.*hom*.31.*in Matth*. Theophyl.D.Paſchaſius, 74.

Hieron.

Chryſol.

Chryſoſt. Theophyl. Paſchaſ.

Albert.Mag. D.Thom.

chaſius, Albertus Magnus, S.Thomas *hîc*, & D. Bonauentura *in cap.5. Luc.* Optimè præuidebat Dominus, quòd Phariſæi hoc factum erant calumniaturi. Dicebant, quòd cum publicanis, & peccatoribus manducat. Deinde exprobrantes dicebant, *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus*, Matth.11. num.19. quod ponderans Chryſoſtom. *citato loco*, ait, omnia hæc diſpiciebat, ſcilicet Chriſtus, *vt ad finem optatum perueniret*, nempe ad conuerſionem hominum, vt eos alliceret, ac attraheret ad ſe.

*Chriſtus deſpicit murmurantium linguas, vt quærat noſtram ſalutem.*

Matth.11.

75. Antioch.

Secundò. Victor Antiochenus in cap.2. Marci. *Is qui illum in diſcipulorum numerum cooptauerat, nihil prorſus cunctatus, ſtatim in domum illius ingreditur, in qua præter vnam patris familias pœnitentiam, nihil prorſus boni comperit. Neque ob id ſuccenſet, aut quod acciderat, probroſè obiectat, verùm tamquam naturæ Dominus, ad conuiuium ingreſſus vnâ cum cæteris comedit, & bibit, neque oblatam interim benefaciendi occaſionem negligit.* In quibus verbis multa ſunt adnotanda. Et primò. *In qua præter vnam patrisfamilias pœnitentiam nil prorſus boni comperit.* Hoc ſanè multum ponderandum. Matthæus erat valde diues, vt eſt communis ſententia, & cùm illa domus eſſet ſua, ſine dubio magna, & ampla erat, & inde tam ſolemni multis pretioſis tapetibus adornata, conuiuium magnum tam ciborũ copia, quam vaſorũ multitudine, quæ ex æſtimabili metallo, auro, & argento erant confecta. Quomodo ergo dicitur, quòd *præter vnam patrisfamilias pœnitentiam, nihil prorſus boni comperit.* Quamuis illa, quæ numerauimus, aſtantium aſpectui, vtpote ornamenta externa viderentur bona, tamen Chriſti oculis omnia illa vileſcebant, nam eis nil bonum, & pulchrum apparet, niſi ſola interna virtus, ac iuſtitia, vnde inter aurum, & argentum præter Matthæi pœnitentiã nil boni contemplatur Chriſtus. Secundò, *Neque ob id tamen ſuccenſet, aut, quod acciderat, probroſè obiectat.* Quamuis cætera omnia præter Matthæi pœnitentiam, ei diſplicerent, non tamen inde iraſcitur Dominus, ſed diſſimulat, quia magni principis eſt aliquando diſſimulare, vt multa in melius valeat reformare. Tertiò, & ad noſtram quæſtionem, *Neque oblatam interim benefaciendi occaſionem negligit.* Quamuis illa domus videretur parum ornata ad tantum Dominum excipiendum, tamen in eam ingreditur, benefaciendi ocaſiones quærebat; & ideo hanc oblatam non negligit, ſed cum peccatoribus, & publicanis manducat, potius attendens ad noſtrum commodum, quàm ad celſitudinem ſuæ maieſtatis. Vide *cap.3.num.57. & 58.*

*Terrena bona vileſcunt diuinis oculis, & ſola virtus æſtimabilis apparet.*

*Diſſimulatione ſæpe multa in melius reformantur.*

*Chriſtus potius attendit ad noſtrum commodum, quã ad ſuam maieſtatem.*

76. Rabanus.

Tertiò Rabbanus, infrà ad illa verba, *Diſcipuli tui non ieiunant*, ſic ait. *Manducat Chriſtus cum peccatoribus, vt gratiam, & poteſtatem intelligas.* Quod dupliciter poteſt intelligi. Primò quòd in hoc maxime oſtenditur efficacia gratiæ, ac poteſtatis Chriſti trahendo ad ſe peccatores per conuiuia, cùm hæc ſoleant multoties auertere homines à Deo *Rom.13.num.13. ad Galatas 5.n.20.* Secundò. Iam Chriſti Domini diuinitas voce Patris declarata erat in Iordane, Hic eſt filius meus dilectus, & teſtificatione Ioannis: Ecce Agnus Dei; tamen, ait Rabbanus, quòd *manducat cum peccatoribus, vt gratiam, & potentiã intelligas.* Quia degere inter peccatores, cum eiſque conuerſari, abſque eo, quòd inde alicuius notæ particeps efficiaris, opus eſt ſanè diuinum, manifeſtaque probatio, ac euidentia eximiæ gratiæ, diuinæque poteſtatis; & ita in hoc facto præcipuè declarabatur ſubſtantialis gratia vnionis hypoſtaticæ, quæ erat in Chriſto, ac etiam habitualis gratia, quæ in eius anima inerat; apertéque eius ſuprema poteſtas, vtpote filij cunctis manifeſtabatur.

*Magnum diuinæ gratiæ opus inter malos degere, abſque eo, quòd aliquẽ fucum non habeas.*

77. Quartò Abulenſis *quæſt.50.* ait, quòd Chriſtus acceperit conuiuium tum ob honorem Matthæi, tum, vt peccatoribus fiduciam daret, nam ſi Dominus contemneret peccatores, ad eum accedere non auderent. Quintò fecit hoc Chriſtus ad oſtendendum, quòd nihil eſt, quod omittere debeamus, quando intendimus aliquam vtilitatem ſpiritualem cauſare, ita Chriſtus non dedignatus eſt ſe humiliare ad manducandum cum peccatoribus, vt eos ſaluos faceret. Sic dicebat Paulus 1.Corinth.9.num.19. *Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Sextò, vt oſtenderet Dominus, non eſſe peccatum comedere cum peccatoribus, dum tamen non communicamus eorum operibus malis; multa enim ſic Chriſtus fecit ad dubia tollenda, ſimili enim ratione in nuptiis voluit intereſſe, vt eas tamquam licitas ſua præſentia honeſtaret, nec obſtat quod *Prouerb.23. num.6.* dicitur, *Ne comedas cum homine malo.* Et Apoſtolus ait, 1.Corinth.5.num.11. *Si frater eſt fornicator, aut auarus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Rectè reſpondetur cum Alberto Magno *ſequenti verſu.* quòd illa, & ſimilia intelliguntur de peccatoribus obſtinatis, ac hæreticis, de quibus nulla eſt ſpes emendationis, & aliquod contagium timeri poteſt, quod nullum dari poterat in Chriſto, & ex eius conuerſatione cum peccatoribus magnum bonum ſpirituale reſultabat, cùm multi conuerterentur.

*Pro ſalute aliorum nil omittendum.*

1.Cor.9.

Prou.23.

1.Cor.5.

Albert.Mag.

78. Chryſolog.

Septimò D.Petrus Chryſologus *ſerm.29.* ſic ait. *Diſcumbebat Ieſus plus in Matthæi mente, quàm ſigmate: & epulabatur non cibis, ſed reditu peccatoris, vt reuocaret conuiuio, collegio, humanitatis affectu, dulciſſima ſui confabulatione diſcumbentes, quos ſciebat poſſe iudicis agnita poteſtate diſſolui.* Affectabat Dominus adducere ad ſe peccatores, & ad hoc non exhibet iudiciariæ poteſtatis ſigna, terrores, flagella, & mortes, ſed benignitatis indicia, dans dulciſſima verba, ac in conuiuio accumbens, ſciebat enim, quòd iudicis poteſtas terrere poterat; affabilitas verò allicere ac attrahere; & in illo conuiuio reficiebatur Chriſtus non corporali cibo, ſed peccatorum conuerſione. Vide ſuprà *cap.10. num.52. & num.83. 84. & 85. cap.20. num.10.*

*Plus trahitur dulcedine verbi, quàm terrore poteſtatis iudiciariæ.*

79. Preme illa verba ſancti Patris, *Diſcumbebat Ieſus plus in Matthæi mente, quàm ſigmate.* Plus diſcumbebat Ieſus in Matthæi anima, quàm in ipſa menſa, non enim Dominus tam attendebat ad pretioſam ſupellectilem, quàm ad mentem Matthæi, magis quærens hominem, quàm illius rem; coram Samuele ponit Iſai præſtantiſſimos filios, vt ex eis vnus eligatur in Regem, & quærens Propheta, an alius ſupereſſet filius, ait Iſai, *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues*, 1. Reg.16.n.11. Sed cur Iſai ſuũ filium, qui tantùm reſtabat, vt eligeretur in Regem, ita deprimit, vt paruulũ deſpicabilem dicat? Totũ diuina prouidẽtia dirigebatur, vt fieret manifeſtum, quòd Deus non attendebat ad pulchritudinem, ac diſpoſitionem corporis Dauidis, ſed ad illius animam, plus requirens hominem, quàm illius rem. D.Baſilius Seleuc.

*Deus vult hominem, & non rem illius.*

1.Reg.16.



Seleuc.

Seleuc.Orat. 15. *Cura gregis diſtentum gratia vocauit ad regnum; nam cognita animi mente minimè erubeſcit artem. Placet ſibi Deus abſtruſum in deſpecto corpore margaritum conſpicatus.*

## QVÆSTIO XIV.

### *Quomodo Chriſtus hoc conuiuium acceptarit, cùm fortè fuerit paratum de malè acquiſitis?*

80. Chryſoſt.

HOc dubium mouet Chryſoſtom. *homil.31. in Matthæum*, ſic dicens. *Et quanuis, quæ tunc appoſita erant, iniuſtè, atque rapaciter fuerunt acquiſita; non repellit tamen ea Dominus, ſed aſſumpſit ex illis; magnum enim lucrum oriebatur, quinimò eodem tecto, eademque menſa cum peccatoribus vtitur. Hæc certè bonum medicum decent, qui niſi laborantium putredinem ferat, non poteſt eos à morbis liberare.* Vbi videtur hoc referre ad Domini benignitatem, qui ſuſtinet putredinem ægroti, vt eum ad ſanitatem reducat.

*Medicus ferat putredinem ægroti.*

81. Sed, vt iam ſuprà notaui *quæſt.11.* quanuis officium publicanorum eſſet valde periculoſum, vnde publicani malè audiebant in populo; tamen omnia, quæ ipſi congregauerant, non erant ex furto, ac rapina, nam vectigalia iuſtè exiguntur à principibus, & ideo Chriſtus Dominus iuſſit tributa dare Cæſari, *Matth.22.n.21.* Quod corroboratur ex reuelatione S.Brigidæ relata *q.10.* quòd Matthæus erat ſolicitus de ſua ſalute, & neminem defraudare voluit. Vnde Chryſoſt. intelligendus, vt ait Tolet.*cap.5. Luc. ann.57.* de his, quæ ſæpè contingunt, quia à publicanis ex malè partis fiunt ſumptus.

*Publicanorũ bona non omnia erant ex rapina.*

Tolet.

82. Deinde eſto concedas ex abundantia illud conuiuium fuiſſe paratum ex mammona iniquitatis. Tamen Chriſto Domino licebat non tantùm de bene, ſed etiam de malè partis edere, nam ipſe cunctorum Dominus eſt, & ob ſuum vniuerſale dominium de omnibus poteſt diſponere, & ea dare, & transferre, vt ſibi placuerit; deinde vt præſentem difficultatem ſoluunt Alb.Magn. & Salmeiron, licèt ſaluti animarum incumbenti, quod neceſſarium eſt dumtaxat ad victum ſumere, tametſi de mammona iniquitatis ſit paratum, nam laborat, vt eum ad Deum trahat, & vt omnia malè parta reſtituat. Quòd ſi ſint incerta debita, nec certos habeant dominos, quibus ſint reddenda, ad Chriſtum, ac eius pauperes pertinent, & ad hunc ſenſum vult Salmeiron adducere Chryſoſtom. qui ait, *magnum enim lucrum oriebatur.* Vide citata verba.

*Chriſtus rebus omnibus poterat vti ob ſuum ſupremum dominium,*

Albert.Mag. Salmeiron.

## QVÆSTIO XV.

### *Quare Chriſtus accumbens in menſa trahat ad ſe peccatores, & publicanos, cùm tranſiens vocaret Matthæum?*

83. TRANSIENS Dominus vocat Matthæum, nam, vt dixi ſuprà ex Chryſologi mente; non dixit Euangeliſta, cùm ſtaret ibi, ſed *tranſiuit, & pertranſiuit.* Non enim limine domus peccatoris poterat Dominus commorari, ac ſtare, ſed pertranſiuit; contra tamen hanc doctrinam ex præſenti textu magna inſurgit obiectio. Nam Dominus diſcumbebat in hoc conuiuio cum peccatoribus, & publicanis, eos inuitans, ac trahens ad ſe, dicens: *Miſericordiam volo.* Cur ergo tranſiens Matthæum vocat, ſedens verò hoc ad ſe allicit; magnam differentiam oſtendit Dominus dum de bono communi, ac particulari agitur; nam de communi conſulto, ac tanquam ſedens pertractat. At de particulari, veluti caſu, ac obiter pertranſiens videtur ad illud attendere. Hinc eſt, quòd turba multa publicanorum, vt ait D.Lucas, in qua hominum communitas deſignabatur, ſedente Domino inuitatur, ac trahitur. At Matthæus, vt particularis homo, tranſeunte Chriſto vocatur, & adducitur.

*Chriſtus tãquam è conſulto agit de cõmuni veluti tranſeũter de particularibus.*

84. Exod.3. Baſil. Exod.33.

Apparuit Dominus Moyſi *in flamma ignis in medio rubi*, Exod.3.n.2. quod explicans D.Baſilius Mag. *in c.6. Iſaiæ*, ait, *Incumbebat Dominus plantæ.* Et quia rubus immobilis ſtabat in vno loco, ait Moyſes, *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Quæ viſio tantam voluptatem ei attulit, vt inde diceret, vt notat Theodoret. *Oſtende mihi faciem tuam*, Exod.33.n.13. Vt eius votis Dominus annueret, ait ei, *ſtabis ſuper petram, cùmque tranſibit gloria mea, vedebis poſteriora mea*, ibid.n.22. Quare Dominus in rubo altiſſima myſteria Incarnationis, ac Paſſionis oſtendens, immobilis, ac veluti defixus in vno loco ſe exhibet. Quando Moyſes adhuc erat in exordio perfectionis vitæ. At poſt longa merita, multiplicataſque petitiones dum Dominus tranſit, poſteriora eius videt; vis ſcire huius rei cauſam, perpende in rubo erat Dominus de communi populi libertate agens. *Deſcendi, vt liberarem populum meum.* At in Sina ſe exhibebat Moyſi, vt amico, & familiari ſuo; cùm ergo de communi populi ſalute eſſet negotium, incumbens Dominus plantæ, & ſtans defixus in vno loco illud peragit, ac diſponit; ſecus verò, cùm ad particulares fauores deuenitur, non ſtat, ſed tranſit gloria Domini, fauet D.Greg. Nyſſenus, libro de vita Moyſis. *Vidit reſplendentem lucem diuinam ſtantem in rubo, abiecit calceos, vt faciliùs ad lucem accederet, & in libertatem vendicauit ſuos.* Et poſt pauca, *Ardet deſiderio, videndi Deum, & pertranſiens gloria Domini, permittitur ei aſpicere poſteriora eius.*

*Deus dum de cõmun agit, tanquam ſedẽs ſe habet, de particularibus, velut tranſiens,*

Nyſſen.

85. Duo celebres principes, Dux Ioſue, & Rex Ezechias maximè nobilitati ſunt à Deo appoſitis ſignis in ſole, nam ad vocem Ioſue cap.10. n.13. *ſtetit ſol*, ad fletum verò Ezechiæ Regis, in ſignum ſuæ ſalutis, vt ei dixit Iſaias cap.38.n.8. *Reuerſus eſt ſol decem lineis, per gradus, quos deſcenderat.* Cur in vtroque caſu demonſtrat Deus tanta benignitatis ſigna, & non pari in modo ſol ſe præbet. Cur cum Ioſue ſtat immobilis in vno loco, cum Ezechia non permanet in vno gradu, ſed per decem lineas reuertitur, ſol ſtetit, vt pro ſalute totius Iſraël glorioſam victoriam aſſequeretur Ioſue. Reuertitur verò, vt Ezechias fieret certus de ſua ſalute, ac vita: vbi cauſa communis interceſſerat: quieſcente ſole benignitatis ſignum exprimitur, ſecus verò dum de particulari agebatur, incedente primo lumine incolumitatis ſalus demonſtratur. Vide ſupra *cap.5. num.275. & 276.*

Ioſue 10.

Iſai.38.

*Sol ſtat pro bono cõmuni reuertitur in particulari cauſa.*

*Matth.9.n.11.* Et videntes Phariſæi dicebāt diſcipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter.

*VERSIONES.*

*Vatablus. Pagninus.* Cur cum publicanis, & peccatoribus ſumit cibum Præceptor veſter.

*Syriacus.* Quare cum publicanis, flagitioſiſque edit Magiſter veſter?

ALTER TEXTVS.

*Marc.2.n.16.* Et Scribæ, & Phariſæi videntes, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magiſter veſter?

*Lucæ 5. n. 30.* Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis.

## *EXPOSITIO.*

86. *Tria ponderanda.*

TRIA hic conſideranda veniunt, calumniatores, & ad quos defertur calumnia, & ipſa obmurmuratio. Calumniatores. *Videntes Phariſæi,* quòd Chriſtus accumberet in menſa, cum publicanis, & peccatoribus, & cum illis erat multa turba aliorum, & in illis erant Phariſæi, qui de vitæ ſanctitate gloriabantur, & etiam Marcus, & Lucas adiungunt Scribas, qui de Scripturarum ſcientia inflati erant, velut zelo probitatis vitæ, & Scripturæ Chriſtum calumniabantur, moti ad hoc inuidia, qua maximè cruciabantur ex operibus Chriſti; vnde illum malignè obſcurare intendebant, tum etiam commoti ſua ſuperbia, vt ait Abulenſ. *quæſt.* 52. ad oſtendendum ſe Chriſto meliores, nam ipſi publicanos deuitabant, quos Chriſtus admittebat, & miſeri, & obcæcati Phariſæi odio, & inuidia non conſiderant eximiam Chriſti charitatem, pietatem, ac manſuetudinem, ſed tantùm id, quod proteruè intelligebant, vnde ex ſua mala affectione murmurationis materiam arripiebant.

Abulenſ.

87. *Hæretici imperitos quærunt.*

Secundò apud quos ipſa calumnia defertur. *Dicebant diſcipulis eius,* non dicunt Chriſto, ſed diſcipulis eius, & hoc clam, & abſconditè ab ipſo Domino, quia eius infinitam ſapientiam timebant, quam multoties experti erant in ſuis calumniis refellendis. Vnde diſcipulos petunt, tanquam adhuc rudes, & parum paratos ad reſpondendum, vt ita ſi fieri poſſet, eos à magiſtro abducant, & auertant. In hoc diaboli artem tanquam eius membra ſecuti, qui primò non Adamum, ſed mulierem, vt rudiorem aggreſſus eſt. Chryſoſt. *hom.* 31. notat Euthym. *Vide autem,* ait, *quòd quando diſcipuli peccare videntur, præceptori aduersùs illos dicunt: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere ſabbatis; quando verò præceptor, vt nūc apud diſcipulos illum calumniantur, doloſè agentes.* Phariſæorum nequitia; Magiſtrum hic accuſant apud diſcipulos, alibi verò; ad Magiſtrum dicūt. *Quare nos, & Phariſæi, ieiunamus frequenter. Diſcipuli autem tui non ieiunant.* Et iterum. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum.* Quando diſcipuli videbantur deliquiſſe, apud Magiſtrum eos deferunt, vt ſic murmurandi, ac diſſidia ſeminandi haberent occaſiones,

Chryſoſt. Euthym.

*Diſcordiæ ſeminatores.*

88. *Concord Euangeliſtarum.*

Tertiò ipſa calumnia. *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter.* Sic etiam ſcribit Marcus, qui addidit, *& bibit.* Aliter verò hoc narrat Lucas referendo ad diſcipulos, ſic ſcribit. *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis.* Phariſæi hæc omnia dixerunt, vt notant Abulenſ. *quæſt.* 56. & Tolet. *in S. Luc. annotat.* 60. ſcilicet, Quare Magiſter veſter, & vos manducatis. Tamen, vt ait D. Auguſt. *lib.* 2. *de conſenſu Euang. c.* 27. quòd duo priores Euangeliſtæ expreſſerunt ſolum Chriſtum, quia calumniantium intentio præcipuè contra illum erat. Dicebant, *Quare cum publicanis, & peccatoribus.* Phariſæorum nequitia, vt notat D. Paſchaſius, qui alios peccatores, & publicanos cenſebant, & ſe iuſtos iudicabant, & tamen illi frequenter ex Chriſti menſa recedebant iuſtificati, & iſti in ſua malitia, ac obduratione remanebant obfirmati. Et dicunt, *Magiſter veſter,* tanquam ſuggillantes, ac reprehendentes magiſtrum, & doctrinam, qui facto, & opere docebat, cum peccatoribus, & publicanis manducandum. Perpende tamen cum Alberto Magno, quomodo iſti Phariſæi in ſuis cogitationibus decipiantur, nam in eo quod Chriſto detrahunt, inde maximè eius miſericordiam; ac benignitatem publicatam faciunt, quòd tales peccatores ad ſe recipiebat, ac admittebat.

Abulenſ. Tolet.

Paſchaſ.

*Valdè errant homines dum de ſe iudicāt.*

Albert. Mag.

*Matth.9.n.12.* At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valētibus medicus, ſed male habētibus.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Non indigent ſani medico, ſed ij, qui malè affecti ſunt.

*Vatablus. Pagninus.* Quod vbi Ieſus audiuit, dixit illis: Non opus habent hi, qui validi ſunt, medico, ſed qui malè habent.

*Arias.* Non vſum habent medico.

*D.Cyprian. Epiſtol. ad Anton. D.Gaudent. ſer.* 19. Non eſt opus ſanis medico, ſed malè habentibus.

*Chryſoſt. hom.* 31. Non indigent valentes medico, ſed malè habentes.

ALTER



ALTER TEXTVS.

*Marc.2. n.17.* Hoc audito Ieſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent.

*Luc.5. num.31.* Et reſpondens Ieſus, dixit ad illos: Non egent, qui ſani ſunt, ſed, qui malè habent.

## *EXPOSITIO.*

89.

AVDIENS *Ieſus,* vel ſua infinita virtute, qua corda penetrat, vel etiam auditu corporis, quia propè erat, & ipſi Phariſæi ira, ac odio commoti voces comprimere non potuerunt, quin clamor ad aures Domini perueniſſet, & non ad diſcipulos dixit, ſed ad Phariſæos, quia ab illis egreſſa fuerat murmuratio; & quanuis ipſi cum diſcipulis loquerentur, vt notat Abulenſ. *quæſt.* 58. Tamen Dominus cauſam ſuſcepit, & pro eis reſpondet, quia res iſta ad eum pertinebat, & quia diſcipuli adhuc indocti, & rudes, non niſi inconſtanter, ac cum metu, & imperitè reſponderent; *Non eſt opus valentibus medicus.* Reſpondet Chriſtus quadam parabolica figura ſe animarum medicum declarans; nam corporum medicus opus ſuum habet ad ægrotos, eiſque mederi affectat. Ita cœleſtis medicus opus ſuum habet ad infirmitates ſpiritualiter, quales ſunt peccatores, vt latiùs explicabo *quæſtione ſequenti;* nec mirum videatur, quòd cum his ſit in conuiuio, vt ait Chryſologus, ſerm. 29. *Miraris Iudæe cur miſceatur conuiuio, qui propter peccatores naſci voluit, & non recuſauit occidi? Oblatras, cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus ſanguinem ſuum fudit.*

*Cauſa mali occurrendū.*

Abulenſ.

Chryſolog. *Chriſtus quanta pro nobis fecit.*

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Chriſtus diſsipet calumniam Phariſæorum, ſumpta parabola ab ægris & bene valentibus?*

90. *Germana intelligentia.*

GERMANA huius intelligentia eſt, quòd ſicut corporalis medicus, ſuum opus habet circa languentes, eoſque ſanare maxime curat, & quanto magis ſunt infirmitate detenti, tanto magis eos ab ea liberare ſatagit, abſque eo, quòd eorum morbis inficiatur. Cùm ergo peccatores ſint ſpiritualiter infirmi, nam vitia ſunt morbus animæ; conuenienter cœleſtis medicus, qui de cælo ad terram venit, vt peccata depelleret, cum publicanis, ac peccatoribus conuerſatur, vt eos ſanare valeat, abſque eo, quòd eorum noxiis coinquinetur, vt ita munus ſuum adimpleat, vt ait Chryſoſtomus *hom.* 31. de hac conuerſatione cum publicanis; *Quare,* inquit, *non procul à culpa tantum hæc eſſe oſtendebat ſed principale propoſitum ſuum, & laude maxima dignum.*

Chryſoſt.

91. *Chriſtus medicus.*

Pro huius communi ſolutione tria explicanda. Primò, quis ſit medicus. Secundò ægroti. Tertiò ſani. Medicus Chriſtus Dominus Pſalm. 106. n. 20. *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos;* verbum, id eſt, filius; & Sap. 16. n. 12. *Non herba ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo,* id eſt, filius; Iſai. 53. n. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit.* Infirmi peccatores, & publicani; ſani verò. Hilar. Hieronymus, Beda, Rabbanus, Albertus Magnus intelligunt ipſos Phariſæos, qui per ſuam ſuperbiam ſe ſanos reputabant. Vnde ait Albertus Magnus. *Non eſt opus valentibus, id eſt, vobis, quòd vos valere reputatis.* Apocal. 3. num. 7. *Dicis, quòd diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, pauper, & cæcus, & nudus.* Vnde periculoſiſſimè viuit, qui ægrotat lethaliter, & præſumit ſe ſanum, & ideo medicum non requirit. Hæc Albertus. Vnde iuxta D. Hieronymum ſuggillat Dominus Phariſæos, eo quòd medicum contemnant, & laudat peccatores cùm ipſum requirant. Alij per ſanos intelligunt, iuſtos cum Chryſoſtomo, quod latiùs erit explicandum *quæſt.* 19.



Pſal 106. Sap. 16. Iſai. 53.

Hilar. Hieron. Beda. Rabbanus, Alb. Magnus Apocal. 3.

Hieron.

Secundò. Reſpondet D. Fulgentius Epiſtol. 7. *Quid autem aliud his verbis agitur; niſi, vt omnipotentis medici manus ſub humanæ ſalutis effectu, deſperationis vitio repellatur; ipſe quippe medicus ait: Non indigent, qui ſani ſunt, medico, Spiritus eſt medicus, omnes poteſt infirmitates ſanare.* Miro pietatis artificio reſpondet Dominus, non ait Phariſæis, cur ita malè iudicatis, cur ita obmurmuratis, ſed apponit exemplum de medico, vt ita calumniam depellat; & eis dat animum, vt ad ipſum conuertantur, & veniant. Nam cùm ſit Medicus, infirmis ſe non negabit; ita reprehendit Chriſtus, vt malum propulſet, & delinquentes non deterreat ab ſpe veniæ. 92.

Fulgent.

*Deus peccatores reprehēdit, & dat fiduciam ad cōuerſionem.*

Ex his ergo patet, quare Dominus veniebat ad conuiuia publicanorum, vt in præſenti difficultate ait D. Paſchaſ. lib. 5. in Matth. *Oſtendit igitur Chriſtus ſuis reſponſis, cur ad conuiuia peccatorum intrarit: equidem non vt reciperet eſcas, verùm vt præſtaret miſericordiam miſeris, & languentibus, indulgentia ſubueniret.* Intrabat Dominus ad conuiuium, veluti ad ſumendas eſcas; & tamen cibos non quærebat, ſed animarum ſalutem, & ad hoc præſtandum tanquam medicus ſe gerens, aliquando parumper infirmis ſe contemperabat, ac adaptabat, in conuiuiis, ac conuerſatione cum eis agens, vt efficaciùs eos alliceret, ac attraheret ad viam ſalutis. Vnde ait Chryſoſtom. homil. 31. *Hæc certè bonum medicum decent, qui niſi laborantium putredinem ferat, non poteſt eos doloribus liberare.* Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 74. *& cap.* 5. *numero* 225. *& cap.* 14. *numero* 33. *& cap.* 26. *numero* 83. *&* 84. 93.

Paſchaſ.

*Chriſtus vt medicus ſe attemperat noſtris infirmitatibus.*

Chryſoſt.

## QVÆSTIO XVII.

### *Quare calumniantibus Phariſæis reſpondeat Chriſtus in conuiuio Matthæi, non verò dum ingreditur domum Zachæi?*

ADEST Ieſus hic in conuiuio Matthæi, & ingreditur domum Zachæi, in vtroque caſu calumniantur Phariſæi; in conuiuio Matthæi, vt patet ex ſuperiori textu, *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter.* De ingreſſu 94.

EEe 2 greſſu

Luc. 19. greſſu in domum Zachæi, *Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet*, Luc. 19. num. 7. Et tamen detrahentibus Phariſæis, eo quòd Dominus eſſet in conuiuio Matthæi, occurrit Dominus, ac eis reſpondet, *Non eſt opus valentibus medico*; & murmurantibus quòd ad domum Zachæi declinaſſet, nihil Dominum reſpondiſſe legitur. Quare oblatrantibus paucis Phariſæis in conuiuio Matthæi, reſpondet Chriſtus, & calumniam propulſat, non verò cùm ingreditur domum Zachæi tota ciuitate obmurmurante. *Cùm viderent, omnes murmurabant.* Optima tamen eſt huius rei ratio in noſtram inſtructionem moralem. *Valde odioſū, & durum de tributis comedere.* In domo Zachæi non legitur, quòd Chriſtus manducaſſet, ac bibiſſet. Optimè verò in conuiuio Matthæi, quod paratum fuerat ex collectis tributis, & adeò aſperum, ac rigoroſum eſt manducare, ac bibere ex receptis tributis, quod noluit Chriſtus in tali conuiuio adeſſe, abſque eo, quòd de ſe magnam redderet rationem, cunctaſque obiectiones dilueret, illiſque ſatisfaceret, nempe ob magnum bonum ſpirituale noſtrum, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.*

95\. 1. Reg. 12. Vt Samuel ſuam innocentiam coram omni populo probaret, ait: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrùm bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi*, 1. Reg. 12. num. 3. valde mirum, quòd dum Samuel omni crimine expertem in omnium oculis vult ſe exhibere, ſolum profert, quòd non tulerit bouem, aut aſinum alicuius, ſi quempiam calumniatus ſum, ſeu, vt eſt in Hebræo, vt ait Caietanus. *Caietan.* *ſi quempiam defraudaui, ſi aliquem oppreſſi rem ſuam auferendo*; multa alia ſunt, quæ ad bonum principem ſpectant, nempe quòd in bonis reipublicæ non ſit remiſſus, & negligens, ſed vigilans, quod peccata, furta, ac rapinas, non diſſimulet, ſed de virtute maximè zelum habeat, & pro omnium communi bono ſit ſolicitus. Cur Samuel de his non facit mentionem, ſed ſolùm ait, quòd non tulerit bouem alicuius, nec quempiam defraudarit, nec oppreſſerit colore iuſtitiæ, vt explicat Abulenſis, *Abulenſ.* auferendo rem alicuius, vt ſæpè faciunt Reges, quando tributa imponunt; *Maximè principem nobilitat rempublicam tributis nō grauare.* meritò ergo prætermiſſis cæteris, quæ populus maleuolo ore poterat dicere de Samuele, hæc exprimit ipſe, & in his calumniam propulſat, quia valde durum, & odioſum eſt, quòd de receptis bonis per tributa cibo, & potu indulgeat regni adminiſtrator, & quòd dum populus extenuatur, ipſe impingueſcat, ac locuples fiat. Bene, & optimè inter cætera, quæ principem nobilitant, illud tamen maximè præconiis extollit quòd ſubditos tributis, ac gabellis non vexet. *Caſſiodor.* Vnde ait Caſſiodorus lib. octauo vigeſimoquinto, *Glorioſis dominis, glorioſiora ſunt præconia, quam tributa, quia ſtipendium & tyranno panditur: prædicatio autem, niſi bono principi non debetur.* Nam tributis rempublicam grauare faciunt tyranni, eam verò exonerare ſolus bonus princeps præſtat.

*Matth. 9. n. 13.* Euntes diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium; non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

*VERSIONES.*

*Pagninus.* Quin potiùs profecti diſcite.

*Euthymius.* Diſcite quid ſibi velit? Miſericordiam.

*Franciſcus Luc. ex Hebr.* Omnem beneficentiam volo.

*Græcus, & Arabicus.* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

*Albertus Magnus.* Non veni in mundum.

ALTER TEXTVS.

*Marc. 2. n. 17.* Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

*Luc. 5. n. 32.* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores, ad pœnitentiam.

*EXPOSITIO.*

TRIPLICI argumento, vt notat Caietan. confutat Dominus calumniam Phariſæorum. 96. Caietan. Primò ex ſimilitudine medici corporalis, vt ſuprà vidimus. Secundò ex diuina voluntate præferente miſericordiæ opera ſacrificiis. Tertiò. Ex fine ſui aduentus, venit enim vocare homines ad ſalutem. Ait Chriſtus *Euntes*, Hebraiſmus eſt, reiicit eos Dominus à ſe, *Diſcite*; Phariſæi videntes eius conuerſationem cum publicanis, & peccatoribus ipſi detrahebant, tanquam ſi in hoc ageret contra Scripturam, & religionem; eorum imperitiam arguit Dominus, & eis mandat callere, ac intelligere veram doctinam. *Quid eſt*, hoc eſt, quid ſibi vult, ac ſignificat hic locus Scripturæ. Oſee. 6. num. 6. *Miſericordia*, ſeu, ex radice Hebræa, vt legit Franciſcus Lucas, *Omnem beneficentiam*, per quam omnem affectum, ac amorem, & beneficium declarat in proximos, Oſee 6. Franciſc. *& non ſacrificium.* Ex phraſi Hebræa ſacrificium non excluditur, ſed miſericordiam volo pluſquam ſacrificium. Et ita ſequitur in textu Oſee, *& ſcientiam Dei pluſquam holocauſta.*

*Non enim veni.* Reſpicit hic Chriſtus ad ſimilitudinem ſuprà allatam de Medico: 97. *Non veni vocare*, non veni in mundum vocare, ſeu, ex Græco, inuitare iuſtos, cùm iſti iam ſint vocati, ac ad Deum conuerſi; ſed peccatores, nam cùm iſti ſint alienati à Deo, hi indigent, vt ad Dominum reducantur. Addit D. Lucas, *ad pœnitentiam*, quod etiam apud Græcos inuenitur in Matthæo, & Marco, de huius ſententiæ explicatione latiùs quæſt....





## QVÆSTIO XVIII.

### *Quomodo ſit intelligendum id, quod Dominus ait,* Miſericordiam volo, & non ſacrificium?

98\. SERMO eſt hic de ſacrificiis legis veteris, quæ quandiu illa lex durauit, vſque ſcilicet ad Chriſtum Dominum, Deo placuerunt, actus religionis erant, à Deo præcepti, vt patet ex toto libro Leuitici. Vnde præſens locus, qui eſt adductus ex *Oſea 6. num. 6.* ita eſt explicandus: Magis miſericordiam volo, quàm ſacrificium; nam ſacrificium non excluditur, ſed miſericordia ei præponitur. *Hebræi carēt comparatiuo.* Si autem habetur in textu, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, ex eo eſt, quia Hebræi comparatiuo carent, vnde id quod minus eſt, per negationem exprimunt, & quod Hebraicè ita dicitur, Latinè rigoroſè ſonat miſericordiam volo, ſeu malo, quàm ſacrificium, & ita D. Ambroſius *lib. 1. de pœnitentia cap. 11.* legit, *miſericordiam malo, quàm ſacrificium.* Ambroſ. Septuaginta. Chaldaic. Irenæus. Auguſt. Septuaginta, Chaldaic. D. Irenæus *lib. 4. cap. 32.* in antiquis exemplaribus. D. Auguſt. *lib. 20. contra Fauſtum, cap. 16. & lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 27.* ita habent, *Miſericordiam volo, quàm ſacrificium*, ſupplendum eſt illud comparatiuum *magis*, vt habent D. Auguſt. *lib. 1. de ciuit. cap. 5.* & Cyprian. *lib. 3. ad Guirinum cap. 1.* Cyprian.

99\. Obiectio. Sed explicandum reſtat, quomodo dicatur quòd Deus potius vult miſericordiam, quàm ſacrificium, cùm miſericordia ſit virtus moralis, ſacrificium autem, actus religionis, quæ inter omnes virtutes morales præſtantior, & perfectior eſt, eſt enim cultus ipſius Dei; vt docet D. Thomas *22. q. 81. art. 6.* D Thom.

100\. Franc. Luc. Reſpondetur, quòd loco Miſericordiæ Franciſcus Lucas ex radice Hebraica legit, *omnem beneficentiam.* Et miſericordia frequenter, præcipuè quando proximis ſubuenimus in neceſſitatibus ſpiritualibus, elicitur à charitate, ac dilectione proximi, & eam includit: actus autem charitatis nobiliores ſunt actibus religionis, & hanc noſtram rationem optimè probat D. Auguſt. *lib. 10. de ciuit. cap. 5.* Auguſt. Hiſce verbis, ait, non repellere ſacrificium illud corporale, quod Iudæi tunc ex diuina inſtitutione, & præcepto offerebant, ſed præponit ſpirituale corporali, cuius prælationis rationem aſſignat ipſe Auguſtinus, dicens, finem præceptorum eſſe dilectionem. Miſericordia igitur, quæ ex dilectione procedit, præponitur ſacrificio exteriori, quod in dilectionem ordinatur; & hanc prælationem apertè ſignificauit Chriſtus D. Matth. 5. n. 23. Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

101\. Secundò licèt ſacrificium ratione ſui obiecti, quòd eſt Dei honor, ſit nobilius; tamen ratione neceſſitatis ſæpè præſtantior erit miſericordia, & adeò tunc præcellit, vt tunc malum eſſet oblationes facere, & indigenti non ſubuenire. Vnde Chriſtus reprehendit filios parentibus neceſſitate oppreſſis, dicentes *Corban.* hoc eſt, munus illud Deo offerre præſtat, quàm dare tibi ô pater, Marc. 7. *Marc. 7. num. 11.* vt notat Cornelius à Lapide *in Sylueira in Euang. Tom. II.* *citatum cap. Oſe.* Vnde S. Auguſt. grauiter reprehendit parentes qui bona ſua Monaſterio tribuunt, cùm habeant filios egentes, & ideo talium oblationes refutare, ac damnare ſolebat, vt teſtatur Panonius in eius vita. Auguſt.

102\. *Agere de ſalute proximi magnū opus.* Efficaci ergo argumento Chriſtus calumniam Phariſæorum, ac Scribarum refutat; nam iſti Dominum calumniabantur, quòd cum peccatoribus, ac publicanis conuerſaretur, tunc Chriſtus ſic contra eos argumentatur: Diſcite, & apprehendite diſciplinam ex lege; nónne legiſtis Deum præferre miſericordiam ſacrificio, quod maximè habebatur in lege; ſi ergo miſericordia etiam in rebus ad corpus ſpectantibus præponitur ſacrificio; quanto magis miſericordia in ſpiritualibus, ac in iis, quæ ad ſalutem animæ pertinent, præferenda eſt, vt eſt agere de ſalute, ac reductione horum peccatorum, quod eſt opus eximium procedens ex vera charitate, miſericordia, ac pietate. Vide ſuprà *cap. 12. num. 74. 75. & 76. & cap. 5. num. 103. & cap. 8. num. 34.*

## QVÆSTIO XIX.

### *Quomodo Chriſtus dicat, quòd non venit vocare iuſtos, ſed peccatores?*

103\. *Germana rei intelligentia.* HOc Chriſti Domini effatum in varias ſententias fecit abire Patres, ac expoſitores. Prima, & valde germana eſt, quæ habetur in textu Lucæ, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Ergo illud verbum, *ad pœnitentiam*, ſine dubio prolatum fuit à Chriſto in præſenti: iuſti autem, cùm iam ſint in gratia, non indigent vocatione ad pœnitentiam, quæ maximè neceſſaria eſt peccatoribus vt à ſuis flagitiis reſipiſcant, ita præſentem locum explicant S. Iuſtinus Martyr *Apologia 2. ad Antonin. Pium Imp.* S. Eucher. *in Geneſ.* Fauſtus Epiſcopus *lib. 1. de libero arbitrio cap. 10.* D. Hilarius, D. Paſchaſius, S. Thomas, Lyran. Abulenſ. & alij. S. Iuſtin. Eucher. Fauſt. Hilar. Paſchaſ. S. Thom. Lyran. Abulenſ.

*Expoſitio ſecunda.* Secunda expoſitio maximè premens, quid per iuſtos intelligatur, eſt Chryſoſtomi *homil. 31. in Matth.* Ironicè hoc dubium intelligit, & Theophylact. 104. *Perironiam*, ait, *dicit Dominus*, non veni vocare iuſtos: *hoc eſt, vos ô Phariſæi, & Scribæ, qui iuſtificatis vos metipſos.* Eundem ſenſum ſequuntur D. Hilar. D. Hieron. *in præſenti*, Ambroſ. *in S. Luc.* D. Chryſolog. *ſerm. 28.* Rupertus, & alij *hîc.* Chryſoſt. Theoph. Hilar. Hieron. Ambroſ. Chryſol. Rupert. Et ſenſus eſt, non veni vocare iuſtos, id eſt, eos, qui falſa præſumptione ſe iuſtos iudicant, & medico non egere ſibi perſuadent, ſed peccatores, qui ſuam ægritudinem agnoſcunt, & ſanari cupiunt; ex quo maximè moraliter exaggerari videtur hypocriſis vitium, *Hypocriſis vitium valde deteſtabile.* nam adeò eſt deteſtabile, vt hi falſi ſimulatores, qui ſe dicebant iuſtos, cùm eſſent peccatores, quodammodo reputentur exules, ac extorres à fructu pretioſiſſimi aduentus Chriſti. Tamen ad hos etiam vocandos Chriſtus Dominus venit, nam per auxilium ſuæ vocationis à falſa illa iuſtitiæ præſumptione depelluntur, & conuertuntur.

105\. *Explicatio tertiā.* Tertia huius rei explanatio; *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Quando Chriſtus venit in mundum, multi erant iuſti, vt Sanctiſſima Virgo omnium Sanctorum puriſſima. Nathanaël, Eliſabeth, & alij; omnes iſti infecti fuerunt peccato

ſaltem originis in ſe, vel in Adamo, ſeu radice, iuxta illud Pauli ad Rom.3.num.23. *Omnes peccauerunt,& egent gloria Dei.* Omnes ergo iſti vocati,& iuſtificati ſunt ex gratia Chriſti Domini, nam ex eius meritis Beata Virgo præſeruata eſt ab originali,& omnes Sancti veteris Teſtamenti, vt docet D.Auguſt.*lib.3.contra duas Epiſt. Pelag. c.4.* per merita Chriſti præuiſa iuſtitiam adepti ſunt. Ac proinde omnes quicunque iuſtificationem aſſequuti ſunt, ſiue in ætate prouecta, ſiue infantili,ſiue quocunque alio modo,hoc habent ex fide, redemptione, ac gratia Chriſti, qua ad ſanctitatem vocati ſunt,cùm nullus ex ſe immunis ſit à peccato;vnde ait Theophylactus in c. 5. Luc. *Non veni vocare iuſtos, nullos enim inuenio, quandoquidem omnes peccant, quòd ſi poſſibile eſſet inuenire iuſtos, non veniſſem.* Hanc rationem tradunt Maldonat.Barradas,Cornelius à Lapide.

Rom.3. Auguſt. *Omnes iuſtificantur ex gratia Chriſti.* Theoph. Maldonat. Cornelius à Lapide.

106. Toletus *ann.63.* ait,quod eſt Hebræorum phraſis, quando vnum alteri præferunt, vti abſoluta negatione. *Non te abiecerunt,ſed me*, 1. Reg.8.id eſt,non tam te,quàm me, & ita in præſenti, non veni vocare iuſtos,ſed peccatores,id eſt,non tam iuſtos,quàm peccatores,ad pœnitentiam.Omnes quidem veni vocare iuſtos, & peccatores, ſed magis indigebant peccatores,idcirco dico magis veniſſe propter hos: ſicut Medicus magis propter ægros venit,quàm propter ſanos,etſi hi Medico indigebant.

# CAP. XXVIII.

## *A diſcipulis Ioannis excitatur quæſtio.*

*Matth.9.n.14.* Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos,& Phariſæi ieiunamus frequenter; diſcipuli autem tui non ieiunant.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quare nos, & Phariſæi multum ieiunamus, & diſcipuli tui nõ ieiunãt,

*Vatablus.* Tunc adeunt, diſcipuli Ioannis,dicentes;Quam ob cauſam nos & Phariſæi ieiunamus plerũque.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.2.n.18.* Et erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes, & veniunt, & dicunt ei: Quare diſcipuli Ioãnis, & Phariſæorum ieiunant,tui autem diſcipuli non ieiunant.

*Lucæ 5.n.33.* At illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciũt,ſimiliter & Phariſæorum: tui autẽ edunt,& bibũt.

### *EXPOSITIO.*

1\. TVNC,hoc eſt, paulò poſt præcedentem hiſtoriam de vocatione Matthæi, ſiquidem etiam Marcus, & Lucas poſt illam hanc quæſtionem diſcipulorum Ioannis enarrant; confutari à Chriſto D. Phariſæi euidenti, ac efficaci ratione, vt vidimus in fine ſuperioris cap. aliam calumniam aduerſùs Chriſtum machinantur,nunquam enim malitia quieſcit, ſed ſemper noua molitur. Ad ſui ergo intentum Phariſæi ſubornant diſcipulos Ioannis, vt arrepta occaſione ex ieiunio ſibi communi cum eis Chriſtum calumnientur,quòd ipſe cum ſuis diſcipulis non ieiunet.

*Malitia non quieſcit, ſed ſemper noua molitur.*

2\. Diſcipuli Ioannis, tanquam inſtigati à Phariſæis, & plurima auctoritate ſui Magiſtri, qui magnus habebatur in populo enixi,vt hoc pacto Baptiſtæ auctoritate vehementer Chriſtum impugnarent, & Phariſæorum doctrinam maximè extollerent, ſiquidem Ioannis diſciplinæ concors erat,,vt notat Toletus *in S. Luc.* accedunt, dicentes: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter.* Notandum eſt ex Abulenſi *quæſt.72.* quòd ieiunium præſcriptum in lege, ſicut & cætera illius exactiſſimè Chriſtus cum ſuis diſcipulis obſeruabat; ieiunium autem hoc, de quo excitabatur præſens quæſtio, erat introductum ex traditione,ac conſilio ſeniorum, & magiſtrorum, & ab ipſis ſuis diſcipulis voluntariè aſſumptum, & inde diſcipulos Domini volunt criminari hypocritarum vitium, qui ſi tantillum vmbræ virtutis præſtent,iam cæteros iuſtitia præcellere ſibi perſuadent.

Tolet. Abulenſ. *Hypocritæ ex leui vmbra virtutis alios criminari audent.*

3\. *Diſcipuli autem tui*, qui ex tuo præcepto, ac doctrina viuunt,quam perfectiorem, ac ſanctiorem eſſe Ioannis, ac Phariſæorum documentis prædicant;non Chriſtum directè, ſed diſcipulos notare volunt,fortè,quia ob Domini maieſtatem apertè ipſum appetere non audebant, vel quia in eo, quòd diſcipulos criminantur, Magiſtrum reprehendunt, ſiquidem minorum, ac inferiorum defectus in magiſtrum, caput,ac principem retorquentur. *Non ieiunant.* Imò indulgentius viuunt,& in conuiuiis accumbunt.

*Inferiorum defectus in principem retorquentur.*

### QVÆSTIO I.

## *Qui nam fuerint iſti, qui hoc à Chriſto quæſierunt, & quomodo ſacri Euangeliſtæ cohæreant in hac narranda hiſtoria?*

4\. INTER ſacros Euangeliſtas aliqua diſſonantia videtur in referenda hac hiſtoria, in hiſque interrogationibus explicandis.Nam Matthæus ſolos Ioannis diſcipulos expreſſit. *Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis.* Marcus autem



ſimul Ioannis diſcipulos, & Phariſæos apponit. *Erant diſcipuli Ioannis,& Phariſæi ieiunantes.* Lucas autem ad ſuprà commemoratos calumniatores *num.30.* nempe ad Scribas,& Phariſæos, hoc videtur adſcribere. *At illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis,*&c.

5\. Ideo D.Chryſoſtomus *homil.31.in Matth.* adducens præſentem textum Luc. hanc calumniam tribuit Phariſæis;D.verò Auguſtinus *lib.2.de conſenſu Euangeliſtarum cap.27.* maximè ponderans textum Marci, & Lucæ,ait, quòd hæc interrogatio,ac præſens quæſtio propoſita fuit,non à Phariſæis,nec à diſcipulis Ioannis,ſed ab aliis diſtinctis perſonis, vt patet ex hac forma dicendi per tertiam perſonam in textu Marci,& Lucæ. *Quare diſcipuli Ioannis,& Phariſæorum ieiunant?* Ab aliis ergo, qui nec diſcipuli Ioannis, nec Phariſæorum erant, videtur præſens interrogatio facta; quos ſcribas fuiſſe maximè contendit Toletus *in cap.5.Luc.annot.66.*

Chryſoſt. Auguſt.

6\. Tamen D. Auguſtinus *citato loco*, concludit hanc quæſtionem excitatam fuiſſe à diſcipulis Ioannis, à Phariſæis, ac ab aliis, & ita ait Euthymius controuerſiam fuiſſe propoſitam primò ab Scribis, & Phariſæis iuxta textum Marci, & Lucæ. Deinde diſcipulos Ioannis concitaſſe,qui ſimul in hac re eos adiuuerunt, & cum eis coadunati ſunt, vt notat D.Hieronymus *in præſenti*, & tenet Abulenſ.*quæſt.65.* ſine dubio in hac quæſt. proponenda interuenerunt diſcipuli Ioannis, vt clarè patet ex Matthæo, *veniunt diſcipuli Ioannis, & dicunt. Quare nos*;ergo ſine dubio ab illis prolata eſt quæſtio.Preme illud, *Quare nos.* Deinde interuenerunt in hac re Phariſæi, ac alij,vt patet ex illo modo loquendi per tertiam perſonam. Quare diſcipuli Ioannis,& Phariſæorum. Vnde optimè ait D.Auguſtinus,quòd *omnes certatim,vt quiſque poterat,hoc obiecerunt.*

*Quæſtionis reſolutio.* Idem. Euthym. Hieron. Abulenſ.

7\. D.Matthæus,vt notat Abulenſis, ſolùm diſcipulorum Ioannis facit mentionem, vt oſtendat. tam quòd iſti fuerunt principales in hac materia, quam etiam magnitudinem murmurationis factæ contra Chriſtum,ad quam conuenerunt non ſolùm Scribæ, & Phariſæi, ſed etiam diſcipuli Ioannis doctrinam ſui ſanctiſſimi Magiſtri deſerentes.

Idem.

### QVÆSTIO II.

## *Quare hæc controuerſia propoſita fuerit potius hoc tempore, quàm alio?*

8\. RESPONDET primò Chryſoſtomus *homil.31. in Matth.* quia Phariſæi agnouerunt ſe ſuccubuiſſe in præcedenti quæſt.de manducatione cum publicanis, ideo in ſui auxilium conuocant diſcipulos Ioannis ad aliud mouendum dubium, vt per hoc ſaltem Chriſtum poſſent ſeparare. Secundò, malitia ſemper auſcultat occaſiones, & nil intentatum relinquit,nam pro illa circunſtantia temporis videbantur ieiunare diſcipuli Ioannis, & Phariſæi, & ita ait D. Marcus, *Erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes*; & Chriſti diſcipuli manducabant in conuiuio cum peccatoribus,& publicanis; ergo cùm ipſi eſſent ieiunantes, audenter hanc calumniam machinantur contra Dominum, & quæſtionem ponunt,ita ait Gloſſa interlinealis,quòd hæc *fuit ſuperba interrogatio plena ſupercilio Phariſæorum.*

Chryſoſt. *Malitia ſemper explorat omnes occaſiones.* Gloſſa.

9\. Tertiò, vt ait Abulenſis *quæſt.68.* Hæc quæſtio videbatur multum conueniens, ad Chriſtum, ac diſcipulos eius redarguendos, nam Chriſtus habebatur in populo tamquam magiſter perfectionis,& diſcipuli eius eum ſequebantur,vt ſanctiorem vitam tenerent, quàm populus, qui ſolam legem obſeruabat; auſteritas autem vitæ reputabatur à Iudæis ad maximam ſanctitatem ſpectare. & Ideo Ioannem Baptiſtam ſanctiorem omnibus hominibus credebant,quia nullus præcedentium ei in auſteritate par fuerat; iudicabant ergo eſſe valde ignominioſum Chriſto viam perfectionis prædicare, & ieiunia non obſeruare, ſed in conuiuiis, vbi frequenter eſt ciborum copia, cum publicanis,ac peccatoribus manducare.

Abulenſ. *Cur Baptiſta apud Iudæos erat in tanta reputatione ſanctitatis.*

### QVÆSTIO III.

## *Quomodo in hac interrogatione facienda conueniant diſcipuli Ioannis cum Phariſæis?*

VALDE mirum, quòd in hac quæſt. proponenda conueniunt diſcipuli Ioannis cum Phariſæis. Vnde eleganter ait D. Hieronymus. 10.
*Nec poterant diſcipuli Ioannis non eſſe ſub vitio,qui calumniabantur eum,quem ſciebant magiſtri vocibus prædicatum:& iungebantur Phariſæis,quos à Ioanne nouerant condemnatos, cùm ait: Generatio viperarum,quis oſtendit vobis fugere ab ira ventura,* Matt. 3.n.7. Cùm diſcipuli à ſanctiſſimi magiſtri doctrina recedunt, ſtatim in vitia prolabuntur. Et nota illud, *nec poterant diſcipuli Ioannis non eſſe ſub vitio, iungebantur Phariſæis.* Cùm quis cum deprauatis init conſortium, eorum noxis frequenter coinquinatur.Ad quæſtionem veniam.

Hieron. *Societas malorum inquinamentum affert.*

11\. Reſpondeo primò. Phariſæi odio, & inuidia erant commori contra Chriſtum, Ioannis etiam diſcipuli inuidia erant inſtigati contra Dominum. Vnde Baptiſtæ ſuo Magiſtro dixerunt: *Rabbi,qui erat tecum trans Iordanem,cui tu teſtimonium perhibuiſti; ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum,* Ioann.3.num.26.Qui autem eadem paſſione: eademque querela, ac mala affectione tanguntur, facile inter ſe coadunantur, ad aliquem criminandum. Secundò, quia iſti Ioannis diſcipuli ſibi perſuadebant in hoc facto,proprij magiſtri honorem,ac ſuum maximè zelare,ergo vniuntur Phariſæis, vt Chriſti aſſeclas arguant, & hoc eis obiiciant,quòd non ieiunant.

Ioan. *Qui in eadem ſunt querela facile vniuntur.*

12\. Tertiò.D.Petrus Chryſologus *ſerm.31.* ſic ait. *Cum diſcipuli Ioannis, quæ ſocietas Phariſæis? niſi quòd iunxerat, inuidia, quos diſiunxerat diſciplina.* Idem docet D.Paſchaſ.*lib.5.in Matth.* Diſcipuli Ioannis erant inſtructi in diuerſis documentis à ſchola Phariſæorum, quomodo cum eis copulantur? propulſauerat eorum corda inuidia, qua Chriſtum, & eius diſcipulos proſequebantur, & ideo ſtatim diſſenſiones, ac altercationes meditantur, quodlibet flagitium non reſpuunt, iniquorum commercia amplectuntur,& calumniandi, ac murmurandi animo ad Chriſtum conueniunt, *Quare diſcipuli tui non ieiunant.*

Chryſolog. Paſchaſ. *Inuidia multa mala generat.*

13\. Audiuit Ioannes in ſua Apocal. 12. num.12. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos*

Apoc.12.

*Ex inuidia mnu ira ac malum prodt.* *habens iram magnam.* Sed quæ nam eſt hæc ira magna, quam diabolus aſportabat, ob quam Ioannes maximè mare, ac terram deplorabat. Vaſa inuidiæ erant, vt diabolus diffunderet in genus humanum, ex quibus omnis malitia, ac nequitia ſeminanda, ac ſpargenda erat per totum orbem. Rupert. Rupertus *lib.7. in Apocal.* ſic ait. *In quo ira eius, quam nunc habet, ſic deſcendens diſcernere poſſumus, quòd verè magna ſit comparatione eius iræ, quam habuit? In eo videlicet, quòd priùs vos faciebat errare per ignorantiam, nunc autem facit vos blaſphemare per inuidiam. Hæc eſt ira magna, inuidia maligna vobis inſpirata.*

*Matth.9.n.15.* Et ait illis Ieſus: Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Nunquid poſſunt filij thalami ieiunare, quandiu cum eis eſt ſponſus.

*Vatablus.* Num poſſunt filij thalami nuptialis lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus: cùm ſublatus fuerit ab eis ſponſus, *&c.*

*Græcus.* Filij nuptiarum.

ALTER TEXTVS

*Marc.2.n.19.* Et ait illis Ieſus: Nunquid poſſunt filij nuptiarum quandiu cũ illis eſt ſpõſus ieiunare? quãto tempore habẽt ſecum ſponſum, nõ poſsũt ieiunare.

*Ibid. num.20.* Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.

*Luc.5.n.34.* Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare.

*Ibid. num.35.* Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus,

## *EXPOSITIO.*

14. *Quilibet pro ſe reſpondeat ſine aliorum obiurgatione.* BLANDA, ac ſuaui manſuetudine arrogantem calumniam refutat Chriſtus, miráque prudentia reſpondet Dominus, ita vt nec Ioannis inſtitutionem, nec aliorum ieiunia reprobaret, ſed tantùm declarauit iddulgentiam, qua in ſuos vtebatur, non eſſe negligentiæ, ſed tempori præſenti conuenientem, vt ita ſui paulatim ad meliora formarentur, & ad hoc declarandum aſſumit ſimilitudinem ex ſponſalibus, *Chriſtus ſponſus.* Chriſtus eſt ſponſus, qui humanam naturam, & per eam Eccleſiam ſibi in Incarnatione deſponſauit, indiſſolubili, ac perpetuo coniugij vinculo copulauit. Hinc *Apocal.19.num.7.* dicuntur nuptiæ Agni, & Ioannes Baptiſta vocat ſe amicum ſponſi, id eſt, Chriſti, *Ioan.3.num.29.* Vnde hæc Chriſti reſponſio fuit valde efficax contra Ioannis diſcipulos, qui iam à ſuo magiſtro erant edocti Chriſtum ſponſum eſſe, ac vocari, ſponſaliaque celebrare. Chryſolog. Vnde ait D. Chryſologus *ſerm.31.* Conuenienter ergo Dominus diſcipulis Ioannis magiſtri ſui voce reſpondet.

15. Peluſiota. Nunquid poſſunt, id eſt, vt ait Peluſiota, *lib.3. Epiſt.335.* Non decet, non conuenit; filij ſponſi, iam diximus Chriſtum eſſe ſponſum, filios autem ſponſi, volunt D. Ambroſius *in Lucam*, & D. Hieronymus *hîc* intelligi eos, qui regenerati ſunt in Chriſto. Ambroſ. Hieron. Euthym. Euthym. ait filios ſponſi dici familiares, & amicos ſponſi. Hic modus loquendi eſt Hebraica phraſis, & familiares ſponſi denotat, & ſic apud Hebræos frequenter dicunt filij iniquitatis, qui iniquitatem ſequuntur, filij ſuperbiæ, qui ſtudioſè eam tenent; filij obedientiæ, qui eam ardenter amant, ac amplectuntur. *Qui ſint filij ſponſi.* Pro *filiis ſponſi*, alij legunt, *filij thalami nuptialis*, alij *filij nuptiarum*, vt habetur in Marco; ſed ſemper idem eſt ſenſus. Syriacus. *lugere*, id eſt, ieiunare, vt habet Syriacus, & infrà dicitur, *cùm auferetur ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt.* Ieiunium eſt ſpecies luctus, & facit homines triſtes, ſicut cibus hilares, & in luctu ieiunabant Iudæi, 1. *Reg.13. num.13. Indic.20. num.26. &* 1. *Machab.3.num.47.*

16. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. *Cùm autem aufertur ab eis ſponſus.* Nota cum Chryſoſtomo *homil.31.* Euthymio, Theophylacto, quòd antea medicum, modò verò ſponſum ſe vocat Chriſtus: medicum, quia ad animas ſanandas venerat; ſponſum verò, quia per fidem viuam iam ſanatas ſibi ſpondet. Hieron. D. Hieronym. hæc explicat, quòd quando Chriſtus aufertur à nobis per peccatum, tunc lugendum. Hilar. Ambroſ. Arnobus. D. Hilarius, D. Ambroſius, Arnobus African. *in annot. cap.12.* de Chriſto, in ſacra Euchariſtia interpretatur, ipſe enim eſt cibus, & panis noſter, & qui cum peccato mortali accedunt, eſuriunt & ieiunant. *Vera explanatio.* Tamen ſimpliciter locus intelligendus eſt de morte, ac paſſione Chriſti, per quam à ſuis ſublatus eſt, vt tenent D. Chryſoſtom. *citata homil.31.* D. Auguſtin. *homil.12. in feriam quartam Cinerum, apud Bibliothecam homiliarum.* D. Paſchaſ. *lib.5. in Lucam*, S. Thomas *hic*, D. Bonauent. *in Lucam*, & facit hunc ſenſum, quòd poſt mortem, ac aſſumptionem eius in cœlos, quando ipſis diſcipulis præſentia corporalis ſponſi ſubducetur, tunc ipſi ieiunabunt, quod ſtrenuè præſtiterunt Apoſtoli, vt ex Actis, ac Epiſtolis, & ex aliis conſtat. Chryſol. Auguſt. Paſchaſ. S. Thom. Bonauent.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Chriſtus Dominus non impoſuerit aliqua ieiunia ſuis diſcipulis?*

17. Abulenſ. *Infirmis accommodandum.* RESPONDEO, primò cum Abulenſ. *quæſt.74.* quòd Chriſtus noluit ſuis diſcipulis mandare aliqua ieiunia, propter infirmitatem eorum, quia



quia tunc erant noui, & recentes, & ſi imponeretur eis illico, opera grauia ſuſtinere non poſſent, & recederent; ſi enim cùm audiunt ſermonem de corpore, & ſanguine Domini, aliqui dixerunt, *Durus eſt hîc ſermo*, & abierunt retrò, *Ioan.6.num.61.* ita etiam ſi à principio eis imponeret opera dura, vt ieiunia, multi abirent, & recederent. Ex quo multis exemplis probat hîc Cornel. Cornelius à Lapide, quòd nouitij in religione, blandè, ac benignè tractandi ſunt. Secundò, quia Chriſtus volebat ad ſe congregare multos diſcipulos, & ſi Chriſtus eis imponeret opera grauia, multi impedirentur venire.

18. Tertio ad manifeſtandam celſitudinem legis gratiæ ſupra veterem legem, nullum ieiunium, vel huiuſmodi præceptum impoſuit Chriſtus. Nam Moyſes in ſua lege dedit multa, & dura Actor.15. mandata, & ideo Petrus *Actor. 15. num.10.* eam appellat *graue iugum, quod nec Patres noſtri, nec nos portare potuimus.* Et tamen huiuſmodi Moyſaica præcepta ex ſe non iuſtificabant, nec dabant gratiam. *Excellentia legis Euangelicæ.* At Chriſtus Dominus tanta ſublimitate dedit ſuam legem, vt in ea nullum impoſuerit durum onus ieiuniorum, vel cæremoniarum, ſed in ea nobis dedit ſeptem Sacramenta, quæ ſunt ſeptem perennes fontes gratiæ, quæ mira ſuauitate hominem ſanctificant, ac iuſtificant, vnde Ioan. 1. ait Ioan.1.num.19. *Lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Nam Moyſes promulgauit illam legem, vt legem ſeruorum, & ideo dedit illa præcepta dura, & ſeruilia. At Chriſtus dedit ſuam legem, vt filiorum legem, & ideo in illa, vt ſua propria mandata, ſolùm dedit præceptum fidei, & Sacramentorum, quæ ex opere operato iuſtificant, & ſanctificant homines, & faciunt filios, & hæredes Dei. Ita D.Thom. Caietan. Medina. Soto. Suarius. Valentia. Salas. docent D. Thomas 1.2.*quæſt.108.art.1.* & clariùs *art.2. & Quodlibeto 4.art.3.* ſequuntur Caietan. & Medina. Soto 4.*de iuſtitia diſp.4.art.4* Suarius *lib.10. de legibus cap.2. num.20.* Valentia *diſp.7. quæſt.8.punct.2.* Salas *diſp.25.ſect.2.*

19. *Chriſti præſẽtia omnem voracitatem coërcebat.* Quartò. Chriſtus Dominus dum aderat cum ſuis, ac cum eis conuerſabatur, non præcipit eis ieiunium, ac abſtinentiam. nam eius ſanctiſſima præſentia omnem voracitatem, ac intemperantiam coërcebat, ac auferebat. Ad quod reſpicit Seleucus. D. Baſilius Seleucus orat.3. *Chriſti præſentia longè potentior eſt protoplaſti voracitate, & hominum genere per gulam nefariam in fraudem inducto.*

20. Cyrill. Quintò D. Cyrillus *citatus* in catena D. Thomæ ſuper Lucam, *Saluatoris noſtri*, ait, *in hoc ſæculo demonſtratio nihil aliud fuit, quàm quædam feſtiuitas, intelligibiliter quaſi quandam ſponſam copulans illi naturam noſtram, vt quondam ſterilis fieret fœcunda. Igitur filij ſponſi eſſe noſcuntur, quicunque vocati ſunt ab eo per nouam, & Euangelicam diſciplinam.* Chryſolog. Similiter Petrus Chryſolog. *ſerm.31.* ait; *Qui quærit ſponſam, ieiunia ſupponit, relinquit auſtera, totum ſe dat gaudiis, epulis indulget, totus blandus, totus amabilis, totus feſtiuus incedit.* *Tempus lætitiæ non eſt fœdandum luctu.* Aderat feſtiuum tempus celebrationis nuptiarum Chriſti cum Eccleſia; ergo maximè erat gaudendum pro tanta affluentia bonorum, & omne mœſtitiæ ſignum, ac auſteritatis nota abigenda, ac ſeparanda erat ad aliud tempus.

21. Deuter.24. Præcipiebatur in lege Deuter.24.num.5. *Cùm acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis iniungetur publicæ: ſed vacabit abſque culpa domui ſuæ, vt vno anno lætetur cum vxore ſua.* Cur illo anno non cogetur homo ad bellum, nec ad contribuendum ad neceſſitates publicas, & abſque culpa vacabit, id eſt, vt Abulenſ. explicat Abulenſis, non ſoluat aliquid de tributis publicis; ſed ad quid hæc mandantur, ratio explicatur in textu, *vt lætetur cum vxore ſua.* *Tributa gaudium excludunt à populo.* Vbi enim interuenit moleſtia, iam gaudium euacuatur; & nota quòd vt lætetur cum vxore ſua, mandatur, vt ſit abſque tributis, nam hæc lætitiam excludunt, & extinguunt.

---

## QVÆSTIO V.

### *Quare Ioannes Baptiſta ieiunabat, ſi Domini diſcipuli ob nuptiarum tempus non erant abſtinentia macerandi?*

22. *Ratio dubitandi.* CONTRA ſuperiùs dicta hæc inſurgit obiectio, ſi ſponſi filij ieiunare non debent, quandiu cum illis eſt ſponſus, cur Ioannes, qui intimus ſponſi amicus erat, *Ioan.3.num.29.* ieiunabat, varias ſolutiones ex Doctoribus appono.

23. Salmeiron. Reſpondet primò Salmeiron *tom.8. tract.10.* quòd ſponſus iam diu ab Ioanne abſceſſerat? ante cuius oculos ab initio erat occiſus, & vt occiſus in eius conſideratione verſabatur; talem enim Ioan.1. eum prædicauit, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioan.1.num.29. peccatum tollendum erat ſacrificio mortis ſuæ; diſcipuli autem Luc.18. articulum mortis Chriſti non capiebant, *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis*, Luc. 18. num.34. *Qui non cogitant Chriſti paſſionem, gaudiis indulgent, ſecus qui in illius ſunt conſideratione.* Nam ſi firma fide hunc articulum credidiſſent, & eum, vt mortuum ſpectaſſent, luctu, ac ieiunio præueniſſent; quemadmodum Magdalena vnxit eum in ſepulturam, tamquam ſi dicat, quòd illi, qui non cogitant de morte Chriſti, gaudent, & lætantur; qui verò de illa habent conſiderationem, ieiunio, ac auſteritate compunguntur.

24. Secundò reſpondet Maldonatus, quòd id factum fuit, vt omnibus modis homines allicerentur ad ſalutem, & ſingulari modo, qualis fuit Ioannis; & communi, qualis fuit Chriſti, quod Matth.11. ſignificauit Dominus Matth.11. num.18. & 19. *Venit Ioannes nec manducans, nec bibens, & dicunt, dæmonium habet; venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.* *Deus omnibus modis trahit hominem.*

25. Maldonat. Tolet. Tertiò. Ipſe Maldonatus, & Toletus *in 5.Luc. annot.71.* quòd Ioannes, etſi amicus erat ſponſi; filius tamen, id eſt, diſcipulus propriè non erat, nam hoc nomine filij propriè ſignificantur Domini diſcipuli, quia ei adhærebant, ipſumque continuò comitabantur, tanquam eius ſponſalia celebrantes. Ioannes autem venit, vt legis, ac Prophetarum terminus, lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem, & venit parare viam Domini, ipſumque populo indicare, de eoque dare cunctis teſtimonium, ideo non debuit eius diiſcipulus fieri, vt omnem à ſuo teſtimonio repelleret ſuſpicionem.

26. Quartò, & hæc eſt in hac re mea ſententia, quòd *filij ſponſi*, eſt phraſis Hebraica, & denotat Euthym. amicos ſponſi, vt in expoſitione dixi ex Euthymio; diſcipuli ergo erant amici, ac familiares ſponſi, Ioannes etiam erat amicus ſponſi, & ex eius voce gaudio perfundebatur. Diſcipuli, & familia

familiares ſponſi in eius præſentia non fuerunt afficiendi luctu ieiunij. Ioannes verò amicus ſponſi degebat in maxima auſteritate, Nam, vt dixi *ſuperiori quæſtione*, ex Abulenſi, & patet ex duabus ſimilitudinibus adiunctis in text. *num.* 16. *&* 17. Chriſtus voluit ſuis diſcipulis concedere illam indulgentiam non ieiunandi, condeſcendens eorum infirmitati, ac imperfectioni, cùm adhuc pro tunc non eſſent multum inſtructi in diſciplina Domini, ne fortè vitæ aſperitate impedirentur ad Dominum ſequendum. At Ioannes Baptiſta, qui ab vtero matris ſuæ repletus eſt Spiritu ſancto, ſemper extitit in magno cumulo perfectionis, huiuſmodi indulgentia non indiguit, nam excelſiorem, & ſanctiorem viuendi modum ſemper ipſe tenuit. Vnde etſi alij in ſequendo Chriſtum ſuas habuerunt imperfectiones in initio, Ioannes verò à ſua ſanctificatione in vtero conſummatè, ac abſolutè firmiſſimè ei adhæſit.

Abulenſ.

*Baptiſta magna perfectione Chriſto adhæſit, eumque ſecutus.*

*Matth.* 9. *n.* 16. Nemo autẽ immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à veſtimento: & peior ſciſſura fit.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Nemo immittit fruſtum panni nouum in veſtimentum attritum vetuſtate: ne quid detrahat ſupplementum ex illo veſtimento: fiatque ſciſſura maior.

*Vatablus.* Nullus immittit inſuendum fruſtum panni rudis in veſtem veterem.

*Euthym. Theophylactus.* Nullus immittit aſſumentum.

*Tertull. lib. de orat. cap.* 1. Nullus immittit plagulam.

*Arias.* Nemo iniicit iniectionem panni rudis.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 2. *n.* 21. Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: alioquin aufert ſupplementum nouum à veteri, & maior ſciſſura fit.

*Luc.* 5. *n.* 36. Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo.

*EXPOSITIO.*

VERBA textus explicemus, poſtea ſimilitudinem ad intentum Domini accommodabimus. *Nemo immittit commiſſuram.* hoc eſt, additamentum panni, ſeu, vt habet Syriacus, *fruſtum panni*, & eſt illud, quod alicui rei laceræ farciendæ adhibetur. *Panni rudis.* id eſt, vt ex radice Græca colligit Franciſcus Burgenſ. panni impoliti, & impexi, qualis eſt, cùm à texoribus ad fullones præparandus, & tingendus venit; & ita Syriacus vertit, *fruſtum panni nouum*, & D. Lucas, *commiſſuram à nouo veſtimento.* Sequitur textus Matthæi, *in veſtimentum vetus*; nempe in veſtem, quæ longo iam vſu detrita, ac extenuata eſt, ita vt facilè laceretur; *Tollit enim plenitudinem eius à veſtimento.* Dupliciter poteſt explicari, primò per *plenitudinem eius*, intelligit integritatem veſtis. nam per illum fruſtum panni noui in vetuſto veſtimento, tollitur eius integritas. Nam ob diuerſitatem, tam noui, quàm veteris panni iam non vna veſtis, ſed duplex videtur. Secunda explicatio verior, & accommodatior litteræ, tollit *eius plenitudinem*, integritatem nempe, nam cùm illud fruſtum nouum ſit validum, facilè rumpit, & dilacerat partem vſu detritam, & extenuatam veſtimenti veteris, ſiquidem illud rude, & nouum non valet ſupportare, & ita ait Lucas, alioquin *& nouum rumpit. & veteri non conuenit*, textus Matthæi. *Et peior ſciſſura fit*, id eſt, ruptura fit deformior, & reſtauratu difficilior.

Syriacus.

Franc. Burg.

*Duplex ſenſus.*

*Verior explicatio.*

Hac ergo ſimilitudine, & ſequenti, vt notant Euthymius, & Theophylactus magnus animarum medicus explicat, quàm prudentiſſimè ſe habeat cum ſuis diſcipulis, ob eorum debilem vim teneramque virtutem, eoſque comparat veſtibus longo vſu detritis, non quia ipſi longo vſu attriti erant, qui nouitij, & tyrones extiterant, ſed quia debiles erant, & non aſſuefacti ad magna virtutum exercitia præſtanda, proindeque declarat ſe nolle ſuis diſcipulis, noua ieiunia, quæ non erant præſcripta in lege, nouaſque auſteritates, ac obſecrationes indicere, cùm hæc teneris eorum viribus minimè congruerent; id enim eſſet veteri Teſtamento, ac detrito, nouum, ac rudem pannum aſſuere. Vnde recuſato rigidæ pœnitentiæ onere ſciſſura magna ſequeretur, vt me, & ſalutem ſuam deſerant, & fructus meæ doctrinæ apud ipſos pareat, vnde ſapientiſſimè hæc fuerunt reſeruanda in Pentecoſten, quando iam infirmitate, ac vetuſtate depoſita, & renouati in ſpiritu noua ieiunia, nouamque auſteritatem, ac pœnitentiam ſuſcipiant. 28.

Euthym. Theoph.

*Adaptatur tota ſimilitudo appoſita à Chriſto.*

*Matth.* 9. *n.* 17. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rũpuntur vtres, & vinum effunditur; & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.

*VERSIONES.*

*Syriacus.* Neque iniiciunt vinum recens in vtres veteres.

*Arias.*



*Arias.* Si autem minus rumpuntur vtres & vinum affluit.

*Theophylact.* Sed mittunt vinum nouum in vtres nouos, & vtráque ſimul ſeruantur.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 2. *n.* 22. Et nemo mittit vinum nouũ in vtres veteres: alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribũt: ſed vinum nouum in vtres nouos mitti debet.

*Luc.* 5. *n.* 37. Et nemo mittit vinũ nouũ in vtres veteres, alioquin rumpet vinũ nouũ vtres, & ipſum effundetur, & vtres peribunt.

*Ibid. num.* 38. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum eſt, & vtraque conſeruãtur.

*Ibid. num.* 39. Et nemo bibens vetus, ſtatim vult nouum: dicit enim, vetus melius eſt.

*EXPOSITIO.*

29. EX ſuperiori expoſitione, hæc etiam liquet, ſiquidem præſens ſimilitudo ad idem explanandum tendit, quòd ſcilicet diſcipulis ſuis, cùm ſint teneræ, & imbecillis virtutis, fortia, ac rigida ieiuniorum, ac abſtinentiæ documenta non ſunt iniungenda, ne fortè contingat id, quod in vtribus veteribus experimur; nam ſi aliquis vinum nouum infundit in antiquos vtres, vi, ac violentia bullientis, ac ferueſcentis vini, vetuſti vtres cum vi proportionata ſint deſtituti rumpuntur, ac ſcinduntur; ergo vt prudenter agatur muſtum acrimonia rigidum vtres nouos requirit, eodem modo alta, ac præclara documenta legis nouæ, non homines debiles; ſed fortes, ac ſolidatos, & renouatos gratia Spiritus ſancti expoſtulant.

*Legitima explicatio, ac accommodatio parabolæ.*

30. Quartam ſimilitudinem apponit D. Lucas, ait Chriſtus. *Nemo bibens vetus vinum, ſtatim vult nouum: dicit enim vetus melius eſſe*, hacque parabola declarat Dominus, quod homo enutritus in veteribus moribus, non repentè, ſed paulatim ad noua, ac excelſiora trahendus eſt; ſicut enim vini potator aſſuetus veteri, & antiquo, non ſtatim, ſed paulatim, eo deducitur, vt nouo vtatur, ipſumque veteri præferat, ita nihil agendum eſt, ait Chriſtus Dominus cum meis diſcipulis, nam cùm ipſi ſint aſſuefacti veteribus moribus, eos ſenſim adduco, vt frequentia ieiunia, rigidam pœnitentiam, ac magnas preces amplectantur, & ita hæc præclara virtutum exercitia præferant antiquis moribus, ac omnibus mundi voluptatibus.

*Quarta parabola ex Luca.*

QVÆSTIO VI.

*Variis ſententiis ſanctorum Patrum prædictæ parabolæ explicantur.*

QVADRVPLICI ſimilitudine explicat Chriſtus diſcipulos ſuos non eſſe ieiuniis pro tunc aſtringendos. Primò ex celebratione nuptiarum, ſeu ſponſo præſente. Secundò ex veteri veſte, & nouo panno. Tertiò ex vino nouo emiſſo in vtres veteres. Quartò ex aſſuefacto ad vinum vetus, qui non ſtatim tranſit ad nouum. Per veſtimentum vetus, & per vtres antiquos diſcipulos ob ſuam imbecillitatem intelligi, & per pannum nouum, ac vinum nouum præcepta Euagelica denotari iam dixi in duabus proximis expoſitionibus, ſicut & per aſſuefactum ad vinum vetus, diſcipulos ſignificare proximè explicaui, & has expoſitiones docent D. Chryſoſtom. *homil.* 31. D. Auguſt. *lib.* 2. *de conſenſu Euangel. cap.* 25. Euthym. Theophyl. Caietan. & alij, & mihi eſt vera, & legitima interpretatio; tamen alias ſanctorum Patrum apponamus. 31.

*Verus ſenſus*

Chryſoſt. Auguſt. Euthym. Theophyl. Caiet.

Primò Tertullianus *lib. de orat. cap.* 1. *& lib.* 3. *contra Marcion. cap.* 15. per vetus veſtimentum, & vtres veteres legem veterem interpretatur: per pannum verò rudem, ac nouum, & vinum nouum, legem nouam, ac Euangelicam intelligit. Secundò D. Hieronym. *hîc*, & D. Paſchaſ. per veſtes, & vtres antiquos Scribas, & Phariſæos accipiunt, per pannum, & vinum nouum præcepta Euangelica. Tertiò. D. Hilar. *can.* 9. *in Matth.* per vetuſta Phariſæos, & Scribas ſignificari vult, per vinum nouum ſanguinem Chriſti, cuius illi ob ſua vitia capaces non erant. Hæ expoſitiones ob tantos Patres venerandæ ſunt; tamen illis maximè aduerſatur, quòd Chriſtus Dominus Phariſæos, ac Scribas non excuſabat, ſed diſcipulos ſuos: ergo tales ſunt intelligendi. Aliàs expoſitiones morales afferamus. 32.

Tertul.

Hieron. Paſchaſ.

Hilarius.

*Difficultas contra has ſententias*

Et primò D. Auguſtinus *ſerm.* 186. *de tempore*, ſic ait. *Spiritualia non cœpit carnalis, carnalitas vetuſtas eſt, gratia nouitas eſt.* Vinum nouum non infunditur in vtres veteres, ne vtres rumpantur; & vinum effundatur, ita in carnalia corda non influunt ſpiritualia dona, ne fortè hæc contemnantur, & illa maiori malitia, ac nequitia illaqueentur. Vnde ait D. Baſilius in Pſalm. 32. *Igitur in vtres nouos vinum nouum eſt mittendum, vt quod Spiritu ſancto efferueſcit, nimirum veritatis intelligentiam nondum exſoleſcentem vetuſtate erroris mittere conuenit in hominem nouum, qui quòd perpetuò Domini noſtri Ieſu Chriſti mortificationem in corpore fert ſuo, iure nouus dici poſſit vter.* Expende vltima verba, homo degens in peccatis deponat vetuſtatem veteris peccati, in vita renouetur, vt noua dona à Deo accipiat. 33

Auguſt.

*Vt dona diuina homo recipiat, renouetur in vita, & moribus.*

Baſil.

Secundò. D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 57. *Eos, ait, qui in vetuſtate computruerunt, nouamque gratiam reiecerunt, vtres veteres Dominus appellauit, vt qui frangerentur, ac nouum effunderent. Quo in genere fuiſſe Caiphas deprehẽſus eſt: nam cùm à Domino audiſſet, filius Dei ſum, fregit veſtimenta. At verò Petrus, qui ſpiritus vitæ legem acceperat, non modò cùm doceretur, non renuit, verùm etiam ad ſolam interrogationem confeſſus eſt.* Audiunt à Chriſti ore Petrus, & Caiphas, quòd ipſe eſſet filius Dei; 34.

Peluſiota.

Petrus

*Animus detentus vetuſtate peccati, non capit excellentias diuinæ gratiæ.*

Petrus, non ſolùm magna fide, ac obedientia credidit, ſed etiam alto ore Chriſtum Ieſum eſſe filium Dei confeſſus eſt. At Caiphas dum illud diuinum, ac ſublime oraculum audit, grauiter offenditur, furore, ac rabie agitatus veſtimenta dilacerat, *Matth.* 27. *num.* 65. Quænam huius tantæ diuerſitatis cauſa? Erat Petrus vter nouus, erat Caiphas vter vetus. Petrus vter nouus gratia Spiritus ſancti renouatus; ideo illud nouum aſſertum valuit capere, & recipere, illoque magnos fructus edere; Caiphas verò vter perantiquus vetuſtate conſumptus, ideo illud nouum vinum diuinæ veritatis inebrians homines non potuit percipere, ſed ſtatim diſrumpitur, ac ſcinditur.

*Quæ ſunt noua non ſtatim reiicienda, ſed examinandum, an ſint ſolida.*

O vtinam hoc malum in Caipha finem ſuum haberet, ſed fortè non deſunt aliqui, ita antiquitati inhærentes, quòd dum aliquid noui audiunt etiam firmiſſima veritate ſolidatum ſtatim rumpuntur, ac contumelioſis verbis reiiciunt, ſibi perſuadentes, nil nouum poſſe melius inueniri.

35. Paſchaſ. *Ad Euchariſtiam recipiendam vetuſtas peccati deponenda.*

Tertiò. D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* cum D. Hilario, hoc etiam interpretatur de Euchariſtico vino, & ſic ait: *Et quia noui Teſtamenti eſt, non niſi ab innouatis, qui ſunt ſine vetuſtate peccati, communicatur.* hoc nouum vinum Chriſti, non capitur ab hominibus, qui in vetuſtate veteris hominis inueteraſcunt, ſed tantùm ab innouatis in ſpiritu, & gratia.

36. Hugo. *Euchariſtia procedit ex vehementi amore Chriſti.*

Quartò. In eadem ſententia Cardinalis Hugo inquirit, cur ſanguis Chriſti dicatur potius vinum nouum, quàm vetus. Optimè reſpondet. *Nouum, quia calidus eſt per charitatem.* Vinum nouum, eſt ſanguis Chriſti in hoc Sacramento, quia eximia charitate feruidus, ac calidus eſt, & effluit ex venis diuini amoris igne ſuccenſis.

# CAP. XXIX.

## *Archiſynagogi filia reſuſcitatur.*

*Matth.* 9. *n.* 18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manũ tuam ſuper eam, & viuet.

*Ibid. num.* 19. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius.

### *VERSIONES.*

*Vatablus.* Ecce primas quidam venit, & *Euthymius.* adorauit eum.

*Pagninus.* Sed profectus impone manũ.

*Syriac n.* 19. Ieſus, ac diſcipuli eius abierunt poſt eum.

### ALTER TEXTVS.

*Marc.* 5. *n.* 22. Et venit quidam de Archiſynagogis nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes eius.

*Ibid. num.* 23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat.

*Ibid. num.* 24. Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

*Luc.* 8. *n.* 41. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe princeps Synagogæ erat; & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum, vt intraret in domum eius.

*Ibid. num.* 42. Quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur, & contigit, dum iret à turbis comprimebatur.

### *EXPOSITIO.*

HOc miraculum proximè ſubſecutum eſt poſt obiectam calumniam à diſcipulis Ioannis, quam antecedenti cap. explicauimus. Et manifeſtè patet ex ipſo textu Matthæi. *Hæc illo loquente ad eos*, ſcilicet ad diſcipulos Ioannis, vt notant Chryſoſt. *homil.* 32. Euthym. S. Thom. Abulenſ. Lyran. & communiter Recentiores. nam D. Matthæus in hac re ordinem temporis tenuit, quem Marcus, & Lucas aliis in locis hanc hiſtoriam enarrantes non ſunt ſecuti, & alto Dei conſilio dum opponebatur murmuratio diſcipulorum Ioannis, hæc fiunt miracula, quia non ſolùm magnis rationibus, & altis ſimilitudinibus, vt vidimus in fine ſuperioris cap. Dominus confirmat ſuam doctrinam, ſed etiam magnis operibus, ac miraculis illam comprobat. 1.

Chryſoſt. Euthymius. D. Thom. Abulenſ. Lyranus. *Verbis opera adiungenda.*

*Ecce princeps vnus*, conditio perſonæ deſcribitur; nam quamuis vnum tantùm eſſet templum in Hieruſalem, in quo ſacrificare licebat. Tamen per totam Terram promiſſionis, ad orandum, ac ad docendum populum, multæ erant Synagogæ, & vnaquæque Synagoga ſuos præſides, ſeu principes habebat, & hi dicebantur Archiſynagogi; talis Synagoga erat Capharnaum, vbi hæc hiſtoria contigit; *vnus ergo ex his Archiſynagogis*, vt notat D. Marcus, qui & *princeps Synagogæ* dicitur à D. Luca, vnde patet, quòd falſa eſſet calumnia Iudæorum, cùm dicerent; *nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Phariſæis*, Ioann. 7. num. 48. & rectè, vt notat D. Anton. Vlyſip. *in Dominicam* 24. *poſt Trin.* Hic homo dicitur princeps, quia ſe ipſum, ſuoſque ſenſus, ac actiones nouit regere, & gubernare, vt à ſupercilio Phariſæorum deſcenderet, & ad Chriſtum veniret. 2.

*Archiſynagogus, id eſt princeps Synagogæ.* Ioan. 7. Ant. Vlyſſip. *Ille princeps qui ſe ipſum regit.*

Marcus, & Lucas notant nomen viri, quod *Iairus*, dicebatur, quia vir valde notus, & magnus erat in populo, vt aduertit D. Bonauent. *in* 8. *Luc.* & hoc nomen *Iairus*, vt ex radice Hebraica colligitur, idem valet, ac illuminans, ſeu illuminatus; vt aduertunt Euſebius Gallicanus *in Domin.* 24. *poſt Trinit*, D. Paſchaſ. Albert, Magn. S, Thom. Vnde, ait D. Bonauentura, quòd *nomen reſpondebat officio*, & dignitati, vt Magiſter nempe populum illuminabat ſua doctrina, conſiderent Doctores, ac Prædicatores, quòd confluentem turbam gentium debent illuminare, & non obtenebrare. Victor Antioch. *in cap.* 5. Marci ait, quòd Dei ordinatione tali nomine inſignitus extitit, quia de hoc magno miraculo, ſuo poſtea tempore erat teſtimonium perhibiturus. 3.

*Quid ſignificet Iairus.* Bonauent. *Nomẽ reſpondeat officio.* Euſeb. Paſchaſ. Alb. Magnus S. Thom. Victor.



4. D. Thom. *Magna perſonaliter agenda.*

*Acceſſit, & adorabat eum.* Appropinquauit ille corporaliter ad Chriſtum, vt notant D. Thomas, in re enim tanti ponderis non Miniſtro deſtinauit, ſed ipſe perſonaliter venit, & acceſſit non ſolùm corpore, ſed etiam affectu cordis, ac animi deuotione, *& cecidit*, ſeu *procidit ad pedes eius*, vt habent Marcus, & Lucas, per quod denotatur magna ſubmiſſionis humilitas, qua homo acceſſit ad Chriſtum, & cecidit velut onere neceſſitatis grauatus, *ad pedes eius*, Zacharias Epiſcopus, hoc eſt, ad Chriſti humanitatem; nam caput Chriſti Deus, ad pedes, nempe ad humanitatem, quæ noſtræ infirmitatis, ac imbecillitatis erat particeps, procidit, D. Matthæus habet *adorabat eum*, non cultu latriæ, ſiquidem non Deum credebat, vt infrà dicam, ſed magna veneratione, quæ etiam Prophetis, & Regibus fiebat. Nam licèt ille non crederet Chriſtum eſſe Deum, tamen diuinam virtutem habere agnoſcebat, & hoc alta Dei ordinatione factum eſt ad Phariſæorum confuſionem, de quorum factione forſitan erat Archiſynagogus, qui ſalute filiæ deſperata à ſolo Ieſu eam impetrare poſſe fatebatur.

Zach. Epiſc. *Phariſæorum confuſio.*

5. Hominis petitio, *filia mea modò defuncta eſt*, quæ erat chariſſima patri ſuo. nam, vt exprimit D. Lucas, puella erat annos ferè duodecim, & vnica in domo patris. *Veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet*; rogat, *veni*; vt exprimit D. Lucas in domum meam, impone manum, potentiam imponentis ſignificabat, *& viuet*, deſideratus effectus ſubſequetur; D. Antonius Vlyſip. *citatus*, ait: Tria hæc notanda ſunt; O Domine Ieſu veni ſubueniendo per gratiæ infuſionem, impone manum aperiendo os ad confeſſionem, & viuet filia mea, hoc eſt, anima mea, gratia in præſenti, & vita gloriæ in futuro. Tria alia notat D. Bonauent. Iſte Chriſti præſentiam adiit cum reuerentia, rogauit confidentia, deſiderauit ex indigentia. *Rogationem contribulati non abiicias, & non auertas faciem tuam ab egeno*, Eccleſ. 4. n. 4.

Anton. Vlyſ. *Tria notanda.* Bonauent. Eccleſ. 4.

6. D Thom. *Bona reſponſio non verbis, ſed operibus.*

*Et ſurgens Ieſus* ſedendo docebat, D. Thomas aliter explicat; ſurgens nempe à prandio, in quo erat in conuiuio Matthæi, *& ſequebatur eum*, mira Chriſti Domini pietas, ac humilitas *ſequebatur eum*, eius petitioni annuens, & non legitur, quòd dixerit ei aliquod verbum, nam optima reſponſio, & præcipuè afflicto, non verbis, ſed operibus componitur, & quamuis hic eſſet de genere principum, qui Chriſtum maximè auerſabantur, tamen benignè recipit, ob maiorem partem malorũ boni non ſunt deſpiciendi, neque eorum bonus ſtatus contemnendus. Notat verò D. Chryſoſt. *hom.* 32. quòd Chriſtus leniter incedebat, & colloquia habuit cum muliere à fluxu ſanguinis liberata, vt ita maximè cognita fieret mors puellæ, & euidentior reſuſcitationis demonſtratio. Chriſtũ comitabantur diſcipuli, ac turba multa, quæ ita affectabat ad Dominum appropinquare, vt ipſum comprimerent, ac veluti contererent.

Chryſoſt.



### QVÆSTIO I.

### *Quomodo ſacri Euangeliſtæ cohæreant in hac hiſtoria, nam Matthæus dicit defunctam puellam; Marcus, & Lucas, in extremis?*

OFFERT ſe hic magna difficultas, & ſatis trita apud Auctores, quomodo Matthæus ſcribat Archiſynagogum dixiſſe; *filia mea modò defuncta eſt*; & Marcus dicat, quòd erat in extremis. Lucas verò, quòd moriebatur. In hac re explicanda variæ ſunt ſententiæ, ac dicendi modi, 7.

*Ratio difficultatis.*

Reſpondent primò D. Chryſoſt. *hom.* 32. Theophylactus, quando Archiſynagogus è domo ſua exiuit, filiam nondum mortuam eſſe, ſed defunctam dicit, quia ſuſpicabatur mortuam, ſolent enim afflicti, ac miſeri ærumnas ſuas augere, & calamitates exaggerare, vt faciliùs opem, quam exoptant, impetrent; præcipuè, quia hæc puella erat multum amabilis patri, & quos ardenter amamus de illius periculo deſperamus. 8.

Chryſoſt. Theoph. *Afflicti, ac amantes ſuorum ærumnas amplificant.*

Secundò D. Auguſt. *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 28. Paſchaſ. *lib.* 5. *in Matth.* Beda hic docent Archiſynagogum dixiſſe filiam ſuam in extremis eſſe, vt Marcus, & Lucas ſcribunt. At mente Pater coniiciebat filiam, quam agonizantem reliquerat, & de cuius ſalute iam ſpem amiſerat, tempore itineris ſui eſſe defunctam, quod dicit Matthæus. 9.

Auguſt. Paſchaſ. Beda.

Tertiò Abulenſ. *quæſt.* 88. quem ſequuntur multi Recentiores, Maldonat. Franciſcus Lucas, Cornelius à Lapide, quòd Matthæus breuitati conſulens, potius ſubſtantiam rei, quàm ſeriem hiſtoriæ enarrat; nam quando iſte Archiſynagogus acceſſit ad Chriſtum, deprecans, vt veniret, & imponeret manum ſuper filiam, adhuc illa non exceſſerat è vita, ſiquidem pergens ipſe cum Ieſu in domum, vt conſtat ex Marco, & Luca, accepit nuntium de morte filiæ, de cuius vita iam ſpes erat amiſſa, & ideo dicebant ſerui, *Noli vexare Magiſtrum*, ſed ipſum relinque; tunc Iairus ad fidem excitatus à Chriſto, ac in illa confirmatus pro filia mortua rogat, dicens, *modò defuncta eſt, veni impone manum, & viuet.* Vnde iſti Auctores dicunt, quòd ita hiſtoria texenda eſt. Primò petiuit, reſtitui ſanitati filiam in extremis laborantem, poſtea verò allato nuntio de eius morte, ac erectus ipſe à Chriſto in magnam ſpem, pro filia defuncta rogat, apertis verbis, vel deſiderio, vt à Domino ſuſcitetur, vt ſcribit Matthæus, qui in exordio ponit id, quod in progreſſu hiſtoriæ factum eſt. Hæ ſententiæ probabiles ſunt. 10.

Abulenſ. Maldonat. Franc. Luc. Cornelius à Lapide. *Quomodo concordentur Euangeliſtæ.*

Quarta, & vltima ſententia mihi ſimpliciter, veriſimilior, tenet Archiſynagogum omnia dixiſſe, vt narrant ſacri Euangeliſtæ, v.g. veni, filia mea in extremis, vel modò defuncta eſt; hanc ſententiam tradunt Euthymius *hic*, Toletus *in* 8. *Luc. anno* 89. ſic nulla eſt diſcordia inter ſacros Euangeliſtas, ſed omnia optimè cohærent, nam vnum relatum eſt à Matthæo, alterum à Marco, & Luca, & ita locutus eſt Archiſynagogus, quia quando è domo egreſſus eſt, re uera filia erat in extremis, & ita in itinere accepit nuntium de eius morte, & addidit, 11.

*Vera explicatio.* Euthym. Tolet.

FFf vel

vel modò defunctа eſt,quia ita exiſtimabat , cùm eam vltimum ſpiritum agentem reliquiſſet; vel quia mala eorum,quos intimè diligimus,ſemper grauiora , ac maiora nobis videntur , vt ex quolibet malo illato totum conſumptum iudicemus.

*Quos ardenter amamus, eorum mala grauiora iudicamus.*

12. De puero Centurionis dicitur *Luc.* 7. *num.* 2. Seruus malè habens,erat moriturus, qui illi erat pretioſus. Sed vnde cognouit bonus dux , quòd puer erat moriturus,ſiquidem multi , qui iam iudicantur in vltimo ſpiritu conſtituti ſæpè, mortem euadunt? Vnde ergo hoc deprehendit ? Verùm fateor ex grauitate morbi, tamen iſte ſeruus erat centurioni pretioſus,hoc eſt , vt explicat D. Bonauentura, multum charus,ac amabilis , & ex tanto amore in eius oculis maximè periculum augebatur.

*In amantis aſpectu ſemper malum augetur.* Bonauent.

13. Cùm à Iacob poſtularent filij eius Benjamin, vt ipſum ducerent in Ægyptum.Ait Iacob, *Abſque liberis me eſſe feciſtis , Ioſeph non eſt ſuper , Simeon tenetur in vinculis,& Benjamin auferetis*,Gen. 42.n.36. Quomodo Magnus Patriarcha hæc loquitur,nam quanuis Simeon ſit in vinculis,Benjamin auferatur in obſidem , adhuc non ſunt morte interempti , & grauius augetur dubium, quia quanuis illi tres eſſent ablati , tibi nouem incolumes ſuperſunt ; quomodo ergo aſſeris te omnibus filiis eſſe orbatum , cùm tantùm tribus careas , ita ardenter natos ſuos diligebat Iacob, quod agnoſcens,quid incommodi eis accideret, iam tanquam mortuos deplorabat , vt obſides Benjamin , ac vincula Simeonis aculeos mortis crederet Carthuſian.*Loquitur Iacob*,ait,*ad modum eorum,qui intensè diligunt res ſuas , vtpote ſobolem, ſiue pecuniam , quarum cum partem amiſerint , ita conqueruntur,ac dolent,quaſi totum perdiderint.*

Gen.42.

*Amans dum parum perdit totum exiſtimat perdidiſſe.* Carthuſ.

## QVÆSTIO II.

### *Quare ex tribus mortuis, quos Dominus ſuſcitauit , pro hac ſola puella deprecetur ?*

14. TRES mortuos ſuſcitatos à Domino legimus, hanc filiam Archiſynagogi, adoleſcentem filium viduæ Nain iuxta portam ciuitatis , *Luc.* 7. *num.* 14.& Lazarum quatuor iam dies in monumento incluſum,*Ioannis* 11.*num.* 43. Quod eleganter meditatur Euſebius Emiſſenus ſermon. de Lazaro feria 6.poſt 4. Dominicam Quadrageſimæ. *Per hos enim tres*, ait,*mortuos,tria mortis genera ſignificantur;moritur enim homo praua, & illicita cogitando:moritur malè operando: moritur in peccatis perſeuerando. Cogitas aliquid agere , quod non licet:mortua eſt anima tua; quia latet peccatum , & nondum diuulgatum eſt ; ſi verò cogitationem ad effectum perducas, non ſolùm mortua eſt,ſed iam extra ciuitatis portam elata , & per peccatum ab Eccleſia ſeparata, & perditioni proxima eſt. At verò ille , qui peccatum aliquod magnum commiſit , & multo tempore in eo perſeuerat , non ſolùm mortuus eſt , & ſepultus;verùm etiam iam fœtet , quia eius turpiſſimam famam circunquaque audire abhorret. Omnes enim hos ſuſcitat Ieſus , ſi à peccato ceſſent , & ex corde pœniteant.* Idem antea docuit Theophilus Antioch.*lib.* 2. *Allegor.in Euang.*

Euſeb. *Tria mortuorum genera ſuſcitantur à Chriſto.*

Theoph.

15. Hîc tamen in quæſtionem ponimus, Cur inter hos tres , pro ſola hac puella , pater rogat, ac exorat ; nam pro adoleſcente iuxta portam ciuitatis Nain , nec mater , nec alius fundere preces auſus eſt , quanuis illa vt mater multum lachrymaret , vt patet *ex citato loco Luc.* De Lazaro verò res eſt multo euidentior , nam quanuis ſorores vehementer plorarent ; pro eo tamen reſuſcitando nullas obtulerunt preces. Imò apertioni ſepulturæ obſtitit Martha. *Iam fœtet, quatriduanus eſt*,citato loco *Ioan.*11.*num.*39.Cur ergo pro aliis mortuis , nec mater , nec ſorores obſecrant , ſed ſolùm pro hac puella defuncta pater exorat. Rationem colligo ex citatis verbis Emiſſeni. Hæc puella ſignificabat peccatorem adhuc domi incluſum , non verò multo vſu, ac conſuetudine inueteratum , ad ſepulturam tendentem , vel iam in peccatis ſepultum , vt Lazarum , ſeu , vt aliter dicam : Puella adhuc erat domi , & peccatorem occultum , & abſconditum adumbrabat; & adoleſcens , & Lazarus manifeſtum delinquentem in porta ciuitatis, vel patenti campo denotabant , & ſi pater pro illa rogat; nullus tamen pro iſtis deprecatur , quia publica peccata maximè negotiantur , ac ſolicitant diuinam iuſtitiam,vt tantùm malum, quod aliorum peperit offenſam , & ſcandalum , punitum videatur , & ideo pro eo quilibet orare reformidat.

Ioan.11.

*Peccatū conſuetum ac publicum difficile remittitur.*

16. Vrgente tempeſtate omnes nauigantes orationi inſtabant , Ionas tamen ſolus dormiebat , cui nauclerus ait.*Quid tu ſopore deprimeris ? Surge,inuoca Deum tuum*,Ioan.1.num. 6. Locum explicat Theodoretus,dicens.*Preces adhibere Deo ſuo coëgit,ignorans fugam;fiduciam hanc illi ſuſtuliſſe.* Ob euidens periculum miſericordiam à Deo omnes implorabant , tamen Propheta non deprecatur, ſed dormit;fuga enim illa publicum,ac notorium fecit ſuum peccatum , vt ponderat ibi Rupertus, qua inobediens à Dei mandato receſſit, & manifeſtata iniquitas omnem animum , ac fiduciam exorandi ab illo excluſit,ac amouit.

Ioan.1. Theodoret.

*Publica peccata orandi fiduciam tollunt.*

17. Ait Dominus ad Hieremiam cap. 7. n. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc,ne effundas pro eis laudem,& orationem,quia non exaudiam te.* Valde mirum , quòd populo Iudaico prohibeat Dominus orationem Prophetæ. Et tamen Dominus voluit , ac diſpoſuit , vt Iob pro amicis ſuis oraret, contra quos diuinus furor iratus erat , eo quòd non eſſent locuti recta, ſicut *Iob* 42. *num.* 7. & ex grauiſſima cauſa diuina ira contra eos erat concitata , ſiquidem temere hominem ſanctiſſimum Iob condemnarunt , vt ponderat ibi Pineda , & tamen pro eis mandat Dominus orare, Prophetam autem vetat effundere preces pro populo ; huius prohibitionis rationem Dominus reddidit , ſubdens immediatè. *Nónne vides, quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda , & in plateis Hieruſalem* , ibidem numero 17. Temera loquutio amicorum Iob erat veluti in occulto , nam ipſi tantùm tres cum Iob agebant. At peccatum Iudæ erat publicum , ac notorium in ciuitatibus , ac plateis ; manifeſta autem flagitia vehementer ſolicitant diuinum furorem , vt omnem aditum orationis videantur intercludere, vt malum in omnium oculis perpetratum, in omnium aſpectu recipiat vindictam .D. Hieronym. *Vis , inquit Dominus , audire Propheta , cur tibi dixerim : Noli orare pro populo hoc ? Hæc faciunt, quæ ſequuntur : & intus , & foris , & in plateis , & exitibus Hieruſalem.*

Hierem.7.

Pineda.

*Notoria delicta orationis aditum intercludūt.*

Hieron.



## QVÆSTIO III.

### *Quare iſte pater tam moroſè , ac ſerò agat de ſalute filiæ,vt poſt obitum eius ad Chriſtum venerit ?*

18. VALDE dilecta erat hæc filia Archiſynagogo, & tamen de hoc ſalutifero remedio, ac impoſitione manuum Chriſti , non agit , niſi iam quando filia erat in vltimo ſpiritu , ſeu demortua. Ad hoc reſpondeo primò , quòd in præſenti facto poteſt notari hominis prudentia, nam quandiu in Medicorum arte , ac humana induſtria videbatur inueniri poſſe aliquod remedium , illud bonus pater ſolicitabat , ac omnem affectum adhibebat, At quando filia erat in extremis , vt dicunt Marcus , & Lucas , & in humanis nulla iam erat ſpes , tunc ad Chriſtum ſe confert , diuinam,ac miraculoſam eius virtutem deprecans , miraculum enim tunc exoptandum eſt , quando humanæ vires deſunt. Vide *cap.* 7. *n.*38.39.& 40.& *cap.*24.

*Ad miraculum non eſt recurrendū, niſi quando humana deſunt.*

19. Secundò poteſt notari humana conditio, quæ nec Deum quærit,nec ad eum accedit , quando in ſe, ac ſuis habet opem , & auxilium. Ita Archiſynagogus , quandiu in hominum induſtria, ac arte videbatur reperiri poſſe aliquod remedium , de Deo oblitus erat ; at verò quando omnia humana deſunt , tunc ad Deum venit , eius diuinam clementiam rogans.

*Homo ſi ſua habet in humanis,de Deo obliuiſcitur.*

20. Tertiò notari poteſt aulicorum ingenium. Iairus erat Archiſynagogus,ſeu princeps, & Medici , chirurgi , ac aſſiſtentes multa cum eo habebant negotia,quæ ex eius manu , ac nutu pendebant , & ideo omnes eius voluntatem captare affectabant , vnde nullus aperire veritatem , ac grauitatem morbi dicere audebat ; nouerant enim iſti , quòd cum magnatibus , ac principibus , non detecta veritate , ſed fucato mendacio frequenter in hoc ſæculo peragitur , & hac de cauſa Archiſynagogus non agnouit vrgentem vim morbi filiæ , niſi quando iam filia vltimum ſpiritum agebat.

*Vt negotietur cum principibus huius ſæculi, veritas eſt abſcondenda.*

21. Nefarius ille Iudex interrogauit Chriſtum Ieſum:*Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet,iterum exiuit ad Iudæos* , Ioann. 18.n. 38.commune dubium,ſi Pilatus quærit, quid ſit veritas , cur eius definitionem nō audit,ſed ante omnem reſponſionem ſtatim prodit foras.D.Chryſoſt.hom. 83. in Ioan.*Ieſum* , ait,*è Iudæorum manibus eripere cogitabat ; ideo exiuit.* Sed magis creſcit dubium, quia Dominum Ieſum volebat à comprehenſione,ac morte liberare , ideo non expectat reſponſum , ſed indilatè exiuit ad Iudæos, hoc eſt , ad primates Iudæorum , vt explicant Caietan. ac ad Pontifices,& Principes ſynagogæ , qui Archiſynagogi vocabantur , vt iam notaui , ex induſtria hoc factum videtur à Pilato ; nam ille exiuit , vt de dimiſſione Chriſti cum illis magnatibus tractaret,& agnouerat ipſe , quòd ad negotiandum, ac peragendum aliquid cum illis principibus, ac Pontificibus valde perutile, ac neceſſarium eſſet, veritatem ignorare , ac neſcire , nam ſi eam in ore aſportaſſet,nil negotij fieret,

Ioan.18.

Chryſoſt.

Caietan.

*Vt cum principibus negotia ineas , veritas ſæpe eſt ignorāda.*



22. *Erat quidam homo diues,qui induebatur purpura, & byſſo,& epulabatur quotidie ſplendidè* , Luc.16. num.19.Hic cùm eſſet ſepultus in inferno, vidit à longè Abrahamum,& ait illi . *Rogo te Pater , vt mittas eum*,ſcilicet Lazarum,*in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres*,ibidem n.27. Rectè D. Chryſoſtom. *homil.* 1. *de Diuite* , hunc arguit de mendacio. *Vide per veritatem*,ait,*nec in ipſis pœnis continet veritatem.Vides enim quid dicat ? Rogo ergo te Pater. Ergo Pater eſt Abraham : quomodo dicis, mitte in domum patris mei.* Nullus enim homo habet duos patres ; miror malitiam hominis , & multo magis audaciam , quomodo audeat mendacium dicere Abrahamo,quem in ſublimi gloria cum Angelis videbat , non enim poterat ipſe ignorare , quòd Patriarcha apertè ; & diſtinctè illa omnia agnoſcebat , quod etiam in anima ſeparata multi concedunt , vt videbis apud Suar. *lib.*6. *de anima cap.* 6.& 7. Quomodo ergo tam apertè , verbis ſuis à veritate declinat. Diues iſte aſſuetus erat multis mendaciis , ac fallaciis multa negotia obire cum principibus , ac magnatibus huius ſæculi, & ideo diues erat , & multam ſubſtantiam acquiſiuerat ; cùm ergo vidiſſet Abrahamum in tam amplifico principatu , cogitauit etiam mendacia dicere , an ſi fortè cum illis aliquid cum ſancto Patriarcha negotiari valeret, ſed fefellit illum iniquitas ſua.

Luc.16.

Chryſoſt.

Suarius.

*Cum principibus huius ſæculi mendaciis negociatur.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quare Archiſynagogus non petat à Chriſto vt reſuſcitet filium , ſed vt ei manum imponat ?*

23. PLANA , ac manifeſta eſt hominis intentio, Chriſti aduentum in domum ſuam exorabat,vt demortuam filiam ad vitam reuocaret, cur hoc apertè non ait,ſed tantùm dicit.*Veni, impone manum tuam,& viues*,ſeu,vt habet Marcus,*Impone manum ſuper eam,vt ſalua ſit,& viuat.*

*Ratio dubitandi.*

24. Reſpondet primò D. Chryſolog. ſermon. 33. *Credidit ergo Deo*,ait, *quia eadem manu , qua creatam ſenſerat filiam,recreari,ac reduci poſſe ad vitam nouerat : veni , & impone manum , vt qui ſponte poſuit,ad creandum , ad reparandum iterum exoratus imponat*;& idem habet D.Paſchaſ *lib.*5 *in Matth.* & addidit. *Quia qui poſuit,cùm formaret ex nihilo depoſuit,vt imponat iterum manum,& reformet eam de perditione.* Non poſtulat Archiſynagogus , vt filiam reſuſcitet,ſed vt tangat,recordabatur,quòd in exordio Deus hominem manibus ſuis efformauerit ; *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu* , Iob 10. num. 8. Cùm hoc haberet in mente Iairus , bene conſcius erat Dei morem eſſe primam beneuolentiam multis beneficiorum incrementis multiplicare , & augere; ergo ſi diuinæ manus hominem è nihilo in pulchram Dei imaginem effinxerunt , ipſæmet omnipotentis manus hominem infirmitate oppreſſum,vel morte diſſolutum redintegrabunt , ac in perfectam ſalutem reſtituent.

Chryſolog.

Paſchaſ.

Iob 10.

*Vnum Dei beneficium multa ſecum trahit.*

25. Secundò agnouerat Archiſynagogus carnem Chriſti habere viuificam vim , ac ſpiritum vitæ; poſtulat ergo , vt filiam tangat , tanquam certus, quod ex tactu illius ſanctiſſimæ carnis, ſpiritum vitæ hauriet filia. Tertiò. Non poſtulat expreſsè,

*Caro Chriſti vitam communicabat.*

vt filiam mortuam reſuſcitet, quanuis illud intenderet, quod valde magnum erat, ſed tantùm vt ei imponat manum, quod parum videri poterat; hominum ingenium, qui licèt magna, & ſublimia poſtulent, tamen, vt faciliùs petita impetrent, ſolent ea deprimere, & tanquam parua euulgare. Sic Lot Angelis dixit, *eſt ciuitas hîc parua, & ſaluabor in ea*, Geneſ. 19. num. 20. Similiter Berſabee cùm peteret Abiſac in coniugem Adoniæ, & ſimul cum illa regnum, dicebat. *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te*, 3. Reg. 2. num. 20.

*Homines ſua poſtulata deprimunt, vt facilius impetrent.*
Geneſ 19.
3. Reg. 2.

26. Quartò. Viderat, vel audierat Archiſynagogus Chriſtum Dominum multos infirmos Capharnaum impoſitione manuum ſanaſſe; idem ergo confidenter ſperabat euenturum filiæ ſuæ, ſi ſuper eam manus ſuas imponeret; impoſitio enim manus manifeſtum ſignum erat poteſtatis, & dominij, ac voluntatis inclinatæ, ac propenſæ ad ſanandum. Hoc ergo ſignum, ex quo tantum bonum aliis deriuatum viderat, in filia ſua exoptat, facilè enim quilibet ſequitur viam, quam ſuis perutilem agnoſcit.

*Ea via eligenda quam agnoſcis tuis vtilem.*

27. Cùm prudentiſſimus ſeruus Abrahæ ex eius mandato tenderet in Meſopotamiam, ad quærendam ſponſam filio Domini ſui Iſaac, vt in omnibus exploraret mulierem, tanto viro dignam vehementer exorabat ad Deum. *Puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac*, Gen. 24. n. 14. Valde notatu dignum, quòd ad eligendam vxorem Iſaac, inter alias fœmineas virtutes ſolùm ſolicitus ſeruus hoſpitalitatis ſignum exoptat; non enim puella, quæ fuerit caſta in geſtu, modeſta in oculis, prudens in verbis, pulchra in facie, ſed tantùm ait: Illa, quæ reſpondit, *quin & camelis tuis dabo potum*; quod hoſpitalitatis erat nota, *ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac*. Cur ergo potius hoc ſignum exoptat, quàm aliud? Agnouerat bonus ſeruus, quòd Dominus ſuus Abrahamus, dum hoſpitalitatis eſſet ſtudioſus, multa bona eſt aſſequutus, nam hoſpitio tres Angelos ſuſcepit, imò iuxta probabilem ſententiam, ipſummet Dominum Angelorum, & naſciturum filium ſuum Iſaac habuit in promiſſione, imò Chriſtum Dominum, in quo benedicentur omnes gentes, *Geneſ. 18. à n. 1*. Perpendit, ac conſiderauit diligens ſeruus, quòd ex hoſpitalitatis gratia multa bona multiplicata fuerint Domino ſuo Abrahamo, hanc etiam in ſponſa eligenda toto affectu requirit, vt nouis incrementis domus Domini ſui creſcat, & adaugeatur, & ideo tam ſolicitus eſt de hoſpitalitatis nota in muliere. Fauet D. Chryſoſt. ibi, *Vide ſerui prudentiam*, ait, *nam quia ſciuit Patriarcha hoſpitalitatem, nullam aliam coniecturam requirit, ſed characterem virginalis animi ab hoſpitalitate colligere vult, nam illa ſic explorata, & hoc indicio deprehenſa, digna erit, quæ filio Domini mei ſit vxor.*

Geneſ. 24.
*Illud ſignũ exoptandum ex quo bona tuis deriuantur.*
Chryſoſt.

28. Cùm Iſaac moraretur in Geraris, *& interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit: Soror mea eſt, timuerat enim confiteri, quòd ſibi eſſet ſociata coniugio*, Geneſ. 26. numero 7. Quomodo Iſaac vult abſcondere Rebeccam eſſe coniugem ſuam, & publicare ſororem, optimè ipſe agnouerat diſcrimina, in quæ ob ſimilem vocem parentes eius inciderunt. Nam cùm Abrahamus diceret Saram eſſe ſororem ſuam, mulier ſublata eſt in domum Pharaonis; ſimiliter, & Geraris in domum Abimelech. Cur ergo dicis Rebeccam eſſe ſororem tuam? Ante oculos obuerſabatur Iſaac, quod ex omnibus illis periculis incolumes euaſerint parentes eius; & quòd exinde multa bona fuerint aſſecuti. Nam Abrahamus in Ægypto à Pharaone accepit oues, boues, aſinos, ſeruos, famulos, & camelos, *Geneſ. 12. num. 16.* ſimiliter & ab Abimelech omnia illa habuit, & inſuper mille argenteos, *Geneſ. 20. num. 14.* determinat ergo Iſaac coniugem dicere ſororem, vt via illa incedat, quam pater eius filium expertus fuerat. Diuus Chryſoſtomus *Mortis timor*, ait, *hoc agere Iſaac coëgit, fortè autem edoctus erat, quod & Pater talem fabulam commentus erat, & ſe ſaluarat, cuius viam & ipſe ſequutus eſt*. Vide *cap. 24. numero 100. & cap. 25. num. 59.*

Gen. 26.
*Sequere viã tuis auſpicatam.*
Chryſoſt.

## QVÆSTIO V.

### *Quare noluerit Dominus deſcendere cum Regulo in domum ſuam, ſed ipſum increpauit; cum Archiſynagogo autem vadit in domum, & ipſum non reprehendit?*

29. POSTVLAT Regulus, vt Dominus vadat in domum ſuam, ad ſanandum filium; ipſum Chriſtus reprehendit, quòd eius præſentiam corporalem requirit, cùm in omni loco eius diuina virtus valeat miraculoſa opera edere, *Ioan. 4. n. 42.* vt latè explicaui ſuprà *cap. 6.* At dum Archiſynagogus petit aduentum Domini in domum ſuam ad filiam ſuſcitandam, Chriſtus cum ipſo pergit, & minimè eum increpat; & magis excreſcit dubium, quia Archiſynagogus habebat infirmos fidei affectus, non enim adhuc Chriſtum Dominum quaſi Deum credebat, nec veluti abſentem poſſe reſuſcitare, vt ex Chryſoſt. *hom. 32.* Euthym. Theophylacto, docent communiter Recentiores, de hac re vide citato *cap. 6. q. 9.*

Chryſoſt.
Theoph.
Euthym.

30. Ad præſentem quæſtionem reſpondet primò D. Paſchaſ. *lib. 5. in Matth.* quòd cum Iairo tendit Chriſtus in domum, vt ipſe rogauerat, vt in via curaret mulierẽ à fluxu ſanguinis, in qua eximia fides reſplendebat; vt ergo huic promptæ fidei ſubueniret, Iairi defectum diſſimulat. Secundò reſpondet D. Bonauent. Non reprehendit Dominus iſtum, qui rogabat, quòd iret in domũ ſuam, ſicut Regulum, quia Regulus magis credebat eum infirmum poſſe ſanare, quàm mortuum ſuſcitare. Vnde dixit Domino, *deſcende prius quàm moriatur filius meus*. Hic autẽ credidit quòd æquè bene poſſet ſuper vtrumque, & ideo iuxta Matthæum pro filia mortua rogans introducitur. Tertiò Albertus ait ex circunſtantiis litteræ, probabiliter accipitur reſponſio, quòd non tam duxit eum, quòd præſentia corporali crederet, eum melius poſſe propinquè, quàm remotè, quam vt oſtenderet ſibi deuotionem, & dolorẽ matris, & familiæ, vt ſic magis ad miſericordiã flecteretur.

Paſchaſ.
*Deus ob iuſtos nulla diſſimulat.*
Bonauent.
Alb. Magnus
*Ex aſpectu afflictorum mouetur miſericordia.*

31. Quartò etiam explico meam ſententiam in hac re. Voluit Chriſtus iam oſtendere ſuam diuinam poteſtatem, & edere ſignum ſuſcitationis, quod valde magnum erat apud Iudæos, & omnes nationes. Deinde Archiſynagogum non reprehendit,



hendit, ſicut & Regulum, nam in multis virtutibus illum præcellit. Nam Iairus multo maiorem habuit reuerentiam, ac humilitatem erga Chriſtum, ſiquidem adorabat eum, & cecidit ad pedes eius, vt explicat D. Lucas, habuitque multo maiorem orationem, & cum magno affectn, vt exprimit D. Marcus, *deprecabatur eum multum*, habuitque multo maiorem fiduciam, ſiquidem credidit mortuum poſſe ſuſcitare, vt iam notaui ex D. Bonauentura; ergo licèt Archiſynagogus habuerit aliquem defectum in fide, noluit Dominus patenter arguere, ſed eius precibus annuens diſſimulat, & cum ipſo pergit in domum, eum ad perfectam fidem adiuuans; raro enim inuenitur pretioſiſſimum virtutum aurum, abſque aliqua ſcoria.

*Rarò inuenitur aurum virtutum ſine aliqua ſcoria.*

32. Quintò. Erat iſte princeps ſynagogæ, & Sacerdos; ergo ob Eccleſiaſticam dignitatem fuit venerandus, & non publicè arguendus ac increpandus. Sextò. Erat iſte Archiſynagogus de genere eorum, qui maximè erant ſuperbia inflati, ac vehementer Chriſtum auerſabantur, & ita de quodam dicitur à D. Luca 13. num. 14. *Reſpondens autem Archiſynagogus, indignans, quòd ſabbato curaſſet Ieſus*. Ergo cùm Iairus veniſſet ad Chriſtum, non fuit rigidè increpandus, ſed benignè admittendus, magni animi eſt enim, cùm ſuperbi, ac inimici ſe humiliantur, ac ad te ſubterfugiunt, tui opem, & auxilium implorant, non duris verbis reiicere, ſed amicabiliter, ac cum multo fauore recipere.

*Sacerdos venerandus.*
Luc. 13.
*Inimicus, qui ad te confugit, benignè recipiendus.*

33. Rigido præcepto mandauit Dominus filiis Iſraël, vt cum Chananæis, ac Phariſæis nullum inirent fœdus, ſed eos delerent, ac interficerent, *Deuter. 7. n. 2 & Deuter. 20. n. 17.* In cuius mandati executionem ingreſſi filij Iſraël exterminabant Chananæos, ac multis bellis perurgebant, quibus illi iam exagitati, ac fracti pacis fœdera poſcunt, quod Iſraëlitæ illis concedunt, ac immunes à morte eſſe permittunt. Ioſue 17. n. 13. *Poſtquam autem conualuerunt filij Iſrael, ſubiecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos*. Sed cur propter hoc factum filij Iſraël, non ſunt magno ſupplicio affecti, cùm permitterent Chananæos pacificè viuere? Nam quia Achan quid parum de Iericho bonis ſeruauit, lapidibus obruitur. *Ioſue 7. n. 26.* Saul quia inimico Regi pepercit, regno ſpoliatur. Quomodò ergo Iſraëlitæ parentes Chananæis à Domino condemnatis ad mortem, & cum eis facientes amicitiam, non à Deo plectuntur, ſunt aliqui, vt Abulenſis, Carthuſian. Hugo, qui dicunt grauiter eos in hoc peccaſſe. Tamen D. Auguſt. ſtatim *citandus*, aliter cenſet, hoc eis permiſſum fuiſſe à Domino, vt ſuos aduerſarios, iam ſubiectos, ac obedientes, & ad eos confugientes, eorumque opem petentes, benignè exciperent, ac amicabiliter degere ſinerent; ſibi enim perſuadebant, quòd aliter iam ſubiectos vincere non poſſent; quanuis enim ſit magna propenſio in nobis ad inſequendum repugnantem aduerſarium, valdè tamen alienum eſt ab humana conditione ſuperbum inimicum humiliatum, ac ad obediendum paratum contemnere, & vt illi, qui miſericordiam ſperabant, iuſtitiæ vindictam inuenirent. D. Aug. lib. 60. qq. q. 30. *Timuiſſe*, ait, *credendi ſunt, ne fortè, paratis obedire, ſi parcere noluiſſent, eos ſuperare non poſſent*. Hunc ergo humanum timorem Dominus noluit eis imputare.

Ioſue 17.
Abulenſ.
Carthuſ.
Hugo.



## QVÆSTIO VI.

### *Quare tam citò, ac ſine vlla mora Dominus diſcedat cum Archyſinagogo in domum ſuam?*

34. VBI primum Iairus acceſſit ad Chriſtum, ſine vlla dilatione cum eo Dominus pergit in domum ſuam. Cuius rei rationes iam patent ex ſuperiori quæſtione. Ad præſentem difficultatem reſpondet primò D. Remigius. *Miranda eſt*, ait, *pariter, atque imitanda Domini humilitas, & manſuetudo, nam mox vt rogatus eſt, rogatum cœpit ſequi*. Voluit Dominus in hoc facto oſtendere ſuam manſuetudinem, ac humilitatem, ſiquidem annuens precibus illius hominis, eum ſequi non dedignabatur.

Remigius.
*Chriſti manſuetudo, ac humilitas.*

35. Secundò Rupertus *lib. 10. in Ioannem*. Componit cum hac celeritate, quam Dominus hic præſtitit ad ſuſcitandam puellam, moram illam, quam traxit poſt annuntiatam Lazari infirmitatem, Ioann. 11. num. 6. *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quòd infirmabatur Lazarus, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus*. Sic ait Rupertus citato loco. *Quare manſit in eodem loco duobus diebus? vtique idcirco, vt in eo retardante moreretur, & ſepeliretur languidus ille. Non enim volebat languidum ſanare; non mortuum adhuc in domo iacentem, ſicut Archiſynagogi filiam, reſuſcitare*. Audita morte adoleſcentulæ ſine vlla dilatione ad eam tendit, & cognita infirmitate Lazari duobus diebus moratur in eodem loco. Primò expende textum, *Ieſus Lazarum diligebat, vt ergo audiuit, quòd infirmaretur, tunc manſit duobus diebus*. Tardatur in illo loco, vt fieret manifeſtum, quàm ægrè, ac difficiliter vitam iſtam, ac temporalia bona dilecto amico ſuo, ac iuſto præſtabat. Secundò, vt ſuprà dixi, ex Euſebio Emiſſeno, in Lazaro publicum, ac notorium delictum adumbrabatur; in iſta verò adoleſcentula ſignificabatur peccatum occultum, & adhuc incluſum in domo: ergo ſine dilatione ad eam pergit Chriſtus, antequam è domo exeat, & peccatum in omnium oculis ſit poſitum; nam euulgata delicta difficiliter emendantur, cùm peccator iam verecundiam amiſerit, & impudens ſit factus. Tertiò, & maximè ad mentem Ruperti. Audita infirmitate Lazari moratur Dominus in loco illo, vt defunctus ſepulturæ traderetur. Chriſtus Dominus ſua prudentia non ſtatim exhibet omnia, ſed in ſuis mirabilibus paulatim proceſſit; tres mortuos ſuſcitauit. Primò hanc puellam in domo incluſam; ſecundò, filium viduæ Naim in porta ciuitatis, cùm iam in ſepulchrum aſportaretur; vltimo loco Lazarum iam in terra defoſſum, ac lapide coopertum, quod omnibus quid maius erat.

Rupert.
Ioann. 11.
*Deus difficiliter dat bona temporalia amicis.*
*Publica peccata difficiliter emendantur.*
*In magnis operibus paulatim procedendum.*

36. Tertiò, vt notat Diuus Thomas, Chriſtus erat in conuiuio, & ab ipſo ſurgit, vt cum Archiſynagogo in domum ſuam petat; audita ergo hominis rogatione, non moratur Chriſtus, vt cunctis fieret perſpicuum, quòd diuinus Magiſter, omnia huius ſæculi, omneſque ſuas commoditates pro noſtra ſalute contemnebat, ac parui faciebat.

D Thom.
*Chriſtus pro nobis omnia contemnebat.*

37. Quartò Chriſtus Dominus ſua diuina virtute poterat hanc puellam in loco diſtanti ſuſcitare, ſicut & filium reguli ſanauit; tamen voluit appropinquare, & apprehenſa manu eam tenere, nec enim ſemper diſpoſuit, omnimoda ſua poteſtate, quæ ei data erat à Patre, vti; ſed aliquando approximando, aliquando in remotum agendo, prout eius altiſſima Sapientia dictabat. Amplam poteſtatem concedere, magna nobilitas, & auctoritas Domini eſt; at non ſemper ad quemlibet vſum, omnem potentiam adhibere, magna diſcretionis vis in ſeruis, ac miniſtris; ita eſt enim applicanda, vt recta ratio, & prudentia iudicauerit.

*Non ſemper omni poteſtate operandū*

38. Vidit Iſaias 6. *numero* 2. Dominum *in ſolio excelſo, Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, & duabus volabant.* Sex alæ illæ innatæ erant Seraphim, vt *ibi* ponderat N. D. Cyrillus, ad volandum nempe; imò, vt vult Oleaſter ad locum Iſaiæ, duabus illis alis volantibus ſe ſuſtentabant in aëre. Si ergo ab vniuerſali opifice in ſua creatione ad volatum ſex alis inſigniti repeiuntur, cur in illo miniſterio duabus tantùm hiccontenti ſunt? Alæ illæ conceſſæ erant ad volandi motum præſtandum; tamen Seraphinorum prudentia, non omni alarum miniſterio, nec omni potentia vtitur, ſed tantùm illa, quæ erat proportionata, ac conueniens pro præſenti rerum euentu.

Iſai. 6. Cyrill. Oleaſter. *Proportionata potentia vtendum*

39. Ait Deus Moyſi, *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7. numero 1. In quo communiter notant expoſitores, Deus dedit Moyſi amplam poteſtatem præcipiendi, comminandi, vexandi, ac nocendi Pharaoni. Maximè hîc tamen conſiderandum, quòd Moyſes tanta poteſtate accepta, ipſum crudelem hoſtem non ſtatim interemit, imò nec magnas plagas ex ſe, ac ex ſuo iudicio in Ægyptum, ac Pharaonem infert; ſed ſemper ex Dei iuſſione: ſic ei mandauit Dominus, vt extendens virgam conuerteret aquas in ſanguinem, & vt induceret ranas, ſciniphes, muſcas, locuſtas grandinem, & peſtem in animalia. Si tibi, ô Moyſes, tam larga iuriſdictio data eſt, ad quid in his expectas diuinum mandatum? Quòd tanta poteſtas homini concederetur, magnifica Domini liberalitas, & amplitudo; quòd verò Moyſes non omnes illius vices exequeretur, ſed ſemper Dei iuſſionem auſcultaſſet, magna ſanè illius prudentia, & cautela. Ab hac conſideratione non diſtat Oleaſter; ſic ait, *Expende, quæſo, quanta ſit dignitas ſancti Moyſis, quem Deus ſic euexit, vt Deum Pharaonis conſtitueret: & ſimiliter quanta ſit prudentia eius, vt non eum ſtatim occiderit; ſed patientia quaſi Dei tulerit, & mouerit?*

Exod, 7. *Excellentia Domini, magnam poteſtatem concedere: prudentia ſerui, non omni vti.* Oleaſter.

*Matth.* 9. *n.* 20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

*Ibid. num.* 21. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimenta eius, ſalua ero.

*VERSIONES.*

*Syriacus n.* 20. Et ecce mulier, quæ profluuio ſanguinis laborabat à duodecim annis, venit à tergo eius.

*Arias.* Ecce mulier ſanguiflua duodecim annis, accedens.

*Syriacus n.* 21. Dicebat in anima ſua: Si ſolùm tetigero veſtimentum eius, ſanabor ego.

*Vatablus.* Dicebat intra ſe: Si tantùm tetigero veſtimentum illius, ſalutem conſequar.

*Optatatus Mileuitenſ. Epiſcop. lib.* 5. Mittam manum meam, & tangam fimbriam veſtimenti eius, & ſana fiam.

ALTER TEXTVS.

*Marc.* 5. *n.* 25. Et mulier quæ erat in profluuio ſanguinis annis duodecim.

*Ibid. num.* 26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.

*Ibid. num.* 27. Cùm audiſſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimenta eius.

*Ibid. num.* 28. Dicebat enim, quia ſi vel veſtimentum eius teſtigero, ſalua ero.

*Lucæ* 8. *n.* 43. Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari.

*Ibid. num.* 44. Acceſſit retrò, & tetigit fimbriā veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.

*EXPOSITIO.*

INTERPOSVIT Dominus miraculum huius mulieris, vt fides Archiſynagogi corroboraretur, & nos etiam doceat, ne occaſionem boni operis, ſi occurrat, amittamus; & in præſenti hiſtoria ſeptem notanda ſunt. Primò, ſexus; *Ecce mulier*; *ecce* illud, denotat, inter eundum; dum iret. *Mulier*, natura fragilis, & cùm Chriſtus iret ad ſanandam vnam mulierem, hanc priùs ſanauit; de quo *quæſt. ſequenti.* & aduerte, quòd in hiſtoria huius capitis, nempè parentis filiæ defunctæ oritur illius nomen à Marco, & Luca, qui dicebatur *Iairus*, & eius dignitas ſcribitur, *Archiſynagogus.* At in iſta fœmina, nec dignitas exprimitur, cùm eſſet diues, & nobilis, vt ſequenti quæſt. dicam, nec eius nomen narratur; ſed ait D. Lucas, *mulier quædam.* Archiſynagogus imperfectus in fide, vt ſupra dixi ex Patribus; at præſens mulier feruida in illa, & præclarior facta eſt fide, qua credidit Deum, quàm proprio nomine, ac vlla temporali dignitate, & ideo pro muliere nobilitanda abundans eſt, quòd eius fides declaretur. 40.



*Virtus præclara hominis nobilitas.*

41. Secundò. Grauitas morbi, *quæ fluxum ſanguinis patiebatur duodecim annis.* Et hæc magna infirmitatis acerbitas ex triplici capite notatur in littera. Primò ex ipſa natura morbi, *fluxum ſanguinis patiebatur.* Propter multam vim morbi ita debilitata erat natiua virtus, vt ſanguinem intra venas non poſſet retinere: ſed foris emittebat, quod eſt valde periculoſa ægritudo. Vnde hæc mulier dicitur Hæmorrhoiſſa, à Græco nomine, & etiam Perſico, fluxum ſanguinis ſignificante. Secundò, grauitas morbi declaratur, à diuturnitate, erat enim à duodecim annis, vt ita magis comprobaretur magnitudo miraculi. Tertiò, hoc etiam patet, à difficultate ſanationis, ſiquidem ait D. Lucas, *quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari.* & explicatiùs D. Marcus, *& fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & nihil profecerat, ſed magis deteriùs habebat.* Arabicus legit. *Sed magis addiderat dolorem.* Et notat D. Bonauentura, quòd *Lucas medicus hoc tacet, medicis curialiùs loquens.*

*Grauitas morbi.* Arab. *Augent ſæpe medicamenta dolorem.* Bonauent.

42. Tertiò. Mulieris ſolicitudo. *Cùm audiſſet de Ieſu*, ait D. Marcus, ſcilicet, eius aduentum, de cuius fama multa cognouerat, & cùm iam eſſet à medicis derelicta, ad Chriſtum acceſſit; quod eleganter ponderat Chryſologus *ſerm.* 35. vbi ait, *In arduis languoribus dat crebro conſilium vis doloris; in deſperatis cauſis eſt ſæpe magiſtra neceſſitas; inuenit ipſa ſibi paſſio medicinam.* & aduertit D. Hieronymus, quòd hæc mulier non acceſſit ad Dominum in domo, vel vrbibus; ſed in itinere, quia talem fluxum ſanguinis ſuſtinens ſecundùm legem à ciuitatibus excludebatur, *Leuit.* 15. *num,* 18.

Chryſolog. *In arduis neceſſitas dat conſilium.* Hieron.

43. Quartò. Humilitas mulieris, *acceſſit retrò.* quia ita demiſsè de ſe iudicabat, vt ſe putaret indignam, quòd in facie coram Domino appareret; & magis proximè ad litteram, quia timebat, ne repelleretur à turba ob proprij morbi fœditatem.

Quintò. Magna mulieris veneratio, ac reuerentia in Chriſtum, *tetigit fimbriam veſtimenti eius.* hoc eſt, vltimam oram, ac partem veſtimenti Chriſti: & perpende, quòd mulier cùm longè eſſet à Chriſto, vt patet ex ſequenti verſu, dicebat, *ſi tetigero veſtimentum eius, ſalua ero.* Ad Chriſtum verò cùm appropinquauit, illius diuiniſſimæ maieſtatis tantam reuerentiam concepit, vt iam non audeat tangere veſtimentum, ſed vltimam illius extremitatem, ac filum.

*Ex præſentia Chriſti magna reuerentia.*

44. Sextò. Vera animi compunctio. *Dicebat intra ſe*, non ore, non externis verbis, ſed, *intra ſe.* hoc eſt, in corde ſuo, in anima ſua. Diſce Chriſtiane. Vis accedere ad Deum, non ſolùm dicas ore, ſed corde; parum proſunt externa verba, ſi cor longè eſt à Deo, & abeſt dicere intra te, ſeu in anima tua. Septimò. Magna fides mulieris. *Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.* Hæmorrhoiſſa audierat, ſeu fortè viderat, Chriſtum impoſitione manuum multos ſanaſſe; tamen tam efficax, ac certum iudicium de Chriſti Domini virtute conceperat, quòd etiam leuiſſimo tactu alicuius particulæ eius ſacratiſſimæ veſtis, ſalutem ſibi certiſſimè ſperabat. de quo iterum *quæſt.* 9.

*Vt ad Chriſtum accedas, dic corde.* *Fides mulieris.*

---

## QVÆSTIO VII.

### *Quænam eſſet hæc mulier, & quid ſignificet?*

MVLIER hæc Gentilis, & valde nobilis erat, Chriſti beneficio, quo curata eſt à fluxu ſanguinis, multum celebris, & ne tanti beneficij memoria aliquando excideret, pro foribus domus ſuæ rem geſtam æneis ſtatuis, nam ſui ipſius genibus flexis ante Chriſtum, quàm ipſiuſmet Domini manum illi porrigentis perpetuò poſteris commendauit. Ad pedes autem imaginis Chriſti in ipſa baſi, inuſitata quædam herbæ ſpecies naſcebatur, quæ vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuiſſet, morbi cuiuſcumque medicandi vim habebat; quæ omnia à ſe viſa teſtatur Euſebius Cæſarienſis *lib.* 17. *hiſtor. cap.* 14. & idem referunt Theophylactus *hîc*, & Sozomenus *hiſtor. tripart. lib.* 6. *cap.* 15. Hanc autem ſtatuam Iulianus Apoſtata Chriſti inimicus deiecit, & ſui ipſius effigiem eius loco collocauit; ſed hæc fulmine icta diſſoluta eſt, vt citatus Sozomenus refert *lib.* 6. *cap.* 10. 45.

*Mulieris gratitudo.* Euſeb. Theoph. Sozomen.

Ex quo non mihi videtur veriſimilis ſententia Ambroſij *lib.* 6. *de Salomone cap.* 5. D. Bonauentura *cap.* 8. *Luc.* ad illa verba, *acceſſit retrò.* hanc mulierem fuiſſe Martham ſororem Magdalenæ. Nam Martha ſuum domicilium habebat Bethaniæ iuxta Hieruſalem, & non in Cæſarea, quæ Gentium ciuitas extiterat. Deinde, vt argumentatur Baronius *in Epitome Spond. ann. Chriſti* 31. *num.* 28. hæc mulier non potuit eſſe Martha, cùm non liceret vllo pacto Iudæis ſimulachrum cuiuſuis quauis occaſione formare. Euangelium Nicodemi, hanc mulierem vocat *Veronicam*, quæ Chriſto tendenti ad crucem, linteum ad ſudorem tergendum exhibuit, in quo ſacra Chriſti effigies expreſſa manſit; ſed Euangelium hoc eſt apocryphum. 46.

Ambroſ. Bonauent. *Hæc mulier non fuit Martha.* Baronius.

Quantum verò ad ſenſum myſticum, Gentium, ac Iudæorum myſterium ſignificari, communis eſt ſententia. Et primò D. Hilarius, D. Ambroſius, D. Hieronymus, & D. Paſchaſius, dicunt, quòd ſicut Archiſynagogus primò pro ſuſcitanda filia ad Chriſtum venit: ſed hæc mulier veluti è tranſuerſo occurrens, priùs à Chriſto ſanata eſt; poſtea verò filia Principis ad vitam reuocata; ſic & Iudæi primò ad populum Dei vocati ſunt, ſed cùm illi contemnerent, Dei miſericordia Gentium plenitudo per fidem prior ad Eccleſiam acceſſit; poſt quam Iudæorum plenitudo veniet, iuxta illud Pauli, *cæcitas ex parte contigit Iſraël, donec plenitudo Gentium* 47.

Hilar. Ambroſ. Hieron. Paſchaſ. *Gentes, & Iudæi adumbrantur.* Rom. 11.

*tium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret*, Roman. 11. num. 25.

48. Rupert. Secundò. Rupertus *lib. 8. in Matth.* ait, quòd hæc mulier infirmari cœpit, quando filia Archiſynagogi nata eſt; nam, vt ex Euangelio patet, adoleſcentula exhalauit ſpiritum duodecimo ſuæ ætatis anno; mulier autem hæc curata eſt duodecimo anno ſuæ infirmitatis. Igitur quando puella data eſt in lucem, cœpit hæc mulier infirmitate laborare; & quando ſanata eſt mulier, tunc puella mortua eſt.

*Tunc Eccleſia Gentium cœpit reuiuiſcere, quando Synagoga mortua eſt.*

Quid hoc Sacramento pulchrius, verius, ac præſtantius, ait Rupertus. Quando enim Synagoga in Patribus Abraham, Iſaac, & Iacob nata eſt, tunc idololatriæ morbus, ac fluxus in Gentibus fluere cœpit; quando autem multitudo Gentium credendo in Chriſtum ab huiuſmodi fluxu per fidem ſuam ſanata, & ſalua facta eſt; tunc Synagoga nimis ægra multis iniquitatibus omnino per inuidiam mortua, & ſine Deo facta eſt.

49. Ambroſ. Tertiò. D. Ambroſius, mulier hæc omnem ſuam ſubſtantiam erogauerat cum medicis, & peius habebat; ſic Gentes omnia ſua conſumpſerant cum falſis diis, & peiores extiterant.

Euſeb. Gall. *Falſi magiſtri mali medici.*

Euſebius Gallicanus *in Dominic. 24. poſt Pentecoſt.* Per medicos, Philoſophos, ariolos, ac falſos magiſtros interpretatur, quorum conuerſatione, ac amicitia Gentes erant à veritate aberrantes, nec ad veritatem venire poterant. Multæ aliæ combinationes poſſunt fieri ex fœtore, & morbi acerbitate, fluxuſque ſanguinis cum idololatria; ac tandem quòd mulier acceſſerit retrò, vt ex Beda notabo *quæſtione ſequenti.*

## Qværstio VIII.

### *Quare mulier acceſſerit retrò ad Chriſtum, vt tangeret eius veſtem?*

50. Non clamat mulier, vel rogat pro ſua ſalute, vt Archiſynagogus, vel cæcus; ſed tacens è retrò venit ad Chriſtum. Ad quod primò reſpondeo, quòd mulier ita venit, à tergo nempe, & tacens, quia voluit latere: & diſpoſuit, non palam, ſed abſconditè accedere.

*Mulier hæc voluit abſcõditè venire.*

Quod ex duplici coniectura textus colligo. Nam de illa ait D. Lucas hoc cap. 8. num. 47. *Videns autem mulier, quia non latuit, tremens procidit ante pedes eius*; ergo mulier voluit latere. Secundò. De ipſa ait D. Marcus, *Venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius.* Expende illud, *venit in turba.* id eſt, tanquam circunſepta turba, vt veluti quadam confuſione palàm non videretur, ac agnoſceretur. Cur autem voluit latenter venire; adhuc inquirendum eſt.

51. Optatus. Ambroſ. Paſchaſ. Primò ergo venit ſecretò, & abſconditè, vt notant Optatus Mileuitanus *cit. lib. 5.* & D. Ambroſius *lib. de Salomone cap. 5.* quia turpi, & fœtido morbo laborabat; & tamen, vt notat D. Paſchaſ. *lib. 5. in Matth.* accedit, *maluit fidei trepidante conſilio ex fiducia iudicari, quàm de tam fœtido vulnere ſic perire.*

*Abiiciant peccatores timorem noxium, & Chriſtum quærant.*

Audeant hoc ſceleſti, & immundi, abrumpant pudorem noxium, & aſſumant conſilium fidei, & viam ſalutis inueniant.

Secundò. D. Thomas, Abulenſis *quæſt. 97.* & maximè ad litteram. Occultatim metu venit, timebat ne à turba, cui ſe admiſcuerat, abiiceretur, quippe lege immunda, & contagioſa erat, *Leuit. 15. num. 25.* 52. D. Thom. Abulenſ.

Acceſſit ergo clam, vt veluti quodam pio fidei furto Chriſti virtutem arriperet. Quod perbellè ponderauit Chryſologus ſermon. 35. *Cùm tangit*, ait, *fimbriam Chriſti, tunc diuini pectoris pulſat arcanum, & furto fidei ſummam rapuit de fimbriæ ſummitate virtutem. Fœlix fraus, quæ & lucrum ſalutis contulit, & damna ſuſtulit mox pudoris.* Idem ferè habet Græcus *in Catena Diui Thomæ ad cap. 8. Lucæ.*

Chryſol. *Pro furto aliquando fidelis vult bonum comparare.*

Tertiò. Abulenſ. *citatus*, quia facilius erat mulieri accedere retrò, quàm antea. 53 Abulenſ.

Namq; ſi voluiſſet anteriorem Chriſti fimbriam, incuruando ſe coram ipſo, tangere, Domini greſſum impediret, & ita à Domino interrogaretur, ac proinde neceſſarium erat ei preces fundere, ex quo ſine dubio agnoſceretur, quod ipſa volebat. Quartò. Albertus Magnus hoc eius adſcribit humilitati, quia ſe iudicauit indignam Domini aſpectu; vnde in tantum ſublimata eſt à Chriſto, vt non ſolùm Dominus in eam coniiceret oculos, ac cum ea loqueretur, ſed etiam vt filiam vocaret, quod nulli alteri mulieri conceſſum legimus in Euangelio,

Albert. Mag. *Humilitas mulieris exaltatur.*

Quintò. D. Chryſologus ſermon. 34. *Agebat mulier*, ait, *vt ſibi & rediret ſanitas, & verecundia non periret; curabat, ne cura ſua ad curantis redundaret iniuriam; prouidebat vt redderetur ſibi ſalus, ſalua reuerentia Saluatoris.* 54. Chryſolog.

Magna mulieris fides, non permittebat eam dubitare de ſalute aſſequenda, & tamen permittebat maximè aſpectum Domini formidare. Agnouerat ſe mulier eſſe immundam, fœtido, & turpi morbo laborare; reuerentialiter ergo timebat, ne tactu, ac præſentia ſua aliquod iniurioſum, ac minus decens benefactori ſuo faceret. Ita enim deſiderauit ſalutem ſibi obtinere, vt dignitati, & Chriſti auctoritati conſuleret, ne in aliquo ſumma eius maieſtas læderetur. Vnde reprehendendi ſunt illi, qui tantùm bono ſuo ſtudent, ſuorum contempta authoritate dominorum.

*Animus rectus vult ſibi bona, illæſa Domini reuerentia.*

Sextò. Beda myſticè. Quòd hæc mulier venit retrò ob myſterium, quia Gentes in ea adumbrabantur, quæ crediderunt in Chriſtum viſibiliter abſentem, nempe poſt aſcenſionem eius in cœlum, de quibus dictum eſt, *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, Ioann. 20. & dum Dominum ſic viſibiliter abſentem credimus, fidei meritum habemus, & multò certiorem cognitionem, quàm illam, quæ corporalibus oculis comparatur; ſicut hæc mulier diuina fide illuſtrata, quamuis à tergo eſſet, multo maiorem habuit cognitionem de Chriſto, quàm multi illorum, qui eius faciem intuebantur. 55. Beda. Ioan. 20.

Rogabat auarus Abrahamum, vt mitteret Lazarum in domum Patris, ob fratres, quos habebat; *ſi quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent*, Luc. 16. num. 30. Cui Abrahamus reſpondit; *ſi Moyſem, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Moyſes, & Prophetæ ſublati erant ab oculis eorum, ille autem nouus Prædicator è defunctis mittendus ante eorum aſpectum verſaretur; qua ergo conſequentia dicitur, quòd ſi abſenti Moyſi non credunt, nec nouum illum præſentem audient Prædi- 56. Luc. 16.

*Fides certior omni oculorum cognitione.*

Prædi



catorem. In Moyſe, & Prophetis attendebatur fides, in illo autem Prædicatore corporalis viſus, & fides ſemper oculorum viſionem ſuperat; & ſi fides animum non inclinat, minimè id præſtabit oculorum obtutus.

Zeno. D. Zeno in ſermone de Reſurrect. *Habent*, inquit, *Moyſem & Prophetas, quibus ſi non credunt, neque illi, qui hinc miſſus fuerit, credituri ſunt*; euidenter oſtendens, non in oculis eſſe carnalibus verum, ſed in fide credentium conſtitutum.

## Qværstio IX.

### *Quare mulier voluerit tangere fimbriam veſtimentorum Chriſti?*

57. Fimbriæ erant vittæ quædam hyacinthini, ſeu cœleſtis coloris, quas Deus mandauit populo ſuo veſtimentorum angulis, tan à parte anteriori, quàm poſteriori, apponere, vt illo ſigno manifeſto, & exteriori populus ille electus Dei à cæteris mundi nationibus diſtingueretur, & vt Iudæi illas portantes mandatorum Dei recordarentur, & ita excitarentur ad illorum obſeruationem, *Num. 15. num. 38.* & hac de cauſa fimbriæ erant cœleſtis coloris, vt videndo illas, vt notat Abulenſis *quæſt. 94.* totam ſuam intentionem haberent in cœlum.

*Quare fimbriæ geſtabantur in veſtimento.*

Abulenſ. *Princeps retineat ſibi veſtimentorum formam, quam ſubditis dat.*

Notandum, quòd illam veſtimentorum formam, quam Deus dedit populo ſuo, hanc ipſe veniens in mundum, retinuit. Hac ergo de cauſa Chriſtus Dominus, iuxta Iudæorum conſuetudinem in ſuo veſtimento fimbrias habebat.

58. Quærimus ergo, cur hæc mulier non Chriſti tangit veſtimentum, ſed fimbriam? Reſpondeo primò, iuxta ea, quæ dixi ſuperiori quæſt. hæc mulier voluit latenter accedere ad Chriſtum; ergo non tangit aliquam partem ſuperiorem veſtimentorum, quia tunc facilè eius tactus percipi poterat; ſed fimbriam, quæ erat pars deiecta, maximè apta ad occultationem; & tangendam, quin tactus perciperetur. Quod totum factum eſt diuina ordinatione, vt tanto magis Chriſti diuinitas manifeſtaretur, quanto minus perceptibilem tactum, etiam comprimentibus turbis, diſtinctiùs agnouit, ac ſenſit.

*Germana ratio.*

59. Idem. Secundò. Abulenſis *quæſt. 95.* Tangit fimbriam, vt ſecretò tangat, nam mulier hæc erat immunda, & non licebat ei tangere quenquam, quia iuxta legem *Leuitic. 15. num. 18.* quæ mulier fluxum ſanguinis ſuſtinens tangebat, polluebat, & quicunque illam tangeret, pollueretur. Secretò ergo tangit, vt murmurantium calumniam declinaret, & quia agnoſcebat Chriſtum verum Deum, optimè ſciebat, ipſum nullo tactu noſtræ infirmæ carnis contaminari; bene ergo interpretata eſt legem, Dominum illius non illi ſubiici; ac proinde valde confiſa de Domini bonitate, accedit, & tangit.

*Deus non contaminatur vlla ſpurcitia noſtra.*

Tertull. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 20. *Sic eum tangit mulier, non vt hominem ſanctum, aut Prophetam, quem contaminabilem pro humana ſubſtantia ſciret, ſed vt ipſum Deum, quem nulla ſpurcitia pollui poſſe præſumpſerat. Itaque non temere interpretata eſt legem ſibi, ea contaminari ſignificantem, quæ eſſent contaminabilia, non Deum, quem in Chriſto confidebat.*

Chryſol. Quod etiam docet Chryſologus ſermon. 35. *Nam ſi ſol tangit ſtercora, non tamen ſtercoribus inquinatur, quanto magis creator Solis tangit omnia, & tamen non poteſt vllis contactibus inquinari.*

60. Idem. Tertiò. D. Petrus Chryſologus ſermon. 34. *In Chriſti fimbria diuinitatem totam videt inhabitare.* Non quærit mulier tangere manus Chriſti, non veſtem ſuperiorem, ſed vltimam oram veſtimenti, agnouerat enim, quidquid Chriſti erat etiam in vltima ſuperficie, totum manare virtute, & ſanctitate, & bonitate.

*Quidquid eſt in Chriſto, ſanctitate emineat.*

61. Chryſolog. Quartò. Idem Chryſologus *ſermon. 35.* ſic ait, *In Chriſto nihil poſtremum credidit, nihil iudicauit extremum, quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria: hinc eſt, quod mulier per dorſum peruenit ad faciem, per veſtimentum penetrauit interna, & per fimbriam capitis tetigit ſummitatem.* Prudens mulier vt obtineret ſanitatem, quam vehementer optabat, nihil aliud curat, niſi tangere vltimam partem veſtimenti Chriſti, agnoſcebat enim in Chriſto nihil exiguum, & extremum; ſed omnia ſublimia, & excelſa, vndique omne bonum redundantia, & ita per dorſum peruenit ad faciem; & per externum veſtimentum ad alta arcana, quæ in Chriſto latebant; & per fimbriam ad ſummitatem diuinæ virtutis, quam in propria ſalute eſt experta.

*In Chriſto omnia excelſa, & magna.*

62. Gaudent. Quintò. D. Gaudentius *ſermone in dedicatione Baſilicæ*, hoc attribuit fidei mulieris, & ſic ait, *attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, & ſalutem quam præſumpſerat, acquiſiuit.* Magna fuit fides huius mulieris, quæ non ſolùm tangendo carnem Chriſti, ſed etiam eius veſtem, ſibi ſperabat ſalutem. Preme illa vltima verba, *quam præſumpſerat*, nam tam præpotens eſt fides, vt quidquid hominis præſumptio effingere valet, hoc totum impetret, ac aſſequatur firma fides.

*Fides aſſequitur quidquid homo præſumit.*

Remigius. Bernard. Sextò. Diuus Remigius hoc adſcribit eius humilitati. Septimò. Diuus Bernardus *Sermone de quatuor modis orandi.* Per fimbrias veſtimentorum Chriſti, intelligit Sanctos, & ſeruos Dei, ac proinde ſi ſalutem, ac bonum conſequi volumus, ad ipſos ſeruos Dei extendamus manus noſtras in obſequiis.

*Patrocinium Sanctorum quærendum.*

63. Chryſol. Non prætermittam hìc aduertere, id quod eleganter docet Chryſologus ſermon. 34. *Audiant Chriſtiani, qui quotidie corpus Chriſti attingunt, quamnam de ipſo corpore poſſunt ſumere medicinam, quando mulier totam rapuit de ſola Chriſti fimbria, ſanitatem? Sed quod nobis flendum, eſt, mulier de vulnere medicinam tollit; nobis medicina ipſa retorquetur in vulnus.* Mulier ex tactu fimbriæ veſtimenti reportauit ſanitatem, acceſſit cum fide, & humilitate, ideo fimbriam tangit; acceſſit cum reuerentia ac compunctione grauitatem ſui morbi agnoſcens, ideo à tergo venit, non audens Chriſti faciem aſpicere, ac proinde ſanitatem ſuo vulnere impetrauit. At ſæpe multi illis virtutibus deſtituti, & in peccatis obdurati ad menſam Domini conueniunt, & ideo ipſa medicina reflectitur eis in vulnus. de quo alibi multa dixi.

*Vt fructus Euchariſtiæ percipiatur, diſpoſitio præmittenda.*

Marc. 5.

*Marc.5.n.30.* Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutē, quæ exierat de illo, cōuerſus ad turbam aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea?

*Ibid.num.31.* Et dicebant ei diſcipuli: Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit.

*Ibid.num.32.* Et circunſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

*Ibid.num.33.* Mulier verò timens, & tremens, ſciens quod factū eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

*VERSIONES.*

*Græcus.* Statim Ieſus cognoſcens potentiam ad ſanandum, quæ exierat de illo.

*Syrus.* Cognoſcens in anima ſua.

*Theophyl. & Vatablus.* Cognoſcens virtutem ex ſe ipſa prodiſſe.

*Syriac. n.31.* Vides turbas quæ opprimunt te.

ALTER TEXTVS.

*Luc.8.num 45.* Et ait Ieſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autē omnibus dixit Petrus, & qui cū illo erant: Præceptor, turbæ te cōprimunt, & affligunt, & dicis, qui me tetigit?

*Ibid.num.46.* Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exiſſe.

*Ibid.num 47.* Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam cauſam tetigerit eum indicauit corā omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.

## *EXPOSITIO.*

64. STATIM *Ieſus in ſemetipſo cognoſcens.* In ipſomet puncto in quo mulier tangendo ſanata eſt, agnouit Chriſtus virtutem, ac vim ab illo emanaſſe ad ſanitatem illam operandam. *Quis tetigit veſtimenta mea.* Non ignorans interrogat, qui in tanta turba leuiſſimum veſtimenti tactum perceperat; ſed interrogat, vt mulier quæ tetigerat, magnum Dei opus, ac miraculum, in eius gloriam fateatur. Nec interrogat, vt ait Caietanus, qui tetigerit corpore, ſed fide. *Dicebant diſcipuli.* Dominus cum turbis locutus fuerat, tamen diſcipuli tanquam principaliores reſpondent. Lucas ait *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* tanquam quod Petrus ex omnium conſenſu, locutus fuerit, vt vult Toletus. Vel quia Petrus incepit, & poſtea alij cum eo locuti ſunt. *Vides turbam comprimentem te.* Hoc eſt, ipſa turba tanto affectu rapiebatur ad Chriſtum, vt tangendo ipſum comprimeret, ſeu premeret. Addidit Lucas, *comprimunt, & affligunt*, quia nempe Dominum vehementer coarctabant.

Caietan.

*Diſcipuli vt principaliores reſpondent.*

Tolet.

65. *Et circunſpiciebat videre eam.* Neglecto diſcipulorum reſponſo, circunferebat Chriſtus oculos in turbam humano modo ſe habens, quaſi eam, quæ tetigerat, noſcitare ſtudens. *Mulier vero timens, & tremens.* Vbi mulier videt factum ſuum eſſe agnitum, & ſe latere non potuiſſe, timet, & tremit, quod indicat magnum timorem, nam cùm ipſa eſſet immunda, agnouerat mundum Chriſtum tetigiſſe, & beneficium ſanitatis Chriſto inſcio quaſi furatam fuiſſe, vt iam dixi ex Chryſologo. Ideo hac de cauſa maximè timebat, ne à Chriſto increparetur, & fortè etiam, ne beneficium iam communicatum auferret.

*Senſus literæ.*

## QVÆSTIO X.

### *Quare comprimentibus turbis Dominum quærat ipſe, quis eum tetigerit?*

66. CHRITVS Dominus omnium agnitor, optimè cognoſcebat mulierem, quæ eum tetigerat; nam, vt pulchrè ait Chryſologus ſermon. 33. *Erat in Chriſto corpus multiplex, ſed erat Deitas ſimplex, erat totus oculus, qui poſt ſe ſupplicem ſic videbat.* Chriſtus Dominus totus oculus apertè videbat ea omnia, quæ à tergo erant. Et preme verba illa, *qui poſt ſe ſupplicem ſic videbat.* Mulier humilitate venerat, & quanto magis ob ſuam dimiſſionem ſe volebat abſcondere, tanto magis à Domino intuebatur, cuius oculos maximè rapit humilitas, vt illi qui latibula quærunt, vt ſe abſcondant, ſemper à Domino ad magna, & alta vocantur.

Chryſolog.

*Chriſtus videt abſconditos, & humiles.*

67. Turbæ Dominum comprimebant, ac maximè coarctabant, & tamen ipſe interrogat, *Quis me tetigit.* Loquitur non de tactu corporeo, ſed de tactu, qui ex fide, & animo eſt, quo mulier illa ſola tetigit, non autem turbæ comprimentes, & coarctantes, vt explicant Victor Antioch. *in 5. Marc.* Euthym. D. Bonauent. *in 8. Luc.* vnde præclare ait D. Auguſtin. ſermon. 72. de tempore. *Corpus ergo Chriſti multi moleſtè premunt, pauci ſalubriter tangunt.* Et nota maximè in hac conſideratione, quòd apud Lucæ textum habet, *ait Ieſus: Quis me tetigit. Dixit Petrus, turbæ comprimunt te, & affligunt & dicis: Quis me tetigis.* Vnde notandum, quòd turbæ, quæ tantùm corpore accedebant, & Chriſti virtutem non participabant, ipſum comprimunt & affligunt, at mulier, quæ cum reuerentia, & veneratione venerat, & de fontibus Saluatoris hauſerat, non comprimere, ſed tangere dicitur à Domino, *Quis me tetigit.* Qui indignè ad Chriſti menſam accedunt, ipſum comprimunt, & affligunt; qui verò cum reuerentia, ac veneratione, ipſum ſalubriter tangunt, vt hæc mulier experta eſt.

Antioch.
Euthym.
Bonauent.
Auguſt.

*Qui corpus Chriſti indignè ſumunt, ipſum comprimunt, & affligunt.*



68. Noſtra tamen quæſtio maximè id inquirit, cur Chriſtus interrogat, quis eum tetigerit, cùm optimè, ac diſtinctè omnia agnoſceret. Reſpondeo primò. Vt mulier ore proprio Chriſti virtutem ac miraculum fateatur, vt ita re viſa, & cognita manifeſtum, ac apertum fiat teſtimonium, vt inde omnes inflammentur, vt in Chriſtum credant, ac eius fidem concipiant; & diſcant qualiter ad Chriſtum ſit accedendum, nam quamuis multi eum comprimerent, tamen hæc ſola mulier quæ eum fide, & deuotione tetigit, eius fructum participauit.

*Ex beneficio mulieris, vult Chriſtus, vt alij illuminentur.*

79.
Auguſt.
Chryſolog.

Tertiò. Vt oſtendatur magna mulieris fides. Nam, vt ait D. Auguſtinus *lib. contra mendac. cap. 13.* & D. Chryſologus *ſermon. 36.* imò, & iuxta Marcum, Chriſtus dum interrogat, *circunſpiciebat videre eam*, oſtendens in externa apparentia neſcire, & tamen mulier ipſum fatetur Deum omnia ſcientem, omnium agnitorem. O magna fides, quæ repugnantiam ignorantiæ cum diuinitate, quam videbatur audire, vincit, & ſuperat; & inter verba, ac geſtus aliqualiter in apparentia inſcientiam indicantes, introſpicit ipſum omnia ſcire, omnia penetrare. De hac fide mulieris, ait D. Chryſologus ſermon. 36. *Vox ergo inquirentis Domini illuſtrauit fidem, & illam, quæ noctis latebat in tenebris, ipſo ſole reddidit clariorem.* Quanto enim fides difficiliora amplectitur, tanto excellentior, & glorioſior nitet, & reſplendet.

*Fides maximè inter repugnantias elucet.*

Idem.

70. Filios in glorioſa generatione promittit Deus Abrahamo, & tunc dicitur, *Credidit Deo Abraham, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*, Geneſ. 15. num. 6. Abrahamus vt fidelis antea Deo credidit etiam promittenti largas benedictiones, vt quando mandauit ei exire de domo ſua, & tunc non dicitur, ſed modò, *quod reputatum ſit ei ad iuſtitiam.* In præſenti euentu maximè nobilitata eſt eius fides, dum credidit valde difficilia; quòd, ſcilicet ipſe eſſet iam longæuus ætate, corpus ſuum iam habens demortuum, filios in fœlicem, & auſpicatam generationem procrearet. Pererius ſic ait. *Ad maximam Dei gloriam ea fides pertinuit, dum enim Abraham promittenti Deo, quæ iudicio hominum incredibilia videbantur, atque omnem naturæ vim excedebant, tam promptè, ac perfectè credidit.*

Gen. 15.

*Fides tunc glorioſior, quando difficilia ſuperat.*

Pererius.

## QVÆSTIO XI.

### *Quare dixit Chriſtus virtutem à ſe exiſſe, non verò à ſe eſſe emiſſam?*

71. SACRATISSIMA Chriſti Domini humanitas vim habebat, ac virtutem ad miracula operanda, ſanitatemque conferendam, quæ virtus erat potentia obedientialis actiua in rebus ipſis exiſtens, per quam efficere poſſunt ſupernaturalia opera tamquam inſtrumentum Dei. ita D. Thomas *in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 3. ad 4.* Caietanus 3. *part. quæſt. 78. art. 4.* Suarius *tom. 1. ad 3. part. diſp. 31. ſect. 5. §. dicendum ergo.* Alij volunt, non ſolùm Scholaſtici, ſed etiam noſtri expoſitores, vt Abulenſis *quæſt.* 102. Salmeiron, Barradas, Cornelius, quòd hæc virtus in Chriſti humanitate fuerit moralis, ſiquidem ſecundùm humanitatis voluntatem, ac tactum Deus miracula patrabat. Tamen prima opinio videtur probabilior, ob excellentiam humanitatis Chriſti.

*Quomodo Chriſti humanitas miracula operabatur.*

D. Thom.
Caietan.
Suarius.

Abulenſ.
Salmeiron.
Barradas.
Cornel.

Tamen maximè hîc ponderandum illud Chriſti verbum. *Ego noui virtutem exiiſſe de me.* Non enim ait, virtutem à ſe eſſe datam, & communicatam, ſed exiiſſe. Planum & manifeſtum eſt, quòd illa virtus prodiit, ac manauit ex nutu voluntatis Chriſti; cur non ait, à ſe eſſe emiſſam, ſed illam exiiſſe. Chriſtus Dominus, vt dixi ſuperiori quæſt. ex Auguſtino, in externa apparentia perſonam veluti agebat ignorantis ſubiectum, in quod illa diuina virtus deriuata eſt, vt ait D. Chryſologus ſermon. 36. *Dum interrogat, velut ignorantiam profitetur; exiſſe virtutem de ſe ſenſit, ad quem exierat, neſcit; quod præſtiterat, nouit, cui præſtiterit, ignorat.* Cùm ergo Chriſtus ſe gereret velut inſcientem de perſona, cui donum collatum eſt, ait virtutem non eſſe à ſe datam, & miſſam, ſed illam exiiſſe; in magnam eruditionem noſtram, vt ita diſcamus, dona non eſſe conferenda ignoto, ſed perſonæ apprimè notæ, nam aliter euenire poterit, vt donum ipſum ſit improportionatum, ac incompetens viribus illius, in quem diſtribuitur, ac diſpenſatur. 72.

Chryſolog.

*Dona non ſunt conferenda homini ignoto, & incognito.*

Secundò. Non dicitur, quòd illa virtus emiſſa fuiſſet à Chriſto, ſed quòd ipſa exiuerit; nam, vt tenent aliqui, hæc mulier erat imperfecta in fide, de quo infrà, exiſtimauit enim, quòd potuerit latere: ergo cùm iſta mulier eſſet in fide debilis, non erat proportionata ad impetrandum, quod optabat, ac ad illud recipiendum à Chriſti manu: non dicitur ergo virtutem datam eſſe à Domino, ſed noui virtutem exiiſſe de me. Quod explicans Author ille Græcus *in Catena D. Thom. ad cap. 8. Luc.* ait, *Paſſus eſt ſpontè ſanitatis rapinam*; veluti noſtro dicendi modo, piiſſimus noſter medicus habet ſe tamquam diſſimulans, & patitur vt virtus ad ſanandam mulierem prodeat, ne videatur, quòd ipſa neceſſitate preſſa, ac anguſtia laborans ad Dominum acceſſit, & abſque medicaminis remedio diſceſſerit, tam efficaciter noſtræ neceſſitates diuina viſcera commouent, vt ſuper miſerum, & afflictum commoueatur. D. Ambroſius lib. 3. de virginib. *Simul vt acceſſit mulier*, ait, *virtutem ſenſit, medicinam impetrauit, vt ſi oculum lumini admoueas illuminatur antequam ſentias, & operatio lucis præuenit apparatum.* Perpende, *vt ſi oculum lumini admoueas.* Eſt enim elegans comparatio, nam idem videtur, neceſſitatem Deo exponere, ac lumen oculo proponere, vt appoſito lumine oculus exerceat ſuam operationem; & expoſita neceſſitate Deo, ipſe ſuam miſericordiam impendat. Vide *cap. 9. n. 10. cap. 6. num. 116. & cap. 17. num. 87. & cap. 24. num. 67.* 73

*Neceſſitas magnā vim habet ad impetrandum.*

Ambroſ.

Tertiò. Hæc mulier ditata erat magna fide, vt communior tenet ſententia, & mihi probabilior, acceſſit tangens magno affectu Chriſti fimbriam pro ſua ſalute deprecans. Ait Chriſtus, *noui virtutem exiſſe de me.* non dixit virtutem à ſe conceſſam, ſed ipſam exiiſſe; tam præpotens eſt orationis vis fundata in fide, & tam valida eſt erga Deum, vt videantur, vt noſtro loquendi modo 74.

*Fides, ac oratio magnam habet efficaciam.*

modo dicam, dona non tantùm ei conceſſa, ſed potiùs ipſamet dona ad eam exire, confluere, ac conuolare. Quod optimè confirmatur ex ſubiectis verbis Chriſti Domini ipſi dictis mulieri.
Hieron.
*Fides tua te ſaluum fecit.* Vbi ſic ait D. Hieronym. *Non dixit, fides tua te ſaluam factura eſt, ſed ſaluam fecit, in eo enim quòd credidiſti, iam ſalua facta es.*

75. Matth. 9.
Prætereunte Chriſto Domino clamant duo cæci ad Dominum, vt eis miſereatur, quibus ipſe ait, *ſecundùm fidem veſtram fiat vobis*, Matth. 9. num. 29. Sed cur non ait Dominus, aperiantur oculi veſtri, fiat vobis lumen oculorum; ſed totum negotium fidei remittit, tanquam ſi diceret, fides veſtra quaſi mea ſit omnipotentia, vt ad illius menſuram diſtribuatur vobis donum.
Albert. Mag. *Fides impetrando diuinam omnipotentiā æmulatur.*
Albertus Magnus ibi, *Hæc omnia poſſibilia ſunt credenti. Attribuuntur fidei miracula facere, quoniam ipſa credendo extendit ſe ad omnipotentiam.* Quod comprobat ex Apoſtolo *ad Hebræos* 11. *num.* 33. de ſanctis Prophetis dicens. *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, extinxerunt impetum ignis*, &c. Hæc quæ diximus de fide, intelliguntur meritoriè, vt dicam ſequenti expoſitione.

*Matth. 9. n. 22.* At Ieſus conuerſus, & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit, & ſalua facta eſt mulier ex illa hora.

*VERSIONES.*

*Euthymius.* Ieſus autem conuerſus, ac intuitus eam.

*Syriacus.* Conuerſus autem reſpexit eam, & dixit ei: Bonoſis animo, filia mea, fides tua ſeruauit te.

*Vatablus.* Fides tua ſaluam te reddidit, & ſanitati reſtituta eſt mulier ab illa hora.

ALTER TEXTVS

*Marc. 5. n. 34.* Ille autem dixit ei: Fil a, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.

*Lucæ 4. n. 48.* At ipſe dixit ei: Filia fides tua te ſaluam fecit; vade in pace.

## *EXPOSITIO.*

76.
VIDENS mulier, quòd iam eſſet cognita, & latere minimè potuiſſe, tota perterrita procidit ante pedes Chriſti, vt ponderat Chryſoſtomus *homil.* 32. ne Chriſtus ſibi ſanitatem veluti furtim acceptam auferret, vel alio modo puniret. Conuerſus Ieſus, & videns mulierem cum tanto timore, ac tremore, ait illi, *Confide filia*, hoc eſt, bono animo eſto, vt explicatiùs habet Syriacus, nam quod à te geſtum eſt, mihi non diſplicuit, ſed placuit maximè, cùm in te tantam viderim fidem cum certa ſpe obtinendæ ſanitatis; ſemper timentes, & reuerentes Deum, ab ipſo habent ſolamen filia, ſeu, vt habet Syriacus, *filia mea*, quod nulli alteri mulieri dictum à Chriſto, recordor in Euangelio. Filiam dicit, explicant Euthym. *hîc*, & Victor Antioch. *in* 5. *Marci*, ſatis ad mentem Hieronym. ac D. Paſchaſ. quia in filiam erat adoptata per fidem. Vel eſt modus ſuauis appellandi etiam ignotos. Sic & Chriſtus non veſtitum veſte nuptiali, amicum vocauit, 22. *num.* 12. & Iudam etiam in horto, *Marci* 26. *num.* 50.
Chryſoſt.
Syriacus.
Euthym. Vict. Ant. Hieron. Paſchaſ.

77. *Fides ſaluat meritoriè.*
*Fides tua te ſaluam fecit*, illa nempe, qua dixiſti, *ſi tetigero veſtimenta eius, ſalua ero.* Fides te ſaluam fecit, meritorie nempe; nam cauſa principalis, & effectiua miraculorum, diuina eſt omnipotentia; fides autem meritoria, per quam mulier ſalutem impetrauit, *ſanata eſt mulier ex illa hora.* Vt retrò ait Gloſſa, & ſequuntur omnes Recentiores. Non intelligitur de illa hora, qua Chriſtus hæc dixit; ſed de illa, qua mulier eum tetigit. Nam ſic explicat D. Lucas *num.* 43. ſuprà citato in textu. Vbi tetigit, *confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.* Deinde vbi primum ipſa tetigit, ſtatim dixit Chriſtus, *Ego noui virtutem exiſſe de me*, quod verbum denotat effectum curationis ſubſecutum. Deinde, ſi mulier non fuiſſet ſanata, non dixiſſet Chriſtus, *qui me tetigerit*, cùm adhuc per tactum nihil eſſet factum.
Gloſſa.
*Mulier ſanata quando tetigit fimbriam.*

78.
D. Lucas, & Marcus addunt, quòd ei dixerit, *Vade in pace.* Eſt communis, ac conſueta ſalutatio iis, qui ab aliis recedunt, qua bonum euentum imprecatur. Sic Chriſtus ſalutat mulierem, ac ſanitatis adeptæ permanentiam, vt notat Origenes, impartitur. Marcus etiam ſcribit, *& eſto ſana à plaga tua.* Græcè, *à flagello tuo.* nam morbi flagella Dei ſunt. Victor. Antioch. *in Marc.* vult hæc interpretari dicta, non ſolùm de plaga corporali, ſed etiam de plaga animæ ob mulieris peccata. Et quamuis verum exiſtimem, quòd mulier à Chriſto obtinuerit veniam ſuorum peccatorum; tamen hæc verba videntur directè tendere ad plagam, ac morbum corporis, de quo erat ſermo.
Origen. *Morbi flagella Dei.* Antioch.

## QVÆSTIO VII.

### *Quanta fuerit fides huius mulieris?*

79. Chryſoſt.
MVLIEREM imperfecta fide Chriſtum tetigiſſe, docent Chryſoſtom. *homil.* 32. vbi ſic ait. *Nondum ipſa rectè de Chriſto ſentiebat.* Idem docet Author ille Græcus citatus *in Catena D. Thomæ*, & non diſplicet Abulenſi *quæſt.* 109. & fundatur hæc ſententia in iis, quæ cum communi placito ſuprà diximus, quia iſta mulier tetigerit retrò fimbriam, quia latere voluit, & arbitrata eſt, illo modo tactum ſuum celare potuiſſe; ſi autem plenè Chriſtum, vt Deum agnoſceret, in illam cogitationem non veniſſet, cùm omnia Deo ſint manifeſta, & aperta.
Abulenſ. *Fundamentum huius ſententiæ.*

80. Tertul.
Oppoſita ſententia, & mihi probabilior tenet, mulierem recta, & perfecta fide Chriſtum tetigiſſe. Docet Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcion.*



Diuus Chryſologus *ſermone* 33. 34. *&* 35. Diuus Gaudent. *ſermone* 1. *in dedicat. Baſilicæ.* D. Hieronymus Remig. Paſchaſ. Rabban. & multi alij *hîc.* & placet etiam Abulenſis *citato.* Primò. Quia omnes Patres magnis extollunt encomiis fidem huius mulieris, quæ non poſtulauit impoſitionem manuum Chriſti, nec eius corpus auſa eſt tangere, aut aliquam partem ſuperiorem veſtium, ſed vltimum filum, & tamen ſperabat, hoc tantummodo ſufficere ad obtinendam ſalutem.
Chryſolog. Gaudent. Hieron. Remigius. Paſchaſ. Rabban.

81. *Confirmatur ſecunda ſententia.*
Secundò. Quia totum hoc miraculum tribuitur à Chriſto fidei huius mulieris. *Fides tua te ſaluam fecit.* nempe illa, qua fimbriam veſtimenti tetigit, quia tunc confeſtim ſanata eſt, vt ait Diuus Lucas, & tunc dixit Chriſtus, *Quis me tetigit, noui virtutem exiſſe de me.* nempe ad ſanandum, vt ſatis explicaui in proxima expoſitione. Ergo fides mulieris erat perfecta, nam aliàs tantum miraculum non ei attribueretur à Chriſto Domino.

82. Remig. Chryſoſt.
Quod autem mulier latere voluerit, hoc eius humilitati adſcribit diuus Remigius, quia ſe conſpectu Chriſti indignam putabat. Vel, vt docet diuus Chryſoſtomus *homilia* 32. hoc proceſſit ex quadam erubeſcentia. nam cùm mulier ſecundùm legem ſe immundam agnoſceret, non audebat ſe in omnium oculis dare, nec publicè Chriſtum tangere. Tertiò dici poteſt, quod hoc extitit quædam, & indeliberata fœminea ignorantia. Vnde diuus Baſilius Seleuc. *oratione* 35. hanc fœminam imprudentem appellauit.
Baſil.

83. Rabb.
Quòd autem Chriſtus ei dicat, *Confide*, hoc eſt, bono animo eſto, vt cum Syriaco explanaui in expoſitione. Vel dic cum Rabbano, quòd ab ea fidei perſeuerantiam poſtulauit. Vel tertiò moraliter, ei ait, *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* cùm mulier iam ſalutem aſſecuta eſſet, eam tamen iubet ſperare: ita enim humanæ res, vita, ſalus, ac bona temporalia ſunt imbecilles, ac tantis periculis obnoxiæ, quòd cum primò obtinentur, iam in fluxu ſunt ad amiſſionem, & ita, vt poſſideantur, ſpes requiritur, qua veluti denuo acceptentur, ac earum perſeuerantia obtineatur; ac proinde ſit ipſa poſſeſſio occaſio deſiderij, & negotiatio fiduciæ. Quod dixit Zeno Veronenſis ſermone de ſpe, & fide. *Primo, ait, nobis proponenda ſpes futurorum, ſine qua nec præſentia quidem ipſa ſtare poſſe perſpicimus. Adeò tolle ſpem, torpet humanitas tota; tolle ſpem, artes, virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt; tolle ſpem, & interempta ſunt omnia.*
*Etiam obtēta bona cum ſpe poſſidenda.*
Zeno.

*Matth. 9. n. 23.* Et cùm veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit, & deridebant eum.

*VERSIONES.*

*Vatablus.* Et cùm veniſſet Ieſus in ædes Primatis; vidiſſetque tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis: Secedite, non enim mortua eſt adoleſcentula, ſed dormit.

*Syriacus.* Turbas tumultū edentes,

*D. Chryſolog. ſermon.* 19. Ingreſſus in domum Principis, vidit ſymphoniam.

*D. Auguſt. lib.* 2. *de conſenſ. Euang. c.* 28. Non eſt mortua mulier.

ALTER TEXTVS.

*Marc. 5. n. 35.* Adhuc eo loquente, veniunt ab Archiſynagogo, dicentes; quia filia tua mortua eſt: quid vltrà vexas Magiſtrum.

*Ibid. num. 36.* Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archiſynagogo: Noli timere, tantummodo crede.

*Ibid. num. 37.* Et non dimiſit quenquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi.

*Ibid. num. 38.* Et veniunt in domum Archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & eiulantes multum.

*Ibid. num. 39.* Et ingreſſus ait illis, Quid turbamini, & ploratis? Puella non eſt mortua, ſed dormit: & irridebant eum. Ipſe verò eiectis omnibus aſſumit patrem, & matrem puellæ, qui ſecum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens.

*Luc. 8. num 49.* Adhuc illo loquente, venit quidam ad Principem Synagogæ dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.

*Ibid. num. 50.* Ieſus autem audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: noli timere, crede tantùm, & ſalua erit.

*Ibid. num. 51.* Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quenquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ.

*Ibid. num. 52.* Flebant autem omnes, & plangebant illam; at ille dixit: Nolite flere; non eſt mortua puella, ſed dormit.

*Ibid. num. 53.* Et deridebant eum, ſcientes, quòd eſſet mortua.

## *EXPOSITIO.*

84. REVERTITVR Euangeliſta ad hiſtoriam Archiſynagogl, *veniunt ab Archiſynagogo*, id eſt, de domo illius. Marcus ait, veniſſe plures. Lucas ait, *venit quidam*. Quia fortè priùs vnus acceſſit, & poſtea plures venerunt, vel quia inter eos vnus principaliter locutus eſt, ſemper ad denuncianda infelicia multi confluunt. *filia tua mortua eſt*. Ex quo patet, quod quando Princeps à domo diſceſſit, adhuc illa non erat mortua. *Noli vexare Magiſtrum*, labore, ac moleſtia itineris, & Chriſtum magiſtrum appellant, ait Victor Antiochen. *in* 5. *Marci*, tanquam doctorem, & medicum. Sed meliùs dicendum cum D. Bonauentura, Magiſtrum vocant, tanquam doctorem diuinæ doctrinæ, qui non humana arte, ſed ſupernaturali virtute curabat.

*Triſtia multi annũtiant.*

Antiochen.

Bonauent.

85. *Ieſus audito verbo, ait Archiſynagogo.* Non reſpondet Chriſtus nuntiis loquentibus, ſed Principi dolenti, ac mœrenti, vt eius dolorem leniret. Vel quia nuntij erant in incredulitate detenti, arbitrabantur enim, Chriſtum non poſſe mortuam ſuſcitare, & ideo dicebant, *noli vexare Magiſtrum*. incredulitas autem indigna eſt Chriſti allocutione. *Noli timere, tantummodo crede*. Expende illud verbum, *tantummodo*, ſolùm fidem poſtulat ab homine, vt mirabilia videat. D. Auguſtinus *lib.* 1. *de conſenſ. Euangeliſtar. cap.* 28. docet hoc Chriſti verbum non fuiſſe dictum quaſi quòd Archiſynagogus non priùs crederet, Chriſtum poſſe ſuſcitare filiam defunctam, ſed fuiſſe dicta per modum confirmantis, & confortantis illum in fide concepta.

*Incredulitas non meretur frui Chriſti colloquio.*

Auguſt.

86. *Non permiſit intrare ſecum quenquam, niſi Petrum.* Noluit Chriſtus, vt in domum ingrederetur tota turba, ne fieret magnus tumultus, & compreſſio nimis, ſed tantùm permiſit intrare Petrum, Iacobum, & Ioannem, tanquam principaliores inter diſcipulos, & patrem, matremque puellæ, quia ad eos maximè hoc negotium ſpectabat, vt omnes iſti tanti miraculi fierent teſtes.

*Negotia agẽda coram iis, ad quos ſpectant.*

87. *Et vidiſſet tibicines*, vt ait D. Ambroſius *in cap.* 8. *Lucæ*, quem ſequuntur omnes Recentiores. *Tibicines* vocabantur illi, qui conducti in funeribus ſolebant ſuis modis, ac canticis excitare alios ad lachrymas, & fletum. Talis mos erat apud Iudæos Hierem. 9. num. 17. *Vocate lamentatrices, & deducant ſuper nos lamentum*. Talis etiam erat mos apud Gentiles. Ouidius lib. 4. Faſtor.

Ambroſ.

Hierem 9.

*Cantabat mœſtis tibia funeribus.*

Ouidius.

Cyprian.

Et ponderat D. Cyprian. *ſermon* 19. quòd in huiuſmodi funere lamentatio tibia, & fiſtula fiebat. *Vbi*, ait, *verus planctus non eſt, ibi eſt empta, & mercenaria cantilena: mortuum non artifex fiſtulæ, ſed ſimplex plangit affectio*. Defuncta filia Principis erat, magnatum autem exequiæ potius tibiis, ſeu pompoſo apparatu, quàm ſimplici affectu celebrantur.

*Magnatum funera potius celebrantur apparatu, quàm affectu.*

88. Dicebat, *recedite*, id eſt, diſcedite à luctu, ac lamentis: iubet ab his deſiſtere; non enim communicantur diuina dona inter fictitios planctus, ſed inter ſinceros affectus, ac ſimplices animos; *non eſt mortua puella*. Non negat veram eſſe mortuam ſecundùm naturam, ſed ait, non eſſe mortuam ſibi ipſi, cui omnia viuunt, vt explicant D. Hieronym. & Theophylact. de quo *quæſt.* 14. Non intelligentes futuræ reſurrectionis myſterium, deridebant Chriſtum, quaſi ipſe inficiaretur puellæ mortem, quod apertè denotat D. Lucas, dum addidit, *ſcientes quòd eſſet mortua; deridebant eum*, ſtupidi, & craſſi homines, quæ non capiunt, ſtatim riſu, ac verbis dilacerant. Vide *cap.* 29. *num.* 68. & hæc deriſio permiſſa eſt à Deo, vt ita magis euidens fieret miraculum, quanto minus negare poterant puellam verè fuiſſe mortuam, & ideo Chriſtus hos deriſores non reprehendit, quia hoc maximè faciebat ad confirmationem miraculi, vt notat Abulenſ. *quæſt.* 118.

*Dona diuina non dantur inter fictitios fletus.*

Hieron.

Theophyl.

Abulenſ.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quare Chriſtus non permiſerit ſecum intrare turbam, ſed ſolùm Petrum, Iacobum, & Ioannem?*

89. CVM Chriſtus in via pergeret in domum Principis, turbas à ſe dimiſit cum nouem diſcipulis, vt notat Abulenſ. *quæſt.* 119. & patet ex textu Marci num. 37. *Non dimiſit quenquam ſe ſequi*. Cuius rei rationem ipſemet Abulenſ. aſſignat, hoc Dominus fecit propter honeſtatem; nam ſi turbæ comitarentur Chriſtum vſque ad domum Principis, non decebat, quòd poſtquam illi honorem impenderunt, eum vſque ad domum comitando, vt turbas à ſe dimitteret, abſque eo quòd illas nobilitaret tanti miraculi præſentia, quod vehementer videre cupiebant; ideo dimittit in via, ne itineris labore vexarentur. Vide ſuprà *cap.* 3. *num.* 93. & *cap.* 11. *num.* 153. & *c.* 29. *num.* 88.

Abulenſ.

*Honorare honorantes nos.*

Ingreſſus Ieſus Principis domum, turbam lamentis, ac planctu tumultuantem eiicit. Primò D. Chryſoſtom. *homil.* 32. D. Hieronym. *hîc*. quia indigni erant, vt reſurrectionis myſterium viderent, qui ſuſcitantem Dominum irriſerant. Secundò. D. Hilarius. Multis excluſis pauci admittuntur, quia rari ſunt electi ad magnalia Dei videnda. Tertiò. D. Gregorius 18. *moral. cap.* 28. quia à domo noſtri cordis eiicienda eſt ſæcularium rerum cura, vt anima emortua reſurgat. Quartò. Ob ſuam modeſtiam, vt omnem oſtentationis notam euaderet, docens nos, quòd hominum frequentia ſæpe virtutem lædit. Quintò. Vt Phariſæorum declinaret inuidiam, à quibus nondum tempus aduenerat, vt pateretur; nam inuidia periculoſa eſt, & hac de cauſa magnalia noſtra ab inuidorum oculis ſunt occultanda.

Chryſoſt.

Hieron.

Hilar.

Gregor.

*Hominum frequentia virtutem lædit.*

90. Sextò. Theophylactus *cap.* 8. *Luc.* ſic ait, *Cæterùm ex diſcipulis tantùm intrare ſecum permiſit Ioannem, Iacobum, & Petrum, vt diſcipulorum præcipuos, & taciturnos. nolebat hoc miraculum ante tempus reuelari multis.* Apud Catenam D. Thomæ poſuit Interpres, non *taciturnos*, ſed *potentes occultare ſecretum*; nec enim coram omnibus omnia manifeſtanda ſunt, ſed eligendi ſunt viri, qui habeant animum capacem ad ſecretum portandum, ac retinendum, vt non ſtatim euomant illud.

Theophyl.

*Magna agẽda coram viris, qui poſſint ſecretum retinere.*

91. Septimò. Beda, *Notandum*, ait, *quòd quia publica*

Beda.



*blica noxa publico eget remedio; leuia autem peccata*, ſubintellige etiam ſecreta, *leuiori*, & *ſecreta queunt pœnitentia deleri; puella in domo iacens paucis arbitris exurgit, eiſdemque ne miraculum euulgarent, indicitur; iuuenis extra portam turba multa comitante, atque intuente ſuſcitatur. Lazarus de monumento vocatus in tantum populis innotuit, vt plurimæ Domino turbæ cum palmis occurrerent, & multi propter illud crederent in Ieſum.* Remedia proportionentur culpæ, vt peccato publico publica remedia, ſecreto ſecreta adhibeantur, & ideo filius viduæ Naim *Luc.* 8. *n.* 51. & Lazarus mortuus *Ioan.* 11. *n.* 39. vtpote peccatores, iam foras erumpentes in omnium aſpectu ad vitam reuocantur; at puella hæc in domo incluſa, occultum peccatorem adumbrans ſecreto reſuſcitationis remedio excluſis turbis è mortuis ad vitam excitatur. Vide ſuprà *cap.* 4. *num.* 40. & 43.

*Peccatis publicis publica, ſecretis ſecreta dentur remedia.*

## QVÆSTIO XIV.

### *Quare Chriſtus dixerit, quòd puella non erat mortua?*

92. IN limine huius quæſtionis ponderandum illud, quod ingenioſè notauit Origenes lib. 2. contra Celſum, quòd *mortuos excitauerit Chriſtus per paucos, id expreſſerunt Euangeliſtæ, Archiſynagogæ ſcilicet filiam, de qua neſcio quomodo dixerit Ieſus, non eſt mortua, ſed dormit; & vnicum viduæ filium, & tertium Lazarum illum quatriduanum*, & id dixerim, *vt enim in Eliſei Prophetæ diebus, etſi multi erant leproſi, ex his tamen nemo mundatus eſt, niſi Naaman Syrus; ſic & mortui erant in tempore Ieſu multi, ſed illi ſunt à mortuis excitati, quos Deus verbum ad reſurgẽdum aptiores cognouit.* Sæpè excogitaui, quæ nam maior eſſet aptitudo in his tribus ad reſurrectionem; profectò, quia innupti erant caſto, vel virgineo corpore viuentes, ac proinde aptiores inueniebantur, vt mortem fugarent, ac vita florerent.

Origen.

*Caſtitas valde apta ad vitam.*

93. Ad noſtram quæſtionem, cur hæc puella dicitur non mortua, ſed dormire? dicunt aliqui eſſe phraſim Scripturæ, qua mortui dormientes vocantur. Sic de Lazaro dixit Chriſtus, *Lazarus amicus noſter dormit*, tum vt mortis horror leniatur, tum ob reſurrectionis ſpem; ſed Chriſtus Dominus in præſenti non ſolùm dicit puellam dormire, ſed etiam non eſſe mortuam: ergo in aliquo vero ſenſu voluit ſignificare adoleſcentulam non eſſe mortuam.

*Mors ſomnus.*

94. Reſpondet primò D. Hieron. Theophylact. vt notaui in expoſitione, puellam non eſſe mortuam ipſi Deo. Secundò, reſpondet Victor Antioch. Chriſtum vſum eſſe hoc verbo *dormiendi*, vt euitaret iactantiam, & Procop. *in cap.* 36. mortem à qua eam reduxit, non prædixit; res diuinæ non ſunt ad oſtentationem. Tertiò D. Chryſoſtom. *homil.* 32. Albertus Magnus, D. Thomas docent, Chriſtum hoc dicendi modo denotare, ſibi tam facilè eſſe defunctos ſuſcitare à morte, ſicut dormientes à ſomno.

Hieron.

Theophyl.

Antiochen.

Procop.

Chryſoſt.

Albert. Mag.

D. Thom.

95. Quartò. Abulenſ. *quæſt.* 117. puellam appellat non mortuam, quia non diſceſſerat ex hac vita, eo ſenſu, quo turbæ exiſtimabant, tamquam ſi non eſſet ampliùs reditura: ergo cùm mox eſſet excitanda, non erat abſolutè mortua; nam ille eſt ſimpliciter mortuus, qui in morte manet, & ampliùs non euigilabit ad vitam.

Abulenſ.



96. Quintò D. Chryſoſt. hom. 32. *His*, ait, *etiam docet, non eſſe timendam mortem, cùm ad conditionem ſomni iam redacta ſit. Deinde; quoniam ipſe quoque moriturus erat, aliorum morte, ac reſurrectione faciebat, vt diſcipuli confiderent, cuius aduentu mors in ſomni conditionem deueniſſet.* Chriſtus mortem dicit ſomnum, quoniam ipſe quoque moriturus erat; adeò ipſi dulcis fuit mors, quam pro nobis ſuſtinuit, vt ei ſomnus videretur. Deinde, vt nos facilitaret, ac animaret ad horrorem mortis contemnendum, nam ipſo accedente, mors non mors, ſed ſomnus eſt.

Chryſoſt.

*Mors Chriſto ita ſuauis, ac ſomnus.*

97. Sextò. Sedulius lib. 3. Paſchaſ. cap. 12. *Ad Chriſti gloriam pertinuit ſingularem, quòd defunctam dixerit dormientem, vt admirabilium facta virtutum parentibus monſtraturus, minus ſe donare pronunciat, quàm donabat.* Hoc ad ſingularem Chriſti gloriam ſpectat, quod dormientem dicit, quam à mortuis excitabat, & reuocabat ad vitam; non enim Deus amplificat verba ſua, ſed multo minora dicit verbis, & multo maiora dat beneficiis. Excitationem à ſomno verbis denotat, & defuncto vitam largitur. Vide *cap.* 3. *n.* 28. & *cap.* 6. *num.* 84. *Matth.* 9. *num.* 25.

Sedulius.

*Deus maiora dat donis, quàm dicit verbis.*

*Matth.* 9. *n.* 25. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella.

*Ibid. num.* 26. Ex exiit fama hæc in vniuerſa terra illa.

## *VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Ingreſſus apprehendit eam, manu eius. |
| *Franciſ. Luc. ex Græco.* | Prehendit, ſeu vi tenuit manum eius. |
| *Vatablus, Theophylact.* | Introgreſſus tenuit manum illius, & ſurrexit adoleſcentula, & emanauit fama hæc. |
| *Euthymius.* | Excitata eſt puella. |

## ALTER TEXTVS.

*Marc.* 5. *n.* 40. Ingreditur vbi puella erat iacens, & tenens manum puellæ, ait illi.

*Ibid. num.* 41. Talitha cumi, quod eſt interpretatum, Puella, tibi dico ſurge.

*Ibid. num.* 42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim, & obſtupuerunt ſtupore magno.

*Ibid num.* 43. Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret, & dixit dari illi manducari.

*Luc.8.n.54.* Ipſe autem tenens manum eius, clamauit, dicens: Puella, ſurge.

*Ibid. num.55.* Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò, & iuſſit illi dare manducare, & ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dixerint, quod factum erat.

## *EXPOSITIO.*

98. EIECTA turba è cubiculo, in quo puellæ cadauer iacebat, cum illius patre, ac matre, & tribus Apoſtolis introiuit Dominus, de quo ſatis eſt dictum *quæſtio* 13. & vt in præſenti dicam, eiecta turba, voluit Dominus, propulſatis illis hominibus iniquis, & infidelibus, prius illud hoſpitium mundare, antequam illud ingrederetur, *& tenuit manum eius*, ex Græco legitur, *prehendit*, ſeu, *occupauit vi*, quod propriè verbum ſignificat, quando Prætor tenet aliquem manu ad eum capiendum, & denotat ſtudioſam Chriſti voluntatem, ac efficax illius imperium, quo iacens illud cadauer è terra eleuauit, & animam ex inferno reuocatam in illud introduxit, vt reſurgeret, ac vita viueret; & iuxta Lucam, *clamauit*, vt Chriſti imperium, ac virtus maximè ab aſtantibus agnoſceretur, & videretur. Marcus ait fuiſſe dictum à Domino, *Talitha cumi.* Verba ſunt Syriaca, & idem valent, ac *Puella ſurge*; nam primum ſignificat *puellam*; ſecundum, *ſurge*, & Marcus poſuit verba Domini eodem idiomate, quo vſus eſt, vt apertè appareat, quantum virtus Chriſti diſtet ab incantatoribus, & Magicis. Nam virtus Chriſti communi, & vulgari ſermone miracula, & admirabilia opera perpetrabat; illi verò verbis obſcuris, ac inauditis, nempe dæmonum inuocationibus, vtuntur, vt quid aliquando mirandum operentur.

*Mundatur hoſpitium antequam Dom. in illud deueniat.*

*Chriſti verba diſtant maximè ab incantatoribus.*

99. *Et ſurrexit puella.* quod non ſolùm ſignificat, ad vitam eſſe reuocatam, ſed etiam viribus omnibus corporis eſſe donatam, ita, vt ſtatim erecta ſit; quod clariùs exprimit Marcus, addendo, *& ambulauit*; quod moraliter interpretatur Beda. *Benè ſurrexit, ait, & ambulabat. Quemcunque enim peccatis mortuum ſuperna manus miſerationis reſuſcitatura tetigerit, non ſolùm à ſordibus exurgere, ſed in bonis continuo proficere debet operibus.* Anima à Chriſto euocata deſerat non ſolùm mortem, ſeu peccatum, ſed etiam mortuorum locum, ſeu peccatorum occaſionem, & ſtatim deambulet, & creſcat in omni virtute; & addidit D. Marcus, *iuſſit illi dare manducare*, vt miraculi euidentia clarior videretur, & hac de cauſa, vt bene aduertit Euthymius, Chriſtus non dedit illi manducare, ſed parentibus iuſſit, vt darent, vt ipſi fierent teſtes, *& ſtupuerunt parentes eius*, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum fuerat; quod mandatum eſt à Domino ob ſuam humilitatem, ac modeſtiam, & vt ſe alienum ab omni inani gloriam oſtenderet.

Beda.

*Anima à Chriſto euocata deſerat mortuorum locum, ſeu occaſionem.*

Euthym.

100. *Exiit fama hæc* Diuulgatio tanti miraculi maximè per totam illam regionem Galilææ dimanauit, & ita cunctis admirantibus maximè celebrata eſt puellæ ſuſcitatio, vnde omnes Chriſti virtutem, ac poteſtatem, maximè extollebant, & quanquam Dominus parentibus puellæ præceperit, ne quidquam diceretur, tamen cùm turba, quæ eiecta erat à Chriſto, foris eſſet cum maxima auiditate, expectans rei euentum, diſcedente Redemptore noſtro è domo illa, ſtatim turba eſt ingreſſa, & cùm viuam inueniſſet adoleſcentulam, quam mortuam viderant, inde fama miraculi, ac etiam per eos, qui aderant, exiit in totam illam regionem; nam parentes tam ob gratitudinem, quàm ob gaudium: tantum beneficium, & miraculum non tacuerunt, vt cap. ſeq. dicemus de duobus cæcis.

*Diuulgatur miraculum per totam regionem.*

---

## QVÆSTIO XV.

### *Quare Chriſtus ſuſcitaturus puellam, manum eius teneat?*

101. AD quæſtionem rectè reſpondet primò Abulenſis *quæſt.* 106. Extendit manum, vt fiat manifeſtum, quòd Chriſtus ſua virtute ipſam ſuſcitabat, ſicut ſuprà diximus, quòd extendendo Dominus manum, & leproſum tangendo, ipſum mundauit. Secundò Toletus *in comm. in cap.* 8. *Lucæ.* quòd Chriſtus apprehendit manum defunctæ, vt retineret metaphoram, quam verbo dixerat, quòd, ſcilicet, puella dormiebat. Sic quando aliquem è profundo ſomno dormientem excitamus, frequenter porrecta manu hoc facimus. Tertiò, quia non ſolùm Dominus eam volebat ſuſcitare, ſed etiam, vt ſtatim ſurgeret, & ambularet; vt enim homo ſe erigat, neceſſe eſt, vt Deus illi manum porrigat.

Abulenſ.

Tolet.

*Dominus tenet Metaphorã quam verbo dixerat.*

102. Quartò, & ratio valde conformis huic hiſtoriæ, vt Dominus deſiderio patris ſatisfaceret, & eam eo modo ſuſcitaret, quo ipſe perierat. Dixerat enim in principio huius hiſtoriæ, *veni, impone manuum tuam ſupra eam.* Vide ſuprà *cap.* 20. *num.* 55. *&* 56. imò plus dat, quàm ab eo petimus: poſtulauerat Pater, vt imponeret manum ſuper eam; at ipſe non ſolùm imponit manum ſuam, ſed defunctæ manum vi apprehendit, ac tenet. Vide *cap.6.num.*71. *&* 119. *cap.* 20. *n.* 52. *&* 53. *cap.*26. *num.* 58.

*Deus concedit poſtulata noſtra eo modo, quo petimus.*

103. Quintò. D. Hieronymus. In puella illa Synagoga ſignificabatur, vt iam ſuprà dixi. *Illius manum prehendit Dominus, ait ſanctus Doctor, quia niſi priùs mundatæ fuerint manus, quæ ſanguine plenæ ſunt, ſynagoga eorum mortua non reſurget.*

Hieron.

Sextò. Euthymius, in quintum cap. Marci. *Apprehendit manum eius, & vocauit, vt vox animam, quæ deſcendebat, reuocaret; manus autem corpus diſponeret.*

Euthym.

Septimò. D. Hilarius. *Niſi priùs mundatæ fuerint manus, mortua non ſurget:* tanquam Dominus puellam reuocaret ad vitam, illius manum tenet, vt probaret, an mundas manus, quibus opera deſignabantur, haberet; non enim reuocantur ad vitam, niſi illius opera bona, & pia reperiantur.

Hilar.

104. Octauò. D. Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Reginas. *Quare, ait, non potiùs, ſicut apud Lazarum contentus fuit ſermone ad reſuſcitandam puellam, ſed tenuit manum illius? nimirum, vt oſtenderet viuificum eius corpus, corpus enim eſt vita.* Non vtitur ſolùm voce, vt apud Lazarum, ſed apprehenſa manu tenet, & reſuſcitat puellam, vt virtus ſui viuifici corporis manifeſta fiat, & ponderandum id, quod ait S. Pater, *Non ſicut apud Lazarum contentus fuit ſermone.* Inter mortuos, quos Chriſtus Dominus excitauit, hæc puella fuit prima; diſpoſuit ergo vt hæc prima ſuſcitatio fieret tactu ſui corporis, vt euidens eſſet, quantam proportionem, & efficaciam habeat ſuum corpus ad communicandam vitam. Vide ſuprà *cap.* 6. *n.*8. *&* 39. *& cap.*15. *num.*110.

Cyrill.



*Tactus corporis Chriſti valde efficax ad dandam vitam.*

---

## QVÆSTIO XVI.

### *Quare Chriſtus Dominus iuſſerit puellæ ſuſcitatæ dare manducare?*

105. IVXTA textum Marci, & Lucæ. Cùm puella eſſet ſuſcitata, & iam per domum deambulaſſet: mandat Dominus dare illi manducare, cuius rei litteralis ratio eſt manifeſta, vt veritas ſuſcitatæ puellæ fieret euidentior, & ne aliquis excogitaret, quid phantaſticum eſſe. Vnde ait Diuus Bonauentura in 8. Luc. *Iuſſit dare manducare, vt non phantaſtica, ſed vera ſuſcitatio probaretur, ſicut ipſe probauit ſuam reſurrectionem, dicens? Habetis hîc aliquid, quod manducetur,* Luc.24. num. 41. eandem probationem, qua Dominus vſus eſt in ſua reſurrectione, etiam in aliorum excitatione adhibuit.

Bonauent.

Luc. 24.

106. Moraliter tamen ad ſacram Euchariſtiam locum applico, poſtquam enim puella excitata eſt, & ſurrexit, ei iubet dare manducare. D. Chryſoſtomus homil. 7. in Marcum. *Iacentes, ait, manducare non poſſumus: niſi ſteterimus, corpus Chriſti accipere non valemus.* Cibus ille corpus Chriſti ſignificabat; ad hanc autem menſam non accedit, qui iacet in loco mortuorum, ſeu peccati; ſed qui iam erectus, ac ſublimis à peccato eſt, imò & qui iam deambulat, ac proficit in via virtutis, vt iam ex Beda dixi in expoſitione.

Chryſoſt.

*Ad corpus Chriſti non accedat, niſi qui proficit in virtute.*

107. Adhæret etiam id, quod ſuperiori quæſtione dixi ex D. Hilario, quòd Dominus apprehendit manum, vt probaret. *An prius mundatæ fuerint manus*, antequam Dominus mandaſſet illi manducare, puellam tenet manu; antequam quis ad hanc ſacram menſam conueniat, priùs eius manus, ſeu opera ſunt examinanda; an recta, & munda ſint; ſeu, mandat illi dare manducare, vt adeptam vitam valeat retinere, & conſeruare. Maximè enim ſpiritualis vita per ſacram Euchariſtiam creſcit, augeſcit, & roboratur.

Hilar.

*Homo examinandus antequam ad ſacram Euchariſtiam deueniat.*

108. Vltimò tandem nota id, quod acutè dixit Chryſoſtomus homil. 32. in Matth. *Puellam, cùm à morte excitaſſet, per cibum, quem ei afferri iuſſit, à quo eſſet excitata, inſtruxit.* Ac ſi diceret, mandat dare illi manducare, vt illo cibo vis intellectiua perſpicacior redderetur, vt ita adoleſcentula ſuum benefactorem, à quo munus vitæ acceperat, recognoſceret, maximè enim iſte cœleſtis cibus intellectum acuit, & perficit ad alta, & ſublimia cognoſcenda. Ait Regius Vates, *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur,* Pſalm. 33. num. 6. Viderat Propheta cæcutientes Iudæos. Prouocat nos ergo, vt ad Chriſtum accedamus, & ita ab ipſo illuminemur; ſed quomodo illuminabimur? ait Gloſſa, *ipſum percipiendo.* Vnde eleganter ait meus Incognitus, *Ne ſitis ſicut Iudæi cæci, qui de crucifixo tenebrati ſunt; nos autem manducando Crucifixum, & bibendo eius ſanguinem, illuminabimur.*

Chryſoſt.

*Euchariſtia dat intellectum, & cognitionem.*

Pſalm. 33.

Incognit.



# CAP. XXX. & vlt.

## *Sanantur duo cæci, & vnus dæmoniacus.*

*Matth.9.n.27.* Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri fili Dauid.

### *VERSIONES.*

*Syriacus.* Quicunque prætergrederetur illinc Ieſchua, ſeſe adiunxerũt ei duo cæci.

*Vatablus.* Cùm diſcederet illinc Ieſus.

*Euthymius.* Cumque inde procederet Ieſus.

## *EXPOSITIO.*

HANC hiſtoriam conſequutam præcedens miraculum apertè verba Matthæi indicant, *tranſeunte inde Ieſu*, nempe è domo illa, in qua puellam ſuſcitauit; nam ibi non comedit, neque bibit. Cùm ergò tranſiret in habitaculum, in quo, vt notat Diuus Paſchaſius, ſe recepturus erat, Albertus Magn. *Tranſeunte*, vt omnibus Lucis ſuæ beneficium inueheret, ſicut Sol, qui tranſitu ſuo communis efficitur. *Secuti ſunt eum duo cæci*, qui ſunt diſtincti ab illis, de quibus *Matth.* 20. *num.* 30. *Marc.* 10. *num.*46. *& Lucæ* 18. *num.*35. Fit mentio, quanuis hiſtoria ſit ſimilis, & qui Deum non ſequitur rogando, ac petendo; vt ait D. Thomas, non impetrat. 1.

Paſchaſ. Albert. Mag.

D. Thom.

*Duo cæci*, qui ex accepta miraculorum fama, magnam ſpem conceperant recuperandi viſum, præcipuè cùm ab omnibus accepiſſent Chriſti beneficentiam, nulli ſe ſe denegare, quantumuis humili, & abiecto. *Cæci* oculo corporis, ſed multum videntes oculo fidei, & ſpei, & in via Chriſto Domino occurrerunt, & petunt, quia tunc audierunt Chriſti magnum miraculum de puella ſuſcitata, & ideo ſtatim, ac ſine dilatione Domini miſericordiam, ac beneficentiam implorant; vel quia fortè timebant, ne Dominus è Capharnaum diſcederet in patriam ſuam. 2.

*Bona occaſio non prætermittenda.*

3. *Clamantes.* Carentes corporali aſpectu, cùm Chriſtum non viderent, ingentem clamorem, quem ſanitatis amor, ac fiduciæ ardor excitabat, procul eum appellant, ac inuocant. *Miſerere noſtri.* Non enim quilibet ait, *miſerere mei*, ſed, *miſerere noſtri.* Oratio enim, quæ pro communi fit, multum valet ad impetrandum. *Miſerere noſtri*, hoc eſt, ſucurre noſtræ miſeriæ; & eam non exprimunt, quia per ſe nota, ac manifeſta erat. *Fili Dauid.* Nempe ille promiſſus in Scripturis verus Meſſias, ac Saluator noſter: quod latiùs explico *ſeq. quæſt.* Hæc oratio extitit breuis, magnæ fidei index, multo affectu edita, Ieſu valde digna, prædicans eius diuinitatem illo verbo, *Miſerere noſtri*, & etiam humanitatem vocabulo filij Dauid, & ita verum Deum, & hominem confitentur.

*Oratio communis multũ efficax.*

*Quæ ſunt nota, non indigent repetitione.*

Quid vobis videtur de Chriſto? — ſæos interrogauit, *Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid*, Matth. 22. num. 42. & ideo Iudæi clamabant, *Hoſanna filio Dauid*, Matth. 21. num. 15. Dicunt ergo filium Dauid, id eſt, verum Meſſiam, ac Saluatorem, cui hæc cæcitatis, & claudorum, ac morborum omnium curatio à Prophetis promiſſa eſt. *Iſai.* 35. *numer.* 5. & 61. *num.* 1. Ergo cùm ad Meſſiam ſpectaret, cæcos curare, & claudos, Meſſiam eum vocant, ſuo veluti munere alliciendo, vt poteſtatem ſuam in eis exerceat, ac eorum oculos illuminet. Vide ſuprà *cap... num.* 153.

Matth. 22.
Matth. 21.

*Matth.* 9. *n.* 28. Cùm autem veniſſet ad domum, acceſſerunt ad eum cæci, & dicit eis Ieſus: Creditis, quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine.

*Ibid. num.* 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis.

## QVÆSTIO I.

### *Quare cæci Chriſtum clament filium Dauid?*

4. Remig. QVANVIS cæci multis præclaris nominibus Chriſtum poſſent inuocare, tamen filium Dauid dicunt. Reſpondet primò D. Remigius, *Rectè filium Dauid vocant, quia virgo Maria de ſtirpe Dauid originẽ duxit*; ac proinde idem eſt dicere filium Dauid, ac de familia Dauidis; & moraliter, vt verbis Remigij adhæream, filium Mariæ, quia tunc Chriſtus maximè alliciebatur ad ſubueniendum oppreſſioni hominum horum, qui nomine Mariæ rogabant, quod vehementer diuinam miſericordiam ſolicitat ad opem, & auxilium præſtandum.

*Mariæ nomen ac patrociniũ multum efficax ad impetrandum.*

5. Chryſoſt. Secundò. Ait D. Chryſoſtom. *homil.* 33. *in Matth.* quòd filium Dauid vocabant, quia honoris nomen erat; nam Dauid fuit excellentiſſimus omnium Regum Hebræorum, & apud omnes Hebræos in magna erat veneratione. Hæ tamen rationes quanuis in ſenſu morali optimæ ſint; tamen eſſe de familia Dauid, ac tali honore frui, multi erant in populo; cæci autem dum filium Dauid dicunt Chriſtum, aliquid peculiare denotare voluerunt.

*A quo aliquid petimus, ipſum honoramus.*

6. Albert. Mag. Tertiò. Albertus Magnus ait, quòd Dauid filium vocant ob quatuor. Primò, quia Dauid fuit miſericors etiam in illùm, qui contra eum egit inimicitias, vt in Saul, & Semei. Secundò, fuit Rex magnificus liberalitate, quia ædificij Dei parauit expenſas. Tertiò, fuit compatiens, quia ſe obtulit Angelo percutienti pro populo. Quartò, quia Dauid pius extitit in oppreſſis liberandis etiam cum ſuo periculo. Vnde percuſſit Philiſthæum, & liberauit Ceylam. Dum ergo cæci Chriſtum filium Dauidis appellant, hæc ante eius oculos obiiciebant; nam miſericordia Chriſtum volebant affici circa ſuam miſeriam, & liberalitate dona aſſequi, & compaſſione moueri, & pietate inclinare.

*Nomine filij Dauid ad miſericordiã Chriſtum allicere volebant.*

7. Quartò. Communis, & germanior, ac vera explicatio. Chriſtum dicunt filium Dauid, ideſt, Meſſiam verum, & deſideratum, quia ſatis vulgare, ac manifeſtum erat Meſſiam futurum eſſe de ſemine Dauid, *Iſai.* 11. *num.* 1. *Ierem.* 23. *num.* 5. Vnde ipſe Dominus Phariſæos interrogauit, *Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid*, Matth. 22. num. 42.

*Chriſtus verus Meſſias, & Saluator noſter.*

#### *VERSIONES.*

*Vatablus.* Cùm veniſſet in ædes, adierunt illum.
*Græcus.* Cæci illi.
*Chryſoſtom. homil.* 33. Creditis quia hæc poſſum facere.
*Euthymius.* Ingreſſo autem eo in domum.
*Vatablus.* Iuxta fidem veſtram fiat.

## *EXPOSITIO.*

CLAMANTES cæcos poſt ſe paſſus eſt Dominus, imò in via nihil eis reſpondet, donec ingreſſus eſt domum, non quam habebat Capharnaum, vt aliqui dixerunt, ſed in domum alicuius fidelis, in qua noctu hoſpitauit, vt notat Euthymius. Acceſſerunt ad eum cæci, hoc eſt, adierunt eum ad domum, quam ingreſſus eſt Chriſtus; & ipſi ingreſſi ſunt. Cæcis non aditum prohibet aliquis, nec poſtquam Dominus introiuit, oſtium clauſum eſt; vbi Princeps, & dominus eſt, oſtium ſit ſubditis apertum. Ingredientes cæci domum, vehementiam ſpei, ac deſiderij ſui indicant. Ait illis Ieſus. *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis.* illuminare nempe oculos veſtros, & non dixit Chriſtus, creditis, quia hoc poſſum impetrare, *ſed quia hoc poſſum facere*, virtute, ac potentia mea propria. Fidem ergo quam Chriſtus hîc exigit, eſt ſuæ diuinæ potentiæ, qua cuncta poteſt facere, & omnibus imperare. Reſpondent cæci, *vtique*, ſeu Græcè, *etiam*, abſque vlla hæſitatione firmiter credimus, *Domine*, abſolutè dicunt, quod, vt ait D. Thomas, Dei nomen eſt. 8.

Euthymius.

*Principis oſtium ſit ſubditis patens.*

*Chriſtus exigit fidem ſuæ potentiæ.*

D. Thom.

*Tunc tetigit.* Sanctiſſimo tactu ſuarum manuum eos ſanat, vt notat Euthymius, & ſæpè dictum eſt, vt ſalutiferam vim ſuæ ſacratiſſimæ carnis oſtendat; & tangit hos Dominus ſine vllis præuiis cæremoniis, nam quoſdam, ſcilicet, mutum, & ſurdum; & cæcum à natiuitate variis, & exquiſitis cæremoniis, lini, ſputi, digitorum emiſſionis, tetigit fortè, quia minori fide, quàm iſti inſigniti erant. Et ideo talibus cæremoniis eorum fidem Dominus maximè excitabat, ac ad maiorem profectum adducebat. *Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* Sicut enim creditis me poſſe vos illuminare, ita illuminamini, vt, ſicut ait Hugo de S. Victore, interiùs illuminati erant per fidem, ita & exteriùs eſſent illuminati. Ex his verbis maximè Albertus Magnus extollit vim, ac efficaciam fidei ad impetrandum, vt dixi *cap. ſup. quæſt.* 11. *numer.* 75. & Diuus Auguſtinus *ſermon.* 91. *de tempore*, adducens hoc Domini aſſertum ait, quòd ille, qui recepit verbum Dei cum fide, fit illi ſicut manna, *Si ergo*, inquit S. Doctor, *manna verbi Dei reddit in ore tuo ſaporem quemcunque volueris, hoc tamen ſi quis fideliter ſuſcipiat.* 9.





*Dominus ſine vllis cæremoniis ſanat hos cæcos.*

Hugo.

Albert. Mag.

Auguſt.

*Verbum Dei ſuſcepiũ cum fide, eſt veluti manna.*

## QVÆSTIO II.

### *Quare Chriſtus non in via, ſed in domo cæcos ſanauerit?*

10. CLAMANTIBVS cæcis per totam viam, Dominus cum eis diſſimulat. Cùm autem veniſſet in domum, eos interrogat ad miraculum procedens. Cur ergo tot moras paſſus eſt, & eos cur ſtatim non ſanat.

*Ratio difficultatis.*

11. Chryſoſt. Reſpondet primò Chryſoſtomus *homil.* 33. Non in via tamquam in loco publico eos ſanat, ſed in domo, interque ipſos parietes, tamquam in ſecreto, nam ſæpe Dominus volebat occultare opera ſua. Vnde rectè obſeruat citatus Doctor, & Euthymius, quòd Chriſtus multoties noluit miracula facere niſi rogatus, ne aliquis æſtimaret, eum propter captandam honoris magnificentiam ad miracula proſilire; cùm autem hæc rogatus faceret, oſtendebat, ex illis gloriam vanam non quærere.

*Inanis gloria fugienda.*

12. Idem. Secundò reſpondet D. Chryſoſtomus *citato loco*, vt ita Dominus maximè eos, eorumque gloriam probaret, ac examinaret, & ita diſtulit petitam ſanitatem, vt magis mererentur id quoſt poſtulabant. nam per hoc, quòd Chriſtus non exaudiuit eos, mox vt clamarunt, & tamen illi clamantes per totam viam ſecuti ſunt, apparuit, quòd magnam fidem habebant; ſi enim paruam concepiſſent, cùm ad primum clamorem non fuerint exaudiri, ſtatim deſiſterent, ac ab itinere retrocederent.

*Aliquando differt Deus noſtra petita, vt fides probetur, & meritum augeatur.*

13. Albert. Mag. Tertiò. Albertus Magnus ad oſtendendum, perſeuerantiam maximè neceſſariam eſſe in oratione, ac bonis operibus ad impetrandum; & ſi mox non conceditur nobis id, quod petimus, non ſtatim eſt deſiſtendum, ſed inſtanter perſeuerandum. Quartò. Abulenſis *quæſt.* 139. quòd Chriſtus diſtulit, & noluit ſtatim petita concedere, vt tantum beneficium miraculosè datum non vileſceret: ea enim, quæ homines faciliter impetrant, paruipendunt. Diſpoſuit ergo Dominus per viam horum precibus non annuere, vt ſic cum maiori difficultate, ac dilatione ſanitatem impetrantes, illam magis appretiarentur, ac æſtimarent.

*Perſeueranter inſtãdum in oratione.*

Abulenſ.

*Diſtulit Dominus beneficium, ne faciliter impetratum vileſceret.*

Quintò. D. Paſchaſius *lib.* 5. *in Matth.* ait, non curantur iſti tranſitoriè in via, ſed veniunt domum, & interrogati diligentiùs lumen recipiunt, profectò, quia extra domum Ieſu, ideſt, extra Eccleſiam, nemo lumen poteſt accipere, quia vera lux fidei ſolum eſt intra Eccleſiam ſanctam Catholicam, ac Romanam. Vnde iſti intra domum, ſeu Eccleſiam firmiter fidem ſuam oſtendentes, lumen oculorum recipiunt, 14.

Paſchaſ.

*Lux fidei in ſola Eccleſia Catholica.*

## QVÆSTIO III.

### *Quare Dominus hos cæcos interroget & cur de eorum fide quærat?*

MAXIME ponderandum eſt, vt notauit Rupertus *in præſenti*, quòd Dominus ab iis, quos ſanabat, fidem quærebat, ſic dixit iſtis cæcis, *creditis, quia hoc poſſum facere.* Deinde, *ſecundùm fidem veſtram ſic fiat vobis.* &, vt vidimus *ſuperiori cap.* mulieri fluxu ſanguinis laboranti, ait, *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit*, Matth. 9. numer. 22. & Archiſynagogo, vt eodem cap. diximus, ait, *Noli timere, crede tantummodò, & ſalua erit*, Luc. 8. num. 50. & Paralytico, vt dixi cap. 6. Matth. 9. num. 12. *Confide fili.* Pulchrè reſpondet Rupertus, *Cauſa, ſiue intentio dignationis eius, non paruipendenda hæc eſt, curare antidoto competenti ſtultitiam antiquam nimiæ credulitatis, qua creditum fuit diabolo loquenti per ſerpentem, ac dicenti; ſcit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis, ex eo aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum.* Geneſ. 3. num. 5. *Credidit mulier diabolo pluſquam Deo quòd taliter deberet illuminari; credamus nos è contra veritati, ſi veraciter volumus illuminari.* Contraria contrariis medicamentis curantur. Peccauit homo dum plus credidit Diabolo, dicenti, *nequaquam moriemini*, quàm Deo mortem comminanti. Vt ergo ab his vetuſtis malis reſurgamus, ac ab eis mundemur, diuina fide negotiandum eſt, quia plus diuinis rebus creditur, quàm cæteris rebus aliis. 15.

Rupertus.

*Cur Chriſtus quærebat fidem.*

Matth. 9.

Luc. 8.

Rupert.

*Per viam, per quam ingreſſum eſt malum, per eandem reparandum.*

In quæſtione ergo præſenti quærimus, quare Dominus hos cæcos interrogat, *creditis quia ego hoc poſſum facere*, cùm eorum fidem Dominus optimè agnoſceret, & videret, quæ iam ſatis fuerat oſtenſa tantis clamoribus in via. 16.

*Ratio difficultatis.*

Reſpondet primò D. Remigius. *Dominus cæcis poterat reddere viſum, & non ignorabat, ſi crederent; interrogauit, vt fides eorum, quæ geſtabatur in corde, dum confitetur ore, digna fieret ampliori mercede, ſecundùm Apoſtolum, ore confeſſio fit ad ſalutem.* Homo credendo meretur, & dum fidem ore externo profitetur, augetur meritum; Chriſtus apertè eorum fidem videbat, tamen interrogat, vt dum externis verbis fidem proteſtantur, meritum creſcat, & aptiores reddantur ad tantum beneficium recipiendum. 17.

Remigius.

*Per fidei confeſſionẽ augetur meritum.*

D. Thom.

dum. Et ideo ait D. Thomas, quòd cæci quid valde magnum iam confeſſi erant, nempe Chriſtum eſſe filium Dei, & verum Meſſiam, vt iam explicaui; tamen interrogat eos de ſua potentia, vt eos magis inſtruat, ac ad maiora proueat.

18. Abulenſ. *Chriſtus cōmendabat fidem.*

Secundò. Ait Abulenſis *quæſt.* 140. Interrogat, vt per hoc commendaret Chriſtus maximè fidem, tam cæcis, quàm aliis adſtantibus, vt ſcirent, quòd propter eam miracula faciebat, vt ita omnes inflammarentur ad Chriſti fidem amplexandam, cùm per eam tanta bona aſſequerentur.

19. Chryſoſt.

Tertiò, & præclarè D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. *Hos Dominus interrogat*, ait, *vt oſtenderet, quòd illi ea curatione erant digni. Ne quis obiicere queat, ſi miſericordia ſola ſaluos faciebat, cur omnes ſaluos non facit? Habet enim perfecta ipſa miſericordia quandam rationem, quoniam in eorum fide, qui ſaluantur, radices agere ſolent.*

*Quæ per meritum dantur, omnibus plauſibilia.*

Interrogat eos Chriſtus, vt agnoſcerent omnes, quòd non ſolùm ex fauore, aut voluntate eos ſanabat, ſed etiam ex merito propter fidem, vt ita tantum beneficium eis collatum omnibus eſſet applauſibile. Deinde, vt Dominus tacitè occurrat cuidam calumniæ, quæ contra ipſum à deprauatis hominibus moueri poterat; ſi enim ex affectu miſericordiæ curabat, cur non omnes ſanabat. Vult ergo vt per oris confeſſionem, meritum, ac fides horum hominum, qua inſigniti erant, ab omnibus agnoſcatur; illi autem, qui in infidelitate obdurati erant, tanti beneficij omnino incapaces reperiebantur.

*Matth. 9. n. 30.* Et aperti ſunt oculi eorum, & comminatus eſt illis Ieſus, dicens: Vide, ne quis ſciat.

*Ibid. num. 31.* Illi autem exeuntes diffamarunt eum in tota terra illa.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus, & Chryſoſt.* | Prohibuit eis Ieſchua, dicens: Vide, nemo reſciſcat. |
| *Euthymius.* | Interminatus eſt illis Ieſus. |
| *Græcus.* | Cum fremitu, ac graui increpatione interminatus eſt. |
| *Syriac. n. 31.* | Illi autem egreſſi famam eius ſparſerunt. |
| *Vatablus.* | At illi cùm abiiſſent, diuulgauerunt famam illius. |

*EXPOSITIO.*

20. Euthym.

APERTI *ſunt oculi eorum*, vt perfectè, ac clarè viderent, & fidem perfectam ſanitas ſequeretur. Vnde bene ait Euthymius, magna verò Iudæorum hinc oritur accuſatio, quòd cæcis ſolo auditu credentibus aperti ſunt oculi: ipſi miracula videntes increduli permanſerunt. *Comminatus eſt.* Ex Græco legitur, cum graui increpatione, ac fremitu interminatus eſt, ne illud dicerent, ac diuulgarent, perpetuum nobis dans exemplum, popularem gloriam fugere, ac declinare. Alias rationes de hac re vide ſuprà *cap.* 20. *quæſt.* 10. vbi ſimile mandatum leproſo impoſitum explicaui.

*Iudæi arguūtur.*

21. *Chriſtus volebat ſua magnalia abſcondere.*

*Illi autem exeuntes à domo, diffamauerunt eum.* hoc eſt, diuulgauerunt, ac ſparſerunt mirabilem eius famam per totam regionem Galilææ; & in hoc non peccarunt cæci, quia Chriſtus non præcepit abſolutè, vt tacerent, ſed illud mandauit, modeſtiæ, ac humilitatis cauſa, vt ſe ab omni inani gloria alienum oſtenderet, vt citato *cap.* 20. *quæſtio* 12. etiam dixi. Vnde Chriſtus ob ſuam humilitatem, qua magnalia ſua volebat abſcondere, illud mandauit: cæci autem tanquam grati beneficio accepto, & tanquam charitate feruentes, vt alios ſuo exemplo adducerent ad Chriſtum, illud diuulgauere. D. Hieronymus *hîc*, ſic ait. *Dominus propter humilitatem fugiens iactantiæ gloriam hoc præceperat: & illi propter memoriam gratiæ non poſſunt tacere beneficium.* & Theophylact. Vides, ait, quomodo faſtum fugerit; illi verò non vt inobedientes, ſed vt grati diuulgauerunt.

Hieron. Theoph.

*Matth. 9. n. 32.* Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem.

*Ibid. num. 33.* Et eiecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratę ſunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit ſic in Iſraël.

*Ibid. num. 34.* Phariſæi autem dicebant, in Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Quumque exiiſſet Ieſchua, obtulerunt ei mutum, in quo erat dæmonium. |
| *D. Chryſoſt. homil. 33.* | Ipſis autem egreſſis, attulerunt ei hominem mutum. |
| *Vatabl. Euthymius.* | Adduxerunt ei hominem mutum dæmoniacum. |
| *Euthymius, Theophyl.* | Per Principem dæmoniorum. |

*EXPOSITIO.*

22.

DÆMONIACVS iſte diuerſus eſt ab eo, de quo tractat Lucas *c.* 11. *numet.* 14. nam de illo etiam agit Matth. *c.* 12. *num.* 22. ita tenent communiter Recentiores, Ianſenius, Beaulxam. Salmeiron, Barradas, & alij. Ad verba textus accedamus. *Egreſſis autem illis.* Exeuntes cæci ab illa domo, in qua erat Chriſtus, illius diuinam virtutem, ac potentiam diuulgarunt. Vnde commoti quidam pij homines, *Obtulerunt ei hominem mutum.* Fides fidem prouocat, vt factum eſt in his offerentibus, qui ex fide, ac deuotione adduxerunt mutum, & cùm mutus eſſet, & loqui non poſſet, ab illo Dominus non exigit fidem, ſicut ab aliis quæſiuit, vt notant Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, ac alij; nec etiam à portantibus Dominus exigit fidem, quia, vt notat Salmeiron, hoc fieri non ſolet, niſi quando apparet aliquod manifeſtum infidelitatis ſignum. *Hominem mutum dæmonium habentem.* Vox, *mutum*, non debet referri ad dæmonium, ſed, vt dicit Caietan. ad hominem, quòd planè conſtat ex Syriaco, *obtulerunt ei mutum, in quo erat dæmonium.*

Ianſenius. Beaulxam. Salmeiron. Barradas. Chryſoſt.



Theophyl. Euthym. D. Thom. Salmeiron. Caietan. Syriacus.

23. Chryſoſt.

*Et eiecto dæmonio* virtute, ac imperio Chriſti, *locutus eſt mutus*, nempe ille, qui erat mutus; nam iſte, non natura ſua, ſed dæmonis malitia vſu loquendi priuatus erat, vt *hîc* ait Chryſoſtom. *non enim naturali curſu ægrotatio, ſed dæmonis inſidiis illi accidit.* Sequitur in circunſtantibus miraculi effectus, *admiratæ ſunt turbæ.* In vno eodemque ſigno ſcandalizantur mali, & ædificantur boni, ac ad Dei gloriam excitantur. Et nota, quòd quando Dominus *hîc*, *& citato loco Lucæ*, ſanat hominem mutum, & ſurdum, & ab eo dæmonium eiicit, dicitur, *admiratæ ſunt turbæ*, & hoc non legimus ſcriptum, quando cæcos illuminauit, quia valde rarum, & extraordinarium erat, quòd Chriſtus hominis linguam ad loquendum ſolueret; lingua enim magnum hominis malum, de quo plura dicam ſeq. tomo; dum hiſtoriam enarratam à Luca enodabimus. *Dicebant turbæ, nunquam ſic apparuit in Iſraël.* Hæc dicunt ob magnam multitudinem miraculorum, quam Dominus faciebat, vt ſequenti dicam quæſt. & ita denotant, Chriſtum eſſe cæteris Prophetis maiorem, ac proinde verum eſſe Deum, & Meſſiam.

*Lingua, vt malum hominis, difficiliter à Chriſto dabatur.*

24. *Ordines ſunt inter dæmones iuxta naturæ qualitatem.*

Phariſæi autem dicebant, ſeu, vt habet Syriacus, *Per principem dæmoniorum*, nempe ope, & auxilio Primatis dæmonum, nam inter dæmones alij aliis præſunt, Deo ſic ordinante, ac proinde adhuc inter eos perſeuerant Ordines inferiores, ac ſuperiores, quales ante peccatum iuxta eorum naturæ conditionem erant; vnde illi, qui ceciderunt ex Ordine Seraphim, Cherubim, Thronorum, ſunt principes eorum; qui ex inferioribus Ordinibus Dominationum Principum prolapſi ſunt. Hanc autem magnam blaſphemiam Phariſæi in Chriſtum dixerunt.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Quomodo viſis miraculis Chriſti, turbæ dicant, quòd nunquam tale fuit viſum in Iſraël?*

25. *Quæſtionis difficultas.*

DIFFICVLTAS eſt, quare cùm Chriſtus Dominus ſanauerit mutum, dicunt turbæ, quod nunquam tale fuit viſum in Iſraël. Nam Moyſes, & Elias, & Eliſeus multa miracula ediderunt in populo. Ad hoc reſpondet Lyranus, quòd hoc clamabat populus, quia nunquam fuerat viſum, quòd aliquis arreptitius, qui mutus extiterat per dæmonem, fuiſſet aliquando ſanatus; nam Saul arripiebatur à dæmone, 1. *Reg.* 16. *num.* 16. & nunquam legitur fuiſſe ſanatum; ſed ſolùm alleuiabatur, quando Dauid pſallebat in cithara ſua, 1. *Regum* 16. *num.* 18. Hæc tamen ſolutio non eſt multum firma. Quia licèt talis ſanatio arreptitij nunquam fuiſſet in populo, tamen Elias, & Eliſeus mortuos ſuſcitarunt; ſuſcitatio autem mortuorum quid maius erat apud Iudæos, vt obſeruat Abulenſis.

Lyranus.

26. *Germana ratio.*

Tenendum eſt, quòd populus hæc dicebat, quia nullus omnium Prophetarum, qui antea inter Hebræos extiterat, fuit agnitus tanta authoritate, ac promptitudine, tam diuerſa, ac immedicabilia morborum genera tam perfectè, ac integrè curare, tantamque dæmonum multitudinem à corporibus expellere, eorumque omnia damna reſarcire.

27. Chryſoſt. *Beneficia ſine retardatione.*

Facit etiam multum in hanc rem, id quod perbellè dixit Chryſoſtomus homil. 33. *Priſcis anteponebant autem, non quia curabat, ſed quia quamprimum velebat.* Parentes Elias, atque Eliſeus miracula fecerunt, mortuos ſuſcitarunt, ſed longa mora, multáque oratione adhibita; at Chriſtus Dominus valde celeriter, vno tactu, vnoque verbo, ac vno nutu; & beneficia, quæ citiſſimè, & ſine retardatione conferuntur, inde valde magna, & præclariora videntur.

28. Luc. 15. Chryſolog.

Reuertentem iuniorem filium benignè recipit pius pater, & ſuis ait, *citò proferte ſtolam primam*, Luc. 15. num. 11. Sed cur feſtinanter iubet ipſam ſtolam adduci. Chryſologus *ſermon.* 3. ait, *tardam miſericordiam pater neſcit.* Magna, ac mirabili miſericordia ſe pater in filium declarat, vnde eum prima ſtola veſtiri mandabat, commendans, vt citò eſſet delata; nam quamuis illa ex textura ſua eſſet valde pretioſa, tamen ſi non feſtinanter, ſed cum mora adduceretur, profectò non prima ſtola reputaretur.

*Matth. 9. n. 35.* Et circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella; docens in Synagogis eorum, & prędicans Euangelium Regni; & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

*VERSIONES.*

| | |
|---|---|
| *Syriacus.* | Et perluſtrabat Ieſchua vrbes omnes, &c. Et ſanabat omnes languores, omneſque dolores. |
| *Vatablus.* | Et obibat Ieſus ciuitates omnes, ac vicos. |

*EXPOSITIO.*

29.

DE præſenti materia huius textus ſatis dixi ſuprà *c.* 9. vbi ſimilem ſententiam ex *c.* 4. *Matth.* explanaui; quæ ibi ſunt dicta, hîc non repetenda. In præſentiarum ergo maximè conſideranda eſt eximia charitas Domini; nam Phariſæorū blaſphemia, ac offenſis non eſt læſus Ieſus, ſed tanquam bonus Paſtor, ac optimus medicus viſitat ſuos, doctrina eos illuminando, & ſua ope ſanando.

*Bonus paſtor non deſiſtit iniquorum offenſis.*

30.

*Circuibat Ieſus.* In Capharnaum Domini erat domicilium, & inde egrediens tanquam diuina nubes ſuum cœleſtem rorem ſpargebat per circonuicinas,

conuicinas ciuitates, vicos, ac loca Galilææ. *& caſtella*, ſeu, vt legit Vatablus, *& vicos*. Caſtrum eſt locus muris circunſeptus, amplior caſtello; minor, ac anguſtior oppido. Caſtellum à caſtro deducitur, & eſt quaſi paruum caſtrum, ſeu oppidum, vnde propriè *caſtellum* in ſua natiua ſignificatione, non ſignificat arcem, ſed paruum locum muris cinctum. Vnde veluti per quandam ſimilitudinem ad arcam accommodatur; hîc autem idem valet, ac quendam pagum. Chriſtus non ſolùm quærebat ciuitates, ſed etiam pagos, & vicos ad docendum, & ſanandum.

*Prædicatores perambulent omnia loca.*

Diſcant Prædicatores Domini exemplo circuire omnia loca, & ciuitates, ac parua oppida, vt omnes doceant, ac inſtruant. De cæteris, quæ ad hunc textum pertinent, vide cit. *cap.9.* & his terminatur, iuxta communem ſententiam, vt dixi in principio huius voluminis, primus annus ſanctiſſimæ Prædicationis Chriſti Ieſu. Secundum autem annum tibi dabit tomus tertius, vbi de mirabili eius præſentia in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, multa dicam, in cuius gloriam, & honorem omnium ore omnia dicantur.

## Laus Omnipotenti Deo, Puriſſimæque Dei Genitrici Mariæ, meiſque Patronis, Thereſiæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazi, &c.

INDEX

# INDEX

## Rerum notabilium, quæ hoc ſecundo Tomo continentur.

*Prior numerus paginam, poſterior eiuſdem paginæ ſectiones margini adſcriptas deſignant.*

### A


*Abiectus.*

ABIECTA habenda ante oculos in dignitate. pag. 317. num. 72

Abiectus vt erigatur, incliner ſe excelſus. 512. init.

Abiectio humanæ naturæ maximè erat fixa Chriſto ante oculos. 94. 176

*Abſcondo.*

Prælatus ne ſit abſconditus à ſuis. 326. 126. 127

Virtus abſcondi nequit, ſed ipſa ſe manifeſtat. 325. 123

Iuſti abſcondi volunt, in occaſione autem ſe manifeſtant. 330. 145. 146

Beneficia verbis abſcondenda. 392. 18

Abſcondenda virtutum opera. 394. 29 & 517. 60. 61

in Abſcondito virtutis inuenitur Deus. 420. 44

Virtutes particulares abſcondendæ; ex publica obligatione manifeſtandæ. 422. 56

Non per abſcondita, ſed per manifeſta iudicandus eſt homo. 471. 47

Impius dum vult abſcondere ſuum peccatum ibi illud magis manifeſtat. 124. n. 16. 17

Abſconditus Chriſtus magna operatur miracula. 517. 61

Deus videt abſconditos & humiles. 623. 66

*Accedere.*

Vt ad Dominum accedamus, ipſe ſe humiliauit. 273. 39

Ille ad Deum verè accedit, qui affectu, & imitatione accedit. 40

Cùm quis in honore eſt, ad eum accedunt plures. ibid. 41

Acceſſus ad Deum plurimum valet: & nulla inde erubeſcentia eſſe poteſt. 66. 40

Qui accedunt ad Chriſtum, ad omne bonum promouentur. 211. 99

Vbi homo ad Deum accedit, ſtatim gaudet ſuæ fidei fructu. 213. 113

Vt ad Chriſtum accedas, ab incredulis ſeparandum. 225. 57

vt Accedas ad Deum, peccata depone. 430. 6

*Accommodare.*

Accommodandum communi loquendi modo. 17. 72

Accommodat ſe hominibus Chriſtus. 41. 46. & 240. 21

Accommodandum imbecillitati audientium. 73. 75 & 180. 224

Deus, dum nos vocat, noſtræ inclinationi ſe accommodat. ibid. & 372. 33

Accommodato tempore prædicandum. 190. 279

Accommodandum tempori, & occaſioni. 239. n. 14 & 546. 57

Accommodatum tempori, & occaſioni eligendum eſt medium. 428. 93

Prædicator bonis, & malis ſe accommodet. 584. 84

Infirmis accommodandum. 608. 17

*Accuſare.*

Accuſandi occaſiones ſemper obſeruat iniquus. 55. 110

Accuſator aſſuetus multa ſæpe falſa dicit. 136. 3

*Actus.*

Actus verus non procedit carne phantaſtica. 492. 49

*Admonere.*

Vide *Reprehendere.*

*Adoratio.*

Vera adoratio ex affectu cordis. 177. 213

Adoratio perſeuerantiam requirit. ibid. 216

in Adoratione debent in Deum potentiæ eſſe defixæ. ibid.

Homines, non te, ſed tua adorant. 593. 32

*Aduentus.*

Aduentum Domini qui obſeruant, viuunt: qui verò non ſentiunt, moriuntur. 82. 122

In Incarnatione Deus ex laudatione angelica ad mundi volubilitatem venit. 196. 6

Aduentum Domini inſenſibilia gratulantur. 541. 24

in Aduentu ſuo Deus, non iudicium, ſed miſericordiam oſtendit. 579. 53

Vide *Incarnatio.*

*Aduerſitas.*

in Aduerſitate nullus te agnoſcit; in fœlicitate omnes ſunt amici. 161. 133


Aduerſitas

Aduerſitas deiungit fratres. ibid.134
Qui te in aduerſitate agnoſcit, laudabilis valde. 318.init.

*Adulatio.*

Adulationis guſtus leuis occidit. 520.84
Peccator adulationibus plenus difficile ſanatur. 532.61
Adulationibus non eſt acquieſcendum. ibid.
Adulatio poteſtatis, inferiorum timor. 502.31
Adulatio animum maximè inclinat. 519.76

*Adulterium.*

Adulterij turpitudo ſupplicio maximè digna. 358.29
Adulterij ſcelus Deo maximè inuiſum. ibid.

*Æſtimatio.*

Id, quod multo labore, ac ſanguine ſtetit, in magno pretio habetur. 371.6
Quæ difficiliter aſſequuntur, in magna habentur æſtimatione. 631.13

*Affectus.*

Affectus carnis etiam nomine tenus, in obſequio Dei amputandus. 18.init.
Affectus particularitatis longè diſtat à Deo, atque à principe vero. 113.275
Affectus pius à Deo pro opere muneratur. 391.22
Affectio bona requiritur in auditoribus ad percipiendum verbum. 457.39
Affectus cordis, non externa verba, Deo placent. 521.90
Affectus eorum, qui non te, ſed tua ſequuntur, repudiandus. 528.35

*Afflictus.*

Vide *Laborantes.*

*Agere.*

Agat homo de illis, quæ ad ſe pertinent. 182.138

*Aliena.*

Aliena nunquam condecorant. 444.76
in Alienis rebus nemo ſe intromittat. 523.2

*Ambitio.*

ob Ambitionem Sacerdotes iniqui res Sacras vendunt. 35.18
Ambitio generat diuinorum contemptum. ibid.19
Vt deſiderata impetret, nullam homo infamiam reſpuit. 411.132
Ambitioſus aliis nihil dare cupit. 266.37
Ambitioſus te, non propter te, ſed propter tua ſequitur. ibid.41
Ambitioſus prælatus ad nihilum valet, niſi vt mittatur foras. 315.58
Ambitio excæcat homines. 427.83
Qui loca ſibi ſolum cupiunt, à diuinis arcentur. 457.42
Ambitioſus ſolum in bonis eſſe optat. 524.10

*Amicitia.*

Amicitia ad interrogandum præſtat animum. 182.37
Amicitia in conuerſatione contemptum ne pariat, vide *Conuerſatio.*

*Amicus.*

Amicus, ex ſuo genere, magis, quàm inimicus diligendus. 376.init.
Amici amor debitum. ibid.61
Amicus ſolus tuas laudes cognoſcit. 538.10
Amici tui te ſæpe oppugnant, & contradicunt. ibid.
Multi promittunt magna in ſerenitate; & in tentationis tempore deficiunt. 472.48
Amicus beneuolè fouendus. 509.19
Amici, ac familiares fauore ſpeciali proſequendi. 513.39
Amici non conueniunt, niſi ad diuites. 574.22
Amicorum benigna voluntas non contemnenda. 7.19
Amicus amici honorandus. 10.40
Amico nec leuis iniuria facienda. 11.43
Amici ad vltimum tempus opera maiora reſeruant. 16.67
Amicus verus, non eſt ad tempus. 57.120
Cum amico ſecreta cordis communicanda. ibid.121
Amici in felicitate plurimi, in aduerſitate nullus. 161.133 & 539.18
Amico, ſi propter eum conſanguinei relinquantur, magna obligatio fit. 196.4
Amicus curare debet, ne ſuus amicus à ſibi miniſtrantibus deſeratur. 239.15
Amicus ſolus agnoſcit magnalia tua. 241.25 & 393.25
Amici honore, dignitate, & fauore proſequendi. 242.31
Amicus, qui eſt propinquior animo, ſit & loco. 273.38
Amici benignitate trahendi. 275.51
Amicus ille laudabilis, qui te, non in ſerenitate, ſed in aduerſitate agnoſcit. 279.73
Amicus verus rarò inuenitur, vt diligatur. 374.48
Vide *Amor.*

*Amor, Amare.*

Amor preces non requirit. 12.51
Amor verus, non in felicitate, ſed in preſſura declaratur. 16.68
Amor abſcondi nequit, ſed ſe ipſum manifeſtat. 65.35
Amoris affectus videtur à cæcis etiam oculis. ibid.
Amor noſter inter Deum, & mundum non diuidendus. 65.34 & 36.25
Amor tormentis non minuitur. 108.252.253
Amor ad creaturas, ſine aliquo diſpendio ſtare nequit. 63.23
Amor verus nil ſibi retinet, largitur omnia. 107.141
Amor magis mouetur, dum res delicta patitur, quam dum amans moritur. 108.248
Amans ob dilectum paruipendet periculum. ibid.250
Vbi amor tuus, ibi & omnia tua. 109.256.186 n.256
Amor in vnam partem declaratur, dum quis integerrimè quærit. 175.205
Amor audax, & moræ impatiens. 202.46
Amor verus ſequitur abſque præmio, & vt tantum laboret. 251.90
Amor, non te, ſed tua quærens, ac ſuas commoditates ſectans, imperfectus. 273.41
Perfectus vero, è contra. ibid.42
Amor perfectus, non ſuum commodum quærit, ſed vt ſeruiat dilecto. 279.init.
Amorem ſuum manifeſtare, amanti valde gratum. ibid.
Amanti omnia ſuauia. 338.197
Amor verus pœnis non minuitur. 48.80





Omnia clara, & amabilia ob ſalutem amputanda. 336.18
Non datur perfectus amor noſtri erga Deum ſine amore erga proximum. 409.125
Plures trahuntur pœna, quàm amore. 432.14
Amor proximi totam legem includit. 461.init.
Opus amoris laudatur, & non timoris. 521.85
Quos ardenter amamus, eorum mala grauiora iudicamus. 614.init.
Amans dum parum perdit, totum exiſtimat perdidiſſe. ibid.

*Amor Dei.*

Diuinus amor non poteſt abſcondi, ſe ipſum manifeſtat. 65.35
Diuini amoris principium, & finis maxime nobis abſconditus. 82.120
Licèt alia Dei opera manifeſtentur, quæ tamen ſunt amoris, ob ſuam altitudinem nobis maxime occultantur. ibid.
Chtiſtus in cruce inflammatus amore. 98.196
Deus nos maximè diligit. 104.225
Amor Dei prouocat noſtrum amorem in ipſum. ibid.227
Dei amor cum ratione. ibid.230
Diuina bonitas diuinæ dilectionis radix. 105.231
Amor Dei ab aliquo creato amore ſuperari non poteſt. 152.90
Amor Dei in homines eximius. 106.138
Solus filius Dei vnigenitus diuitias diuini amoris declarare poterat. 106.239
Amor inter diuinas perſonas æqualis. ibid.
Diuinus amor ſua reputat in pauca; noſtra verò in multum. 108.251
Deus æquali dilectione vnum diligit, ac omnes. 111.262
Diuinus amor plura tormenta deſiderabat. 109.253
In Chriſto igneus amor. 196.6
Amor Dei, & proximi coniunguntur. 299.204

*Amor inimicorum.*

Amor inimicorum omnia ſuperat, & etiam indomitam compeſcit naturam. 368.15,16,17
Ad præſentiam amoris inimicorum miniſter vindictæ, etiam iuſtæ erubeſcit. ibid.16
Vbi eſt amor inimicorum, victoria eſt certa. ibid.17
Amor inimicorum fortis armatura ad debellandos hoſtes. 771.27
Dilectio inimicorum corona, ac vertex omnium virtutum. ibid.28,29,30,31
Qui inimicos diligit, iam habet perfectionem ad Deum videndum. ibid.30
In dilectione inimicorum omnes virtutes complectuntur. ibid.31
Duce Chriſto maximè creſcimus in dilectione inimicorum. 372.34
Si diligis inimicum, Deus eſt paratus ad tui cuſtodiam, & vindictam. ibid.35
Dilectio inimicorum index diuinitatis. ibid.37,38,39,40
Inimicus eſt amandus, quia eſt Dei imago. 273.43
Noſtræ opes non ſunt denegandæ inimicis. ibid.44
Per inimicos maximè exercitamur ad multa bona impetranda. 374.46
Per inimicorum amorem maximè ſimilamur Deo. ibid.47,99
Si amicus tantum eſt diligendus, nullus erit diligendus, cum raro detur amicus verus. ibid.48
Nos cum ſimus Chriſtiani, non ſimus digni, vt habeamus aliquem in odio. ibid.49
Per amorem inimicorum duplicem victoriam, ac mercedem conſequimur. ibid.51
Amor inimicorum ad ſe trahit cœlum in ſui auxilium. 375.55,56
Pro diligente inimicos cœlum facit ſigna, & prodigia. ibid.
Amor inimicorum maioris meriti, quam amicorum. 376.58,59
Amor amici debitum, inimicorum verò opus meriti. ibid.61
ex Amore inimicorum magna perfectio reſultat. ibid.62
Amor inimicorum maximè gratus Deo. ibid.63
Amor inimicorum valde mirabilis, & omnium rapit oculos. ibid.64
Verus amor inimicorum eſt affectu, & effectu. 377.67
Qui habet dilectionem inimicorum omnibus præfertur. ibid.69
Amor inimicorum emollit animum inimici. ibid.70,71
Magna redundantia amoris orare pro inimicis. 378.73
Dei amor maximè in inimicos oſtendit beneficia. 380.83
Quid de præcepto teneamus in dilectione inimicorum. 381.90,91,92
Per amorem inimicorum recuperat homo honorem deperditum. 383.100
Amore inimicorum fit homo filius Dei, & magna excellentia. ibid.101,102
Amor inimicorum nota, ac ſignum filiorum Dei. ibid.103,104
Inimicorum dilectio ad admirabilem excellentiam extollit creaturam. 384.107.108
Amor inimicorum præſtantiſſimum locum denotat. 385.111,112
Amor inimicorum conſummatio virtutum. 409.init.
Amor inimicorum maximè commendatur à Deo. 411.136
Amor in oratione pro inimicis, vide *Oratio.*

*Andreas.*

Ex omnibus Apoſtolis Petrus, & Andreas ſubierunt crucem. 240.19

*Angelus.*

Cur Angelorum peccatum non deſcribatur. 175.206

*Anima, & Animus.*

Anima, quæ Deum non ſentit in ſe, moritur. 83.121.122.123
Vir duplicis animi non eſt aptus ad Regnum. 340.5
Animus perturbatus non attendit ad neceſſaria. 437.41
Animus timore perturbatus, non audit, nec percipit quæ dicuntur. 549.77
Prius agendum de anima, quàm de corpore. 538.8

*Antiquitas, Antiquus.*

Antiquus in obſequio nobilitandus. 25.107
Antiqui,qui tempore,ac labore præceſſerunt,venerandi ſunt. 192.89
Antiquorum bene facta,ac veſtigia ſequenda, & imitanda. 343.29
Antiqua ſequenda, & obſeruanda, vide *Conſuetudo.*

*Apoſtolus.*

Apoſtoli electi, vt eſſent teſtes myſteriorum Chriſti. 240.21
Apoſtolorum excellentiæ non ſolùm per affirmationes, ſed etiam per negationes explicantur. 327.131
Apoſtoli magna libertate ſe dabant in publicum ob doctrinam Euangelicam. ibid.132

*Appetitus.*

In rebus huius ſæculi non ſatiatur noſter appetitus. 162.135
Appetitus temporalium excæcant homines. 427.82,83
Maior pugna ab appetitu, quàm ab inimico. 513,41
Ad vincendos appetitus manus Ioſue explicatur. ibid.42
Plura requiruntur ad vincendos appetitus, quam hoſtes externos. ibid.43

*Aqua.*

Aqua in puteo, ſignificat voluptates huius ſæculi. 162.135

*Arduus.*

Quæ in acquiſitu ſunt ardua, in poſſeſſione gratiora. 343.27

*Arguere, Argumentum.*

Valde efficax argumentum, dum quis à propriis conuincitur. 241.26
Vide *Reprehendere.*

*Arrogantia.*

Arrogantiæ,ac inſolentiæ nota euitanda. 345.36
Vide *Superbus, Inſtantia.*

*Ars, Artifex.*

Ad quamlibet rem proprij illius artifices ſunt vocandi. 246.56,57
Ars nunquam adæquat naturam. 444.78
Vide *Scientia.*

*Architriclinus.*

Vnde ſit dictus. 27.118
Quiſnam eſſet Architriclinus. ibid.120
Quale eius officium. ibid.121

*Aſtrologia.*

Aſtrologicis obſeruationibus non fidendum. 446.86

*Auarus, Auaritia.*

Auari meliora occultant. 28.124
Auaritia, & Deus non poſſunt eſſe ſimul. 36.24
Auaritia valde grauis eſt. 594.36

*Autor.*

Autor criminis eſt reprehendendus, vt malum ceſſet. 130.48

*Autoritas.*

Autoritas magni viri multum valet ad reprimendum populum. 62.18
Procurandum eſt bonum illæſa autoritate Domini. 620.54

*Audax.*

Vide *Præſumptio.*

*Audire, Auditor.*

Vt alicuius dicta audias, neceſſe eſt, vt concipias de eo opinionem. 168.165
Auditor verbi Dei capax ad recipienda præcepta. 223.45
Bonus auditor, finito ſermone, non recedit à Chriſto. 484.1
Animus perturbatus non audit,quæ dicuntur. 551.87
Deus ſæpe diſſimulat ſe audire,vt cum maiori gaudio ſuſcipiatur poſtulatum. 17.init.
Imbecillitati auditorum accommodandum. 100.207
Auditor non eſt contriſtandus. 102.218
Animus mœrore affectus non eſt capax ad audiendum. ibid.
Auditor verbi Dei, debet omnia adimplere quæ audit. 134.67
Auditoribus non ſubitò magna ſunt dicenda, ſed paulatim promoueantur ad illa. 162.139
Auditores,vt percipiant verbum, adſit in eis bonus affectus. 243.38,39

*Aulicus.*

Aulicus,quanta ſuffert ob ambitionem. 35.20
Aulicus, ac intimus amicus Regis, vt Rex, ac vt Dominus imperat. 199.29
Aulici ad ſuum commodum, ac nutum trahunt Regem. ibid.30
Aulicus,vt Rex imperat. ibid.
Aulici amicitia Regis multum licentioſi, 333.165
Aulicus non diſponat res ſecundum potentiam; ſed ſecundum bonum Reipublicæ. 511.30
Vide *Miniſter.*

*Aurum.*

Aurum validiſſima arma ad expugnandum. 143.36

*Auxilium.*

Princeps, quos creauit non deſerat, ſed auxilietur. 105.234
Ex ipſa miſeria mouetur diuina manus, ad auxiliandum. ibid.234
Vbi neceſſitas,ibi auxilium. 213.116
Ad victoriam Dei auxilium implorandum. 255.114
Sine auxilio Chriſti periclitamur. 542.32
Noſtris delictis reddimur indigni auxilio Dei. 545.50
Vbi vires humanæ deficiunt; pietas diuina ſuccurrit. 557.4

B

*Baptiſmus.*

Baptizati habent benedictionem cœleſtem. 442.69
A materia Baptiſmi incepit Chriſtus ſua magnalia. 24.103
Baptiſmus omnibus neceſſarius. 74.81
Quando incepit obligatio Baptiſmatis. 75.87
Proprietates aquæ, explicant affectiones Baptiſmi. 76.88
Baptiſmus reddit antiquam pulchritudinem. 78.96


in




In Baptiſmo fit mutatio à culpa originali ad gratiam. ibid.97
Chriſtus non baptizauit communiter quemquam per ſe ipſum. 137.6
Chriſtus baptizauit Virginem Ioannem Baptiſtam,Apoſtolos. ibid.
Baptiſmus Ioannis cum eo eſt terminatus. ibid.10
Baptiſmus fons aquæ ſalientis, quæ nos ducit in vitam æternam. 165.init.

*Beatitudo, Beatus.*

Per gratiam requiem, & beatitudinem tenemus. 161.132
Primus gradus ad beatitudinem, ſe ipſum cognoſcere. 281.84
Deus dat beatitudinem ſub nomine præmij ad condecorandum. 306.248

*Bellum.*

Facile homo pugnat pro ſua vita, & difficile pro aliis. 278.70
Qui refugit labores, pro te non pugnabit, niſi præmio animetur. ibid.71

*Benedictio.*

Vbi Dei benedictio, ibi pulchritudo noſtra. 31.1
Baptizati, ac ſpirituales benedicentur à Deo. 442.69

*Beneficium, Benefaciens.*

Quando neceſſitas vrget, tunc maius beneficium. 17.73
Vnum beneficium pignus ad aliud. 25.107
Omnibus benefacere Dei ſignum. 53.99 & 522.init.
Proprium eſt Domini benefacere, & ſaluare, ſerui verò damnare. 116.94
Beneficium inchoandum à tuis. 140.20
Deus pigneratur à loco ad benefaciendum. 144.41
Cognitio diuinorum beneficiorum valde neceſſaria ad ſalutem.
Ille, qui beneficia præſtat, verus pater. 161.132
Beneficia, vt omnibus abundent, per manus Domini dentur, non verò per manus miniſtri. 164.146,147
Vbi maior eſt cognitio beneficij, ibi maior obligatio. 176.210
Deus ſua beneficia reputat in paucum, noſtra obſequia in multum. 177.init.
Beneficium conceſſum abſque precibus maximè deuincit. 197.13
Beneficium datum conſeruandum. ibid.14
Deus ex vno beneficio obligatur ad aliud. ibid.
Valde gratum eſt beneficium,quod datur nullo opere iniuncto. 210.92
Beneficia,quæ à Deo veniunt,permanent,nec habent dilationes,vt bona mundi. 211.101
Id aliquando eſt Dei beneficium quod videtur ſupplicium. 214.119
Beneficia animos attrahunt, ac alliciunt. 247.64
Deus pro vno obſequio confert duplex beneficium. 227.68.69
Beneficia diuina breuiter, & ſine mora dantur. 230.83
Ob multa beneficia accepta timet prudens. 234.n.101





Beneficia ad propinquos, & remotos extendenda. 270.24
Deus ita præſtat ſua beneficia, vt etiam condecoret. 279.75
Benefaciens non repetat verbis beneficium. 311.init.
Plus obligat ratio officij, quàm magnum beneficium. ibid.28
Magnus beneficium tacet, prudenter diſſimulat verbis. ibid.26
Quos beneficia non obligant, cautos reddunt ſupplicia. 316.61,62,63
Beneficia inimico collata, tibi amplius ſunt vtilia. 377.38
Beneficiis in inimicos, eorum animos emollit. 378.init.& 71
Glorioſum inimicis benefacere. 380.83
Deus habet pro Regno benefacere. 347.93
Chriſtus venit omnibus benefaciens, & dans ſalutem. 487.15,16,17
Chriſti dona omnibus communia. ibid.
A quo beneficium petis, noli eſſe moleſtus. 490.36
Princeps ſi benefacit extraneis, benefaciat etiam domeſticis. 538.12
Homo magis obligatur beneficiis, quæ ipſe accipit, quam illis, quæ in alios videt conferri. 539.15,16
Beneficiis comparantur loca, & Regna. 571.5
Beneficia ſine retardatione danda. 633.26,27
Beneficium,vt magnum habeatur,beneuolis verbis concedendum. 578.45
Vide *Dare, Donum.*

*Benignitas.*

Amici benignitate trahendi. 275.51
Magna perſuadentur, non maieſtate, ſed benignitate. ibid.52
Benignitate perſuadentur virtutes, ſuppliciis deterrentur à peccatis. ibid.53,54,55,56
Benignitas præmittenda ante rigorem, & plus vincit,quàm durities. 281.85
In Prælato ſeueritas, & benignitas. 312.35
Efficacior benignitas, quàm rigor. 485.10 & 600.77
Benignitas diuinitatis nota. 521.93
Commotiones magnæ lenitate, & benignitate ſedantur. 552.89
Dominus oſtendit benignitatem, & ſeueritatem. 567.69
Benignitas cum iuſtitia 36.21
Benignitas, & rigor prout occaſio poſtulat. 37.27,28
Chriſti poteſtas iuſtis benigna, & ſuauis, iniquis valde rigida. d.n.28.
Maieſtas effundit timorem, at benignitas, & humanitas dat vires, & animum. 218.13,14
Benignitas valde efficax ad trahenda corda. 275.50
In lege gratiæ benignitas. ibid.

*Bona diuina, vel ſpiritualia.*

Ad diuina bona percipienda requiritur noſtra operatio. 26.117
Bona Dei ſuauiter dantur, mundi verò bona cum labore. 147.55,56,57


HHh 2 Bona

Bona mundi deficiunt, bona verò gratiæ perpetuo durant,& florent. 159.122

Dei bona,non vni,ſed pluribus communicantur. 168.169

Bona Dei largiſſima, bona mundi anguſta. 184. init.

Bona mundi deficiunt, Dei vero bona largiſſima. ibid.246

Priùs agendum de ſpiritualibus,poſtea de corporalibus. 225.init.

Quamuis temporalia ſint omnibus danda,ſpiritualia paucis. 455.31

Pro bonis ſpiritualibus, omnia temporalia contemnenda. 469.36

Vt dona diuina homo recipiat, renouetur in vita,& moribus. 611.33

Vide *Donum vel cæleſte,vel ſpirituale.*

*Bona temporalia.*

in Bonis temporalibus non eſt gaudium. 12.49

Principes ſæculi pro bonis temporalibus imperterriti; in rebus animæ, valde timidi. 64.28

Bona temporalia cum labore dantur. 147.55

in Bona mundi mala ſine vllius manu veniunt. ibid.57

Vt intelligas magna myſteria, relinque temporalia. 274.47

Dum homo vult requieſcere in bonis temporalibus,laborem inuenit. 150.76

in Bonis temporalibus non ſatiatur noſter appetitus. 162.135

Reprobantur petentes temporalia tantum. 177.216

Animæ conuerſæ in Deum bona mundi non ſunt in vſum,ſed in onus. 183.244

Temporalia relinquenda, vt habeamus cœleſtia. ibid.

Bona temporalia anguſta, bona Dei largiſſima. 184.init.& 246

Bona mundi deficiunt, bona Dei ſuperabundant. ibid.

à Bonis temporalibus proueniunt multa mala, & illis armatur homo contra Deum. 200.36, 37

Bona temporalia ſunt impedimentum ad Chriſtum ſequendum. 244.44

Exuti à bonis temporalibus vocantur à Deo ad magna. 248.73

Electus à Deo bona temporalia contemnit. ibid.74

Qui temporalia dimittit ad magna aptus. ibid. 75

Bona temporalia pariunt diuiſionem, gratia vnionem. 319.86

Potius perdantur temporalia, quàm ſupernaturalia. 363.63

Bona temporalia relinquenda ſunt, vt ſequamur Deum. 399.58

Per bona temporalia prolabitur homo ad peccatum. 408.119

Homo maximè æſtimat bona temporalia. 423.61

Bona temporalia excæcant homines. 427.83

Qui ſe Dei curæ committit, omnibus abundat, qui eſt ſub ſua ſolicitudine, multis indiget. 439.50

Bona temporalia omnibus danda, ſpiritualia paucis,& dilectis. 455.31

Ob temporalia homines nolunt Deum recipere,& ſpiritualia relinquunt. 570.85

Temporalia bona vileſcunt oculis diuinis. 600.75

Deus difficulter dat ſuis amicis bona temporalia. 617.35

*Bonum.*

Homo multiplici diſpoſitione ſe diſponit ad bonum. 59.7

Alicuius boni reſtauratio magis delectat quàm illius prima collatio. 114.280

Quidquid boni eſt in nobis Deo tribuatur. 109.256

ad Bonum deſides, ad malum veloces ſumus. 168.170

In Chriſto omnia bona. 183.243

Omne bonum Deo tribuendum. 244.43

Qui Deum habet, omnia bona habet. 230. 81

Animus rectus vult bonum illæſa autoritate Domini ſui. 620.54

C

*Calamitas.*

CAlamitas,ac iactura rerum ſæpe occaſio magnæ vtilitatis & lucri. 217.8

*Calumnia.*

Calumnia præoccupanda. 333.163

Calumnia maximè torquet. 370.25

Vide *Murmuratio.*

*Caro.*

Caro phantaſtica, vide *Actus.*

*Caſtitas.*

Caſtitas præparat ingreſſum ad vitam æternam. 191.init.

Vide *Virginitas.*

*Caſtigare.*

Deus dum caſtigat, recordatur de homine, & in ipſo ſupplicio cuſtoditur. 563.48

Deus ſi caſtigatione increpat, etiam honorat. 460.54

ad Caſtigandam malitiam nullum tempus importunum. 560.29

Vide *Supplicium,Percutere.*

*Cauſa.*

ad Cauſam,ac radicem mali occurrendum. 74. 78 & 130.48

Cauſa alicuius rei totum ei attribuitur. 325. 121

Vide *Principium,Radix.*

*Cautus.*

Ex vna re fit homo cautus ad aliam. 565. 59

Vide *Via.*

*Charitas.*

Doctor, ac Prædicator habeant magnam charitatem. 242.35

Facile homo pugnat pro ſua vita, difficile pro aliis. 278.70

Perfecta charitas ita eſt accenſa, vt non extinguatur vento vanitatis. 330.148

Charitas non limitatur in vno. 375.init.& 328. 35

Vbi charitas,ibi omne bonum. 375.54

Charitatem in fratres maximè commendat Deus. 350.75

Charitas lata,& anguſta eſt. 463.70


Charitas




Charitas pro ſe,& pro aliis loquitur. 548.69

Charitas omnia impedimenta rumpit. 574.20

Charitas omnia contemnit ob bonum proximi. 575.25

ad Charitatem, & amorem cum proximo nos obligat Deus. 350.72

Charitas in fratres,gradus ad amorem Dei. ibid. 75

Prudens charitas aliorum lapſum euitat. 352. 85

Charitas incipit à ſuis. 58.2 & 140.20

Charitas geminat voces,multiplicat affectus. 71. 63

Charitas multa largitur, pauca verò dicit. 93. 170

Charitate accenſus myſteria diuina facile penetrat. 146.51

Charitas reuocat proximum à peccatis. 155. 103

Charitas neceſſaria, vt ad ſalutem ingrediaris. 171.182

Charitas omnia facit leuia, & ſuauia. 183.240

Charitas diſſimulat ſe ſcire, vt alij doceantur. 212.106

Chriſtus maximè vult, vt inter nos ſit charitas,ac vnitas. 242.33

Chriſtus in ſuis magnam vult charitatem. ibid.34

Charitas non poteſt abſcondi. 326.init.

Vide *Amor inimicorum,Communicare.*

*Chriſtus.*

Chriſtus conſulit noſtræ vtilitati, non ſuo commodo. 8.24 & 187.261

Chriſtus multa præbet ſuis fidelibus. 8.27

Chriſtus gaudium,& noſtra lætitia. ibid.26

Chriſtus fecit,quæ docuit. ibid.29

Chriſtus idem cum ſuis membris. 9.32

Chriſtus ſibi aſpera, nobis ſuauia reſeruat. ibid. 33

Chriſtus ad ſui honorem determinauit tempus, non verò ad alios honorandos. 19.79

Chriſtus humilia quærit. 6.16

Chriſtus Dominus verus Deus,veruſque Meſſias. 58.1 & 630.7

vt Chriſtus inueniatur, delitiæ relinquendæ. 64. 30

Chriſtus nos facit participes ſuæ dignitatis. 68. 48

Chriſtus plus æſtimat noſtram ſalutem quàm ſuam dignitatem. 69.58,70 & 600.75

Chriſti poteſtas iuſtis benigna,iniquis rigida. 37. 28

in Chriſto ſuauitas cum rigore, in mundo totum crudelitas. 41.46

Chriſtus accommodat ſe hominibus. ibid.

Chriſtus verus Rex. 52.98

Chriſtus vult,vt ei aſſimilemur. 75.85

Cum Chriſto, ac eius gratia omnes difficultates vincuntur. 77.94

Chriſtus ob ſuam modeſtiam verborum inuolucro ſe occultabat, dum de ſe magna ac ſuas laudes dicebat. 66.41,250,251 & 209,85, 86,87

Chriſtus frater noſter eſt, & ideo omnes habeamus fiduciam accedendi ad eum. 93.171

Chriſto erat maximè fixa ante oculos humilitas, ac abiectionaturæ. ibid.172

Chriſtus glorias ſuas connectit cum humilitatibus. 94.178

Chriſtus recordabatur de ſalute noſtra, non verò de iniuria hominum. 95,183

Chriſtus, vt verus Præſul totum corpus ſuum circunſpicit. 97.190

Per Chriſtum remedium contra venenum peccati. ibid.191

Chriſtus immortalis, & æternus. 98.195

Chriſti patientia, & fortitudo in paſſione. ibid.

Chriſtus durus contra peccatum. ibid.

Chriſtus in paſſione noſtri amore inflammatus. ibid.196

Chriſtus in paſſione deſertus ab omnibus. 99. 201

Chriſtus dat vitam æternam. ibid.

Impius in Chriſto non videt miſericordiam, ſed iuſtitiam. ibid.203

Chriſtus in cruce triumphauit de inimicis. 100. 208

Chriſtus homo ſibi, Deus nobis. 102.217 & 511.33

ex Chriſti morte vita prodiit. 102.220

Chriſtus nos reddit ſecuros de præmio, 103. 224

Cum Chriſtus ſit frater noſter, magnam fiduciam habemus accedendi ad eum. 107. 243

Chriſtus ob ſuum amorem, quæ pro nobis egit, in pauca reputat. 109.init.

Chriſtus,quæ pro nobis eſt paſſus,in pauca reputat,noſtra verò in multum, 108.251

Chriſtus oſtentationem declinat. ibid.

Chriſtus pro vno ſolo omnia tormenta ſubiret. 111.262

Ita dolet Chriſtus, dum vnus periit, ac ſi multi periiſſent. ibid.

Chriſtus magis declaratur filius ſui Patris, dum pro nobis patitur, quàm dum regnat. ibid. 266

Chriſtus Dominus donum Dei. 158.119

Chriſtus de ſe aperit magna, non verbis,ſed operibus. ibid.

Chriſtus de ſe prædicat humilia, & abſcondit magna. 176.210

in Chriſto Ieſu omnia bona. 183.243

Chriſto obedire Patri valde periucundum. 188. 269

Bona noſtra opera delectant Chriſtum. 189. init.

Chriſtus eſurit noſtram ſalutem, & ea, tanquam dulciſſimo pabulo reficitur, & paſcitur. ibid. 274

Chriſtus ob modeſtiam occultabat ſuam potentiam. 209.85

Chriſtus incepit facere, quod docebat. 245. 54

in Chriſti vultu diuinitas reſplendebat. 251. 92

Vultus, ac verba Chriſti lætitiam dabant triſtibus. 217.9

Maieſtas effundit timorem, benignitas autem, & humanitas Chriſti dat vires, & animum. 218.init.

Chriſtus mortuus, ac paſſus eſt, vt nos viuamus, ac ſimus à malo liberi. 226.62

Chriſtus omne malum conculcauit, vt nihil à nobis ſit timendum. ibid.63

Cum Chriſto veniunt omnia bona. 230. 82






Chri

Chriſtus nos quærit. 261.3
Chriſtus ſurſum eleuat mentes. 282.93
Chriſtus de ſe humilia dicit, magna dicenda aliis relinquit. 332.160
Vbi Chriſtus, nulla poteſt eſſe diſcordia. 351.79
Chriſtus ſua nobis communicat. 398.55
Chriſtus vult vt magna ab eo petantur. ibid.
Qui Chriſtum habet, omnia habet. 449.101
Chriſtus venit in omnium remedium & ſalutem 487.15
Chriſtus ob noſtram ſalutem omnia contemnit. 492.init.
A conſpectu Chriſti fugit immunditia. ibid. 45,46
Chriſtus valde ſolicitus de noſtra ſalute. 516.57
Chriſtus abſconditus magna miracula operatur. 517.59
Chriſtus nos docet bona opera occultare. ibid. 61,62
Chriſtus tripliciter ſanauit. ibid.63
Chriſtus dæmones eiiciebat verbo. 518.init.
Debemus conformari cum Chriſto, & non illum velle ad noſtrum modum adducere. 537.3
Chriſtus pro noſtro bono omittit tempus ſuæ commoditatis. 537.6,7,8
Chriſtus oſtenditur Dominus, & in mari, & in terra. 541.30
Diabolus fugit ab imagine Chriſti. 565.58
Chriſtus noſtras infirmitates ſuſcepit, & nobis dat ſua dona. 572.10
Chriſti humilitas deſpectos filios dicit. 577.43
Cur Chriſtus de ſe non dixit palam ſe eſſe Deum. 583.80,81
Chriſtus maximè gloriatur de his, quæ habet per merita. 596.92
Chriſtus in modo loquendi aſſimilatur ſuo æterno parenti. ibid.91
Chriſtus omnes vices mutat in melius. ibid.
Chriſtus non poteſt eſſe in loco immundo. 592.21,22
Chriſtum ſequentes ipſum repræſentamus & induimus. 596.49,50,51
Chriſtus rebus omnibus poterat vti ob ſuum ſupremum dominium. 601.82
Chriſtus tanquam è conſulto agit de bono communi, tranſeunter verò de particulari. ibid.83
à Chriſto longè diſtat particularitatis affectus. 113.275
Chriſtus non venit, vt Rex ad iudicandum. 115.283
Chriſtus, vt filius Dei ſalutat & benefacit. 116.295
Chriſtus maximè gloriatur de humanitate, ac paſſione. 139.19
Chriſtus aſſumpſit noſtram miſeriam, & nobis dat ſuam gratiam. 146.54
Chriſtus maximè dolet noſtra tarditate. 149.70
Chriſtus cum fidelitate ac obedientia ſuorum lætatur, cum infidelitate dolet. ibid.72
Chriſtus multipliciter fatigatur pro nobis. 150.74
Chriſtus apud iuſtos requieſcit. 151.80.87
Chriſtus omnia myſteria ſuperintelligit. ibid.81
Chriſtus ad ſuas neceſſitates ſubleuandas mediis vtitur humanis, ad noſtras verò potentiam adhibet diuinam. 154.98
Chriſtus pro nobis omnia contemnebat. 617.36
Quod eſt in Chriſto, magnum & ſublime eſt. 621.61
Vide *Amor Dei, Charitas, Præſentia, Miſericordia, Liberalitas, & Paſſio Chriſti.*

*Chriſtianus.*

Qui in ſchola Chriſti militat, debet eſſe obediens, & perſeuerans. 238.5
Chriſtiani moriuntur ſæculo, vt Chriſto viuant. 250.82
Vide *Iuſtus, Fidelis.*

*Cibus.*

Prius agendum de cibo ſpirituali, quàm corporali. 225.init.
Ex defectu cibi triſtitia. 412.2

*Clementia.*

Dei clementia, vbi rigor, remouentur indigni ne pereant, vbi gratia, vocantur omnes. 274.45
Vide *Miſericordia.*

*Cœlum, Cœleſtia.*

Imperfecti non admittuntur ad cælum. 9.31
Contempta terra eundum eſt in cœlum. 76.91
Per anguſtam portam itur ad cœlum. 97.190 & 462.65,66
Vt habeas cœleſtia, relinque temporalia. 183.244
Noſter cibus deſiderare cœleſtia. 186.270
Qui cœleſtia conſiderat, omnia terrena deſpicit. 212.108,109,110
vt Cœleſtia valeas contemplari, relinque terrena. 274.47,48
vt Cœleſtia poſſis videre, claude oculos mundo. 308.203
Magnum Regnum habere cœleſtia dona. 302.226
Noſtra pigritia ad cœlum. 404.83
Via cœli arcta, ſed ſuauis. 462.65,68
Via cœli contraria terrenis. 537.1
vide *Bona diuina, vel ſpiritualia.*

*Cogitare.*

De his, quæ quilibet cogitat, exiſtimat alios tractare. 166.158

*Cognitio.*

Propria cognitio peccatorum valde neceſſaria ad emendationem, & reformationem. 168.init.
Diabolus intentat, ne noſtra delicta videamus, iuſti verò procurant dare cognitionem illorum. 172.288
Quanto quis magis cognoſcit de Deo, tanto maiorem habet reuerentiam. 217.12
Qui ſe cognoſcit, flet, & leuat peccatum. 219.21
Ille eligitur ad magna à Deo, qui ſcit ſuos defectus agnoſcere, ac deplorare. 220.24
Primus gradus ad beatitudinem ſe ipſum cognoſcere. 281.89
Qui ſe agnoſcunt, lugent, & non derident alterum. 291.init.
Valde glorioſum, quod alij cognoſcant tuam dignitatem. 299.209
Cognitio propria valde vtilis. 311.33
Cognitio infirmitatis diuinam miſericordiam ſolicitat. 513.40
Cognoſcere cœleſtia, ſeu diuina, vide *Cœleſtia.*
In ſublimitate retine tui cognitionem. 539.14 & 591.13
Cognitio debet præcedere ad medicinam infirmitatis. 544.47







Prælatus ſua peccata agnoſcat, vt ignoſcat. 596.45
Vt homo reformetur, debet ſuam imbecillitatem agnoſcere. 73.76 & 148.64,65,66
Notitia Dei omnium virtutum poſſeſſio eſt. 78.97
Cognoſcere ſuam ignorantiam gradus ad ſapientiam eſt. 85.132
Cognitio propriæ vtilitatis ſit maximè ante oculos. 93.172.277
Dum cauſa mali cognoſcitur, ideſt remedium. 95.182
Mundanus ſolum cognoſcit in aliis, quæ deprimunt, non quæ extollunt. 156.123
Cognitio diuinorum beneficiorum valde neceſſaria. 158.117

*Commodum.*

Tunc gloria Dei manifeſtatur, quando noſtrum commodum interuenit. 29.132
Homines potius attendunt ad ſuum commodum, quam ad alterius reuerentiam. 217.10
Perfectus amor non quærit ſuum commodum, ſed vt ſeruiat dilecto. 279.72
Facile homo fauet erroribus, à quibus habet commodum, & alimentum. 340.9,10
Homo maxime ducitur ſuo commodo. 423.63
Quilibet de ſuo commodo agat ſine alterius detrimento. 464.6
Noſtrum commodum non eſt procurandum aliorum damno. 488.init.
Pro tuo commodo ne ſis aliis detrimentum. ibid.22,23
Deus attendit ad commoditates creaturarum. 200.31
Vide *Vtilitas, Prælatus.*

*Commune.*

Communia ne facias particularia. 400.64
Chriſti beneficia omnibus communia. 487.15,16,17
Id quod commune maxime ad ſe rapit diuinos oculos. 593.27
Deus è conſulto agit de bono communi tranſeunter verò de particulari. 601.81,82,83
Vide *Bona.*

*Communicare.*

Qui diuina bona habet, omnibus communicat. 165.152
Diuina bona, non vni, ſed pluribus communicantur, 168.169
Vbi cœleſtia dona communicantur, ille vrbanior, qui anticipat 239.11
Maxime gaudent iuſti, quod ſua bona ſint aliis communicata. 307.255.266 & 599.72,73
Principes ſuas dignitates ſuis communicent. 321.93.44.95
Chriſtus ſua nobis communicat. 398.55 & 490.36
Vide *Charitas, & Commune.*

*Condemno.*

Valde durum, quos non iuſtitia, ſed pietas condemnat. 432.11
Vide *Supplicium.*

*Confeſſio.*

Per confeſſionem mundatur conſcientia. 168.165
Qui ſuum delictum agnoſcit, non erubeſcit confiteri. 169.173
Qui eſt primus in confeſſione, ſit primus in honore. 184.250,251
ex Confeſſione magnus honor prouenit. ibid.
Confeſſio peccatorum gradus ad magna. 236.116
Confeſſio ſit humilis, integra, & verecunda. 490.35

*Confidentia.*

Falſa confidentia excludenda. 57.120
Vide *Spes.*

*Conſolatio.*

Diabolus omnem conſolationem, ac leuamen aufert. 558.16

*Ccouncil.*

Coniux nihil accipiat abſente, & inſcio marito. 168.168
Coniux impedit eleemoſynam viri. 393.24
Vide *Mulier.*

*Conſanguinei.*

Iniuria in conſanguineos grauiſſima. 127.33
Conſanguinei ſunt honorandi beneficio, ac dignitate. 242.31
Conſanguinei maxime mouentur ad ſequendos ſuos conſanguineos. 256.20
Tui cōſanguinei ſæpe te cōtradicunt. 393.25
Conſanguinei, qui cum Deo haberi poſſunt, non ſunt relinquendi. 507.13,14,15
Conſanguinei benignè ſunt fouendi. 509.19
Conſanguinei recordantur de Eccleſiaſticis in ſuis laboribus. 510.26
Conſanguinei ſolum neceſſitatibus ſuorum tanguntur, quando eis indigent. 511.32
Conſanguineorum aſpectus valde nociuus. 536.init.

*Conſcientia.*

Conſcientia arguit, & loqui non ſinit. 43.57
Mala conſcientia accuſatrix eſt. 120.309
Conſcientia pungit, & accuſat. 352.88
Bona conſcientia dat ſecuritatem, ſecus mala timorem. 546.58,59,60

*Conſeruatio.*

Beneficium datum conſeruandum, vide *Beneficium.*
Prius homo debet intendere conſeruare, quæ habet, & poſtea acquirere aliena. 317.68
In dignitate præſidendi, includitur obligatio conſeruandi ſuos. 321.97,98
Valde ſolicitus ſis in conſeruatione donorum cœleſtium. 402.81

*Conſideratio.*

Magna antequam aggrediamur conſideranda ſunt. 237.2
ſi Conſiderentur omnia illius, qui perfectus reputatur, imperfectiones comprehendentur. 342.19,20,21
Vide *Cognoſcere.*

*Conſilium.*

Conſilium bonum cuſtodit, ac firmat ciuitatem. 245.37
Boni conſiliarij quærendi. 358.26
In arduis neceſſitas dat conſilium. 619.42
Vide *Prudens.*

*Conſtantia.*

Homo dicit fortitudinem, ac conſtantiam. 59.6
Conſtantia magni animi index. 68.47
Homo ſit conſtans in ſuis dictis 361.48

*Conſuetudo.*
Praua conſuetudo contra canones non eſt admittenda. 40.init.
Conſuetudo antiqua difficile amittitur. 38.124
Antiqua conſuetudo obſeruanda. 148.63 & 262.17,18
*Contemno, Contemnere.*
Iuſtus non contemnat inferiores. 7.19
Felices leui aura offenduntur, contemptibiles qualibet re lætantur. 66.41
Contempta terra eundum eſt in cælum. 76.90
Quamuis Chriſtus eſſet contemptus, non contemnit, ſed noſtram ſalutem quærit. 158.init.
Homo ob aliquam vilem conditionem non eſt contemnendus. 206.68
Qui reſpicit cæleſtia, omnia temporalia contemnit. 212.108,109,110
Iuſtus bona temporalia contemnit, & magna impetrat. 248.74,75
Qui res contemnit, multa elargiri poteſt. 272.35,36
Conuerſatio ne pariat contemptum. 274.44
Bona quæ nobis offeruntur non contemnenda. 349.68,69
Pro ſalute animæ omnia temporalia contemnenda. 266.36,37
Vide *Bona temporalia, Mundus.*
*Contemplatio.*
Vide *Mediator.*
Vt cœleſtia valeas contemplari, relinque terrena. 274.47,48
Vt cœleſtia valeas contemplari, claude oculos mundo. 299.init.
*Contentio.*
Contentiones magnæ benignitate ſedantur. 552.89
*Contumelia.*
Iniqui dicunt contumelias in iuſtos. 304.238
Silere & patienter ferre contumelias rara vir- & conſummatio perfectionis. 305.246,247
Vide *Patientia, Iniuria.*
*Conuerſio.*
in Conuerſione relinquantur antiqua. 25.109
Conuerſio peccatorum magnum miraculum. 590,7,8,9 & 30.init.
Recenter conuerſus benignè fouēdus. 147.60
Animæ conuerſæ in Deum bona mundi ſunt in onus. 183.244
Dei, & non prædicatoris eſt animas conuertere. 248.71
Conuerſio vnius magiſtri, ac Doctoris valde difficilis. 315.54
*Conuerſatio.*
Si in conuerſatione dicuntur aliqua minus grata, interrumpimus quæſtione diuerſa. 174.199
Cum eis conuerſandum, cum quibus amicitia non pariat contemptum & qui ſciant tibi dare reuerentiam. 274.44
Conuerſatio conſanguineorum valde nociua, 536.init.
*Conuincere.*
Valde efficax argumentum dum quis à propriis conuincitur. 241.26
*Cor.*
Affectus diuitiatum in corde valde nociuus. 285.110
*Credere.*
Credenti omnis triſtitia vertitur in gaudium. 26.init.
Vt te credas alicui magna experientia requiritur. 57.229
Vt alicui credas, neceſſe eſt, vt magnam opinionem de eo concipias. 168.165
Qui credit homo, & vir eſt. 206.62
Facile homo credit ea, quæ deſiderat. ibid.63
Qui verè credit proficit per opera. 208.81
Vide *Fides.*
*Crimen.*
Crimen Eccleſiaſticorum non eſt puniendum à ſæculari. 42.init.
Tenebræ maximè patrocinantur criminibus. 120.310
Homines volunt in ſuis criminibus habere patrocinium à lege. 368.13
Ob vnius crimen totus hominum gradus non eſt damnandus. 580.62
*Crux.*
Cruce liberamur à malis. 77.93
in Cruce Chriſtus inuenitur. ibid.
Crux præbet auxilium ad omnes labores, ac preſſuras ſuperandas. ibid.95
per Crucem Deus, & homines in cælum aſcendunt. 91.159
Cruce Chriſti exaltantur iuſti, & peccatores deprimuntur. ibid.
Crux Chriſti eius gloria. 94.180
Gloria Chriſti non declaratur ſine Cruce. ibid.181
Diabolus timet crucem. 97.192
Per crucem euacuatur venenum diaboli. ibid.
Plus valet crux ad excludendum peccatum, quàm multa alia myſteria. ibid.193
Crux omne bonum. ibid.
Crux maximè reſonauit, ac inſonuit per totum orbem. 98.197
Duce ſancta cruce altiſſima myſteria præcipiuntur. ibid.198
Crux illuminat, & docet nos. ibid.205
Vbi crux apparuit omnes gentes ad Chriſtum confluunt. 100.209
Crux recognoſcitur, vt gloria Chriſti. 101.init.
In maieſtate ſimilitudo gloriæ, in cruce vera gloria. ibid.212
Per crucem omnia illuminantur. ibid.216
Per crucem mens eleuatur ad ſuperna. ibid.
Crux fons vitæ. 102.221
Tota requies, & recreatio à cruce. 150.75
in cruce Chriſti recapitulantur omnia eius magnalia. 335.180
Cruce ſaluantur homines. 543.42
Crux dat vires, ac fortitudinem, & illuminat mentem. 549.init.
Cruce Chriſti maximè munimur contra hoſtes. 563.51
*Culpa.*
à Culpa tranſmigrandum. 6.15
Culpa dicenda, & non exaggeranda. 169.74
Vide *Peccatum.*
*Cupiditas.*
Qui cupiditates abiiciunt ad magna apti. 248.69
Cupiditas diuitiarum valde nociua. 284.109
Ad cœleſtia non vocatur id quod eſt immerſum



ſum in terrena cupiditate, ſed quod eſt ab illa liber. 592.23
Vide *Appetitus.*
*Cura.*
Cura Regis, vel patris familias, vide *Rex, Solicitudo.*
*Curioſus.*
Curioſitate aliquando ineſcantur homines ad ſalutem. 186.259

D

*Damnum.*
Damnum emergens mali, legem Dei in caſu iuſti conſiderant. 47.75
Quod iuſtis eſt ad meritum, iniquis eſt ad damnum. 54.104
Peccatores ſuo damno doceantur. 565.57
Id, quod aliquando videtur damnum, eſt beneficium. ibid.
Ex vno damno fit homo cautus ad aliud fugiendum. ibid.59
Vt euitemus temporalia damna, mundemus conſcientiam. 580.59
*Dare.*
Magnus multa dat, pauca loquitur. 93.170. 250.84 & 627.97.
Deus petit, vt habeat occaſionem maiora dandi. 153.96.
Iuſtus libenter dat, peccator verò ſemper denegat. 156.108
Qui non vult dare, ſemper inuenit difficultates. ibid.
Qui non vult dare frequenter ſolet conſilium præbere. ibid.109
Quæ Dominus dat ſatiant, non verò, quæ Miniſtri diſtribuunt. 164.146
Deus plus dat donis, quam dicit verbis. 209.init. & 627.97
Qui contemnit magna, aptus eſt ad multa dandum. 272.35
Quæ nobis dantur, non contemnenda. 349.68
Dandum eſt ei, qui ob verecundiam non audet. 366.77
Deus illud dicitur habere, quod dat ſuis. 489.29
Meliora Deo danda. 594.38
Vide *Petere vel beneficium, vel donum.*
*Defectus.*
Defectus conciuium, ac naturalium non dicendus extraneis. 172.186
Iuſti ſuas culpas detegunt, alienos defectus occultant. 175.205 & 591.15,16
Valde propenſi ſunt homines ad credendos alienos defectus. 194.297
Inimicus valde præpotens ad defectus videndos. 454.25,26
Aliorum defectus non ſunt declarandi. 539.19,20
Iuſtus ſuos defectus aperit, virtutes occultat. 589.3
Aliorum defectus non ſunt declarandi vt tuam gloriam oſtendas. 67.45
Dei proprium reſplendeſcere ſine alterius diminutione, ac defectu. ibid.46
Iuſti de aliis magna dicunt, defectus tacent. ibid.44
Peccator in ſe non videt defectus, ſed in aliis. 49.83
Mundanus cognoſcit, quæ deprimunt. 155.103
Dominus laudat ſua, non dicendo defectus aliorum. 162.136
Inferiorum defectus in ſuperiorem, retorquentur. 606.3
*Delectatio.*
Deus ſuis electis non ſolum dat neceſſaria, ſed etiam ea, quæ delectant, ac recreant. 291
Omnia delectabilia ob ſalutem amputanda. 356.18
*Delitiæ.*
Delitiæ relinquendæ, vt Chriſtus inueniatur. 65.30
Mundani in ſuis delitiis magnos labores inueniunt; iuſti in Chriſto magnas ſeueritates. 346.52
Potius viuendum inter maris tempeſtates, quàm inter fauores, ac delitias ſæculi.
*Deſiderium.*
Deus plus dat, quàm deſideramus. 23.102
Homo nullam infamiam reſpuit, vt ſuum deſiderium adimpleat. 161.132
Noſter cibus, deſiderare cœleſtia. 181.270
Pium deſiderium muneratur à Deo pro opere. 301.122
*Deſtructio.*
Qui deſtructionem machinatur, abigendus. 51.93
*Detrahere.*
Inimici dum detrahunt, occaſionem parant maioris gloriæ. 587.76
Vide *Murmurare.*
*Deus.*
Deus honorat honorantes ſe. 6.16
Sola Dei gloria quærenda. 15.64
Deus ſæpe differt poſtulatum, vt ſuſcipiatur cum maiori gaudio. 17.init.
Licet Dei verba oſtendant rigorem, opus tamen eſt cum miſericordia. 21.89
Deus largiſſimus plus dat, quam deſideramus. 23.102
Non eſt ſeruiendum Deo, & mundo. 65.34
Deus plus æſtimat noſtram ſalutem, quàm ſuam dignitatem. 72.71 & 70:med. & 106.239 & 345.36.71
Deus leniter punit in hac vita. 36.init.
Deus non eſt acceptor perſonarum. ibid.
In vna ſede Deus, & auaritia non morantur. 36.24.
vt Deus ad te veniat exclude peccatum. ibid.
Qui honorat Deum exaltatur, qui verò contemnit deprimitur. 37.26
Magis pugnandum pro Dei honore, quàm pro noſtro. 40.42
Maximè diſtant res ſub manu Dei, ac ſub manu hominis. ibid.
Quæ ad Dei honorem pertinent, nobis chariora, quàm propria. 52.init.
Dei ſignum cum potentia ſeruare iuſtitiam. ibid.96
Dei ſignum omnibus benefacere. 53.99
Dei opera per viſibilia demonſtrantur. 76.init.
Dei notitia omnium virtutum poſſeſſio eſt, 78.97
Deus loquitur ad cor noſtrum. 81.113

Deus

Deus latere non poteſt in anima in qua inhabitat. ibid.114
Dei aduentus in anima maximè obſeruandus, vt viuamus. 83.122
Deus ſuffert noſtri amoris defectus erga ſeipſum, non verò negligentiam hominis in negotio ſuæ ſalutis. 86.137
Deus noſtrum aſcenſum, ſuum reputat. 92.164
Deus ante incarnationem, vehementer peroptabat hominem fieri. 93.171
Deus in humanitate aſſumpta delectatur, ac requieſcit. ibid.172
Deus omnes condecorat. 242.34
Deus noſtrum bonum, ſuum reputat. 100.208
Deus ſua mirabilia maximè contrahit verbis. homo verò, quæ agit, maximè extollit. 100.210
Deus anticipate remunerat noſtra merita. 104.226
Eximius Dei amor, prouocat noſtrum amorem. ibid.227,228
Deus totius bonitatis autor, & ei omnia bona opera noſtra tribuenda. 109.256
à Deo longè diſtat particularitatis affectus. 113.275
Deus ſalutem parat omnibus, homo ſe ipſum condemnat. 115.285
Deus quærit homines, & non homines ipſum. 120.307
Deus vult, vt quilibet ſuo fulgore luceat. 139.17
Deus à nobis petit, vt habeat occaſionem maiora dandi. 153.96
Deus excitat nos ad petendum. 162.135
Deus non dat partita dona. 165.152 & 496.75
Quantum diſtat res ſub Deo, & ſub diabolo. 168.170
Adeò congenita eſt veritas Deo, vt nullus Hæreticus eam audeat ei denegare. 178.220
Deus ante Incarnationem totus erat igneus; poſt verò totus miſericors. 179.221
Deus quemlibet trahit ſua inclinatione. 180.225
Deus per infirma mirabilia operatur. 184.248
Sæpe Deus non audit ad noſtram imperitiam. 205.60
Deus aliquando non audit noſtras rogationes, nouit enim, quod eſt vtilius. 206.67
Deus dat pluſquam petitur à nobis. ibid. 71 & 214.119 & 493.52 & 580.58
Deus plus dat donis, quàm dicit verbis. 209.init.& 627.97
Omnis Dei operatio in noſtrum commodum. 213.112
Deus potius vult nos, quàm noſtra. 254.108 & 593.30 & ſeqq.
Deus ob importunitatem petentium multa concedit. 217.8
Deus vnumquemque trahit ſua inclinatione. 227.65
Qui Deum habet, omnia habet. 230.init.
Conſideranda ſimul Dei maieſtas, & clementia. 233.99,108
Ibi Deus apparet in gloria, vbi eam ſuis promittit. 267.1
Deus per familiaria, & amica trahit homines ad ſe. 289.135
Deus id à nobis quærit, quod præſtare poſſumus. 294.172
Dei gloria manifeſtatur, dum noſtrum commodum quærit. 29.132
Deus ſcit aliis primas dare. 350.71
Deus dat præmium de præſenti. 390.5
Deus potius vult amari, quam timeri. 399.56
Deus à nobis petit quæ ſunt poſſibilia. 440.55
Deus eſt imitandus à nobis. ibid.57
Deus per bona opera noſtra ſanctificatur. 400.71
Noſtra ſufficientia ex Deo eſt. 402.83
Multæ differentiæ inter obſequium Dei, & mundi. 434.21,22,23
Qui eſt ſub Dei cura, omnibus abundat. 438.50
Idem eſt, quod Deus ſciat noſtras neceſſitates, ac prouideat. 446.87 & 623.73
Deus ſi aliquando corripit, etiam conſolatur. 446.87
Qui nimis eſt ſolicitus de temporalibus, Deum facit ferreum, vel lapideum. 347.91,92
Deus habet pro regno benefacere. 448.93
Talis Deus homini, qualis homo Deo. 455.32
Quæ à Deo ſunt, ex alto conſilio veniunt. 459.44
Deus ſæpe ob miſericordiam non concedit noſtra poſtulata, & dum non exaudit, quoad voces, audit quoad intentionem. 459.50,51,52
Deus, quos damnat, dicitur neſcire. 479.89
Deus non cognoſcit eos, quia ipſi eum non cognouerunt. 480.91
Deus illud dicitur habere, quod dat ſuis. 489.29,30,31
Deus concedit noſtras petitiones ſecundùm eum modum, quem deſideramus. 493.55,56
Diuinitas attendit ad commoditates ſuorum. 511.31
Benignitas, ac clementia Diuinitatis nota. 522.init.
Deus non habitat, niſi in puris, ac mundis corde. 527.30
Deus vocat opportuno tempore, ac occaſione. 520.48
Oculos habeamus attentos in Deum. 536.83
Deus dum punit, recordatur de homine. 560.48,49
Remittere peccata proprium Diuinitatis elogium. 579.51
Deus in ſuo aduentu oſtendit miſericordiam, & non iudicium. ibid.53
Deus non contaminatur vlla ſpurcitia noſtra. 621.59
Dei liberalitas in infinitum excedit noſtra obſequia. 573.16,16
Deus miſericors, vide *Miſericordia.*
Deus promittens, vide *Promiſſio.*
Deus videns, vide *Video.*
Deus præſens, vide *Præſentia.*
Deus liberalis, vide *Liberalitas.*
Deus auxilians, vide *Auxilium.*
Deus benefaciens, vide *Beneficium, Gratia.*

*Deuotio.*

Diligens deuotio remuneratur. 491.42

*Diabolus.*

Homo ſæpe plus peccat, quàm diabolus ei ſuggerit. 218.17

Diabolus



Diabolus ſæpe erubeſcit de peccato, & homo non erubeſcit. ibid.
Ceſſatio à vexatione hominis tormentum diaboli. 561.36
Diabolus ob ſuam ambitionem alta nomina vſurpat. 563.46,47
Diabolus, ſi non nocet hominibus, eius rebus nocet. 564.55
Diabolus non poteſt exire à ſuo ſqualore, & fœtore. 565.56
Diabolus omne leuamen à ſuis aufert. 558.16
Diabolus licentioſus. ibid.17
Studium dæmonis impedire viam ad Chriſtum, ac ad ſalutem. 559.22,23
Deſiderio diaboli omne noſtrum ſupplicium paruum. 560.28
Quomodo dæmones puniantur in aëre. 561.34
Dæmones recordantur de imminenti ſupplicio; & multi homines minimè. ibid.35
Quantum diſtat res ſub Deo, & ſub diabolo. 169.170
Proprium eſt diaboli delicta occultare, ne ea videamus. 172.188
Qui diabolo ſeruit, in opprobrium fit omnibus. 431.7
Qui diabolo ſeruit, multa mala ab ipſo patitur. 431.7
Diabolus ſolicitat, vt habeat fiduciam de miſericordia Diuina. 432.12
Diabolus ingreditur in corpus humanum. 499.7
Quomodo diabolus ſit in corpore humano. ibid.8
Quinam dicantur energumeni, quinam arreptitij. ibid.10
Tormentum diaboli præſentia Chriſti. 501.24
Diabolus exiſtimat ſuam perditionem hominibus non nocere. 502.25
Diaboli ingenium in perditione admittit ſocios, non verò in honore. 489.27
Diaboli eſt cum bonis operibus mala opera coniungere. 504.n.38
Cum homo exiit à poteſtate dæmonis, tunc ille maximè tumultuatur. 504.39,40
Diaboli demoliuntur ſemina. 527.29
Diabolus ſæpe nos inducit in peccata ſub prætextu pietatis. 532.init.
Diabolus vult defunctorum animas dedecorare. 557.9
Diabolus omni crudelitate inſequitur nos. 558.12
Diabolus fugit ab imagine Chriſti. 565.58
Magna eſt imbecillitas dæmonis contra homines. 566.67,68
Potius mors eligenda, quàm diaboli iugum. 568.77
Diabolus vires habet ex conſortio vitiorum. ibid.

*Dicere, Dicentes.*

Aliorum dicta ſunt vitanda. 19.81.& 26.116
Valde efficax argumentum, dum quis à propriis dictis conuincitur. 241.26,27
Non omnia omnibus ſunt dicenda. 269.25
Vide *Locutio, Murmurato.*

*Difficultas.*

Quæ in acquiſitu ſunt difficiliora, in poſſeſſione gratiora. 343.25,26,27
Vide *Æſtimatio.*

*Dignitas.*

Magnum nefas dignitates vendere. 39.37
Dignitas, ac honor bene meriti non minuitur ex coniunctione alterius delinquentis. 151.82
Ignobilis in dignitate valde ſuperbus, & inſoleſcens. 154.101,102
Submiſſio animi oſtenditur verbis, dignitas verò operibus. 163.145
Deus de noſtris laboribus ſubtrahit, in dignitatibus verò dandis ſuperabundat. 193.290
Omnis mundana dignitas habet annexam humilitatem, & deiectionem. 200.init.
Non hominis dignitas, ſed imago Dei veneranda eſt in homine. 206.68
Magna præſumptio non datur cum meritis, & dignitate. 207.73
Conſulendum, vt in dignitate iuniores non anteponantur ſenioribus. 239.16
Dignitas vni danda ſine præiudicio aliorum. 240.init.
Dignitas per merita omnibus plauſibilis, & nullus inuidet. 280.init.& 631.17
Ignobiles dignitate valde propenſi ad elationem. 282,94,95,96
Viles in dignitate ſuperbeſcunt, non verò generoſi viri. 283.init.
Dignitas terrena relicta ob Deum maximè duplicatur. 289.134
Valde glorioſum quòd alij cognoſcant tuam dignitatem. 299.209
Qui eſt in dignitate, multis eſt expoſitus. 308.11 & 424.113
Dignitas anticipate data maximè mouet. 309.17,18
in Dignitate abiecta, ac vilia ante oculos. 317.72
in Dignitate fulgeas ſine obſcuratione aliorum. 67.45,46 & 319.82
Nulla eſt tam præclara dignitas, quæ aliena luce, ac ope non indigeat. 321.92
Principes ſuas dignitates ſuis communicent. 321.94,95
in Dignitate includitur obligatio fouendi, ac conſetuandi ſuos. 321.98
Quem indignè ſublimaſti ad dignitatem, ipſe franget, & contundet te. 431.8
Homines ante dignitatem ſunt humiles, poſtea verò lupi feroces, & ea maximè mutantur. 471.44,46,47
Maximè præparatur homo ad dignitates, ſeruans iura vrbanitatis. 533.init.
Dignitates ſecum catenatim afferunt labores. 538.10
Dignitas plena curis, & ſolicitudinibus. 547.init.
Neophyti ne ſuperbeſcant dignitate. 572.12
in Dignitate quis recordetur ante actæ vitæ. 591.13
Qui dignitati non ſatisfacit, illius nomen non habet. 593.init.
Humiles exiſtimant dignitatem collatam non ob ſe, ſed ob maiores. ibid.29
Dignitates non ſunt conferendæ, niſi perſonæ notæ, & cognitæ. 623.72
Vide *Officium.*

*Diligens.*

Neceſſitas facit nos diligentes. 201.38
Deus in ſuis miniſtris vult magnam diligentiam. 252.95

Dili

Diligentia commendatur in bono miniſtro. 141. 30
Diligentia beneficium promeretur. 512.34

*Diſcordia.*

Vbi vmbra eſt Chriſti, nulla poteſt eſſe diſcordia. 351.79
Iniqui ſeminant diſcordias. 601.85
Temporalia pariunt diuiſionem. 320.init.

*Diſcipulus.*

ſi Diſcipulus non apprehendit doctrinam, non eſt danda culpa magiſtro. 84.126
Diſcipulus non debet magiſtrorum facta examinare. 182.237
Diſcipuli famulentur magiſtro in temporalibus. 187.263
Bonus diſcipulus per omnia ſequitur ſuum magiſtrum. 539.13
Chriſtus voluit, vt ſui diſcipuli eſſent abſque alicuius iniuria. 597.56

*Diſpoſitio.*

Homo ſe diſponat ad bonum. 59.7
Vbi diſpoſitio ad recipiendam doctrinam, ibi prædicandum. 269.18
Vbi homo ſe diſponit, Deus dat gratiam. 578.50

*Diuitiæ.*

Diuitiæ diuidunt cor à cæteris, & ad ſe rapiunt. 433.20
Deus inclinat ad ſuperiora, diuitiæ ad inferiora. ibid.21
Diuitiæ reconditæ nociuæ. 434.28
Peſſimum ſpem, & confidentiam ponere in diuitiis. 435.29
Diuitiæ in voluptatibus, & delectationibus expenſæ nociuæ. ibid.30,31
Diuitiæ in malum vſum datæ, mortiferæ, in bonum vtiles. ibid.
Diuitiarum ſolicitudo ſeruitus. 436.32
Diuitias concomitatur ſuperbia. 527.28
Chriſtus longè abeſt à diuitiis. 591.18
Diuitiæ maximè impediunt viam ſalutis. ibid.
Diues nulla lege aſtringitur. 157.114,115
Diuitiis infirmatur animus in via virtutis. 200. 35
à Diuitiis prodeunt omnia mala. ibid.36
Diuitiis armatur homo contra Deum. ibid.37
Diuitiæ multos labores ſecum afferunt. 219.18
Diuitiæ cum ingrediuntur in corde, & illud poſſident, valdè nociuæ. 286.107,108,109
Diuitiæ abiiciendæ, vt ad cælum euolemus. 285. 114
Diuitiæ, ac temporalia habenda, vt in obſequium Dei expendantur. 289.139
Diuitiæ è manu mundi nociuæ, è manu Dei ſalutiferæ. ibid.140
Diuitiæ diſponunt ad peccatum. 408.119
Homo non ſit ſeruus, & captiuus diuitiarum. 430.3.

*Docere, Doctor, & Doctrina.*

ad Docendum requiritur iucunditas, & delectatio. 148.62
Doctrina potens cum humilitate. 484.110
Doctrina coniungenda cum operibus. ibid.
Peccatores ſuo damno docentur. 565.57
Educatio in bona doctrina multum iuuat ad ſalutem. 60.9
Facilè quiſque trahitur doctrina, qua educatus eſt. ibid.10,11
Conuenientia in doctrina multum potens ad conciliandos animos. ibid.
Communis doctor, ac communis doctrina maximè rapit animum. 71.66
Bonus doctor cum doctrina habet flagellum. 38.34
Chriſti doctrina quærit publicum. 56.112
Doctor debet ſe accommodare imbecillitati audientium. 73.75 & 100.207
Doctor ſatisfaciat ſuo muneri.
Doctrina ſacra fons aquæ ſalientis, quæ nos ducit in vitam æternam. 165.init.
Quod homo capiat, & intelligat doctrinam Chriſti, ex donis gratiæ venit. 167.160
Tunc aliquis ſe oſtendit doctorem, quando aliorum delicta reprehendit. 172.187
Doctor accommodet ſe auditoribus. 180.225
Doctrina cœleſtis, cibus animæ. 189.272
Doctor faciat, quod docet. 245.54
Doctrina ſit clara, vt aqua, vel ſol meridianus. 220.27
Diſpoſitio in auditoribus trahit ad ſe doctrinam, & doctorem. 270.20
Doctor inflatus, ſuamet ſcientia conculcatur. 306.60
Doctrina cum exemplo efficaciter mouet. 372. 34
Omnia, quæ ſunt mali doctoris, & magiſtri fugienda. 467.21
Vide *Scientiam*, *Magiſtrum.*
Doctrina repetenda, vide *Repetitio.*

*Dolus.*

Maximè deteſtabilis inimicus, qui cum dolis pugnet. 468.31
Doloſus non poteſt ſequi Chriſti ſimplicitatem. 527.32
Dolus valde deteſtandus. ibid.

*Dolor.*

Dolor antiquus depellitur. 8.26
Dolor non ſinit ſæpè ad multa aduertere. 211. 98
Bonus ſeruus à Domino vult excludere dolorem. ibid.

*Dominus.*

Seruus damnat, Dominus benefacit. 116.294, 295
Quæ Dominus dat ſatiant, non verò quæ miniſtri. 164.146
Potentia Domini maximè allicit. 227.67
ad Domini ingenium, ac voluntatem omnia mutantur. 553.101
Dominus ex timore recognoſcitur, 557.5
Animus rectus vult ſibi bonum conſulens auctoritati Domini ſui. 620.54

*Donum.*

Deus non dat partita dona. 165.152
Deus plus dat donis, quam dicit verbis. 209. init.
Dei bona ſunt perfecta. ibid.576.33
Gratius donum Deo nos, quàm noſtra. 254. 108
Dona prius in propinquiores, poſtea in remotiores conferenda. 226.59
Dona noſtra ſemel data Deo non repetenda. 349 67
Munera oblata non contemnenda. ibid.68
Donum è manu Dei ſalutare, è manu hominum nouum. 405.100







Dona data à Deo exorandum ne à miniſtris impediantur. 406.102
Donis non ſunt defraudandi iuſti ob impios. 456.36
Homines ob ſuam obdurationem ſe reddunt incapaces cœleſtium donorum. ibid.37
Dei dona excedunt noſtra vota. 493.53
Dei dona ſunt perfecta. 514.44
Dona gratiæ non ſunt ordinanda ad lucrum. 526.26,27
Dona non ſunt conferenda, niſi perſonæ notæ, & cognitæ. 623.72
Diuina dona non dantur inter planctus, & luctus. 626.88
Vide *Beneficia, Dona diuina.*

*Dubium.*

Qui dubitat, & proponit quæſtiones, ſcit intelligere. 155.103

*Durities.*

Homines ob ſuam obdurationem ſe reddunt incapaces cœleſtium donorum. 456.37

*Dux.*

Dux præit, milites ſequuntur. 536.1

## E

*Eccleſia, Eccleſiaſticus.*

in Eccleſia, non mundi, ſed Dei negotia agantur. 36.24
Irreuerentia in Eccleſiam maxime ſolicitat diuinam iuſtitiam. 40.41
Valde graue peccare in Eccleſia. ibid.44
Delinquit Eccleſiaſticus, non à ſæculari poteſtate puniendus. 42.init.
in Eccleſia negotianda ſunt, non temporalia, ſed ſpiritualia. 47.73
Dei Eccleſia maxime veneranda. 51.91
Eccleſia Chriſti præbet remedium neceſſitati ſpirituali, non autem Synagoga dabat. 156.107
Eccleſiæ ager omnibus ſe accommodat, vt paſtum det. 160.128
Hæretici impugnant Eccleſiam, ſed ipſa firma ſtat. 231.89,90,91
in Eccleſia Deus manifeſtatur 506.3
Sæculares recordantur de Eccleſiaſticis conſanguineis in ſuis laboribus. 510.27
Eccleſia perſecutionibus creſcit, ſublimatur, ac ditatur. 543.43,44
Res Eccleſiaſticæ conſanguineis non dentur. 47.73

*Electio.*

Eligendi ad officium magna experientia comprobandi. 242.35
Ad dignitates, & prælaturas à nobis non ſunt vocandi, niſi ſapientes, & docti. 245.50, 51,52
Miniſtri apti eligendi, ac trahendi ſunt ex proprio loco, vt reformati ex Religione, milites ex exercitu. 247.64,65
in Electione quærendus eſt miniſter idoneus magna diligentia. ibid.66
Ad labores eligantur homines non delicati, ſed obdurati. 250.83 & 596.46
Ille eligitur ad magna, qui ſcit ſuos defectus agnoſcere, & deplorare. 220.24
Indignus ad dignitatem electus, ſuos promotores contundit, ac dilacerat. 431.8,9

*Educatio.*

Educatio in bona doctrina multum iuuat ad ſalutem. 60.9
Facile quiſque trahitur doctrina, qua educatus eſt. ibid.

*Eleemoſyna.*

Diuitiæ habendæ, vt expendantur in eleemoſynas. 289.139
Eleemoſyna veluti martyrium habet vim ad ſubleuandum in cœlum. 303.init.
Eleemoſyna vbique præſtanda bona intentione. 392.15
Eleemoſyna quæ publicatur grauis, & hoſtilis eſt. ibid.16
Eleemoſyna danda abſque verecundia pauperis. ibid.17,18
Magna cautela in eleemoſyna abſcondenda. 393.19
Vxor impedit eleemoſynam viri. ibid.24
Oratio efficacior cum eleemoſyna. 406.105
Si das eleemoſynam, tibi deſeruis. ibid.
Vide *Charitas, Pauper.*

*Energumenus.*

Quidnam ſit Energumenus, quid arreptitius. 499.10

*Epiſcopus.*

Epiſcopi non promoueant indignos ad Ordines. 456.init.

*Error.*

Errans valde timidus. 64.27
Errans valde timidus. 64.27
Prælatus habeat magnam ſolicitudinem ne error introducatur. 36.25
Facile homo fauet erroribus, quibus alitur, ac pingueſcit. 340.8,9
In confirmationem erroris non poteſt fieri verum miraculum. 478.80
Error non ex malitia, ſed ex pietate benigne ſupportandus. 533.68

*Euchariſtia.*

Euchariſtia peculiariter opus Chriſti. 16.67
Virgo Euchariſtiam apperebat. 18.79
ad Euchariſtiam non feſtinanter, ſed cum magna præparatione eſt accedendum. ibid.
in Euchariſtiæ conſideratione obſtupeſcit ratio, & nihil aliud ad dicendum reſtat. 20.86
Sacra Euchariſtia recipitur vbi eſt munditia 23.102
ad Euchariſtiam accedunt, non qui otio torpent, ſed qui laborant. 26.116
in Euchariſtia reſplendet gloria Dei. 29.133
Euchariſtia exaltatur Eccleſia. 32.8
Participatio corporis Chriſti ſignum diuinæ amicitiæ. 57.118
Per Euchariſtiam cum Chriſto vnimur, & vnum cum ipſo efficimur. 92.165
Per Euchariſtiam aſcendimus in cœlum. ibid.
Per Euchariſtiam vnum cum Chriſto efficimur, ac eius bonis ditamur. ibid.66
Maxime trahitur Deus ad locum in quo ſacra Euchariſtia veneratur. 144.42
Euchariſtia fons aquæ ſalientis, quæ nos ducit in vitam æternam. 165.init.
Per Euchariſtiam datur nobis vita, & ſalus. 196.8,39
Dulcedine ſacræ Euchariſtiæ homines trahuntur ad Eccleſiam. 249.80
Maxime reſplendet fides in Euchariſtia, dum contra id, quod experitur, credit homo. 229.75
Euchariſtia extollitur Eccleſia. 49.81

Quanta puritas ad Euchariſtiam. 233.98
Beati ſunt illi, qui habent famem Chriſti in Euchariſtia, 294.168
In Chriſti menſa non habet locum qui eſt in odio fratris ſui. 350.80,81
Euchariſtia panis iuſtorum. 406.107
Euchariſtiæ panis noſter theſaurus. ibid.108
in Euchariſtia Chriſtus totus noſter. 407.init.
Sine Euchariſtia non eſt vita ſpiritualis. ibid. 110
Veneratio Euchariſtiæ multum vtilis. ibid.
ad Euchariſtiam præparatio, ac ſi in proximo eſſet mors. ibid.111
ad Euchariſtiam magna puritas. 408.118
Cum ad Euchariſtiam accedit homo etiam purus, inuenit in ſe defectus. ibid.
Summa Chriſti benignitas in Euchariſtia noſtram ſalutem miniſtrat. 436.36
Qui Euchariſtiam deſiderat, omnia impetrat. 459.init.
Antequam homo offerat Euchariſtiam ſe mundet. 496.74
Inſenſibilia timent Deum recipere, & homo non timet. 541.26,27,28
ad Euchariſtiam ſuſcipiendam deponat homo vetuſtatem veteris peccati. 612.35
Euchariſtia manauit ex igne diuini amoris. ibid. 36
Multa præparatio requiritur ad ſacram Euchariſtiam, vt illius fructus percipiamus. 621.63
Qui indigne corpus Chriſti ſumunt, ipſum comprimunt, & affligunt. 622.67

*Examinare.*

Examen vitæ, pati magnum, & crudele ſupplicium. 348.61,62

*Excellens.*

Vide *Magnus.*

*Exemplum.*

Honeſtatis exemplum multum valet. 7.init.
Exemplum ſuperioris multum efficax. 74. 79
Exemplum Principis, ac Regis ſemper ſequitur ac imitatur populus. 125.21
Bonum exemplum valde efficax. 186.260 & 598.63
Chriſti exemplum reddit ſuaues noſtros labores. 193.292
Exemplum dominorum valde præpotens. 214. 119
Exemplum valde efficax ad mouendum, ac trahendum. 256.122
Exempla maximè mouent. 306,249
Malum exemplum Prælatorum multum nocet. 308.10
Exempla, ac veſtigia Sanctorum maiorum ſequenda, & imitanda. 343.29,30 & 441. 61
Exemplum cum doctrina multum efficax. 372. 34
Qui inſpecto bono exemplo non proficit maximè puniendus. 475.68
Valde potens exemplum illius, qui vocat ad labores. 592.20

*Exemptus.*

In domo Prælati nullus ſit exemptus à labore. 515.51

*Exhortari.*

Qui exhortatur ad labores, non ſit in requie. 592.20

*Experientia.*

Magna experientia exigitur, vt te credas alicui. 57.119
Eligendi ad officium experientia comprobandi. 242.35
Ex ſua experientia facile homo ſibi perſuadet. 253.101

*Exercitium.*

Bonæ exercitationes animæ non impediantur à carne. 394.27
Antequam quis ad magna deſtinetur, prius exerceatur. 538.11

*Exterior.*

Exterior apparentia ſequatur interiorem affectum.
Exterior conformetur interiori. 273.38

*Extraordinaria.*

Vide *Singularitas.*
Extraordinaria fugienda. 512.37

F

*Facilis.*

FAcilioribus mediis vtendum. 24.106
à Facilioribus incipiendum. 293.165
Faciliora incipientibus proponenda. 341.13
Certamina facilia parat Dominus ſuis. 354.9

*Fama.*

Fama vires acquitit eundo, & multa falſa dicit. 136.4
Vbi fama periclitatur, ibi maximè occurrendum, ac res explicanda. 595.39
Vide *Honor.*

*Fames.*

Viri iuſti, & perfecti famem non timent, ſed contemnunt. 253.102
Fames parit triſtitiam. 412.2

*Familiares.*

Familiares Principis licentioſi. 333.165
Vide *Aulicus.*

*Famulus.*

Qui tibi famulantur, habe in reuerentia. 45. 64

*Fauor.*

Fauoribus perſuadentur virtutes, ſuppliciis deterrentur à peccatis. 275.54
Fauor deuenuſtat coronam meritorum. 279 77
Quos fauores non alliciunt, trahunt pœnæ. 339.1

*Felicitas.*

Felices leui aura offenduntur, contemptibiles qualibet re lætantur. 66.41
in Felicitate omnes ſunt amici, & in aduerſitate nullus. 161.33 & 539.18
In requie, & felicitate multi te concomitantur. 243.41
Ille laudabilis amicus, qui non in felicitate, ſed in aduerſitate te agnoſcit. 279. 73
Cum multi ſint in felicitate, contra eos ſuboritur tempeſtas. 540.22







Felicitas poſt tempeſtatem maximè æſtimatur. 542.31

*Fœmina.*

Vide *Mulier.*

*Fictio.*

Fictio in actionibus maximè fugienda eſt. 468. 26,27
Ficta perſona, ſeu veritas non diu durat. 474. 64
Vide *Hypocriſis.*

*Fides.*

Fides non deficit in aduerſitate. 20.85
Fides tenera benignè fouenda. 66.39
Vera fides exteriùs manifeſtatur. 30.138
Maxima nobilitas à fide. 78.99
à Fidei confeſſione magna nobilitas. ibid.
Fides obedit, & non curioſè exquirit. 87. 139
Quod homo credat diuina fide ex donis gratiæ venit. 167.160
Fides declaranda non verbis, ſed operibus. 183. 240
Fides facit Reges. 199.28
in Fide, ac virtute nobiliores antecedant inferiores. 204.53
Qui habet fidem, homo, & vir eſt. 205.62
Bona opera debent fidem comitari. 208. 82
Qui verè credit proficit per opera. ibid. 81
Vt homo accedit ad Deum, ſtatim fructu ſuæ fidei gaudet. 213.113
Fidei myſteria in Eccleſia reuelantur. 225. 56
Magna fides, quæ contra id, quod experitur, credit. 229.75
Oratio vt exaudiatur, debet fieri in fide Eccleſiæ Catholicæ. 399.61
Fides noſtra lucerna. 428.88
Fides vna, & vera in Eccleſia Catholica. 537.5
Vbi fides deficit, timor occupat. 550.79
Fides iunctis rebus potentior. 552.93
Fides viua multum valet apud Deum. 577. init.
Aliorum fides multum iuuat. 577.37
Vera fides non attendit ad euentum futurum, ſed propriæ obligationi præſenti ſatisfacit. 577.39
Fides certior omni viſione oculorum. 620.56
Fides magnam habet efficaciam ad obtinenda bona, ac dona. 623.74,75
Poſtulatio in fide facta eſt nobis veluti manna dans omnium ſaporem. 631.init.

*Fiducia.*

Vide *Spes.*

*Filius.*

Puniuntur filij, qui à parentum virtutibus degenerant. 39.40
Filius ſtet pro honore patris. 44.60
Filio benemerito plus donandum. 143.36
Nequitia, ac pigritia filiorum deperditur hæreditas à maioribus obtenta. 144.43
Bonus filius voluntatem patris adimplet. 225. 55
Vox indicat cuius filius ſit quilibet. 280. 82
Per opera, filij aſſimilantur ſuis parentibus. 331.155





Per filios honorantur parentes, quia honos in filios redundat. 332.57

*Finis.*

ex Fine probatur tota vita. 53.init.
Dum finis itineris ignoratur velociùs curritur. 82.119
Quilibet loquitur proportionatè ad ſuum finem. 167.162

*Fortitudo, Fortis.*

Homo dicit fortitudinem, ac conſtantiam. 59.6
Per fortitudinem magnorum virorum, aliorum animus non eſt metiendus. 278. 69
Fortitudo in perſecutionibus magnum Regnum. 302.226
Magna fortitudo ex perſecutione. 303.236

*Fraus.*

Vide *Dolus.*

*Fuga.*

Malum fugiendum cum magna diligentia. 464.4

*Funus.*

Vide *Mors.*

*Furtum.*

Furto anima fidelis aliquando ſibi comparat bonum. 620.52

*Futura.*

Ex prædictione futurorum diuinitas manifeſtatur. 53.103
Mulier curioſa de futuris. 173.190

G

*Gaudium.*

GAudium non eſt in rebus temporalibus. 12. 49
Gaudium, ac lætitia requiritur ad ſciendum, ac dediſcendum. 148.62
Magnum gaudium in perſecutione. 302. 225
Magnum gaudium iuſtis habere ſocios in gloria. 307.256
Gaudium vt ſit magnum, non eſt luctu fœdandum. 609.20
Cum gaudio operandum. 421.48

*Genus.*

Quilibet vult reducere genus ſuum ad illuſtriorem proſapiam. 160.152

*Gentilitas.*

Gentilitati ſe ipſum Dominus reuelat, & maximè ab ipſo honoratur. 180.27
Excluſis Iudæis, vocatur gentilitas. 620.48

*Gloria.*

Dei gloria in noſtris operationibus quærenda. 329.143
Vide *Beatitudo, Bona diuina.*

*Gloria vana.*

Modeſtia aliena à vana gloria. 20.85
Vana gloria fugienda, & declinanda. 234. 101
Gloria vana crudelis fera. 390.init.
Per inanem gloriam ſpoliatur homo à præmio Regni cœleſtis. 390.8
Alienus à vana gloria præmium habet in Regno cœleſti. ibid.9
Vana gloria bonorum ſpoliatrix. 391.10

Hypocritæ maximè delectantur vana gloria. ibid.11
Vana gloria aliquando non deperdatur meritum. 394.28
Vide *Iactantiam.*

*Gratia.*

Deus per ſuam gratiam reddit labores leues. 306.253
Gratia facit vnionem, temporalia verò diuiſionem. 320.87
Gratiæ dona non ſunt ordinanda ad lucrum. 526.26
Homo ex ſe habet miſeriam, ex Dei gratia omne bonum. 578.47,48,49
Magna vis diuinæ gratiæ. 594.34
Vbi maior eſt miſeria, ibi magis reſplendet diuina gratia. 596.init.
Vt dona diuinæ gratiæ homo recipiat renouetur in vita, & moribus. 612.init.
Gratia cœleſtis irrigat corda noſtra. 165.151
Miracula Dei gratia per debilia mirabiliter operatur. 184.248
Deus per ſuam gratiam facit, vt faciamus. 229.76
Gratia Dei inclinat voluntatem, ac mouet, vt vult. 232.92
Dei gratia excluſo rigore vocantur omnes. 274.45
Vbi deeſt gratia, ibi deficiunt vires. 12.init.
Cum gratia Chriſti omnes difficultates vincuntur. 77.94
Gratia Dei aufert ſpinas in via huius ſæculi. 146.54
Gratia facit hominem agilem, ac amobilem. 158.118
in Gratia omnia excellentiora dantur. 159.122
Gratia miros effectus operatur. ibid.125
Gratia ſemen gloriæ. 163.145
Diuina gratia ſemper producit noua opera, & nunquam ſiſtit. 165.151

*Gratus.*

Gratus animus beneficia communia, tanquam propria ducit. 111.263
Gratus animus, quidquid eſt boni, in nobis Deo tribuit. 109.256
Iuſtus omnia bona ſua in laudem Dei refert. 165.153
Gratitudo Dei præſentiam, ac maximè beneficia promeretur. 196.9,10,11
Vir gratus ſolum conſiderat beneficia accepta. 201.41,42,43
Gratus recognoſcit beneficium, à quo accipitur, quamuis Dominus ob modeſtiam non dicat eſſe ſuum. 209.86
Animus gratus autorem beneficiorum recognoſcit. 212.107
Caput ſtet pro beneficiis acceptis à populo 233.95
Gratus accipiens beneficium decantat, magnus dans tacet. 311.26
Gratus diligentior, quàm obediens. 322.100,101 102
Gratus diligentior Angelo. 322.101
Gratus cumulatur beneficiis. 442.67
Gratus animus non tacet beneficium. 485.8
Animus ſit gratus ſuo benefactori. 512.34
Animus gratus famulatur. 514.48
Omne ſupercilium mundi contemnendum vt nos gratos exhibeamus. 587.100
Gratos nos exhibeamus beneficiis acceptis. ibid. 99

*Gubernare.*

Quilibet, vt gubernet, ſtet in loco ſibi conuenienti, & proportionato. 270.23
Quilibet vt recte ſe habeat, & gubernet, ſtet in loco ſibi dato, & non excedat ſuos terminos. 271.27,28,29,30

*Gula.*

Gula immedicabile malum, & vitiorum incitatiuum. 413.9
Chriſti præſentia coërcet voracitatem gulæ. 609.19

H

*Habitatio.*

HAbitare quilibet timeat cum viro iuſto. 233.97

*Hæreticus.*

In ſecta hæreticorum luxuria, & vitia. 174.201
Pater, ac conſanguineus hæreticus maximè fugiendus, & declinandus. 259.140
Hæretici impugnant Eccleſiam, ſed ipſa firma ſtat. 231.89
Hæreticus inter nebulas ſuos errores minat. 468.29
Vide *Infidelis.*

*Hypocrita.*

Hypocriſis veluti quædam idololatriæ ſpecies. 395.38
Hypocriſi omnia deperduntur. 396.39,40
Hypocriſis multa mala generat. 413.11
Hypocritæ diaboli pictores. 414.12,13
Hypocritæ, ſeu ſimulatores ſuſtineri non poſſunt. ibid.
Hypocritæ virtute virtutem impugnant. ibid. 14
Hypocritæ ex leui vmbra virtutis alios criminare audent. 606.2
Vide *Fictio, Iactantia.*

*Homo.*

Homines propenſi in odium, & in malum. 430.5
Valde ſingularis homo, qui de ſua ſalute agit. 58.2
Ille dicitur homo, qui ratione ducitur ad bonum. 4.5
Homo dicitur à fortitudine, ac conſtantia in ſuis actionibus. ibid.6
Aliquando puniendus eſt homo, ne labatur proſperitate. 39.35
Maximè diſtant res ſub manu Dei, ac ſub manu hominis. 41.init.
Homo ſolum id, quod intelligit, exiſtimat poſſibile. 73,74
vt Homo reformetur, debet ſuam imbecillitatem agnoſcere. ibid.77
Qualis ſit homo à ſuis, qualis à Deo. 78.98



Index Rerum.

Homo ignorat ſuum finem, vt caute viuat, & velocius currat. 82.119
Deus ſua mirabilia contrahit verbis, homo verò, quæ agit maximè extollit. 100 210
Deus vult, vt quilibet homo ſuo fulgore luceat. 139.17
Homo nullam infamiam reſpuit, vt deſiderata impetret. 161.132
Homines valde propenſi, vt credant alienos defectus. 194.297
Homines aſſimilantur piſcibus in multis. 249.81
Homines fotiores deuorant debiliores. ibid.
Facile homo pugnat pro ſua vita, difficile pro aliis. 278.70
Facile homo fauet erroribus, à quibus habet commodum, & alimentum. 340.8,9,10
Homo decipitur in ſui appretiatione. 418.35,36
Homo ſibi ipſi non fidat. 425.71
Homo non ſit abiecti, ac fracti animi. ibid. & ſeq.
Homo non ſit ſeruus, & captiuus pecuniarum. 430.3
Quod homo ſibi vult, præſtet aliis. 461.59
Magna excellentia hominum ope non indigere. 496.76,77 & 579.55
Homines huius ſæculi recordantur de Eccleſiaſticis in ſuis laboribus. 510.17
Inſenſibilia obediunt Deo, & ſolus homo reſtitit. 554.108.
Homo in homines crudelior, quam diabolus. 559.21
Hominis ſalutem Deus maximè æſtimat. 567.72
Homo venerandus, cum ſit Dei opus. 578.44
Homo ex ſe habet miſeriam, ex Dei gratia omne bonum. 578.47,48,49
Vno homine delinquente, omnes non ſunt damnandi. 580.62
Valde gratum homini, quod alterius ope non egeat. 286.95
Homines non te, ſed tua quærunt, & venerantur. 593.32
Qualis homo Deo, talis Deus ipſi. 455.32

*Honor.*

Deus honorat honorantes ſe. 6.16
Amicus amici honorandus. 10.40
Chriſtus ad ſui honorem determinauit tempus, non verò ad alios hnoorandos. 18.75
Qui honorat Deum, honoratur ab ipſo. 37.26
Magnum nefas cathedras, ac honores literarios vendere. 39.37
Magis pugnandum pro Dei honore, quam pro noſtro. 40.41,42
Quæ ad Dei honorem pertinent nobis maximè chariora. 52.init.
Deus omnes honorat. 100.206 & 242.34
Deus plus æſtimat noſtram ſalutem, quam ſuum honorem. 70.58,71
Quilibet honoret ſuos. 140.20
Honorifica tractatio allicit animum. 196.5
Deus quærit occaſiones honorandi ſuos iuſtos. 206.66
Quilibet honoretur, ac fulgeat virtute propria, & non aliena. 331.151
Honoremus honorantes nos. ibid. 153 & 626.88
Pigneratus ſua nobilitate intendat conſeruare ſuum honorem. 351.154
Sæpe ob timorem multos honoramus. 430.2
Honor proximorum maxime æſtimandus. 455.27
Honor reddit homines animoſiores. 509.12
Socij, ac condiſcipuli honorandi. 590.11
Vbi honor periclitatur, ibi maximè occurrendum, ac res eſt explicanda. 595.39
Vide *Autoritas.*

*Hoſpes, Hoſpitalitas.*

Hoſpes non ſit grauis eum recipientibus. 149.67
Hoſpitalitas maximè remuneratur à Deo. 227.69
Hoſpitalitas dat vitam. 509.18

*Humilitas.*

Vir magnus ſua reputat minima. 337.192
Deus honorat humiles. 491.40
Chriſtus humilitatem quærit, oſtentationem fugit. 496.70
Vt humilis erigatur, excelſus ſe inclinet. 512.init.
Humiliatio à ſuperbo efficax argumentum. 566.65
Humilitas ſe indignam iudicat domini præſentia. 570.init.
Humilitas Chriſti deſpectos filios dicit. 577.43
Verè humilis nihil in ſe laude dignum videt, ſed ſua bona ob alios exiſtimat collata. 593 28,29
Humilitas fundamentum ad magna. 16.med.
Humilitas gradus ad ſapientiam, & ad magna. 85.130
Humilitas, ac abiectio naturæ erat Chriſto maximè ante oculos. 93.172
Chriſtus glorias ſuas connectit cum infimis, ac humilibus. 94.178
Vilitas, ac abiectio humanæ naturæ ſit nobis maximè ante oculos. 113.278
Per humilitatem cœleſtia bona accipimus, 166 155
Per humilitatem ſubleuamur in cœlum. ibid. 156
Qui ſe humiliat, exaltatur. ibid.
Humilitas perſpicax ad intelligendum. 167.161
Humilitas abſcondit magna, & de ſe prædicat abiecta. 176.211
Humiles exaltantur, ſuperbi deprimuntur. 206.69
Humilitas iuſtorum comprimit, ac deuincit ſuperbiam impiorum. 244.45
Qui ſe humiliat exaltatur. 233.100
Humilitas in dignitate. 272.35
Humilitas fundamentum totius ædificij ſpiritualis. 281.87
Humilitas origo omnium virtutum. ibid.
Primum peccatum ſuperbia, primum remedium per humilitatem. ibid.88
Qui ſe deiicit propter Deum, exaltatur. 290.143,144

Humilitas cuſtos virtutum. 298.198
Chriſtus de ſe humilia dicit, magna dicenda aliis relinquit. 332.160
Vide *Modeſtia*.

I

*Iactantia.*

IActantia vitanda eſt. 162.138
Iactans ſe in manifeſtis cæcutit, 167.161
Iactantiæ nota fugienda. 180.225 & 209.85 & 523.4
Qui ſe iactat, ac gloriatur, ſuam iuſtitiam perdit. 297.196
Iactantia fugienda, humilitas ſectanda. 495.68, 69
Quod iactantia perdit, humilitas recuperat. 573.init.
Oſtentatio, ac iactantia vitanda in operibus. 626.89
Vide *Gloria vana*.

*Iactura.*

Vine *Damnum*.

*Ieiunium.*

Ieiunio coniungenda eſt eleemoſyna. 389.1
Ieiunium efficaciſſimum ad vincendas tentationes. 413.8,9
Ieiunium lætitia occultandum. 415.init.
Vbi datur ieiunij triumphus, non datur locus triſtitiæ. ibid.18
Ieiunium occultandum. 419.40
Ieiunium ſit cum cæteris virtutibus. 420.47
Dies ieiunij, dies feſtiuus. 421.48
Ieiunandum cum memoria mortis. ibid.49
In noſtro ieiunio erigamus mentem ad Chriſti paſſionem. ibid.50,51,52
Non ieiunandum ad locupletandas opes. 423.58
Pietas, ac miſericordia *ieiunij alæ*. 424.64

*Ieſus.*

*Magna reuerentia in nomine Ieſu.* 20.85
*In nomine* Ieſu omnia Dei magnalia recapitulantur. 118.300
Magnum donum ſcire, & inuocare nomen Ieſu. 158.120
Qui in nomine Ieſu fundantur maxime creſcunt. 324.111
Ieſus nomen ſalutiferum. 491.40

*Ignominia.*

Ignominia illata aliquando nobis ſalutaris. 365.69
Vide *Iniuria, Contumelia*.

*Ignobilis.*

Ignobilis in dignitate valde ſuperbus, & inſolens. 154.101
Ignobiles in dignitate valde propenſi ad elationem. 282.94 & ſeqq.
Ignobilis qualibet re diffidit. 317.72

*Ignorantia.*

Quilibet defectus ſuſtineri poteſt in homine, non verò ignorantia. 87.init.
Ignorans, ac ſtultus omne malum ſecum defert. 347.52,53
Peccati ex ignorantia venia digna. 66.38
Sunt multi ignorantes, qui multa præſumunt dicere. 69.56
Chriſtus noſtram ignorantiam mutauit in ſapientiam. 25.112
Licet in populo ſit ignorantia legis, in Sacerdote præſumitur ſcientia. 37.30
Qui ignorat terminum, velocius currit. 82.119

*Illudere.*

Illudere, ac irridere ſæpe incipientes in via virtutis deterrent, vt ab incepto deſiſtant. 63.24

*Imago.*

Diabolus fugit ab imagine Chriſti. 565.58

*Imbecillitas.*

Doctor condeſcendat imbecillitati audientium. 73.75
Vt homo reformetur, debet ſuam imbecillitatem agnoſcere. ibid.77
Vide *Cognitio, Infirmitas*.

*Imitatio.*

Magnum gaudium imitari Chriſtum Sanctos. 306.251

*Immunditia.*

Immunditia fugit à conſpectu Chriſti. 492.45, 46
Mundo nihil eſt immundum. 492.50
Immunditia fugienda. 518.67

*Impero.*

Deus iubet ea, quæ ſunt poſſibilia. 440.55

*Imperium.*

Qui ſine imperio obſequia præſtat, multo fauore dignus. 184.248
Vide *Præceptum*.

*Impius.*

Quod iuſtis eſt ad meritum, iniquis eſt ad damnum. 54.104
per quæ impius ruit, iuſtus ſæpe erigitur. 56.116
Impius in Chriſto non videt miſericordiam, ſed iuſtitiam. 99.203
Impij, quamuis aliàs contrarij, maxime vniuntur aduerſus iuſtum. 124.12,13
Impij ita vniuntur contra iuſtum, vt vnus homo. ibid.
Impius, impietate, qua vult firmàre regnum, illud amittit. 124.14
Impij procurant mortem iuſtorum, qui eorum ſalutem affectant. 132.59
Impij ſua malitia ſe priuant radiis diuini Solis. 385.114
Impiis amputandum omne ſubterfugium. 441.init.
Impij dum volunt zelare diuinum honorem, illum offendunt. 581.63
Impij omne bonum vertunt in venenum. 581.69
Vide *Peccator*.

*Impudicitia.*

Diabolus gaudet impudicitia. 558.16

*Incarnatio.*

Deus ante aſſumptam carnem vohementer præoptabat Incarnationem. 93.171
Incarnationis beneficium maxime gratificandum. 94.177
Deus homo factus maxime prouocat noſtrum amorem. 117.298
de Incarnatione, ac noſtra humanitate maxime gloriatur Deus. 139.19







Deus ante Incarnationem totus ſeuerus, poſtea vero totus benignus. 179.222,223
in Incarnatione ex laudatione Angelica Deus venit ad volubilitatem mundi. 196.6

*Inconſtantia.*

Inconſtantia fugienda, ac declinanda. 204.55

*Incipiens.*

Incipiens benigne fouendus. 66.39 & 230.84, 85
Incipientes multis adiuuandi. ibid.84
Incipientes non ſunt deterrendi. 306.252
Incipientibus faciliora proponenda ſunt. 241.13
Incipientes non ſunt multis difficultatibus deterrendi. 469.35
A leuioribus incipiendum. 46.n.69

*Indignus.*

Indignus in dignitate conſtitutus ſuos promotores contundit, & interimit. 431.8.9

*Infantia.*

Vide *Puer*.

*Infidelis.*

Infidelis ſocietas fugienda. 333.66
Infidelitas indigna, vt colloquio Chriſti fruatur. 626.85
Chriſtus cum infidelibus affligitur, cum fidelibus lætatur. 149.72
Infidelis inferior eſt brutis, ac fœno campi. 346.88
Inter Infidelem, ac fidelem nullus eſt conſanguinitatis nexus, vel vlla amicitiæ ratio. 531.56
Infidelis indignus, vt honoretur à viro pio, ac probo. 533.57
Vide *Hæreticus*.

*Infirmus.*

Ad radicem infirmitatis occurrendum. 74.28
Origo infirmitatis curanda. 512.38
Cognitio infirmitatis curanda. 512.38
Cognitio propriæ infirmitatis Diuinam miſericordiam ſolicitat. 513.40
Infirmitates flagella Dei. 624.78
Ad medicinam infirmitatis, debet præcedere illius cognitio. 544.47
Infirmitates ſæpe ſunt flagella, quibus verberamur. 579.57
Infirmis condeſcendendum. 611.28

*Ingratus.*

Ingrati ſine nomine. 5.11
Ne homo incidat in ingratitudinem, monumentum aliquod requiritur. 23.101
Ingratus intendit minuere beneficium, ne ſe obligatum fateatur. 201.41
Vir ingratus non conſiderat beneficium, ſed proprias commoditates. 202.init.
Ingratus tacet beneficia, & commemorat odioſa. ibid.43
Homo maxime ingratus nullis beneficiis miteſcit. 250.init.
Ingratus deſerendus. 221.33
Ingratitudo fugienda, vt bona mereamur aſſequi. 421.init.
Ingrati dum eis bene eſt, nullos agnoſcunt. 457.42
Adeo ingratus eſt homo, vt multa media requirantur, vt Deum agnoſcat benefactorem. 512.36
Ingrati deſerendi. 569.83

*Iniuria.*

Chriſtus recordabatur de ſalute ſuorum, non verò de iniuria hominum. 95.183
Iniuria amico non eſt facienda. 11.43
Iniuria in fratrem grauiſſima. 127.33
Iniuriæ iteratæ patienter ſuſtinendæ. 366.76
Iniuriæ maximè mouent, ac torquent. 370.25
Iniurias ferre cum patientia, multa bona parat. 374.46
Iniuria tamquam vehemens tempeſtas mouet animum. 537.4
Chriſtus voluit, vt ſui diſcipuli eſſent abſque alicuius iniuria. 599.67
Durius percutit verbum aſperum quam flagellum. 44.60

*Inimicus.*

Inimicus non videt tuam gloriam. 53.103
Melior eſt apertus hoſtis, quam occultus inimicus. 140,22,23
Qui inimico bene vtitur beatus eſt. 10.220
Inimicis non ſunt noſtræ opes, ac auxilium denegandum. 373.44
Per inimicos exercitamur ad bonum. 374.46
Inimico liberaliter benefaciendum. 382.96
Inimicus valde præpotens, & acutus ad videndum tuos defectus. 454.25,26
Crudelis inimicus, qui non ſolùm lacerat, ſed etiam non ſinit loqui. 468.30
Deteſtabilis inimicus, qui inſidiis pugnat. ibid.31,32
Crudelior inimicus occultus, quam manifeſtus. 469.34
Inimicus ſæpe te laudat, non vt extollat, ſed vt deprimat. 520.80
Inimicus vult nos vna veritate ineſcare ad falſa perſuadenda. 521.86
Inimicus ſæpe ſibi dat nocumentum vt alteri noceat. 558.init.
Inimicus non intelligit, quæ te nobilitant, & decorant. 581.67
Inimici diligendi, multa de hoc verb. *Amor inimicorum*.
inimicis benefacere, vide *Benefacere*.

*Inſidiæ.*

Vide *Dolus*.

*Intelligere, Intellectus.*

Pœnæ, ac vexationes dant intellectum. 560.24
Iniqui, quod non intelligunt, damnant. 581.68
Animus detentus vetuſtate peccati non capit excellentias Diuinæ gratiæ. 612.init.
Homo ſolum id, quòd intelligit exiſtimat poſſibile. 73,74
Prudens prius intelligit, quam petat, ac procuret rem. 167.162
Nunquam mens intelligit ea, quæ ſunt minus grata. 180.224
Vt intelligas magna myſteria relinque terrena. 274.46,47,48
Intellectus datus terrenis totum hominem reddit terrenum, & obcæcatum. 427.82,83
Bona intelligentia ſchola virtutis. 427.85

*Intentio.*

Homo ſemper loquitur proportionatè ad ſuam intentionem. 167.162
Intentio operis ſit tota in Deum. 427.81
Bona intentio totum opus nobilitat. 427.85
Maximè damnatur malum opus ſub ſpecie

bonæ intentionis. 468.37
Intentio data terrenis totum hominem reddit terrenum,ac tenebroſum. 427.82

*Interrogare.*

Interrogatio initium ad ſcientiam. 85.133
Etiam dum quis integerrimè quærit, amor, & propenſio in vnam partem declaratur. 171. 204
Familiaritas dat animum ad interrogandum. 182.237
Quilibet interroget de his, quæ ad ſe pertinent. ibid. 238,239

*Intercesſio.*

Bonorum interceſſio multum prodeſt. 577. 38
Per Sanctorum interceſſionem bona aſſequimur. 621.62

*Interior.*

Interior affectus cordis requiritur ad adorationem. 177.213
Non eſt iudicandus homo per id, quod eſt interius occultum, ſed per id quod apparet. 471.47

*Inuidia, Inuidus.*

Melius eſt eſſe cum crudeli hoſte, quam cum inuidioſo. 140.22
Inuidus beneficiis fit peior. ibid.
Inuidus nulli parcit. ibid.23
ob Inuidiam conciues non reſpiciunt cognatum, quem alieni venerantur. 142.33
Per euidentiam meritorum excluditur inuidia. 280.79,80
Inuidia comes eſt bono. 301.221
Inuidioſus non poteſt videre alienas glorias. 330. 150
Ob euitandam inuidiam aliquando vera diſſimulanda,& non dicenda. 341.13
Inter inuidias ſæpe maieſtas declaratur. 579. 56
Animus inuidus fugiendus. 523.4
Inuidia multa mala cauſat. 607.12
Inuidus ſæpe magis torquetur alienis bonis,quam propriis damnis. 43.58

*Interpretatio.*

Interpretatio multiplex legis abrogatio. 11.45
Magiſtri, ac Doctores ſuis interpretationibus totam legem corrumpunt,& nouam faciunt. 333.166

*Ioannes Baptiſta.*

Ioannis magnum teſtimonium. 18.76
Chriſtus de ſe, ac Ioanne loquitur in plurali. 88.143
Ioannes faciebat ſibi beneuolos auditores. 129. 44
Baptiſta ob ſuam charitatem volebat ſua morte aliis prodeſſe. ibid.
Ioannes aliquid ſimile cum Chriſto. ibid.45
Ioannes nihil ſui quærebat, ſed tantum ſalutem aliorum. ibid.46
Ioannes tranſcendit perfectionem Apoſtolicam. ibid.
Puritas Ioannis refugit audire impudicam linguam mulieris. 130.49
Ioannes zelo,& libertate antecedit omnes homines. 131.53
Angeli arguunt Reges dormientes, Ioannes vero vigilantes. ibid.54
Etiam inimici Ioannis eius virtutem agnoſcebant. 133.66
Solus deuotus Baptiſta bene opinabatur in populo. ibid.
Ioannes in tanto honore fuit apud Dominum, vt eo viuente, non poſuerit Dominus cathredam ſui magiſterij. 139.17
Chriſtus volebat, vt omnes venirent ad Ioannem, & quod eius diſcipuli ab eo non diſiungerentur. 239,15
Ioannes Baptiſta in magna reuerentia erat apud populum. 583.80
Ioannes magna perfectione, ſemper Chriſto adhæſit. 610.init.

*Ioannes Euangeliſta.*

Ioannes tractat res valde ſublimes. 70.60
Zebedæus pater Ioannis, hoc eſt liberalis,quia talem filium Deo dedit. 255.111
Ioannes in prærogatiuis vnicus inter Apoſtolos. ibid.
Quæ ſunt Ioannis,ita magna, vt ſilentio venerentur. 255.111
Ioannes naturali affectu propenſus in Chriſtum. 256.121
Domus in qua ſacra Euchariſtia inſtituta fuit, Ioannis erat. 257.126
Ioannes dicitur à Chryſoſtomo omnium Euangeliſtarum retia componere. ibid.128

*Ioſephus.*

An D. Ioſephus fuerit præſens in nuptiis, & quando mortuus. 10.36,37

*Ira.*

Ira Dei miſcetur miſericordia. 150.78
Ira ex zelo magna virtus. 346.42
Dandus eſt locus iræ. 358.26
Iræ occaſio non eſt danda proximo. 379.80
Rabies iræ,plus præſtat damni,quam dæmonis malitia. 563.n.50
Cedendum eſt iræ,ac inuidiæ. 570.1

*Iudicium finale.*

Memoria extremi iudicij valde ſalutaris. 403. 86
Cur dies iudicij dicatur illa dies. 477.75

*Iudex.*

Dum homo coram iudice ſiſtitur, quoddam condemnationis genus eſt. 719.306
in Iudice etiam integerrimo amor, & propenſio in vnam partem declaratur. 175.204
Iudex ſit alienus ab omni affectu perſonarum. 47.90
Domus iudicis aliena ſit à muneribus. 512. 38
Præſentia iudicis valde formidabilis. 541. 24
Iudicis præſentia tormentum delinquentis. 561. 37
Iudex procedat interrogando, & diſcutiendo. 563.init.

*Iudæi.*

in Iudæis defecit fructus,ac Scriptura. 12.48
Iudæi inuidia affecti. 37.26
Deus diuiſit ſuam Eccleſiam à ſynagoga Iudæorum. 39.36
Iudæorum ignorantia palpabilis eſt. 85.131
Iudæorum ſynagoga ſemper ad terrena fertur. 221.33
Iudæorum ſynagoga infirmatur. 506.5
Iudæi in multis diſcriminantur à gentibus. 619. 47



Index Rerum.

*Iudicare, Iudicium.*

Iudicare tripliciter ſumitur in Scriptura. 116. 190
Iudicare quoddam condemnationis genus eſt. 119.306 & 348.60
Qui temerè iudicat, temerè iudicabitur. 450.1
Ipſo temerario iudicio punietur. ibid.2
Facta proximorum iudicemus cum miſericordia. 451.6
Magnum documentum Chryſoſtomi. ibid.
Quando facta ſunt aperta, tunc poteſt ferri iudicium. ibid.10
In dubiis factis proximorum abſtinendum iudicium. 452.init.
In quo quis alterum iudicat,ſe ipſum iudicat. 452.14
Iudicium malum temerarium, velut infernus torquet virum probum. 452.17,18,19
Non eſt iudicandus homo per id, quod eſt occultum,ſed per id, quod manifeſtum apparet. 471.47
Vide *Præſumptio, Suſpicio.*

*Iuramentum.*

Iurandi conſuetudo fugienda. 359.33
Qui iurat ſe reputat indignum fide. ibid.46
Veritas ſimpliciter dicenda ſine iuramento. 361.45
Iurandum,neceſſitate vrgente. 359.33
Cur Deus aliquando interpoſito iuramento loquitur. 479.87

*Iuſtitia.*

Iuſtitia aſſociata miſericordia. 295.178
Iuſtitia quid ſignificet in Scriptura. 301.222
Nulla virtus ſine iuſtitia. 341.17
Qui eſt liberalis in operibus miſericordiæ, ne deſit in operibus iuſtitiæ. 597.57
Diuinitatis ſignum cum potentia ſeruare iuſtitiam. 52.97
Iuſtitia omnia vincuntur. 143.36
Valde difficile,quod vnuſquiſque ſeruet iuſtitiam, in dando cuilibet, quod ſuum eſt. 294.174
Maxime laudabile,quod homo erga ſe,& ſuos velit iuſtitiam. ibid.175
Qui vult iuſtitiam in ſe, & in ſuis, dignus Regno. ibid.176
Poſt pœnitentiam non habet homo faſtidium iuſtitiæ. 293.163

*Iuſtus.*

Iuſtus non contemnat inferiores. 7.19
Iuſti ſint conſtantes. 22.96
Iuſtorum actiones ſint conſtantes pondere rationis. ibid.97
Iuſti de aliis magna dicunt, fœda tacent. 67. 44
Iuſtus non intendit aliorum defectus dicere, vt ſuam gloriam oſtendat. 67.45
Ad iniquos requiritur flagellum, ad bonos ſat eſt ratio.
In caſibus iuſti conſiderant Dei legem, mali damnum emergens. 47.75
Quod iuſtis eſt ad meritum, iniquis eſt ad damnum. 54.105
Per quæ impius ruit,iuſtus ſæpe erigitur. 56. 116
Sancti cum modeſtia dicunt ſuas laudes. 110. 258
Iuſti intendunt ſalutem iniquorum, qui eorum mortem affectant. 132.59
Iuſti in Chriſto magnam ſuauitatem inueniunt. 146.52
Chriſtus cum iuſtis lætatur, cum peccatoribus affligitur. 149.72
Iuſtus dat,peccator ſemper denegat. 156.108
Iuſtus omnio bona ſua in laudem Dei refert. 165.153
Iuſto bona mundi non ſunt in vſum,ſed in onus. 183.244
Iuſtus non parcit ſuo honori, vt nomen Chriſti celebretur. 165.153
Cibus iuſtorum ſeruire Deo. 189.270
Deus quærit occaſiones ſuos iuſtos honorandi. 206.66
Quilibet timeat habitare cum iuſto, 233. 97
Iuſtus in ſua puritate videt imaginem Dei. 298. 201
Deus ita dat præmia iuſtis, vt eos condecoret. 306.248
Iuſti gaudent, quod ſua bona ſint aliis communicata. 307.255,256
Iuſtus ſi peccat,ſtatim reſurgit. 323.init.
Iuſtus allicitur præmio. ibid.106
Iuſtus omnia,peccator nihil. 417.30
Iuſtus rarus,peccatores multi. ibid.29
Iuſtus non iudicat malum de aliis. 450.3
Iuſti ob impios non ſunt defraudandi donis. 456.36
Peccator mortuus,iuſtus viuus. 531.53
Bonis,& malis ſatisfaciendum. 584.83
Iuſtus aperit ſuos defectus,& aperit ſuas virtutes. 580.3
Iuſtus vult bona ſua aliis communicare. 599. 72
Quantumuis quis iuſtus ſit, ſi omnia illius inueſtigentur imperfectiones deprehendentur. 542.19
in Iuſto nihil eſt ſiniſtrum, ſed omnia dextera. 364.64
Augeatur virtus in iuſtis, ſi vitium creſcit in impiis. 379.81
Iuſti ſuas virtutes ignorant. 394.30,31
Iuſti volunt bona,vt Deo tribuant. 402.82
Iuſtus panem ſuum manducat,peccator alienum. 406.103
Vide *Charitas, Communicare.*

L

*Labor.*

à LAbore ac preſſura tota fortitudo Chriſtiana. 149.71
Multum impetrat,qui laborat,dum alij quieti indulgent. 152.92
Ex ſocietate in laboribus leuamen. 170.179
Deus de noſtris laboribus ſubtrahit, in præmiis dandis ſuperabundat. 193.290
Noſtri labores comite Chriſto ſuaues & leues. ibid.291
Deo plus placent homines laborantes, quam quieſcentes. 248.72.126
ad Labores non obligantur homines delicati, ſed obdurati. 250.83
Labor præuiſus melius toleratur. ibid.
Labor conducit, vt homo Dei recordetur. ibid.

ſi Labores, quos pro mundo patimur, pro Deo ſuſtineamus, multum habebimus præmium. ibid. 85,86,87
Item labores, ſi pro Deo patiaris, multam mercedem, ſi pro mundo, magnum detrimentum accipies. ibid.
Potius viuendum inter tempeſtates maris, quam inter fauores ſæculi. 222.35
Sine Chriſto fruſta laboramus. 225.54
Qui eſt ſocius in labore, ſit & in Regno, & felicitate. 253.111
Qui fugit labores, pro te non pugnabit, niſi lucro animetur. 278.71
Deus per ſuam gratiam reddit labores leues. 306.253
Labores in hoc ſæculo accipiamus, tanquam è manu Dei. 364.69
Laboribus nos Deus ducit ad ſalutem. ibid.70
Labor vt fiat ſuauis per multos eſt diuidendus. 448.95
Deus aliquando permittit labores, vt defectus noſtri purgentur. 449.init.
in Laboribus ſerui Dei habent miram ſuauitatem. ibid.99
Magna ſtultitia labores ſuſtinere, & præmio defraudari. 482.101
Afflictos, ac laborantes reſpicit Chriſtus. 508.17
In domo Prælati nullus ſit priuilegiatus à labore. 514.49,50
Id, quod multo labore, ac ſanguine ſtetit, in magno pretio habetur. 571,6,7
Ad magna eligendi laboribus obdurati. 596.46
Vide *Aduerſitas, Tribulatio, Perſecutio.*

*Lachrymæ.*

Per lachrymas lauatur homo à peccatis. 148. init.
Omne bonum, quod per delicias deperditur, per lachrymas recuperatur. 152.91
Lachrymæ mundant conſcientiam, & ducunt in vitam æternam. 165.154
Qui ſcit ſuos defectus deplorare, eligitur ad magna. 220.init.
Ipſæ lachrymæ magnum ſolamen & conſolatio ſpiritualis. 291.149
Lachrymæ delectant. ibid.
Suauitatem, quæ reſultat ex lachrymis, ſolus, qui experitur, agnoſcit. 292.154 & ſeqq.
Lachrymæ oriuntur ex peccatis, gaudium ex Deo. 292.158
Poſt lachrymas ſuauitas, & gaudium. ibid. 160
Donum ex lachrymis perpetuum, & ſtabile. 293.161 & ſeqq.
Beatitudo, & dona, quæ reſultant ex lachrymis, non explicantur verbis, ſed ſolum ſentit qui experitur. 292.155
Anima prorumpat in lachrymas ad excludendum peccatum. 454.24

*Laus.*

Iuſti proprias laudes, quando neceſſitas poſtulat, cum multa modeſtia declarant. 110.261 & ſequentibus.
Quæ ſunt noſtræ laudis per alios celebrentur. 137.10
Dominus laudat ſua dona, non vituperando alia. 162.136
Dominus adeo zeloſus eſt ſuorum donorum, quod ideo ea nimis laudat, vt nos ad illa alliciat. ibid.
Homo in proprias laudes ne prorumpat. ibid. 138
Dum homo laudatur, fortius erigitur ad ſuum peccatum confitendum. 169.174
Omnia, quæ dicuntur in laudem Dei, pauca ſunt. 229.78
Iniqui laudant peccatores, & dicunt vituperia in iuſtos. 304.238
A ſolo tuo amico laudaris. 393.25
Deus per bona opera noſtra, laudatur. 400 71
Dum Deum laudamus, multam gratiam nobis comparamus. 401.75 & ſeqq.
Sæpe inimicus laudat, non vt extollat, ſed vt deprimat. 520.80
Ab ore impuro non eſt quærenda laus. ibid. 82
Vnde boni ſumunt occaſionem laudandi, inde & mali vituperandi. 587.101

*Lætitia.*

Vide *Gaudium.*

*Leproſus.*

Prudentia leproſi ſanati à Chriſto in multis comprobatur. 489.33
Magna fides leproſi. 490.34
Diligentia leproſi in quærendo Chriſtum. ibid.36
Leproſus erat immundus in lege veteri. 491.43

*Lex.*

Multiplex legis interpretatio illius abrogatio. 11.45
Licet in populo præſumatur ignorantia legis, non tamen in Sacerdote. 37.32
Bonus legiſlator ad omnes ſe extendit. 73.77
Prælati obſeruent legem ſubditorum. 127 33
Leges obſeruandæ, & venerandæ ſunt. 142.31
vt Lex tranſgrediatur cum rectitudine miraculum de cœlo exoptatur. ibid.32
Lex gratiæ perfectior lege veteri. 242.34 & 609.18
In lege veteri rigor, in noua benignitas. 275.50
Lex noua diſtincta à veteri. 281.88
Lex Dei maxime veneranda. 332.158
Lex dum ſoluitur ſit in ea deſolatio. 335.179
Minima legis non contemnenda. 336.182
Perfectio viſitur in obſeruandis minimis mandatis. ibid.183,184
Lex Dei valde ſuauis, & facilis. 338.197.198
Lex aduerſarius peccatis. 352.89
Lex extendatur ad omnes, qui in eodem ſunt crimine. 353.2
Homines in ſuis criminibus volunt habere ſubterfugium à lege. 368.13
Legis obſeruatio dat ingreſſum ad vitam. 462.61
Lex aliquando ex bona ratione ceſſat. 492.48
Veram legis obſeruantiam agnoſcunt perfecti. 516.54
Rex in ſuis legibus det rationem. 526.25
Pro obſeruandis legibus valde efficax vox. 551.88
Lex Euangelica valde excellens. 609.18
Libe





*Liberalitas.*

Diuina liberalitas tranſcendit omnem noſtram curam. 438.48 & ſeqq.
Cum Diuina liberalitate omnia abundant. ibid.
Deus illud ſolum dicitur habere, quod dat ſuis. 490.29
Dei liberalitas in infinitum excedit noſtra obſequia. 573.15
Dei liberalitas plura dat, quam nos petimus. 206.71,119 & 193.52,53
Liberalis ſat eſt, vt neceſſitatem agnoſcat. 12.51
Deus ita liberalis, vt magis det quam deſideramus. 32.102
Deus pro vno obſequio duplex dat beneficium. 227.68,69 & 278.67

*Litigantes.*

Litigantes potius cogitant de victoria, quam de veritate. 366.75

*Lingua, Loqui.*

Communi modo loquendi accommodandum. 17.72
Præcauetur male dictantium. lingua. 61.17
Iuſti de aliis magna loquuntur, fœda tacent, 67.44
Sunt homines, qui minima loquuntur, & magna exiſtimant ſe dicere. 72.69
Præſumptuoſus loquitur pro aliis. 49.82
Deus loquitur ad cor noſtrum. 81.113
Magnus multa largitur, pauca vero dicit. 93.170
Magna manifeſtanda, non verbis, ſed operibus. 58.120
Homo ſemper loquitur poportionatè ad ſuam intentionem. 167-162
In pura lingua non capit nomen luxuriam ſonans. 167.164 & 354.7
Mulieris ingenium loqui ampliando. 173.191
In loquutione, ac conuerſatione, ſi dicuntur aliqua inuiſa, interrumpimus quæſtione diuerſa. 174.200
Nec omnia ſemper ſunt dicenda, & loquenda. 175.207
Multi loquuntur per os alienum. 277.64
Lingua ſonans benedictiones diuina eſt. 280.82
Lingua loquatur, quod corde retinetur, & non ſit aliud in corde, aliud in ore. 362.50 & ſeqq.
Qui aliud habet in lingua, aliud in corde, incidit in damnationem. ibid.51
Quilibet loquitur de his, quæ ſibi ſunt grata. 442.68
Maxime diſplicent Deo verba, ſi aliud ſit in ore, aliud in corde. 521.90
Eſt tempus homini loquendi, & tacendi. 551.83
In rebus magni ponderis circumſpecte loquendum. 582.72
Iniqui non audent loqui coram veris Doctoribus. 582.73
Lingua, vtpote magnum malum hominis valde mirabile, quod à Chriſto daretur. 633.23
Vide *Murmuratio.*

*Locus.*

Deus pigneratur à loco ad benefaciendum. 144.41
Securus eſt homo in loco ſibi à Deo dato. 552.94,95
Locus quanuis ſanctus non dat ſecuritatem. 542.33
Chriſtus non poteſt recipi in loco immundo. 592.21,22

*Lucrum.*

Sæpe iactura rerum occaſio magni lucri. 229.80
Quilibet ſua lucra reputat ſacra. 370.37
Dona gratiæ non ſunt ordinanda ad lucrum. 526.26,27
Repudiandus affectus eorum, qui non te, ſed ſuum lucrum ſequuntur. 528.35

*Luxuria.*

Luxuria ciuitates facit deſertas, & omnia conuertit in eremum. 128.39
Luxuria improportionata ad ſpiritualia. 167.64
In puro ore non capit nomen luxuriam ſonans. ibid. & 154.7
Sub falſa doctrina, luxuria, & vitia. 174.200
in Luxuriæ crimine omnia alia peccata continentur. 186.257,258
de Luxuria breuiter, ac mutato vocabulo puri loquuntur. 254.6,7
Luxuria grauiſſimum malum, ac mutato nomine de ea loquendum. 411.135
Luxurioſi perditioni addicti. 568.78

M

*Magiſter.*

MAgiſter prius faciat, quam doceat. 8.30
Magiſterij magna dignitas. 62.21
Magiſter non erubeſcat diſcere. 65.32
Magiſter magiſtri nomine pigneratur. 69.57
Inflatus honore magiſterij non vult emendari. 71.67
Bonus magiſter conſtans in doctrina. 74.78
Si diſcipulus non capiat doctrinam, non eſt danda culpa magiſtro. 84.init.
Magiſter accommodet ſe imbecillitati auditorum. 100.207
Magiſter bonus incipit à facilioribus. 113.278
A bono magiſtro inquirendum. 174.197
Diſcipuli famulentur ſuo magiſtro. 187.263
Magiſter quærendi in vniuerſitate. 247.64 & ſequenti.
Magiſtri exemplis explicet ſuam ſententiam. 190.278
Magiſtri induantur patientia. 305.243
Vt inueteratus magiſter ſuos errores deponat, requiritur manus Dei. 314.53
Interpretationibus legis deprauatur magiſter. ibid.54
Magiſtri, ac Doctores ſuis interpretationibus nouam faciunt legem. 333.166 & ſeqq.
Bonus magiſter magnum adiuuamen ad ſalutem. 464.1
Iniqui magiſtri plus fingunt ſe ſcire, quam capiunt. 561.32

*Magnus, Magna.*

Nemo ad magna ſe ingerat. 21.88
Autho

Authoritas magni viri multum valet ad reprimendum populum. 62.18
Ad magna paulatim animus diſponendus. 28. init.
Magna aperienda non verbis,ſed operibus. 158. 119
Magna non ſubito dicenda ſunt, ſed ad illa paulatim promoueantur auditores. 162.139
Vt magna valeas operari Patriam relinque. 196.7
Omnis mundana magnitudo habet annexam miſeriam,& decoctionem. 200.31
Magna præmeditanda ſunt. 237.2
Magna paulatim diſponenda. 216.6
Magna perſuadenda non maieſtate, ſed benignitate. 275.52
Magnus ſæpe magnitudine ſuæ opinionis pigneratur. 593.54
Magna non perſuadentur promiſſionibus, ſed donis datis. 309.16
Chriſtus de ſe humilia dicit, magna dicenda aliis relinquit. 332.160
Ad magna explicanda nulla ſuperſunt verba. 337.192
Qui reiicit magna,non implicetur in minimis. 363.61
Magna intendere,magni eſt animi. 14...
Magna intendat homo vt valeat obtinere,& non inhæreat in paruis. 425.71
Non velit homo ſtatim proſilire in magna. 525.21
Magna non ſunt omittenda ob minora. 535.81
Magna negotia perſonaliter agenda. 606.4

*Maiores.*

Maiorum facta ſequenda. 441.61
Vide *Pater.*

*Malitia.*

Malitia humana valde præpotens. 454.23

*Malum.*

Malum in ſua radice amputandum. 582.74.59 & 345.38
Mala per ſe veniunt in homines huius mundi, ſine vllius manu. 147.57
Homines ad malum veloces, ad bonum deſides. 168.170
Malum poteſt alicui imprecari zelo iuſtitiæ. 380. 84
Malum fugiendum cum magna diligentia. 464.4
Malum cum ſpecie boni fugiendum. 467.24
vt Malum extinguatur illius radix amputanda. 551.83
Ex parte infecta non aliud niſi malum. 552. 91
Ab eo, quod aliquando tibi fuit malum, ac noxium,caue,& fuge. 555.110

*Manſuetudo,Manſueti.*

Doctrina cum manſuetudine perſuadet. 87. 139
Manſueti erudiuntur in diſciplina. 160.129
Manſuetudine acquiritur,& ſtabilitur Regnum. 288.131
Vide *Mitis*,ibi multa.

*Maria Virgo..*

Vbi neceſſitas,ibi adeſt Maria. 3.2
Virgo citiſſime ſubuenit noſtris neceſſitatibus. 7.21
Omnis, qui ad Chriſtum venit, per Virginem venit. ibid.20
Mariæ verba omni ſapientia plena. 11.42
ob Mariam mundus creatus eſt. 19.82
Virgo multum deferebat Filio. 12.50
Virgo loquens, & orans pro nobis,omnia impetrat. ibid.53
Virgo clauigera cœleſtium donorum. ibid.
Virgo grata ſe exhibet. 13.54
Virgo ad noſtrum auxilium propenſa. ibid.
Magna charitas Virginis aliquando non inuocata ſubuenit. ibid.
Virginis oratio habet multam vim. 15.init.
Præmonuit Dei ſapientia, ne virgo vt Deus haberetur. 17.71
Virgo per antonomaſiam mulier. ibid.72
Virginis viſcera valde tenera, ac propenſa in miſericordiam. ibid.
Virginis munus pro nobis orare. 20.86
Virgo maxime illuminata ab Spiritu ſancto 21.91
Per manus Mariæ omne bonum nobis communicatur. ibid.92
Virginis oratio ſemper exaudita. 24.103
Delectatur Chriſtus,quod filius Virginis dicatur. 94.178
Virginales aures Mariæ refugiunt audire colloquium viri. 130.49
Maria Virgo fons ſalientis aquæ, quæ ducit ſuos deuotos in vitam æternam. 165.init.
Oratio,vt ſit efficax,debet fieri par manus Mariæ. 399.62

*Martyrium.*

Per Maryrium acquiritur maximum præmium. 306.251

*Matthæus.*

Matthæus binominis. 590.10
Magna humilitas diui Matthæi. 591.17
Matthæus inique officium publicani exercebat. 595.42
Matthæus de ſua vocatione ſoliciturs. 596.48
Matthæus ſuas laudes ſubticuit. 597.54
Quare diuo Matthæo facies hominis appropri atur. 596.49
Diuus Matthæus de ſuis diſpoſuit, ac reddidit rationem. 597.55
Matthæus abſcondit ſuas virtutes, & prodit quæ fuerunt vitij. 598.62
Matthæus magnum gaudium habuit de ſua conuerſione. 599.70
Chriſtus maxime honorauit Matthæum.ib.71

*Matrimonium.*

Magnum eſt onus matrimoni.. 8.28
Onus matrimonij, ſtimulat ad Virginitatem. ibid.
in Matrimonio tria requiruntur. 10.39
Matrimonio coniuncti, poſſunt ſeruire Deo, vt Virgines. 507.8

*Medicina.*

Vide *Infirmus.*

*Medicamenta.*

Medicamenta ſæpe multiplicata, augent dolorem. 619.41

*Medium.*

Vide *Accommodare.*

*Meditatio.*

in Meditatione potentiæ debent eſſe defixæ in Deum. 177.216

*Mendax,Mendacium.*

Mendax etiam poſt mortem non deſiſtit à mendaciis. 478.83





Mendax etiam coram ſciente non deſiſtit à mendaciis. ibid.84
Mendax ſemper præſumit alios eſſe mendaces. 479.87,88
Mendacium valde potens ad negotiandum cum Principibus huius ſæculi. 615.22
Mendaces omnia pro certis affirmant. 22.93
Vt diabolus ſeminet medacium, illud adiungit cum aliqua veritate. 367.3

*Meritum.*

Per meritum metiatur præmium. 301.224
Quæ per merita dantur,glorioſiora. 307.1
Quilibet fulgeat ſuis meritis, & non alienis. 531,152 & 342.23
Si merita videntur honores collati, ſunt plauſibiles. 449.98
Tempus merendi eſt in hac vita. 585.89
Meritum maximè exaltat. 100.208.281
Meritum iuſti, non minuitur ex coniunctione alicuius delinquentis. 151.82
Meritum, ac præſumptuoſæ cogitationes ſimul non dantur,ſed contrariantur in ſe. 207.74
Quod datur per merita, maximè nobilitat, & decorat. 279.75 & ſeq.
Dignitas per merita omnibus plauſibilis, nullus inuidet. 280.init.
Chriſtus maximè gloriatur de his, quæ habet per merita. 268.92
Vide *Dignitas,Præmium.*

*Miles.*

Bonum miles non attendit ad ea, quæ elaborauit, ſed ad ea, quæ elaboranda reſtant. 536.84

*Miniſter.*

Vt habeas bonos miniſtros, da officia iuxta eorum inclinationem, & propenſionem. 246.56
Miniſtri apti vocandi ſunt à proprio loco, vt reformati ex religione,milites ex executu. 247. 64.55
Miniſter aptus, quærendus eſt ad officium. 247. 66
In ſuis miniſtris Deus vult magnam promptitudinem,& diligentiam. 252.95
Quilibet miniſtrorum ſtet in ſuo ordine & faciat ſuas functiones, & ſeruet ſuum ordinem. 228.82 & ſeq.
in Miniſtro ratio officij non ſit tanquam quid adiacens,ſed veluti quid intrinſecum,& transformatum in natura. 310.20 & ſeqq.
Miniſter, qui deficit in ſuo officio, in ſua natura deficit. ibid.22
Bonus miniſter gloria Regis deſtinantis. 329. 141
Dona data à Deo exorandum, ne à miniſtris impediantur. 406.102
Miniſter non ſequatur ſuum ſpiritum,ſed Dei nutum. 465.10,12,13
Quanuis ſis mundus, ſi miniſtris non ſoluas ſuum ſtipendium, nunquam te mundum iudicabunt. 496.73
Bonus miniſter non attendit ad ea, quæ elaborauir, ſed ad ea, quæ elaboranda reſtant. 536.84
Malus miniſter prius denunciat ea quæ ſunt ad bonum Regis, quam quæ pertinent ad ſubditos; bonus vero de omnibus æqualiter agit. 550.init.
ſi Miniſter eſt infidelis nulla prouidentia Principis,nulla rerum abundantia ſufficit. 11.44
Bonus miniſter non eſt impediendus in ſuo officio. 27.118 & 31.5
Bonus miniſter non faciat vltra impetrata. 27. 121
Miniſter ſequatur nutum Domini. 28.init.
Miniſtros ſuos honoret Princeps. 137.12
Deus non ſoler miniſtros ſuos fideles in officio eis commiſſo impedire. 139.17 & 413.6
Dona diſtributa per manus miniſtri polluuntur,& deficiunt. 164.146,147
Miniſter multoties ſe habet vt Rex,& Dominus. 199.30
Nihil mundanum vult Deus in ſuis miniſtris. 244.44
Vide *Officium.*

*Minima.*

Perfectio viſitur in obſeruandis minimis. 336 184
ex Minimis peccatis prolabitur homo in maiora. 335.179
Vir magnus ſua reputat minima. 337.195
Magnitudo non ſolùm creſcit de magnis, ſed etiam de minimis. 338.201
Qui reiicit magna,non implicatur in minimis. 363.61
in Minimis non inhæreat homo. 425.71 & ſeqq.
ob Minima non ſunt omittenda maiora. 535.81

*Miſeria.*

Maximè mouent miſeriæ,quas quis videt propriis oculis. 247.63
Miſeria clamat ad Dominum. 576.29
Homo ex ſe habet miſeriam, ex Dei gratia omne bonum. 578.47 & ſeqq.
Qui conſors eſt in tua miſeria,tibi miſeretur. 94.179 & 149.68
Ex ipſa miſeria mouetur Dei manus ad auxilium. 105.235,237
Qui ſuſtinet miſeriam,oculos erigat ad exempla Patrum, & inueniet conſolationem. 149.69
Ex propriis miſeriis,quas quis paſſus eſt,diſcat aliorum ærumnis compati. 247.62
Vide *Neceſſitas.*

*Miraculum.*

Nemo ſe ingerat ad miracula. 21.88
Chriſti miracula in gloriam Patris ad bonum commune ordinabantur. 53.101
Homines volnnt fieri miraculum iuxta ſuum modum,& beneplacitum. 205.59
Non recurrendum ad miraculum ſi res fieri poteſt noſtris viribus. 222.38 & ſeqq.
Quid ſit miraculum. 263.24,61
Quæ requirantur ad miraculum. 264.25
Quotupliciter Deus operetur miraculum. ibid.
Quibus ſignis deprehendatur verum miraculum. ibid.29
In confirmationem erroris non poteſt fieri miraculum. 478.80

*Miſericordia,Miſericors.*

Licèt Dei verba oſtendant rigorem, opus tamen eſt cum miſericordia. 21.89
Illud, quod videtur miſericordia, aliquando eſt iuſtitia, & quod apparet ſupplicium,eſt miſericordia. 82.118
Conſors in natura tui miſeretur. 94.79
Miſericordia in Principe primas obtinet. 116.292
Tempus miſericordiæ non eſt fœdandum cum rigore iuſtitiæ. ibid.295

Ille, qui laborat,valde opportunus Deo , vt ei miſereatur. 217.8
Vir miſericors, miſericordiam inuenit. 296.183
Miſericordi viro , Deus multas miſericordias confert. 296.184
Vir miſericors Dei miſericordiam obligat. ibid.
Dei amor maximè propenſus in miſerentem virum. ibid.185
Dei miſericordiam,ac clementiam totus mundus teſtatur. 385.113
Cum miſericordia Dei declaratur, tunc eius perfectio oſtenditur. 389.136
Dei miſericordia ſuper omnia opera eius. ibid. 137
Homo ex Dei miſericordia ſumit anſam ad eum offendendum. 431.10,11
Diabolus ſolicitat , vt fiducia miſericordiæ pecces. 432.12
Deus in ſuo aduentu oſtendit miſericordiam, & non iudicium. 579.53
Deus aſpicit id , quod ad miſericordiam prouocat. 592.25
Vbi maior eſt miſeria, ibi maximè reſplendet Dei miſericordia. 596.init.
Deus punit cum miſericordia. 386.118
Qui eſt liberalis in operibus miſericordiæ, ne deſit in operibus iuſtitiæ. 597.57

*Myſterium.*

Qui myſteria ſupernaturalia perpendit ſecundùm vim intellectus,errat. 73.76
Myſteria diuina profunda, qui charitate accedit, facile deguſtat. 146.51
Myſteria ſine fide non intelliguntur. 175.208
Qui myſteria perpendit per rationem naturalem , errat, qui per potentiam Dei , ea cognoſcit,& reueretur. 209.90
Perfectiores ſolum poſſunt tendere in altitudinem myſteriorum. 228.70
Fidei myſteria, vide *Fides,Intelligere.*

*Mitis, Manſuetudo.*

Mites cur Beati. 287.129
Mitis quando oportet iraſcitur. 287.129
Quinam ſint mites. ibid.
Manſuetudine acquiritur , ac ſtabilitur regnum. 288.131
Mites electi in hæredes Dei. ibid,132
Mitis ob ſuam manſuetudinem quamuis videatur à mundanis terrena amittere,tamen multo maiora acquirit. 288.133,134
Mitis cum omnibus habet pacem,& inde omnia poſſidet. 289.136

*Modeſtia.*

Modeſtia aliena à vana gloria. 20.85
Chriſtus ob modeſtiam dignitatem occultat. 68.49
Chriſtus ob modeſtiam non loquitur de ſe magnifica. ibid.
ob Modeſtiam in rebus magnis loquitur Chriſtus de ſe per tertiam perſonam. 110.259 & ſeq.
Chriſtus ob modeſtiam occultat ſuam potentiam, & de ſe per tertiam perſonam loquitur tanquam de alio. 209.86

*Moleſtus.*

Moleſta in ſermone interrumpimus quæſtione diuerſa. 174.99

*Mors , Mori.*

Præcedente ſimilitudine mortis , fit tranſitus ad vitam. 60.8
In ſua maiori poſſeſſione homo de morte recordetur. 143.36
Homo à natiuitate incipit mori. 201.39
Memoria mortis multum vtilis ad reprimendum à peccatis. 415.21 & ſeqq.
Memoria mortis fortis. ibid.
Memoria mortis multum vtilis. 418.38
Memoria mortis maximè eleuat animam ad cælum. 425.75
Memoria mortis generat terrenorum contemptum. 626.init.
Mortuos vult etiam dæmon dedecorare. 557.9
Memoria mortis valde efficax ad non peccandum , & ideo Diabolus maximè procurat, vt à mente excidat. 559.14 & ſeq.
Potius mors,eligenda, quàm dæmonis iugum. 568.77
Magnatum mortes , ac funera potius apparatu,quam affectu celebrantur. 626.87

*Mortificatio.*

ex Mortificatione carnis comparatur gloria. 357.21
Vide *Pœnitentia.*

*Mos.*

Suorum mores vnuſquiſque ebibit. 23.99
Antiqui mores ſeruandi. 599.71
Vide *Conſuetudo.*

*Mora.*

Mora hominis ad Chriſtum valde ei eſt moleſta. 149.70

*Mulier.*

Mulier fugiat colloquium viri. 130.49
Mulieris amor impatiens. 132.58
Mulieris nequitia ſuper omnem nequitiam. ibid.
Mulieris preces vincunt animum. 134.69
Mulier valde ſuperſtitioſa. 157.113
Mulieres per ſuos viros doceantur. 168.166
Mulier omnia ſua bona communicet viro. ibid. & 168
Nil mulier accipiat inſcio , vel abſente viro. ibid.
Mulier, quæ non occultat ſuum peccatum, omni laude proſequenda. 169.74
Mulier curioſa de futuris. 173.190
Mulieris ingenium loqui ampliando , & augendo. ibid.191
Familiaritas cum muliere fugienda. 181.233 & ſeqq.
Reprehendnntur mulieres pingentes faciem. 415.20

*Mundus.*

Poſt noſtros labores , mundus non ſinit frui nos ſuis bonis. 147.56
In homines mundanos mala per ſe veniunt ſine vllius manu. ibid.57
Nil mundanum vult Deus in ſuis miniſtris. 244.44
Mundus teſtatur Dei clementiam ac miſericordiam. 385.113
Inter ſeruire Deo,& mundo, multa differentia. 434.22 & ſeq.
Qui ſemel relinquit mundum, non iterum regrediatur ad ea quæ ſemel reliquit. 536.84 & ſeqq.
Vide *Bona temporalia.*





*Munus.*

Vide *Dare,Donum.*

*Murmuratio.*

Murmurandi imputanda eſt occaſio impiis. 245. init.& 153.95
Murmuratio maledicentium præoccupanda. 333.163
Sæpe res murmurantur ob ſuum auctorem. 495.62
Chriſtus ob noſtrum bonum deſpicit murmurantium linguas, 600.init.

## N

*Natiuitas.*

Natiuitas ex Deo honorificat. 79.100
Quomodo iuſtus dicitur natus ex Spiritu ſancto. 79.104

*Natura.*

Naturæ abiectio,vide *Humilitas.*
Naturæ inclinatio conſideranda in eo , qui eligitur ad officium. 246.56

*Neceſſitas.*

Vbi neceſſitas vrget , ibi Dei auxilium. 213 116
Non ratione ſanguinis,ſed neceſſitatis ſubueniendum. 511.10
Neceſſitas manifeſtanda illi , qui poteſt dare remedium. 13.55
Quando neceſſitas vrget , tunc maius beneficium. 18.77
Neceſſitas validiſſima ad impetrandum. 19.80
Neceſſitas non habet legem. 153.96
Potentes ſæculi ad ſuas neceſſitates ſubleuandas veluti media diuina volunt adhibere ; ad aliorum neceſſitates humana , & cum magno labore. 154.98
Neceſſitas facit homines diligentes ad quærendum remedium. 201.38
Neceſſitas nullam habet legem. 245.49,50
Neceſſitate multa amplectimur , quæ alias non erant facienda. ibid.
Neceſſitas non ſuffert moras. ibid.48
Neceſſitas inferioris,egeſtas eſt ſuperioris. 436.33
Vt nullius rei habeas neceſſitatem, committe te Dei curæ, ſub tua vero cura multis indigebis. 438.50
Deus prouidet iuxta vniuſcuiuſque neceſſitatem. 441.65
Idem eſt, quod Deus ſciat noſtras neceſſitates, ac quod prouideat. 446.87
Qui Chriſtum habet, nullam patitur neceſſitatem,& omnia habet. 449.101
Principes ſuorum neceſſitatibus non ſubueniunt,quia eas non conſiderant. 485.7
Bonus Princeps ſuos agnoſcit non à nomine, ſed à neceſſitate. 486.12
Magna excellentia hominum ope non indigere. 496.76 & ſeq.
Ex maiori neceſſitate maior generatur affectus. 544.48
Neceſſitas deſtruit vrbanitates. 595.55
Neceſſitas efficaciter ſolicitat remedium erga Deum. 548.67
Neceſſitas aperienda , rationes vero non ſunt aſſignandæ. ibid.
in Neceſſitate quilibet loquatur pro ſe , & pro aliis. 549,69
In noſtra neceſſitate ſtudeamus ſubuenire alteri. 548.69
Valde gratum homini alterius ope non egere. 286.95
In arduis neceſſitas dat conſilium. 619. 42
Neceſſitas magnam efficaciam habet ad obtinendum bona erga Deum. 623.73
Vide *Modeſtia.*

*Negotium.*

Negotia non ſunt facienda in Eccleſia, 47.init.
In Eccleſia ſunt negotianda ſpiritualia. 47.74
Prælati in maioribus negotiis occupentur,minora inferioribus committant. 137.9
De illis negotiis agat homo , quæ ad ſe pertinent. 182.238
Mundi negotia catenatim veniunt , & vnum poſt ſe affert multa. 69.53
Negotia agenda ſunt coram his ad quos pertinent. 626.86

*Negligentia.*

Deus non vult nos eſſe negligentes , ſed laborantes. 437.40

*Nicodemus.*

Nicodemus quid ſignificet. 61.12
Nicodemus multipliciter princeps. 61.16
Nicodemus modeſte ſe gerit erga Chriſtum. 73.72

*Nobilitas.*

Maxima nobilitas à fide,ac virtute. 78.99
Nobiliorem proſapiam quilibet affectat. 161.132
Omnis mundana nobilitas habet annexam humilitatem & deiectionem. 200. 32 & ſequenti.
Nobilitas habet audaciam , & confidentiam. 202.46
Nobiles in fide, & virtute antecedant inferiores. 204.53
Nobiles olim fabrilia manibus operabantur. 257.125
Nobilis ſcit , & agnoſcit habere reuerentiam. 217.12
Nobiles in dignitate non ſuperbeſcunt , vt viles faciunt. 282.96
Nobilis in quolibet loco ſecurus. 317.72
Pigneratus ſua nobilitate intendat ſe conſeruare. 329.144

*Nomen.*

Magni viri nomen non eſt vacuum, ſed multa auſpicatur. 61.13
Nomen ſcire amicitiæ nota. 181.234 & 196.2
Non nominis Dei inuocatio , ſed operum obſeruantia ſaluat. 477.med.
Qui oneri officij non ſatisfacit , illius nomen non habet. 593.init.
Nomen reſpondeat officio. 606.3

*Noua,Nouitas.*

ob Noua vetera non contemnenda 8.28
Noua ſuſpicione plena. 101.214
ob Noua vetera non ſunt contemnenda. 101.215
Nouæ plantationes in fide ſunt fouendæ. 196.4
Nouitas valde periculoſa. 333.163

Noua non ſtatim reiicienda, ſed examinanda, an ſint ſolida. 612.init.

*Nox.*

Noctis ſilentium aptum ad ſecretum, ac colloquium. 65.31

*Nuptiæ.*

Nuptiæ approbantur à Chriſto. 8.25
Nuptiæ feſtiue, & ſine moleſtia celebrandæ. 609.21

O

*Obduratio.*

Obduratus animus emolleſcit præmio. 158.118

*Obediens, Obedientia.*

Perfecta obedientia ſolum neceſſitatem repræſentat. 12.52
Perfecta obedientia prompta ad omnia. 20.85
Vera obedientia omnia cumulate præſtat. 24.103
Per obedientiam homo creſcit in donis Spiritus ſancti. 25.109
Obedientia exaltat. 100.208
Obedientia primus gradus ad reformationem, & emendationem. 167.164
Chriſto obedire, Patri valde pericundum. 188.269
Obedientia valde potens ad multa impetranda. 208.79
Facile homo obedit ei, à quo credit ſe bonum accipere. 209.89
In Chriſtiano requiritur obedientia cum perſeuerantia. 238.5
Vera obedientia non ſcrutatur, non reſpondet. 252.93 & 538.9
Vera obedientia inchoatum opus relinquit, quando vocatur. 252.94
Perfecto obedienti ſufficit inſinuatio, & non requiritur iuſſio. ibid.
Inſenſibilia Deo obediunt, ſolus homo vult reſiſtere ei. 554.108
ob Obedientiam magnas dignitates aſſequuntur. 596.47

*Obligatio.*

Perfectio illius, qui habet officium illius obligationibus ſatisfacere. 597. 59 & ſequentibus.
Magna obligatio ſi propter te conſanguinei, ac amici relinquantur. 196.4
Potius obligationi officij, quam amori ſanguinis deferendum. 197.16 & ſeqq.
Oligatio muneris ſit maxime fixa in mente. 316.64
Homo ſua dignitate pigneratur, vt ſatisfaciat ſuæ obligationi. 323.108
Qui obligationi ſui muneris incumbit, maxime excreſcit. ibid.
Magna obligatione adſtricti ſumus his, qui pro nobis laborauerunt. 341.5 & ſeq.
Quæ ſunt ex obligatione publica publice facienda. 422.55 & ſeq.
Propriæ obligationi ſatisfaciendum ſine dependentia à futuro euentu. 577.41

*Obſeruatio.*

Legis obſeruatio, vide *Lex.*

*Obſequium.*

in Obſequio Dei, etiam carnis affectus nomine tenus amputandus. 17.73
Antiquus in obſequio nobilitandus. 25.108
Deus ſua beneficia reputat in paucum, noſtra obſequia in multum. 176.211
Qui ſine iuſſione obſequia præſtat, multo honore dignus. 184.248 & 197.13
Obſequia, quæ nobis offeruntur, non contemnenda. 349.68
Per quæ quis obſequia dat Deo præmia recipit. 357.init.
in Obſequio Dei totus ſit homo, & non dimidiatus. 433.19, 20 & 496.75
Inter obſequia Dei, & mundi multæ differentiæ. 434.22
Quod à Deo accepimus, in eius obſequium demus. 4.48
Seruans iura obſequij, præparatur ad dignitates. 533.64
Dei liberalitas in infinitum excedit noſtra obſequia. 573.16

*Occaſio.*

Benignitas, & rigor prout occaſio poſtulat. 27
Scientia manifeſtanda quando occaſio poſtulat. 136.2
Qui exiit ab occaſione peccati Deum inuenit. 153.95
Dicta, occaſione poſtulante, habent vim, & leporem. 167.164
in Occaſione loquendum, ac dicendum. 180.225
Iuſti appetunt abſcondi, at in occaſione ſe manifeſtant, & exeunt in publicum. 330.145
Occaſioni proportionandum eſt medium. 429.93
Occaſio temporis exploranda, vt negotium optime adimpleas. 487.19
Bona occaſio non elabatur è manibus. 516.55
Deus vocat opportuno tempore, ac occaſione. 530.48 530.48
Occaſio peccati, etiam defuncti & extincti, fugienda eſt. 531.55
Maxime puniendus, qui occaſiones dat peccati. 567.73
Occaſio arripienda ne labatur è manibus. 574.18

*Occultare.*

Vide *Abſcondere.*

*Oculus.*

Oculi maxime mouent ad peccandum. 355.11
Oculus auctor præuaricationis. ibid.
Si vis vincere, claude oculos. ibid.
Oculus dirigat corpus vt ſuum proprium. 426.79
Oculus videat non ſolum ad ſui vtilitatem, ſed etiam corporis. ibid.
Oculorum modeſtia in animum tranſit. 428.89
Oculorum modeſtia animum facit modeſtum. ibid.90

*Odium.*

Odium mors animæ. 315.53
Homines propenſi in odium, & in malum. 430.5
Noſtrum odium non nocet noſtro inimico, ſed nobis. 374.50
Peccatum eſt odio habendum, non autem peccator. 112.272 & ſeq.





Odium tegumento zeli crudele. 140.21
Odium inimicorum prohibitum lege naturali. 367.6, 7, 8

*Odor.*

Odor ſit virtutis & non vnguentorum. 419.41
Odor ſæpe fœtor vitæ. ibid.
Odor vitiorum fugiendus. 421.50

*Officium.*

Occupati in proprio officio ad magna apti. 247.67
Vnuſquiſque ſtet in ſuo officio, & ſuo ordine, vt recte agat. 311.27 & ſeqq.
Qui habet officium publicum indiget patientia. 305.244
Ratio officij in miniſtro non ſit tanquam quid adiacens, ſed veluti quid intrinſecum, & conformatum in natura. 310. 20 & ſequentibus.
Nullus ſe intromittat in alieno officio. 14.59 & 465.7, 8 & 521.87 & 519.17
Homo accommodet ſe ſuo officio. 49.82
Obligatio officij non eſt tibi proportionanda. ſed tu illi. ibid.
Doctor ſatisfaciat ſuo muneri. 58.init.
Officium ſeruitus quædam eſt. 117.297
Prælatus non omnia officia ſibi retineat. 137.9
Potius officio, quam amori ſanguinis, ac amicitiæ deferendum. 197.16 & ſeqq.
Officia diſtribue iuxta inclinationem vniuſcuiuſque. 246.56 & ſeq.
Cum deficit officium, deficit natura. 310.22
Plus mouet obligatio muneris, quam quodcunque illuſtre beneficium. 311.27, 28
Pigneratus ſua nobilitate intendat officium ſuum conſeruare. 331.154
Officio non vtatur Prælatus ad vindictam. 337.69
Qui ſuo officio non ſatisfacit, totum ſuum eſſe deperdit. 417.28
Officia publica ſuam habent authoritatē. 477.76
Nemo ſe intromittat in officio alieno. 521.87
Vide *Dignitas, Miniſter.*

*Offerre.*

Deus vult ea ſibi offerri, quæ nobis ſunt in magna æſtimatione. 594.37
Deo potius offerendum noſmetipſos, quam noſtra. 254.108
Vide *Obſequium.*

*Opus, Operari.*

Operandum conuenienti tempore. 16.66
Potentia, ac maieſtas declaranda operibus, & non verbis. 72.70
Noſtra operatio requiritur ad Dei dona ſuſcipienda. 324.117
Verus animus operibus, & non verbis comprobatur. 38.32
Dei opera per viſibilia demonſtrantur. 76.init.
Bona opera Deo tribuenda, & non nobis. 108.256
Regius ſplendor, potius oſtenditur operibus, quam verbis. 163.140
Operibus, & non verbis fides declaranda. 183.240
In bonis operibus noſtris delectatur Chriſtus. 189.init.
Bona opera debent fidem comitari. 208.81
Operandum in nomine Chriſti. 229.77



Bona noſtra operatio à Deo venit. 329.141
Efficacius mouent opera, quam verba. ibid.
Quilibet fulgeat ſuis operibus. 342.23 & 331.151 & 468.26
Opera pia, ſi dent offendicula omittenda. 356.16
Sæpe non ſolum à malo opere, ſed etiam à bono cauendum eſt. 356.17
Non nominis Dei inuocatio, ſed operum obſeruantia ſaluat. 477.74.78
Opera firmiſſimè fundantur in Chriſto. 481. 99
Diabolus gaudet in opere ſuo. 558.13
Non omni poteſtate ſemper operandum. 618.37 & ſeqq.

*Opinio.*

Vt alicui credas, multum conducit quod de eo habeas magnam opinionem. 168.165
Homines ſuas opiniones volunt patrocinari cum lege. 368.13
Homines volunt ſuas opiniones venerari vt oracula Dei. ibid.14
Opiniones nouæ non ſtatim reiiciendæ, ſed examinandæ, an ſint ſolidæ, & veræ. 612.poſt init.

*Oratio.*

Sæpe Deus diſſimulat audire orationem, vt cum maiori gaudio ſuſcipiatur donum. 17.init.
Orationes aliorum multum nobis proſunt. 19.81
Virginis oratio multa, & citiſſime impetrant. 18.78
Oratio Sanctorum multum efficax ad impetrandum. ibid.
Deus citiſſime exaudit ſuorum orationes ac afflictiones. 20.init.
Multum impetrat oratio vigilantis, dum alij quieti indulgent. 159.init. & ſeqq.
Oratio medium neceſſarium ad impetranda diuina beneficia. 158.118
Deus aliquando non annuit noſtræ orationi, cognoſcit enim, quod vilius eſt. 206.67
Orare pro inimico affectus eximiæ charitatis. 378.73
Miſera conditio iniuriantis impellat nos ad orandum pro eo. ibid.74
Qui pro inimicis orat, velociter exauditur & multa ſibi impetrat. 379.76 & ſeqq.
Oratio ſecreta, placet Deo, & fructificat. 397.46 & ſeqq.
Oratio, quæ terrena petit, contemnitur à Deo. ibid.48
Sine fide Eccleſiæ Catholicæ non exauditur oratio. 399.61
Oratio noſtra inuocatione Mariæ eſt efficax. 148.62
Oratio vt ſit efficax, pro multis ſit. 401.init. & ibid.719.104
Oratio magnam habet efficaciam. 404.92
Quod in fide oramus, iam noſtrum eſt. 406.103
Oratio adiuncta cum eleemoſyna efficacior. ibid. 104, 105
Oratio ſine ſpe non cognoſcitur à Deo. ibid.
Oratio iuſti, clauis cæli. 458.45
Deus ſæpe ob miſericordiam non concedit noſtra poſtulata in oratione, & ſi non exaudit quoad voces, audit quoad intentionem. 459.50 & ſeqq.

Deus noſtram orationem habet plo mercede. 490.37.& ſeqq.
Deus concedit noſtras petitiones ſecundum eum modum, quem deſideramus. 493. 55,56
Vide *Petere*.
Deus vult, vt ab eo petamus. 542.32
Oratio, etiam impij, potens ad impetrandum. 557.6
Peccata publica orandi fiduciam tollunt. 614. 16 & ſeq.

*Origo.*

Ablata origine peccati ipſum peccatum deſtruitur. 518.72,73
Origo mali ſit tibi ſemper ſuſpecta. 529.88
Vt malum emendetur, illius origo amputanda. 551.83
Vide *Infirmitas*.

*Ordo.*

Vnaquæque res ſtet in ſuo ordine. 320.99

*Oſtium.*

Oſtium Prælati omnibus ſit apertum. 326.126
in Oſtio Prælati nullum ſit impedimentum, quominus ſubditi ad eum conueniant. 575.27

*Os.*

Vide *Lingua*.

*Otium.*

Otioſitas relinquenda vt Chriſtus inueniatur. 64.30
Otioſitas manuum operibus euitanda. 257.125
Valde noxium, & damnabile eſt illud, quod eſt in otioſitate. 476.71 & ſeqq.

P

*Pacificus, Pax.*

PAcifici imitatores filij Dei. 299.210
Agere de pacificandis hominibus officium proprium filij Dei. ibid.
Pacifici ſumme diliguntur à Deo. 300.212
Pacifici magnam habent dignitatem. ibid.211
Bonus Magiſter ſeminat pacem. 471.51
Pacificis omnia bona dantur. 300.213
Vir pacificus imaginem Dei refert. 300.216 & ſeqq.
Pacifici aliqualem habent imaginem Trinitatis. ibid.
Pax maxime procuranda. 366.75
Vide *Concordia*.

*Palatini.*

Vide *Aulici*.

*Parens, Pater.*

Parentibus, ac maioribus aliquis excellentiæ gradus reſeruandus. 24.106
Pater procurat meliora filiis. 161.130
Nullus magis pater, quam ille, qui beneficia præſtat. ibid.132
Paterfamilias ſit ſolicitus de fide ſuorum domeſticorum. 214.118
Magna pietas de parente habere curam. 255. 112
Pietas in parentes placet Deo maxime. 257. 256.124
Pater, ac conſanguineus infidelis fugiendus. 259.138 & ſeq.
Parentibus, qui pro nobis laborauerunt, magna reuerentia exhibenda. 341.15,16

*Patria.*

Chriſtus Dominus honoratur potius ab alienis, quam in ſua patria. 180.228
Vt magna valeas operari, patriam relinque. 196.7

*Particulare.*

Præcepta, quæ dantur per verba particularia, magis trahunt, & obligant. 351.init.

*Paſſio. pati.*

Homo tranſcendat terminos naturæ vt pro Chriſto patiatur. 364.65
Homo ſit paratus interius, & exterius ad patiendum pro Chriſto. ibid.66

*Paſſio Chriſti.*

Chriſti patientia, ac fortitudo in paſſione. 98. 195
Ex Chriſti paſſione vita. 102.229
Paſſio Chriſti maxime ſolicitat noſtrum amorem 104.228
Tota noſtra requies, & recreatio à paſſione Chriſti. 150.75
Mors, ac paſſio Chriſti eius cibus ſuauiſſimus. 189.171
Labores noſtri exemplo paſſionis Chriſti ſuaues, & leues. 193.291 & ſeq.
Memoria paſſionis Chriſti ieiunandum, & omnis difficultas leuis fit. 421.52
Qui Chriſti paſſionem non meditantur, gaudent, qui verò eam conſiderant, dolent. 609.23

*Patientia.*

Patientia in perſecutione cumulus, & conſummatio perfectionis. 30.32.34
Vbi eſt patientia, Regnum cælorum non poteſt detineri. ibid.235
Patientia ſuper omnes virtutes perficit, ac corroborat. ibid.236
Patientia facit Beatos. 304.237
Doctor, ac habens officium publicum, indigent patientia. 305.244
Patientia propria diſcipulorum Chriſti. ibid. 245
Silere inter opprobria rara virtus. ibid.246
Patientia omnibus virtutibus dat perfectionem, & conſummationem. ibid.247
Per patientiam acquiritur magnum præmium. 306.251
Nulla dies ſine patientia. 350.73
Patientiâ tua fatigatur improbitas aduerſarij. 364.67
Chriſti patientia in paſſione. 98.195
Sapientes ſciunt grauiora tolerare & ferre. 300.214 & ſeq.
in Patientia probatur omnis virtus. 301.219
in Patientia magnum gaudium. 302.225
Fortiter tolerare preſſuras promeretur magnum præmium, & Regnum. ibid.227
Tolerantia laborum omnes virtutes amplectitur. ibid.229
Patientia, & Martyrium habent magnam vim ad ſubleuandum in cælum. 303.init.
Patientia in ſufferendis iniuriis parat multa bona. 374.46

*Paulatim.*

Ad magna paulatim animus diſponendus. 28. 123 & 439.5
Paulatim, ac per gradus eſt eundum. 90.158
Paulatim res agenda, & diſponenda. 158.init.
Vt quis reformetur in moribus, paulatim debet aſſueſieri. 241.24.



Index Rerum.

Prælatus in præceptis imponendis procedat paulatim. 280.83
Nullus velit ſtatim in perfectiones Sanctorum proſilire. 525.19 & ſeqq.
In magnis operibus paulatim procedendum. 617.35

*Pauper, Paupertas.*

Pauperi omnia ſubiiciuntur, & famulantur. 285. 112
Cœlum proprius locus paupertatis. ibid. 115
Omnes pauperi tributa ſoluunt. ibid.116
Pauperibus datur Regnum, vt pro nobis orent. 286.117
Pauper, qui nihil ſibi acquirit, omnia poſſidet. 442.66
Pauperes habeant aditum ad domum Prælati. 516.53
Pauperi dantur diuitiæ cœleſtes. 286.118 & ſeq.
Paupertas attrahit ad ſe Regnum cœlorum. ibid.
Pauper diuitiis cœleſtibus fruitur. ibid.119
Valde intimè Deus habitat in paupere. ibid. 122
Paupertas pignus beatitudinis. ibid.
Paupertas maximè ſecuros facit de Regno. 286. 123
Pauper citiſſimè recipit Regnum. 287.124
Paupertas habet magnam dulcedinem, & opulentiam ac Regnum. ibid.125 & ſeqq.
Pauperi neceſſaria eſt manſuetudo ad ſufferendas iniurias. ibid.128
Paupertas Martyrij genus. 302.230
Pauperes venerandi. 45.64
Pauperis gemitus ſolicitat diuinam iram. ibid.
Cum paupere impius agit contemptibiliter, pius verò affabiliter. 181.231
Ita Chriſtus diligit paupertatem, vt duplicatam velit in ſuis miniſtris. 243.36
Stigmata diuinitatis affectus, & benignitas in pauperes. 282.291
Sæpe qui diuitias habet, pauper eſt ſpiritu. 283.101
Ille laudabilis pauper, qui licet bona habeat, non retinet ad requiem, ſed ad aliorum vſus. ibid.
Pauper ſpiritu omnia ſua refert Deo. 284.105
Pauper ſpiritu cor habet alienum à diuitiis. ibid. 107 & ſeqq.
Pauper contra ſe habet perſecutiones. 288.130

*Paruus.*

Vide *Minimum*.

*Pax.*

Vide *Pacificus*.

*Pœna.*

Quod aliquando videtur pœna, eſt miſericordia, & quod miſericordia cenſetur, aliquando eſt pœna. 82.118
Plures trahuntur metu pœnæ potius, quam affabilitate amoris. 432.13 & ſeqq.
Pœna maximè deterret, & trahit peccatores. 475. 65
Pœnæ, ac vexationes dant intellectum. 560.24
Vide *Supplicium*.

*Pœnitentia.*

Vbi pœnitentia, ibi conſolatio animæ. 31.1
Per aquas pœnitentiæ regeneratur homo. 75. 85
Deus peccatoribus dat ſpatium pœnitentiæ. 116.291
Recenter conuerſus benignè tractandus, ac fouendus eſt. 137.6
Per aquas pœnitentiæ lauatur homo. ibid.
ob Pœnitentiam Samaritana illuſtriſſimis viris anteponitur. 184.249
Excitare ad pœnitentiam Chriſti prædicatio. 224.51
Vbi pœnitentia, ibi non eſt faſtidium iuſtitiæ. 293.163
Pœnitentia ſit occulta, candor nominis & operationis manifeſta. 445.82
Pœnitentiæ magna priuilegia Deus veneratur. 490.86

*Peccator.*

Peccator ſuis peccatis flagellatur. 39.38
Per quæ quis peccat, per hæc & plectitur. ibid.
ad Peccatores requiritur flagellum, ad bonos ſat eſt ratio. 45.66
In caſibus iuſti conſiderant Dei legem, peccatores damnum emergens. 47.74
Nec peccatum, nec peccator manebunt impuniti. 97.189
Non peccator, ſed peccatum eſt execrandum. 112.272 & ſeq.
Peccator à ſemetipſo arguitur. 120.308
Peccatores reſpondent mala pro bonis. 124.15
Peccatores eiſdem mediis, quibus volunt occultare ſua peccata, illa manifeſtant. ibid.16 & ſeq.
Peccatores valde ſimiles crimine, & nomine. 126.30
Peccator aliquando emendatur, vt fugiat ignominiam peccati. 128.38
Peccator timidus. 131.56
Peccator mutabilis, & inconſtans. 133.63 & ſeqq.
Peccator de peccato in peccatum labitur. 134.71 & ſeqq.
Peccatores in ſuis delectationibus multos labores inueniunt, fideles in Chriſto magnas ſuauitates. 146.52
Peccator cùm ſit ab omnibus ſpoliatus, nihil habet, quod poſſit dare. 156.108
Durum ſpectaculum peccatori ſe ipſum videre. 298.201
Peccatores laudant iniquos, & dicunt vituperia in iuſtos. 304.238
Peccator conſeneſcit in ſuis peccatis, iuſtus reſurgit. 323.init.
Peccatores trahuntur ſuppliciis, iuſti præmiis. ibid.106 & ſeq.
Iuſtus rarus, peccatores multi. 417.29
Quæ ſunt ſalutis, peccator habet poſt tergum. 440.55
Iuſtus omnia, peccator nihil. 417.30
Homo per peccatum inſipientior, ac deterior brutis. 441.63 & ſeq.
Omnia, quæ ſunt peccatoris, fugienda. 467.21 & ſeqq.
à Peccatore ſume, quod eſt bonum, relinque malum. 470.40
Arena per ſe fert figuram peccatoris. 482.102
Peccator veniat ad Sacerdotes, vt emundetur. 494.58
Peccator ipſe ſe ſeparat à Deo. 501.21

Peccator,ſi voce laudat,factis deprimit. ibid. 22. & ſeq.
A vitiis peccator aſtringitur. 506.1
Peccator mortuus,iuſtus viuus. 531.53
Peccator adulationibus plenus difficile ſanatur. 532.62
Homo delinquens ex aliquo prætextu pietatis emendandus,& non repudiandus. 533.69
Peccatores ſuo detrimento doceantur. 565.57
Peccator pœnam,quam vult effugere, in eam incidit,& ſuo gladio perimitur. 568.79,80
Vide *Impius*.

*Peccatum.*

Peccata ex ignorantia venia digna. 66.38
ob Peccata ex filiis fit ſeruus. 38.33
Perſeuerantia in peccato magnum nefas. 46. 71
Reincidentia in peccata reiterata, magnam iram excitat. 86.init.
Peccatum populi delictum Regis. 88.141
Peccatum eſt execrandum,& non peccator. 112. 272
Ipſum peccatum ſupplicium. 118.300
Peccata ſecreta deploranda,& magnam licentiam dant peccandi. 120.310 & ſeq.
Tenebræ patrocinantur peccatis. ibid.
Impius dum vult occultare ſuum peccatum, illud manifeſtat. 124.16 & ſeq.
Eiſdem peccatis eadem reſpondet pœna. 127. 31
Peccata ex fragilitate venia digna, non verò ex malitia. 128.38
Peccata publica non diſſimulanda,ſed arguenda. ibid.40,43
vt Peccator emendetur autor illius reprehendendus. 130.48
ad Peccatum veloces, ad bonum deſides ſumus. 168.70 & ſeqq.
Peccata emendata è memoria excidant Prælati. 184.249
Homo per peccatum perdidit ſuum principatum. 199.28
Homo ſæpe plus peccat, quàm diabolus ei ſuggerit. 118.17
Sæpe diabolus erubeſcit de peccato, & homo non erubeſcit. ibid.
Peccata inueterata difficile expelluntur. 312.36
Ex minimis peccatis prolabitur homo in maiora. 335.279,190
Peccata grauiora nullis verbis explicari poſſunt. 337.101 & ſeq.
Peccatum à radice amputandum. 345.38
Peccare prætextu religionis grande malum. 414. 15
Anima grauatur peccatis, ac maximè eis offenditur. 454.23
Omnia quæ inſeruierunt peccato fugienda. 467.21
Peccata maximè grauant. 487.18
Cùm homo exiit à poteſtate dæmonis, tunc maximè ille tumultuatur. 595.39 & ſeq.
Si radix peccati aufertur, ipſum peccatum deſtruitur. 518.72
Peccatum mors animæ. 530.49
Sæpe diabolus nos inducit ad peccatum ſub prætextu pietatis. 532.init.
Peccatum graue,ac ponderoſum. 542.35
Peccatum in ſua radice amputandum. 582.74 & ſeq.
Peccata publica difficiliter emendantur. 617.35
Peccatis publicis publica, ſecretis ſecreta remedia adhibeantur. 627.init.
Peccata publica orandi fiduciam tollunt. 614.15 & ſeqq.
Vide *Vitium,Infirmitas,Origo.*

*Pecunia.*

Pecunia validiſſima arma ad expugnandum. 143. 36
Si habes pecuniam, nulla lex, & prohibitio eſt erga te. 157.114 & ſeq.
Homo non ſit ſeruus,& captiuus pecuniarum, 430.3
Pecunia, ac auaritia valde graues ſunt. 599.36
Vide *Lucrum,Diues.*

*Perfectio.*

Perfectio ſtat in obſeruandis minimis. 336.183 & ſeq.
Si conſiderentur omnia illius, qui eſt perfectus, imperfectiones ſæpe comprehendentur. 342.19 & ſeqq.
Perfectus in virtute ſe exiſtimat imperfectum. 388.130
Noſtra perfectio ſemper maiora ſequi. 380. 129 & ſeq.

*Perdere.*

Potius perdantur temporalia, quàm ſupernaturalia. 363.63
Qui pretioſa indignis diuulgat,perdit ea. 455. 31

*Peregrinus.*

Peregrinus non eſt contriſtandus. 102.220

*Periculum.*

Sine adiutorio Chriſti periclitamur. 542. 32
Qui te conſtituit in periculo,debet liberare ab illo. 553.init.
Prudentia eſt in alieno periculo proprium cauere.
Valde magnum beneficium à periculo liberare. 594.35

*Perſecutio.*

Durius percutit verbum aſperum, quàm flagellum. 44.61
in Perſecutione probatur virtus. 301.219
ex Perſecutione mundi infer iuſtos. ibid.220
Perſecutio ſuper omnes virtutes perficit, & corroborat. 303.236
Perſecutio dicit victoriam. 301.220
Generoſitas animi non deletur perſecutione. 308.8
Contra Prælatum, qui agit de reformatione, multæ perſecutiones fiunt. 308.12 & ſeqq.
Perſecutiones in hoc ſæculo accipiamus tanquam è manu Dei. 364.69
Vide *Patientia,Labores.*

*Perſeuerantia.*

Perſeuerandum in virtute, ac ſanctitate, & non deſiſtendum ab incepto. 34.15
Perſeuerantia in peccato magnum nefas. 46.71
Finalis perſeuerantia in gratia ignoratur. 82. 117
Perſeuerantia in intento laudabilis. 84.125
Vera adoratio requirit perſeuerantiam. 177. 216

*Petere.*

Deus à nobis petit, vt habeat occaſionem maiora dandi 153.96

Deus



Deus aliquando petit aliquid à nobis,vt in duplo reddat. 158.118
Deus excitat nos ad petendum. 162.135
Reprobantur petentes temporalia tantùm. 117.215
Deus aliquando noſtris petitionibus non annuit,nouit enim quod eſt vtilius. 206.67
Deus dat pluſquam petitur à nobis. ibid. 71. 119 & 493.52 & ſeq.& 546.58
Homo ad nihil aliud attendit, niſi vt impetret id,quod petit. 210.init.
Largiendum eſt ei, qui ob verecundiam non audet petere. 366.377
Deus vult,vt magna ab eo petantur. 398.55
Cum fiducia petamus à Deo bona. 399.init.
Homo ſui conſcius ſæpe non audet petere. 488.24
Petere ſine meritis tentatio eſt. 488.26
Homines ſua poſtulata minuunt vt facilius impetrent. 616.init.

*Petrus.*

Ex omnibus Apoſtolis Petrus,& Andreas ſubiecerunt crucem. 240.19
Petrus ob ſuam humilitatem non inuitat Chriſtum ad donum. 510.29

*Phariſæus.*

Phariſæi nominis etymologia. 60.8
Qualis nam eſſet ſecta, & doctrina Phariſæorum. ibid.

*Pietas.*

Pietas in parentes,vide *Pater.*
Pietatis opera, ſi dant ſcandala, ac offendicula, amputanda. 356.16
Pietas, & ſapientia concomitetur potentiam. 499.5
Sub prætextu pietatis aliquando nos diabolus inducit ad peccatum. 532.init.
Error qui fit prætextu pietatis benigne ſupportandus. 533.68
Vide *Benignitas.*

*Populus.*

Autoritas magni viri multum valet ad reprimendum populum. 66.18
Populus fidelis vnitur cum Chriſto. 25.110
in Populo præſumitur ignorantia legis. 37.30
Populi tumultus vitandus. 38.31 & 332.60
Peccatum populi delictum Regis. 86.139
Populus ſequitur veſtigia Principis. 125.21
Populus ſequitur voluntatem Principis, etiam contra propriam vtilitatem. 130.50 & ſequentibus.

*Poſſeſſio.*

Quæ in acquiſitu difficiliora,ſunt in poſſeſſione gratiora. 343.25 & ſeqq.
Qui nihil ſibi acquirit, omnia poſſidet. 442. init.

*Potentia,poteſtas.*

Cum potentia ſeruare iuſtitiam, Dei ſignum 52.97
Poteſtas quamuis magna, debet iuuari ab aliis. 243.37,67
Plus æſtimanda virtus, quam poteſtas. 478. 81
Potentia ſit aſſociata ſapientia,& pietate. 499.5
Poteſtatis adulatio timor inferiorum. 502.31
Non omni potentia vtendum, ſed paulatim eundum. 689.5
Non omni poteſtate ſemper vtendum. 618.37 & ſeqq.

*Preces.*

Vide *Oratio.*

*Præceptum.*

Prælatus non præcipiat ſibi non ſubdito. 222. 41
Prælati non præcipiant rigoroſè, ſed potius moueant ſubditos. ibid.42
in Præceptis imponendis accommodandum ſtatui incipientis,vel prouectioris. 223.45
Vbi non adeſt Dei mandatum, ac præceptum, nox eſt. 219.79
Prælatus in principio non ſit multus in præceptis imponendis. 280.83 & ſeqq.
Præcepta,quæ dantur per verba particularia magis obligant,& mouent. 350.75 & ſeq.
Pro obſeruandis præceptis valde efficax vox. 553.99

*Prædicator.*

Prædicator veritatis multos habet aduerſarios. 125.20
Prædicator poterit alligari, non tamen veritas. 126.27 & ſeq.
Prædicator reprehendat cum modeſtia. 127.33
Prædicator in reprehenſione ſit æqualis ad omnes delinquentes. 128.37
Prædicator non diſſimulet vitia Regum. ibid.
Prædicator faciat ſibi beneuolos auditores. 129. 44
Prædicator faciat,quod prædicat. 195.252
Prædicator non ſe ipſum prædicet, ſed Chriſtum. ibid.
Prædicator exploret opportunum tempus ad prædicandum. 190.279 & 269.18 & ſeqq.
Prædicator pro ſuo labore, etiam accipiat ſuum Præmium ad ſuſtentationem. 191.282
Doctor,& Prædicator habet magnam charitatem. 242.35
Prædicator totus ſit ſpiritus. 246.55
Prædicator conſtituitur ad labores,ac perſecutiones ſufferendas. ibid. 59 & ſeqq.
Prædicator neminem debet ſuis verbis peculiariter ſugillare, ſed ad omnes extendat ſuum ſermonem. ibid.58
Prædicatio Euangelica à Chriſti ſanguine habet efficaciam. 248.68
Prædicator non debet quærere præbendas, ſed animas. ibid.71
Prædicator fulgeat omni virtute. 255.114
ad Prædicationem non aſſumantur,niſi aſſueti ad labores. 257.127
Prædicator reficiat prædicationem non vanis hiſtoriis, ſed ſententiis ſacræ Scripturæ. ibid. 130
Prædicator alienus ſit à vitiis huius ſæculi. 219. 18 & ſeq.
Et ſit ſeparatus à populo. ibid.
Prædicator non ſemper inſtet prædicationi, ſed etiam aliquando ſuimet curam agat. ibid.23
Prædicator debet deplorare ſuos defectus, quos in prædicatione commiſit. 220.init.& 25
Prædicator in ſua doctrina affectet claritatem vt ab omnibus intelligatur.ibid 26 & ſequentibus.
Prædicator criticus damnatur. ibid.29
Prædicator inſinuet doctrinam in corde auditorum. 225.58
Prædicator prædicet ad capiendos homines, & non dignitates. 227.67.112
Prædicatores omnia Deo tribuant. 229.78

Prædi

Ꝑrædicator non habeat pigritiam, ſed doceat & ambulet per varia. 261.9
Prædicator doceat in paruis oppidulis, quia ibi maior neceſſitas. ibid.6
Vbi eſt contradictio, ibi veritas prædicanda. 262.12
Vbi eſt diſpoſitio in auditoribus, ibi maxime prædicandum. 269.18 & ſeqq.
Prædicator, & auditor aſcendant mente ad ſuperna. 271.25 & ſeq.
Prædicator per familiaria trahat homines ad ſe, & aliquando tantiſper de rigore remittat. 279.135
Prædicator indiget patientia. 305.244
Prædicator generet ſitim ſpiritualium. 312.34
Prædicator mutetur in virum alterum ſumpto officio. ibid.38
Prædicator ſit ſeparatus à mundo. 313.43
Prædicator prius bene viuat, & poſtea doceat. 317.70
Prædicator prius exhortetur ad peccata deponenda, & poſtea ad virtutes amplectendas. ibid.
Prædicator quæ docet prius in ſe exequatur, & adimpleat. 318.73 & ſeqq.
Prædicator non agat de ſuo commodo, ſed de vtilitate audientium. 321.92
Prædicator non obtenebreſcat ob commodum temporale. 328.135
Prædicator ſit animoſus, & nihil timeat pro veritate dicenda. ibid.138 & ſeq.
Prædicator habeat verba, & opera. 476.11
Munus prædicandi experto committendum. 495.64
Prædicator quod docet verbo, adimpleat opere. ibid.67
Prædicator recurrat ad orationem. 523.7
Prædicandi munus non debet ordinari ad lucrum. 526.26 & ſeq.
Prædicator ſi ceſſat à prædicatione, in magnam pœnam incurrit. 335.80
Prædicator bonis, & malis accommodet ſe, ac illis ſatisfaciat. 584.83 & ſeq.
Vide *Prælatus.*

*Prælatus, Præſul.*

Prælatus indiget ſubſidio aliorum, vt ab eis adiuuetur. 243.38,67
Prælatus, ac Doctor habeat ante oculos ſuos ſubditos. 222.36
Prælatus qualiter ſe habeat præcipiendo, vide *Præceptum.*
Bonus Prælatus non ſolum ſuam nauim, ſed etiam aliorum replet. 232.94
Prælatus præcedat exemplo. 233.init.
Prælatus non ſolum velit bona ſibi, ſed etiam ſuis. ibid.95
Prælatus non deſerat ſubditos in periculo. 236.115
Prælatus pro ſubditis tuendis contemnat omne periculum. ibid.
Prælatus in præceptis imponendis accommodet ſe viribus inferiorum. 270.23
Prælatus ſua beneficia extendat ad propinquos, & remotos. ibid.24
Quilibet vt recte gubernet ſtet in loco ſibi proportionato. ibid.23
Prælatus, vt recte ſe agat ſtet in ſuo officio, ac ordine, & non exeat ſuos terminos. 271.27 & ſeqq.
Bonus Prælatus in ſuo principio non vrgeat ſubditos præceptis, & rigoribus, ſed potius fauoribus. 180.83 & ſeqq.
Prælati induantur patientia ad ſubditos ſufferendos. 305.244
in Prælato præfulgeant omnes virtutes. 308.5
Prælati ſunt expoſiti multis aduerſitatibus. ibid. 11
Prælati qui agunt de reformatione, indigent patientia ad ſufferendas perſecutiones. ibid.12 & ſeqq.
Prælatus habeat prudentiam, vt diuidat malos à bonis. 311.31
In domo ſua non præmittat prælatus odorem mali ſcandali. ibid.32
Sui cognitio valde vtilis prælato. 312.init.
Prælatus recognoſcat ſuos maiores vt eos adiuuet. ibid.34
Prælatus non ſit ſuperbus, ſed accommodet ſe ſubditis. ibid.
in Prælato ſecuritas, & benignitas. ibid.35
Præſul ſumpto officio mutetur in alium. ibid.
Prælatus ſolum vtilis in his, quæ ſuis dat, non verò, quæ ſibi procurat. 313.41 & ſeqq.
Prælatus dat reprehenſionem cum moderamine. 313.43
Prælati præſentia neceſſaria. ibid.44
Prælati munus eſt ſe ipſum exenterare vt ſuos foueat, & tueatur. ibid.45 & ſeqq.
Prælatus de ſuo corpore, ac vita adimat, vt det pro ſubditis. ibid.
Prælati recordentur imbecillitatis ſubditorum. 314.51
Prælatus deficiens in ſuo officio repletur omni vitio. 315.57
Prælatus ſi tangitur timore, ac ambitione, ad nihilum valet. ibid.58 & ſeq.
Prælatus virtutes, ad quas exhortatur, in ſe adimpleat. 318.73 & ſeqq.
Prælatus fulgeat ſine obſcuratione aliorum. 319.81
Prælatus omnibus ſeruiat ſine expectatione lucri. ibid.82 & ſeqq.
in Prælato maxime neceſſaria vitæ proprietas. 322.104
Prælatus ſit ſuorum vnio. 323.110
Præſul ſuos tueatur, ac defendat, & bona, quæ habet in ſuos diffundat. 324.114
Prælatus non ſolum bonus, ſed etiam iniquus venerandus. 324.115.117
Bonus Prælatus omnibus eſt manifeſtus, & nemini occultus. 326.25 & ſeqq.
Prælatus potius ſit intentus ad ſuorum ſuſtentationem, quam ad ſuam. ibid.129 & 574.17
Bonus Prælatus agit de remedio, & nemini infert iniuriam. 366.1
Turpe eſt vt Prælatus vtatur officio ſuo ad vindictam. 377.69
Prælatus dirigat ſubditos tanquam ſuum corpus. 426.78
Et videat non ſolum ad ſui vtilitatem, ſed etiam totius corporis. ibid.
Prælatus non ſit rigoroſus in alios, & in ſe ſuauis. 451.6
Prælati agant cum ſubditis non vt cum ſeruis. 452.13
Multi Prælati erga ſe ſunt Prophetæ, erga ſubditos falſi, & diſſipatores. 465.10
Prælatus ſi vult ſuos ad ſe attrahere ſit communica



nicabilis, & non inacceptabilis. 485.init.
Suorum miſerias conſideret. ibid.7
Prælatus non gubernet pro ſua voluntate, ſed iuxta Dei nutum. 465.13
Bonus Prælatus dat dulcedinem, malus aculeos. 472.52
Sub malo Prælato ſolum habent leuamen, & ſubterfugium iniqui, & mali. ibid.
In domo Prælati, nullus ſit priuilegiatus à labore. 514.49 & ſeq.
Prælatus ſi præit, milites ſequuntur. 537.1
Non pro ſuo commodo, ſed pro communi agat Princeps cum magno imperio. 568.76
Prælatus omne remoueat impedimentum vt ſubditi ad eum ingrediantur. 575.25 & ſeqq.
Prælati ſua peccata agnoſcant, vt ignoſcant. 596.45
Maxime mouetur Prælatus miſeriis, quas vidit propriis oculis. 247.63
Prælatus habeat magnam ſolicitudinem, ne error aliquis introducatur. 36,25
Prælatus non à ſubdito, ſed à Deo caſtigandus. 42.50,51,52
Bonus Prælatus ſibi deſcenſum, ſuis glorias reſeruat. 92.163
Bonus Prælatus aſcenſum ſuorum ſuum reputat. 92.164
Verus Prælatus ſuos ſubditos circunſpicit. 97.190
à Prælato longè diſtet particularitatis affectus 113.275
Bonus Prælatus plus æſtimat ſubditos, quam vitam. 108.249
Prælatus debet ſeruare legem, quam ſubditi tenent. 127.33
Prælati in maioribus negociis occupentur, minora inferioribus committant. 137.9
Prælati non omnia officia ſibi retineant. ibid.
Prælatus, qui aliquando ſuſtinuit miſeriam, ſubditorum miſeretur. 149.60
Prælatus nulli parcat labori pro ſuorum vtilitate. 150.73
Prælatus condeſcendat, ac ſe accommodet infirmitati, ac imbecillitati ſubditorum. 151.83 & ſequent.
Prælatus bonus, cibum, quo vtitur, dat ſubditis. 161.130
Prælatorum facta non ſunt examinanda à ſubditis. 182.237.267.
Crimina emendata è memoria excidant Prælati. 184.249
Prælatus magis ſolicitus de ſubditorum commodo, quàm de ſuo. 187.264
Prælatus debet eſſe obediens legi diuinæ. 238.5
Bonus Prælatus ſe habeat in ſubditos, non vt in ſeruos, ſed vt fratres, ac filios. 243.38 & ſeqq.
Vide *Princeps, Rex, Gubernator, ac Vigilare.*

*Præmium.*

ex Præmio à te obtento, conſidera aliorum præmia. 285.113
Præmia ſint proportionata meritis. 301.224, 232
Vbi meritum, ibi præmium. ibid.
Deus in præmiandis iuſtis, eos condecorat. 274.48
Præmia anticipata maxime mouent ad merita. 309.17 & ſequentibus.
Iuſtus trahitur, ac allicitur præmiis. 323.106, 107
Per quæ quis obſequia dat Deo, præmia recipit. 357.init.& 21
Præmium dat Deus de præſenti. 390.4
Præmium plus mouet, quam magna autoritas. 95.182
Præmio maxime mouetur animus, ac emollitur. 158.118
Præmia præſentia magis mouent, quam promiſſiones de futuro. 191.282
Præſentia præmij, facilitat, ac minuit omnem laborem. 192.288
Deus de noſtris laboribus ſubtrahit, in præmiis dandis ſuperabundat. 193.290
Spes præmij reddit animoſiores. 230.83
Spes præmij maxime facilitat ad ſuperandas difficultates. 268.6,7 & 462.64
Qui refugit labores pro te non pugnabit, niſi præmio animetur. 278.71,72
Qui ſua dimittunt pro te ſequendo primi à te munerentur. 282.92
Spes præmij dat animum, illius repulſa minuit. 418.init.
Sine ſpe præmij non laboratur. 456.35
Magna ſtultitia ſuſtinere labores & præmio defraudari. 482.101

*Præſentia.*

Præſentia Dei magnum donum. 158.117.
Dei præſentia nullo circunſcribitur loco. 173.195
Fortius mouent præſentia, quàm futura. 177. init.& 288
Dei præſentiam timeat homo. 234.107
Chriſti præſentia tormentum diaboli. 501.24
Præſentia Domini valde formidabilis. 541.24 & ſeqq.
Chriſti præſentia liberatur homo. 557.7
Regis præſentia cuſtodit milites. 563.51
Chriſti præſentia fugatur voracitas ac malum. 609.19

*Præſul.*

Vide *Prælatus.*

*Præſumptio.*

Præſumptuoſus ineptus ad Regnum cœlorum. 340.7
Incauta præſumptio maxime diſplicet. 528.37
Ex ſe vnus præſumit de aliis. 560.29
Sunt multa ignorantes, qui minima attingunt, & magna præſumunt dicere. 69.56
Præſumens de ſapientia falſa non vult emendari. 71.67
Præſumptuoſus loquitur pro aliis. 49.83
Magna præſumptio cum meritis non datur. 207.73 & ſeqq.
Vide *Superbus.*

*Primus.*

Primus in aliqua virtute venerandus. 76.90
Primus in aliquo genere venerandus 269.19

*Principium.*

Qui dat principium alicui rei, totum ei adſcribitur. 325.119 & ſeqq.

*Princeps.*

Quinam in populo Iudaico diceretur Princeps. 61.15

Princi

Principes potius conſulunt ſtatui, quam conſcientiæ. 62.20
Tum Princeps ſuorum ſaluti conſulit, cùm eorum mala in ſe ſuſcipit. 96.187
Princeps, quos creauit non deſerat, ſed adiuuet. 105.234
Principatus quædam ſeruitus. 117.297
Principes ſuas dignitates ſuis communicet. 321.93 & ſeqq.
Familiares principis, ac potentum multum licentioſi. 333.165
Princeps aliquando condeſcendat ſuis. 523.6
Magnus Princeps non poteſt videre labores ſuorum, quin ſubueniat. 545.49

*Proditor.*

Proditore omnia perturbantur. 542.34

*Priuilegiatus.*

Vide *Exemptus.*

*Promiſſio.*

Promiſſio fidelis mouet animum. 70.71
Veritas diuinæ promiſſionis adimpleta. 93.71
Magna promiſſio ſolicitat animum ad reuerentiam. 160.129
Iucundus ſermo plenus promiſſis. 278.68
Magna perſuadentur, non promiſſionibus, ſed donis datis de præſenti. 309.16
Multi magna promittunt, & in tempore tribulationis deficiunt. 472.48 & ſeq.
Deus plus dat donis, quam promittit verbis. 209.init.

*Promptitudo.*

Animi promptitudo ſequitur cum finem vocationis ignoret. 253.init.
Vide *Diligens.*

*Prophetia.*

Quid ſit Prophetia. 172.init.

*Proximus.*

Honor proximorum maxime æſtimandus. 455.27
Proximi amor totam legem includit. 461.init.

*Prudens.*

Prudens fugit à quæſtionibus, ac controuerſiis. 139.17
Prudens ſuſtinet moras, quas amor temporalis non ſuſtinet. 203.init.
Prudentia res potius diſponendæ, quam potentia. 429.1
Prudentia leproſi ex multis circumſtantiis conſideratur. 489.33
Vide *Scientia, Ratio.*

*Publicani.*

Publicani vnde dicti. 598.65
Apud Romanos in honore, apud Iudæos in vilipendio. ibid. 65, 66
Peccatores reputabantur. ibid.

*Publicare.*

Pretioſa non publicanda, ac diuulganda. 455.31

*Puer.*

Pueritia index totius vitæ curſus. 131.55

*Puritas, Purus.*

Purus in ſua puritate imaginem Dei videt. 298.201
Puri per multos effectus Deum vident. ibid. 202
Summa puritas requiritur ad Deum videndum. ibid. 200
Purus in ſui cognitione delectatur. ibid. 201
Deus non habitat niſi in puris. 527.30

*Punire.*

Vide *Supplicium, Caſtigare.*

## Q

*Quærere.*

QVærit lux homines, & non homines lucem. 120.init.
Niſi Deus quærat hominem, homo non ſe mouebit ad illum. 168.170 & ſeqq.
Homo valde torpeſcit vt Deum quærat. 211.38
Chriſtus nos quærit. 262.11

*Quæſtiones.*

à Quæſtionibus abſtinendum, ac fugiendum. 139.17

*Quies.*

Quies valde conueniens ad ſalutem. 213.112
Inter aduerſitates magna gloria extollitur. 445.81

## R

*Radix.*

Vide *Origo.*

*Ratio.*

Actiones iuſtorum ducuntur ratione. 22.87
Ille dicitur homo, qui ratione ducitur. 59.5
Ad iniquos requiritur flagellum, ad bonos ſat eſt ratio. 45.66
Homo per intellectum, & rationem dirigatur, & gubernetur. 169.168
Res diſponendæ, ac agendæ ratione, & non potentia. 429. & 439. numero 53. & 54
Quæ ratione fiunt, optime coniunguntur cum intellectu. 439.52
Rex, & Prælatus aliquando in ſuis mandatis reddat rationem. 526.25

*Recreatio.*

Deus ſuis electis non ſolum dat neceſſaria, ſed etiam quæ recreant. 291.151 & 152

*Reformatio.*

Vt quis reformetur in moribus, paulatim debet aſſuefieri. 241.24
Prælatus, qui agit de reformatione, multas perſecutiones patitur. 308. 12 & ſequentibus.

*Relinquere, Renunciare.*

Vt habeas cœleſtia, relinque temporalia. 183.244
Multum accipit homo pro his, quæ pro Deo relinquit. 258.136
Terrena relinquenda, vt ad cœlum aſcendamus, ac intelligamus diuina. 274.46 & ſeqq.
Qui ſua relinquunt pro te ſequendo, primi à te munerentur. 282.92
Qui ob Deum aliquid relinquit, multo maiora acquirit. 288.133 & ſeq.
Renuntianda ſunt terrena, vt ſequamur Deum. 399.59
Quæ pro Deo relinquimus, aucta recipimus. 507.12
Qui Deo conſecratur, relinquat omnia temporalia. 532.59
Qui ſemel relinquit mundum, non iterum retrogrediatur ad ea, quæ ſemel reliquit. 536.84 & ſeqq.







Propria ita relinquenda, vt noſtris obligationibus ſatisfaciamus. 597.60 & ſeq.

*Religioſus.*

Status religioſus nobiliſſimus. 58.2
Religioſus non faciat negotia. 47.73
in Religione delectatur Dominus. 145.46
Ad clauſtrum religioſum citiſſime Chriſtus volat. ibid. 47
Domus religioſa diuiſa à mundo. ibid.
Religioſus non ſe ingerat negotiis ſæcularibus prætextu ſuorum conſanguineorum. 356.14
Religioſus qui mundum renuntiauit relinquat parentum affectus. 399.58 & ſeq. & 533.60
Religioſus etiam pia non audeat ſine licentia. 529.41
Reprehenduntur Religioſi, qui inuiſitant ſæcularium domos. 536.poſt init.
Vide *Relinquere.*

*Reliquiæ.*

ob Reliquias Sanctorum multa bona impetrant habitatores. 145.45

*Remedium.*

Calamitas, ac miſeria illi manifeſtanda, qui poteſt dare remedium. 13.55 & 376.init.
Remedium proportionetur delicto. 152.88
Per eandem viam infirmitas, & remedium. 213.114. & ſeqq.
de Remedio agendum abſque alicuius iniuria. 366.1
Neceſſitas efficaciter ſolicitat remedium erga Deum. 546.57

*Repetitio.*

Repetitio fugienda. 326.128
Quæ neceſſaria multoties repetenda. 395.32 & 346.86
Repetitio vitanda, vide *Varietas.*

*Reprehenſio.*

Potentes ſæculi non ſunt in particulari, ac manifeſtè reprehendendi. 71.67
Prælatus reprehendat in ſubdito maiora vitia. 35.19
Prudens non iraſcitur reprehenſione. 171.182
Tunc aliquis ſe oſtendit doctorem, quando aliorum delicta reprehendit. 172.186
Proprium eſt viri Dei aliorum delicta reprehendere. ibid. 188 & ſeq.
Suauior eſt reprehenſio, quæ fertur in communi, quam quæ in particulari datur. 203.49
Reprehenſio aliquando datur ex amore vt emendemur. 204.64
Non ſemper reprehenſionibus eſt inſtandum. 196.6
Reprehenſio ſæpe non ſanat, quem beneficium curat. ibid.
Magna ſupplicia in eum, qui inſurgit in ſuum monitorem. 353.90
in Reprehenſione prædicator neminem determinatè ſuggillare debet, ſed ſermone ad omnes extendere rete ſuum. 246.58
Reprehenſio cum moderamine adhibenda. 313.43
Delinquens quantumuis proteruus corripiendus, vt emendetur. 365.73 & ſeq.
Qui reprehendit, etiam & conſoletur. 346.87
Deus ſi reprehendit, etiam honorat. 460.54
Reprehendere cum libertate ſignum diuinitatis. 483.107
Reprehenſio ita danda, vt ſit etiam occulta. 526.24
Reprehenſio ſit ſecreta, præcipue illius quem antea laudaſti. 539.19 & ſeq.
Reprehenſio in exordio ſit leuis, poſtea durior. 46.67
Reprehenſio amicabilis proficit. 84.126
Reprehenſio æqualis ad omnes delinquentes. 128.37
Peccata publica arguenda. 129.43
Grauius pungit reprehenſio in particulari, quam in communi. 170.179
Vt fortius reprehenſio capiatur, illius aſperitas laudibus demulcenda. ibid. 180 & ſeq.

*Requies.*

Chriſtus apud iuſtos requieſcit. 151, 80, 87
In hac vita labor, in altera requies. 231.86

*Reſpondere.*

Iniquè petenti non eſt reſpondendum. 35.102
Reprehenſio danda eſt cum modeſtia. 127.34
Optima reſponſio non verbis, ſed operibus fit. 607.6

*Reſpectus.*

Humanus reſpectus obturat os, & non ſinit dicere verum. 63.22
Qui tibi famularunt, habe in reuerentiam. 45.65
Quæ ad Dei reuerentiam pertinent, per nos facienda. 41.48

*Reſtauratio.*

Reſtauratio, ac recuperatio alicuius in maiori æſtimatione, quàm prima collatio. 114.280

*Reſurrectio.*

Magna gloria, & lætitia reſurrectionis. 250.87 & ſeqq.
Chriſtus reſurgens ſe ipſo elegantior apparet. ibid.

*Reuerentia.*

Nobilis ſcit, & agnoſcit habere reuerentiam. 217.12
Quæ ad Dei reuerentiam pertinent per nos facienda. 42.50
Quanto quis magis cognoſcit de Deo, tanto ei maiorem habet reuerentiam. ibid.
Magna reuerentia habenda his, qui pro nobis laborarunt. 341.14 & ſeqq.

*Rex, Regnum.*

Ille dignus eſt Regno, qui exercet iuſtitiam in ſe, ac in ſuis. 294.176 & ſeq.
Rex ſuos honores communicet cum ſuis. 321.94
In dignitate regia includitur obligatio conſeruandi, ac fouendi ſuos. ibid. 98
Bonus Rex nemini eſt occultus, ſed omnibus manifeſtus. 326.127
Bona Regis non ſint ad ſui indulgentiam, ſed ad ſuorum ſuſtentationem. ibid. 129 & ſeq.
Glorioſum Regi parcè viuere, vt det ſuis. 424.65
Rex agat ratione, vt æqualis, & non potentia, vt Dominus. 439.54
Rex ſe habet vt pius, & potens. 512.init.
Rex noctu, diuque debet eſſe plenus curis, & ſolicitudinibus Regni, ac ſuorum. 547.init.
Regis præſentia cuſtodit milites. 563.51
Imperium requirit ætatem prouectam. 16.init.
Rex quos creauit promoueat ad altiora. 24.104

Verus Rex diſſimulat in his, quæ ad ſe pertinent, non verò in illis, quæ ad populi ſalutem ſpectant. 69.57 & ſeq.
Rex ſuos ducat ad bonum. 36.23
in Rege benignitas, & rigor prout occaſio poſtulat. 37.27
Peccatum populi delictum Regis. 88.141
Regnare quædam ſeruitus. 117.297
Impius impietate, qua vult firmare ſibi Regnum, illud amittit. 124.14
Regis peccatum omnes ſubditos corrumpit. 125.21 & ſeqq.
Regis cupiditas impoſſibilia præſumit. 126.25
Regum vitia non ſunt diſſimulanda. 128.37
ad Regis voluntatem rapitur populus & eam ſequitur. 130.50 & ſeqq.
Impij Reges omnia ſibi licere putant. 132. init.
Id, quod Reges præcipiunt contra iuſtitiam, exiſtimari volunt tanquam iuſtum. ibid.
Rex ſuos miniſtros honoret. 137.12 & ſeqq.
Rex omnes ſuos ſubditos, ſiue abſentes, ſiue præſentes ſciat, & cognoſcat. 204.56 & ſeqq.
Ille vere Rex, qui abſentibus prouidet. ibid. 58
Poteſtas quamuis magna debet iuuari ab aliis in opere, & conſilio. 242.37.67
Vide *Vigilare, Prælatus, Princeps.*

*Rigor.*

Licèt Dei verba oſtendant rigorem, opus tamen eſt cum miſericordia. 21.89
Chriſti poteſtas iuſtis benigna, iniquis rigida. 37.27
Rigor, & benignitas pro diuerſitate temporis. 41.45 & ſeqq.
Non ſtatim ad ſummum rigorem euolandum. 41.47
Ante Incarnationem Deus rigoroſus, poſtea ſuauis. ibid. 48
Rigor cum lenitate. 46.70
Chriſtus durus contra peccatores. 98.196
Ante rigorem præmittenda eſt benignitas. 280.83 & ſeqq.
Magiſter, ac Prædicator aliquando de rigore remittat. 289.135
Vt ſecurus fias de Regno cœleſti, quæ ſunt rigoris, & auſteriora quære. 372.36

S

*Sacerdos.*

SAcerdotes iniqui ob ambitionem vendunt res ſacras. 53.19
in Sacerdote non præſumitur ignorantia legis. 37.30
Sacerdotes ob ſua peccata ſolum à Deo caſtigandi. 41.49 & ſeqq.
Sacerdotum delicta ſecretò reprehendenda. 45.65
Contemptus in Sacerdotes generat mortem ſine venia. 126.26
Sacerdotes venerandi. 324.117
Sacerdos, quamuis iniquus, venerandus. 496.71
Sacerdos ſit purus à peccatis. 514.46

*Sacrificium.*

Quæ animalia offerebantur in ſacrificio. 34.16
Deus potius vult miſericordiam, quàm ſacrificium. 591.18

*Salus.*

Valde ſingularis homo, qui de ſua ſalute agit. 62.21
Principes ſæculi in rebus ſalutis animæ valde timidi, non verò in temporalibus. 64.28 & ſeqq.
Homo tardus ad ſuam ſalutem. 84.26
Deus ſuffert noſtri amoris defectus erga ſe ipſum, non tamen hominem negligentem in negotio ſuæ ſalutis. 86.137
Deus plus æſtimat noſtram ſalutem, quam ſuum honorem. 70.58, 71, 237
Nullus adeo iniquus, cuius ſalus ſit deſperanda. 129.42
Chriſtus eſurit noſtram ſalutem, & ea, tanquam dulciſſimo pabulo reficitur, & paſcitur. 189.273
Noſtra opera præcipue ordinanda ad ſalutem animæ. 204.54
Magna dignitas hominis, quod ſit cooperator in noſtra ſalute. 249.77
Ob ſalutem omnia delectabilia amputanda. 356.18 & ſeqq.
Quidquid contrariatur ſaluti, hoſtile reputandum. ibid.
Vt ſecurus ſis de tua ſalute auſteriora quære. 372.36
Donum è manu Dei ſalutare. 405.100
Pro ſalute animæ omnia temporalia contemnenda. 469.36 & ſeqq.
Deus maximè æſtimat hominis ſalutem. 567.72
Vide *Charitas.*

*Samaria.*

Samaria vbi ſita. 141.26
A quo ædificata. ibid. 27
A quo nomen habeat. ibid.
Quinam eſſent Samaritani, & quales tempore Chriſti. ibid. 28 & ſeq.
Cauſæ ob quas erat odium inter Iudæos, & Samaritanos. 157.112

*Sanctitas.*

Sanctitas Dei magna eius excellentia. 401.74
Sanctitatis nomen valde ſplendidum. 489.29
Sanctorum interceſſio multum adiuuat. 577.38
Vide *Iuſtus.*

*Sapientia, Sapiens.*

Dictis ſapientis non acquieſcere reprehenſibile. 85.132
Ad dignitates, & Prælaturas non ſunt vocandi à nobis, niſi ſapientes, & docti. 245.50 & ſeqq.
Sapientes ſciunt grauiora ſupportare, & ferre. 300.214 & ſeq.

*Scandalum.*

In peccatis ne demus aliis ſcandalum, ſed caute viuamus. 172.185
Scandali odorem non permittat Prælatus in ſua domo. 311.32
Quid ſit ſcandalum. 355.13

*Scientia, Scire.*

Scientia aperienda, quãdo occaſio poſtulat. 136.2
ad Scientiam requiritur lætitia animi. 148.62
Qui ex Deo habet ſcientiam, aliis communicat. 165.152
Scientia ſuper omnia bona temporalia æſtimatur ab homine. 167.163
Valde efficax argumentum, dum quis ex propria ſcientia conuincitur. 241.26
Multum conducit, quod cum ſcientia ſit potentia. 229.74
Iniqui magiſtri fingunt ſe plus ſcire quam capiunt. 561.32 & ſeq.

*Scriptura.*



*Scriptura.*

Lectio ſacræ Scripturæ implet cor. 25.111
Scripturæ arcana credentibus manifeſtantur. 147.53

*Secta.*

Sub falſa ſecta luxuria, & vitia acquiruntur. 174.200

*Secretum.*

Noctis ſilentium aptum ad ſecretum. 65.31
Secreta cordis amico committenda. 57.120
Peccata ſecreta maxime deteſtanda, ac fugienda. 121.init.
Virtus in ſecreto ſecura, in publico periclitatur. 424.67
Magna communicanda viris, qui habeant animum ad retinendum ſecretum. 626.90

*Securitas.*

Vt ſis ſecurus de tua ſalute auſteriora quære. 372.36
Vt noſtra bona ſint ſecura in manibus Chriſti reponantur. 424.66 & ſeqq.
Locus, quamuis ſanctus, non dat ſecuritatem. 542.33
Securus eſt homo in loco, quem ei Deus dat. 553.94 & ſeq.

*Sententia.*

Nunquam noſtra mens acquieſcit dictis, ac ſententiis minus gratis. 180.224

*Senex.*

Conſulendum, vt iuniores non anteponantur ſenioribus. 239.16

*Sepulchrum.*

Sepulchra Iudæorum in agris, & erant veluti quædam domunculæ. 557.8

*Sequi.*

Qui Chriſtum ſequitur, omnia ſæculi dimittat. 251.90 & ſeq.
Qui ſequuntur Chriſtum, relinquant mundum, ac affectus carnales. 258.136
Qui ſua dimittunt pro te ſequendo primi à te munerentur. 282.92
Repudiandus affectus eorum, qui non te, ſed tua ſequuntur. 528.35
Vt Chriſtum ſequaris, non tibi aliquid retineas. ibid. 36
Chriſtum ſequentes ipſum repræſentamus, & induimus. 596.49 & ſeqq.

*Sermo.*

Moleſta in ſermone interrumpimus quæſtione diuerſa. 174.199
Sermo plenus promiſſis valde iucundus. 278.68
Vide *Verbum, Loqui.*

*Seruus, Seruire.*

Non eſt ſeruiendum Deo, & mundo. 65.34
Seruus damnat, Dominus benefacit, & ſaluat. 116.294
Seruire Deo cibus iuſtorum. 189.270
Bonus ſeruus à Domino ſuo vult remouere dolorem. 211.98
Valde miſerum ſeruire ei cui imperaſti. 433.18
Non eſt ſimul ſeruiendum Deo & alteri. ibid. 19 & ſeq.
Membra, quæ ſeruierunt peccatis, ſeruiant & iuſtitiæ.
Vide *Obſequium.*

*Simplicitas.*

Quod ſuperbia non obtinet, ſimplicitas apprehendit. 180.226
Simplicitas neceſſaria prædicatoribus. 297.189

*Similis.*

Similitudo attrahit ad ſe. 104.228

*Simonia.*

Ob ambitionem venduntur res ſacræ. 35.20
Simoniaca peſtis à nobis fugienda. 45.init.
Simoniacæ pœnæ inexplicabiles. ibid.

*Singularitas.*

Singularitas fugienda. 8.23 & 92.165
Vide *Via, Extraordinaria.*

*Societas.*

Qui ſocietate iuſtorum delinquit maximè puniendus. 475.70
Societas iniquorum valde nociua. 542.36
Dignitas benemeriti non minuitur ex coniunctione delinquentis. 151.82
ex Societate in calamitate leuamen. 170.179
ex Societate bonorum multa bona proueniunt. 174.202
Societas Sanctorum etiam malis vtilis. ibid. 202 & ſeq.
Iuſtus ex mala ſocietate turbatur. 230.85
Deus nobis prouidit ſocios ad leuamen. 232.92
Qui eſt ſocius in tribulatione ſit, & in Regno. 235.111
Ex bona ſocietate magna vtilitas. 318.78

*Solicitudo.*

In prælato magna ſolicitudo ne error introducatur. 36.25
Regia dignitas plena ſolicitudine, & curis. 547.init.
Qui nimis eſt ſolicitus de temporalibus, Deum facit ferreum, vel lapideum. 347.91 & ſeq.
Solicitudo non eſt augenda cogitationibus de futuro. 448.96
Homo non ſit ſolicitus de temporalibus, vide multa. 430.46 & ſeqq.
Vide *Prouidentiam.*

*Solicitus.*

Valde ſolicitus ſis in conſeruatione donorum cæleſtium. 402.80

*Solitudo.*

Solitudo maxime proportionata ad cultum, & venerationem Dei. 178.218 & ſeq.
Solitudo maxime proportionata ad Deum videndum. ibid. 219
Solitudo locus valde proportionatus ad docendum, ac diſcendum. 269.17

*Somnium.*

De his, quis nocte ſomniat quæ de die agit. 547.init.

*Spes.*

Nulla ruina, ac peccatis amittenda eſt ſpes ſalutis. 171.183
Qui habet ſpem in Deo, magna conſequitur. 229.75
Deus dat nobis ſpem euolandi in cælum. 290.143
Spes corroborat. 302.225
Noſtra ſpes in Deo collocanda eſt. 537.42
Lilium ſymbolum ſpei. 444.80
Qui nullam habet ſpem, nihil timet. 558.17
Obtenta bona etiam cum ſpe poſſidenda. 625.83
Spes præmij, vide *Præmium.*
Spe bona cæleſtia veniunt. 445.init.

*Spiritus ſanctus.*
Spiritus ſanctus fons aquæ ſalientis qui ducit in vitam æternam. 164.148,149
Per Spiritum ſanctum omnis noſtra ſalus, & vita. 213.112
ſi Spiritus ſancti dona deſunt, deeſt ſuauitas. 12.47
Spiritus ſanctus latere non poteſt in anima, in qua inhabitat. 81.114
Spiritus ſanctus dat omnium ſcientiam. ibid. 115
In diuino Spiritu omnia bona dantur. 159.122
Diuinus Spiritus fons aquæ viuæ ac omnium donorum in nobis. 159.126
Diuinus Spiritus ita ſe accommodat noſtræ exigentiæ, vt varios effectus producat. ibid. 127
Spiritus ſanctus ignis, & aqua vt nobis accommodetur. 160.poſt init.
*Status.*
Sæpe potius ſtatui, quam conſcientiæ conſulitur. 62.20
*Stultus.*
Stultus nil boni ſecum defert, ſed omne malum. 347.52 & ſeq.
Vide *Ignorans.*
*Subditus.*
Superiorum facta non ſunt examinanda à ſubditis. 182.237
Subditus ſubiiciat ſe ſuperiori ſecundùm intellectum, & voluntatem. 313.40
Subditorum neceſſitas egeſtas ſuperioris. 436.53
*Superbus.*
Superbus in manifeſtis cæcutit. 167.161
Quod ſuperbia non obtinet, humilis ſimplicitas apprehendit. 180.226
Superborum iactantia reprimenda. 174.198
Adeò ſuperbus eſt homo, vt velit fieri miraculum iuxta ſuum beneplacitum. 205.59
Superbi deprimuntur. 206.69
Homo vilis in dignitate valde ſuperbus. 154.101 & 282.94 & ſeqq.
Superbus Rex non poteſt ſuſtineri à populo. 315.54
Superbus ad omnia inutilis. ibid. 55 & ſeq.
Superbus in inferno, eſt in inferiori omnium loco. ibid. 59
Superbus dignitatis ſuæ magnitudine decreſcit. 316.60
Superbus à nulla creatura vult vinci, 520.79
Superbia concomitatur diuitias. 527.28
Superbia inter omnia vitia valde odibilis, & exoſa. 528.38 & ſeq.
Humiliatio à ſuperbo efficax argumentum. 566.65
Superbi omne bonum negant, vt omnia infœcunda reddant. 581.70
*Supererogatio.*
Opera ſupererogationis præſtanda ad ſalutem. 344.33 & ſeqq.
*Superflua.*
Superflua vitanda. 211.103
Superflua amputanda. 437.43
*Supplicium.*
Aliquando puniendus eſt homo ne labatur proſperitate. 39.35
Ipſum peccatum ſupplicium. 118.299
Vbi eadem culpa, idem ſupplicium iniungitur. 127.32
Id quod aliquando videtur ſupplicium, eſt Dei beneficium. 214.119
Suppliciis deterrentur homines à peccatis. 275.53 & ſeqq.
Quos beneficia non impellunt, obligant ſupplicia. 316.61 & ſeqq.
Peccator trahitur ſupplicio, iuſtus præmio. 323.106 & ſeq.
Deus dat ſupplicia ad correctionem, & emendationem noſtram.
Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. 480.91
Quanto ſupplicium diutius differtur, tanto ſeuerius eſt. 471.43 & ſeq.
Deus non punit bis in idipſum. ibid.
Deſiderio diaboli omne noſtrum ſupplicium paruum. 560.28
Ad puniendam malitiam nullum tempus intempeſtiuum. 560.29
Nullus de alterius ſupplicio dolet, ſed ſolum ſuum reputat importabile. ibid. 30
Semper impiis ſupplicium videtur immaturum. 561.31
Deus dum punit in ipſo ſupplicio, cuſtoditur homo. 563.49
Suæ pœnæ, ac ſuppliciis creatura ſibi eſt autor. 566.66
Peccator in id incidit ſupplicium, quod effugit. 568.79 & ſeq.
Deus ſi ſupplicio caſtigat, conſolatione recreat. 578.45
Vide *Punire, Pœna.*
*Spirituale.*
de Spiritualibus prius agendum, quàm de temporalibus. 551.88
Id, quod eſt temporale, tranſit, ſpirituale perſeuerat. 23.100
Maxime arguendi, qui ob temporalia relinquunt ſpiritualia. 585.85 & ſeq.
*Suſpicio.*
Arguuntur illi, qui cum multa peccata habeant, de aliis ſuſpicantur malum. 451.8
Mala ſuſpicio venenum charitatis. ibid. 11
Mala ſuſpicio torquet virum probum tanquam infernus. 452.17. & ſeqq.
Vide *Præſumptio.*

T

*Tacere.*

TAcere inter opprobria rara virtus. 305.246
Eſt tempus loquendi, & tacendi. 549.73
*Temporalia.*
Illud, quod eſt temporale, tranſit, ſpirituale perſeuerat. 23.100
Temporalia vt mala fugiamus, mundanda eſt conſcientia. 580.59 & ſeqq.
Vide *Spirituale, Bona temporalia, Mundus.*
*Tempus.*
Omnia fiant conuenienti tempore. 16.66
Tempus miſericordiæ non eſt fœdandum cum rigore iuſtitiæ. 116.192
Appretiator temporum multum proficit. 131.55
In eodem tempore in quo eſt infirmitas, eſt ſalus à Deo. 213.114 & ſeqq.
Præcipua pars temporis in bonis animæ conſumenda. 516.56.
*Tentatio.*

Index Rerum.

*Tentatio.*
Ad vincendas tentationes Dei auxilium implorandum. 255.115
Chriſto duce omnis tentatio vincitur. 227.63
Homo, qui in tentatione vincit, ſublimatur. 410.131
Multi magna promittunt, & in tempore tentationis deficiunt. 472.48 & ſeqq.
Tentatio eſt petere ſine meritis. 488.26
*Teſtimonium.*
Vtendum teſtimoniis, quæ habeant auctoritatem. 60.11
Valde confidenter teſtificatur homo ea, quæ videt. 241.init.
Teſtimonium ab inimico efficax. 420.78
Teſtimonium humilitatis à ſuperbo efficax argumentum. 567.65
*Teſtis.*
Teſtis de viſu certiſſimus. 86.136
Bonus teſtis teſtificatur de his, quæ videt, non verò de his, quæ vult. ibid.
*Timor, Timidus.*
Principes mundi pro rebus temporalibus valde imperterriti, non vero pro rebus animæ. 64.28 & ſeq.
Dum homo timet, gratia impletur. 25.113
Timor vt deponatur verba ſunt multiplicanda, & multa requiruntur. 115.285 & ſeqq.
Solus Dei timor refrænat à peccatis. 134.71
Timor præmittendus amori. 233.99
Prudens timet ob multa beneficia data. 234.102
Quanto quis magis cognoſcit de Deo, tanto magis timet. ibid. & ſeq.
Timor perfectus dat confidentiam. ibid. 105
Viuendum inter ſpem, & timorem. ibid. 106 & ſeqq.
Inter timorem, & amorem ambulandum. 235.109
Qui fundantur in iuſtitia nil timeant. 324.113
Sæpe ob timorem multos honoramus. 430.2
Plures trahuntur timore pœnæ, quam amore. 432.13 & ſeqq. & 520.81
Timor inferiorum poteſtatis adulatio. 502.130 & ſeq.
Timor ſæpe dat intellectum. 520.18 & ſeq.
Nō opus timoris, ſed amoris laudatur. 521.85
Timor nos trahit, & conuertit ad Deum. 549.73 & ſeqq.
Timore præparatur homo ad omnem virtutem. ibid.
Animus timore perturbatus non audit, nec percipit, quæ dicuntur. 551.87
Qui Deum habet nil timeat. 552.92
ex Timore recognoſcitur Dominus. 557.5
Quos nos Dei reuerentia, humanus timor cohibet. 582.71
Homines timent potentiam illius in quem deliquerunt. 588.init.
Ibi regnat timor, vbi deeſt amor. ibid. 104
Maxime timendum, quod quis ſit in peccato, dum alij mundantur. ibid. 105 & ſeq.
*Traditor.*
Vide *Proditor.*
*Tributum.*
Valde odioſum eſt comedere, & bibere de tributis acquiſitis. 603.92 & ſeq.
Maxime principem nobilitat, Rempublicam tributis non grauare. ibid. 93
Tributa gaudium excludunt à populo. 609.21
*Trinitas.*
In fide Trinitatis illuminatur homo. 4.n.6
*Triſtitia.*
Credenti omnis triſtitia vertitur in gaudium. 26.init.
Animus triſtitia affectus non eſt capax ad audiendum. 102.220
Fames parit triſtitiam. 412.2
Triſtitia dedecet triumphum. 415.19
*Tribulatio.*
Multi magna promittunt, & in tempore tribulationis deficiunt. 472.48 & ſeqq.
Vide *Labor. Afflictio.*
*Tumultus.*
Tumultus populi vitandus. 38.31

V

*Varietas.*

VArietas maxime delectat. 62.21
*Veritas.*
Veritas diſtinctionem quærit, mendacium confuſionem. 3.1
Veraces cum dubio loquuntur. 22.93
Humanus reſpectus obturat os, ne dicatur verum, quod agnoſcitur. 63.23
Veritas maxime attrahit animos. 70.61
Prædicator poterit alligari, non tamen veritas. 126.27 & ſeq.
Veritas odioſa Regibus. 134.70
Veritas in minimis obſeruanda. 146.49
Nec in omni occaſione omnis veritas eſt dicenda. 175.208
Veritas concomitatur veram adorationem, ac cultum Dei. 177.217
Adeo congenita eſt veritas Deo, vt nullus hæreticus auſus fuerit eam ipſi denegare. 178.220
Ex dono Dei eſt, nuda veritate gratiam alicuius conciliare ſibi. 194.295
Veritas per ſe ipſam valde efficax. 244.44
Vbi eſt contradictio veritatis, ibi prædicanda. 262.12
Aliquando ob vitandam inuidiam vera diſſimulanda, & non dicenda. 341.13
Diabolus, vt ſeminet ſuam falſitatem, eam adiungit cum aliqua veritate. 367.3
Valde difficile cognoſcere veritatem permixtam falſitatibus. 466.18 & ſeqq.
Chriſtiana veritas non inuolucris tegitur, ſed publice prodit. 473.54 & ſeq.
Veritas eſt abſcondenda, vt aliquod negotium facias cum principibus huius ſæculi. 615.21
*Verbum Dei.*
Verba Dei multo efficaciora ad mouendum, ac trahendum, quàm noſtra. 208.93 & ſeq.
Verbum Dei ad diſſipandum omne malum, quod hominis induſtria diuertere non poteſt. 210.95
Verba ab ore Chriſti prolata magnam habent efficaciam. 214.124 & ſeq.
*Verbum noſtrum.*
Durius percutit verbum aſperum, quam flagellum. 44.61
Verbum ornatum iucundum. 191.278
Verba habeant ſecum opera. 260.1
Pro ſuo verbo adimplendo homo mortem ſubeat. 332.158

Quare Chriſtus eiiciebat Dæmones verbo. 118.init.
Verba animi puritatem indicant. 520.77
Maximè diſplicent Deo verba, dum aliud eſt in ore, aliud in corde. 521.89 & ſeqq.
Ad magna explicanda, nulla ſunt verba noſtra. 337.19 & ſeq.
Modeſtia in verbis, vide *Modeſtia*, *Sermo*, *Loqui*.

*Venia.*

In noſtra manu relinquit Dominus habere veniam peccatorum. 409.121

*Veſtis.*

Quare Iudæi in veſtibus geſtabant fimbrias. 621.57
Princeps eandem veſtimentorum formam retineat, quam dat ſuis. ibid.

*Vexatio.*

Vexatio dat intellectum. 560.24

*Via.*

Via iuſtorum valde aſpera. 22.95
Chriſtus per communem viam incedebat. 144.40.
In via ſalutis ad vlteriora procedendum. 343 28
Homo fugiat à via ſibi noxia. 418.35
Via cæli arcta, & ſuauis. 462.65.68
in Via Dei ſit totus homo, & non dimidiatus. 433.119 & ſeq.
Via cæli contraria terrenis. 537.2
à Via, quæ tibi aliquando fuit exitialis & nociua, caue, & fuge. 553.100 & 565.59
Studium dæmonis impedire viam ſalutis. 559. 22 & ſeq.
ea Via eligenda, quam agnoſcis eſſe felicem, & auſpicatam. 616. 26 & ſeq.
Vide *Extraordinaria*, *Singularitas*.

*Victoria, Vincere.*

Cum gratia Chriſti omnes difficultates vincuntur. 77.94
Glorioſa victoria, dum ſuis armis configitur inimicus. 96.188
Omnis noſtra victoria Deo tribuenda. 109. 256
Victoria erit certa vbi fuerit amor inimicorum. 369.17
Vide *Appetitus*.

*Vicinitas.*

Mala vicinitas multa damna parat. 565.61

*Videre, Viſio.*

Deus videt non ſecundùm faciem, ſed ſecundùm cor. 238.init.
Miſeriis, quas quis videt, maxime mouetur 247.63
vt Deum videas maxima purificatio exigitur. 233.98
Deus videt ad miſerendum. 267.1
ad Videndum Deum ſumma puritas requiritur. 238.200
Magnus Princeps non poteſt videre labores ſuorum, quin ſubueniat. 545.49
Viſio Chriſti in ſe transformat homines. 596. 49.& ſeq.
Vide *Oculus*.

*Vigilare.*

Vigilandum nobis eſt, vt obſeruemus Domini aduentum, vt ita viuamus. 82.120 & ſeqq.
Vigilia Principis, ac Patris cuſtodit Regnum, & familiam, & ſi dormit omnia ſunt in periculo. 545.55,56
Vigilantia diſſipat omne malum. ibid.

*Vindicta.*

Officio non vtatur Prælatus ad vindictã. 377. 69.

*Virtus.*

Virtus augeatur in iuſtis, ſi vitium creſcit in impiis. 379.81 & ſeq.
Virtus magnam habet auctoritatem. 49.83
in Virtute ſemper ad maiorem perfectionem tendamus. 388. init.
Perfectio virtutis eſt exiſtimare ſe imperfectum. ibid.130
Ad opera virtutis nunquam homo ſit vacuus, ſed ſemper illi applicetur. 394.init.
Virtutes particulares occultandæ, ex obligatione publica manifeſtandæ. 422.54 & ſeq.
Egreſſus malitiæ, ingreſſus virtutis. 431.init.
Parum prodeſt virtus mortua vbi eſt iniquitas viua. 467.25
Virtus ſibimet præmium. 475.69
Plus æſtimanda virtus, quam poteſtas. 478.81
Membra, quæ ſeruierunt nequitiæ, ſeruiant & virtuti. 514.45
Virtutis opera abſcondenda. 517.60 & ſeqq.
Nullus debet ſtatim ad ſumma, ac ardua virtutis proſilire. 525.19 & ſeqq.
Virtus perſuadetur fauoribus, peccata ſuppliciis euitantur. 275.54 & ſeqq.
Pro virtute magnorum virorum, aliorum animus non eſt metiendus. 278.69
In via virtutis de imperfecto proceditur ad perfectum. 293.165 & 343.28
In via virtutis iudicet homo ſe incepiſſe. 294. 173
Virtus occultanda. 298.init.
Omnis virtus in perſecutione probatur. 301. 219
Virtus perſecutione non hebetatur. 308.8
Etiam ab opere ſub prætextu virtutis aliquando cauendum. 452.17
Magna virtutis opera ſoli Deo tribuenda. 194. 296
Virtus laudata creſcit. 206.66
in Virtute proficiendum. 207.76
Virtus non poteſt abſcondi, ſed ipſa ſe manifeſtat. 325.123
Virtus lucet, & reſplendet. 329.144
Virtus appetit abſcondi, at in occaſione exit in publicum. 330.145 & ſeq.
Perfecta virtus non extinguitur vento vanitatis. ibid.148
Æmuli inſurgunt contra virtutem. ibid.149
Quilibet fulgeat ſua virtute, & non aliena. 331.151 & ſeq.& 342.23
Virtutum ſemina demoliuntur dæmones. 527. 29
Virtus præclara hominis nobilitas. 619.init.
Virtus abſcondenda, vide *Abſcondere*.
Incipientes in via virtutis, vide *Incipientes*.
Via virtutis, vide *Via*.

*Virginitas.*

Virginitas, vt magna conſequatur, aliena ſit ab affectu carnis, & ſanguinis. 259.137
Virginitas omnium aliorum ornatum & gloriam ſuperat. 445.83 & ſeq.
in Virginitate omnium virtutum laus recapitulatur. ibid.85
Vide *Caſtitas*.


*Viſi*




*Viſitare.*

Bonus Prælatus viſitat ſua. 33.11 & 261.7

*Vita, Viuere.*

In hac vita labor, in altera requies. 231.86
Facilè homo pugnat pro ſua vita, difficilè pro aliis. 278.70
Vis ſecure viuere, ſubſiſte eo ordine quo Deus te conſtituit. 537.3

*Vitium.*

Maiora peccata ſunt reprehendenda in ſubdito. 34.17
Sub falſa ſecta, ac doctrina luxuria, & vitia. 174.200
Si vnum vitium deſtruitur, omnia deſtruuntur. 502.26
Homo viuens in vitio, iam degit in ſepulchro. 558.11

*Vngere.*

Valde ſolemne fuit apud antiquos vngere caput. 419.41
Hoc fiebat in diebus feſtiuis, & lætis. ibid.

*Vnio.*

Impij maximè vniuntur aduerſus iuſtum. 124. 12 & ſeq.
Facere vnionem, inter homines delitiæ Chriſti. 189.271
Chriſtus Dominus maximè vult vnionem inter ſuos. 242.33
Gratia facit vnionem, bona temporalia diuiſionem. 320.87

*Vocare.*

Qui vocat ad labores non ſit in requie. 592.20
Deus quemlibet vocat ſua inclinatione. 180. 225
Vocante Deo nulla eſt occupatio, quæ nos impediat. 248.70
Vocandus eſt vnuſquiſque ſua inclinatione. 227. 65
Deus vocat opportuno tempore. 530.48
Vocatio noſtra non eſt currentis, ſed Dei miſerentis. 534.74

*Voluntas.*

Amicorum benigna voluntas non eſt contemnenda. 7.19
Nil magnum ſine voluntate. 364.68
Noſtra voluntas conformanda cum diuina. 404.92
A mala voluntate, mala operatio. 474.58
Voluntas pro opere reputatur à Deo. 480.97
Ad Domini ingenium, ac voluntatem omnia mutantur. 553. 100 & ſeq.
Chriſtus vult voluntarium obſequium. 585. 88

*Voluptas.*

Ad Chriſti præſentiam diffugiunt carnales voluptates. 12.poſt init.
Vide *Deliciæ*, *Appetitus*.

*Vox.*

Charitas, & eximius affectus ingeminat voces. 70.62

*Vrbanitas.*

Si non concedis, quod petitur, vrbanitatem ſerua. 210.init.
Vbi cœleſtia dona communicantur, ille vrbanior, qui præuenit. 217.11
Vrbanitas, ac potentia valde præpotens ad trahendum. 223.44
Vrbanitatis iura ſeruans præparatur ad dignitates. 532.62 & ſeq.
Neceſſitas deſtruit vrbanitatem. 545.55

*Vtilitas.*

Quando quis dicit ad ſuam vtilitatem, petit, ad alterius verò tantum leuiter dicit. 223. 46
Vide *Commodum*.

Z

*Zelus.*

Zelo iuſtitiæ poteſt alicui imprecari malum. 380.84
Impij dum volunt zelare diuinum honorem, ipſum offendunt. 581.63
Iniqui prætextu zeli Dei ſuum venenum diffundunt. 581.66
Zelus domus Dei maximè laudandus. 36.22
verus zelus non verbis, ſed operibus comprobatur. 38.32
Quid ſit zelus. 48.78
Zelus affectus amoris. ibid.79
Zelus perfectus tormentis non minuitur. ibid. 80
Zelus cupit emendare, & gemit ſi non poteſt. 49.81
Quæ zeli tegumento fiunt crudeliſſima. 140.21
Ira ex zelo magna virtus. 346.42 & ſeq.


*FINIS.*